Dr Vantrap
Ribe

11223

66/M4.

LAZARI
RIVERII
CONSILIARII, MEDICI,
AC PROFESSORIS REGII.

Necnon Regiorum in Uniuersitate Mospelienſi Medicinæ Antonio ex Profeſſorum Decani. Liana.

OPERA MEDICA UNIVERSA.

QVIBVS CONTINENTVR

I. Inſtitutionum Medicarum Libri quinque.
II. Praxeos Medicæ Libri Septemdecim.
III. Obſeruationum Medicarum, & Curationum inſignium Centuriæ quatuor, cum Obſeruationibus rarioribus, ab alijs communicatis.

ADORNATA

A IOH. DANIELE HORSTIO.

EDITIO NOVISSIMA, AVCTIOR. ET CORRECTIOR.

Cui Prafatus eſt

IACOBVS GRANDIVS

Acceſſerunt in RIVERII Inſtitutiones, vtiles ANONYMI Animaduerſiones, & Supplementa.

ANO DICATA DE 1766.

ILLVSTRISSIMO, AC PRÆSTANTISSIMO VIRO

LAVRENTIO MATTHÆO DE NIGRIS.

Philoſopho, & Medico Inſigni.

VENETIIS, MDCC.

Apud Io: Baptiſtam Indrich.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

DEbent plurimum Docto RIVERIO de Re Medica optimè Merito Artis Apollineæ ſtudioſi, cuius opera tyronum manibus ingenti cum fructu teruntur, cuius medicæ præſcriptiones ſummo cum ægrorum leuamine ponuntur in uſu: hinc tanta ab illius artis profeſſoribus excipiuntur aviditate, ut deficientibus pluries cuſis voluminibus eorum iterata impreſſio quamplurimis fuerit deſiderata. Quapropter ut in rem litterariam quod poſſum conferam emolumenti, conſilium cœpi in non leuem Medicinam facientium, illique præſtantiſſimæ Arti ſtudentium utilitatem ea iterum prœlo tradere, ut multorum expectationi, & commodo fieret ſatis. Deuenimus fauentibus ſuperis ad metam ſuſcepti operis, nec requirenti mihi cuius patrocinio committendus, & cuius nomini inſcribendus liber eſſet hæſitandum diu fuit, nec cogitatio longè,

latèque circumferenda, tu namque ſtatim occurriſti Vir Doctiſſime, qui MEDICÆ ARTIS peritia, ingenij perſpicacis acumine, & generis haud obſcuri claritate operis huius vales æquare dignitatem; huiuſmodi enim polles mentis ſagacitate, vel in arcanis naturæ acutè perſcrutandis, vel in ægris morborum innumerabilium languoribus miſerè oppreſſis opportunè ſubleuandis, ut iam comuni omnium fama præcipuum inter MEDICÆ ARTIS Profeſſores in inclyta VENETIARVM VRBE locum teneas: ea præterea es præditus erga omnes humanitate, morum candore, nullo fuco infecto, & in tuæ opis egentes pietate ſingulari, ut omnium animos ad tam præclaræ indolis amorem allicias; tanta denique elegantiarum, & virtutum cohors te comitatur, ut nullus ſit, qui in illarum non hæreat admiratione, ac vel tacitus ingenti non te proſequatur obſequio. Hinc parces audaciæ meæ, ſi hoc exiguum obſequij erga te mei profero monumentum, ut indè clarè pateat longè maiora deberi virtuti tuæ, deberi familiæ veſtræ, quæ in hac Ciuitate omnium nobiliſſima haud obſcuro iacet in loco, de qua multa dici meritò poſſent, ni prohiberer modeſtia tua, quæ à proprijs laudibus quam longiſsimè abhorret. His itaque omiſſis offero nunc Volumen hoc protectioni Tanti Viri, & certa innitor ſpe humaniter, benignèque excipiendum eſſe, ac parvum hoc obſeruantiæ meæ indicium præclarè poſitum iri confido, quòd ſi mea non fallar opinione ſummo me devinctum beneficio profitebor, & dum id votis omnibus exopto longæuam à Summo Numine ob publicum commodum tibi auguror felicitatem. Vale

Dominationis Veſtræ Illuſtriſſimæ

Venetijs Id. Septembris 1700.

Humillimus, ac Obſequentiſſimus Servus
Ioannes Baptiſta Indrich.

IACOBI GRANDII
IN VNIVERSA RIVERII OPERA
PRAEFATIO.

INter Authores, qui scriptis, & obseruationibus Artem Medicam locupletarunt, plurimi quidem omni æuo, qua Græci, quà Latini, quà Arabes, cùm vniuersam Medicinam, tùm aliquas eius partes editis voluminibus explicarunt. Antiquissimis vsque temporibus Apollo, seu Serapis, Cheron, Æsculapius, Bacchus, Pæon, quòd primi laboriosæ mortalitati præsidia aduersus morbos communicarunt, à posteris tantam gratiam iniuere, vt pro Dijs habiti, & exculti fuerint. Secundum ab his locum tenuerunt Podalirius, atque Machaon Homeri versibus celebrati; à quibus longo interuallo floruerunt Democedes, & Melampus, vterque scientiæ fama clarissimus, ille propter Regem Persarum à pedis luxatione sanatum, eiusque Vxorem serpente mamillarum vlcere liberatam; hic ob Preti filias à furore melancholico, dimidia Regni parte, curatas. Hos secutus magnus Hippocrates diuino ingenio sparsas medendi regulas ordinauit, scientia altis Philosophiæ principijs innixa in hæreditatem posteris relictę; Iecit fundamenta medendi, tradita scriptis immortalibus morborum omnium curatione; & signatis remediorum vijs. Errores etiam, quibus deceptus confessus, ne quid Artis perfectioni deesset, remediorum formulas peculiari volumine exarauit, cui Medicamentario nomen indidit: qui liber magno humani generis detrimento, iniuria temporis intercidit.

Coœuus Hippocrati fuit Democritus, illius testimonio optimus Naturæ, & Mundi interpres, vt inquit Plinius, qui, tradente Arbitro, omnium herbarum succos expressit, & ne lapidum, virgultorumque vis lateret, ætatem inter experimenta consumpsit. Græcorum primus Chymica Arte metalla resoluit, quam longis ad Ægyptios, Gymnosophistas, Magos, peregrinationibus didicerat, plus sexcentis aureorum millibus in experimenta consumptis; vnde arcanis remedijs Artem Medicam ditauit. Verum scripta tanti Philosophi luctuoso mortalitatis fato omnia perierunt. Subsequentibus sæculis Artem illustrauit Herophilus, herbarum cognitione, pulsuum notitia, & Anatomes peritia incomparabilis: qui miranda Arte arteriarum pulsus in modulos certos, legesque metricas descripsit: & scribente Tertulliano, vt Naturam scrutaretur, septingentos homines exsecuit; nonnullosque etiam viuos, vt interna liquido exploraret, morte non simplici, sed ipsa inter artificia exsectionis errante Artifice.

Ab hoc sua singuli tempora decorarunt plurimi Medicinæ, & Philosophiæ connubio insignes, Aristoteles, Erasistratus, Theophrastus, Serapion, Asclepiades, Themison, Dioscorides, Archigenes, Thessalus, Andromachus, Aretæus, Theon, Ruphus, Soranus; & inter Latinos Celsus, Macer, Scribonius, & Plinius.

Successit posteà Galenus maximum Medicinæ decus, & Medicorum Princeps, cuius doctrinam Fama canit, & doctissima, quæ extant, scripta testantur. Cedro digna sunt opera eius, sed quæ de Vsu partium, Anatomicis administrationibus, Locis affectis, & Compositione medicamentorum conscripsit, nimium quantum cæteris antecellunt.

Auctum tantis Authoribus medendi scientiam potuerunt Cælius Aurelianus, Oribasius, Paulus Aegineta, Aetius, Marcellus, Trallianus, Actuarius, Myrepsus.

Hos excepit sequioribus sæculis Arabum schola, Græcis, & Latinis Musis ab Europa barbarie obsita fugatis, Medicinam inuadentium; quorum Illustrissimus Auicenna, siue Abensiua, vniuersam Artem medendi à Græcis scriptoribus mutuatam patrio sermone complexus est. Scripsere, & Auerrhoes, Auenzoar, Bhasis, Albucasis, Mesue, Isaac, & Halyabas; quorum libris, licet rudibus, & omnis litteraturæ expertibus, non deest doctrina non deest ingenium; ex illisque, quod de Ennij Annalibus dixit olim Vergilius, velut aurum de stercore colligi potest.

Tandem Europa exuente barbariem, floruere multi, præsertim Trusianus, & Petrus Aponensis, ille plusquam Commentatoris, hic Conciliatoris cognomento notissimus. Sed Arnaldus Villanouanus, ingenio, & scriptis, & experientia medendi, nulli Medicorum secundus est. Docte quoque scripserunt præ alijs Constantinus Aphricanus, Io: Arculanus, Sauonarola, Gordonius, Valescus de Taranta, Campegius, Carpensis, quibus eruditiores Marsilius Ficinus, Linacrus, Leonicenus, Manardus, Ruellius, Montanus, Landus, Vidius, Trincauellius cultiorem Scholis Medicinam inuexerunt.

Sed Ioannes Fernellius Gallus, ingenio, eloquentia, felicitate, & sermonis elegantia, omnesque à Galeno illustrem in medendi scientia famam consecuti sunt, superauit. Ipse interfuit gloriæ suę, &; quod nemini mortalium contigit vnquam, viuens vidit in Academijs Galliæ opera sua publicè prælegi, atque explicari.

Enim verò Fernelij seculum, si quod aliud, magnorum Medicorum feraciſſimam fuit, quos enim, vt quamplurimos taceam, proferent alia secula Vesalio, Fallopio, Vallesio; Ingrassiæ, Mercuriali, Capi Vacco, Argenterio, Rondeletio, Iouberto, Lemnio, Iunio, Dodonæo, Fabricio,

bricio, Guilandino, Hollerio, Andernaco, Massariæ, Saxoniæ, comparandos.

Quid de nostro seculo dicam, in quo clara fulserunt, adhucque fulgent Capita Medicorum, qui pari cum veteribus passu consecuti sunt immortalitatem, nempe Vuilis, Bolyæus, Zuuelferus, Charleton, Vanderliden, Blasius, Mocbius, & alij doctissimi Professores, quos futura nominabit ætas.

Veruntamen eorum, qui praxim docendo, & medendo iuuere Philiatros, optime de humano genere meritus est LAZARVS RIVERIVS Medicus Monspellienſis, & FRANCISCVS DE BOESY-LVIVS Batauus; si tamen hic, vt ille, incæptam fauente Apolline Praxim absoluisset.

Quippe post Hippocratem, qui obscuritate, & breuitate sermonis, oraculi instar, non omnibus, sed solis Naturæ Mystis Artem aperuisse videtur, Medicina omnis in varias sectas, & factiones diuisa est, pro ingenio, & libidine Professorum; Hinc malo ægrotantium malo orta illa nomina, & turbę Iatralepticorum, Empiricorum, Herophileorum, Asclepiadeorum, Thessaleorum, Galenistrarum, Rationalium, Methodicorum, Dogmaticorum, Chymicorum: & tot immania diffidia, & contrariæ medendi rationes; alijs fame & siti, imperiosaque inedia, alijs cibo, & largiore potu, alijs sudoribus, alijs purgantibus medicamentis, alijs copiosa, & crebra missione sanguinis, alijs ad sydera obseruationem collectis herbis, alijs per vomitoria, alijs per quæ non alia remedia, subtiliori, & penitiori ratione à metallis, & mineralibus elicita, confessa audacia morbos omnes aggredientibus? Vnde iusta querela Plinij, nullam Artium Medicina incostantiorem fuisse, cum sit fructuosior nulla. Sane supra Auorum nostrorum memoriam Theophrastus Paracelsus, vt olim Thesalus, cuncta Medicorum placita deleuit, & rabie quadam in omnes artis scriptores debacchatus est, celebri fama ob sanatos feliciter ægrotos arcano remedio à chimia petito. Eius dogmata secutus Helmontius cautiori ingenio alia principia rimatus, nouum condidit Medicinæ progressum, scritaque edidit profutura mortalibus.

Illud in primis sciendum est quod ante Haruæum quotusquisque Artem exercuit, si Hippocratem, & Hærophilum excipias, circulationem sanguinis per totum corpus ignorauit. Ignorauit etiam maxima pars Authorum principia Chymica, & efficaciſſima pharmaca, quæ ea Arte parantur maximo salutis hominum compendio. Insuper per inscitiam putauerunt cum Galeno massam sanguinis ex quattuor humoribus componi, vitalibus & nutricijs succis excrementorum nomina tribuentes; Denique eos latuerunt Chyli viæ per mesenterium, ductusque Thoracicos, vasa lymphatica, succus pancreaticus, eiusque cum bile mixtio, vsus, modusque nutritionis.

Propterea cum in tanta Scriptorum varietate, & confusione hæreant ingenia studentium, ac deterreantur longitudine Artis, & immensitate voluminum, varia, & contraria inter se dogmata complectentium, viam certam, ac regiam hoc volumine præstatum iuit RIVERIVS, qua vera Medicinæ scientia, ex veterum, & recentium Professorum placitis comparari possit.

Praxim medicam facturis, non inutilem rudiori seculo nauarunt operam insignore Valescus, Gordonius, Sauonarola, Gariopontus. At Ædepol, quam crassa Minerua? quàm ieiuna scriptione? Vtilius & doctius rem perfecerunt Vuecherus, Mercurialis, Platerus, Bruelos, Beuerouicius, Zacutus, Horstius, Blasius, M. A. Seuerinus, Massaria, Saxonia, & Centonariorum Coryphæus, Sennertus. Verum Hollerij, & Cæsalpini Practicæ, frequentius cæteris elegantiorum Medicorum manus teruerunt. Donec RIVERII opus absolutissimum, studentium necessitatem, & vota docentium intercæpit. Huius commentarium lectioni, si studentes coniunxerint ANTONII MENIOTII Pathologicas dissertationes doctissimas quidem, & eruditissimas; GVALTERI CHARLETON exercitationes Physico Anatomicas totius Oeconomiæ Animalis Systema complectentes, nec non quæ de Vrinis, & pulsibus clara & hactenus desiderata methodo nuper edidit LAVRENTIVS BELLINVS, absolutissimam Medicæ praxeos Ideam comparabunt, eamque stabilius ornabunt; si MARCELLI MALPIGII Anatomicorum oculatissimi, & FRANCISCI REDI naturalium experimentorum consultissimi, scripta perlegerint. Neque hoc loco silendum est practicas Rhapsodias concinnius in ordinem non pœnitendo labore digessisse THEOPHILVM BONETVM, PAVLVM DE SORBAIT, & THOMAM BRVNET Viros experientissimos, ac veteris & nouæ Medicinæ ornamenta.

Et quoniam Scholasticorum morbus, quibus garrulitate disputandi instructis, mos est Artibus, & Scientijs, inutiles subtilitates prætendere, corripuit etiam Medicos, arcanis Naturę relictis logicas, & Metaphysicas tricas sectantes, in eorum gratiam sobriè quædam attingit Author in præcognitis ad vniuersam Medicinam.

Mirum, & indignum protinus subit, tam multa multos disputare, vt quæreant Medicina sit ne Ars, an vero Scientia; ceu magni esset momenti ista indagatio, & ab ea Medici laus, & perfectio dependeret! ceu idem non sit, ac vrente domo, loco aquam flammis inijciendi, contentiosè perquirere, an Ignis ex Atomis Democriti, an verò ex forma substantiali Aristotelis componatur; Mauult Author Scientias propiùs, quàm Artes, Nobilissimam Artium collocare. Hæc tamen leuiora sunt, quam vt ijs distineri velit diutiùs Medicinæ studiosos. Libri Praxeos, Libri Obseruationum sunt qui requirunt studentis diligentiam, & ingenium: ij sunt qui nocturna, sunt qui diurna manu versandi sunt: In illis qualis fuerit medicus, quantum cæteris præstiterit RIVERIVS, Philiatri, qui legerint & didicerint, nullo opinionum pæiudicio occupati iudicabunt.

INDEX

FILIO IOH. OTTONI

In Accademia Gieſſenſi ſtudijs operam locanti

IOH. DANIEL HORSTIUS

S. P.

CVm non ita pridem Tibi commendarem RIVERIVM, & huius rei gratia illum partim interpolarem, atque aliquot nouis notatu dignis, varijſque Pharmacis, RIVERIO olim vſualibus, augerem, opportunè accidit, vt Bibliopola ZVBRODIVS nouam editionem RIVERII meditaretur, atque à me peteret exemplar LVGDVNENSE, in tuum vſum, vt dixi, horis ſucciſiuis pro tenuitate mea, meorumque laborum ratione, ex parte politum Nolui autem deeſse illius precibus, quod hoc pacto non tantum tuis, ſed, & aliorum ſtudijs aliqualem opellam ferre valerem. Commiſi itaque ZVBRODIO huic RIVERIVM in tuum commodum adornatum, eundemque iam typis ex ſcriptum, & recuſum, tibi etiam atque etiam commendo, vt diligenter illum voluas, & euoluas. Ipſe enim RIVERIVS Autor doctus, expertus, candidus, & perſpicuus, quem feliciter ſequi poſſis, & cum tempore imitari, modo quoad doſin PVRGANTIVM maxime SCAMMONIETARVM, his in oris, RIVERIO in Prax. & Obſ. aliquando largiori, parcior ſis, nec vltra pondus in ipſius RIVERII Inſtitutionibus deſignatum, aſcendas. Euolue itaque hoc volumen penitius, non perfunctoriè, AVIQVE Tui, & IOELIS ſcripta, laboreſque VESLINGII, & BARTOLINI, p. t. huic adiunge, vt legas aliquando maiorum tuorum veſtigia. PRATER Tuus, Tuuſque Patruus GREGORIVS inuitant Te ad Anatomica. Auus Tuus GREGORIVS ad Praxin. Huius Patruus IACOBVS cum Filio HENRICO ADOLPHO, ſenexque GISBERTVS lucernam præbent pedibus tuis, modò ores, & labores. Labores inquam, & diligenter ſtudijs lites, DEO confiſus, cuius protectioni Te commendo.

FRANCOFVRTI Kal. Auguſt. 1668.

INDEX
LIBRORVM, ET CAPITVM,
INSTITVTIONVM MEDICARVM,
Tomo I. Comprehenſarum.

Præcognita in vniuerſam Medicinam.

LIBER PRIMUS.

Phyſiologiam continens.

Proœmium.

SECTIO PRIMA.

De Elementis.

Cap. 1. de Elementorum natura. pag. 2
2. De numero Elementorum. 2
3. De qualitatibus Elementorum. ibid.
4. De mixtione Elementorum. 3

Phyſiologiæ Sectio Secunda.

De Temperamentis.

Cap. 1. De temperamentorum natura. 4
2. De temperamentorum differentijs. ibid.
3. De εὐκρατῳ temperamento. 5
4. De temperamentorum κριτηρίῳ. ibid.
5. De ætatum temperamento. 6
6. De ſexuum temperamento. ibid.
7. De temporum anni temperamentis. 7

Phyſiologiæ Sectio Tertia.

De humoribus.

Cap. 1. De humorum natura. pag. 7
2. De humorum differentijs. ibid.
3. De ſanguine propriè dicto. 8
4. De pituita alimentaria. ibid.
5. De bile alimentaria. 9
6. De melancholia alimentaria. ibid.
7. De humoribus ſecundarijs. ibid.
8. De bile excrementitiæ. 10
9. De melancholia excrementitia. ibid.
10. De ſero. 11
11. De pituita excrementitia. ibid.

Phyſiologiæ Sectio Quarta.

De ſpiritibus, & calido innato;

Cap. 1. De ſpirituum natura. pag. 12
2. De ſpirituum differentijs. ibid.
3. De calido innato. 13

Phyſiologiæ Sectio Quinta.

De partibus.

Cap. 1. De partium natura. pag. 15

2. De

Index Librorum, & Capitum.

2. De partium differentijs, ac primum de partibus similaribus. ibid.
3. De partibus dissimilaribus, & organicis. 16

Physiologiæ Sectio Sexta.

De facultatibus, & functionibus.

Cap. 1. De facultatum, & functionum natura. pag. 16
2. De facultatum, & functionum differentijs. 17
3. De facultate, & functione naturali, eiusque speciebus, ac primum de nutritione. ibid.
4. De attrice facultate, & de accretione. 19
5. De generatrice facultate, & de generatione. ibid.
6. De facultate vitali. 20
7. De facultate, & functione animali, ac primùm de principibus facultatibus. ibid.
8. De somno, & vigilia. 21
9. De somnis. ibid.
10. De facultatibus minus principibus. 22

Physiologiæ Sectio septima.

De hominis procreatione.

Cap. 1. De semine vtriusque sexus. pag. 22
2. De sanguine menstruo. 22
3. De conceptione. ibid.
4. De singularum partium delineatione, earumque perfectione. ibid.
5. De partu. 24
6. De similitudine natorum cum parentibus. ibid.

Institutionum Medicarum.

LIBER SECVNDVS.

Pathologiam continens.

Præcognita in pathologiam. 24

Pathologiæ Sectio Prima.

De morbi natura, & differentijs.

Cap. 1. De morbi natura. pag. 25
2. De morbi generibus, & differentijs. 26
3. De speciebus morbi similaris. ibid.
4. De speciebus morbi organici. 28
5. De morbi communis, seu solutionis continui differentijs. 29
6. De differentijs accidentalibus morborum. ibid.

Pathologiæ Sectio secunda.

De mutationibus morborum, ac præcipuè de crisibus.

Cap. 1. De mutationibus, quæ in morbis contingunt. p. 31
2. De natura crisis. ibid.
3. De crisium differentijs. 32
4. De signis crisium. 33
5. De diebus criticis. ibid.
6. De causis crisium, & dierum criticorum. 36

Pathologiæ Sectio Tertia.

De morborum causis.

Cap. 1. De causa morbificæ natura. pag. 37
2. De causarum differentijs. ibid.
3. De causis morborum similarium. 38
4. De causis morborum organicorum. 39
5. De causis morborum communium. 40
6. De causis differentiarum accidentalium morborum. ibid.

Pathologiæ Sectio Quarta.

De symptomatum natura, differentijs, & causis.

Cap. 1. De symptomatum natura. pag. 40
2. De symptomatum differentijs. ibid.
3. De actionis læsæ differentijs. ibid.
4. De excrementorum differentijs. 41
5. De qualitatis mutatæ differentijs. ibid.
6. De symptomatum causis in genere. ibid.
7. De causis actionum læsarum. 42
8. De causis symptomatum, quæ sunt in excrementis. ib.
9. De causis qualitatis mutatæ. ibid.

Institutionum Medicarum.

LIBER TERTIVS.

Semeioticen continens.

Præfatio.

SECTIO PRIMA.

De signis in genere.

Cap. 1. De signi natura, & definitione. pag. 42
2. De signorum differentijs. 43
3. De fontibus signorum generalibus, è quibus omnia signa desumuntur. ibid.

Semeioticæ Sectio Secunda.

De signis diagnosticis.

Cap. 1. De signis biliosis humoris in corpore prædominantis. p. 45.
2. De signis humoris pituitosi in corpore prædominantis. ib.
3. De signis sanguinis in corpore prædominantis. 47
4. De signis melancholiæ in corporis prædominantis. ibid.
5. De signis partis affectæ. ibid.
6. De signis partis primariò, vel per consensum laborantis. 49
7. De signis specie morbi. 50
8. De signis morbi magni, & parui. 52
9. De signis morbi mali, maligni, & benigni. 54
10. De signis morbi acuti, & chronici. 55
11. De signis causarum morbificarum: ac primo de signo bilis præter naturalis. ibid.
12. De signis pituitæ præternaturalis. 66
13. De signis seri redundantis. ibid.
14. De signis flatuum. 57
15. De signis temporum morborum. 58

Semeioticæ Sectio Tertia.

De signis prognosticis.

Cap. 1. De signis morbi longi, aut brevis futuri. pag. 60
2. De signis morbi salutaris, & lethalis. 61
3. De modo, quo finietur morbus: an scilicet per crisin, an paulatinam Solutionem. 89
4. De tempore, quo finietur morbus; vbi dies, & hora futuræ criseos prænuntiantur. ib.
5. De loco, per quem futura est crisis, ac primum de signis futuræ criseos per vomitum. ib.
6. De signis futuræ criseos per alui fluxum. 90
7. De signis futuræ criseos per sudores. ib.
8. De signis futuræ criseos per vrinas. ib.
9. De signis futuræ criseos per hæmorrhagiam. ib.
10. De signis futuræ criseos per menses, aut hæmorrhoidas. 91
11. De signis futuri abscessus. ib.
12. De signis eorum, quæ super ventura sunt his, qui iam ægrotant, vel in morbos prolabuntur. Ac primum de signis futuri delirij. ib.
13. De signis futuræ conuulsionis. 92
14. De signis futuræ recidiuæ. ib.

Institutionum Medicarum.

LIBER QUARTUS.

Qui est de Ὑγιεινῇ, seu de conseruanda valetudine.

Proœmium.

Cap. 1. De cibo, & potu, seu de alimentis. pag. 93
2. De alimentorum substantia. 94
3. De

3. De alimentorum quantitate. ibid.
4. De qualitate alimentorum. 65
5. De ordine alimentorum. 96
6. De tempore, & hora sumendi alimenta. ibid.
7. De præparatione alimentorum. 98
8. De consuetudine, & delectatione in alimentorum vsu. ibid.
9. De victu singulis ætatibus congruo. 99
10. De victu singulis anni temporibus idoneo. 100
11. De pane. ibid.
12. De hordeo, oryza, auena, fabis, pisis, ciceribus, & lentibus. 101
13. De oleribus vsitatioribus, eorumque facultatibus. ib.
14. De radicibus esculentis. 102
15. De fructibus esculentis vsitatioribus. 103
16. De cibis, qui ex animalibus, petuntur. Ac primum de carnibus in genere. 104
17. De carnibus quadrupedum. 105
18. De iteraneis, & extremitatibus animalium. ibid.
19. De alimentis, quæ in partibus quadrupedum continentur. 106
20. De cibis ex volatibus desumptis. ibid.
21. De piscibus. 107
22. De condimentis, ibid.
23. De melle. 108
24. De potu, & materia potulenta. 109
25. De aere. 112
26. De temporibus anni. ibid.
27. De motu, & quiete. 113
28. De omno, & vigilia. 114
29. De excretis, & retentis. ibid.
30. De animi pathematis. 115

Institutionum Medicarum.

LIBER QVINTVS.

Θεραπευτικὴν Continens.

Præfatio.

Therapeutices

PARS PRIMA.

De methodo Generali medendi.

Proœmium.

SECTIO PRIMA.

De methodo medendi, & indicationibus.

Cap. 1. Quibus methodus medendi, quid curatio, & quæ illius conditiones. pag. 116
2. De indicationibus, & illarum differentijs. ibid.
3. De indicationibus. 117
4. De coindicantibus, contraindicantibus, & correpugnantibus. ibid.
5. De indicatis. 118
6. De primo, & generalissimo curationis principio. 119
7. De inuentione remediorum. 120

SECTIO SECVNDA

De indicantibus à causa.

Cap. 1. De euacuatione in genere, & illius differentijs. pag. 120
2. De reuulsione, deriuatione, & particolari euacuatione. 121
3. De sanguinis missione. 122
4. De purgatione. 124
5. De humorum præparatione, & concoctione. 126
6. De euacuatione per vrinas. 127
7. De euacuatione per sudores. ibid.

SECTIO TERTIA

De indicantibus à morbo.

Cap. 1. De indicationibus à morbo similari. pag. 127
2. De indicationibus à morbo organico. ibid.
3. De indicationibus à morbo communi, seu soluta vnitate. 128

SECTIO QUARTA

De indicationibus à viribus.

Cap. 1. Quid diætam in ægris indicet, ac coincidit. pag. 128
2. Quæ ad diætam, seu victus rationem spectent. ibid.
3. Quænam sint diætæ species, & quibus morbis conueniant. ibid.
4. De quantitate victus. 129
5. De tempore victus exhibendi. ibid.

Therapeutices

PARS SECUNDA

De Instrumentis Medicis.

Præfatio.

Therapeutices Partis secundæ.

SECTIO PRIMA.

De materia medica.

Proœmium.

Quid medicamentum, quæ illius differentiæ, & sectioni diuisio. pag. 130

SECTIONIS PRIMÆ.

Particula I.

De Materia medica interna.

Præfatio.

Cap. 1. De medicamentis bilem refrigerantibus, & attenuantibus. pag. 130
2. De medicamentis bilem refrigerantibus, & incrassantibus. ibid.
3. De medicamentis pituitam alterantibus. 131
4. De medicamenti melancholiam alterantibus. ibid.
5. De medicamentis atram bilem alterantibus. ibid.
6. De medicamentis aperientibus. 132
7. De medicamentis purgantibus. ibid.
8. Chalagoga medicamenta. 133
9. Phlegmagoga medicamenta. 133
10. Melanagoga medicamenta. ibid.
11. Hydragoga medicamenta. ibid.
12. De vomitorij medicamentis. 134
13. De sudorificis medicamentis. ibid.
14. De diureticis medicamentis. 135
15. De errhinis medicamentis. ibid.
16. De sternutatorijs. ibid.
17. De masticatorijs. ibid.
18. De cephalicis medicamentis. 136
19. De ophtalmicis medicamentis. ibid.
20. De thoracis medicamentis. 137
21. De cardiacis medicamentis. ibid
22. De hepaticis medicamentis. ibid.
23. De stomachicis medicamentis. 138
24. De splenicis medicamentis. ibid.
25. De nephriticis medicamentis. 139
26. De hysfericis medicamentis. ibid.
27. De Arthriticis medicamentis. 140

28. De

28. De medicamentis lac generantibus, idemque minuentibus. ibid.
29. De medicamentis semen generantibus, idemque extinguentibus. ibid.
30. De medicamentis status discutientibus. ibid.
31. De adstringentibus medicamentis. 141
32. De medicamentis lumbricos enecantibus. ib.
33. De vulnerarijs medicamentis. ibid.

SECTIONIS SECUNDÆ

Particula II.

De materia medica externa.

Cap. 1. De refrigerantibus, & Repellentibus medicamentis. pag. 141
2. De emplasticis medicamentis. 142
3. De anodinis medicamentis. ibid.
4. De narcoticis medicamentis. ibid.
5. De emollientibus medicamentis. ibid.
6. De resolventibus medicamentis. 143
7. De epispaticis, seu attrahentibus medicamentis. ibid.
8. De suppurantibus medicamentis. ibid.
9. De medicamentis detergentibus. ibid.
10. De sarcoticis medicamentis. ibid.
11. De Epuloticis, seu cicatricem inducantibus medicamentis. 144
12. De medicamentis sanguinem sistentibus. ibid.
13. De glutinantibus medicamentis. ibid.
14. De vesicantibus medicamentis. ibid.
15. De cathærenticis, seu excedentibus medicamentis. ib.
16. De causticis medicamentis. ibid.

Therapeutices.

PARTIS SECUNDÆ.

SECTIO SECUNDA.

De compositione medicamentorum.

Sectionis Secundæ proœmium, & diuisio in tres articulos.

ARTICULUS PRIMUS.

De Compositione medicamentorum internorum.

Cap. 1. De apozemate alterante. pag. 145
2. De apozemate purgante. ibid.
3. De potione purgante. 146
4. De potione corroborante. ibid.
5. De iulepis. ibid.
6. De syrupis, ac primum de alterantis. 145
7. De syrupo purgante magistrali. ibid.
8. De vomitorijs. ibid.
9. De emulsione. ibid.
10. De lacte. ibid.
11. De Sero lactis. ibid.
12. De decoctis sudorificis. 148
13. De decocto galli veteris. ibid.
14. De iusculis ibid.
15. De bolo. ibid.
16. De opiata.
17. De conditis. ibid.
18. De Eclegmate, seu Looch. ibid.
19. De tabellis. ibid.
20. De pilulis. ibid.
21. De trochiscis. ibid.
22. De pulueribus. 150

ARTICULUS SECUNDUS.

De compositione medicamentorum mediorum.

Cap. 1. De suppositorijs. pag. 150
2. De clystere. ibid.
3. De iniectionibus. ibid.
4. De pessarijs. ibid.
5. De errhinis. ibid.
6. De sternutatorijs. 151
7. De gargarismate. ibid.
8. De masticatorijs. ibid.
9. De collyrijs. ibid.

ARTICULUS TERTIUS.

De Compositione medicamentorum externorum.

Cap. 1. De epithemate. pag. 151
2. De fomento. ibid.
3. De balneo. 152
4. De semicupio. ibid.
5. De oleis. ibid.
6. De linimentis. ibid.
7. De vnguentis. ibid.
8. De emplastris. ibid.
9. De cataplasmate. ibid.
10. De vesicatorio. 153
11. De sacculis. ibid.
12. De cucupha. ibid.
13. De frontali. ibid.

FINIS.

LAZARI RIVERII
DOCTOR. MEDIC.
CONSILIARII, AC PROFESSOR. REGII MONSPEL.
INSTITVTIONES MEDICAE.

Præcognita in vniuersam Medicinam.

Medicina est scientia, qua humani corporis dispositiones cognoscuntur, vt sanitas præsens conseruetur, & amissa recuperetur.

MAgna perpetuò fuit inter Authores discrepatio in Medicinæ genere constituendo. Cùm enim ea magna ex parte coniecturalis sit, & ad certum finem dirigatur, sanitatem nempe acquirendam, vel conseruandam; inter artes omninò videtur recensenda. At verò, cùm sua habeat principia, axiomata, & demonstrationes ex naturæ demonstratione petitas: immo nonnullas ipsius Physicæ demonstrationibus certiores, vtpote à sensuum fide deductas; cùm vnicum habeat subiectum reale per se existens, ac præstantissimum, nempe corpus humanum, illiusque proprietates doceat, inter scientiarum numerum videtur potius referenda. Cui opinioni nos magis assencimur; artes enim ex frequenti tantùm operatione comparantur, & totæ in operatione versantur: at Medicinæ habitus comparatur ex frequenti librorum inspectione, & doctorum institutione, sicut veræ scientiæ. Neque vlla ars potest reperiri, quæ subiecti sui passiones, & proprietates per axiomata, & principia demonstret, sicut Medicina. Licèt autem aliqua ex parte coniecturalis sit, & aliqua tradat præcepta non omninò certa; hoc tamen non efficit, vt ad artes debeat referri; hac enim ratione ipsa Physica ad artes etiam esset referenda, cùm multa probet coniectura tantùm, ex eo quòd veræ causæ non sunt perfectè cognitæ. Finis denique, ad quem dirigitur, ab illius doctrina, & tractationis modo distinguitur, vt rectè annotauit Alexander Aphrodisæus. Medicina enim dupliciter considerari potest, vel *primario*, quatenus docetur ex certis, firmis, & indubitatis principijs, & tunc scientia haberi debet, non minùs quàm Astrologia, Geometria, aut Aritmetica seipsa, suique cognitione contenta: vel *secundario*, quatenus ad vtilis hominum reuocatur, vt Astrologia ad horarum constitutionem, Geometria ad terras dimetiendas, Arithmetica ad numeros computandos, & hoc modo accepta Medicina habet finem omnium præstantissimum, & vtilissimum. Attamen ne nimis rigidè sententiam nostram tueri videamur, dicimus Medicinam scientiam appellari latiori paululum significatione, quæ proponitur ab Aristotele 1. *Metaph. c.* 2. prout scientias speculatiuas, & factiuas comprehendit: ita tamen, vt scientiæ factiuæ à veris, & liberalibus artibus distinguantur, quomodo verò ἀκριβῶς loquendo *Ars* dici mereatur *Medicina*, V. *Manud. ad Med. droem.*

Subiectum illius est corpus humanum, quatenus est sanabile.

In omni scientiarum subiecto quatuor requiruntur conditiones, duæ scilicet ex parte ipsius subiecti, & duæ ex parte scientiæ. Ex parte subiecti primò requiritur, vt contineat ea omnia, quæ tractantur in ea scientia: secundò, vt det vnitatem, & speciem scientiæ, & per illud scientia definiri possit. Ex parte verò scientiæ requiritur, vt nihil scientia consideret, quòd non sit obiectum, vel ad illud referatur: deinde, vt tradat causas sui subiecti, ac passiones, & proprietates eiusdem, vt probat Aristoteles 4. *Metb. cap.* 1. Quæ omnia in corpore humano tàm manifestè reperiuntur, vt verum Medicinæ subiectum absque dubio dici mereatur.

Dices, non solum corpus humanum in Medicina considerari, sed etiam res naturales, non naturales, & præter naturam atque ita res omnes ferè creatas, plantas, animalia, mineralia, & quæcumque vniuerso mundi ambitu continentur subiecta Medicinæ dici posse. *Respondeo*, Medicum ea omnia considerare non per se, & simpliciter, sed quatenus ad corpus humanum referuntur, prout videlicet ei commodum aliquod, vel incommodum afferre possunt: & res illæ *subiectum contemplationis* appellantur, corpus verò humanum, *subiectum reductionis*, ad quod videlicet reliqua omnia reducuntur.

Finis verò est sanitas.

Finem appellat Galenus eum, quo acquisito conquiescit artifex, quia in nulla actione datur progressus in infinitum, sed ad aliquam tandem perfectionem peruenitur, in qua agens conquiescit, quamque perpetuò acquirere intendit, & ad quam omnes præuiæ actiones diriguntur, & illa perfectio finis appellatur, qui in Medicina est sanitas; illa enim est, ad quam omnia Medici opera diriguntur, quàue adepta Medicus conquiescit.

Dices, cùm Medicina sit de genere scientiarum factiuarum, illarum autem finis sit actio, sicut speculatiuarum contemplatio, non debere finem Medicinæ, in quiete constitui. *Respondeo*. Unicum dari *finem vltimum*, ad quem reliqua ordinantur, plures verò dari *inter medios*, qui quidem actiones sunt præuiæ ad vltimum illum finem acquirendum, & de illis audiendum est, cùm actio dicitur finis scientiarum factiuarum.

Partes Medicinæ sunt quinque, φυσιολογικὴ, παθολογικὴ, σημειωτικὴ, ὑγιεινὴ, & θεραπευτικὴ.
Physiologia, Pathologia, Semeiotica, Hygiene, Therapeutica.

Prima, & generalis Medicinæ diuisio bimembris tantùm est, & vnam Medicinæ partem *theoricam* constituit, alteram verò *practicam*. In theorica, præcepta quædam traduntur, & theoremata, quæ in cognitione tantùm versantur, & ab actione sunt valde remota suique subiecti naturam considerant, eiusque constitutionem, & passiones varias; quatenus scilicet mutatur de sanitate in morbum, & contrà: vel etiam ostendunt signa, quibus variæ illæ dispositiones à Medico percipi possint. Vnde tres emergunt Medicinæ theoricæ partes, *Physiologia*, *Pathologia* & *Semeiotica*. At verò quoniã hæc omnia speculamur in Medicina, vt sanitas præsens conseruetur, vel amissa recuperetur, duæ aliæ constituuntur partes ad practicam pertinentes, quibus operationum ratio, & modus traditur, nimirum ὑγιεινὴ, ad sanitatem conseruandam, & θεραπευτικὴ ad morbos expellendos. Totum igitur Institutionum opus in *quinque libros* diuidetur, omnes Medicinæ partes continentes. Quinque hæ partes respiciunt *prolegomena*, & *Præcepta*, vt in *Manuductè. fusius expositum.*

INSTITVTIONVM MEDICARVM.

LIBER PRIMVS.

Physiologiam continens.

PROOEMIVM.

In Physiologia considerantur ea omnia, quæ ad corporis humani constitutionem naturaliter concurrunt.

CVM subiectum Medicinæ sit corpus humanum, primò illius natura accuratè est consideranda, vt postmodum affectus præternaturales, qui illi solent contingere, facilè intelligantur; ac tandem via inueniatur, quâ illos possimus profligare, & naturalem statum conseruare. Ideò in prima ista parte traduntur ea omnia, quæ ad corporis humani constitutionem concurrunt, & ad omnes illius functiones obeundas sunt necessaria.

Et in septem sectiones distribuitur, quarum prima est de Elementis: secunda, de temperamentis: tertia, de humoribus: quarta, de spiritibus, & calido innato: quinta de partibus: sexta, de facultatibus, & functionibus: septima, de hominis generatione.

Prima principia sensibilia, ex quibus corpus humanum constituitur, sunt prima rerum elementa; ex quorum varia permixtione varia exurgunt temperamenta; ex temperamentis autem varij humores dependent; & ex humoribus spiritus, qui calidum innatum reficiunt, & conseruant. Ex humoribus, & spiritibus, & calido innato, partes omnes producuntur, & sustinentur; quæ omnia fieri non possunt sine animæ ministerio, quæ multis prædita facultatibus istas omnes perficit operationes, primùmque agens in totius hominis conseruatione, & prima illius generatione. Atque hic *ordo* est, quem seruat Physiologia in rebus naturalibus edocendis; qui verè *compositiuus* est, à primis principijs ad ea, quæ inde oriuntur, sigillatim procedens; donec totum illud naturæ opificium perfectum, & absolutum repræsentet.

LIBRI PRIMI.

SECTIO PRIMA.

De Elementis.

CAPVT I.

De Elementorum Natura.

Elementa sunt corpora simplicia, ex quibus reliqua omnia componuntur, & in quæ vltimò resoluuntur.

ELementa *corpora simplicia* dicuntur, quia ex alijs corporibus specie diuersis non componuntur, sed tantum ex materia, & formæ, & prima rerum omnium principia existunt corpora tamen non sunt. Ideò elementa sunt prima corpora simplicia, ex quibus reliqua omnia componuntur; nullum enim corpus perfectè mixtum potest reperiri, quod quatuor elementorum substantiam in se non contineat, quod in corporibus nostris manifestè apparet, quæ componuntur ex quatuor humoribus, ad quatuor elementorum naturam maximè accedentibus. Sed multò clariùs illud apparet ex mixtorum dissolutione, quæ in elementa denuò resoluuntur, vt propositum est in definitione. Nam in combustione ligni, v. g. pars in aerem conuertitur, vt per fumum apparet, qui ab eo magna copia exhalat, & in aerem commutatur; pars in aquam transit, quæ à ligni extremitatibus resudat; pars verò in terram abit per cineres, qui terræ sunt naturę; pars denique in ignem, ex carbonibus, & flamma maximè conspicuum. Licèt vero multa corpora in sui corruptione non statim, & immediatè in elementa conuertantur, sed in alias substantias vicissitudine quadam commutentur, attamen ipsa tandem in vltima resolutione, in elementa, ex quibus constant, resoluuntur: vt patet in alimentis, quę in corpore humano priùs in chylum commutantur, deinde in sanguinem, ac tandem in corporis substantiam, quæ post animalis interitum in elementa resoluitur: portio verò alimentorum in excrementa degenerat, quæ partim terream naturam repræsentant in fæcibus; partim aqueam in sudore, & vrina, partim verò igneam, & aeream, in fuliginibus, quæ per habitum corporis insensibilem transpiratum quotidie abire solent.

CAPVT II.

De Numero Elementorum.

Elementa quatuor sunt, terra, aqua, aer, & ignis.

QVidam ex Antiquis Philosophis infinita voluerunt esse elementa quos refutat Aristoteles 1. *de cælo*: alij vnicum tantum constituebant; quos refellit Hipp. *lib. de natura humana*, hac ratione solidissima. *Si homo* (inquit) *ex vnico elemento constaret, non doleret.* Cuius consequentiæ ratio est, quia quæ dolent sensu participant, & alterabilia sunt, omnis autem alteratio fit à contrario: si ergo vnicum tantùm esset elementum, nullum daretur contrarium, quia nihil sibi ipsi contrarium est, & quicquid patitur, ab alio patitur.

Quod autem quatuor præcisè dentur elementa, ostenditur primò ex qualitatibus primis, quæ quatuor sunt maximè inuicem distinctæ, nempe caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, quæ cum sint accidentia, suum vnaquæque subiectum primum, distinctum, & separatum habere debet. Nec dicas inde tantùm concludi duo esse elementa, quia caliditas cum siccitate in vno, eodemque corpore est coniuncta, & humiditas cum frigiditate: Nam si inde duo colligantur elementa, cùm etiam caliditas cum humiditate coniungatur, & frigiditas cùm siccitate, duo alia colligentur. Deinde quaternarius ille elementorum numerus sensibiliter probatur ex corporum mixtorum dissolutione, quæ in quatuor illa prima corpora resoluuntur, vt superiori capite ostensum est.

CAPVT III.

De Qualitatibus Elementorum.

Elementorum qualitates sunt vel primæ, vel secundæ.
Primæ qualitates sunt, quæ primò elementis insunt, & à quibus reliquæ dependent.
Suntque Actiuæ, vel Passiuæ.
Actiuæ sunt, quæ in ipsa elementorum mutua alteratione, tum etiam in mixti constitutione, principalem obtinent, efficaciam.

ACtiuæ appellantur, non *simpliciter*, & absolutè, vt voluerunt quidam, quod nimirùm solæ agant, reliquæ verò sint purè passiuæ; sed *comparatè* tantùm, quod scilicet magis efficaciter agant, quàm reliquæ, quæ *passiuæ* nuncupantur, quia magis patiuntur quàm agant, licet agendi vi non sint omninò destitutæ; humiditas enim agit in siccitatem, & siccitas in humiditatem.

Et illę sunt caliditas, & frigiditas.

Gali-

Caliditas est qualitas prima actiua, cuius effectus est congregare homogenea, & disregare heterogenea. Arist. 2. de generatione.

Homogenea apud Logicos dicuntur ea, quæ sunt eiusdem naturæ, & speciei; *heterogenea* verò, quæ sunt diuersarum specierum: quæ non sunt hoc modo hic accipienda. Nam in generatione mixti calor non solum homogenea, sed etiam heterogenea congregat, nimirum humidum cum sicco, quæ sunt diuersæ speciei. Sic etiam diuersi generis alimenta in ventriculum ingesta à calore simul congregantur, ex ijsque chylus efficitur. Dicendum ergò, per *homogenea* hic intelligi ea, quæ illam habent inter se similitudinem, vt apta sint rem eiusdem naturæ constituere, in eamque conuerti. Atque ita humidum, & siccum simul vnita ad generationem mixti, homogenea dicuntur. Sic etiam in coctione, alimenta specie etiam distincta: sunt homogenea: illa verò quæ in chylum mutari non sunt idonea, vt excrementa sunt verè heterogenea, ac proinde secernuntur.

Sunt, & alia caloris proprietates, nempe resoluere, aperire, incidere, maturare, & attenuare.

Harum exempla infinita habentur in rerum natura, sed magis illustria in medicamentorum materia, quæ vires illas possident efficacissimas. Vid. Schroderi Pharm.

Frigiditas est qualitas prima actiua, quæ homogenea, & heterogenea simul congregat.

Sic aquam cum aqua, ceram cum cera, & quascunque res in illis contentas, stipulas scilicet, lapillos, ligna, arenam, paleas, & reliqua conglaciando cogit, donec à calore coagulationem soluente, segregentur.

Illius officium est calorem temperare, ne nimia caliditate mixtum dissoluatur.

Et non solum homogenea cùm heterogeneis congregat, sed etiam adstringit, condensat, obstruit, & incrassat.

Cùm frigus calori sit contrarium, necesse est contrarios producere effectus. Nec recipienda est Cardani sententia, qui putat frigus esse meram caloris absentiam, & priuationem; non autem aliquid positiuum: quod voluisse videtur Auicenna, qui dicit, frigus non ingredi opus naturæ. Sed vtrique doctissimè respondet Scaliger *Exercit.* 22. & ante ipsum Auerroes, qui ostendit duplici ratione frigus ingredi opus naturæ, primò temperando calorem; deinde conciliando rebus consistentiam, siue partium cohærentiam, quæ sanè non est à calore, cuius proprium est dissoluere.

Et hæc de actiuis qualitatibus.

Passiuæ sunt, quæ minùs agunt, atque adeo actiuis in mixtione corporum subseruiunt. Suntque humiditas, & siccitas.

Humiditas est qualitas passiua, faciens vt res suo termino difficulter alieno facillimè includantur. Aristot. 2. de generat.

Sic aqua, vinum, oleum, & alia corpora humida vndequaque diffluunt, & non nisi intra vasorum terminos possunt cohiberi.

Siccitas est qualitas passiua, faciens vt res suo termino facilè, alieno difficulter includantur.

Sic ligna, lapides, & alia huiusmodi propriam figuram pertinaciter seruant, nec alienam facilè recipiunt.

Dices, ex Theleſio ignem, qui siccissimus est, proprio termino non coerceri sed potius alieno: quod etiam de puluere, & cineribus est asserendum. *Respondeo*, In igne hoc contingere non per se, sed per accidens, scilicet propter substantiæ tenuitatem, quæ difficilè suis terminis potest cohiberi, aliqua enim substantiæ crassities cùm siccitate coniugi, debet, vt ei descriptio hæc competere possit. Puluis verò, & cineres propriam retinent figuram quando coacernantur: Non sunt enim vnum corpus continuum, sed minutissimarum terræ partium congeries, quæ propter exiguitatem quæuis spatia occupant.

Quatuor istæ qualitates primæ in elementis reperiuntur secundum quatuor combinationes possibiles: Caliditas nempè, & siccitas in igne: Caliditas, & humiditas in aere: frigiditas & humiditas in aqua: frigiditas, & siccitas in terra.

Hæ primarum qualitatum inhærentiæ, & combinationes usè controuersæ, & varijs opinionibus exagitatæ, habentur apud Hippocr. de Vet. Medit. 1. de Diæt. confer. Gregorium Horstium in Phys. & alios Physicæ Professores, ad quos auditorem relegamus, breuitatis causa.

Hactenus de qualitatibus primis.

Secundæ sunt, quæ à primarum qualitatum temperie, & mixtione immediatè oriuntur.

Hac descriptione à secundarum qualitatum censu remouentur colores, odores, & sapores, quæ non immediatè à primis oriuntur, nec modo ita manifestò, sed magis remotè, & obscurè ab ijs dependent: Ideoque nonnulli eas ad tertium qualitatum ordinem referunt, non parum appositè. Illarum autem expositio ad doctrinam sensuum referri debet, quod sine illorum intelligentia rectè percipi nequeant.

Et sunt quatuordecim, nempe raritas, & densitas; grauitas, & leuitas; duricies, & mollities; subtilitas, & crassities: ariditas, & lubricitas; friabilitas, & lentor, asperitas, & lenitas.

Raritas est qualitas secunda à calore potissimùm orta, per quam res extenuantur, & dissipabiles fiunt.

Sic aqua calore solis attenuata rara est, & dissipabilis; sic nubes, per quas facilè transeunt radij solares, raræ dici solent. *Nota*, duplicem esse raritatem, vnam scilicet, quæ consistit in tenuitate substantiæ: Et hæc propriè est in categoria qualitatis, & calorem sequitur tanquam effectus illius, atque ita aer rarus dicitur, & terra densa: Alteram, quæ non in tenuitate substantiæ consistit, sed in distantia partium inter se, quemadmodum spongiam raram dicimus, quia partes habet inuicem distantes, per vacuum spatium interpositum, in quo aer est inclusus, & hæc raritas est in categoria situs, & magis impropriè raritas appelatur, licèt magis hominibus cognita.

Densitas est qualitas secunda à frigore orta, per quam res fiunt compactiores, & firmiores, minusque dissipabiles.

Sic aqua frigore congelata, lapides, & metalla densa appellantur.

Grauitas est qualitas à frigore, & densitate orta, per qu[am] res deorsum feruntur, lapis v. g.

Leuitas est qualitas orta à calore, & raritate [per] quam res sursum feruntur, vt vapores.

Duricies est qualitas a siccitate orta, per qu[am] tui difficile cedunt, vt terra.

Mollities est qualitas ab humiditate orta, p[er] tactui facilè cedunt, vt cera.

Subtilitas est qualitas orta à calore, siccit[ate] ritate, per quam res fiunt admodum tenue[s] trantes; vt Spiritus.

Differt à raritate, tamquam effectus à sua ca[usa] ex raritate oritur subtilitas. Et non omnia rara tilia, nam omnis aer rarus est, sed non subtilis enim dicitur crassus; sic in multorum morbo rapeia aerem crassum fugiendum esse consulim

Crassities est qualitas, orta a frigore, & densitat[e] res fiunt solidiores, & minus penetrantes, v

Differt etiam crassities à densitate, tamquam effe causa, non enim omne densum statim crassum di

Ariditas est qualitas orta à siccitate, per qua[m] fiunt humoris fere expertes, vt arena.

Lubricitas est qualitas, orta ab humiditate, per res fiunt tactum effugientes, & elabentes.

Sic Anguila lubrica dicitur, & via glacie obsita.

Friabilitas est qualitas ex siccitate orta, per quam fiunt parum cohærentes, & attritu faciles.

Sic sal, & saccarum friabilia dicuntur.

Lentor est qualitas, ab humiditate orta, per quam res fiunt tenaces, & glutinosæ.

Sic pix, gluten, & alia huiusmodi lenta appellantur.

Asperitas est qualitas, ex siccitate orta, per quam res fiunt in superficie prominentes, & tactum offendentes:

Si cortices arborum, & pumices asperitatem per se ferunt.

Lænitas est qualitates orta ab humiditate, per quam res fiunt in superficie æquales, & tactum oblectantes.

Hęc qualitas non solùm ea humiditate, sed etiam ab arte produci potest, dum scilicet res solidæ, & densæ poliuntur, & dedolantur, vt Vitrum, marmor. conf. Lind. Meletem. II. 20. 38.

CAPVT IV.

De Mixtione Elementorum.

Mixtio est miscibilium alteratorum vnio, Aristot. 1. de generat. cap. 10.

PEr *miscibilia* intelligit elementa, quæ naturalem illam habent dispositionem, vt simul misceri possint, sese prius

inuicem alterando, & ad talem temperiem reducendo, vt ex his vnum quid fieri possit: Ex qua vnione noua forma oritur, quæ forma mixti appellatur. Et illa vnio, mixtio vere, & propriè dici debet. Nam cùm semina v.g. diuersarum plantarum inter se commiscentur, vt iterum separari possint, *appositio* dicitur; cùm verò vinum, & aqua, aut alia huiusmodi miscentur, quæ separari rursum nequeunt, sed tamen nouam formam non producunt, *confusio* apellatur: Et vtraque mixtio, impropriè dicta nuncupatur.

Ad mixtionem autem efficiendam quatuor requiruntur conditiones.

1. *Miscibilia contrarijs qualitatibus debent esse prædita, vt in se inuicem agere, & à se inuicem pati queant.*

Si ea, quæ miscentur, in se inuicem non agerent, non possent ad moderatam temperiem reduci, ex qua oritur mixtio, atque ita in eodem statu remanerent.

2. *Certa miscibilium debet esse portio, tam in quantitate, quàm in qualitate.*

Si enim vnum ex his reliqua quantitate, vel qualitate nimis superet, illa prorsus interimet, & in suam naturam conuertet, atque ita fiet vnius generatio, & corruptio aliorum; non autem mixtio.

3. *Elementa dum miscentur, in minutissimas particulas ita diuidi debent, vt qualibet mixti particula quatuor elementa in se contineat.*

Illa coniunctio à natura fit, quæ elementa reddit penetrabilia, & apta, vt se mutuo subeant, atque hoc modo melius transmutari possint.

4. *Elementa formaliter in mixtio remanere debent.*

In hoc differt *generatio à mixtione*, quod in generatione inducniente noua forma, priores corrumpantur; in mixtione verò etiamsi noua mixti forma producatur, formæ tamen [illa] ex quibus constitutum est, simul remaneant. Quod [illa] inde comprobatur, quod omnis actio sit à forma; [illa] autem, quæ in mixtis fit inter contrarias qualitates, earum destructio tandem sequitur, non possit fieri mixti, alioqui sui ipsius destructionem moliretur [illa] ir veræ philosophiæ. Ergo necesse est à formis [illa] dependere, atque adeò elementa esse formata.

[illa] si plures formæ remaneant in mixto, mixtum [illa] im ens per se, nam ex pluribus entibus in actu, [illa] fieri vnum ens per se, ex Aristot. 2. *Metaph.* sed [illa] regatum per accidens, vnumquodque autem est [illa] am formam. *Respondeo*, hoc verum esse, si omnes [illa] què nobiles, & nulla reliquis prædominetur, sed [illa] vna forma nobilior; nempè forma ipsius mixti, [illa] mentorum subijciuntur tanquam imperfectio- [illa] imperio parent, atque ita ad illam se habent in- [illa] iæ, licet respectu materiæ ipsorum elementorum [illa] formæ. Quod vt facilius intelligatur, sciendum est [illa] a ad duo referri posse, vel ad *materiam primam*, [illa] omponuntur, vna cum proprijs formis; vel *ad* [illa] *orpus*, cuius ipsa sunt materia. Ratione materiæ pri- [illa] cuntur esse in actu; ratione verò mixti, tantùm in po- [illa] a.

[illa] Quemadmodum enim in prædicatione logica, genus inter [illa] edium respectu inferiorum dicitur genus, & respectu superiorum species; ita in ipsa rerum essentia sunt actus quidã medij qui respectu materiæ anterioris dicuntur actus, respectu verò perfectioris compositi dicuntur potentiæ. Licet igitur elementorum formæ respectu formæ mixti se habeant instar materiæ, & sint tantùm in potentia, tamen respectu materiæ, ex qua elementa componuntur, sunt semper in actu, eaque continuò conantur alterare, vt ad pristinam naturam reuertantur, & sui iuris omnino efficiantur. Illarum tamen actionem frenat, & cohibet forma mixti, quantum potest, ad sui conseruationem, donec illæ à causis externis variè adiutæ nobilioris illius formæ iugum excutiant, & corporis mixti destructionem efficiant. Multo plura dicenda forent pro difficillimi huius, & valdè intricati theorematis expositione, quam in pauca hæc contraximus, ex eo quod ad rem medicam parum faciat, vt ipse Galenus affirmat, 1. *de Elementis*. Hic igitur *primæ huius sectionis finis esto.*

PHYSIOLOGIÆ

SECTIO SECVNDA.

De Temperamentis.

CAPVT PRIMVM.

De Temperamentorum natura.

Temperamentum est proportio quatuor qualitatum principalium ex elementorum mixtione orta, ad functiones ritè obeundas.

TEmperamentum à mixtione dependet tanquam effectus à sua causa; oritur enim ex mutua illa qualitatum primarum contemperatione, quæ proportionem illam efficit actionibus obeundis necessariam: vocatur autem *proportio*, quæ est relatio, quam habent qualitates inter se hoc modo contemperatæ, non autem qualitas quatuor illis primis diuersa, vt voluit Auicenna, cuius opinionem fusè confutat Fernelius.

Dices. Si temperamentum est relatio, actiones ab eo non dependebunt, quia relatio nullam habet agendi vim, neque temperamentum poterit dici vnum alteri contrarium, quia relata non habent contrarium. *Respondeo*, Temperamentum non agere ratione proportionis, quæ relatio est, sed ratione fundamenti, cui relatio illa inhæret, qualitates enim primæ sunt fundamentum illius proportionis, & ab illis actiones essentialiter dependent: non enim tota temperamenti essentia in ipsa proportionis relatione consistit, sed huiusmodi relationem quasi connota tam necessariò importat; ac si diceremus temperamentum esse primas qualitates sub certa proportione.

CAPVT II.

De Temperamentorum differentijs.

Nouem sunt temperamenta, quatuor simplicia, calidum, frigidum, humidum, & siccum: quatuor composita, calidum humidum, calidum siccum, frigidum humidum frigidum siccum: & vnum moderatum, quod εὔκρατον *appellatur.*

COrpora, quæ ita sunt temperata, vt vna qualitas reliquas excedat, simplici temperamento prædita esse dicuntur: cùm verò duæ qualitates æqualiter superant, compositum habent temperamentum; cum denique nullus in ijs est qualitatum excessus, perfectè temperata iudicantur.

Dices, priores octo temperamentorum differentias fieri ab aliquo elemento prædominante, vel saltem in corporibus nostris ab aliquo humore prædominante, vnde biliosum dicitur temperamentum, vel pituitosum, & ita de cæteris. At vnumquòdque elementum duabus pollet qualitatibus, quæ, illo excedente, necessariò excedent, humores etiam duas habent qualitates prædominantes. Ergo nullum dari poterit simplex temperamentum, sed omnia erunt composita.

Respondeo. In mixtione, aut alteratione elementa ita possè concurrere, vt vna qualitas redundatur, altera remanente in excesso, verbi gratia, si aer, & ignis excedant, humiditas vnius alterius siccitatem temperabit. Sed cùm ambo sint calida, excessum in calore efficient. Idem dicendum est de humoribus, bilis enim siccitas sanguinis humiditatem temperabit; sed vterque calidus cùm sit, calidam efficiet intemperiem.

Illa autem temperamenta talia dicuntur, vel absolute, vel comparate.

Absolute talia dicuntur, cum vnam, vel duas habent qualitates vere prædominantes, à quibus accipiunt denominationem.

Sic ignis calidus dicitur absolutè, & aqua frigida, sic etiam omnia perfecta animalia calida, absolutè dicuntur, quia caloris habent prædominium, vita enim est à calore.

Comparate talia dicuntur, cum qualitates illas habent magis, vel minus excedentes quam ea, cum quibus comparantur.

Sic homo dicitur calidus respectu piscis, frigidus verò respectu leonis: cerebrum dicitur frigidum respectu cordis:

vnde

vnde patet vnum, & idem dici frigidum comparatè, quod tamen absolutè est calidum.

Et illa comparatio tripliciter potest fieri, vel ad genus, vel ad speciem, vel ad individuum.

Comparatio ad genus illa dicitur, quæ fit inter res diuersi generis.

Vt cùm temperiem animantis cum plantæ, vel mineralis temperie conferimus.

Comparatio ad speeiem illa est, quæ fit inter res diuersa speciei.

Vt cùm hominis temperiem cum leonis, vel canis temperie comparamus.

Comparatio ad individuum est, cum individua eiusdem speciei inter se comparantur.

Vt cùm Socratis temperamentum cum Platonis temperamento conferimus, & vnum altero calidiorem, vel frigidiorem pronunciamus.

Variæ etiam fiunt comparationes temperamenti in ipso individuo cum seipso comparato, eoque vel integro, vt cùm Socrates senex cum seipso iuuene comparatur, vel cùm illius partes conferuntur inuicem, vt quando temperamentum hepatis cum ventriculi temperamento confertur, & alia huiusmodi, quę per se facilè innotescunt.

CAPVT III.

De Εὐκράτῳ Temperamento.

Temperamentum εὔκρατον, *seu moderatum duplex statuitur, vnum ad pondus, alterum ad iustitiam.*

Moderatum ad pondus illud dicitur, in quo primæ elementorum qualitates, ad tam exactam proportionem sunt redactæ, vt nulla alteri dominetur.

QVidam Εὔκρατον temperatum ad pondus appellant, in quo non tolùm qualitatum, sed etiam elementorum æqualis mensura reperitur, quod non solùm in rerum natura dari nequit, sed nec cogitatione quidem concipi potest, quia esset prorsus immobile; cùm omne mixtum ad motum elementi prædominatis moueantur: neque etiam proprium locum inueniret, vnumquodque enim eo in loco sistitur naturaliter, qui elemento vincenti proprius existit. Ergo de solis qualitatibus æqualiter permixtis est audiendum, quod etiam non dari in rerum natura multi contendunt, sed ab authoribus fuisse constitutum, tanquam ideam perfecti temperamenti & normam, ac regulam reliquorum, ad quam illa referri possent, eorumque excessus meliùs iudicari, quemadmodum Plato perfectam Rempublicam, Cicero Oratorem & Stoici Sapientem descripserunt, quales nunquam extiterunt: Et Gal. ipse 1. *de sanit. tuend. c.* 5. tale medium vix reperiri ait: Et, si inueniatur, ne momento quidem subsistere propter varias mutationes. Quare imaginatione potiùs concipiendum est, quàm reuera subsistat: præsertim, cum ad actiones varias perfectè exercendos non sit ita vtile, ac illud, quod ad iustitiam appellatur, vt inferius parebit.

Dicitur temperamentum ad pondus, quod ex æquali elementorum mensura & veluti pondere constituatur: quod hac ratione non valdè aptè ita denominatur. Philosophi illud vocant *temperamentum proportionis Arithmeticæ*; quia vt in proportione Arithmetica est paritas numerorum, siue interuallorum in numeris, ita vt non maius sit interuallum à 2. ad 3. quàm ad 4. sic in hoc temperamento est paritas quędam in qualitatibus, vt nulla alias excedat.

Moderatum ad iustitiam illud est, in quo primæ elementarum qualitates ad eam proportionem sunt redactæ, quæ proprijs cuiusque rei in sua specie functionibus obeundis est necessaria.

Cùm res diuersæ speciei diuersas habeant functiones, & omnes rerum omnium functiones pendeant à temperamento, necesse fuit, eas pro diuersis suis functionibus obeundis diuersa obtinuisse temperamenta: ita vt in hac calidum frigido, in illa humidum sicco prædominetur; alia enim temperies homini necessaria est ad proprias functiones obeundas: alia leoni, alia equo, & ita de cæteris. Et illa temperies dicitur ad iustitiam, quia quemadmodum iustitia pœnas, & prędmia non omnibus pariter, æquabiliterque distribuit, sed vnicuique largitur, quod ex ratione promeretur, alijs plus, alijs minus: in hac tamen inæquali distributione summa elucet æqualitas: sic iusta natura diuersis rerum speciebus diuersa temperamenta adhibuit, quorum ope omnibus munijs, ad quæ fuerant destinatæ, integrè, & perfectè fungerentur. A Philosophis vocatur hoc *temperamentum proportionis Geometricę*, quia quemadmodum in Geometrica proportione non respicitur ad differentiarum, sed tantùm ad rationum æqualitatem; ita in hoc temperamento non consideratur qualitatum ad pondus, & æquilibrium æqualitas, sed potius talis qualitatum inter se consensio, vt vniuscuiusque speciei naturæ optimè congruat. Optimum autem iudicat Hipp. 2. Diæt. in quo ignis, & aqua prævalent. *confer. Lindan. Melet. l.* §. 107.

CAPVT IV.

De temperamentorum Κρατῶν

Omnes temperamentorum differentię tactu dignoscuntur.

OMnes illæ differentię pendent ab excessu primarum qualitatum, quæ sunt obiectum sensus Tactus, sicut colores Visus, sapores Gustus, & odores Olfactus.

Illius autem instrumentum est Cutis, potissimum ea, quæ extremis manuum digitis inest.

Instrumentum, quod omnium qualitatum excessum debuit percipere, ex omnium qualitatum mediocritate constitui opportuit, neque potiùs in vnam, quàm in alteram partem inclinare. Eiusmodi est cutis hominis temperati, quæ, ex æquali feminis, & sanguinis portione conflata, moderatum ideo obtinuit temperamentum, cùm partes omnino carnosæ sint calidę, & humidę, spermaticę frigidę, & siccæ. Vt autem cutis qualitatum excessus percipere possit, in naturali temperamento debet constitui, omnis alienæ qualitatis expers; si enim à frigore v. g. sit ferè congelata, munus illud obire nequit. Ex omnibus verò partibus cutis manuum est omnium aptissima, non ea, quę tegit volam, illi enim durus tendo subtenditur, & attritu continuo densatur, & callosa euadit; sed illa, quæ digitorum extremitatibus inest, quæ naturalem suam constitutionem magis retinere solet.

Cutis vero temperamenta inæqualia, & excedentia percipit positiuè, æquale vero, & moderatum priuatiuè.

Omnis sensus passione fit, & omnis passio à contrario; temperamenta autem exuperantia respectu moderati habent rationem contrarij, atque ita cutem quæ temperata est, verè, & positiuè afficient: temperamentum verò moderatum, quia nullum habet qualitatum excessum, ideò tactum non afficit, sed cognoscitur tantum priuatiuè. Quæcumque enim neque calida, neque frigida, neque humida, neque sicca sentiuntur, ita vt nullo modo tactum afficiant, propter similitudinem, quam cum illo habent, temperata iudicantur.

COROLLARIVM.

Circa Iudicium temperamentorum.

Licet tactus temperamentorum iudex statuatur, non tamen ita absolutè, quin aliqua egeat restrictione. Galenus enim *l. 3. de temperamentis*, asserit, tactum esse quidem calidi, & frigidi iudicem absolutè, humidi verò, & sicci non simpliciter, sed cum ratione coniunctum quia humidũ nonnisi per mollitiem, & siccum per duritiem cognosci potest: at multa tactui dura occurrunt, quæ sicca non sunt, & plurima mollia; quę minimè humida. Durum enim trifariam dicitur ex Gal. 5. *de simpl. medicam facul. c.* 4. siccitate, vt in ossibus apparet: concretione, vt in glacie, & reliquis rebus frigoris vi condensatis: & repletione, vt in vtre, & ventre hydropicorum. Vnde patet multa dura esse, non tamen sicca. Sic etiam multa natura sicca, vt plumbum, dum liquantur, mollia apparent. Vnde patet qualitates istas tactui imponere posse, nisi ratio in consilium vocetur.

Verùm *obicij* potest, de caliditate, & frigiditate idem dici posse, cùm enim ex rebus calidis, vel frigidis, alię actu tales sint, aliæ potentia; aliæ per se, aliæ per accidens, vt piper potentia calidissimum est, tamen aeri hyberno expositum frigidum ad tactum apparebit, & aqua, quæ per se frigida est, si calefacta fuerit, calida æstimabitur, quia talis tactui apparet: Vnde non minores errores poterunt contingere in istis iudicandis: nisi conuocata ratione secernantur, & naturalis cuiusque constitutio exploretur. *Respondeo*, dum dicimus, solum tactum esse iudicem frigoris, & caloris, hoc esse potissimum intelligendum de tempera-

mento totius corporis, & sine vlla comparatione, quæ propriè ad rationem pertinet. Item de ijs, quæ talia sunt per se, non per accidens; actu, non potentia: semper enim in omnibus illis verum est dicere, tactum esse verum iudicem frigoris, & caloris, prout iam in præsenti sunt, ipsumque afficiunt quod in humido, & sicco non contingit, quia non per se, & immediatè, sed per alias qualitates, mollitiem scilicet, & duritiem, tactui se se repræsentant.

CAPUT V.

De Ætatum temperamentis.

Ætas est spatium vitæ, quo, actione caloris natiui in humidum primigenium, corporis constitutio manifestè mutatur.

VIta nostra à calore natiuo conseruatur, qui humido primigenio vtitur, tanquam pabulo, idque sensim depopulatur & ipse etiam agendo repatiens, sensim debilitatur & ad humidi diminutionem, etiam minuitur: ita vt corpora nostra in vitæ primordijs calida valdè, humidaque sint, & temporis progressu, frigida, siccaque euadant, atque illud spatium illud temporis, per quod mutationes illæ fiunt, & quod vitæ nostræ curriculum mensuras. Ætas nominatur.

Illius principales differentiæ quatuor sunt. 1. Pueritia 2. Iuuentus. 3. Constans ætas. 4. & Senectus.

In toto illo vitæ spatio quatuor insignes mutationes contingunt, sicut in omnibus rebus conspicimus, principium, incrementum, statum, & declinationē, ideo tota hominis ætas in quatuor partes fuit ab Hippocrate distributa, vt numero elementorum, anni tempestatum, & corporis nostri humorum eorumque temperamento responderet: quod vsui Medico maximè est commodum. Licet enim Iureconsulti, & Astrologi ad suarum scientiarum præcepta magis accommodatè ætates aliter diuiserint, hoc parùm moramur, quamvis apud nostros Authores, quædam quatuor illarum ætatum subdiuisiones reperiantur, vt postea monebimus. Vid. Paulum Zach. q. med. legal.

Pueritia à primo ortu ad 25. annum extenditur, estque calida, & humida.

Hæc veri assimilatur, & ex humoribus sanguini: vtrumque enim calidum, & humidum censemus.

Et in quatuor partes rursum distribuitur, quarum prima dicitur, Infantia, *ad annum quartum, vel nonnullis ad septimum: secunda,* Pueritia, *ad annum decimum quartum: tertia,* Pubertas, *ad annum decimum octauum: & quarta,* Adolescentia, *ad vigesimum quintum se extendens.*

In illo spatio, quod ad vigesimum quintum annum extenditur, magna fit humidi consumptio, ideò pro maiore, vel minore illius copia hæ subdiuisiones fuerunt institutæ. Magis tamen insignis mutatio fit in pubertate, quàm in reliquis differentijs, tunc enim pubes lanugine exornatur, vnde illa ætas suum nomen accepit, mammæ virginibus intumescunt, menses efferri incipiunt; & maribus vox plenior, & asperior efficitur, vnde τραχύζεσθαι, id est, *hircire*, Hippocrati dicuntur qui etiam tunc temporis venerem agnoscere incipiunt; quæ omnia ita contingunt propter caloris ἐκλαμψιν, qua tunc maximè apparet, & antea humoris copia obtuebatur.

Iuuentus ad trigesimum quintum, vel quadragesimum annum extenditur, estque calida, & sicca.

Ætati, & humori biliosо assimilatur, caliditas enim tunc temporis maximè viget, & maxima sua vehementia humidum absumit, vnde siccitas oritur.

Hic *quæri* solet, an iuuenes pueris sint calidiores? *Respondetur*, Pueros esse calidiores extensiuè, iuuenes verò intensiuè, vel pueros esse calidiores ratione quantitatis: iuuenes verò ratione qualitatis. Cùm enim calor hic, seu calidum potius, de substantia simul, & qualitate intelligatur; ex parte quantitatis, seu copiosioris substantiæ, maior calidi copia reperitur in puero, quàm in iuuene: quia quo proprius accedimus ad vitæ nostræ principia, eo magis calido, humidoque abundamus. Ex parte verò qualitatis certissimum est, iuuenibus calorem esse intensiorem propter siccitatem, quæ est lima caloris vnde calor puerorum est mitis blandus, & halituosus, vt pote multo humido naturali pertusus; iuuenum verò mordax, acer, & insuauis, propter acres vapores, qui ex siccore corpore eleuantur.

Consistens ætas ad quadragesimum quintum, vel quinquagesimum annum extenditur, estque frigida, & sicca.

Consistens apellatur, quia, etsi virium robur paululum minui incipiat, illa tamen mutatio in habitu, vel actionibus non est euidens, sed, qui sunt in ea ætate in eodem statu consistere videntur. Autumno hæc ætas comparatur, & humori melancholico, qui etiam in ea abundat, quia bilis in iuuentute exacta, in melancholiam vertitur.

Senectus ad extremum vitæ extenditur, estque frigida & humida.

Senum temperies dupliciter consideratur, vel secundum partium solidarum temperiem, vel secundum excrementorum prouentum. Ratione partium solidarum sunt frigidi, & sicci, quia in illis humidum primigenium est valdè depopulatum, vnde magna partium siccitas exurgit. Ratione verò excrementorum, quæ propter caloris inopiam magna copia in ijs cumulantur, & frigida, humidaque existunt, frigidi, & humidi dicuntur, qui respectus potius retinetur, vt illa ætatum ad anni tempora, & humores analogia seruetur, atque ita senectus hyemi assimilatur, & etiam pituitæ, quæ maximè abundat.

Et illa in tres partes subdiuiditur, quarum prima dicitur prima senectus, *ab anno quinquagesimo ad sexagesimum; secunda,* ætas ingraueſcens, *à sexagesimo anno ad septuagesimum; Tertia dicitur* decrepitudo, *ab anno septuagesimo vsque ad finem vitæ.*

In *prima senecta* constituti corpore sunt adhuc satis valido, & ciuilia munia obire possunt. In *ingraueſcente*, imbecilliores sunt, & delicatiori vitæ genere indigent, non tamen omnimoda quiete. In *decrepita* denique viribus omninò destituti ab omni opere cessare debent, & genio tantum, ac quieti indulgere, & de futura vita cogitare. *Notandum* est has omnes ætates magnam habere latitudinem pro robustiore, vel imbecilliore hominum constitutione, ita vt quidam seniores sint anno quinquagesimo, quam alijs sexagesimo, vel vltra, *conf. Meletem. I. §. 69.*

CAPVT VI.

De Sexuum Temperamento.

Mares in vniuersum sunt calidiores, & siccio res, Fœminæ, frigidiores, & humidiores.

HUius theorematis veritas facile demonstratur ex signis, calidiorem, & siccio rem temperaturam indicantibus, quæ ex causis, & effectibus desumuntur. Ac primùm quod ad causas spectat, semen (quod efficientis, & materiæ rationem obtinet in generatione,) ex quo mares generantur, calidius est eo, ex quo fœmellæ producuntur. *Mares* enim, inquit Hippocrates *in dextris, & à dextris oriuntur*. Vt patet ex anatome, vas dextrum, quod materiam seminalem suppeditat, à trunco venæ cauæ exoritur, vnde semen calidius; sinistrum verò non ab ipso trunco, sed ab emulgente ramo, qui serum ad renem defert, vnde semen frigidius, & magis serosum.

Inter effectus recensentur actiones, excrementa, & quæ in habitu contingunt.

Actiones autem animales, mares esse calidiores, facile demostrant, cum illi robustiores multò sint, & laboribus ferendis aptiores; mulieres verò segnes, & otiosę, ac non nisi vita vmbratili delectentur. Quod ad vitales spectat, certum est, pulsum & respirationem, maribus vehementiores, vocem grauiorem, & intensiorem, maiorem arguere caliditatem. Naturales etiam functiones melius exercent, quod ab excrementis innotescit.

Excrementa autem pauca quantitate generari solent in maribus: In fœminis verò copiosiora, vt in menstruis purgationibus apparet, quæ ideò fiunt, quoniam calor non est satis efficax, vt totum illum sanguinem discutere possit, qui generatur; in mare verò ita omnia digeruntur, vt nihil superflui remaneat.

Ex habitu denique corporis manifestè elucet, mares esse multò calidiores; illi enim hirsuti sunt, non solum barba, sed etiam toto corpore, duram, & asperam habent cutem, venas latas, & amplas ac musculos firmos, & compactos. Illæ verò sunt omnino glabræ, & depiles, cutem habent mollem, & laxam, atque etiam musculos, & vasa angustiora.

Nota in theoremate dictum esse, *mares in vniuersum esse calidiores*, quia sexus hi vniuersaliter sunt considerandi, audiendumque est mares ex maiori parte esse calidiores;

quædam

quædam enim inueniuntur mulieres calido admodum temperamento præditæ, quibusdam viris valdè frigidis calidiores. Sed quia vtrique extra ordinariam sui sexus constitutionem sunt positi, ideò assertionem nostram non infringit. *Hippoc.* quoque lib. 2. de morbis mulier. loquitur de sanguine tantum, & non de toto. (*conf. Melet. Lind. I.* §. 70.).

CAPVT VII.

De Temporum anni temperamentis.

Quatuor sunt anni tempestates, ver, æstas, autumnus, & hyems.

HArum tempestatum causa potissima est Sol, qui annuo suo motu varias in aere efficit mutationes, Duo autem motus in Sole obseruantur, vnus *diurnus*, qui raptu primi mobilis fit ab ortu ad occasum spatio viginti quatuor horarum, quo diem naturalem describit. Alter *proprius*, qui fit ab occasu ad ortum spatio 365. dierum, quo duodecim Zodiaci signa peragrat, & annum integrum describit: & quia propter Zodiaci obliquitatem variè versus nostrum Zenith accedit, variéque ab eo recedit, ideò varias efficit mutationes frigoris, & caloris, quibus tempora anni notantur.

Ver est calidum, & humidum.

Tunc incipit, cum Sol Arietis signum ingreditur, & aerem mediocriter calefacere incipit, qui calor mediocris nondum destruit humiditatem, à prægressa hyeme relictam eam tamen sensim domat, ita vt ver in sui medio ferè temperatum existat. Symbolum habet cum aere, & temperamento sanguineo, ac ferè temperato. Omnium tempestatum salubertima, ex Hipp. atque etiam fœcundissima, quia rerum omnium vigor, & fœcunditas in calore, & humiditate consistit. Quamvis enim Hipp. III. *Aphoris.* 20. multos, eosque pernicioſos morbos recenseat, qui veris tempore solent contingere, non tamen ideò salubritas illius tollitur, quoniam hoc per accidens contingit in corporibus cacochymis, magnam prauorum humorum copiam per hyemem colligentibus, qui succedente veris tempore funduntur, & aliquando putrescunt; Salubria autem, & bene constituta corpora, nihil est quod magis conseruet, & in propria retineat temperie quam vernum tempus illi simillimum.

Æstas est calida, & sicca.

Illius initium est, cum sol ingreditur signum Cancri, qui tunc maximè ad nos accedit, & radios habet valdè directos, dieſque sunt longissimi, vnde ingens æstus producitur, à quo humiditas, ex vere relicta, consumitur, & siccitas magna introducitur. Symbolum habet cum elemento ignis, & humore bilioso.

Autumnus est frigidus, & siccus.

Tunc vigere incipit, cum Sol ingreditur signum Libræ, vbi fit *æquinoctium*, quod ideo *autumnale* appellatur, sicut initium veris *æquinoctium vernum*: tantum enim ab, à nobis recessit, vt noctes diebus sint æquales illoſque longitudine superare incipiant, vnde propter illum solis recessum frigiditas in aerem introducitur, quæ iuncta siccitati, à prægressa æstate relictæ, frigidum, & siccum temperamentum inducit, vnde autumnus elemento terræ, & humori melancholico dicitur analogus. Quia tamen sol vires suas adhuc mediocriter exercet; ideò dum est in suo vigore scilicet in meridie, aerem calefacit, quo fit vt illa tempestas circa meridiem sit satis calida, mane autem, & ferò frigida, dum scilicet Sol non exercet suas vires, imò in eodem die non rarò tunc temporis frigus; & calorem satis intensum percipimus, quod fit propter siccitatem, quæ est lima primarum qualitatum. illa verò aeris inæqualitas graues morbos, & pernicioſos solet inducere, ex Hipp. III. *Aphoris.* 22.

Hyems est frigida, & humida.

Illa die sumit initium, qua Sol ingreditur Signum Capricorni, tuncque contingit *solstitium hybernum*, sicuti in principio æstatis *solstitium æstiuum*: tantus enim est solis necessus à nobis, vt per radios valdè obliquos nos intueatur, & dies sint breuissimi, noctes verò longissimæ vnde magna frigiditas contingit, quæ sibi comitem accersit humiditatem, ex eo, quod vapores eleuati non dissipantur, sed à frigore coguntur in nubes, pluuias, & niues: vnde hyems elemento aquæ, & humori pituitoso assimilatur. *Atque hactenus de temperamentis.*

PHYSIOLOGIÆ

SECTIO TERTIA.

De Humoribus.

CAPVT PRIMVM.

De Humorum natura.

Humor est corpus fluidum, quod ex alimenti coctione fit in nobis nutritionis causa, vel ad alia corporis commoda.

HVmoris nomen dupliciter vsurpatur: *primo* quidem communiter, & generatim pro omni re, quæ suis terminis difficile cohibetur, sed tantum alienis, siue in corpore nostro generetur, siue non atque ita liquores omnes sub illa acceptione continentur. *Secundo* verò sumitur magis propriè, & strictè apud Medicos pro corporibus liquidis, quæ ex secunda, & tertia coctione oriuntur, vt ex definitione patet: in qua primum humor dicitur *corpus fluidum*, quia instar aliorum liquorum facilè diffluit, & proprijs terminis non continetur. Dicitur etiam *fieri in nobis ex alimenti coctione*, vt excludantur aliæ humiditates, quæ in corpus nostrum irrumpere per varios meatus possunt, absque vlla alteratione, aut mutatione; & vt ostendatur, quomodo humores illi in corpore nostro generentur. Natura enim animantium, & hominis potissimum conseruationis follicita, varia produxit alimenta, varijs qualitatibus prædita, quibus nutrimentum, & incrementum capesceret, non quidem immediatè, sed præcedentibus multis mutationibus; atque ita priùs in ore atteruntur, mox in ventriculum ingesta permiscentur, concoquuntur, & in substantiam quandam conuertuntur cremori similem, quæ chylus appellatur: qui quidem chylus in ventriculo optimè elaboratus in intestina detruditur, ibidemque vtilis illius portio separatur à materia terrena, & inutili, ex qua fæces generantur substantia verò illa purior ab hepate per venas meseraicas attrahitur, in quo denuò concoquitur, & immutatur, vnde massa sanguinaria exurgit; in qua variæ humorum differentiæ continentur, secundum communem veterum opinionem, à recentioribus alijs, atque alijs nouis inuentis illustratam, qua de re *Deutius*, & alij de nutrit. *Melet. I.* 100. *&c.*)

CAPVT II.

De Humorum differentijs.

Omnes humores diuiduntur in alibiles, & excrementitios.
Alibiles dicuntur illi, qui apti sunt in corporis nostri substantiam facessere.
Et rursum duplices statuuntur: primarij, & secundarij.
Primarij dicuntur illi qui in venis continentur, & formam in hepate receptam adhuc retinent, nullique membro peculiariter sunt addicti.

PRimarij dicuntur, quia ex illis generantur alij, qui *Secundarij* appellantur: tum, quia natum ac geniti sunt in hepate, tunc primo humorum nomen sortiti incipiunt; chylus enim apud Medicos humoris nomine nunquam donatur. Quamdiu autem humores illi in venis continentur, formam in hepate receptam, idemque nomen semper retinent, donec ad singulas partes delati, ab ijs immutari incipiant; tunc enim alias formas, aliaque nomina recipiunt, vt suo loco dicetur.

Et quatuor sunt, sanguis, pituita, bilis, & melancholia.

Purior chyli portio ad hepar per venas meseraicas delata, calore illius concoquitur, & immutatur, eiusque naturam quodammodo sortitur; non solum enim rubedinem, sed etiam temperiem, hepatis temperaturæ quodammodo similem, acquirit: Illa autem substantia, ita ab hepate immutata, *massa sanguinaria* appellatur, quòd sanguine plurimum abundet, non quòd eo solo constet. Cum enim omne agens, licet eodem modo semper agat, varios tamen producat effectus, pro varia dispositione patientis, sicut Sol eodem calore linteum dealbat, & cutim denigrat, lutum indurat, & ceram emollit; Ita cum alimenta quauis quatuor constent elementis, calor hepatis, qui est causa efficiens, à qua humores

generantur acream alimentorum portionem in sanguinem commutat, igneam in bilem, aqueam in pituitam & terream in melancholiam. Licet negandum non sit, efficientem etiam multùm conferre ad maiorem huius, vel illius humoris copiam generandam. A calidiori enim hepate ex ijsdem alimentis multò maior bilis, eiúsque calidioris, copia producetur, quam à frigidiore; quod contra frigidus maiorem pituitæ copiam generabit. Attamen tantus nunquam excessus dari potest, quin ex quouis alimento quatuor humores perpetuò gignantur, licet non seruata debita proportione, quæ talis debet esse naturaliter, vt maior sit sanguinis copia, minor pituitæ, minor adhuc melancholiæ, omnium minima bilis portio existat. Quod autem quatuor illi humores in massa sanguinaria contineantur, satis apparet ex partium corporis nostri varietate, quæ diuersis temperamentis præditæ cùm sint, non possunt omnes vno, eodemque humore nutriri, simile enim à simili tantum nutritur. Atque ita ex sola partium consideratione facilè iudicamus, lienis, v. g. substantiam melancholico humori simillimam, pulmonum, bilioso, hepatis sanguineo, & cerebri, pituitosa, ex ijsque nutriri. Confer, *Manuduct.*

CAPVT III.

De sanguine propriè dicto.

Sanguis propriè dictus est portio totius massæ, magis temperata, ad calidum, & humidum deuergens, & colore rubro perfusa.

PORtio chyli magis temperata, & in substantia mediocris in sanguinem propriè dictum conuertitur, qui ad hepatis naturam, & temperiem maximè accedit, quod quidem cum sit calidum, & humidum, similem etiam substantiæ sibi analogæ tribuit temperiem; & non solum hanc, sed etiam colorem, qui ruber est, isque reliquorum humorum in massa permixtorum colorem superat, vnde tota massa humorum rubra conspicitur, & sanguinis ipsius nomen absolutè sortitur. Illius prouentum faciunt alimenta temperata, & boni succi, æstas florens, verna tempestas, & calida humida aeroris temperies.

Licet ex omni alimento sanguis generetur, ex his tamen maiori copia, ex alijs minori: Ideo causis hisce omnibus simul concurrentibus sanguinem efficitur temperamentum, ex magno scilicet sanguinis prædominio. Illius vsus est, in partium carnosarum alimoniam facessere: huiusmodi sunt carnes omnium musculorum, & viscerũ, quæ sanguine propriè dicto nutriuntur. Eiusdem verò effectus est, reddere homines hilares, & iucundos, ad risum, & amorem propensos, ac florido colore perfusos, quia maxima caloris temperati copia abundant, vnde iucunda illa pathemata exurgunt, hinc videmus omnia animalia in prima ætate eximia hilaritate perfundi, quia tunc calore natiuo plurimum abundant.

Sanguis autem quicunque in venis continetur, fibris quãplurimis est perfusus, quarum beneficio concrescit, & partibus assimilatur.

Fibræ illæ, quæ magna copia in sanguine continentur, manifestè apparent, dum sanguis multa aqua diluitur, vel dum manu agitatur, vt in sanguine suillo solet fieri, qua agitatione fibræ omnes auferuntur, vt impediatur concretio, tanta enim est harum fibrarum vis, vt sanguinem è venis emissum statim coagulent, quibus alioqui ablatis nunquam coagulatur, vt in exemplo proposito apparet. Atque harum beneficio sanguis dum ad varias partes defertur, nutritionis ergo condensatur, & solidior efficitur, vt facilè queat partibus assimilari; alioqui fibris illis destitutus liquidior permaneret. Non est enim credibile, quod Aristoteles asserit, ceruos, damas, & camelos illis carere; sed potius intelligendum est, paucissimas habere fibras, quę tamen ad mediocrem concretionem sufficiant. Fibræ autem illæ albę omninò sunt, & nerueam substantiam referentes, vnde arbitrandum est, eas non in iecore fuisse genitas, sed potius in ventriculo, qui totus neruosus est, & substantiæ suæ natura m chylo quodammodo imperit. (*V. Meier. I.* 10.73.140.7.).

Sanguis verò duplex est, venosus & arteriosus.

Venosus crassior est, frigidior, rubicundior, & substantiæ partium solidæ nutriendæ destinatus.

Arteriosus verò tenuior est, calidior, subflauior, & substantiæ partium spirituosæ nutriendæ destinatus.

Qui in venis est sanguis, ab hepate immediatè proficiscitur, illiusque naturam, & temperiem omnino refert; atque adeò arterioso frigidior, qui in corde elaboratur, vbi tenuior euadit, coloremque subflauum adipiscitur, propter aeream portionem, quæ cum eo in sinistro cordis ventriculo permiscetur, coloremque illum saturatum diluit. Tantò ergo calidior est venoso, quantò cordis temperies iecur caliditate superat.

COROLLARIVM.

Quidam negare ausi sunt, dari sanguinem propriè dictum sed totam humorum massam ex bile, pituita, & melancholia tantum constitui voluerunt, illosque tres humores, simul mixtos, sanguinis nomine donari, quod demonstrare conantur exemplo lactis, quod ex sanguine immediate producitur: in eo enim tres tantùm substantiæ homogeneæ reperiuntur; nimirùm butyrosa, serosa, & caseosa, quæ tribus illis humoribus respondent. Verùm hæc opinio refutatur inde, quod massa humorum ruborem aliunde quàm à sanguine vero sortiri nequeat: Bilis enim flaua est, pituita alba, & melancholia nigra. Deinde partes carnosæ, quæ maxima copia sunt in corpore nostro, colore, & temperie sanguini analogæ, peculiariter demonstrant, hunc adesse humorem, ex quo illæ nutriuntur. Ad lactis verò exemplum *Respondemus*, non esse necesse res omnes eadem habere partes, ac illæ, ex quibus fuerunt genitę: nam semen, quod ex sanguine generatur, duas tantùm habet partes, scilicet spiritus, & crassamentum. Adde, exemplum illud potius aduersus bilem, quàm aduersus sanguinem concludere: butyrum enim est sanguini analogum, puta calidum, & humidum, sicut caseus melancholiæ, serum verò non omninò etiam pituitæ respondet; sed potius ichoribus, qui per vrinas, & sudores excludi solent, & ipsum seri nomen obtinuerunt.

Maximè tamen aduertendum est, axioma illud, quo fertur res in ea resolui, ex quibus componitur, intelligendum esse tantum de vltima resolutione, quæ fit in elementa. Res enim in ea tandem resoluuntur, ex quibus primò fuerunt genitæ. Elementa autem sunt prima corpora, ex quibus omnia mixta componuntur, atque adeò in illa vltimo resoluuntur, sed nunquam in ea, ex quibus secundariò producuntur: verbi gratia, caro, & ossa resoluuntur quidem in elementa post animantis interitum, non autem in panem, & alia alimenta, ex quibus per nutritionem producuntur; aut in semen, & sanguinem, ex quibus fuerunt genita in conceptione.

CAPVT IV.

De Pituita alimentaria.

Pituita alimentaria est sanguinis crudior portio, frigida, & humida, ac ferè insipida, aut subdulcis.

PORtio massæ sanguinariæ frigidior, & humidior, Pituita appellatur, quæ ex crudiori chyli portione generatur, vnde sanguis crudus, vel semicoctus à Galeno appellatur, qui & asserit; per medias in sanguinem proprie dictum viteriori coctione facessere, idque in ipsis venis per vim ἀλλοποιητικὴν illis ab hepate communicatam.

Magnum illius prouentum solent efficere frigida, & humida alimenta, ætas senilis, hybernum tempus, & frigida, humidaque aeroris temperies.

De tempore hyberno est difficultas, quia cùm ventres sint hyeme calidiores ex Hipp: propter concentrationem caloris natiui, quæ fit tunc temporis, melius fieri debent concoctiones, atque adeò pauca humoris crudi copia generari. *Respondetur*, magnam pituitæ copiam hyeme generari, non ratione efficientis, sed materiæ, scilicet alimenti: alimenta enim tunc temporis sunt frigida, & compacta, & concoctu difficiliora. Adde tunc temporis plurimum vigere appetentia, & magna quantitate assumi alimenta, ita vt præ nimia copia non possint perfectè elaborari; sed crudior chylus remaneat, vnde crudior sanguis; nam primę coctionis vitium non corrigit secunda ex Galeno.

Illius vsus est partes frigidiores, & humidiores nutrire.

Cerebrum, & spinalis medulla magnam habent cum pituita analogiam, illa ideò nutriuntur, vt apparet in excrementis, quæ à cerebro quotidie manant. Illa pituita alibilis vulgo dicitur sanguis pituitosus sicut bilis, & melancholia, sanguis biliosus, vel melancholicus; quod sedulo aduertendum,

dum, ne error contingat in authorum lectione, dum asserunt, omnes partes sanguine nutriri.

Effectus vero illius est reddere homines, in quibus dominatur stupidos, segnes & somnolentos, toto corpore molles, & albescentes.

Frigiditas cum humiditate coniuncta reddit spiritus crassos, & parùm mobiles, vnde hæc accidentia contingunt.

CAPVT V.

De bile alimentaria.

Bilis alimentaria est tenuior sanguinis portio calida, & sicca, nonnihil amara, & flauescens.

Sicut quatuor humores quatuor elementis respondent, sic bilis igneæ naturæ ex calidiore, & sicciore chyli portione genita, aliquo amarore prædita, non tamen insigni, sicut bilis excrementitia; alioqui non esset ad alendm idonea. Certum enim est, amara non nutrire, quæ scilicet sunt vehementer talia: Nam hyssopus, cichorium, & alia multa, leuem habent amarorem, tamen nutriunt. Sic etiam bilis alimentaria leuiter tantum amara est, ita scilicet, vt partes illum amarorem non auersentur. Dicitur etiam sicca potestate non actu, quia omnes humores fluidi sunt, & actu humidi: potestate tamen exsiccat, sicut aqua maris, vel maria ficca dicuntur.

Magnum illius prouentum faciunt calida, & sicca alimenta, pinguia, & oleosa, ætas virilis, tempus æstiuum, & calida, siccaque hepatis temperies.

Non videtur rationi consonum, pinguia, & oleosa in bilè conuerti, cùm illa sint calida, & humida, atque ita sanguini producendo potiùs apta *Respondetur*, ista quidem ex sua temperie, sanguini potius gignendo esse apta; sed quia substantiam habent valdè inflammabilem, ideò in corporibus præparatis, ac dispositis ad biliosi succi generationem in eum facilè conuerti. Vnde peruulgatum est apud Medicos, dulcia facile bilescere, quod semper intelligendum est ita fieri in corporibus calidis, & biliosis, in alijs enim frigidioribus, vel temperatis, sanguis potiùs producitur; quod in melle, & lacte manifestè apparet; mel enim senibus, & lac Pueris accommodatissimum est ad alimoniam, vtrumque vero in ætate florentibus, aut calidioribus facilè bilescit.

Illius vsus est, partes consimiles nutrire, & sanguini esse instar salis, & condimenti, cuius beneficio partes sanguinem auidius atrahant.

Inter partes, quæ à sanguine biliosо nutriuntur, pulmo præcipuè recensetur, qui substantiam habet valde raram, vt facilè ingredientem aerem recipere possit, ideò tenui sanguine debuit nutriri.

Leui autem bilis amarore cum reliquorum humorum dulcedine permixto, gratus sapor toti massæ conciliatur, vnde parte alimentum auidiùs prolectant.

Eiusdem vero effectus est, reddere homines, in quibus redundat, promptos, vigiles, iracundos, & macilentos.

Hi omnes sunt caliditatis, & siccitatis effectus. (*Melet. I.* 113.)

CAPVT VI.

De Melancholia alimentaria.

Melancholia alimentaria est, crassior sanguinis portio, frigida, & sicca, sapore acerbo, & nigro colore prædita.

Crassior chyli portio in melancholiam conuertitur, quæ est limosa, & veluti fœculenta sanguinis pars, fœcibus vini similis, quæ in dolij fundo residere solent, ideò elemento terræ assimilatur. (*V. Melet. I.* 112.)

Magnam eius copiam congerunt crassa, & terrena alimenta, consistens ætas, autumnus, & mærores diuturni.

Vsus verò illius est, partibus consimili temperamento præditis nutrimentum præbere.

Huius naturæ potissimum est lien, deinde ossa, quæ licet colore contrario sint, simile tamen habent temperamentum, albedinem autem acquirunt vlteriori coctione.

Illius denique effectus est, homines, in quibus dominatur, efficere timidos, mœstos, asperis moribus, & coloris nigricantis.

Quia melancholici spiritus habent obscuros, & tenebricosos, ideò tristia phantasmata menti repræsentant, illamque reddunt obtusiorem.

Neque obstat dictum illud Aristotelis, apud Medicos etiam valdè peruulgatum, melancholicos esse ingeniosos. Non est enim intelligendum de ijs melancholicis, qui tales *natura* sunt, ac frigido, siccoque temperamento præditi, sed de illis, qui *per accidens* tales euadunt, fuerintque à natiuo temperamento sanguinei, vel biliosi, ac progressu temporis portio quædam tenuioris sanguinis exuritur, & crassescit, & naturalis melancholiæ conditiones æmulatur; sed calidior multos, & lucidior, quia sanguis ex se est valdè lucidus: vnde cùm ex illo humore spiritus lucidi, & satis calidi generentur, ijque sint satis crassi, & constantes, vt pote ex crasso humore geniti, aptissimi sunt ad prudentiam efficiendam: hic igitur est humor melancholicus, qui homines ingeniosos facit, artium, & scientiarum inuentores, & cultores egregios; non autem naturalis illa melancholia, frigida, & sicca, quæ bardos, & stolidos reddit homines; vnde *melancholia asinina* vulgo appellatur.

CAPVT VII.

De Humoribus secundarijs.

Hactenus de humoribus alimentarijs primarijs, sequuntur secundarij. Illi autem dicuntur secundarij quod à primarijs immediatè oriantur, & alicui membro peculiari sint inserti.

Hvmores primarij, qui in venis continentur, & sanguinis nomine donantur, ad singulas partes deferuntur, vt in illarum nutrimentum faceſsant: dum autem à singulis partibus immutari incipiunt, secundarij appellantur. Multi humiditates eos potùs, quam humores malunt appellare, ex eo, quòd eorum pars ad substantiæ partium naturam potiùs, quam humorum accedant; atque vt quatuor partium siccitatibus, à Galeno propositis opponantur: quod non est à ratione alienum. Possunt tamen nominari humores cum primarijs humoribus immediatè succedant, nec adhuc sint veræ partes.

Et quatuor sunt; primus dicitur humor innominatus siuè insitus, secundus ros, tertius gluten, quartus cambium.

Quatuor istorum humorum secundariorum author fuit Auic. *fen. 1. primi canon. doct. 4. cap. 1.* quos elicit ex Gal. qui *lib. 6 meth. cap. 6* quatuor siccitates enumerat, quæ partibus corporis nostri solent contingere, propter quatuorum diuersarum humiditatum consumptionem, quæ quidem humiditates ex sanguine generantur dum (vt dictum est) ille in partium substantiam faceſsit, & antequam sit omnino conuersus, quatuor insignes subit mutationes, quarum vna quęque peculiare obtinuit nomen.

Humor innominatus, siue insitus est ille, qui in exilium venarum extremitatibus continetur, & leuem à particularibus membris mutationem suscipere incæpit.

Sanguis simulatque è vasis amplioribus defertur in angustiora, quæ vnicuique parti naturaliter sunt infixa, particulæ illius qualitatibus sensim perfunditur, eaque commutatione partis naturam assumere incipiens, fit primus humor ex quatuor secundarijs, cui nullum nomen fuit impositum, ideò *Innominatus* appellatur, recentiores tamen nonnulli *insitum* nominarunt.

Ros vero tunc appellatur cum prima illa humiditas ab extremitatibus vasorum excedit, & in membrorum substantiam dispersa est.

Ideo Ros appellatur, quòd roris instar partim substantiam irriget, & in tenuibus earum spatijs excipiatur. Fit ex humore innominato, sed multò magis alteratus est, & ad partis naturam magis accedit.

Gluten tunc dicitur, cum roridus ille humor partibus vnitur, & aglutinatur.

Cambium denique, cum glutem illud in partis substantiam omnino conuertitur, & assimilatur.

Harum duarum postremarum humiditatum discrimen innotescit ex differentia, quæ inter vnionem, & assimilationem intercedit. Illa autem luculentissimis exemplis demonstratur, nam in scabie, elephantiasi, & similibus appositio quidem, fit seu agglutinatio copiosi humoris, qui tamen non assimilatur, sed propter prauas qualitates quæ ei insunt, corrumpitur, vnde patet vnionem valdè differre assimilatione.

CAPVT VIII.

De humoribus excrementitijs, ac primùm de bile excrementitia,

Hactenus de humoribus alimentarijs. Excrementitij dicuntur illi, qui nullam habent corpori alendo aptitudinem, sed à corpore expelluntur, & separantur.

Et quatuor sunt, 1. bilis, 2. melancholia, 3. serum, 4. & pituita.

Bilis excrementitia est excrementum tenue secundæ coctionis, calidum, & siccum, colore flauum, & sapore amarum, quod ad vesiculam felleam expurgatur.

OMnes coctiones sua habent excrementa, quoniam omnes alimenti partes non sunt nutritioni aptæ, ideò portio inutilis ab vtili separatur, & foras excluditur: sic primę coctionis excrementa sunt fæces, quæ per aluum deturbantur. Secundæ verò excrementa tria sunt, quæ quoniam ad humores referuntur, iam à nobis veniunt exponenda.

Primum igitur secundæ coctionis excrementum est tenuis quidam humor calidus, & siccus, & valdè amarus, ideò nutritioni ineptus, qui ad vesiculam felleam defertur, partim jecoris expultrice; partim vesiculæ illius attractrice; quę idcircò familiaritate quadam, & sympathia cum humore illo fuit à natura donata, vt eo gauderet, & oblectaretur. V. Laur. emb.

Illius vsus est, expultricem intestinorum faculatem ad suum officium impellere, & pituitam lenta intestinorum tunicis adhærentem detergere.

Postquam vesicula fellea bilem ad se attraxit, ea aliquandiù fruitur, & gaudet; donec per moram acrior facta, cystidem illam irriter ad sui expulsionem; tunc enim à cystide propellitur ad duodenum intestinum, per meatum quẽdam huic rei destinatum, qui porus cholidocus appellatur. Bilis autem ad intestina delata, acrimonia sua, irritat, & facultatem eorum expultrice mouet; vnde fæces commodiùs excluduntur, quæ vt plurimùm flauo, vel russo colore tinctę apparent, propter bilis permixtionem. Quia verò intestina pituita multa viscida, & lenta abundare solent, hoc etiam commodum bilis præstat, quòd scilicet pituitam illam incidat, & detergat, illiusque exclusionem iuuet.

Differentiæ verò illius dupliciter constituuntur, vel quatenus in naturali constitutione sita est, vel quatenus naturæ limites excedit.

In naturali constitutione sita duplex est, flaua, & pallida.

Flaua est illa, quę in cystide continetur pura, & impermixta, quæ tam fuit commemorata.

Pallida verò sit, cum serosus quidam humor flauæ permiscetur.

Serum bili permixtum flauum illius colorem diluit, & pallidiorem reddit, necnon frigidiorem, & humidiorem.

Dum autem naturæ limites excedit, quatuor illius sunt species vitellina, porracea, eruginosa, & glastea.

Vitellina bilis colore, & consistentia crudos ouorum vitellos refert, flaua multò calidior, abeaque fit calore vehementiori alterata, & incrassata.

Dum caloris præternaturalis acrimonia bilis naturalis torretur, partes illius tenuiores dissipantur, vndè crassior euadit, & colorem acquirit magis saturatum, caloremque intensiorem. Non enim audiendus Auic. qui vult, bilem flauam in vitellinam transire per admixtionem pituitæ, nam hoc modo pallidior euaderet, & frigidior.

Porracea bilis porri colore referens vitellina calidior est, & in ventriculo vt plurimum ex prauis alimẽtis producitur.

Viridis illa est instar porri, talisque fere efficitur ex prauis alimẽtis, qualia sunt alia, cepæ, porrum, nasturtium brassica, & similia; quæ dum in vẽtriculo concoqui non possunt, & in chyli natura conuerti, exuruntur, colorem tamen suum magna ex parte retinet; vndè porracea illa bilis generatur. Notandum tamen est, hoc non fieri nisi in ventriculis calidissimis. Fit etiam interdum in alijs corporis nostri partibus ex bile vitellina à calore exutente magis calefacta, vndè illius color in viridem conuertitur.

Aeruginosa bilis æruginis colorem referens, fit ex porracea, maiori adustione.

Dum bilis porracea diutiùs commoratur in vẽtriculo, calore præternaturali, eòque intensiori affectio magis aduritur, & in æruginosam mutatur. Interdú etiam in venis fit à calore valdè intenso superiores bilis species torrefaciente, estque valdè acris, & maligna, vnde apud Hipp. deiectiones eruginosę lethales estimantur. (*Progn. X. 3. ad 10. Coac. 330.*)

Glastea bilis, ita dicta, seu glasti colorem referens, ex reliquis fit maiori incendio, ijsque omnibus deterior.

Hæc ad bilis atræ naturam accedit, & colore magis fusco, & obscuro, quàm reliquę, quem torrefactione maiore acquirit, ideò illis deterior est, & magis perniciosa.

COROLLARIVM.

Galen. lib. *de atra bile*, bilem rubram commemorat, vndè plures species videntur referendæ; sed illa non est propriè bilis, sed serum sanguinis, vt ipse Galenus explicat, *comment. 5. in 6. Epid.*

CAPVT IX.

De Melancholia excrementitia.

Melancholia excrementitia est excrementum crassum secundæ coctionis frigidum, & siccum, colore nigro, & sapore acido præditum, quod ad lienem expurgatur.

POrtio chyli crassior, & magis feculenta, quæ in substantiam alibilem non potuit ab hepate commutari; à massa sanguinea separatur, vt illa omnis impuritatis expers remanere possit: quæ quidem materia crassa, & terrena, melancholia excrementitia nominatur, atque vt commodè expurgari possit, peculiaris pars fuit constructa maximam cum illo humore habens similitudinem, quem ideò ad se allicit, & intra substantiam suam mollem, & laxam recondit, intereà tamen sanguinem melancholicum ei permixtum ad sui nutritionem separat, sibique assimilat.

Illius vsus est, ventriculi coctionem adiuuare, & naturalem in illo excitare appetentiam.

Postquam lien humorem illum aliquandiù retinuit, eiusdem onere grauatus ad ventriculum eum expellit per meatum, qui ad fundum illius terminatur, & vas breue appellatum, qui ad fundum illius terminatur, & vas breue appellatum, qui ad fundum illius terminatur, & vas breue appell

mam acrimoniam, qua partes quibus adhæret, rodit, vlcerat, & exurit; Immò in terram effusus instar aceti acerrimi, vel potius aquæ fortis eum fermentat, & bullas feruendo producit. Fit à calidissima partium intemperie, quæ contentos succos extorret, & incinerat, vel à putredinoso calore in humoribus introducto, cuius vi consumptis tenuioribus, & humidioribus partibus, crassiores remanent tanquam fæces exustæ, & incineratæ. Illa tamen incineratio tanta fieri nequit in humoribus, quin adhuc fluidam consistentiam, & propriam humoris formam retineant.

Illius vero atræ bilis quatuor enumerantur differentiæ, à causarum differentijs desumptæ, quatenus scilicet ex melancholia, bile, sanguine, vel pituita falsa generatur.

Prima atræ bilis species fit ex melancholia naturali putrefacta; & exhausta, ab eaque differt vt fæx vsta à non vsta, pruna à carbone, ferrum cadens à non cadente. *Secunda* fit ex flaua bile valdè adusta, vt enim minori vstione fit vitellina, porracea, æruginosa, & glastea; sic maiori tandem fit atra omnium perniciosissima, quæ illa verè est, quæ muscas abigit, & terram fementat. *Tertia* fit ex sanguine supra modum putrescente, aut exusto; tunc enim pars illius subtilior in bilem flauam, crassior verò in atram commutatur, siquidem magna fuerit adustio; alioqui terri illius humoris naturam nequit assumere, sed tantum in melancholiam frigidam, & siccam transibit. Cùm verò ita à caloris incendio torretur, vt caloris Empireuma retineat, veram atræ bilis naturam possidet; mitior, tamen est reliquis, cùm pristinam naturam perpetuò aliquantulum redoleat. Esse tamen atram bilem patet in tumoribus carbunculosis, qui à crassiori sanguine, & feruidiori contingunt, sæpèque in veros cancros degenerant. *Quarta*, & vltima fit ex falsa pituita, quæ longiori vstione tam mordax, & infesta euadit, vt ad confimum atræ bilis proximè accedere videatur; licet rariffima sit ista atræ bilis species, immò multi illam dari nullo modo, firmiter asseuerant: Cùm enim pituita alba sit, in nigrum colorem transire nequit, nisi per alios medios, vt flauum, viridem, & reliquos; deinde si pituita exuratur, partes illius tenuiores resoluentur, crassior verò in gypseam mutatur, quæ suam etiam albedinem retinere solet. Existimamus tamen pituitam salsam, vbi vehementiùs exuritur, tantam malitiam & erodendi vim acquirere, vt quoad qualitates spectat, nihil ab atra bile differat, quoad colorem verò album, non est absurdum affirmare, illum in nigrum posse commutari aliquando, violenta, & inæquali vstione, per fumos & fuligines, quæ cum illa permiscentur: quemadmodum videmus ligna candidissima, in carbones immediatè commutari, quando verò sensim, & æqualiter concoquitur, vt dum gypseam fit, tunc propriam albedinem non amittit.

CAPVT X.

De Sero.

Serum est excrementum tenue, & aquosum secundæ concoctionis, quod partim per vrinas, partim per sudores expurgantur.

ALimentorum coctiones elixatione fiunt, ideò quemadmodum in artificiosis elixationibus magna humiditate opus est, nè res potiùs assentur quam elixentur: sic in naturalibus coctionibus magna humiditatis copia cum alimentis debet permisceri, quæ illa est, quam largo potu circa pastus assumimus, & illa materia potulenta cum cibis in ventriculo ita miscetur, vt vna veluti substantia fiat, eaque adeo tenuis, vt lactis, vel cremoris speciem repræsentet, chylus, id est, succus ideo appellata: quod quidem ita fieri necessum fuit, vt alimenta in illa prima coctione præparata angustas illas venas peruadere possint, per quas ad hepar ferri solent, tum etiam venulas illa, quæ per substantiam hepatis dispersuntur. Postquam verò hæmatosis in hepate peracta est, non tanta ampliùs opus est humiditate; ideò maiorem illius partem, natura secernit, quæ à renibus attrahitur, & inde ad vesicam amandatur, vbi vrinæ nomen sortitur, priùs verò dum in venis continetur, serum appellatur. Portio verò seri, quæ in venis adhuc remanet, cum sanguinea massa permixta est, vt sit humorum vehiculum, ijque tenuiores facti, & magis fluxibiles, ad singulas corporis nostri particulas facilius ferri possint; postquam verò hæc seri portio officio suo omnino perfuncta est, partim ad renes remeat, & cum reliqua vrina permiscetur: partim verò ad habitum corporis fertur, & per sudores expurgantur. (*v. Mellet. lib. 116.*)

Illius vsus est, esse vehiculo humorum alibilium, vt facilè per corpus transferantur.

Hunc vsum præstat quandiu in venis continetur: Postquam enim ab eis excidit, nullum habet vsum in corpore, sicut bilis, & melancholia.

Eiusdem differentiæ quatuor sunt, nimirum sanguineum biliosum, pituitosum, & melancholicum.

Vnusquisque humor proprium, & peculiare serum habere æstimatur, naturæ, & temperiei propriæ analogum, sic serum sanguinis calidum, & humidum, & sub rubrum censetur, serum bilis calidum, & siccum, & subflauum: serum pituitæ frigidum, & humidum, & albicans; serum denique melancholiæ frigidum, & siccum, ac fusco coloræ præditum.

CAPUT XI.

De Pituita excrementitia.

Pituita excrementitia est excrementum tertiæ concoctionis frigidum, & humidum, colore album, sapore insipidum, vel subdulce, quod in variis partibus, cerebro potissimum generatur.

PArtes frigido, humidoque temperamento donatę, sanguine pituitoso nutriuntur, vnde multa excrementa producuntur, tum propter ipsius partis frigiditatem, quæ perfectam concoctionem præstare nequit, tum etiam propter humorem ipsum, qui cùm sit crudior sanguinis portio difficilius concoquitur, & magna eius pars in excrementum commutatur. Quod in cerebro valdè est manifestum: illud enim magnam pituitæ excrementitiæ copiam continuò solet colligere, quæ per os, & nares expurgatur. Cerebrum autem pituitam illam colligit, non solùm per concoctionem proprij alimenti, sed etiam propter situm sublimem, cuius ratione multi vapores à ventriculo, hepate, & alijs visceribus sursum ad caput feruntur, & à frigiditate cerebri condensantur in aqueam materiam, quę huiusmodi pituitam constituit. Hinc propter magnam illam pituitæ copiam, quæ duobus hisce modis, in cerebro colligitur. Hipp. alijque Medici cerebrum *Metropolim pituitæ, omniumque fluxionum autorem* appellarunt.

Illius differentiæ ex sapore & consistentia desumuntur.

Ratione saporis quadruplex statuitur, insipida, dulcis, acida, & salsa.

Insipida fit ex moderata frigiditate, quæ nullum efficit saporem.

Hæc maximè naturalis est, talisque in corporibus benè dispositis per sputum quotidiè reijcitur.

Dulcis ex insipida fit à calore nonnihil alterata.

Quando insipida à calore moderato concoquitur, dulcis euadit, dulcedo enim à calore: non est tamen inde colligendum pituitam dulcem esse calidam, quia dulcedo quidem intensa caliditatem arguit, non autem leuis, & moderata, sic poma frigido temperamento sunt prædita sicut, & lac, attamen quauis pituita, multo dulciora.

Acida fit a frigiditate intensiori, aciditatem inducente.

Nota, duas istas pituitæ species, scilicet acidam, & salsam, præter naturam se habere, dulcem, verò, & insipidam, secundum naturam.

Cùm exiguus pituitæ calor extinguitur, vel dissipatur, tunc illa necessariò acescit: non secus ac multorum fructuum succi, qui exiguo calore præditi, posteaquam deferbuerint facillimè acescunt, quod calidioribus non contingit, qui diutiùs in integritate sua permanere solent, vt de vino generoso patet.

Salsa pututa fit, vel ex putredine, vel ex permixtione salsæ humiditatis serosæ. Ex Gal. lib. 2. de diff. feb. cap. 6.

Ob putredinem salsa fit, quoniam cùm per putredinem siccum ab humido separetur, & siccum illud à calore putredinoso exasseretur, dum humidæ substantiæ denuò permiscetur, salsum inducit saporem. Fit verò ex permixtione salsæ humiditatis serosæ, dum illa à colore intenso salsedinem adepta, dulci pituitæ permiscetur; humiditas autem serosa salsedinem acquirit, dum calor in illam agēs exustos vapores producit, qui ei permixti salsedinem efficiunt.

Ratione consistentiæ, quadruplex etiam fiat nitur: tenuis, crassa vitrea, & gypsea.

Tenuis est, quę aqueam sortitur consistentiam, fluidaque

daque valdè est, & facilè in varias partes illabitur.

Talis est ea, quam videmus per nares stillare è cerebro, & ex ore profluere, tum etiam in plurimas partes, per media musculorum interualla, effundi.

Crassa est, cùm tenuis illa crassitiem quandam, & lentorem à calore acquisiuit.

Calor tenuiores partes resoluendo incrassat, vnde pituita illa lentorem adepta, *mucus* propriè appellatur.

Vitrea pituita crassa etiamnum est, sed pellucida instar vitri liquefacti, aut albuminis crudi oui.

Dubium valdè est, nec ab Authore vllo quod sciam, resolutum, cur, cùm *pituita vitrea*, & ea quæ *crassa* appellatur, similem ferè crassitiem habeant, vna tamen sit valdè pellucida, & diaphana, altera verò opaca. Putarem ego, illud fieri propter diuersitatem causæ efficientis, quod scilicet crassa pituita fiat à calore, vitrea verò à frigiditate: In crassa calor resoluit partes tenuiores, magisque aereas, & aqueas, quæ diaphaneitatem efficiunt, vnde remanet opaca; in vitrea verò, quia illa à frigore incrassatur, non autem à calore, ideò dum à frigore condensatur, nihil resoluitur, sed partes diaphanæ remanent, vnde pellucida apparet: quod in glacie est manifestum.

Uerùm *Dices*, Pituitam in corpore nostro tantam acquirere non posse frigiditatem, vt illius vi densior, crassiorque euadat, cùm omnia sint actu calida in corpore nostro: quicquid enim frigidum est, à parte, in qua continetur calefieri est necesse. *Respond.* Pituitam illam, ex qua vitrea producitur, summam obtinere cruditatem, ita vt à natura nequeat edomari, ideò à regimine illius destituitur tanquam indomita, & insuperabilis, tuncque ad propriam naturam redit, nimirum frigiditatem, quam ab aqua participat, & quæ non potest vinci exiguo calore partium, in quibus continetur, qualia sunt intestina, in quibus potissimùm vitrea illa pituita colligitur, & acerbissimos dolores colicos non rarò solet excitare, quia lentorem suo intestinis adhæret, & frigiditate sua vellicat, & mordet, frigidum enim mordax ex Hippoc. tanta autem frigiditate pollet, vt actu frigida excernatur quod ipse Gal. in seipso expertum testatur, 4. *de locis affectis.*

Gypsea pituita ex crassa fit, ad gypsi, vel lapidis ferè crassitiem indurata.

Hæc humoris naturam non amplius retinet, quia in solidam substantiam concreuit; ideò inter humores impropriè recensetur. Fit autem à calore omnes partes humidas absumente, ita vt partes tantùm terrestres remaneant, & indurentur in materiam tophaceam, gypso fere similem: talis sæpè deprehenditur in articulis, in quibus podagram efficit nodosam.

PHYSIOLOGIÆ

SECTIO QVARTA.

De Spiritibus, & Calido innato.

CAPUT PRIMUM.

De Spirituum natura.

Hactenus de humoribus: consequens est vt de spiritibus agamus, qui ex illis, sanguine potissimum generantur.

QUia corporis nostri spiritus ita tenuem substantiam obtinuerunt, vt sensuum aciem effugiant; atque; adeò illorum existentia ratione tantùm possit confirmari: idcircò conueniens est ostendere, illos corporibus nostris adesse, antequam eorundem naturam, & essentiam proponamus.

Primò igitur luculentissimum est contextus Hippocratis VI. *Epidemicorum sect.* VIII. 25. vbi ait, tria esse quę corporis nostri compositionem constituunt, nimirum *continentia, contenta, & impetum facientia.* Per continentia, Partes intelligit: per contenta, Humores: & per impetum facientia, Spiritus, Galeno ipso explicante. Tanta enim est spirituum tenuitas, & mobilitas tanta, vt cellerrimè quoquò versum ferantur, & omnia corporis membra fese insinuent.

Secundò, ex Platonicis spirituum necessitas ita demonstratur: natura non solet duo contraria, vel plurimùm inter se distantia coniungere, nisi per medium: sed anima, & corpus toto genere dissident, illa enim est incorporea, & immortalis; hoc verò corporeum, caducum, & mortale: non possunt ergo naturæ tam discrepantes vniri, nisi per medium quoddam, & vinculum, quod mediam quodammodo naturam inter illa duo obtineret; quales sunt spiritus, qui materiales quidem sunt, sed tanta tenuitate præditi, vt rerum immaterialium naturam æmulentur.

Tertio, idem ostendit semen prolificum, quod totum spumosum est, spiritibusque turgidùque apparet, quibus euanescentibus, remanet quidam liquor aquosus, & infœcundus.

Quarto, Ex ijsdem nutrimur, quibus constamus; sed ad nostri conseruationem necessaria est spiritus, siue aeris attractio: ergo talis aliqua substantia in nobis continetur.

Denique, Idem patefaciunt magnæ illæ cauitates quæ in ventriculis cerebri, & arterijs vacuæ reperiuntur in demortuis: in viuentibus verò distinctæ, & palpitantes conspiciuntur: quod indicat illas non potuisse aliare impleri, quàm huiusmodi spiritibus.

Est autem Spiritus substantia tenuis, lucida, & ætherea, ab exhalatione sanguinis benignoris, & aeris inspiratu genita ad vniuersas corporis functiones obeundas necessaria.

Dicitur *substantia tenuis*, quia subtilitate maxima, & celeritate incredibili totam molem corpoream penetrat, & peruadit; ac minutissimos particularum poros, & interstitia musculorum subit. Dicitur *lucida*, & illustris, non ex opinione vulgi, vt putat Argenterius, sed quia splendoris, & perspicuitatis maximè est particeps, quæ luculenter apparet in oculi pupilla admodum lucida, & probari potest ex eo, quod, vbi vapores quidam humoris melancholici, aut ingestæ crapulæ in ebrijs dominantur, accedit statim mentis perturbatio ex obscuritate eiusmodi halitum spiritibus permixtorum. Huius etiam rei luculentum dat signum Auicenna, *propterea quod*, inquit, *anima nostra*, (quæ omnes suas actiones per spiritus exercet) *gaudet luce, non tenebris, & spiritus valdè sunt alacriores die serena, quam nubilosa.* Unde patet à simili suscitari. Dicitur etiam *substantia ætherea*, quia spirituum materia per longam elaborationem ita depuratur, vt superioris illius elementi naturam æmuletur, quod cœlestibus corporibus est propinquius, & elementum, ignis siue æther appellatur.

Quod autem ex sanguinis, & aeris permixtione producantur, in differentiarum explicatione patebit.

Usus denique spiritum in fine exprimitur; non potest enim anima vllam operationem in corpore exercere sine spirituum adminiculo, quia sunt prima, & immediata illius instrumenta. *Melet. I.* 51. 59. 96. 104. 140.

CAPUT II.

De Spirituum differentijs.

Spiritus duplex est, insitus, & influens. Insitus est qui in singulis partibus ex primis principijs relictus est.

DIcitur, & *ingenitus*, *innatus*, seu *implantatus*, Græcis σύμφυτος; dum autem ex primis generationis nostræ principijs, semine scilicet, & sanguine, partes componuntur, spirituosa substantia, quæ in semine continetur, insitum illum spiritum constituit. Illum autem singulis partibus adesse, hac ratione demonstratur, quod sine illius opera influens nō possit generari, cùm simile à simili producatur. Tum etiam semen prolificum, quod ex singulis partibus deriuatur satis ostendit, materiam quandam spirituosam ex singulis partibus deriuari, & à sanis sanam, à morbosis morbidam, quæ illarum dispositiones in prole repræsentat.

Influens est, qui aliundè manat, & immittitur, insitumque fouet, ac conseruat.

Insitus spiritus, dum in partium functionibus obeundis perpetuò occupatur, facilè dissiparetur, ni continuò influentis aduentu conseruaretur, & restauraretur, ideo natura quasdam partes produxit, in quibus magna spirituum copia generatur, vt per vias destinatas; in omnes corporis partes influeret, ad spiritus insiti tutelam.

Et triplex est, Naturalis, Vitalis, & Animalis & Naturalis in iecore producitur ex tenuiore sanguinis portione, cum pauca ære permixta, & per venas influit in totum corpus, vt naturales facultates debitè exerceantur, cui addendus *Genitalis* ratione speciei conseruandæ.

Magna apud authores disceptatio reperitur de spiritu isto naturali, ex eo, quod multi eum non dari asseuerant multis rationibus commoti.

Primo

Primo, quòd Galenus de eo dubitauerit, *libro 12. method. c. 5.* Ubi sic loquitur: *Quod si spiritus aliquis naturalis est, vtique is in iecore tanquam in fonte, & venis tanquam instrumentis continetur; & primo de locis affectis, cap. vltimo*, naturales facultates ab animalibus distinguit, quòd naturales partibus sit insitæ, animales verò à principio influant in illas, tanquam lumen à sole: vnde fit, vt actiones animales in partibus non ratò pereant, licet illæ non lædantur, sed tantùm læso principio; naturales verò nunquam lædantur ipsis partibus illæsis.

Secundo, Aer est omnium spiritum materia; ex eo enim, & benigniore sanguinis exhalatione spiritus generatur. At nullæ sunt viæ, per quas aer ad hepar ferri possit. Ergo spiritus in hepate non poterit generari.

Tertio, Spiritus ab Hippocrate dicuntur impetum facientes, ergo venæ deberent pulsare, si spiritum continerent, non secus ac arteriæ.

Dari tamen spiritum naturalem hac ratione potissimum conficitur. Tres in corpore nostro actiones exercentur specie distinctæ, nimirum Animalis, Vitalis, & Naturalis: at omnis actio per spiritus exercetur, vt Galenus affirmat mille in locis, ergo tres etiam dabuntur spiritus specie distincti, nimirum Animalis, Vitalis, & Naturalis. *Si dicas* actiones naturales à spiritu insito exerceri: *Respondeo*, initium indigere influente, vt conseruetur, qui consimilis naturæ sit: & is ab hepate prodire debet.

Ad *Primam* ergo rationem in contrarium allatam, quæ Galeni authoritatibus nititur, *respondeo*, Galenum aliquando de hoc spiritu dubitasse, quoniam rudis ille est, nec adeò purus, & manifestus, vt vitalis, sed caliginosus, & magis terrestris, actionique, cui inseruit, proportionatus. Licet verò facultates partibus sint insitæ, indigent tamen spirituum influxu, vt commodè possint exerceri, & insiti spiritus dissipatio impediatur.

Ad *Secundam Respondeo*, spiritum naturalem pauco aere indigere, qui per insensibilem transpirationem, per arterias venis hepatis conjunctas, & per continuam, diaphragmatis ventilationem hepati facilè communicatur.

Ad *Tertiam Respondeo*, pulsationem arteriarum à spiritibus non dependere, sed à virtute pulsifica, illis à corde communicata. Cum autem talis facultas in hæpate non sit, venæ, quæ ab illo dependent, Pulsum non edunt; qui etiam non fuit necessarius, quoniam sanguis, & spiritus naturalis tanta non indigent ventilatione, sed sola transpiratione satis conseruantur.

Vitalis in corde generatur ex spiritu naturali, & aere, inspiratione attracto, & per arterias influit in vniuersum corpus, ad calorem natiuum conseruandum, vitamque tuendam.

Magis rationi est consonum, spiritum vitalem, qui tenuissimus est, ex spirituosa illa substantia, in hepate præparata, & attenuata, generari, quam ex solo sanguine venoso, spiritibus destituto; quemadmodum enim ex vitali animalis producitur; sic etiam ex naturali vitalem generari, est credendum. Naturalis igitur ille spiritus, ad sinistrum cordis sinum cum puriori sanguinis portione delatus, cum aere permiscetur, qui à pulmone ad eundem sinum inspiratione defertur per arteriam venosam, vnde insita cordis vi, & calore innato iugi elaboratione vitalis spiritus generatur, qui postmodum in arterias delatus, per totum corpus transmittitur, vt suo calore viuifico totum corpus foueat, & conseruet.

Animalis in cerebro generatur ex spiritu vitali, & aere, per os, & nares attracto, & per neruos influit in vniuersum corpus, ad functiones animales exercendas.

Spiritus vitalis portio ad cerebrum defertur per carotidas arterias, quæ per ceruicem decurrunt, & in ventriculis eius permiscetur, cum aere, qui ad cerebrum attrahitur per patentes oris, & narium ductus, ibique per cerebri idiosyncrasiam commutatur, nouamque formam adipiscitur, fitque spiritus animalis, actionibus animalibus obeundis idoneus; dum enim in ipso cerebro adhuc continetur, principes actiones exercet, estque proximum illarum instrumentum, dum verò per neruos in varias corporis partes influit motus, sensumque perfectionem complet. Reuera autem vnicus est spiritus, qui pro subiecti diuersitate diuersimodè agit, & virtutem naturalem, vitalem, animalem, genitalem exercet, (*Melet. I.* 53. 54. 59. 142.)

COROLLARIVM.

Spiritum animalem non dari, sequentibus rationibus confici potest.

Primo, In cerebri substantia frigida, & humida spiritus, qui calidi sunt, & tenues, non possunt generari, cum simile non nisi à simili producatur.

Secundo, Vapores omnes, qui ad cerebrum feruntur, à frigiditate illius, & densitate concrescunt, & in aquam conuertuntur. Ergo si spiritus, qui sunt huiusmodi naturæ, in cerebro continerentur, eodem modo concrescerent.

Tertio, Si talis spiritus daretur potissimum in cerebri ventriculis reperiretur; sed hoc esse non potest, illi enim ventriculi excrementis perpetuò scatent, quorum expurgationi sunt dicati, ab ijsque spiritus inficerentur.

Quarto. Si spiritus in ventriculis illis cerebri continerentur, facilè euanescerent per meatus illos, per quos excrementa expurgantur.

Quinto, Si spiritus ille in cerebro contineretur, perpetuò fierent sensationes, & cogitationes, quia animæ facultates semper adsunt, quę semper operantur, quandiu suppetunt instrumenta.

Ad *primam Respondeo*, Non esse tantam frigiditatem in cerebro, quin actu calidum existat, quæ caliditas sufficit ad spiritus animales generandos, qui non simpliciter à calore producuntur, sed ab ipsius cerebri, quæ ad frigiditatem vergere debuit, vt vitalium spirituum feruor reprimeretur, cogitationibusque & sensationibus nostris firmitas quædam, & constantia compararetur, quæ alioqui præ nimio spirituum calore delirare forent, ac furibundæ, quales sunt phreneticorum.

Ad *secundam Respondeo*, Non concrescere spiritus in cerebro, vt vapores, quia non sunt aqueæ naturæ participes, sed potius aereæ, aut æthereæ.

Ad *tertiam Respondeo*, cum Aristotele, 2. *de anima cap.* 8. Naturam ad plura munera eadem re vti posse, vt lingua ad gustum primariò, & secundario ad lotionem; naribus primariò ad odoratum, & aeris inspiratione, secundario verò ad mucosæ pituitæ expurgationem: sic cerebri ventriculi primariò ad spirituum generationem, secundariò ad excrementorum expurgationem facti sunt: cùm vero illa excrementa continuò effluant, expurgenturque; non possunt inficere spiritus animales, quandiu cerebrum secundùm naturam se habet.

Ad *quartam Respondeo*, Spiritus per illos ductus non euolare, per quos excrementa effluunt, quia ab amica partis natura, & familiaritate substantiæ retinentur.

Ad *quintam Respondeo*, ad cogitationem efficiendam tria concurrere, facultatem, instrumentum, & obiecta, quæ omnia quamdiu suppetunt, numquam cessant mentis operationes: non solum enim vigilantes, sed etiam dormientes, non ratò cogitationes exercemus, quia licèt obiecta sensuum internorum non semper adsint, adsunt ipsorum species, & facultas; vtrisque verò deficientibus, cessant cogitationes: sicut etiam propter defectum instrumenti, scilicèt spiritus animalis, qui propter multas operationes exoluitur; vnde prouida natura animantibus somnum concessit, cuius beneficio veluti factis inducijs, actiones animales feriantur, spiritusque identidem reparantur.

CAPVT III.

De Calido innato.

Calidum innatum est humidum primigenium per omnes corporis partes sparsum, spiritu insito, & calore natiuo vndique perfusum.

CAlidi nomen concretum est, quod non solùm accidens denotat, sed etiam subiectum, cui illud inhæret. Tria igitur concurrunt ad calidi innati constitutionem; nimirum humidum primigenium, spiritus insitus, & calor natiuus, in spiritu est calor perpetuò, spiritus autem insitus cum humido primigenio perpetuò iunctus est, eique permixtus, ex hisque ita vnitis calidum innatum constituitur. Hisce igitur tribus ritè intellectis calidi innati natura facilè innotescet, atque spiritus insitus satis suprà fuit explicatus, superest tantùm vt de humido primigenio, & calore natiuo agamus.

Humidum primigenium est substantia humida, pinguis, & oleosa

oleosa per omne corpus effusa, qua calor natiuus tanquam proprio pabulo conseruatur.

Vita Aristoteli definitur permansio caloris natiui in certo humido, vt igitur calor ille vitæ autor, & conseruator, in partibus diu perdurare possit, certè indiguit pabulo: non secus ac ignis noster continuo indiget fomento, vt conseruetur. Cum autem humidum duplex sit in corpore nostro, vnum aqueum, aliud verò pingue, & aere, non potest calor ille viuificus in humido aqueo sustentari, sed pingui, & aereo. Quemadmodo ellychnium, vel candela accensa non liquore aqueo sustentatur, sed oleo, vel pinguedine, aut alia huiusmodi substantia: sic arbores, & reliquæ plantæ, quæ multum sunt huius substantiæ pinguis participes, longissimæ sunt durationis, & ignem præbent luculentum, dum comburuntur: Contra vero lingua viridia, quæ plurimum habent aquæ humiditatis; vel nimis vetusta, quę humidum istum pingue amiserunt, vix comburi possunt. Cum autem oleosam, & pinguem substantiam dicimus, nõ audimus adipem, vel seuum, quæ frequentissimè in mulierculis, autijs, qui multo otio fruuntur, circa cutem, & membranas colliguntur; ossium verò, neruorumque substantiam, vix attingunt: hæc enim non sunt vitalis caloris subiectum, sed potius impedimentum actionum, vbi nimium increscunt. Natiuus verò ille, & genitalis humor, quanto magis abundat, tanto vtilior est, & commodior ad omnes functiones exercendas, vitamque producendam.

Illius origo est à primis generationis nostræ principijs, semine nimirum, & sanguine materno.

Prima generationis nostrę principia humido illo radicali plurimum abundant, vnde cum illa in partium corporis nostri substantiam transeant, fit, vt totum corpus in primo vitæ exordio humido isto plurimum abundet, quod post modum caloris natiui continua actione sensim ætatum decursu absumitur, & exsiccatur, donec ad vltimum exsiccationis terminum peruenerit vnde extremum senium, & mors naturalis contingunt.

Conseruatio verò à pingui, & oleosa alimentorum humiditate.

Dum humidum illud continuam caloris actionem patitur, citissimè absumeretur, ni nouo adueniente pabulo illud, quod deperditum est, reparetur. Illa autem reparatio fit ex alimentis idoneis, varijs coctionibus præparatis, in quibus duplex humiditas reperitur, vna quidem pinguis, & aerea, quæ ad humidi primigenij naturam proxime accedit, illiusque iacturam refarcit, alia verò aquosa, quæ communem partium humiditatem sustentat, & impedit, ne caloris vis tam citò depopuletur humidum illud pingue, & aereum: quemadmodum videmus in saccharo, melle, oleo, dum coquuntur, permixtam aquam externi ignis vim excipere, & absumi, illis integris permanentibus, aut parum imminutis. Licet verò, quod à calore absumitur, alimenti appulsu continuo reparetur; tamen illud, quod reponitur in locum deperditi, multò deterius est, magisque impurum; atque adeò in quantitate, & qualitate deficiens, alioqui vita in æternum posset prorogari; sed cum sensim minuatur humidum illud primigenium, & impossibile sit quibusuis alimentis æquale reponere illi, quod antea fuit deperditum, absolutam moriendi necessitatem adfert.

Calor natiuus est qualitas omnibus animantibus propria, & familiaris, cuius beneficio viuunt, & actiones suas exercent.

Duplex in corporibus nostris calor reperitur: vnus, qui primam corporis, & partium mixtionem sequitur, quiue adhuc remanet post interitum animantis, quamdiu mixtio adhuc remanet quæ est ex quatuor elementis, suis qualitatibus stipatis; alter, qui animantibus tantum proprius est, & viuificus appellatur, quia illo nutrimur, augemur, & conseruamur, & viuimus, quamdiu præsens est, vnde vita Aristoteli definitur, vt dictum est, conseruatio illius caloris in certo humido.

Illius origo est à primis principijs, sicut & humidi primigenij.

Prima generationis Principia semen potissimum, multis spiritibus, multoque calore refertum est; vnde calor ille in prima conceptione partes omnes delineat, easque postmodum auget, & conseruat, quamdiu in corpore perdurat,

Conseruatio vero ab humido primigenio, aere ambiente, calore influente.

Humidum primigenium est caloris natiui subiectum, & pabulum ordinarium, quod hic continuò absumit, vt seipsum tueatur: quemadmodum lucerna oleo perpetuò indiget: vt conseruetur, & ignis continua lignorum appositione. Et quemadmodum ignis augeri solet, aucta lignorum copia; & minui, illa imminuta, sic calor natiuus, auctio, vel imminuto humido primigenio, augetur, vel imminuitur. Cùm autem humidum primigenium nunquam augeatur, vt diximus, sed ab ipso vitæ exordio sensim minuatur, fit vt calor etiam continuam sui patiatur imminutionem, vsque ad extremum vitæ. Quemadmodum etiam ignis noster non solum lignis indiget, vt sustentetur, sed etiam aere ambiente, quo reficitur, ac fouetur: (in angusto enim conclaui coercitus, licet sufficientem habeat pabuli materiam, statim suffocatur, vt in medicis cucurbitulis est manifestum:) sic calor noster natiuus continuo indiget aeris appulsu, vt commode ventiletur. Ille autem aer per pulmones defertur ad cor, quod est præcipuus caloris focus: ad alias verò partes per insensibilem transpirationem, quibus deficientibus, statim calor suffocatur, vt in suspensis apparet.

Quia vero calor ille natiuus exiguus est in plurimis partibus corporis nostri, ideoque facilè in illis extingueretur; fecit prouidanatura, vt à calore influente continuò foueretur, & sustentaretur. Vnde duplex calor à Medicis constituitur, insitus scilicet, & influens. Influens autem ille à duobus caloris fontibus influit, corde scilicet, ac hepate; idque cum sanguine, & spiritibus.

COROLLARIVM.

Doctissimus Fernelius caloris istius natiui effectus præstantissimos admiratus, adeò commotus fuit, vt crederet eum non esse ex numero qualitatum elementarium; sed sublimiorem quandam habere originem, esseque prorsus Diuinum, ac cœlestem; quod ne impræmeditatus effutire videatur, sequentibus rationibus euincere contendit.

Primo. Omnis actio pendet à qualitate prædominante, sed dantur multę plantæ, vt papauer, cicuta, mandragora; & animalia, vt salamandra, quæ frigida in quarto gradu censentur, & tamen viuunt, vita autem est à calore; necesse ergo est alium calorem ab Elementari (qui in illis perexiguus est) diuersum esse, cuius beneficio viuant; & actiones suas exerceant.

Secunda. Si calor elementaris esset autor vitæ, sulphur, arsenicum, aliaque huiusmodi, quæ intensum habent hunc calorem, potissimùm viuerent: sed non viuunt, quia cœlesti illo calore, & viuifico destituuntur: cadauera etiam habent adhuc calorem illum elementarem, nullam tamen vitam.

Tertia. Si calor noster esset elementaris, non haberet contrarium calorem elementarem, febrilem puta, qui eum maximè dissoluit.

Quarto. Idem confirmat Fernelius authoritate Aristotelis *lib. 2. de generat. animal. cap. 3.* vbi ait, Calorem natiuum nullomodo igneum esse, sed aliquid diuinum, *proportione respondens elemento Stellarum.*

Verum licet summa ingenij vi, magnoque artificio inuenta sit hæc opinio, illi tamen non possumus acquiescere. Non sunt enim qualitatum corporis nostris species sine necessitate multiplicandæ; sed existimamus, caloris natiui naturam esse prorsus elementarem, quod sequentibus probamus.

Primo, corpora cœlestia non habent qualitates primas, quia essent corruptibilia. Omnis enim corruptio à qualitatibus dependent, & sic probant Philosophi, cœlos esse incorruptibiles, quia non habent qualitates: Solem etiam probant calorem non in se habere, sed eum producere in hæc inferiora ἐνεργητικῶς & virtualiter, motu scilicet, lumine, & influentia.

Secundo, Si calor natiuus esset cœlestis, non haberet contrarium, vt ipse vult Fernelius: sed habet contrarium frigus elementare; à summo enim frigore aliquando intereunt homines ob caloris natiui extinctionem: Ergò non est cœlestis.

Tertio, Si esset cœlestis, non indigeret pabulo, & licet indigeret, non haberet in corpore nostro sibi proportionatum; cœleste enim ab elementari foueri nequit. Ad hoc *respondent*, calorem illum, licet cœlestis sit, propter communionem, quam habet cum elementaribus, fieri quodammodo elementarem, aut saltem se habere elementari modo, quod non videtur sufficiens, quia cœlestia, cùm nullo modo patiantur ab elementaribus, non potest eorum natura ita immutari, vt redoleat rerum elementarium conditiones

nes, *Quarto*. Calor natiuus ex semine ducit originem. Semen autem à sanguine hortum ducit & spiritibus, qui etiam à sanguine generantur; sanguis autem est elementaris, ergò & natiuus calor.

Argumenta verò Fernelij, licet quandam veri speciem preseferant, à nobis tamen ita resolui possunt.

Ad *primum Respondeo*, calorem in corpore viuente esse duplicem: vnum quatenus mixtum est; alterum quatenus viuens. Quatenus mixtum habet quatuor qualitates primas inuicem contemperatas, atque adeo calorem, qui tantum est in potentia, cùm mixta innanimata ad tactum calida non sentiantur. Quatenus viuens, habet calorem actualem, cuius beneficio vitæ functiones exercet. Et ille calor licet mixtionem non ingrediatur, & operationes exerceat à caloris mixti operationibus diuersas; ab illo tamen specie non differt, sed numero tantum quemadmodum si piper in igne calefiat: calor ille actualis, quem acquirit erit diuersus à calore illo, quem habet à mixtione, tamen vterque est elementaris.

Ad *secundùm Respondeo*, Sulphur, arsenicum, & alia non viuere defectu animę; quę veras, & principalis est vitæ causa: calor verò est tantum illius instrumentum: causa autem instrumentalis per se nihil agit, sed pro arbitrio causæ principalis, licet calor ille mixti non concurrat ad operationes vitæ, vt diximus, sed tantum calor viuentis, quo etiam destituuntur. Cadauera etiam neque animam habent, neque calorem illum actualem, imò nuperrimè mortua calorem illum seruant per aliquod tempus, tamen non viuunt defectu animæ: Sic semen calore illo natiuo copiosè abundat, & si non viuit, hoc fit defectu animæ: quanquam Neoterici doctiores censeant esse animatum, de quo suo loco dicetur.

Ad *tertium Respondeo*, Calorem febrilem esse contrarium natiuo, quatenus intensior est. Eiusdem enim qualitatis gradus intensus, cum remisso collatus habet rationem contrarij, quia illum destruit, intensiorem efficiendo. Deinde calor febrilis est contrarius natiuo, rationis qualitatis passiuę sibi adiunctæ: febrilis enim siccus est, natiuus verò humidus.

Denique ad *Authoritatem* Aristotelis *respondemus*, eum ad effectus caloris natiui respexisse, non autem ad naturam illius. Effectus autem huius caloris diuini ferè sunt; qui tamen animæ potiùs, & illius facultatibus sunt adscribendi. Licet calor etiam noster igneus, artificiosè contemperatus effectus prodat admirabiles in arte chymica, imò, & in Culinaria, quemadmodum, & in Ægypto, (sicut narrat Scaliger,) oua excludi solent in quibusdam furnis, ea arte constructis, vt ignis calor in illis maximè temperetur, & idoneus reddatur generationi efficiendæ.

PHYSIOLOGIÆ

SECTIO QVINTA.

De Partibus.

CAPUT PRIMUM.

De Partium natura.

Pars est corpus toti cohærens, communique vitæ coniunctum, & ad illius functionem, vsumque comparatum.

HÆc *partis* definitio à Fernelio ingeniosissimè constructa à doctissimis viris postmodù fuit comprobata. Partè enim statuit id, quod sanitatis, vel morbi capax. Vultque ea omnia partis nomen non mereri, quæ, licet ad corporis constitutionem concurrant, in ijs tamen morbi non possunt contingere. Ab hac igitur definitione excluduntur humores, & spiritus, quia toti non cohærent, nec communi vita fruuntur. (*conf. in Lind. Melet. I.* 50. 51.) Excluduntur etiam pili, vngues, adeps, & medulla ossium; quia licet toti cohæreant, communi tamen vita non fruuntur, neque vere nutriuntur, sed augentur tantum per iuxta positionem. Ea etiam, quæ corpori præter naturam adnascuntur, vt tophi, calli, verrucæ, licet toti adhæerant; vita tamen non fruuntur. Imò neque carnosæ excrescentiæ partes sunt, licet toti cohæreant, & communi vita fruantur, quia ad nullam actionem, nullumve vsum sunt destinatæ.

Dices, Galenum, & Aristotelem pilos, vngues, adipem, & medullam non ratò partes appellare. *Respondeo*. Eos tunc temporis nomen partis *latè* accipere, prout significat ea omnia quæ ad corporis constitutionem concurrunt: nos verò *strictè* hic accipimus pro ijs tantum, quæ animata sunt, & sunt morborum subiecta.

Non leuis tamen est dubitatio de pilis, & vnguibus, quos inter partes viuentes enumerant Neoterici non pauci: de qua controuersia videatur Tardinus in *tractatu de pilis* elegantissimo, & Plempius.

CAPVT II.

De partium differentijs, ac primum de partibus similaribus.

Omnes partes diuiduntur in similares, & dissimilares. Partes similares sunt, quæ in partes eiusdem naturæ, & specie non differentes diuiduntur.

HÆc diuisio ex partium materia sumitur. Cum enim pars aliqua eandem, & vndique similem habet materiam, *Similaris* appellatur: si verò materia sit diuersa, *Dissimilaris* erit æstimanda. Similem autem vndique materiam dicimus habere, quæ scilicet talis ad sensum primo intuitu appareat, qualis nerui substantia est, quæ ad sensum omninò similis apparet. Attamen subtilius inquirenti, partes quędam dissimiles in eo reperiuntur, substantia enim illius interior mollis est medullosa: interna verò durior, & membranosa. Illa tamen differentia tanta non est, nec adeò conspicua, quin ad similarium partium ordinem neruus referatur. Auicenna partem similarem definit, *cuius partes idem nomine, eandemque definitionem retinent cum toto*. Sic quælibet pars ossis, os est, quælibet pars nerui, neruus. Intellige autem perpetuò, de partium materia tantum hic sermonem haberi, non autem de figura, aut vsu. Nam horum respectu, quælibet earum particula totus definitionem non retinet. V. g. neruus definitur pars similaris alba, à cerebro, vel spinali medulla orta, ad motum, & sensum toti corpori communicandum comparata, quę definitio cuilibet illius particulæ conuenit.

Et illæ sunt duplices: Spermaticæ, & carnosæ.

Spermaticæ ex seminis crassamento fiunt in prima corporis conformatione.

Duo sunt principia generationis nostræ, Semen scilicet, & Sanguinis menstruus, ex quibus omnes corporis nostri partes efformantur. Ex semine enim constituuntur prima illa stamina, quæ sunt totius corporis veluti fundamenta, nimirum, ossa, ligamenta, tendines, membranæ, & alia huiusmodi.

Carnosæ verò ex sanguine componuntur.

Partes carnosæ à spermaticis facilè distinguuntur, quòd illæ rubræ sint, & molles, hæ verò albæ, atque vt plurimum solidę, & durę quia verò sanguis calidus est, & humidus, ideò partes carnosæ calidam etiam, & humidam temperiem obtinuerunt. Non perinde tamen se habet de spermaticis, quæ, licet semen sit calidum, & humidum, sunt tamen frigidæ, & siccæ, quia seminis caliditas à spiritibus illius dependent, qui non mutantur in substantiam partis, habent enim tantum nomen efficientis in generatione, humiditas verò seminis absumitur, vt partes ex eo genitæ siccæ, & durę euadant: vnde cùm calor in humido consistat, eo absumpto, ille etiam imminuitur. (*conf. Melet. I.* 79. 80. 81.)

Caro autem partium similarium triplex est, musculorum, viscerum, & caro propriè dicta.

Maxima omnium quantitas est carnis musculosæ. Tota enim ferè corporis moles ex musculis componitur, eorumque substantia *caro* vulgò simpliciter appellatur. Viscerum verò substantia caro etiam appellatur, & maior quidem eorum pars ex sanguine solo componitur: nonnulla tamen ex semine etiam cum sanguine permixto constituuntur: qualis est substantia ventriculi, inteltinorum, vteri, & similium.

Ad partium similarium actiones ritè exercendas vna tantum requitur conditio: Earum nempe debita temperies.

Partes similares quatenus similares sunt, & ab organicis distinguuntur; vnicam tantum actionem habent nempe nutritionem: cuius gratia proprium, & conueniens alimentum attrahunt, retinent, & sibi assimilant, quod non nisi per temperiem fieri potest, pro vt enim pars aliqua varie temperata est, varium poscit alimentum, idque varie immutat: vnde similaris actio definitur, quæ à sola partis temperie inchoatur,

ab

ab eadem perficitur, & à qualibet partis portiuncula integra, & perfecta editur.

CAPVT III.

De Partibus Dissimilaribus, & Organicis.

Partes dissimilares sunt, quę in partes dissimilis naturæ, & diuersæ speciei diuiduntur.

Sic cor, hepar, renes, & reliquæ partes dissimilares appellantur: quia ex multis similaribus, scilicet membranis, venis, arterijs, neruis, & parenchymate componuntur. Sic manus, & brachium, ex ossibus, neruis, carne musculorum, cute, & reliquis constituitur.

Omnis pars dissimilaris est organica, sed non omnis pars organica est dissimilaris.

Multi dissimilare cum organico confundunt; ita vt perinde esse existiment, partes diuidere in similares, & organicas; ac in similares, & dissimilares. Falsò tamen, cum multæ partes similares sint etiam organicæ. Ossa enim, venæ, & arteriæ sunt partes similares; cum tamen sint variè conformatæ, & actiones organicas exerceant, organicæ etiam dici solent: atque ita *similares* sunt ratione materiæ, & *organicæ* ratione formæ, & figurę.

Pars autem organica ea est, quæ determinatam edit actionem vi propriæ conformationis.

Si partes similares simpliciter consideremus, & strictè, quatenus ex vnica tantum materia constant, quatenus vnicā tantum edunt actionem, nempe nutritionem; tunc organicis rectè opponi possunt: hinc enim omnes corporis nostri actiones in similares, & organicas passim diuidi solent. Et licet vnica tantum sit actio similaris, vt dictum est, organicæ tamen penè infinitæ: Et prout variæ sunt, earumque vnaquęque organo indiget variè conformato; sic quamplures instrumentarias partes constitui necessariò fuit. Hinc ortus est ingens ille partium numerus tanto artificio constructarum, vt admiranda corporis nostri compages inde oriatur.

Ad partium organicarum actiones exercendas, quatuor requiruntur conditiones, conformatio, magnitudo, numerus, & coniunctio.

Conformationis nomine tria comprehenduntur, figura, meatus, & cauitas, asperitas & læuitas.

Non potest pars organica actionem suam ritè exercere, nisi primò debitè sit conformata, atque adeò debitam imprimis figuram nanciscatur. Sic enim caput v. g. debuit esse rotundum, brachium oblongum, & ita de alijs. Deinde, partes ad sua officia exercenda certos meatus, & certas cauitates habere debuerunt. Sic venæ, & arteriæ suos habent meatus, ventriculi meatus est œsophagus, cauitas verò totum illud spatium, quo alimenta comprehendit. Tertiò nonnullæ partes vt commodè operentur, læues esse debent, vt aspera arteria, qua interiori superficie læuis est, & polita, ad vocem suauiter modulandam: *aspera* enim non appellatur, quod inæqualis sit, & rugosa (vt nos hic asperi nomen accipimus) sed quod inæquali constet substantia cartilaginea scilicet, & membranosa: Nonnullæ verò partes asperæ, & rugosæ esse debuerunt, qualis est ventriculus interiori sua superficie, vt cibos meatus contineret.

Magnitudo etiam certa, & determinata vnicuique parti tributa est, quæ actioni suæ exercendæ sit necessaria.

Sic iecur maius est corde, cerebrum oculo, & ita de alijs.

Certæ verò actiones vnica tantùm eiusdem generis parte indigent, & aliæ vero pluribus.

Sic ad loquelam vnica lingua sufficit, ad comprehensionem verò plures digiti desiderantur.

Coniunctionis nomine duo comprehenduntur, situs scilicet, & connexio.

Sic iecur in dextro hypocondrio situm est, lien verò in sinistro, intestina in medio abdomine, vterus inter vesicam, & intestinum rectum. Sic ossa ad motum efficiendum in articulationibus inuicem connectuntur: contra verò labra, & palpebræ ad sua munia excercenda connecti simul non debuerunt, sed disiuncta, & separata relinqui.

Duplices autem sunt partes organicæ, principes, & ignobiles.

Principes sunt, quæ ad indiuidui conseruationem absolutè sunt necessariæ, & toti corpori facultatem, & spiritus largiuntur.

Et illæ sunt tres, & Cerebrum, Cor, & Hepar.

Tres sunt facultates in corpore nostro, vt infra docebimus, animalis, vitalis, & naturalis, & vnaquæque facultas peculiarem sedem obtinuit in peculiari membro, in quo clariùs elucet, & à quo vniuersum corpus cum spiritibus influit, qui etiam in ea generantur: inde partes illæ *principes* fuerunt appellatæ. Hæc est antiqua, & in scholis trita Medicorum doctrina, quam in gratia tyronum proponimus, ab eaque in schola medica nefas est recessisse: licet cum Peripateticorum dogmatibus nequeat consistere, qui volunt animam cum suis omnibus facultatibus esse totam in toto, & totam in qualibet parte, vnde non opus videtur facultates influere, cùm in qualibet parte sit, & vbique operetur, si conuenientia nactę fuerint instrumenta, vnde Aristotel. *si oculus esset in pede, pes videret.* (*Mel. I. 57. &c.*)

Ignobiles sunt, à quibus facultates, & spiritus non promanant, quæve principalibus inseruiunt, & famulantur.

Sic sensuum organa solius cerebri gratia sunt constructa, sic pulmo, diaphragma, & arteriæ soli cordi temperando, expurgandoque dicatæ sunt: sic ventriculus, intestina, lien, renes, vtraque vesica propter hepar sunt condita. Vno verbo, omnes totius corporis partes *ignobiles* dicuntur, exceptis tribus principibus nuper enumeratis. Galenus tamen in *arte parua*. Testes inter principes partes enumerat, quia ad speciei conseruationem sunt necessarii. Distinguamus ergò, esse partes principes *ratione speciei*, non autem ratione *indiuidui*.

COROLLARIVM.

Quæ de singularum partium nomine substantia, temperamento, figura, situ, connexione, vsu, aliisque iam dicenda forent, tam accuratè & perspicuè docentur à Doctissimo Laurentio in sua *Historia anatomica*, & Gregor. Horstio *de nat. hum.* vt eandem cramben denuò recoquere, superfluum nimis videtur. Coniungi tamen debent quoad vasa salualia, lymphatica, lactea, sanguinis circuit, & alia nuper demonstrata ab *Anatomicis* recentioribus maximè Bartol. & Veslingio Clarissimi Blasij. (*Melet. I. 83. ad 89.*)

PHYSIOLOGIÆ

SECTIO SEXTA.

De Facultatibus, & Functionibus.

CAPVT PRIMVM.

De Facultatum, & Functionum natura.

Quia Facultates, & Functiones ab anima dependent tanquam prima causa, ideo quid illa sit, prius est dicendum.

Anima igitur est forma substantialis corporis viuentis, per quam viuimus, sentimus, nutrimur, intelligimus, & loco mouemur.

Eam definit Aristoteles ἐντελέχειαν *corpori organici, potestate vitam habentis*, quæ definitio terminis obscuris concepta est, & exquisita indiget explicatione. Nos ideò hanc nostram magis perspicuam, & ad rei medicæ cognitionem magis accomodatam æstimamus: quia, cum homo constet materia, & forma, sicut corpora omnia physica, & materia illius sint omnes partes: iam anima debet esse illius forma. Cùm enim actiones omnes dependeant à forma, & anima, sit causa & principium omnium actionum corporis viuentis, anima forma illius debet constitui. Hinc, absente anima, nulla actio in corpore potest exerceri. Vnde illa per actiones tantùm dignoscitur, quia substantiæ immateriales nonnisi per effectus dignosci possunt. Varię autem illę actiones ab anima exercentur per potentias, & proprietates diuersas, quæ illius essentiam proximè sequuntur, ab eaque immediatè dependent, & illæ proprietates facultates appellantur, de quibus nunc agendum.

Facultas est accidens proprium, & inseparabile animæ, per quod certas functiones in corpore exercet.

Facultates sunt accidentia, quæ ad secundam qualitatis speciem referuntur. Earum subiectum est Anima, cui inhęrent non tamquam accidentia communia, sed tamquam propria,

pria, & inseparabilia: unde malè Fernelius illas ab anima separari posse affirmat, quod tamen conatur ostendere exemplo auctricis facultatis, quam aboleri vult post ætatis vigorem. Attamen facultas illa nunquam aboletur, sed feriatur tantùm propter defectum instrumentorum: totum enim alimentum absumitur in nutritione, quia corpus gradius factum amplius vult nutriri, & calidum innatum debilius non potest incumbere accretioni, quam etiam natura negligit, dum ad iustam proportionem corpus perduxit: non tamen perijt illa facultas, sicut nec facultas, pocreandi in puero deperdita est, sed quiescit tantùm, vsque ad pubertatem, donec semen elaboratum inueniat, functioni suæ exercendæ idoneum.

Functio est motus actiuus, seu effectus facultatis in aliqua corporis parte.

Quemadmodum facultas formam, seu animã immediatè sequitur, ita functiones à facultatibus, dependent, tanquam effectus à suis causis. In hoc autem actiones à facultatibus distinguuntur, quod facultates animæ sint propriæ; functiones verò toti compositio. Proinde, vt actio exerceatur, non solùm debet adesse anima suis facultatibus stipata, sed etiam recta organi ad agendum dispositio, qua male constituta actiones etiam malè, vel nullo modo exercentur.

Notandum autem est, in partibus, præter actionem propriè dictam, duo alia spectari, nempe *Opus*, & *Vsum* Opus est actionis effectus, cùm scilicet illa obiectum habet reale, & permanens. V.g. chylus in ventriculo, qui ex illius concoctione fit, opus nominatur. Item & sanguis in hepate. Vsus verò partis actionem ex se non edit, sed alterius actionem adiuuat, eique commoditatem affert, vt mesenterium, quod est tantum venarum mesaraicarum sulcimentum, sic Epiploon, seu Omentum ventriculi calorem fouet, eumque contegit, tamquam vestimentum. Itaque *vsus* ab *actione* distinguitur, quod hæc in perpetuo motu consistat, nec sine eo concipi possit; ille verò in otio partis sit constitutus; Imò in de mortuis aliquando permanet, vt patet de vsu cutis, qui est ad tegendum totum corpus, & de vsu caluariæ ad cerebrum continendum. (*Melet. I. 56. ad 60. 95. ad 98.*)

CAPVT II.

De Facultatum, & Functionum differentijs.

Facultates, & functiones sun triplices, naturalis, vitalis, & animalis.

TRes spirituum differentiæ suprà fuerunt institutæ quorum vnusquisque in peculiari parte producitur, ab eaque influit in vniuersum corpus, vnde tres etiam partes fuerunt enumeratæ, illorum spirituum officinæ. Superest iam, vt tres etiam facultates constituantur, quæ in illic partibus præcipuam sedem habeant propter instrumentorum dispositionem in isque potissimùm actiones suas exerceant. Hæ actiones totidem esse debent, quot facultates, cùm earum sint effectus; imò cum facultates nonnisi per functiones innotescant, vt dictum est, triplex earum numerus inde fuit constitutus, quod tria actionum genera inuicem maximè distincta in corpore appareant, quorum vnumquodque in suas etiam species subdiuiditur, vt infra apparebit.

Quòd autem tres istæ functiones, atque adeò facultates omninò inter se distinguantur, multis experientijs patet.

Primo enim animalem facultatem à naturali distingui satis ex eo conspicuum est, quod multæ partes, vt ossa, & cartilagines, sensu, motuque priuatæ sint, & tamen viuant, & nutriantur.

Deinde, vitalem ab animali distinctam esse, hoc indicat: quòd nobis dormientibus, aut ab omni opere cessantibus, cor tamen pulsat cum arterijs, neque sequitur vllo modo imperium voluntatis. *Denique* vitalem à naturali distingui, ostendit pars atrophia laborans, aut totum corpus in marasmo, quod iam alimenti defectu contabuit, viuit tamen per facultatem à corde, quæ illud tuetur, & conseruat.

Obyciet aliquis, Galenum in *libris de symptomatum differentijs* duas tantùm facultates constituere, nempe animalem, & naturalem, vitali omissa. *Respondeo*. Galenum *ibi* naturalis nomen latè accipere, pro eo omni, quod non est voluntarium, atque ita facultatem vitalem sub naturali includere: respicit enim ibi accuratam diuidendi legem, quæ fit per opposita membra, ita vt hoc modo voluntarium inuoluntario opponatur. Cum autem functio animalis voluntaria sit, vitalis verò, & naturalis inuoluntaria, & vtraque vi naturæ tantùm perficiatur, ideò sub nomine naturalis ibi vtramque expressit, quamvis alibi distinguat multis in locis.

CAPUT III.

De Facultate, & Functione naturali, eiusque speciebus, ac primùm de Nutritione.

Facultas naturalis est illa animæ vis, qua corpus per calorem natiuum nutritur, augetur, & simile secundum speciem generat.
Et triplex est, nutrix, auctrix, & generatrix.
Hinc triplex est functio, nutritio, auctio, & generatio.

IN animatis corporibus tria maximè sunt necessaria: conseruatio indiuidui, eiusdem quantitas idonea, & conseruatio speciei. Substantia indiuidui varijs ex causis tàm internis, quàm externis continuò dissipatur, deque ea semper aliquid decedit: quod nisi reparetur alimento, animal citò interiret. Vtitaque illud corpus aliquo temporis interuallo conseruetur, prima facultas, quæ *Nutrix* dicitur, est necessaria. Quoniam autem natura rebus singulis certam definiuit magnitudinem, vt sua munera obire posset, secundo loco *Auxtrix* facultas erat necessaria, cuius beneficio corpus animatum ad illum terminum perducitur: vnde hæc potentia non formæ in materia conseruationem, sed viuentis operæ veluti finem respicit. Tandem cùm animata sint caduca, corruptionibus obnoxia, ne illorum species deficerent, *Procreatrix* erat necessaria, qua species ipsa conseruatur, licet indiuidua corrumpantur.

Nutrix facultas est illa animæ vis, qua alimentum vi caloris innati in corporis substantiam conuertitur, vt reparetur id, quod absumitur.

Illius actio dicitur nutritio, quæ est deperditæ corporis nostri substantiæ instauratio.

Calor natiuus nunquam in corpore otiosus manere solet, vt suprà fuit propositum, sed continuò in humidum agit, illudque absumit, & dissoluit. Ne igitur contabescat animal, & intereat quod deperditum est, debet instaurari, vnde ex sententia Hippocratis homo vltra septem dies viuere non potest sine alimento. Atque ita nutritio solis viuentibus erit propria; licet enim ignis ab ipso Aristotele nutriri dicatur, & augeri materia combustibili, non est tamen vera nutritio; sed tantùm impropriè dicta. Ad veram enim nutritionem, & accretionem tria requiruntur ex Aristotele *Primò*, vt ex materia extrinsecus accedente res nutriatur, & augetur. *Secundò*, vt idem numero seruetur id, quod augetur. *Tertio*, vt non solum tori, sed singulis etiam particulis facta sit accessio magnitudinis. Iam verò in ignis nutritione non manet idem numero ignis, sed ratione materiæ, quæ comburitur, fit alius, atque alius: neque omnibus eius particulis fit additio magnitudinis, vt propterea vera, & propria nutritio igni non competat, sed per analogiam tantùm nutritio dicatur.

Dices, si in nutritione alimentum conuertitur in substantiam partium, nutritio non differt à generatione. *Respondeo* non re quidem distingui, sed ratione tantum: scilicet secundùm diuersitatem totius, & partis. Nutritio enim est partis substantiæ generatio, exiguæ portionis carnis iam consumptæ generatio verò totius carnis, & totius substantiæ. Ideòque illa *adgeneratio partium*, hæc verò simpliciter *generatio* à Philosophis appellatur.

Nutrici facultati quatuor aliæ subseruiunt, attratrix retentrix, concotrix, & expultrix.

Earum verò actiones sunt: attractio, retentio, concoctio, & expulsio.

Illarum vnaquæque duplex est, officialis, & Priuata.

Officialis est quæ non solùm partis, in qua exercetur, sed etiam totius corporis nutritioni inseruit. Priuata verò, quæ partis tantùm, in qua exercetur, nutritioni inseruit.

Partes, quæ actiones edunt officiales publicum munus habere dicuntur, reliquæ verò priuatum. Sic ventriculus, & hepar actionem edunt officialem, quia non sibi solùm, sed & toti corpori alendo alimentum attrahunt, retinent, concoquunt, & expellunt. Os verò, caro, & similia priuatam actionem edunt, quia alimentum tantùm attrahunt, quod sufficit ad sui nutritionem.

Attratrix facultas est ea vis animæ, per quam partes

familiare attrahunt alimentum.

Quia omnes partes non vna, eademque substantia sunt præditæ, neque temperamento eodem; ideò quod vis alimentum illis nutriendis non est æquè aptum, sed vnaquæque pars ad se attrahit illud, quod magis sibi est familiare, per facultatem illam nutricis famulam, quæ attractrix appellatur.

Attractio priuata per calorem, & siccitatem fit.

Officialis vero tum per illas qualitates, tum etiam per villos rectos.

Omnes actiones naturales fiunt à temperie non tamen eadem omnes sed prout diuersæ sunt diuerso gaudent temperamento. Certum tamen est, omnes à calore adiuuari, sed nunc cum humiditate, nunc cum siccitate iunctas. Atque ita attractio partium singularum calore, & siccitate adiuuatur, & per eas solas perficitur, quod detractione priuata est audiendum. Officiales enim actiones non sola temperie perficiuntur, sed organis etiam indigent certo modo dispositis. Et sic attractio officialis non modo per dictas qualitates, sed etiam per fibras rectas exercetur, quæ dum sese contrahunt alimentum alliciunt.

Retentrix facultas est ea vis animæ, per quam partes attractum retinent alimentum.

Partes alimentum attrahunt, tanquam sibi familiare, & amicum illudque ideò attrahunt, vt eo fruantur. Non possunt autem eo frui, nisi aliquandiu retineant: ideò alia necessaria fuit facultas, cuius beneficio alimentum in singulis partibus retineatur.

Retentio priuata à caliditate, & siccitate adiuuatur, sicut, & attractio.

Officiales vero non solum illis qualitatibus, sed etiam fibris obliquis exercetur.

Partes naturales quæ officialem actionem exercent, tribus fibrarum generibus intertextæ sunt, rectis, obliquis, & transuersis. Rectarum beneficio fit attractio, obliquarum retentio, & transuersarum expulsio, vt mox dicetur. Ille enim omnes fibræ illa munera exercent, sese contrahendo: sicut omnes musculi, dum partes varijs motibus agitant, sese contrahendo versus suum principium, illud præstare solent.

Concoctrix facultas est illa animæ vis, per quam partes alimentum immutant, sibique assimilant.

Sic cibum tum dicimus concoctum esse in ventriculo, hepate, & alijs partibus, quando in colore, odore, sapore, & primis qualitatibus, tum etiam in substantia partibus est assimilatus. Quod ipse Galenus voluit, *lib. 8. de compositione medicamentorum*, vbi concoctionem vocat alterationem, quæ eò vsque procedit, donec alimentum in partis similitudinem sit transmutatum. Vbi etiam docet, quomodo differat *concoctio à nutritione*, nam concoctio est assimilatio, nutritio verò vnio illius quod assimilatum est. Arist. concoctionem definit *perfectionem à calore naturali & proprio, ex oppositis passiuis*: quæ nimis philosophica est, & nimis lata, nec coctionum naturam, quæ in corporibus nostris fiunt, proximè declarat.

Concoctio quælibet corporis nostri calore, & humiditate perficitur solet.

Tres apud Philosophos proponuntur concoctionis species: *Maturatio*, quæ est concoctio, quæ fit in fructibus; *Assatio*, quæ fit ab igneo calore, &, *Elixatio*, quæ fit à calido, & humido. Concoctio, quæ fit in corpore nostro, est elixatio quædam, vel alteratio elixationi similis. Fit enim à natiuo nostro calore, qui multo humore est temperatus, tum etiam alimenta, vt bene concoquantur, multo humore perfusa esse debent.

Triplex autem fit concoctio in corpore nostro, nimirum chylosis, hæmatosis. Chylosis fit in ventriculo, hæmatosis in hepate, & in singulis partibus.

Nota, concoctionem officialem ab his qualitatibus tantùm perfici, nec vllis fibris indigere, quemadmodum reliquæ tres actiones nutritioni subseruientes.

Harum coctionum modus, earumque excrementa, in *sectione de humoribus* fuerunt proposita. Si quis tamen pleniorem earum expositionem desideret, & controuersias, quæ circa illas excitari solent, consulat Andream Laurentium in *Historia Anatomica*, vbi hæc omnia fusè, & perspicuè more suo exponit.

De concoctione in genere hoc peculiare nitetur Theorema, à Philosophis, & Medicis concessum quod scilicet omnis concoctio fiat incrassando.

In laudabili concoctione humidum cum sicco permiscetur, & partes humidæ ad alendum magis aptæ, cùm terreis alimentarijs vniuntur; portio verò humida tenuior, magisque dissipabilis, actione caloris absumitur: vnde coctio procedit incrassando.

Verùm sequentia contrarium videntur demonstrare, *Primò* enim chylus ex pane confectus, eo tenuior, est sanguis chylo, spiritus sanguine, qui ex ijs consequenter generantur.

Deinde, vrinæ crudæ appellantur, si tenuiores sunt, vel crassiores: ergo coctio in certa substantiæ moderatione consistit, non autem in crassitie.

Ad *Primum respondeo*, in singulis coctionibus crassa excrementa secerni, quæ reliquam massæ alimentarię partem relinquunt tenuiorem. Illa tamen ex se, & ab excrementis distincta, crassior euadit: & hæc etiam sola dicitur concocta, reliqua verò secreta, vt inutilis. Illa enim quæ secernuntur, non sunt propriè materia coctionis subiecta, se illud tantum coctionis subiectum dici debet, quod, secretis excrementis, idoneum est ad concoctionem, à quo facta omni excrementorum secretionem, constat aliquid necessario toto tempore concoctionis vi caloris aptum effluere, atque ita rem ipsam, quæ coquitur crassescere.

Ad *Secundum respondeo*, vrinas illas, quæ ob nimiam crassitiem crudæ appellantur, crassitiem illam non habere ex propria substantia, sed ex alterius rei crassæ permixtione, quæ non potui separari propter defectum concoctionis, quę beneficio caloris heterogenea separare solet.

Facultas expultrix ea est, per quam partes post concoctionem res sibi inutiles expellunt.

Quidquid à partibus fuit attractum in illarum substantiam totum transmutari nequit, sed semper alienum remanet quidpiam, quod concoctionem accipere non potest, ac ideò tanquam alienum, & superfluum expelli debet, quod *Excrementum* hac ratione appellatur. Necessaria idcircò fuit illa facultas, qua aliena foras expelluntur, nequid naturæ noceant, Imò partes officiales non solum excrementa, sed etiam substantias vtiles expellunt, dum scilicet totum alimentum non possunt in suam naturam conuertere, postquam illud aliquandiu retinuerunt, eoque oblectatæ sunt, tanquam onus superfluum, & inutile pondus ad alias, artes deponunt. Et hac ideò ratione ipsæ substantiæ alimentariæ excrementa vtilia appellantur ratione partium; quæ eas expellunt, quia quodcunque expellitur, vel excernitur, excrementum communi vocabulo solet nuncupari.

Expulsio priuata per calorem, & siccitatem fit.

Officialis vero tum per illas qualitates, tum etiam per villos transuersos.

Nulli debet esse mirum, cur attractio, retentio, & expulsio, cùm sint actiones valdæ diuersæ, ab ijsdem qualitatibus perficiantur, nempè calore, & siccitate; nam hoc peculiariter demonstrat, superiorem actionum causam esse agnoscendam, quàm temperiem, quæ est tantum instrumentum formæ. Sic vno, & eodem instrumento artifex diuersa ad modum opera perficere solet, licet negandum non sit, diuersos caloris, vel siccitatis gradus ad hanc, vel illam actionem magis requiri, qui tamen nobis sunt incogniti.

Fibræ verò transuersæ expulsionem officialem valde iuuant, quia illæ potissimum dum contrahuntur, partem comprimunt, per compressionem autem fit expulsio.

COROLLARIUM.

Facultatem, & functionum nutritioni ministrantium numerus mancus, & deficiens quamplurimis videtur, quia præter functiones iam allatas multæ aliæ proponuntur à Galeno, & alijs auctoribus: at quot functiones reperiuntur, tot etiam facultates earum causa erunt agnoscendæ.

Primo igitur Galenus appetentiam in ventriculo constituit, non solum animalem, quæ sensu percipitur, & fames appellatur: sed etiam naturalem, qua conueniens alimentum naturali appetitu desiderat, qua etiam præditæ sunt singulæ corporis partes.

Secundo, idem Galenus præter iam dictas facultates, secretiuam, & distributiuam enumerat. *Primo* enim *de facult. nat.* cùm docuisset concoctricem in venis, & partibus inesse, addit, opus esse secretrice, vt ea, quæ superflua, vel inutilia sunt, ab vtilibus separentur, deinde expellantur: Et 5. *de symptomatum causis*, symptomata recenset, quę secretionis, & distributionis vitio contingunt, ictterus enim secretionis defectu fit, atrophia verò distributionis.

Tertio

Tertiò, appositio, & assimilatio à reliquis prædictis differunt, ergo plures sunt constituendæ.

Ad *primum respondeo*, Appetentiam ab attractione non differre reipsa, sed tantum ratione; est enim insita illa attrahendi vis non promiscuè, sed cum delectu, illius scilicet, quod partibus familiare existit.

Ad *secundum respondeo*, distributionem, & secretionem non esse distinctas facultates, sed potiùs mixtas, quæ ad aliarum operationes consequuntur. Distributio enim alimenti per corpus vniuersum fit, alijs partibus expellentibus, in quibus humor redundat, alijs verò trahentibus, in quibus deficit, vt ipse Galenus testatur. Atque ita partim ab attractrice, partim verò ab expultrice dependet. Sic etiam secretio tum solet fieri, cùm retentrix partium facultas illud, quod sibi vtile est, seruat, expultrix vero inutile expellit.

Ad *tertium respondeo*, appositionem, & assimilationem non esse ab aliqua facultate peculiari, sed varios tantùm esse concoctionis gradus, ita vt à primo alterationis motu vsque ad perfectam ὁμοίωσιν per intermedia progrediatur.

Quod autem è Galeno ista omnia proprijs, ac distinctis nominibus doceantur hoc factum est clarioris doctrinæ gratia, non autem quòd sint reuera distinctæ ab alijs actionibus.

CAPVT IV.

De Auctrice facultate, & de Accretione.

Auctrix facultas est illa vis animæ, qua corpus ex alimento in suam substantiam conuerso, in omnem dimensionem extenditur, & iustam magnitudinem consequitur, ad actiones conuenientes exercendas.

Hinc Auctio, siue Accretio est corporis in quamvis dimensionem, scilicet in longum, latum, & profundum ampliatio.

HInc distinguitur accretio *naturalis* ab ea, quæ *arte* fit, illa enim quæ artificiosè augentur, vel extenduntur, tantum amittunt in longitudine, verbi gratia, quantum illis accedit in latitudine, & contra. Distinguitur etiam hoc modo vera accretio à *pinguefactione*, quia pinguefacio non fit secundùm omnes dimensiones, sed maximè tantùm secundum profunditatem. Distinguitur etiam ab accretione lapidum, & metallorum, quæ fit per *iuxtapositionem*, non autem per internam partium amplificationem, ex alimento per nutritionem conuerso. Eadem enim via procedit ac nutritio, eademque materia partes augentur, qua nutriuntur.

Licet accretio fiat per viam nutritionis, ab ea tamen realiter distinguitur.

Auctrix ista facultas, ita coniuncta est nutrici, vt citra illius opem nequeat compleri. Unde multi vnam eandemque facultatem esse asseruerunt: propterea auctricis nulla est propria actio diuersa à nutrice, sed quando tantum reparatur ex alimento confecto, quantùm quotidiano effluuio perierat, tunc corpus simpliciter nutriri dicitur: quando verò plus reponitur, tunc augetur, & accrescit. Sed magis, & minus non variant actionis speciem, quare facultas auctrix à nutrice non erit diuersa, cum vnum & idem habeat obiectum, nempè nutrimentum.

Certum tamen est has duas facultates plurimùm inter se differre, idque multis modis: *Primo* enim fine inter se differunt. Nutricis enim finis est instauratio partium consumptarum: Auctricis verò iuste magnitudinis acquisitio. *Secundo* differunt forma, nutritionis enim forma est vnio alimenti, accretionis verò motus extensionis. *Tertio* differunt modo mutationis, in nutritione enim nulla fit mutatio corporis secundùm locum, at quod augetur, locum mutat, quod enim augetur maiorem occupat locum. *Quarto* differunt ratione temporis, nutritio enim omni tempore fit, accretio verò definitum habet durationis tempus.

Accretionem autem non fieri ex redundantia alimenti, peracta scilicet nutritione, inde patet, quod crescere, & augeri videantur, qui pauca admodum vtuntur nutritione, vt patet in pueris, & adolescentibus morbo detentis, qui licet valdè emaciati, continuò tamen crescunt, propterea quòd auctrix facultas ea potissimum ætate operatur, & ita potens est, vt ipsi nutrici alimentum subripiat ad partes solidas augendas: Accretio enim fit circa solidas partes potissimùm, ossa nimirum, ad quorum extensionem totum corpus extenditur. Ideò auctricis vi alimentum ad illas partes rapitur, & carnosæ debito suo nutrimento defraudantur: vnde qui crescunt, vt plurimùm macilenti apparent: Contrà verò multi conspiciuntur pingues, & bene saturati, atque opiparè viuentes, qui tamen debitam, & decentem corporis proceritatem non attingunt.

Licèt autem auctrix facultas, & nutritiua idem habeant obiectum, scilicet nutrimentum, eo tamen vtuntur diuerso respectu. Nutritiua enim facultas eo vtitur, quatenus substantiam partis conseruat simpliciter: Auctrix verò quatenus substantiæ magnitudinem, & iustam quantitatem intendit. Nam quamvis substantia, quæ nutritione acquiritur quanta sit, quoniam materialis substantia absque quantitate consistere nequit: nutritio tamen substantiam non respicit, quatenus habet quantitatem, sed tantùm quatenus est substantia. Accretio verò eam substantiam respicit, non quatenus est substantia, sed quatenus habet quantitatem. Sic quatenus mutatur sanguis in carnem, verbi gratia, eatenus est nutritio, quæ solam carnis respicit substantiam: quatenus verò mutatur in carnem maiorem, eatenus est accretio, quæ non respicit substantiam carnis, sed tantum illius quantitatem.

Terminus accretionis non est continuus vsque ad finem vitæ, sed vt plurimùm ad vigesimum quintum, vel trigesimum ætatis annum extenditur.

Vnicuique corpori viuenti certus magnitudinis terminus est à natura constitutus; ideoque tamdiu crescit corpus viuens, quamdiu ad terminum illum non peruenit. Cùm verò debitam suam magnitudinem assecutum est, ex præscripto naturæ, in ea acquiescit, neque vlteriùs in crescendo progreditur. Deinde, cùm accretio pendeat immediatè ab extensione solidarum partium secundum trinam dimensionem; sequitur corpus tamdiu crescere, quamdiu singulæ illius partes possunt hoc modo extendi. Iam autem progressu ætatis ob continuam humidi primigenij resolutionem à calore natiuo factam solidæ illæ partes ita tandem indurantur, & exsiccantur, vt ampliùs non sint idoneæ ad extensionem.

Quamvis autem post dictum tempus auctrix facultas non ampliùs operetur, non tamen corrumpi, aut otiosam manere dicendum est, vt voluerunt quidam, quia non est necesse animæ facultates semper esse in actu secundo, & operari: non enim semper intelligimus actu, generamus, aut loco mouemur, & propterea quoque non est necesse nos semper auguri, sed facultates feriantur, cùm finem propositum sunt adeptæ. Sic etiam auctrix cessat adepto fine, nimirum iusto magnitudinis termino. Deinde est impedita, quia non habet subiectum dispositum, scilicet corpus extensioni aptum. Est igitur duplex causa: vna à fine, altera à subiecto desumpta.

CAPVT PRIMVM.

Hinc sese offert problema scitu dignum: cur omnes homines ad eandem magnitudinem non perueniant, sed quidam sint alijs multo proceriores, quidam verò breuioris staturæ? *Respondeo*, triplicem esse huius rei causam: *Prima* desumitur ex diuersa corporum dispositione: quo enim corpora sunt humidiora, & calidiora, eò sunt aptiora ad extensionem, magisque, & citiùs crescunt, quàm frigida, & ficca, quorum partes non ita sunt extensioni aptæ. *Secunda* sumitur ex nutritione: quò enim perfectiùs, & copiosiùs nutritur corpus, eò etiam magis, & velociùs crescit, & quo imperfectiùs, & partiùs eò minùs, & tardiùs. *Tertia* sumitur à similitudine parentum: ex proceris enim parentibus filij proceri, ex paruis parui oriuntur, quia semen omnium partium ideam, omnesque earum conditiones transfert à parentibus in liberos.

CAPVT V.

De Genetrice facultate, & de Generatione.

Generatrix facultas est ea vis animæ, qua homo sibi simile producit, ad perpetuam speciei conseruationem.

Hinc generatio est sui similis productio.

GEneratio apud Philosophos duplex est, vniuoca, & æquiuoca. *Vniuoca* dicitur ea, in qua vnumquodque sibi simile generare solet: talis est generatio omnium animalium perfectorum. *Æquiuoca* verò est, in qua res diuersæ, & dissimilis naturæ generantur; talis est generatio animalium imperfectorum, quæ ex putredine oriuntur. Ergo perfectis animalibus potissimùm competit generatio vniuoca: vnde muli, & eunuchi non sunt apti ad generandum.

Hinc patet generationis nomen non ita latè vsurpari apud Medicos, quemadmodum apud Philosophos, qui omnem formæ in materiam introductionem generationem appellant: hic verò tantum sumitur pro sui similis productione, & *procreatio* appellatur.

Generatrici facultati duæ aliæ subseruiunt: alteratrix, & conformatrix.

Alteratrix est, quæ subiectam generationis materiam alterat, & immutat.

Subiecta generationis materia est semen, quod in variarum partium naturam transire nequit, nisi prius omnes illius qualitates, tàm primæ, quàm secundæ, variè immutentur: ideò tributa est animæ peculiaris facultas, quæ munus istud perficiat, alteratrix, seu immutatrix ideò appellata.

Conformatrix est, quæ toti corpori, & singulis eius partibus debitam formam, & figuram largitur.

Seminalem materiã alteratam, & præparatam excipit facultas conformatrix, ex eaque omnes corporis partes effingit, & vnicuique harum debitam magnitudinem, figuram, situm, connexionem, & alia omnia commodè assignat, quæ ad cuiusque peculiares actiones commodè exercendas requiruntur.

COROLLARIVM.

Reliqua omnia, quæ à facultate generante dependent fusius exponentur in *sequenti sectione*, in qua de hominis procreatione agetur.

CAPUT VI.

De Facultate Vitali.

Facultas Vitalis est ea vis animæ, per quam spiritus vitales in corde generantur, & vita in toto corpore conseruatur.

PEculiarem esse in corde facultatem à reliquis distinctam, indicant spiritus: qui magna copia à corde influunt in arterias. Omnis autem spiritus est alicuius facultatis instrumentum. Facultas autem illas spiritus vitales generat in corde, qui spiritus sunt subiectum caloris influentis quæ duo in singulas corporis partes diffundantur, earumque calorem, & spiritum insitum conseruant. Cùm autem in calore insito vita constituatur, illius conseruatio erit vitæ conseruatio; vnde hæc facultas Vitalis, seu vitam conseruans, rectè appellatur. Atque adeo vita erit actio ab illa facultate, tanquam effectus à sua causa, dependens.

Vitali facultati ministrant pulsus, & respiratio.

Malè afferunt quidam pulsum esse præcipuam actionem vitalem, eamque à facultate vitali dependere immediatè: nam vita, vt diximus, ab illa proximè dependent; pulsus verò est tantùm actio illi ministrans, orituraque à facultate pulsifica cuius tantum vis est, cor, & arterias dilatare, & constringere, quomodo facultati vitali inseruit.

Pulsus est functio cordis, & arteriarum, composita ex systole, & diastole cum intermedia quiete, orta à facultate pulsifica cordis, ad spirituum vitalium generationem adiuuandam, eorumque distributionem per totum corpus efficiendam.

Pulsus cordis, & arteriarum ex tribus partibus componitur, diastole nimirum, systole, & intermedia quiete. Per *Diastolem* cor, & arteriæ implentur. Cor quidem dum dilatatur, aerem attrahit à pulmonibus per arteriam venosam, & sanguinem à vena caua, vt ex illis in sinistro sinu commixtis spiritus generetur. Arteriæ verò dùm dilatantur, spiritus attrahunt à corde, ijsque implentur, tunc etiam aerem externum per orificia, quæ ad cutem desinunt. Et hoc modo fit *transpiratio*, quæ aeris externi intromissione calorem internum contemperat, & fouet; omne enim calidum frigido moderato conseruatur ex Hippocrate.

Per systolen, siue constrictionem cor fuliginosa excrementa ex spirituum generatione orta, per arteriam venosam ad pulmonem expellit. Arteriæ etiam fuliginosos vapores in ipsis contentos, per insensibilem transpirationem expellunt, & spiritus ad partes maiori copia amandant.

Denique inter systolen, & diastolen *intermedia* quies contingit, quia non potest fieri transitus ab vno contrario ad aliud, nisi per medium.

Dubium esse potest quò feratur sanguis, & spiritus in corde contentus dum illud constringitur? *Respondeo*: duas esse auriculas in corde vnam scilicet in dextro sinu, alteram verò in sinistro illæ autem dilatantur, dum cor constringitur, atque ita implentur: dextra nimirum sanguine in dextro sinu contento; sinistra verò spiritibus, qui in sinu sinistro continentur.

Ad pulsum autem efficiendum tria requiruntur: facultas, instrumenta, & vsus.

Primò requiritur facultas pulsifica, quæ est primarium agens, & principale. Secundò instrumenta requiruntur pulsui apta, nimirum cor, & arteriæ, quæ à facultate illa commouentur. Tertiò denique requiritur vsus, & necessitas, facultatem ad agendum impellens, nimirum spirituum generatio, caloriſque natiui conseruatio.

Respiratio est actio partim animalis, partim naturalis, qua per os ducitur aer ad pulmones, distento thorace, & vapor fumidus excluditur eodem contracto, ad natiui caloris conseruationem, & spiritus vitalis generationem.

Respirationis, sicut & pulsus tres sunt partes: *inspiratio & expiratio, & intermedia quies*. Inspiratione thorax dilatatur per musculos huic rei destinato, & ad thoracis dilatationem pulmo etiam dilatatur, ne vacuum detur in illa cauitate, atque pulmo aere impletur, tanquàm follis, eoque aere inspirato cordis æstus temperatur, & spiritus vitales generantur, vt dictum est. Expiratione verò thorax, & pulmo contrahuntur, seleque contrahendo, aerem calidum, & fuliginosos vapores à corde emissos foras excludunt.

Ad respirationem etiam efficiendam tria concurrunt, facultas, instrumentum, & vsus.

Primò, concurrit facultas animalis, musculos thoracis mouens, tum etiam naturalis insita, quæ pulmonem impellit ad motum, vt cordi auxilietur.

Secundò, concurrunt instrumenta, seu partes omnes respirationi dicatæ, Ac *denique* vsus, seu necessitas respirandi, ad calorem cordis temperandum, (*conf. Meier. I.* 103. *&c.*)

COROLLARIVM.

Maximè controuertitur, an respiratio sit purè animalis, an verò mixta, scilicet, partim animalis, partim naturalis? Cuius rei elegantem disputationem vide apud Laurentium quæst. 20. lib. 9. Horstium de natur. human.

CAPVT VII.

De Facultate, & Functione animali, ac primùm de principibus facultatibus.

Facultas animalis est ea vis animæ, per quam homo sensum, motum, & principes animi functiones exercet. Principes sunt tres; imaginatio, ratiocinatio, & memoria. Imaginatio est illa actio animæ, qua omnium obiectorum species, quæ sensibus externis offeruntur, percipiuntur & à se inuicem discernuntur.

VNusquisque sensus proprium, & peculiare habet obiectum, (vt infrà apparebit) cuius speciem recipit in proprio organo: eam tamen non dijudicat, hoc enim pertinet ad solam imaginationem, ad quam feruntur species per spiritus qui à cerebro influunt per neruos ad sensuum instrumenta. Cùm igitur cerebrum sit sedes principum facultatum, dum sensuum, diuersorum obiecta illi communicantur, primò illa in imaginatione repræsentantur, & à se inuicem distinguuntur, quod sensus peculiares nequeunt præstare: visui enim, verbi gratia, lactis albedo sola repræsentatur, non autem dulcedo; gustui verò contra, dulcedo, & non albedo: At imaginatio vtrumque simul percipit, & rectè distinguit, cuius sensus sint obiecta. Præterea imaginatio non solùm res præsentes, sicut sensus, sed etiam absentes percipit, & in animo repræsentat, multaque inde componit, quæ simul nunquam extiterunt, ex analogia tamen eorum, quæ sensibus sunt conspicua.

Philosophi eas animi operationes, quas nos sub imaginatione cum Galeno complectimur, in duas species distinguunt, scilicet in sensum communem & phantasiam, siue imaginationem; voluntque sensum communem species tantum percipere obiectorum præsentium, imaginationem verò etiam res absentes sibi proponere, ac si præsentes essent, nec non res, quæ non sunt, quæ etiam sunt impossibiles, sibi pro-

proponere. Cum autem hęc tantùm differant modo operandi, non est necesse à facultatibus specie diuersis dependere.

Ratiocinatio est illa animæ actio, per quam homo discurrit, intelligit, & ratiocinatur.

Hæc homini est peculiaris, cum reliquæ sint etiam brutis communes. Illa autem species rerum ab imaginatione recipit, easque diuidit, ac componit, earumque naturam, & essentiam inuestigat, discursus beneficio, necnon bona à malis, & vera à fallis distinguit, ex ijsque multa elicit, quæ sub sensum non cadunt, quæ tamen vera esse mens certò cognoscit. Hinc ortæ sunt omnes scientiæ, quæ adhuc sublimioris huius facultatis vi addiscì, & edoceri solent.

Memoria est illa animæ operatio, quæ receptas rerum species retinet, & conseruat.

Rerum species semel in animo receptæ diu conseruantur: ita vt longo etiam tempore, postquàm à sensibus sunt perceptæ, menti, & imaginationi repræsententur. Ideò constituta est tertia facultas à reliquis distincta: quæ omnes illas species conseruat, tanquam horreum quoddam, ex quo illæ depromuntur, quando opus fuerit.

Philosophi aliam operationem constituunt distinctam à memoria, scilicet *reminiscentiam*, quæ illa reducit, quæ memoria exciderunt, ea colligendo ex ijs, quæ adhuc retinentur. Putamus tamen cum Galeno, reminiscentiam esse opus memoriæ, cum se reflectit in seipsam. Memoriæ enim opus non est, rerum species solùm retinere, vt multi putant: ita enim non esset potentia cognoscens, sed seruans tantùm species; sed memoriæ est recordari rerum absentium, vt res sunt actæ; atque ita *reminisci* est memoriæ vlterior quidam motus, non actio diuersa. (*conf. Melet. I.* 131. 132.

COROLLARIVM.

Celebris quæstio inter Medicos solet agitari, an facultates principes in cerebro locis distinguantur: quam vide apud Laurentium, *quæst.* 2. *lib.* 10. egregiè pertractatam.

CAPVT VIII.

De Somno, & Vigilia.

Ad functiones cerebri internas referuntur Somnus, & Vigilia: de ijs ergo nunc agendum.

OMnes Philosophi Somnum, & Vigiliam referunt ad sensum communem. Volunt enim somnum esse illius, atque adeò sensuum exteriorum cessationem; vigiliam verò actum, & exercitationem eorúdem: Undè cùm nos sensum communem sub imaginatione complectamur, cùm & insomnia (de quibus acturi sumus) ad imaginationem spectent etiam strictè sumptam, ideò aptus hic erit de his agendi locus.

Est autem somnus quies, siue cessatio sensuum interiorum, & exteriorum, ad corporis recreationem instituta.

Vigilia verò nihil aliud est, quam eorumdem sensuum liberum exercitium.

Per sensus interiores hic intelligimus potissimum actionem illam internam, per quam fit receptio specierum, quæ à sensibus externis feruntur ad imaginationem: illa enim operatio per somnum cessare solet, non autem imaginandi actio, ratiocinandi, aut memorandi, quæ inter dormiendum non rarò exercentur. Imò ipsorum sensuum non est omnimoda cessatio: dormientes enim violenta percipiunt obiecta, vt clamores, concussiones, & alia huiusmodi, atque ita licet somnus dicatur priuatio, Vigilia verò habitus; non est tamen priuatio totalis, sed huiusmodi, vt ab ea ad habitum facilis sit regressus, atque ita veræ priuationis essentiam non complet.

Causa somni proxima, & immediata est spirituum detentio, & prohibitio, ne influant in organa sensus, & motus.

Prohibetur autem influxus spirituum à vaporibus, cerebrum oppulentibus, illiusque meatus obstruentibus.

Somnus naturalis, & quietus tunc solet fieri, quando vapor benignus, & veluti roridus ex alimentis in cerebrum fertur, eiusque ventriculos, & meatus perfundit, vt spiritus retineantur, & animales actiones consopiantur. Quod autem ex huiusmodi vaporibus in cerebrum delatis somnus excitetur, inde patet, quòd ex copioso cibo, & potu, meri potissimùm, somnus longus, & profundus excitetur, at ex his multi vapores ad cerebrum feruntur. Qui verò sobrij valdè sunt, aut inedias patiuntur, parum dormiunt: quia pauci vapores ad cerebrum feruntur, qui cito dissipantur. Tunc enim somnus cessare solet, postquam vapores illi à calore natiuo fuerunt resoluti.

Prohibent etiam spirituum influxum ea, quæ illos multum dissipant, vel obtendunt, aut alio quouis modo sistunt.

Præcipua somnis causa, spirituum influxum prohibens est vaporum copia ad cerebrum delata. Sunt tamen multæ aliæ, quæ minùs efficaciter, aut saltem minùs naturaliter idem præstare solent. Verbi gratia, quando spiritus animales sunt ita exoluti per diuturnos labores, intensiores animi cogitationes, studia, & curas, vt non suppetat sufficiens eorum copia ad influxum ordinarium efficiendum, sed natura eos retineat, & calorem influentem, ad deperditorum reparationem. Sic etiam à rebus frigidis assumptis, vel admotis, spiritus quasi cogelati subsistunt, & intercipiuntur. Sistuntur etiam non rarò spiritus ab ijs, quæ animum demulcent, & inquiete constituunt, qualia sunt suauis cantus, strepitus aquarum, cessatio cogitationum, animi securitas, & alia huiusmodi.

Finis denique somni est virium animalium, & totius corporis instauratio.

Per somnum vires animales primariò instaurantur, quia illæ longa, & multiplici sensatione defatigatæ somni beneficio restituuntur, & spiritus per vigilias exhausti instaurantur, membraque motu defatigata, ad pristinam naturam, & functiones redeunt. Deindè somnus quoque conducit secundariò ad actiones naturales feliciùs perficiendas, quæ per animales operationes in vigilia quodammodo impediuntur. Tempore enim somni, calore intus se recipiente, coctiones melius fiunt, nouaque materia spiritibus gignendis suggeritur, excrementa mitigantur, & minuuntur, meliusque concoquuntur. *Melet. I.* 142.

CAPVT IX.

De Somnijs.

In somnium est phantasma rei alicuius sensilis, animali inter dormiendum occurrens.

DVm animal vigilat, & exercet sensus exteriores, deferuntur ab obiectis sensibilibus simulachra ad cerebrum, & vi spiritus anamalis impressa, ibi conseruantur. Quando igitur idem animal dormit, & cessat à sensibus exterioribus; tunc simulachra illa, nisi impuritate aut turbulento motu spiritus animales obscurentur, & obliterentur, rursus animali in somno occurrunt, & apparent: quo fit, vt animal iudicet, se reuerà sensibus externis res illa cognoscere, quæ à simulachro repræsentantur.

Contingunt autem vt plurimum insomnia horis matutinis, quia manè peracta digestione, purior est spiritus animalis, propter vaporum crassorum resolutionem, & abrumptionem à calore natiuo: ideoque tunc clariùs, & perfectiùs species rerum imaginationi offeruntur, & repræsentantur. Quemadmodum enim in aqua turbata nulla penitus effigies, aut valdè deformis repræsentatur; ita in cerebro magna halituum copia detento, aut nulla penitus insomnia formantur, aut valdè indistincta, & minimè cohærentia.

Insomnia autem sunt vel supernaturalia, vel naturalia.

Supernaturalia sunt vel diuina, vel diabolica.

De his agere non est locus, sed ea ad Metaphysicos, vel Theologos relegamus.

Naturalia fiunt, vel ex relictis vestigijs imaginum, interdiu formatarum, vel ex certa quadam corporis dispositione.

Pleraque somnia oriuntur ex imaginibus earum actionum, quas interdiu exercuimus; illę enim quia nuper in spiritus animales impressæ sunt, ideò etiam firmiùs hęrent, & per operationem imaginationis nocturnæ faciliùs renouantur.

Fiunt etiam vt plurimùm ex varia corporum dispositione, varioque eorum temperamento. Sanguineis enim calores rubri, conuiuia, musici contentus, nuptiæ, oscula, res venereæ, horti, & id genus alia ad voluptatem pertinentia, per somnum repræsentari solent: Biliosis colores flaui, rixæ, bella, homicidia, incendia, volatus, & similia: Pituitosis colores albi, aquæ, nauigationes, nationes, submersiones, pisces, & alia huiusmodi: Melancholicis colores nigri,

tenebræ, cadauera, sepulcra, & spectra diabolica.

Nota tamen, astrorum influxum non raro concurrere cum corporis dispositione ad insomnia efficienda, & illa potissimùm aliquam habere solent significationem. (*Meletem. I. 144.*)

CAPUT X.

De Facultatibus minus principibus.

Facultates minus principes duæ sunt sentiens, & mouens. Sentiens facultas est ea vis animæ, per quam obiecta externa per medium idoneum delata in proprijs organis percipiuntur.
Illius verò actio sensus, siue sensatio appellatur.

AD sensum autem efficiendum quatuor requiruntur: primùm, instrumentum bene dispositum; secundum obiectum proportionatum; tertium, medium per quod fit multiplicatio specierum à re sensibili; quartum, conueniens distantia inter obiectum, & sensum, vt recta illius perceptio fieri possit.

Ejus species sunt quinque, visus, auditus, olfactus, gustus & tactus.

Visus est sensus quo homo obiectum visibile per medium diaphanum, actu illuminatur, oculis percipit.

Auditus est sensus, quo homo obiectum audibile, per medium ἀκτὸν, id est, *sonis deferendis aptum*, auribus percipit.

Olfactus est sensus, quo homo obiectum olfactile, per medium ὀσφρητὸν, naribus percipit.

Gustus est sensus, quo homo obiectum gustabile, per medium διὰ χυμῶν, lingua percipit.

Tactus est sensus, quo homo obiectum tactile, per medium ἁπτοῦ, quauis corporis parte carnosa, & neruosa percipit.

Facultas mouens est illa animę vis, qua homo virtute propria se mouet localiter.

Hæ omnes facultates, & functiones minus principes tam exacte edocentur in Physicis vt in ijs tempus non esse terendum existimemus. (*Melet. I. 122. &c.*)

PHYSIOLOGIÆ

SECTIO SEPTIMA.

De hominis procreatione.

CAPVT PRIMVM.

De semine vtriusque sexus.

Ad hominis procreationem duo sexus requiruntur mas ni-mirum, & fœmina: ex quorum mutuò congressu semen prolificum ab vtroque effunditur, ex quo in vteri sinum recepto, prima fœtus rudimenta componuntur.
Esi autem semen humanum substantia humida, & spirituosa, in testibus elaborata, ex residuo tertiæ coctionis alimento, hominis formam potestate continens, & ad fœtus partes producendas non solum virtualiter, sed & materialiter concurrens.

MVlti solent asserere semen ex solo sanguine in hepate confecto generari ex eo commoti, quòd videantur vasa spermatica deferentia sanguine turgida, sicut aliæ venæ, & per nimios coitus sanguis soleat effluere. Verum cum ista materia vim & ideam totius corporis referre debeat, ita vt similitudinem liberorum cum parentibus illi potissimum ascribere soleamus satius esse ducimus asserere, illam à singulis partibus deriuari, ex residuo scilicet alimenti tertiæ concoctionis quod quia à partibus non fuit valde immutatum, non est mirum, illud ideam sanguinis adhuc retinere. Non est tamen existimandum, ex minimis quibusuis particulis, quæ cogitatione potiùs quàm sensu possunt comprehendi materiam istam deriuari, sed ex singulis partibus similaribus, quæ sensibilia corporis nostri elementa vocantur potissimum verò à principibus, quæ spiritus illos viuificos, totius ideam, & characterem referentes, suppeditare possunt.

Ad id verò, quod *obiciunt*, sanguinem per nimios coitus excerni, *Respondeo*, naturam seminalem antequam in testibus elaboretur, sanguinis ideam referre, quia ex illo facta est in partibus tamen aliquatenus immutato, & quandam in ijs elaborationem adepto.

In semine duæ sunt partes, Spiritus, & Crassamentum.

Spirituum beneficio semen turget, & spumescit. Turget quidem, quia spiritus sunt valdè mobiles, & impetum facientes: spumescit verò, quia ab ijsdem spiritibus tanquam aere impletur, & eorum motu agitatur. In materia autem illa spirituosa residet formatrix illa facultas, per quam homo sibi simile generare potest. Crassamentum verò est substantia humida, & aquea, quæ talis manifestè apparet, cùm ex semine spiritus euanuerunt; tunc enim illud spumositatem, & albedinem suam amittit, & illa humida substantia est omnium partium solidarum materia, primumque earum rudimentum.

Et in parte spirituosa est causa generationis efficiens, in crassamento verò materialis.

Philosophi *obiciunt*, vnum, & idem non posse esse agens, & patiens, efficiens, & materiam, atque ideò in semine vtramque causam non posse reperiri. *Respondeo*, illud verum fore, si seminis substantia esset omnino homogenea, sed cum in illo sint diuersæ partes, non esse inconueniens, diuersa munera præstare: quatenus enim spirituosum est, agit, & informat humidiorem illam, & crassiorem substantiam, quæ illi pro materia, & quasi subiecto admota est, vt videre est in seminibus plantarum, & in ouis, in quibus post susceptum à terra vel incubante gallina calorem, spiritus ille prolificus suscitatur, qui in eiusdem seminis, aut oui materiam agens, partium conformationem aggreditur, & perficit. In arte factis quidem efficiens, vel opifex non ingreditur rem factam, seu opus quia extrinseca tantum attingit; natura verò vniuscuiusque rei intus posita interiora, & exteriora perficit, totamque operis sui substantiam peruadit, in eaque consistit, tamquam proprio domicilio; ac proinde nihil impedit, quin semen tum efficiens, tum materiam fœtui gererando præstat.

Licet verò semen ex se Fœtus generationem præstet, non est tamen actu animatum, sed tantum potentia.

Quidam existimarunt, semen esse actu animatum, & formam illam habere, quæ deinceps compositum organizatum est in formam. Nos verò existimamus, potestate tantùm semen humanum hominis formam continere. Nam, cùm hominis anima extrinsecus ipsi adueniat, non possumus dicere, semen animam humanam habere, nisi potentia, quatenus aptum natum est eis dispositiones inducere, quæ ad suscipiendum nobilioris formæ aduentum sunt necessariæ. Imò neque in alijs animantibus semen esse actu animatum, est arbitrandum sed tantùm potentia, quia eam habet vim conformatricem in spiritu positam, qua simile producit animatum, vbi semen in conuenientem locum protectum, subiectamque materiam nactum fuerit. Illam autem vim seminis formæ insitam esse, quæ tamen non sit anima, nihil est absurdum: cùm etiam in multis inanimatis, vt magnete, rhabarbaro, & similibus multæ, eæque insignes facultates absque anima reperiantur. Hæc tamen doctrina insignes patitur difficultates, quas apud Sennertum *in hypomnematis physicis* videre est.

Corrumpitur itaque seminis forma, vbi primum anima aduenit corpori iam dispositio, & delineato: & vitam plantæ viuere dicitur, quamdiu simpliciter nutritur. Vbi verò organa sensus, & motus fuerint perfecta, animalem vitam, seu sensitiuam agit, ac tandem rationalis animæ opera exercet, postquam recta cerebri temperies, & spirituum dispositio fuerit comparata.

COROLLARIVM.

Antiqui est controuersio inter Medicos, & Peripateticos, an scilicet mulieres semen prolificum emittant? Medici enim omnes post Hippocratem partem affirmantem defendunt: ad cuius tutelam, primò communem afferunt mulierum experientiam quæ referunt, se aliquid maiori cum voluptate emisisse in eo coitu, quo conceperunt. Quod etiam confirmatur ex partium muliebrium structura, quæ testibus valdè conspicuis sunt à natura donatæ ad seminis elaborationem quo albicante, & bene concocto sæpè referta in dissectionibus inueniuntur. Vnde concludere licet ex virilis, & muliebris seminis commixtione fieri aliquid tertium, quod aptum est fœtui generando.

Peripatetici verò cum Aristotele putant semen muliebre per analogiam tantùm, & homonymice semen appellari, il-

Indque

quæ non ad fœtus generationem concurrere sed tantum irritando coitui, aut irrigandis vteri lateribus inseruire, quod validis rationibus confirmare videntur.

Prima. Si mulier semen haberet prolificum, sola sine viri congressu posset generare: semen enim, ac sanguinem menstruum haberet, quæ tantùm duo ad fœtus generationem requiruntur. *Secunda.* Ex duobus entibus in actu non potest, fieri vnum ens per se, sed tantum aggregatum per accidens, Ergo ex duobus seminibus fœtus produci nequit.

Quibus obiectionibus, & alijs, quæ eodem recidunt, *Respondeo*, vtrumque semen tum maris, tum fœminæ, licet sit prolificum, esse tamen insufficiens, vt ex se solo fœtus generetur; sed requiri debitam vtriusque commixtionem in vtero, ex qua fœtus delineatio perficitur: atque ita ex pluribus entibus completis non fit vnum ens per se; ex varijs tamen entibus incompletis vnum fieri ens completum, nihil habet absurdi. Coniungenda hic Haruei Comm. de Generat. (*Melet. I.* 52. 55. 71. 141. 146. 148. 149.)

CAPVT II.

De Sanguine menstruo.

Non solùm semen ad fœtus generationem concurrit, sed etiam sanguis menstruus, qui est alterum principium, idque materiale tantùm, non autem efficiens, sicut semen.

IN sanguine materno nulli, aut pauciſſimi sunt spiritus, ideò nullam habet efficiendi vim, sed tantum materiam suppeditat, ex qua omnes partes carnosæ componantur, sicut ex semine spermaticæ. Sanguis autem ille *menstruus* appellatur, quia in mulieribus bene affectis, quæ nec grauidæ sunt, nec lactantes, singulis mensibus solet effluere.

Est autem sanguis menstruus excrementum vltimi alimenti partium carnosarum, quod certis temporibus, & statis periodis moderata quantitate per vterum expurgatur ad fœtus generationem, & nutritionem.

Hinc patet menstruum sanguinem esse excrementum, idque vtile secundum substantiam, cùm in fœtus partes, earumque nutritionem conuertatur. In mulieribus autem sanguis iste redundare consueuit, tum ob debilem earum calorem, qui totum sanguinem, in hepate confectum, nequit digerere, tum ob mollem, & humidam earum temperiem, quæ humorum copiam solet aceruare: vnde fit, vt sanguis iste, quantitate nimia luxurians à carnibus iam expletis, & quasi saturatis in venas maiores reijciatur, & ab his per vteri venas excernatur.

Tempus, quo sanguis iste excernitur duplex est, vniuersale, & particulare.

Tempus vniuersale est à decimo secundo, vel decimo quarto ætatis anno ad quinquagesimum, vel quinquagesimum quintum.

Ante decimum secundum, vel decimum quartum annum mulierum vasa angustiora sunt, & calor humoris copia penè obrutus, reliquias pellere nequit; imò ante illam ætatem maxima sanguinis copia ad corporis augumentum absumitur. Postea verò à decimo secundo, vel decimo quarto anno calor incipit effulgere vasa amplificantur, mammæ turgent, corpus libidine titillatur, & noua lanugine insperguntur genitalia. Contrà verò post quinquagesimum, vel quinquagesimum quintum annum cessant menstrua, propterea quod calor debilitatus tantam sanguinis copiam non amplius generat, vt quædam reliquiæ supersint; vel eas, si adsint, commodè expellere non potest.

Tempus particulare vno mense definitur, idque trium, vel quatuor dierum spatio.

Hæc sanguinis menstrui vacuatio singulis mensibus solet contingere, quod omnes tribuunt motui Lunæ, quæ humoribus dominatur: & docet experientia, iunioribus hanc purgationem vt plurimum contingere circa nouilunium, senioribus verò circa plenilunium: vnde peruulgatus ille versiculus.

Lunæ vetus vetulas, iuuenes noua luna repurgat.

COROLLARIVM.

Hinc celebris quæstio solet agitari, an sanguis menstruus sit qualitate noxius? Quam vide apud Laurentium, *quæst.* 8. *lib.* 8. *suæ Anatomiæ* diligenter excussam. (*conf. Melet. I.* 147. *&c.*)

CAPVT III.

De Conceptione.

Tunc dicitur fieri conceptio, quando semina vtriusque sexus in vteri cauitate simul permiscentur, & fouentur, eorumque virtus formatrix in actum deducitur.

MAs, & fœmina, dum suscipiendæ prolis gratia, rei veneræ incumbunt, simul & eodem tempore semina sua effundunt; mas quidem in ceruicem vteri, fœmina verò in proprium vteri sinum: qui quidem vterus mira proprietate præditus est seminis virilis attrahendi, illud ideò statim ac è pene virili emissum est, auidè allicit; & in proprium sinum recondit: Ibique duo illa semina exquisitæ vniuntur, & permiscentur, & ab ipso vtero arctissimè comprehenduntur, ita vt totum vteri corpus constringatur, & corrugetur, illiusque orificium internum tàm exquisitè claudatur, vt ne specilli apicem admittere queat. Tunc semina illa à calore vteri fouentur, eorumque calor, & spiritus suscitantur, ac diuina illa virtus plastica in actum reducitur, vnde fœtus partes incipiunt delineari.

Conceptionis signa potissima hæc sunt.

Primum, Lenis totius corporis horror statim à coitu.

Quia tunc temporis vterus contrahitur, & sese contrahendo horrorem illum parit.

Secundum, Seminis retentio, & pudendi muliebris siccitas.

Si post coitum semen non excidat, signum est mulierem concepisse.

Tertium, vteri osculi exquisita occlusio.

Quartum, mensium suppressio.

Quintum, mammarum tumor, dolor, & duritiei.

Sextum, languidus Veneris appetitus.

Septimum, cibi fastidium. Non sunt tamen vera σημεῖα: cum & hæc præcipua & alia grauidationis signa suppressio mensuum non rarò quoque excitare soleat.

CAPVT IV.

De singularum partium Delineatione, earumque perfectione.

Prima partium spermaticarum rudimenta septimo conceptionis die incipiunt apparere.

VIrtus formatrix, à calore vteri suscitata, totam seminis materiam duabus tunicis contegit, quas ipso semine efformat, & illæ tunicæ chorion, & amnios appellatur, quarum vsus vide apud Anatomicos. Reliqua verò seminis materia in partes spermaticas mutatur, illarumque prima lineamenta apparere incipiunt die septimo. Si enim genitura post septimum diem emissa, in aquam conijciatur, in ea apparebunt tres bullæ, quæ sunt trium partium principium rudimenta, & infinita penè filamenta, quæ sunt reliquarum partium spermaticarum stamina.

Omnes autem partes spermaticæ in maribus trigintæ diebus; in fœminis verò quadraginta perficiuntur.

Cùm mares sint calidiores, & ficciores, ideò citiùs conformantur. Minor enim fœmellarum calor tardiùs concoquit, & maior humiditas maiori indiget tempore, vt condensentur in partium solidarum consistentiam.

Partes verò carnosæ tertio mense perficiuntur in maribus; in fœminis verò quarto, & tunc moueri incipiunt.

Postquam omnes partes spermaticæ fuerunt conformatæ, sanguis menstruus in eas influit, earumque omnia spatia intermedia implet, vnde virtus formatrix omnes partes carnosas producit; quæ tunc absolutæ sunt, cum fœtus incipit moueri; indicat enim hoc musculos, à quibus motus fit, esse absolutos.

CAPVT V.

De Partu.

Partus est fœtus in vtero perfecti, & absoluti debito tempore facta excussio.

POstquam fœtus in vtero debitam conformationem, nutritionem, & accretionem aquisiuit: sufficiens alimentum

non recipiens, & calorem habens maiorem, qui aeris inspiratu indigeat, vt ventiletur, liberiorem locum quærere incipit, & calcitrando membranas, quibus includitur disrumpit, vterumque distendit, vnde ille irritatus onus sibi molestum excludere nititur. Hinc duplex motus, vnus ipsius fœtus exire contendentis, alter verò vteri fœtum excludere conantis. Partus verò *naturalis* est, cum infans in caput ruit, eoque priùs foras incipit prominere, reliqui verò sunt præternaturales.

Tempora vero, in quibus partus possunt contingere, sunt mensis septimus, nonus, decimus, & vndecimus.

Excluditur octauus, quia septimo mense perpetuò fœtus solet conatum aliquem edere: & si robustus satis sit, foras egreditur, si vero sit imbecilior, diutiùs ibi manet, est tamen ab illo conatu valde debilitatus, ita vt duobus egeat mensibus ad vires fractas restaurandas.

Si igitur septimo mense excludatur, nouo illo labore prorsus labefactatur, vnde mors necessariò contingit.

Astrologi causam huius rei referunt ad infelicem Saturni influxum, quem volunt octauo mensi dominari: de qua opinione, & reliquis ad partus varia tempora spectantibus, consule Laurentium, *quæst. 19. lib. 8. Anat. Zachiam Carancam*, (*Melet. I.* 151. *&c.*)

CAPUT VI.

De similitudine Natorum cum Parentibus.

Similitudo triplex est apud Medicos: Speciei, Sexus, & indiuidui.

Similitudo speciei est, dum res genita est eiusdem speciei cum generante.

SIc homo hominem generat, canis canem, & ita de reliquis.

Similitudo sexus est, cum res genita est eiusdem sexus cum alterutro parente.

Sic infans masculus patri quoad sexum similis est, fœmella verò matri.

Illa autem similitudo sexus pendet à seminis masculini, vel fœminei prædominio.

Vult Hippocrates, semen, quod à dextris partibus tàm maris, quàm fœminæ decidit, esse validius, & maribus generandis aptius: vnde si semen illud masculinum à dextris decisum prædominetur, mas generabitur, si verò fœmineum in partibus sinistris genitum magis abundet, femella generatur.

Similitudo indiuidui est, cùm natus aliquod aliud eiusdem speciei indiuiduum secundum corporis conformationem repræsentat.

Sic natus aliàs patris, aliàs matris, aliàs aui, aliàs alterius cuiusuis effigiem repræsentat.

Et illa similitudo pendet non solum à virtute formatrice semini insita, sed etiam interdum ab imaginatione.

Virtus formatrix, cum omnes corporis partes effingat eisque formam illam largiatur, quæ semini est insita, quæ nimirum à singulis parentis partibus ei fuit impressa; necesse est, vt illis etiam secundum effigiem similis euadat, patri quidem, si paternum semen superet, matri verò si maternum prædominetur. Quia verò in semine parentum latet non raro quædam auorum, aut proauorum facultas, quæ illorum partibus fuerat impressa; fit interdum, vt illa in nepotibus suscitetur, illosque auis, aut alijs consanguineis similes efficiat. Vnde putatur hęc vis ad quartam generationem extendi.

Denique imaginationis vis plurimùm potest ad similitudinem inferendam. Si enim fœmina dum concipit, intentam habeat imaginationem ad alicuius effigiem, huic similem edet fœtum. Sic fœmina quædam Æthiopis effigiem in cubiculo habebat, & filium peperit nigro calore præditum. Sic multæ prægnantes, dum aliquid auidè expetunt, illius effigiem fœtui imprimunt quia à summo illo desiderio conturbatur imaginatio, & rei appetitæ effigies spiritibus imprimitur, qui quidem spiritus illam effigiem tenello fœtui facillimè inurunt. Fusius hæc explicantur à Gr. Horstio de simil. & dissim. natorum.

INSTITVTIONVM MEDICARVM LIBER SECUNDUS, PATHOLOGIAM CONTINENS.

PRÆCOGNITA.

In Pathologiam.

In Pathologia consideratur corpus humanum, præter naturam se habens, & in morboso statu constitutum.

DUplex est *Natura* apud Philosophos: vniuersalis, & particularis. Vniuersalis naturę leges postulant, vt fiant in corporibus generationes, & corruptiones, & alterationes varię, quæ idcircò secundum illam naturam vniuersalem se habent. At verò natura particularis, humana v.g. peculiares habet suæ constitutionis leges, easque à naturæ vniuersalis legibus diuersas, quæ si excedantur, præter naturam se habere homo æstimabitur, scilicet præternaturam illam particularem. Sic corporis humani constitutio sita est in certa primarum qualitatum symetria, debita partium conformatione, & vnione earumdem, in quibus, quoties vitium aliquod contingit, corpus præter naturam se habet, vt infra latiùs exponetur. *Nota*, nonnullos [inter quos præcipuus est Fernelius,] res *præter naturam* distinguere ab ijs, quæ sunt *contra naturam*, ita vt illud præter naturam sit, quod tametsi ex naturæ præscripto non est, illi tamen nullam vim infert, vt faciei lentigines, & color ille, qui ex Solis ardore contrahitur; contra naturam verò quod vim infert, eiusque actiones manifestè lædit. Attamen hæc duo apud Medicos vulgò confunduntur, & pro vno, & eòdem vsurpantur.

Corporis humani status triplex est, salubris, insalubris, & neuter.

Diuisionem istam non agnoscunt Philosophi, asserentes inter morbum, & sanitatem, nullum dari medium: at Medici insalubrem seu morbosum statum appellant, cum nonnullæ corporis actiones sunt manifestè læsæ: salubrem, quando sunt omninò integræ, neutrum verò, quando nec manifestè læsæ, nec omninò integræ apparent. Talis dispositio manifestè cònspicitur in ijs, qui in morbos labi incipiunt, vel ab ijs conualescunt. Necesse namque fuit tres istas constitutiones in artem Medicam inuehere, duabus potissimum de causis. *Prima* desumpta est ex operationibus medicis, & diætæ modo vnicuique instituendo. Ægris namque debetur curatio, sanis conseruatio neutris verò corporibus, si sint decidua versus morbum, præseruatio, & conualescentibus à morbo, refectio, seu restauratio. *Secunda* causa ducta est à diebus decretorijs, qui non sunt computandi à principio cuiusuis infirmioris valetudinis, sed ab eo tempore, quo ægrotans manifestas, & satis insignes passus est actionum læsiones; ita vt decumbere fuerit coactus, quod non posset ita distingui, ni status neuter ab insalubri distingueretur. Possumus tamen Philosophos cum Medicis conciliare, si dixerimus, Philosophos lata significatione Morbi, & Sanitatis nomen vsurpare, quo modo etiam ea accepit aliquando Galenus, vt neutrum etiam statum comprehendat: Medicos verò strictius, prout ad artis vsum est necessarium. Trium horum statuum fusiorem explicationem vide apud Galenum *in Arte parua*. (*Melet. II.* 13.)

De

De insalubri statu iam agere incumbit, & ratione illius tria veniunt consideranda. 1. Morbus. 2. Causa morbi, 3. Symptomata.

Tota ista tractatio versatur circa illam corporis dispositionem, quę Morbus appellatur. Vt enim perfectâ illius notitia habeatur, primò natura illius est proponenda, mox omnes illius differentiæ inquirendæ, deinde causę, quæ illos morbos producunt inuestigendæ, ac denique effectus contemplandi, qui ab illis producuntur, effectus enim morborum, symptomata apud Medicos appellantur. Illorum ratione vniuersa Pathologia in tres *sectiones* vulgò distribuitur, in quarum *prima*, morbi natura, eiusque differentię, in *secunda*, causæ morborum, in *tertia* verò symptomata explicantur. Sed quia crisium consideratio nullibi melius, quàm in Pathologia collocari potest cùm per mutationem in morbo factam definiatur; ideò nos *quartam* sectionem Pathologiæ nostrę addere decreuimus, quæ totam crisium, & dierum criticorum doctrinam contineat, eamque ordine secundam faciemus, ita vt *prima* morbi naturam, & differentias, *secunda*, mutationes, quæ in morbis contingunt, quarum præcipuæ suæ crisis; *tertia* causas morborum; & *quarta* denique symptomata cõtineat. (*Melet. II.* 2. 3. 14. 142. 143.)

PATHOLOGIÆ

SECTIO PRIMA.

De Morbi natura, & differentijs.

CAPVT PRIMVM.

De Morbi natura.

Morbus est dispositio corporis præter naturam, primo, & per se actiones lædens.

GAlenus *primo methodi medendi, & lib. de diff. morb.* pulcherrima, & valdè dilucida methodo morbi naturam inuestigauit, quam nos hic paucis imitabimur. Primò igitur actio ipsa venit consideranda, quæ si læsa sit in humano corpore, illud dicimus ægrotare: si verò integra & illæsa, sanum esse. Actionem læsam dico, quæ manifestè talis, & sensibiliter apparet; nam minimæ, & sensibus occultæ actionum noxæ nullum hic debent habere locum. Præterea, cum actio si motus, & essentiam non habeat permanentem, quia tantisper est, dum fit, ac celebratur; ideò causam aliquam habeat necesse est constantem, & permanentem. Illa autem causa est instrumentum corporeum, quod actionem exercet, putà oculus videt, ventriculus concoquit. Cùm autem vnum, & idem instrumentũ non vno, & eodem semper modo suas exerceat operationes, sed nunc illæsas, & secundum naturam, nunc læsas, & præter naturam: vario sese habeat modo, & variè fit dispositum necesse est. Vnde si illius dispositio sit secundum naturam, corpus erit naturaliter dispositum, & actiones edet secundum naturam, si verò dispositio sit præter naturam corpus erit præter naturam, dispositum, & actiones edet præternaturales. Si igitur sanitas est, quando corpus naturaliter dispositum, integras actiones profert: morbus erit, quando corpus præter naturam dispositum læsas edit actiones, atque ita actionum læsio à dispositione illa præter naturam dependebit. Hæc igitur definitio morbi rem perfectè declarat, & suis numeris, & est absoluta, cùm genere subiecto, & causa sit prædita, imò etiam effectu. Genus est dispositio; quæ nulla differentia restricta, non solùm de morbo, causa morbi, & symptomate prædicatur; sed etiam de sanitate. Subiectum est corpus humanum causa morbum efficiens, est partium corporis ametria seu excessus à propria, & naturali constitutione, quod per illud, *præter naturam*, designatur. Denique effectus morbi immediatus definitioni additur, qui est actionum læsio, quæ morbum perpetuo consequitur, & sensibus nostris obuia, illum nobis manifestat, qui alioqui non rarò sensuum aciem refugit. Hac posita definitione, morbi naturam sequentia theoremata clarius illustrabunt. (*Melet. II.* 4. *&c.*

Morbus in prædicamento qualitatis collocatur, & prima illius specie.

Prima species qualitatis est habitus, & dispositio. Licet enim morbum *dispositionis* nomine enuntiemus, quæ quidem fugax est qualitas, & facilè mobilis à subiecto secundùm Aristotelem; eam tamen hic latiori paulò significatu vsurpamus, vt habitum etiam atque, adeo totam illam primam qualitatis speciem comprehendat.

Verùm *obijci* potest, morbum in diuersis categorijs debere collocari: nam magnitudo aucta ad quantitatem videtur referenda, calculus, & lumbricus ad substantiam, & ita de reliquis: At hæc omnia morbi appellantur ab ipso Galeno. ad hoc *respondetur*, morbos omnes formaliter in prædicamento qualitatis collocari: fundamentaliter: verò ad alia reduci posse, quatenus scilicet à causis illis propinquis, quæ sub alijs categorijs continentur, (cuiusmodi sunt calculus, lumbrici, magnitudo aucta, numerus excedens, vel deficiens, aliaque eiusmodi, quæ sunt morborum veluti fundamenta,) introducitur quædam dispositio, quæ veram morbi formam constituit: at ex forma sumitur ratio categoriæ.

Illa enim, quæ sub alijs categorijs continentur; nimirum calculus, lumbrici, &c. morbi à Galeno, & reliquis clarioris doctrinæ gratia appellantur, & quia non suppetunt nomina, quibus istas dispositiones significare possint: tum etiam quia sufficiebat Medico, curationem instituenti naturam illius rei tenere, ex cuius sublatione tota dispositio præter naturam, & noxa functionum tollebatur; non, quòd accuratè philosophantibus, veri morbi esse videantur, sed potius causæ, quia sæpe in nobis sunt, absque vlla manifesta functionem læsione, & non prius calculi, lumbrici, & similia, actionibus vim inferre possunt, quam aliquam dispositionem, vt obstructionem, aut diuulsionem in nostris corporibus excitarint.

Rursùm *obijci* potest, Morbum in prædicamento relationis collocari debere, quod colligitur ex Galeni dictis in *principio libri de morb. diff.* vbi *Sanitas* (inquit) *symmetria quædam est, & morbus ametria*: symmetria autem, & ametria meras dicunt relationes, quod & apertè confirmare videtur Aristoteles 7. *Phys. c.* 3. vbi morbum, & sanitatem aliquid esse dicit. Ad id *respondeo*, quòd licet [illegible] morbus ametria, seu immoderatio [illegible] appellatur hinc; tamen non probatur esse relationem. Nam quemadmodum deformitas est quædam partium improportio, tamen pulchritudo, & deformitas veræ sunt qualitates, ita morbus est improportio calidorum, frigidorum, humidorum, aut siccorum, aut partium: Relatio tamen non est, sed qualitas quædam, aut dispositio; quà male afficitur totum corpus. Si tamen aliquam in morbis reperiri relationem est fatendum, vt demus aliquid dictis Aristotelis; dicimus, illud fieri, quatenus qualitates illę, nimirum sanitas, & morbus, habent quandam inter se comparationem, prout ad mediocritatem accedunt, vel ab ea recedunt, qualis respectus reperitur inter colores extremos, & inter virtutes, & vitia, quæ tamen nemo dixerit esse simplices relationes, quæ subiectis accidere possunt sine vlla eorum mutatione. (*Melet. II.* 9. 10.)

Omnis morbus habet permanentiam in parte, & permanentia est de essentia morbi.

Morbus per diathesin, seu dispositionem definitur, quo nomine quandam innuit essentiæ suæ, seu partium positionem, siue constantiam in corpore, quà distinguitur à simplici affectione, quæ patibilis qualitas appellatur, & est tertia species qualitatis. Et hæc constantia permanentia appellatur, dispositio scilicet ita impressa in partem, vt essentiam suam habeat à causa, eam producente diuersam, & separatam ab eaque independentem: & illæ res, quæ habent permanentiam, dicuntur à Medicis esse factæ, siue in facto esse: quæ verò non habent permanentiam, esse in fieri.

Verùm *obijci* potest, febrem ephemeram, aliosque leuiores affectus, imò & grauiores nonnullos, vt epilepsiam, & apoplexiam exiguo tempore in corpore permanere, atque ita non videri habere permanentiam. *Resp.* permanentiæ nomen ad duo referri posse, vel *ad tempus*, quod durationem significat; atque ita non est de essentia morbi, quia morbi quam plurimi exiguam habent durationem: vel referri *ad existentiam* firmam, & stabilem, quę inuit quandam essentię, & partium positionem quam habent in corpore omnes morbi, licet nonnulli exiguo tempore perdurent.

Rursus *obijcitur*, Morbi per consensum sunt in fieri, & à simplici humorum, vel vaporum communicatione suam habent existentiam, quà cessante statim cessant; at illi inter veros morbos à Galeno recensentur: ergo non omnes morbi habent permanentiam. *Respondeo*, morbos per consensum non posse diu perdurare, quin ab eorum causis idiopathia

parti

parti inferatur quæ, vel exigua, habet semper aliquid facti, quod est sufficiens verum morbum constituere. Si tamen adhuc tàm leuis sit sympathicus affectus, vt nullam habeat in parte consistentiam, neque vllam peculiarem postulet curationem, sed primario morbo sublato statim omninò auferatur, certè tunc à vera morbi ratione excluditur ab ipso Galeno.

Obijcitur denuò morbos ex omnium medicorum consensu, quatuor habere tempora, quæ perpetuò decurrunt, nimirum principium, augmentum, statum, & declinationem. Cùm ergo sint in perpetuò motu; non poterunt habere permanentiam. *Respondeo* ætates, seu tempora morborum respicere eorum motum, & varias constitutiones, non autem generationem, & essentiam, quæ fixa & stabilis permanet, sicut hominis natura eadem perpetuò conseruatur, licet ille per diuersas ætates varias subeat mutationes: sic morbi iam facti, & geniti sua percurrunt tempora, in quibus variè afficiuntur.

Denique sic *arguitur*: habere permanentiam, & esse in facto esse, idem est apud Medicos, vt suprà admonuimus. At inter omnes febres sola hectica est in facto esse hac enim conditione distinguitur à reliquis, quæ in fieri tantum esse dicuntur. Ergò reliquæ febres non habent permanentiam. *Respondeo*, in omnibus morbis esse aliquid, per quod morbi illi tales sunt, & generationem suam adipiscuntur. Sed quoniam causa morbifica, v.g. humor putridus in febribus, perpetuò agit, & multiplicat qualitatem illam morbosam, ideo dicuntur in fieri, donec in hecticam euadant, causa scilicet agere cessante, propter introductam æqualem intemperiem & tunc facti simpliciter appellantur, reliqui verò, partim facti, partim fientes.

Omnem morbum necessariò sequitur actio læsa per se, & immediatè.

Morbi non ratò sensibus sunt incogniti, omnes tamen per symptomata innotescunt quæ sunt illorum effectus & potissimum per actionem læsam, quæ à morbo dependet immediatè, & per se, atque ita essentialiter. vt, posita actione læsa, necessariò ponatur morbus, à quo illa dependet.

Verùm hic *obijci* potest, ab ipsis causis morbificis sæpe læditur actio immediatè; nimia enim alimenti copia ingesta ventriculi concoctionem lædit, nullo intercedente morbo. Ergo non omnis actio læsa dependet à morbo.

Respondeo coctionem ventriculi non esse idcirco læsam, quod magnam alimenti copiam nequeat concoquere; cum enim certa inter agens, & passum debeat esse proportio, vt actio rectè exerceatur, si alimentum quantitate nimia exuperet, vel sit qualitate molestum, ventriculi actio non dicetur læsa, etiamsi illud nequeat subigere; sicut non dicetur laborare, etiamsi ferrum nequeat concoquere. Dicimus igitur, virium dependere ab obiecti improportione.

Rursum sic *obijcitur*, Quædam symptomata possunt primò, & per se lædere actionem, vt qualitas mutata in oculo, color scilicet flauus corneæ tunicæ ictericorum, à flauæ bilis in illam effusione contractus, qui visionem immediatè lædit: illis enim omnia apparent flaua; at nullus potest accusari morbus, qui visionem hoc modo lædere queat. Ergo color ille, qui symptomata est, actionem lædit immediatè. *Respondeo*, in oculo peculiariter colorem præter naturalem posse dici morbum, oculus enim naturaliter constitutus debet esse omnis colori expers, vt obiectorum species puras, & impermixtas, eorumque colores varios recipere possit: color enim ille oculi referri potest ad morbos in numero, quia auctus est numerus qualitatum, quæ naturaliter in oculo esse debent. Idem dicendum videtur de sapore extraneo in lingua, & sono in aure, quia scilicet impediunt, ne sapores, & soni ab ijs rectè percipiantur, vnde patet in peculiaribus illis sensorijs peculiari constitutione donatis, peculiarem etiam morbi rationem esse admittendam.

Denuò sic *obijcitur*. In affectibus sympathici actiones partium læduntur absque vllo morbo: nam si in partibus per sympathiam laborantibus esset morbus: illis remedia adhiberentur, quod tamen non euenit: neque dum obstructo cerebro neruorum actio læditur, possumus dicere morbum esse in neruis, sed in cerebro tantùm. *Respondeo*, affectus sympathicos in censu morborum non reponi à Medicis therapeuticis, quia illis remedia non adhibentur: si quis tamen attentè consideret, illos ad aliquod morbi genus referri posse reperiet. V. g. obstructo cerebro, non influit in neruos spiritus animalis; ex cuius defectu motus, & sensus, abolentur: At defectus ille inter morbos in numero deficiente potest recenseri, & ita de filijs quamplurimis est dicendum.

CAPUT II.

De Morbi generibus, & differentijs.

Hactenus de morbi natura: consequens est, vt de illius differentijs agamus.

GEnera, species, & differentiæ morborum confunduntur à Galeno, 2. *methodi*, & pro vno, & eodem vsurpantur, non enim solet exactam illam, & logicam considerationem consectari, licet diuerso respectu vtrumque verè dici possit, ratione nimirum ipsius morbi qui genus summum est, *species*, seu differentiæ debent appellari: & ratione specierum inferiorum, in quas diuiduntur *genera* dici possunt.

Sunt autem morborum differentiæ aliæ essentiales, aliæ accidentales.

Essentiales sunt, quæ ab ipsa morbi essentia desumuntur, & aliter specificæ appellantur, quia ex ijs genera, & species constituuntur.

Illæ autem sunt tres, nimirum similaris, organica, & communis.

Tota essentia accidentium à subiectis dependet, ideò eorum essentiales differentiæ à subiectorum differentijs sumi debent, morborum autem subiecta sunt corporis nostri partes, quæ propriè tales appellantur, quæ nimirum toti cohærent, communique vita fruuntur: nam quamuis ab Hipp. partes diuidantur in *continentes contentas, & impetum facientes*, vbi per continentes partes viuentes, & actionibus exercendis destinatas intelligit, per contentas humores, & per impetum facientes spiritus; tunc latissimè accipitur nomen partis, neque humores, aut spiritus morborum subiecta esse possunt, nec communi vita fruuntur, sed causæ potius sunt morborum dum qualitate, vel quantitate peccant. Cum igitur partes istæ viuentes sub duplici contineantur differentia, similarium scilicet, & organicarium; morbi etiam in similares, & organicos diuiduntur: sed quia in vtrisque dictis partibus communis alia requiritur dispositio, præter debitam temperiem, & conformationem, vt secundum naturam se habere dicantur, naturalis scilicet illarum partium continuitas, seu vnio; ideò, dum illa soluitur, alia oritur species morbi, quæ communis appellatur. (*Melet. II.* 12. 14. *&c.*

CAPVT III.

De speciebus Morbi similaris.

Omnis morbus similaris intemperies appellatur.

PArtes similares ex elementis tantum componuntur, & earum actiones à quatuor primarum qualitatum symmetria, & debita commoderatione perficiuntur. Partes enim similares, quatenus similares sunt, nullam edunt actionem, præter nutritionem, propter quam conueniens alimentum ad se attractum retinent, concoquunt, & superflua expellunt, qua omnia à sola temperie in ijs obsoluuntur. Igitur quamdiu partes similares debitam seruant temperiem, secundum naturam se habent Dum verò intemperatæ sunt, in morboso statu sunt constitutæ, atque ita omnis morbus, partes similares afficiens, erit intemperies.

Intemperies autem in alias differentias subdiuiditur, quarum nonnullæ sunt essentiales, reliquæ verò accidentales.

Essentiales rursum aliæ sunt simplices, aliæ compositæ. Simplices sunt quatuor, 1. Calida. 2. Frigida, 3. Humida, 4. Sicca.

Compositæ sunt totidem, 1. Calida, & humida, 2. Calida, & sicca, 3. Frigida, & humida, 4. Frigida, & sicca.

Illæ intemperies morbosæ appellantur, quoties tantus est earum excessus, vt manifestam inferant actionum læsionem, alioqui intra sanitatis limites erunt constitutæ. V. g. licet quis, bilioso temperamento donatus, calidior, ficciorque existat, quàm par sit ad iustam temperamenti moderationē efficiendam: quamdiu tamen actiones suas secundum innati sui temperamenti conditionem exercet intemperie morbosa affectus non dicetur, donec proprios sanitatis limites excedens

cedens, in febrem, v. g. aliumve calidum affectum incideri.

Accidentales intemperierum differentiæ desumuntur à causa, vel à subiecto.

Licet accidentales morborum differentias ad finem huius sectionis remiserimus tractandas; quia tamen hæ ad intemperiem solam peculiariter spectant, ideò de illis hic agere non erit inconueniens.

Ratione causæ alia intemperies dicitur materialis, alia immaterialis.

Materialis intemperies ea est, cui coniungitur interna quædam causa, humor scilicet, vapor, aut flatus: vt in febribus humoralibus, partium inflammationibus, & infinitis alijs contingit, & illa à Galeno appellatur intemperies cum humoris affluxu. Immaterialis verò, quæ nuda intemperies etiam appellatur, ea dicitur, quæ ab exteriori tantum causa profecta est sine interioris concursu. Hęc minus frequens est, quam superior, & rarò admodum contingit, ea tamen videre est in marasmo, summa partium refrigeratione ex aqua gelida, vel sub aquilone gelidissimo contracta, in cephalalgia à vehementi æstu contracta, & similibus.

Ratione subiecti alia intemperies est in habitu, alia in habitudine.

Intemperies, quæ est in habitu, seu quæ habitum contraxit, & confirmata est, *hectica* etiam appellatur, quæ tàm firmiter inhæret, vt sit indelebilis, & dicitur etiam omnino facta; huius generis sunt febris hectica, & elephantiasis. Ea verò, quæ est in habitudine, seu dispositione, est tantùm *inchoata*, & adhuc in fieri, aut saltem partium fiens & partim facta, aut facile delebilis, vt febres vulgares, & aliis morbi curatu faciles.

Ratione etiam subiecti, alia intemperies æqualis, alia inæqualis.

Æqualis intemperies est, quæ in singulas corporis nostri partes est æqualiter dispersa: sic febris hectica est æqualis intemperie, quia idem caloris gradus in omnes partes est introductus. *Inæqualis* verò intemperies est, quæ partibus corporis nostri non est æqualiter insita: sic febres putridas inæquales morbos appellamus, quod in iis partes solidæ non sint planè calefactæ, sicut humores, quos calor penitus occupauit: sic febres epialæ, & lipyriæ inæquales intemperies appellantur, quoniam in epiala calor; & frigus simul in toto corpore persentitur, in lipyria vero exteriora rigent, & interiora vruntur. (*Melet. II. 18. &c.*)

COROLLARIVM CIRCA Morbos similares.

Obiicitur *primò*, non dari posse simplicem intemperiem, quia illa, vel esset cum materia, vel sine materia; non cum materia, quia talis intemperies ab aliquo humore pendet; at vnusquisque humor duplici præditus est qualitate. Immaterialis verò à causis externis excitatur; illæ autem vel sunt elementa, quorum vnumquodque dua habet qualitate, vel mixta, quæ duas etiam habent qualitates; ab elemento prædominante. *Respondeo*, vnicam tantum qualitatem posse excedere, reliquis bene contemperatis, cum duæ causæ internæ, vel externæ coniunguntur, quæ in vna qualitate conueniant, in alia sint contrariæ. Vt, dum ex sanguine, & bile morbus generantur, siccitas bilis retunditur à sanguinis humiditate, & ibi nullus est excessus, sed vtriusque caliditas, simul iuncta efficit calidam intemperiem. Idem euenit in causis externis: si enim aer sit temperatus, ad calidam, humidamque temperiem, & alimenta frigida, & humida, frigiditas ipsis cum alterius caliditate contemperationem efficient, sed humiditas vtriusque humidam pariet intemperiem.

Obijcitur denuò, calidam, & humidam intemperiem non dari, quod caliditas, & humiditas sint vitæ nostræ principia, ac proinde simul iuncta non possint esse morbosa. Deinde quod caliditas debeat esse valde intensa, vt morbosa esse possit; at calor intensus potenter absumit humiditatem, & citissime sibi comitem accersit siccitatem, atque ita intemperies calida, & humida non poterunt simul subsistere. Idem dicas de frigida intemperie, quæ magnas generans cruditates, copiosas cumulat in corpore humiditates: vnde non videtur posse cum siccitate reperiri. Ad hæc *Respondeo*, caliditatem, & humiditatem esse quidem vitæ nostræ principiis consentaneas, si tamen ita redundent, vt humores non possint à natura gubernari nec commodè ventilari, necessariò putredinem concipient, vnde calor præter naturam introducitur, qui, nimiæ humiditati iunctus calidam, & humidam intemperiem efficit. Deinde, calor excedens absumit quidem humiditatem, sed non illicò, ac proinde illud temporis spatium sufficit ad morborum etiam sæuissimorum generationē, vt patet in febribus sanguineis, in quibus maxima initio humiditas luxuriat; si tamen diutius perdurent, siccam intemperiem accersunt. Eodem prorsus modo frigida, & sicca intemperies diutius persistit, antequam per cruditates humida acquiratur. Imò etiamsi copiosa cumulentur excrementa, partes tamen solidæ sic eam seruant intemperiem, vt in senibus apparet. Propositas morborum differentias, easque solas tota recipit antiquitas, omnesque fere neoterici præter Fernelium, & alios nonnullos illius sequaces. Fernelius enim noua duo morborum genera commentus est, quorum vnum vocat materiæ alterum verò formæ, seu totius substantiæ. Cum enim (inquit) in partibus similaribus tria spectentur, materiæ, forma, & temperamentum quorum naturalia constitutio sanitas est, sic vniuscuiusque immoderatio erit morbus. Atque hinc tres morborum differentiæ exorientur, nimirum intemperies ex primarum qualitatum excessu; materiæ immoderatio dum pars mollior, aut durior, laxior, aut adstrictior, tenuior, aut crassior rarior, aut densior euadit, & formæ corruptela, dum, vel à morbis manifestis, vt à putredine, vel ab occultis, venenatis scilicet, contagiosis, & pestilentibus tota corporis symmetria corrumpitur.

Hanc suam opinionem nude proposuit Fernelius *lib. 1. suæ Pathologiæ, cap. 7.* quam longa tamen disputatione confirmauit, *2. de abditis rerum causis cap. 7.* & quia celebris valde est propter tanti viri auctoritatem, multosque non mediocriter exercuit; illam idcircò breui disputatione discutiemus. Rationes igitur, quæ à Fernelio afferuntur pro sua opinione confirmanda quatuor sequentibus possum comprehendi.

Primo. Morbi in ijs esse solent, à quibus actiones perficiuntur: sed tria sunt in parte similari, quæ actiones illius perficiunt, materia scilicet, forma, & temperamentum, ergo & circa illa erit morbus.

Secundo. Idipsum confirmatur ex varia actionum læsione, in vna eademque parte. Ventriculum enim, vt pars similaris, sæpe laborat imbecilitate, à qua imminuitur concoctio; sed illa imbecillitas nunc fit ab immodicè refrigerantibus, vt nimio aquæ potu, lactucarum, & similium vsu: nunc à relaxantibus, vt olei tepentis, & similium haustu; nunc denique ab extraneis quibusdam, & venenatis qualitatibus, à quibus formæ suæ robur deijcitur. Ergo tria erunt morbi genera distincta.

Tertio. Ab ipsis remedijs hoc etiam euinci posse videtur. Tria enim sunt remediorum genera ab ipso Galeno constituta: alia nimirum, quæ primis tantum qualitatibus alterant, & hæc in morbis intemperiei locum habent; alia verò quæ adstringunt, relaxant, attenuant, incrassant, & hæc morbis in materia medentur; alia denique sunt, aquæ agunt à tota substantia, & occulta proprietate, & hæc in morborum totius substantia curatione vsurpantur.

Quarto denique in gangræna; elephantiasi, & vlceribus malignis tota partium substantia corrumpitur. Ergo non possunt negari morbi totius substantiæ.

Nos vero existimamus, rationes istas non esse tanti momentis, vt nos cogere valeant antiquas morborum similarium differentias multiplicare. Dicimus ergo illam Fernelij opinionem esse reijciendam, atque, antequam allatis obiectionibus satisfaciamus, sequentibus erit confutanda.

Primo. Morbos est effectus totius partis similaris, quatenus talis est. Ergo materia, & forma non possunt dici affici morbo, sed totum compositum; sola enim intemperies est affectus totius partis similaris.

Secundo. Omnis actio partis similaris est naturalis: sed actiones naturales quatuor tantum sunt attractio, retentio, concoctio, & expultio, quæ à temperie sola dependent: Ergo vnicus tantum erit morbus partis similaris, nimirum intemperies.

Tertio. Morbus omnis habet agendi vim, nimirum actionem lædendi. At materiæ nulla est actio est enim principium passiuum, & potentiale, ergo nullus dabitur morbus materiæ.

Quarto. Si daretur morbus formæ; malè ab omnibus, tum veteribus, tum neotericis definiretur morbus, quem volunt esse corporis dispositionem: At forma est incorporea. Ergo non potest pati morbos.

Quin-

Quinto. Si darentur morbi forma, infinita sequerentur absurda, formam scilicet per se pati posse, generari, & corrumpi, magis, & minùs recipere, & habere contrarium, quæ abhorrent à philosophia.

Denique. Si formæ, vel totius substantiæ corruptela sit morbus: considerandæ erit, vel in termino, & absoluta, vel in via, & in fieri. Si absoluta, nihil aliud est, quàm animantis interitus, & integra prenicies: si verò sit in fieri, & in motu, erit tantùm alteratio corruptioni præuia, ac proinde qualitas in intemperie constituta.

Atque ita satis manet confutata hæc Fernelij opinio. Ad *rationes* in illius subsidium allatas, ita *respondemus*.

Ad *primam* dicimus: Materiam, & formam non concurrere ad perfectionem actionum, sed tantum ad compositi constitutionem; actiones enim sunt compositorum, non componentium: compositum autem operatur secundum dispositionem, quæ in illo reperitur: hæc autem dispositio in parte similari est sola temperies.

Ad *secundam respondeo*: actionem ventriculi non esse puræ similarem, sed fieri partim à temperie, partim à conformatione, & structura illius: alteratio enim, & coctio alimentorum rectè perfici non possunt, quin debitè illa contineantur, & coarctentur à ventriculo. Retentio verò illa, sive complexus dependet à ventriculo, hoc vel illo modo conformato. Quoties igitur refrigeratur ventriculus, vt non possit concoquere est intemperies, seu morbus similaris: dum verò ita relaxantur, vt non possit continere, est morbus organicus: cum denique actio ventriculi deijcitur à rebus venenatis, est quædam intemperies, quia corrumpitur temperamentum insitum illius partis, & illa intemperies maligna, seu venenata appellatur, vt infra dicetur.

Ad *tertiam respondeo*, qualitates illas secundas à primis immediatè dependere. Sic adstringentia frigida sunt, & sicca, relaxantia calida, & humida, & ita de cæteris, quę verò à tota substantia operari dicuntur, id præstare per qualitates occultas, quæ ad intemperiem referuntur.

Ad *vltimam respondeo*, intemperiem esse duplicem; vulgarem vnam, alteram malignam, vt in differentijs accidentalibus ostendetur: propositi autem affectus ad intemperiem malignam facillimè referri possunt.

An dentur morbi totius substantiæ, & an Fernelius rectè eas describat, & quid de Riuerij sententia statuendum discere licet ex Gr. Horst. oper. T. 1. pag. 239.

CAPVT IV.

De Morbi organici speciebus.

Morbi organici species quatuor sunt, 1. In conformatione, 2. In magnitudine, 3. In numero, 4. In coniunctione.

QVemadmodum à partibus similaribus actiones similares, ita ab organicis organicæ exercentur, quæ, vt secundum naturam se habeant, quatuor desiderant conditiones, debitam nempe conformationem, magnitudinem, numerum, & coniunctionem, à quibus si fiat recessus, morbi statim oriuntur: vnde totidem morbi organici differentiæ exurgunt.

Conformationis morbi rursum tres habent species, 1. In figura, 2. In asperitate, & lævitate, 3. In meatu, & cauitate.

Morbus in figura est, cum naturalis partium figura ita immutatur, vt inde actionum læsio contingat.

Multis modis partium figura potest immutari, dum scilicet quæ rectæ natura esse debent, incuruantur, curuæ eriguntur, aliæ inflectuntur, distorquentur, rotundæ, quadratæ fiunt; & ita de cæteris.

Morbus in asperitate, & lævitate est, cum partes, quæ naturaliter asperæ, aut rugosæ esse solent, lævores euadunt, vel contra læves asperiores.

V. gr. Cùm ventriculus, & intestina mucosa pituita obducta teneriam patiuntur, fit morbus in lævitate; cum verò trachea arteria à distillatione è cerebro exasperata contrahit raucitatem, est morbus in asperitate.

Morbus in meatu, & cauitate est, cum naturalis meatuum, & cauitatum constitutio euertitur.

Eius rursum tres sunt species, 1. adstrictio, 2. obstructio, 3. dilatatio.

Adstrictio fit, cum meatus, vel cauitas ab externa causa comprimitur, & angustior euadit.

Sic dum œsophagus, & aspera arteria coarctantur ex angina, & vesica comprimitur ex grandiore fœtu in vtero concluso, morbus ille fit qui adstrictio appellatur.

Obstructio fit, cum materia aliqua præternaturalis internas cauitates occupat, vel meatus occludit.

Sic calculus in vesica materia crassa, viscida, & lenta hepatis, lienis, aliarumque partium venas interiores, liberumque humorum commeatum impediens, & reliqua huiusmodi obstructionem pariunt.

Dilatatio fit, quando cauitates, & meatus nimis ampli, & patentes efficiuntur.

Dilatatio est adstrictioni, & obstructioni contraria: illius exemplum habemus in dilatatione pupillæ, & varicibus, tum etiam in venarum anastomosi, & diapedesi. Anastomosis enim fit, quando orificia vasorum nimis dilatantur; diapedesis verò, quando tunicæ eorum nimis relaxantur, & rarefiunt, vt humores efflant. Ad dilationem etiam refertur nimia ventriculi laxitas, vt non possit commodè amplecti alimentum, quam perperam Fernelius ad morbos materiæ supra reuocabat.

Magnitudinis morbi, vel sunt in magnitudine aucta, vel imminuta.

Vtrique vel in toto corpore, vel in aliqua eius parte. In toto corpore est magnitudo aucta, vel imminuta, dum tota illius moles præter modum augetur, vel imminuitur.

Magnitudinis auctæ in toto corpore exemplum affert Galenus de quodam Hichomacho Smyrnæo, qui præ nimia crassitie se se non poterat commouere. Eadem verò imminuta satis apparet in atrophia, & febri hectica, in quibus totum corpus macie contabescit.

In aliqua parte magnitudo augetur, vel imminuitur, dum naturaliter sibi constitutas dimensiones excedit, vel ab ijsdem recedit.

Sic tumor præter naturam in parte est magnitudo aucta: sic etiam partis defectus in longitudine, latitudine, vel profunditate, vt linguæ, nasi, digiti, testis vel alterius partis paruitas insignis, est magnitudo imminuta. Illa enim paruitas contingit, vel ab ipsa generatione, ex defectu materiæ; vel post generationem, idque rursum dupliciter; defectu scilicet alimenti, vnde partis atrophia, & consumptio, vel ablatione substantiæ partium, vt cum portio nasi, linguæ, vel digiti amputatur.

Morbi in numero sunt, vel in numero excedente, vel in deficiente.

Ad partes organicas constituendas certus similarium numerus requiritur, & in maioribus, magisque compositis, certus minorum organorum, & minus compositorum numerus concurrit. Quomodocunque autem ista redundent, vel deficiant, vitium faciunt, quod numeri aucti, vel imminuti appellatur.

Numerus excedens, vel est eorum, quæ sunt secundum naturam vel toto genere præter naturam.

Secundum naturam dicuntur ratione substantiæ, ex qua componuntur, quæ naturalis est: & peccant tantum in eo, quod non sint necessaria ad membri functiones exercendas; imò illas impediant, vt sextus digitus, carnis excrescentia in vicere, & similia. At verò toto genere præter naturam sunt ea, quæ ex substantia omnino præternaturali componuntur, vt lumbrici, calculi, &c. quæ ad morbos in numero referuntur, quatenus res præter naturam supperadditæ, organi structuram vitiantes, & functiones illius tua presentia impedientes. Alioqui si actiones non lædant, quatenus numero redundant, sed obstructionem, aut similem affectum producant, causæ morbi potius censebuntur, vt supra annotauimus.

Numerus deficiens perpetuò in rebus naturalibus, siue corporis partibus consistit, ijsque vel ab ipso vtero, vel post exitum ab eo est contractus.

Morbus in numero deficiente ab ipso ortu contractus dicitur, cum quis v.g. pede, manu, oculo, teste, aut alia quavis parte mancus in lucem prodit; post ortum verò, quando pars aliqua amputatur: vt cum pes vel brachium grangena laborans amputatur, testis in hernia eximitur, dens cariosus euellitur, & sic de cæteris.

Morbi in coniunctione sunt duplices, in situ, & in connexione.

Morbi in situ sunt, quando partes, quæ simul cohærere debent, à proprijs sedibus recedunt.

Huiusmodi morbos videre est in hernia, cum intestinum vel omentum in scrotum descendit; item in procidentia ani, vteri, & similium.

Morbi in connexione sunt, quando partes, quæ debent simul cohærere, non coalescunt: vel contra, quæ cohærere non debent simul coalescunt.

Tales affectus apparent in luxationibus, quando ossium connexio peruertitur, & in imperforatis, necnon dum oculorum palpebræ, vel oris labra coalescunt, quæ naturaliter debent esse disiuncta.

COROLLARIVM CIRCA Morbos Organicos.

Obijcitur primò. Deficientem esse morborum organicorum numerum iam allatum, quia eorum differentiæ non desumuntur ab ijs omnibus, quæ necessaria sunt ad actiones organicas obeundas. Sed, præter iam dicta, alia multa concurrunt: partes enim instrumentariæ indigent calido à corde influente nimirum sanguine, & spiritibus bene affectis, quãdo quidem ijs læsis, aut absentibus, totius corporis actiones offenduntur, syncope, tremore, rigore, &c. Ergo ab illis quędam morbi organici species erit constituenda. *Respondeo*, in propria cuiusque partis constitutione distinguenda esse communia instrumenta quæ in omnibus actionibus tum similarium, tum organicarum partium sunt necessaria: illa enim in neutris peculiarem obtinent considerationem, sed tanquam vaga, & fluxa in partium corporis viuentis numero non habentur. Vel certè dicendum, affectus, qui ab horum vitio contingunt, non esse idiopathicos, sed debere tantum referri ad sympathiam negatę materię, vel facultatis.

Obijcitur secundò, præter adductas conditiones ad partium organicarum constitutionem requiri symmetriam, si enim pes v.g. vel manus, ossibus, neruis, & ligamentis constare debeant; & tota sint ossea, vel carnea mala redditur illarum partium structura, quamvis rectè se habeat superius enumerata. *Respondeo*, si pars organica, quæ pluribus instrumentis constare debet, ex vnico tantùm fit conflata, esse tunc morbum in numero deficiente, nec aliud genus diuersum esse inquirendum.

Obijcitur denique, ab ipsis qualitatibus, tàm primis, quàm secundis, actiones partium organicarum lædi: partes enim v. g. duriores, vel molliores, crassiores, aut tenuiores, ad sensum, vel motum reddunt ineptiores, sicut Galenus cerebri crassitiem ad ingenij acumen plurimùm obesse existimat, tenuitatem verò prodesse; sic ventriculus laxior malè concoquit cornea oculi tunica rarior, aut densior visui officit, & ita de reliquis. Vnde patet, istas etiam qualitates inter morbos organicos debere recenseri. *Respondeo*, morbos illos, qui sequuntur mutationes qualitatum, non posse tribui partibus organicis, quatenus sunt organicæ, sed quatenus ex similiaribus tanquam materia quadam componuntur: ad partis enim instrumentariæ constitutionem debita partium similiarium symmetria, earumque temperies, tàm in primis, quàm secundis qualitatibus est supponenda; non igitur earum improportio parti organicæ est adscribenda, quamvis illius actiones lædat, quia id fit ex accidenti; sicut domus corruit, vbi ligna, vel lapides sunt putrida, vel cariosa, quamvis illa non ad domum spectent, si formalem illius rationem intueamur.

Contra istam *Responsionem* denuò *obijci* potest, secundas illas qualitates, duritiem, mollitiem, & reliquas, non minùs debere ad partium organicarum morbos referri, quàm asperitatem, & lænitatem, quæ etiam inter qualitates secundas numerantur, & à nobis inter conformationis morbos recensitæ fuerunt. *Respondeo*, non esse eandem rationem; quandoquidem durities, mollities, & reliquæ non mutantur, nisi per ipsam temperiem simul immutatam; asperitas verò, & lænitas, quæ sunt affectus superficiei, tantùm ita dependent à formatrice facultate, vt sine vlla temperamenti diuersitati quasdam lænes, & æquales, alias asperas, & inæquales producat; vt patet in ossibus, quæ siccissima sunt, & tamen maximè æqualia in sua superficie, & in ventriculo qui superficie sua externa est æqualis, interna asper, & rugosus: & sic de cæteris. (*Melet. II. 37. ad 60.*)

CAPVT V.

De Morbi communis, seu solutionis continui differentijs.

Morbi communis, seu solutionis continui differentiæ desumuntur a causa, vel à subiecto.

Causæ continuum soluentes quatuor sunt, ad primam referuntur ea quæ sunt tenuia, & ad secundam idonea; ad secundam acria, & erodentia: ad tertiam grauia, dura, & obtusa: ad quartam rumpentia, & diuellentia.

Quæ à tenuibus, & secantibus fit solutio continui, sectio appellatur.

SUb hac comprehenduntur omnes solutionis continui; quæ fiunt ab externis causis incidentibus, siue punctim, siue cæsim in quavis corporis parte.

Quæ ab acribus, & erodientibus fit solutio continui, erosio nuncupatur.

Vt plurimùm fit erosio in corporis partibus à causis internis: vt acribus, & mordacibus succis, vlcera efficientibus. Aliquando etiam fit ab externis admotis, vel actu exurentibus, vt igne, candente ferro; vel potentia, vt causticis medicamentis, & similibus.

Quæ à grauibus, duris, & obtusis fit solutio continui; contusio appellatur.

Hæc solutio continui vt plurimùm manifesta non est, sed occulta: in ea enim partes colliduntur, & violenter comprimuntur; ex qua compressione occulta fit continui solutio.

Quæ à rumpentibus, & diuellentibus fit solutio, ruptio, seu diuulsio appellatur.

Hæc sæpissimè contingit in tortura, in qua digiti pedum vel manuum ita diuelluntur, vt eos ab alijs partibus omnino separari contingat: ex nimio etiam conatu peritonæum disrumpi solet, vnde hernia solet exoriri. Aliquando etiam ex nimia plethora venarum tunicæ disrumpuntur, vnde copiosæ hæmorrhagiæ producuntur.

Ratione subiecti, seu corporis nostri partium, variæ solutionis continui differentiæ constituuntur, & varia illis nomina ascribuntur.

In carne enim facta incisio, vulnus appellatur; erosio verò vlcus.

In osse facta incisio transuersa, fractura; recta, fissura dicitur: erosio verò, caries.

In venis, arterijs, neruis, & cartilaginibus facta incisio transuersa, idem incisionis retinet nomen, & recta fissura.

Peculiaris solutionis species, punctura dicta, neruis potissimum attribuitur, membranis verò ruptura.

Apud Chirurgicos autores omnes istæ solutionis differentiæ sub vulnerum; vlcerum, & luxationum nomine comprehenduntur, & pulchrè exponuntur à Ioele, & Sennerto (*Melet. II. 51. 58.*)

CAPVT VI.

De Differentijs accidentalibus morborum.

Accidentales morborum differentiæ sunt, quæ genera, & species morborum non constituunt, sed tantum non nullas eorum proprietates declarant.

INfinitæ propemodum ab auctoribus proponuntur accidentales differentiæ, quas omnes persequi nimis longum, & forsan minùs vtile futurum arbitramur. Nos igitur eas tantùm hic proponemus, quæ ad vsum artis magis sunt necessariæ, & frequentius occurrunt in morborum tractatione.

Illæ autem desumuntur vel à morborum essentia, seu proprietatibus eam comitantibus, vel a causis morborum.

Ab ipsa morbi essentia essentiales illius differentiæ desumuntur, vt supra demonstratum fuit: accidentales verò differentiæ à non nullis proprietatibus, essentiam morbi comitantibus, tum etiam à causis, & effectibus. Nos tamen reliquis omissis, vt per se notissimis, vel minùs vtilibus, eas tantùm hic proponimus, quæ ab essentia, & causis desumuntur.

Proprietates morborum essentiam comitantes sunt, prima, magnitudo, secunda, motus, tertia mos; quarta, euentus.

1. *Ratione magnitudinis, morbus dicitur magnus vel paruus.*

Morbus magnus is dicitur, qui intensus valdè est, & magna vi corpus nostrum affligit.

Paruus vero, qui a naturali constitutione parum recedit, & vires nostras parum labefactat.

Galenus tribus de causis morbum magnum dici debere affirmat. *Primo*, ratione partis, si nimirum partem principalem afficiat, vel ad vitam necessariam. *Secundo*, ratione causarum, si nimirum illæ sint admodum vehementes, & magno

impetu

impetu sæuiant: *Tertio*, ratione symptomatum, si nimirum illa violenta, & attrocitate corpus valdè molestent.

2. *Ratione motus considerantur quatuor tempora morborum: Principium, augmentum, status, & declinatio.*

Principium, morbi est, quando eundem tenorem seruat, quem à principio accepit, nulla auctione insigni adueniente.

Augmentum est, cum morbus sensibiliter increscit.

Status est, cum morbus non amplius increscit, eamdemque retinet vehementiam à summo incremento relictam.

Declinatio denique est, cum morbus manifestam suæ vehementiæ patitur diminutionem.

Diuisio temporum morborum non solum ab essentia ipsius morbi desumitur à Galeno, sed etiam à causis, & symptomatis, cum scilicet illa vehementiora fiunt à principio ad statum, & in declinatione mitescunt, ac potissimùm ab excrementis: quæ in principio omninò cruda statuuntur, in augmento quoddam coctionis rudimentum præseferunt, in statu maxima coctionis indicia ostendunt, & in declinatione absolutam concoctionem, suique in melius commutationem.

Tempora autem morborum vel sunt vniuersalia, vel particularia.

Tempora vniuersalia sunt partes totius morbi, à principio ad finem considerati.

Tempora vero particularia sunt partes paroxysmorum, qui in morbis intermittentibus apparere solent.

Sic vnusquisque morbi paroxysmus habent principium, augmentum, & declinationem; sicut vniuersus morbus in toto sui decursu consideratus.

Nota, non omnes morbos habere quatuor tempora, sed tantum salutares: lethales enim ante declinationem perpetuò interimunt.

In motu etiam consideratur quantitas, & modus.

Ratione quantitatis motus, seu durationis, alius morbus dicitur longus, alius breuis.

Sic febris ephemera est morbus breuis, quia citissimè finitur: hydrops verò longus, quia diutissimè perdurat.

Ratione etiam quantitatis motus, seu durationes, alius morbus dicitur alius chronicus.

Acutus morbus est, qui cum breuitate iunctam habet magnitudinem.

Ideò celeriter mouetur cum vehementia, & periculo. Huic vulgò chronicus opponitur, licet illi non sit omnimodè contrarius. Chronicus enim, & longus idem est, talisque appellatur ex eo solùm, quòd diuturnus sit, licet plerumque magnus existat: vt paralysis, hydrops, & similia, quibus vere, & propriè breues opponantur.

Nota, nonnullos morbos chronicos esse ratione propriæ essentiæ, & acutos ratione paroxysmi, vt epilepsia, quæ morbus est longissimus, & paroxysmos habet acutissimos.

Morbus acutus triplex, primus peracutus, secundus acutus simpliciter tertius est acutus ἐκ μετατροπῆς, *seu ex decidentia.*

Peracutus rursum diuiditur in extremè peracutum, & simpliciter peracutum.

Extremè peracutus est, qui tàm vehementer, & velociter mouetur vt tertio, vel quarto die ad salutem, vel ad mortem terminetur.

Peracutus simpliciter ad septimum diem terminatur.

Acutus vero simpliciter dictus, vel est exactè talis, vel non exactè.

Exactè talis ad decimum quartum diem terminatur.

Non exactè talis ad vigesimum, vel vltra producitur.

Acutus denique ex decidentia ad quadragesimum vsque diem se extendit: & vltra illum longus, & diuturnus morbus appellatur.

Et hæ sunt differentiæ, quæ à quantitate motus desumuntur: sequitur vt eas proponamus, quæ a modo motus emanant.

Ratione igitur modi motus, alius morbus dicitur continuus, alius intermittens.

Continuus morbus est, qui continuò affligit, & in tota sua duratione ad intermissionem aliquam non peruenit.

Intermittens verò, qui integras in suo decursu habere solet intermissiones.

Atque ita de motu: iam de more morbi est agendum.

3. *Ratione moris morbus dicitur benignus, vel malignus.*

Benignus morbus dicitur, qui mitis valde est, & nulla sæua infert symptomata.

Malignus verò is appellatur, qui malignam quandam, & venenatam qualitatem adiunctam habet, & sæuissima infert symptomata.

Malignus rursum triplex est: primus venenatus, secundus pestilens, tertius & contagiosus.

Venenatus morbus est, qui qualitatem habet vitæ nostræ penitus aduersam ex veneno assumpto, admoto, vel ex pessimis humoribus intus genito productam.

Pestilens morbus est, qui malignam, & deleteriam qualitatem possidet, ac in omnes communiter grassatur.

Contagiosus denique est, qui sese valde multiplicat, & alios quam plurimos eodem affectus genere inficere solet.

Atque ita de more morbi. Iam de illius euentu.

4. *Ratione euentus alius morbus dicitur salutaris, alius lethalis, alius periculosus.*

Salutaris morbus est, qui nullum vitæ periculum minatur.

Lethalis morbus est, qui certissimam infert perniciem.

Periculosus denique qui dubium exitum pollicetur, & aliquando ad salutem, aliquando ad interitum terminatur.

Atque hæ sunt differentiæ quæ à proprietatibus essentiam comitantibus desumuntur: iam illas, quæ à causis petendæ sunt proponamus.

Istæ autem causæ sunt, vel materiales, vel efficientes, vel sine quibus non.

Ad materiales subiectum referimus; ad efficientes, humores, & ad eas, quæ sine quibus non locum.

Multa alia sunt genera causarum, quæ hic non proponimus, quia ab his tantùm differentias morborum accidentales desumere decreuimus; imò neque omnes proponemus, quæ ab illis elici possunt, sed tantùm vtiliores.

1. *Ratione subiecti, alius morbus dicitur Idiopathicus, alius sympathicus.*

Idiopathicus est, qui primariò in parte à sua causa producitur in eaque habet permanentiam.

Sic pleuritis, peripneumonia, phthisis, alijque idiopathici appellantur.

Sympathicus verò est, cùm ab vna parte idiopathicè laborante affectus alteri communicatur.

Ita tamen affectus alteri per consensum laboranti communicatur, vt priore, scilicet idiopatico sublato, sympathicus auferatur; alioqui, si ex se permanet, idiopathicus factus est, & tunc à Medicis *Deuteropathicus* appellatur, siue secundarius. Primus verò dicitur *Protopathicus*, quòd primò in illa parte productus fuerit affectus.

Morbus autem sympathicus propter quinque causas solet generari. Primò, *propter vicinitatem*, Secundò, *propter generis societatem*, Tertio, *propter officij communionem.* Quarto, *propter situm* Quintò, *& propter connexionem.*

Propter vicinitatem manus brachio compatitur, os carni vicinæ, ventriculus hepati, pleura pulmoni, pulmo cordi, & vice versa.

Propter generis societatem partes neruosæ neruosis compatiuntur, & carnosæ carnosis, quia sub eodem genere sunt constitutæ, eandemque possident naturam.

Propter officij communionem mammæ vtero, vesicæ tenes compatiuntur, quia simile in corpore officium exercent.

Propter situm caput partibus inferioribus facilè compatitur, vt ventriculo, hepati, vtero, & similibus. Illis è directo superiacet, atque ita vapores ab ijs sursum eleuatos facilè recepit. Sic etiam ventriculus, & pulmo capiti facilè compatiuntur; quia illi è directo subijciuntur, atque ita humores ab eo defluentes facilè recipiunt.

Propter connexionem nerui cerebro compatiuntur, arteriæ cordi, venæ hepati, & vice versa, quia illis connectuntur.

Rursum omnis morbus sympathicus duobus modis fit, positiuè scilicet, vel priuatiuè.

Positiuè fit, quando aliquid ab vna parte in aliam defertur.

Sic à ventriculo ad cerebrum eleuati vapores dolorem, vertigines, aliosque huiusmodi affectus sympathicos producunt, qui positiui appellantur.

Priuatiuè fit, quando id non influit, quod debeat influere.

Sic in apoplexia perit sensus, & motus in toto corpore, quia facultas, & spiritus animales non influunt à cerebro propter obstructionem ventriculorum eius. Atque ita dicitur fieri propter priuationem materiæ, vel facultatis.

2. *Ratione causarum efficientium, siue humorum morbos committentium, alij dicuntur legitimi, alij spurij.*

Legi-

Legitimus est, qui propriam suam speciei naturam maximè retinet, & causam habet, & quà solet produci, integram, & sinceram.

Spurius verò est, qui neque naturam suam puram retinet, neque causam, à qua fit, habet sinceram.

Febris tertiana, quæ à bile sincera excitatur, vera, & legitima appellatur, sicut quartana, quæ à pura melancholia producitur: illæ autem febres notæ, spuriæ, & illegitimæ nuncupantur, cùm alios humores habent permixtos, præter iam dictos.

3. *Ratione loci, siue regionis, in qua morbi generantur, alij dicuntur endemij, alij epidemij, alij sporadici.*

Endemij morbi dicuntur, qui sunt alicui regioni peculiares, in eaque communiter grassantur.

Vernaculi, & gentilij aliter appellantur, quia eandem regionem perpetuò obsidens ob aerem patrium, alimenta, &c. Sic Alpinorum montium incolis Bronchocele, strumę Hispanis, tabes Lusitanis, Borea libus scorbutus endemij motbi æstimantur.

Epidemij morbi sunt, qui in regione qualibet populariter grassantur.

In hoc conueniunt morbi Endemij, & Epidemij, quòd multos inuadant, & populariter grassentur: Differunt verò in eo, quòd endemij eandem perpetuò regionem occupent; epidemij verò minimè, sed quamlibet indifferenter inuadant. Et ratio est, quia endemij à peculiari aeris patrij, aquarum, vel ciborum dispositione oriuntur: epidemij verò causam habent in solo aere, non ex loci ratione, vel potiùs ex maligna cœli influentia, infecto.

Sporadici morbi sunt, qui nec communiter grassantur, nec alicui regioni sunt peculiare.

Dispersi etiam appellantur, & endemijs, ac epidemijs opponuntur, quia scilicet varij sunt, & contingenter, nunc huic, nunc illi accidunt: Sic in regione hac, vel alia qualibet hic pleuritide laborauit, illefebre continua, vel tertiana, alius catharo, nephritide, podagra; hydrope, aut alio quouis alterius naturæ, pro varia indiuiduorum natura, & constitutione. *Melet. II. 61.*

Atque hactenus de morborum natura, & differentijs tam essentialibus, quàm accidentalibus: super est iam, vt de eorum mutationibus agamus.

PHYSIOLOGIÆ

SECTIO SECVNDA.

De mutationibus morborum, & præcipuè de Crisibus.

CAPVT PRIMVM.

De mutationibus, quæ in morbis contingunt.

DUæ insigniore; fiunt in morbis mutationes, vel dum in alium morbum commutantur: vel dum absolutè, & simpliciter soluuntur sine alterius morbi interuentu.

Commutatio vnius morbi in alium frequenter apparet, dum apoplexiam in paralysin degenerat: febris tertiana in quartanam: quartana, hepatis, aut lienis tumor, & alij quamplurimi affectus in hydropem degenerant.

Absolutè simpliciter soluuntur morbi, dum sine alterius morbi interuentu ad salutem, vel mortem terminantur.

Terminantur vero ad salutem, vel mortem dupliciter: Sensim videlicet, atque paulatim: aut subito, & de repentè.

Dum sensim, & paulatim terminatur, ad mortem, marasmus nominatur; dum vero sensim terminatur ad salutem, solutio simpliciter λύσις Græcis nominatur.

Dum subitò, crisis nominatur, quæ lysi vulgo opponitur, dum passim autores dicunt, omnes morbos terminari per crisin, aut lysin.

CAPVT II.

De natura Crisis.

Crisis est subita, & repentina mutatio in morbo ad salutem, vel ad mortem.

CRisis nomen multis modis vsurpatur apud Hippocratem, & Galenum. *Interdum* enim per crisin nihil aliud, quàm humorum secretionem significant, quemadmodum Galenus *comment. in aph. 13. sect. 2. Fit* inquit *crisis natura secernente humores noxios a bonis, & ad excretionem præparante.* Interdum verò Crisin ipsam excretionem significare volunt, quòd optima crisis excretione perficiatur. Sic Hipp. *lib. de arte*, corrupti ossis excretionem crisin nominat, vel *denique* pro certamine accipitur, quod instante crisi inter morborum, & naturam solet accidere. Sed magis frequens & vsitata est illius acceptio pro iudicio, quæ ab ipsius Galeni temporibus ad nos vsque fuit à plurimis recepta. Galenus enim *comment. 1. in progn.* Indicationem in morbis factam è foro iudiciali deriuatam, & in artem medicam translatam fuisse attestatur, nec quidem admodum impropriè: licet enim res, à quibus translationes desumuntur, non sint omnino consimiles, attamen iudicium, quod fit in morbis, cùm indicio forensi non exiguam habet similitudinem. In foro enim iudiciali, dum capitalis causa agitur, concurrunt primo actor, & reus. Actor cum reo dimicat, eumque pertinaciter accusat, testes profert, eique mortem, vel supplicium intentat. Reus verò, si insons accusationis fuerit, sese strenuè defendit, & in actorem ipsum pœnam reijcit: si verò contra accusatoris vim sistere non possit, succumbere cogitur. Hæc omnia aguntur coram iudice, qui res omnes perpendit, ac tandem certa die vniuersaliter iudicium profert. Pari quadam ratione in crisibus morbus actoris partes agit, natura verò rei, causa morbifica naturam lacessit, eamque funditus euertere conatur. Huius inuasionis testes sunt symptomata, quæ totius certaminis progressum patefaciunt. Natura verò, quæ rei quodammodo rationem habet, aduersus actore suum, morbum videlicet, sese pro virili defendit, & si viribus illa constet, morbi conatus eludit, eumque tanquam iniquum actorem reijcit, & foras excludit: si verò imbecilla sit, illius actioni succumbit. Hic omnia accurate rimatur Medicus, & vtriusque partis pensitatis viribus, tanquam iudex sententiam profert, diemque notat iudicij, in quo futura est vel morbi, vel naturæ victoria. Patet igitur hinc non omninò absurdam, atque reijciendam esse crisis cum iudicio comparationem.

Vt verò ad ipsam Crisis definitionem proprius accedamus, cum illa per mutationem definiatur, sciendum est, & omni motu secundum Philosophos multa considerari, terminum à quo terminum ad quem, medium, per quod fit motus, mouens, & mobile. Hæc omnia in crisi perpetuò reperiuntur. *Mouens* enim est ipsa natura quæ coctiones perficit, humores secernit, ac tandem die critico expellit. *Mobile* sunt causa morbifica, & humores præternaturales, in quos tantùm potest cadere crisis. *Terminus à quo* incipit crisis, est morbi augmentum, fit enim crisis in morbo; & pro varia morbi natura tardiores, vel celeriores crises exercentur; Acuti enim morbi celeriùs, longi tardiùs iudicantur.

Terminus, ad quem definit crisis, est sanitas, vel mors, vel status illis proximus, aut transitus in aliam morbi speciem. *Medium* verò, *per quod*, est totum illud spatium, quod à morbi augmento ad solutionem vsque extenditur, & in in quo natura concoctioni, secretioni, & excretioni incumbit.

Motus autem ille crisis simplex non est, sed compositus; idque dupliciter, ex locali scilicet, & alteratiuo, ex naturali, & violento. *Localis motus* in crisibus fit ratione causæ morbificæ, quæ à natura commouetur, & agitatur, ac per vias consuetas decernitur. *Alteratiuus* verò *motus* fit ratione corporis patientis, siue *corruptiuus* ille sit, vt apparet in crisi lethali, siue *perfectiuus*, vt in salutari est manifestum. Secundo motus ille est *naturalis*, ratione naturæ, quæ internum est principium, & mouens, crisin primò, & per se efficiens: *violentus* verò est ratione certaminis, perturbationes, & velociores illius mutationis. Optimè igitur crisis dicitur mutatio, eaque velox, & repentina, vt hoc modo distinguatur à coctione, certamine, & secretione; tum etiam à solu-

tione

tione lenta, & paulatina diuturnorum affectuum. Vnde velocitas illa propria, & peculiaris differentiæ rationem habet. Reliquæ verò definitionis partes tàm per se sunt manifestæ, vt nulla indigeant explicatione.

CAPVT III.

De Crisium Differentijs.

Crisis alia est perfecta, alia imperfecta.

Perfecta est, quæ ægrum perfectè, & integrè à morbo liberat. Estque vel salutaris, vel læthalis.

Vt crisis perfecta sit, & salutaris sex requiruntur conditiones. Debet enim esse. Primò *optimis signis iudicata.* Secundò, *manifesta.* Tertiò, *die critico contingere*, Quartò, *fida.* Quintò, *secura.* Sextò, *conueniens morbo, & ægrotantis naturæ.*

PRimò igitur crisis perfecta salutaris concoctionis signis die indice prænonstratur. Vnusquisque enim dies criticus suum habet indicem, quartus videlicet est index septimi, vndecimus decimiquarti, & decimus septimus vigesimi. In illis inquam, diebus apparere debent concoctionis signa, vt crisis perfecta salutaris consequatur. *Secundo*, debet esse manifesta, id est, cum insigni aliqua euacuatione coniuncta, scilicet excretione, vel abscessu. *Quæ enim sine manifesta excretione leuant, recidiuam facere solent,* (inquit Hippocrates in *prognosticis*) idipsum confirmat idem Hippocrates quam plurimis historijs in *epidemijs*, è quibus insignis hæc instar omnium erit. *Sect. 7. lib. 3. Epid. Ægr. 2.* Hermocrates decimoquarto die liberatur à febre, non sudauit, decimoseptimo rursus febre corripitur, vigesimo febris expers non sudauit, vigesimoquarto die rursum febricitauit, tandem vigesimoseptimo die moritur. Si enim sine causis criticis soluatur morbus, periculo non vacat; & si cum insigni excretione, vel abscessu terminetur, salutaris crisis censenda est. *Tertio* die critico debet contingere; in illis enim diebus solet natura, dum commodè operatur, humores noxios πέπτουσι, & confestim expellere, vtilesque moliri excretiones: quæ si alio die contingant, signum est naturam esse conturbatam, & tumultuariò operari. *Quarto*, debet esse fida, atque ita nullas morbi reliquias post se relinquere, vnde recidiuæ periculum supereſſe possit. *Quinto*, debet esse secura, id est, cum facili ægri tolerantia, & sine vllis periculosis symptomatis. *Denique* talis crisis esse debet speciei conueniens, & ægrotantis naturæ, atque adeò illius ætati, & temperiei congener. Acuti morbi per excretionem, diuturni per abscessum iudicari solent. Febris ardens in iuuene hæmorragia, in sene alui fluxu vt plurimum iudicatur.

Crisis perfecta læthalis contrarias habet conditiones ei quæ salutaris est.

Conditiones illas ex supradictis eruere facile est, si nimirum eas, quæ pro salutari crisi propositæ sunt, in contrarium vsurpemus. Ex his autem prima inter reliquas maximi momenti est; cùm ea crisis læthalis maximè censenda sit, quàm non præcesserunt concoctionis signa. Si enim, nulla apparente concoctione, aliqua fiat perturbatio, & humorum euacuatio, certissimum est indicium naturæ irritatæ, & ab humorum malignitate lacessitæ. Vnde fit, vt citiùs properet ad statum, quàm coctionis gradus ferre queat, & tunc temporis crisin minimè tutam fore audacter pronunciandum idque eò magis, quò morbus natura fuerit periculosior. In morbo enim salutari & minùs periculoso, tunc etiam verendum est, ne diminutè iudicetur, & cum grauioribus, periculosisque symptomatis morbus deinceps reuertatur, vel tandem diuturnior factus in mortem degeneret. *Coctiones enim* (inquit Hipp.) *celeritatem iudicij, & morbi securitatem ostendunt; cruda vero, & incocta, atq; in malos abscessus conuersa, dolores, aut diuturnitatem aut acrisias, aut mortem, aut recidiuam.* Hæc enim mala euenire solent dum crisis nullo modo antea indicatur, vnde ostenditur naturæ conditiones, & consuetudines esse funditus euersas, atque labefactatas à vi morbi, neque illam in crisi morbum esse debellaturam, siquidem in pugna nullum præstitit specimen victoriæ, quod perpetuo euenire solet in ijs, qui inuicem pugnant. Ille enim, qui aduersus suum antagonistam victoriam est reportaturus, omnibus motibus statim ostendit, se inferiorem habere inimicum, licet ipse aliquid ab inimico repatiatur. Verùm nullum ostendere roboris potentioris signum, necessariò significat collapsam ruere facultatem.

Crisis imperfecta est, in qua morbus perfectè non iudicatur, sed tantùm secundum partem, & alterius crisis futuræ locum post se relinquit.

Eaque duplex est, altera ad melius, altera verò ad deterius.

Ad melius ea est, quæ non omninò tollit morbum, sed facit, vt eum alacrius ferat.

Ad deterius est, quæ morbum facit vehementiorem, & magis periculosum.

COROLLARIVM.

Præpositæ crisium differentiæ aliquas patiuntur difficultates, quæ hic paucis diluendæ sunt. *Primo* enim non dari posse crisin perfectam, salutarem, aut lethalem, sequentibus argumentis probari potest.

Primum. Si daretur crisis perfecta salutaris, ea absoluta, statim perfecta sanitas succederet. Sed post crisin languida admodum est sanitas, & imperfecta; omnesque actiones debiles, & infirmæ, morbosam potius indicant constitutionem, quàm sanitatem.

Secundum. Non potest fieri transitus ab vno extremo ad aliud nisi per medium. Sed medium inter morbum, & sanitatem est status neuter. Ergo in quauis crisi fiet mutatio ad statum illum neutrum, non autem ad perfectam sanitatem.

Tertium. Conualescentes, qui ex morbo per crisin euaserunt, eodem modo vt ægri conseruantur. At illud non fieret, si crisis perfecta fuisset, & salutaris.

Quartum. Crisis etiam lethalis perfecta dici non potest, cùm mors illi succedens destructio mera sit, & perfectioni contraria.

Quintum. Omnis crisis à natura perficitur. At omnes naturæ actiones ad bonum perpetuò tendunt. Ergo nulla crisis poterit esse lethalis.

Ad Primum, Secundum, & Tertium dicendum est, crisim perfectam, salutarem appellari, cùm ab ea nulla portio materiæ morbificæ relinquitur in corpore, quæ morbum constituere possit. Licet verò statim per crisin non sit perfecta sanitas, sed tantùm status neuter conualescentiæ; ille tamen à præternaturali materia nullo modo dependet, sed tantùm à partium languore, & imbecillitate, quæ à prægressi morbi violentia necessario fuit introducta. Ideò dicere possumus, perfectam tunc temporis esse sanitatem, saltem ratione causæ morbificæ, quæ tota fuit vacuata. Et hoc sufficit, vt crisis dicatur perfecta.

Ad quartum dicimus, in crisi lethali fieri destructionem ratione individui, & corporis ægrotantis; hoc tamen non impedire, quin aliqua in ijs sit perfectio ratione ipsius crisis, quæ quamuis lethaliter exerceatur, tamen, dum integrè absoluitur, perfecta quodammmodo dici potest.

Ad quintum respondeo, naturam perpetuo sibi finem optimum proponere, ab eo tamen sæpius aberrare, cum debilis admodum est, vt præ nimia virium exolutione intentum assequi non possit, & oneri succumbere cogatur.

Secundo, aduersus primam conditionem crisis perfecta salutaris obijci possunt duæ Hippocratis historiæ, quarum prima habetur 1. *Epid. sect. 3.* Vbi refert, Metonem absque concoctionis signis perfectè ad salutem fuisse iudicatum. Altera habetur 3. *Epid. sect. 3.* Vbi etiam affirmat, Lariſſæam virginem sine coctionis signis perfectè iudicatam. Verùm huic obiectioni duplex *responsio* satisfacit. *Primo* enim dicimus cum Galeno, historias illas raras esse, & extra ordinem naturæ, atque ideò ab Hippocrate obseruatas. Miratur enim Galenus *in commentario*, istas crises nullam sequutam fuisse recidiuam, cùm præter naturæ consuetudinem, & præter leges ordinarias salutaris criseos apparuerit. *Secundo* dicimus, illas crises fuisse salutares propterea quod in principio multæ præcesserant vacuationes, eæque satis laudabiles, multæque crisin fuerant consequutæ, vt ex historijs illis apparet. Licet autem illæ symptomaticæ quodammodo fuerint, ex eo quòd in principio prodierint sine coctionis signis, tamen criticæ quodammodo censendæ sunt quia vi naturæ oppressæ factæ fuerunt, & materia turgente. Vel saltem dicamus, illas fuisse mixtas, partim scilicet criticas, partim symptomaticas, quæ tamen, materiam morbificam

minuen-

minuendo potuerunt efficere, vt crisis postea superueniens, ad salutem fuerit terminata; cum eam præsertim aliæ subsequutæ fuerint euacuationes. Metoni enim post iudicium crebrò sanguis è naribus exijt. Lariſſæ vero virgini menſtrua post iudicium prodierunt, quæ nunquam apparuerunt, & ideo nulla subsequuta est recidiua.

Obijci etiam potest, naturam humores noxios, dum turgent, sine coctionis signis posse criticè vacuare, cum Medico liceat ex diuini senis præcepto purgationes celebrare, turgente materia, nulla expectata concoctione. *Respondendum* est, in principijs morborum naturam oppressam à materia turgente mixtas saltem vacuationes celebrare posse, partim scilicet criticas, & partim symptomaticas, perfectas crises non posse, propter concoctionis defectum.

Tertiò, aduersus quintam conditionem salutaris crisis, quod scilicet debeat esse secura, nempe cum facili ægri tolerantia, & sine periculosis symptomatis, *opponi* potest auctoritas, ratio, & experientia. Nam Hipp. *aph.* 13. *sect.* 2. noctem difficilem, & grauem imminentem crisis præcedere testatur & Galenus, *c.* 7. *l.* 3. *de crisibus*, varia symptomata, eaque acerbissima, vt perturbationem, delirium, difficultatem respirationis, iactationes, pulsus inæqualitates, criticas vacuationes antecedere affirmat.

Deinde, non potest accidere crisis, nisi post certamen naturæ cum morbo; & contentio illa non potest fieri sine symptomatum exacerbatione. Natura enim, & morbus agunt inuicem, & patiuntur: vnde ægrotantis corpus necessariò affligitur. *Denique* ostendit experientia, nullam crisim (quantumuis salutaris illa sit) sine symptomatum vehementia, & summa ægrorum agitatione exerceri. Ad hæc *Respondemus*, in crisi quidem multa apparere symptomata, sed illa non esse periculosa. Vbi enim vires sunt validæ, & robustæ, symptomata, quæ in crisi salutari sunt perpetuò mitiora, nullum possunt affere periculum. Nam quando illa sunt admodum vehementia, lethalem crisim portendunt, vel saltem imperfectam quæ ad deteriùs vergit.

Quartò, aduersus vltimam conditionem salutaris Crisis, quod scilicet debeat esse conueniens morbo, & ægrotantis naturæ, ita vt acuti morbi per excretionem longi per absessum iudicentur. Febris ardens in iuuene per hæmorrhagiam, in sene per alui fluxum terminetur, hæc *obijci* possunt: quod morbi acuti aut per excretiones, aut per absessus iudicentur, ex Gal. *c.* 7. *l.* 3. *de crisibus*. Deinde Febres pestilentes quæ sunt extremè peracutæ, per bubones, & carbunculos soluuntur. Morbi etiam longi non solum per absessus, sed etiam per excretiones sæpè iudicantur: neque crises illæ ægrotantis naturam sequi solent; febres enim acutæ iuuenibus non solum per hæmorrhagiam, sed etiam per sudores, vrinas, & alui fluxum terminantur, quod etiam in senibus absq; vllo discrimine contingit. His omnibus *Respondendum* est propositam conditionem veram quidem esse non perpetuò, & necessario: sed vt plurimum: habet enim natura suos motus ordinarios quos aliquando immutet, pro varia materiæ conditione, & dispositione eiusdem; ita vt materia, quam natura in tali ætate, per hæmorrhagiam vacuare est consueta, si non in partibus inferioribus fit, fiat, commodiùs per vrinas, aut alui fluxum vacuetur.

CAPVT IV.

De signis crisium.

Signa Critica in tres classes diuiduntur, quorum alia antecedentia, alia concomitantia, alia denique subsequentia nominantur.

Antecedentia rursum duorum sunt generum, alia tempus crisium præmuntiant, alia speciem crisis significant.

Tempus futuræ crisis ex duobus innotescit, acuto morbi, & concoctionis signis, quæ à nobis exposita sunt, sect. 3. Simiotices cap. 4.

Speciem crisis, significant ea signa quæ ostendunt, per quem locum crisis aduentura sit, vt elicet per vomitum, alui fluxum, sudores, vrinas, hæmorrhagiam, menses, hæmorroidas, vel absessum. Quæ omnia fuerunt à nobis exposita, sect 3. Simiotices, c. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.

Signa crisin comitantia sunt quæ cum ipsa specie crisis simul apparent, crisinque ipsam, dum fit, bona ne sit, an mala; perfecta, an imperfecta indicant.

Sunique ipsemet causæ, & species criticæ, quæ duæ omninò sunt, excretio, & absessus.

Excretio ea salutaris, & bona dici debet, quæ commodè fit. Vt autem commodè fiat, quatuor requiruntur, qualitas laudabilis quantitas moderata, tempus opportunum, & excernendi modus naturæ familiaris.

Qualitas humoris, qui externitur, laudabilis est, si & peccans, & coctus humor vacuetur.

Quantitas moderata est quæ neque exigua, sed sufficiens, neque immodica est. Nam exigua damnatur, & suspecta est, qualis est substillum sanguinis, sudatiuncula, vomitus exigui; immodica periculo non vacat.

Tempus opportunum est dies criticus, quæ enim excretiones alijs diebus contingunt suspectæ sunt.

Excernendi modus est naturæ familiaris, si excretiones primùm fiant confertim, non sensim, & paulatim deinde si fiant per loca conferentia, & legi naturæ commoda.

Vt verò per loca conuenientia fiat euacuatio, tria sunt necessaria. Primùm, *vt locus non sit loco morbi dignior.* Deinde, *vt habeat rectitudinem. Postremò, vt transitus patentes habeat.*

Absessus vt legitimus sit tria spectanda, quò, vnde, & propter quid.

Quò *partem denotat, in quam decumbit, quæ debet esse inferior, ignobilior remota ab affecta parte, & totius materiæ morbificæ capax, alioqui periculum refluxus.*

Vnde, *partem denotat ex qua dextrane, an sinistra: debet enim fieri decubitus secundùm rectitudinem.*

Propter quid, *causam designat, ob quam oritur absessus, id est, num à natura cocto morbo, aut à materia crudente, & diuexante adhuc humore crudo. Nam si crudo existente morbo fiat paruus erit absessus, & morbum perfectè non iudicabit.*

Hæc omnia speciatim à nobis exponentur *Sect.* 3. *Simiotices cap* 2. dum signa examinabimus, quæ desumuntur ab excrementis, per varias corporis partes profluentibus.

Signa crisin consequentia ostendunt an crises perfecta fuerit, & an inde perfecta sanitas expectanda sit; an verò fuerit imperfecta & metus sit recidiuæ. Illa autem desumuntur ab actionibus excrementis, & qualitatibus corporis, quæ ad statum naturalem plurimùm accedant, salutaris fuit excretio: si verò ab eo valde recedant fuit imperfecta crisis, & periculum est recidiuæ. Hæc etiam erunt à nobis explicanda cap. vltimo partis prognosticæ, *in quo agitur de signis futuræ recidiuæ in conualescentibus.*

CAPVT V.

De Diebus criticis.

Dies critici illi dicuntur, in quibus crises solent contingere.

Eorum tres sunt differentiæ: Alij dicuntur verè, & perfectè critici, alij indices, alij intercidentes.

Perfectè critici, principes, aut radicales appellantur: quoniam, quæ his diebus contingunt crises omnes perfectæ crisis notas habent: eiusmodi sunt septenari tres, nimirum septimus, decimus quartus, & vigesimus.

Hisce diebus frequentiùs perfectæ, ac salutares crises solent contingere, quia natura in illis, præcipuè quando vtiliter operatur, & absolutum supra morbum dominium obtinet, singulare aduersus causam morbificam certamen aggreditur, eamque perductus conferentes excludit. Illi autem sunt septenarij tres, quia natura septenario numero gaudet. Nam septimo mense fœtus vitales edit, septimo ætatis anno dentes prodeunt, decimoquarto menses erumpunt, & per singulos annorum septenarios magnæ mutationes in hominibus contingunt. Horum primus est septimus non solùm ordine sed etiam potestate, & viribus vt testatur Gal. *1. de dieb. decr. c.* 4 Eumq; cum Rege clementissimo confert, qui multos à pœna liberat, eosque saluos dimittit; vt plurimum enim, quæ illis diebus contingunt crises bonæ, & salutares sunt. Si verò quædam malæ contingant, non pernicioſæ sunt, quemadmodum futuræ essent, si alio die contingerent.

Secundus est decimusquartus, in quo iudicantur morbi, qui septimo iudicari nequiuerunt, nondum satis concocta materia: at si ante decimumquartum crisis contingat, non est perfecta: sed fit, natura irritata, aut copia, aut qualitate materia. Cùm enim dies criticiper septimanas numerentur, decimusquartus est finis secun-

dæ septimanæ, vnde factum est, vt ab Hipp. appelletur impar, quandoquidem non consideratur à primo die morbi, sed à primo die secundæ septimanæ. Est porrò terminus morborum acutorum, vt testatur Hipp. *aph. 23. sect. 2. Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.* Quod etiam confirmat *in Coacis*: *Ardenter febricitantes iudicant quatuordecim dies, vel ad interitum, vel ad salutem.* Cuius tamen sententiæ veritatem labefactare videntur plures historia, quæ habentur in *Epidemijs*, eorum, qui cùm acutè febricitarent, vltra decimumquartum producti sunt. Herophon decimoseptimo iudicatus, vxor Philini vigesimo interijt, Chærion vigesimo iudicatus est: hi autem omnes acuta febre correpti. Cui *obiectioni Respondendum* est, acutos morbos verè dici ex Hipp. & Galeni doctrina, qui celeriter, continenter, & vehementer mouentur, neque acutorum nomen obtinere, donec vehementiam sumpserint; licet igitur quidam morbi iudicentur decimoseptimo, & vigesimo quoad morbi initium, semper tamen iudicantur decimoquarto quoad morbi vehementiam, & impetum. Nam huiusmodi morbi decimoseptimo, & vigesimo iudicati, non statim à principio sumpsit impetum, & vehementiam, sed paulò post. Sic, qui in fine quaternarij vehementiam ceperunt, licet decimoseptimo finiantur, proculdubio decimoquarto suæ vehementiæ iudicati sunt: & qui septimo vehementiores apparuerunt, vigesimo iudicati, decimoquarto suæ vehementiæ soluuntur. Vnde Galenus *commentario in prædictum Aphorismum*. *Nullus*, inquit, *inuentus est vnquam, qui ab initio velociter moueretur, hunc transgredi terminum, qui aliquam ex dictis non acceperit mutationem*. Quamuis enim aliquando decimo septimo, aut vigesimo desinat morbus acutus; tamen intra suum decimumquartum iudicatum esse comperimus, si computationem incipiamus ab eo die, quo citatior, & vehementior morbus fieri incipit. Quod patet ex Hipp. historia adolescentis in Melibæa, qui decima die delirauit, vigesima valde insaniuit, & vigesimaquarta obijt: quo constat, decimo quarto vehementiæ obijsse, quãdoquidem illa incæpit tantũ die decima morbi. Quamuis autem apud Hipp. quidam morbi acuti nominentur, qui ad quadragesimum, aut sexagesimum diem extenduntur, tamen illi verè, & propriè acuti non sunt, quia non habent vehementiam, & impetum, sed lentè progrediuntur. ideòque acuti ex decidentia vulgò nominantur; quandoquidem ex acutis producti sunt per crisin imperfectam iudicatis; vel inæqualiter procedunt ob inæqualem vicissitudinem remissionis, & exacerbationis.

Tertius ex diebus Principibus est vigesimus, qui septimus est à decimoquarto, quandoquidem decimus quartus his numeratur, est enim vltimus secundæ septimanæ, & primus tertiæ. vt docuit Hipp. aph. 24. sect. 2. *vbi dies indices præcipuè obseruat*. Contemplabilis, *inquit*, est decimus septimus, est enim quartus à decimoquarto. *Vnde necessario sequitur, vigesimum esse septimum à decimoquarto.*

Idipsum confirmat idem Hippocrates pluribus historijs *Epidemijs*, vt Chærionis, vxoris Philini, filiæ Euryanactis, qui iudicati sunt die vigesimo. In alijs verò, qui iudicati sunt post vigesimum, contigerunt crises in quaternionibus, & septimanis, computando à vigesimo. Sic Abderitana virgo vigesimoquarto iudicata est: Anaxion verò vigesimoquarto.

Attamen aduersus hanc doctrinam *opponi* potest, quod idem Hippocrates *aph. 30 sect. 4.* vigesimum primum inter decretorios enumerat, omisso vigesimo. *Sudores*, inquit, *febricitantibus boni, qui manare cæperunt die tertio, quinto, septimo, nono vndecimo decimoquarto decimoseptimo, vigesimoprimo*. Quod etiam confirmat *in epid. & libello de diebus decretorijs*, in quibus vigesimumprimum refert, omisso vigesimo.

Huic difficultati *Respondendum* est, crises, quæ in tertia septimana contingunt, vt plurimùm partem vigesimi, & vigesimiprimi occupare: vnde fit, vt aliquando ab Hippocrate crisis ad vigesimum, aliquando verò ad vigesimumprimum referatur. Fuit tamen magis consentaneum, criticum appellare diem, à quo incipit, quàm quo finitur crisis.

Indices, qui contemplabiles, & internuntij nominantur sunt, qui crisin septenario futuram indicant: sunt que numero tres, quartus, vndecimus, decimusseptimus.

Contemplabiles appellantur, quòd ex eorum contemplatione crisis futura soleat præuideri: ideòquè etiam internuntij nominantur, & frequentiùs indices, quod indicent, & pronuntient diem futuræ criseos: idque fit per concoctionis signa, quæ in vrinis præcipuè apparent. Vnde Hippocrates in *prognosticis, & aphorismis*, Urina, quæ quarto die hypostasin habet albam, læuem, & æqualem, solutionem morbi septimo fieri ostendit. Ex principibus autem diebus vnusquisque suum habet indicem: quartus nimirum est index septimi, vndecimus decimi quarti, & decimus septimus vigesimi. Isti verò dies inter criticos etiam recensentur, quod non simpliciter indices sint, sed quòd in ijs etiam non rarò crises soleant contingere, quamquam minus perfectæ.

Horum igitur primus est dies quartus, qui primò, & per se, & ex sui natura index est septimi, vt diligenter annotauit Galen. *cap. 11. lib. 2. de diebus decretorijs*, vbi docet, crisin quarto indicatam per signa concoctionis, die septimo contingere, si nihil impediat. Multa etenim possunt naturæ motum inhibere, non solùm in septimo, sed etiam in omni die critico, ex parte scilicet, vel ægri, vel ipsius Medici, vel astãtium, à quibus multi errores committi possunt; vt si Medicus die septimo catharticum exhibeat, si æger, aut astantes Medico non obsequantur, & legitimum tum remediorũ tum rerum non naturalium vsum peruertant. Est autem quartus dies inter decretorios collocandus; indicat enim morbos extremè peracutos, vt testatur Hipp. *in prognosticis*. *Mitissimæ*, inquit *febres, & signis firmatæ securissimi, quarto die, aut citiùs desinunt: malignissimæ verò & horrendis comitatæ symptomatis, quarto die, aut citiùs interimunt.* Sic in *Epidemiis*. Perles quarto die prorupto vniuersali sudore, acutissima febre defunctus est. Caluus Larissæus femur dextrum doluit, quarto die circa meridiem mortuus est celerrimè, & acutissimè. Attamen rarissimæ sunt illæ crises, quæ in quartum diem incidunt: frequentiùs enim tertio, aut quinto die contingunt, quia acutorum morborum exacerbationes diebus fiunt imparibus. At ijsdem diebus indicantur morbi, quibus exacerbantur, vt docuit Hipp. in *Epid.* ac proinde testatur Galenus se semel tantum, Archigenem verò bis crisin die quarto obseruasse.

Secundus ex Indicibus est Vndecimus, qui tamen non tàm perfectè decimumquartum indicat, vt quartus septimum. Quemadmodum enim dierum perfectè iudicantium vis sensim minuitur: ita indicantium, quandoquidem quò citius crises perficiuntur, eò maiorem ostendunt naturæ potentiam supra causam morbificam; & quo magis protrahuntur, eò maiorem ostendunt imbecillitatem, aut saltem materiæ contumaciam, vt ideò non tam firmiter, & ordinatè iudicia obeantur. Non solum autem indicat dies vndecimus, sed etiam iudicat: At non tàm perfectè, & frequenter, quemadmodum verè critici: plurima tamen exempla apud Hippocratem referuntur in *Epidemiis* eorum, qui vndecimo die iudicati sunt, Et Gal. *cap. 7. lib. 1. de diebus decretoriis*, se vno autumno omnes die vndecimo iudicatos obseruasse, scribit.

Tertius ex indicibus est decimus septimus, qui non tàm firmiter indicat, quemadmodum quartus, & vndecimus, sed potentiùs multò decernit, & inter criticos validiores à Galeno, alijsque auctoribus numeratur. Attamen Archigenes, & alij, qui integros dies numerant, atque adeò vigesimum primum, non vigesimum, verè criticum statunt decimumoctauum proindè admittunt, non decimumseptimum, quos Gal. prolixè impugnat, 2. *de diebus decretorijs*, *cap.* 4.

Intercidẽtes, qui & intercalares, seu irrepentes, vel prouocatorijs nominantur sunt, qui inter principes, & iudices intercidunt, crises que imperfectas moliuntur, sunt que tertius, quintus, nonus, decimustertius, & decimusnonus.

Prouocatorij dicuntur, quòd naturam interdum prouocent ad excretionem, vnde crisis in illis aliquando contingit, sed imperfecta, quia fit natura irritata ante tempus sibi ordinarium, & maximè consentaneum. Vnaquæque septimana habet dies suos intercidentes. Prima enim habet duos, tertium, & quintum. Secunda habet itidem duos, nonum, & decimum tertium. Tertia verò septimana vnicum tantùm habeat, nimirum decimumnonum. Sunt autem illi dies quodammodo critici, quia impares. At morbi acuti diebus imparibus exacerbantur, & in illis exacerbationibus soleant contingere crises, quia tunc temporis natura irritatur ad excretionem. Attamen illæ crises, quæ fiunt ab irritatione imperfectæ sunt, vt antea dictum est.

Reliqui verò dies, qui neque principes sunt neque indices, neq; intercidentes; vacui & medicinales nominantur. Sunt-

que

Suntque sextus, octauus, decimus, duodecimus, decimus sextus, & decimus octauus.

Vacui dicuntur, quia nec decernunt, nec indicant, nec prouocant, neque vllo modò critici sunt: & si quando crisis in illis contingat, mala est. *Medicinales* verò appellantur, quia in illis omnia medicamentorum genera atque adeò purgantia tutò exhiberi possunt, quod docuit Hippocrates, *quarto de morbis* insigni contextu. *Quicunque* inquit, *febre continua correpti cathartico diebus paribus vsi sunt, hi nimiũ purgati sunt numquam: At qui diebus imparibus cathartico sunt vsi, nimium sunt purgati, & multi perierunt.* Decretorij etiam quodammodo dici possunt, non simpliciter, sed cum adiectione, vt scilicet mali sint decretorij numquam enim salutariter iudicant, sed pessimè, infidè, & periculosè: quoniam, quę in illis diebus contingunt crises; à morbi malignitate simpliciter fiunt, non à natura, aut vincente, aut saltem irritata, quem admodum in prouocatorijs contingit. Horum pessimus est sextus, qui Tyrannus à Galeno nuncupatur, septimo pure contrarius, qui Rex ab eodem vocatur. Ideò quæcumque crises in sextum diem inciduńt, pessimæ censendæ sunt. *Sudores sexto die manantes, pessimi*, inquit Hipp. *in Coac.* & in *Aphorismis iterus sexto die lethalis est.* In *Epidemijs* verò quamplurimæ historiæ reperiuntur; vt Dromeadæ coniugis, Hermocratis, Philisci, & aliorum, quibus die sexto infelices crises contigerunt. Verùm *obijci* potest ex *sect. 3. lib. 3. Epid.* Larisæam virginem die sexto salutariter fuisse iudicatam. *Respondemus* cum Galeno, rarissimum esse istum casum, & præter naturæ consuetudinem accidisse; neque enim die critico accidit hæc crisis, neque signis concoctionis fuit præmonstrata, vt antea dictum est. Sed causa salutaris criseos referenda est ad rarum, & extraordinarium naturæ conatum, quæ triplicem in hac virgine euacuationem molita est, scilicet per menstruam purgationem, largam hæmorrhagiam, & copiosum sudorem. Idem ferè aliquorum dierum parium, qui vsque ad vigesimum inueniuntur, esto iudicium. Quanquam enim quidam Neoterici censuerint, morbos sanguineos diebus paribus iudicari, quia paribus mouentur; tamen ratissimè illud fit, tùm quia in febribus acutis, quæ exsanguine fiunt, sanguis facilè in bilem degenerat, aut saltem ea illius portio, quę putredinem contrahit: tum quia crises non simpliciter exacerbationes sequuntur, sed multò magis causam superiorem quæ *cap. de causis* fusiùs illustrabitur.

Critici etiam nuncupantur à vigesimo ad quadragesimum per septenarios, vigesimus septimus, trigesimus quartus & quadragesimus. A quadragesimo ad centesimum, & vigesimum per vicenarios sexagesimus, octuagesimus, centesimus centesimus, & vigesimus; post hunc verò perit dierum criticorum vis, & crises mensibus annisque fieri dicuntur.

Dies Critici præcipui, & magis ordinarij sunt illi, qui in morbis acutis solent contingere. Illi autem morbi acuti, si ab initio sumant vehementiam decimo quarto die, aut citiùs iudicantur. Si verò non incipiant moueri celeriter, & vehementer, nisi in fine primæ septimanæ, ad vigesimum extenduntur, qui ea ratione terminus est morborum acutorum. Morbi verò, qui vltra vigesimum extenduntur, acuti ex decidentia nominantur, & in illis crises solent contingere, sed minùs frequenter, atque adeò non anteà per quaternarios, sed tantùm per septenarios numerantur vsque ad quadragesimum in quo perit eorum vis, & dies per vicenarios tantùm numerantur, vsque ad centesimum & vigesimum, & in quo etiam crises tum salutares, tum lethales contigisse legimus apud Hipp. 3. *Epid. sect.* 3. vbi Heropytus centesimo vigesimo perfectè, & salutariter iudicatus est. Et Pacius in Thaso centesimo, & vigesimo moritur. Vltra illud tempus vis dierum criticorum non extenditur, sed postea mensibus & annis crises, vel potiùs corporum mutationes contingunt, vt testatur Hipp. *Aph. 28. sect. 3. Plurimi*, inquit, *morbi pueritis iudicantur, nonnulli quidem in quadraginta diebus nonnulli in septem mensibus, nonnulli vero in annis septem, quidam vero iam ad pubem accedentibus.*

Dierum criticorum comparatio debet fieri ab ea hora, in qua æger percipit manifestam actionum lasionem.

Nulla potest fieri dierum criticorum computatio, quin certò statuatur totius morbi principium, & ipsa notetur hora, qua patiens cœpit ægrotare. Ab illa enim hora, ad similem sequentis diei, primus dies computatur, & sic consequenter. Sed admodum difficile est, horam illam statuere, & in eo multi errores sæpe committi solent, quandoquidem vulgares Medici principium morbi computare solent ab hora decubitus, quod quidem potest locum habere in delicatulis & mollioribus hominibus, qui ex leuiori affectu statim solent decumbere: at in robustioribus, & laboribus assuetis fallacissimum esse consueuit, quandoquidem illi plerumque morbum adhuc incipientem, neque tantoperè grauem, erecti etiam per plures dies aliquando ferre consueuerunt; neque in lecto retinentur, donec à morbi vehementia ferè opprimantur. Vera igitur computatio debet institui ab ea hora, qua in ægro primum percepta est sensibilis actionum læsio, quà videlicet, vel non potuit prandere, vel cœnare, vel consueto modo ambulare, & solita officia exercere vno verbo, ab eo tempore, quo febricitare cœpit, si febris sit primaria, & non symptomatica. Sed quia febris ratò ab ægro, vel astantibus dignoscitur, Ideò Medicus ex symptomatum, relatione, primaque eorum inuasione, facile ipsam febrem, ipsiusque principium conijcit. Unicum tamen indicium verum, & facile febris incipientis sæpissimè occurrit quòd videlicet morbi acuti frequenter cum rigore, vel horrore incipiunt. Si igitur æger Medico referat, se dum cæperit malè habere frigus, aut horrorem tali hora percepisse, illa certè hora erit morbi principium, à quo dies critici debent computari.

In puerpera muliere, febre acuta laborante, si partus naturalis fuerit, computatio dierum Criticorum debet fieri à febri, & non à partu: si verò partus fuerit præternaturalis, computatio facienda est à partu, non autem à febre.

Hoc Theorema difficillimam quęstionem continet, & admodum intricatam, vt pote quæ ipsum Hippocratem habet sibi ipsi repugnantem, & rationum momenta vtrinque grauissima pariatur. Hippocr. 3. *progn.* 12. *pari modo*, inquit, *in mulieribus iudicationes fiunt à partu.* Et Gal. in *comment. eius loci*, eandem sententiam confirmat his verbis: *Principium enumerationis tibi fiat, non quo die cæperint febricitare sed quo pepererint: in quibusdam igitur circa secundum, aut tertium incipiunt diem a partu, ex quo multi numerant futuram iudicationem, sed res non ita se habet, nam ex quo pepererint, numerationem oportet fieri dierum.* Quod quidé præceptam in praxin reuocauit idem Hippoc. 3. *Epid. sect.* 2. *Ægr.* 10. 11. *&* 12. *& sect.* 3. *eiusdē libri Ægr.* 14. In quibus locis proponit historias diuersarum mulierum enixarum, acuto morbo laborantium, in quibus dies computantur ab ipso partus die. Id ipsum confirmari potest ratione validissima. Ab eo enim die numerādum videtur morbi principium, quo incipit moueri humor: At in die partus humor mouere incipit, fit enim maxima naturæ contentio, & humorum agitatio: ergo ab illa humorum exagitatione debet fieri computatio. Contra verò idem Hipp. 1. *Epid. Ægr.* 4. In vxore Philini, quæ die à partu decimoquarto febre correpta est, dies computat à die febris non à die partus Item *Ægr.* 5. *sequenti*, in Epicratis vxore, quæ secundo à partu die febricitare cœpit, computationem instituit à febre, non à partu. Tum etiam *Ægr.* 11. *eiusdem libri* in Dromeadæ coniuge, quæ secundo à partu die rigore, & febre acuta correpta est, eandem computationem facit à die febris, non à die partus. Ratio enim pro hac sententia efficaciter militat. Si enim aliqua ratione computatio deberet fieri à die partus, esset maximè propter motionem materiæ, quæ in partu fit: sed hæc motio non est causa sufficiens; quantumcunque enim materia ante febrem ex occasione aliqua moueatur, computatio nihilominus incipit ab ipsa febre, non à commotione. Sic in vehementissima corporis exercitatione, ex qua febris oritur non fit computatio ab ipsa exercitatione, in qua fuit humorum commotio, sed à febre tantùm, quæ postea subsequuta est. Hæc controuersia proposito Theoremate resoluitur. Partus enim vel naturalis est, vel præternaturalis. Differunt inter se symptomatum grauitate, & leuitate, ac præcipuè expurgatione, quæ in naturali ritè procedit; in præternaturali verò supprimitur. Si igitur naturalis fuerit partus, non potest fœmina intra terminum expurgationis, nisi forte ex aliqua procatarctica causa, febre corripi, vt quæ ab omnibus excrementis rectè expurgatur. Si verò partus præternaturalis sit, constat, ipsum morbi naturam induere, cùm satis multas operationes lædat; Atque ita febris quę huic morboso partui succedit, ex ipso partu censenda est pendere, atque ita rationem habet febris symptomaticæ, & computatio dierum, cùm debeat fieri à principio morbi, facienda erit à partu æui morbosus est. Hoc obseruauit Hippocrates in ægrotis supra propositis, Mulieres, quarum fit mentio *histor.* 10. 11. *&* 12. *sect.* 2. *l.* 3. *Ep.* partum habuere præternaturalem: duę enim priore

aborum passæ sunt. Tertia verò laboriosè peperit. Tum illa quæ habetur *hist.* 14. *sect.* 3. cum difficultate peperit, & non valde purgata est. Ideò in illis quatuor Hippocrates, computationem instituit à die partu, in alijs verò, quæ continentur *hist.* 45. *& 11 lib.* 1. partus fuit naturalis. Vxor enim Philini femellam pepererat, secundum naturam facta purgatione, & alioqui leuiter degebat: Vxor Epicratis peperat filiam & alia omnia secundum rationem prodibant. Et Dromeadæ coniux filiam etiam pepererat, aliaque omnia secundum rationem fiebant. Ideò Hippocr. in illis computationem instituit à die febris, non à die partus. Vnde liquido constat, computationem in partu naturali debere fieri à die febris; & in partu præternaturali ab ipso partus die. Verùm aduersus hanc decisionem insurgit amatus Lusitanus, auctor alioqui grauissimus in *scholio obser.* 4. *centur* 1. *Reuera* inquit *hoc responsum ad Hippoc. mentem ficulneum est & nullius valoris*: idque ostendere nititur ex *hist.* 2. *sect.* 3. *lib.* 3. *Epid.* quæ est de muliere, quæ cùm filiam peperisset, & purgata non esset, eam febris acuta horrida tertia die corripuit, in ea autem existimat Amatus, computationem fieri à die febris, cùm tamen constet, partum fuisse præternaturalem, quãdoquidem purgata non fuerat. Hanc autem computationem à die febris colligit ex sequentibus Hippocratis verbis, quæ in historia continetur; *postquam autem riguisset febres continuæ*, &c. *Vt ex ijs* inquit, *Lector intelligat à tertia die post partum connumerationem feciße.* Sed bonus ille vir male interpretatur verba Hippocratis, ex quibus nihil aliud colligi potest, nisi quod febris continua à tertia die partus consequuta est, & symptomata illam comitantia. Imo verò ex toto historiæ discursu satis liquet, computationem fieri à die partus, non à die febris; quemadmodum Valesius & Mercurialis grauissimi librorum Epidemiorum interpretes, id ipsum aperte asserunt. Et ita proposita distinctio quæstionis decisionem continens Hippocratis doctrinæ erit consentanea. Sed vnus adhuc remanet scrupulus; vbi scilicet absolutè Hipp. 3. *progn.* velut regulam generalem proponens, præcipuit simpliciter à die partus esse computandum. *Respondendum est*, Hippoc. in *lib. Epid.* varia annotasse experimenta, & multos casus obseruasse, prout euenierant, ex quibus deinde regulas & canones concinnauit qui in libris Prognostico, & Aphorismorum continentur, vt docet Gal. *lib* 1. *de diebus decretorus c.* 3. Canones autem illi ex ijs deprompti sunt quæ vt plurimùm eueniunt fit autem vt plurimùm, vt febres, quæ partum proximè sequitur, ab ipso partus vitio dependeat; ideò etiam vt plurimum à partu computatio instituenda est. Ratio autem fit, vt, partu naturali existente, febris exoriatur, quæ tunc temporis non potest aliunde, quam à causa procatarctica, & externa prouenire.

In vulneribus capitis & alijs quibuscumque computatio dierum criticorum debet institui a die vulneris: non à die febris.

Eadem est ratio vulneris, quæ partus præternaturalis: febris enim, quæ ei supervenit, symptomatica est; vulnus verò est morbus primarius, à quo dierum criticorum numerus eliciendus est.

In morborum recidiuis debet fieri computatio dierum Criticorum ab initio ipsius morbi, non à recidiua.

Recidiua fit ex reliquis prioris morbi, quæ non fuerunt integrè vacuatæ atque ita idem morbus censendum est, cum sit eadem materia, in quo contingit quidem remissio febris inter radicem, & recidiuam, sed non vera intermissio, vt ostendunt symptomata ab Hippocrate annotata, dum inquit; si quid eius, quod effunditur intus relinquitur, *sitis intus relicta, oris exsiccatio, & in suauitas, eadem ratione.* Quæ omnia morbi non integre soluti sunt iudicia. Quia igitur is, cui superuenit recidiua, nondum erat planè liberatus ab illis accidentibus computatio debet esse vnica, ex eo quòd prior affectus non erat verè solutus sed tantùm ex aliqua sui parte. Sic Hipp. in *Epid.* perpetuo dies numerat à priori morbo, nunquam autem à recidiua, vt videre est in historijs Hermocratis, Anaxionis, Herophontis, Cleanactidis, vxorijs, Epicratis, & aliorum.

CAPVT VI.

De causis Crisium, & dierum Criticorum.

Crisis quoddam quasi compositum est, conturbationem, euacuationem, & subitam mutationem ad salutem continens.

Conturbatio est congeries criticorum symptomatum, quæ ex agitatione materiæ morbificæ oriuntur. Illa autem agitatio fit, vel à causa externa, qualis cœli astrorumq motus, & influxus vel interna scilicet natura ipsa.

QVomodo influxus syderum motiones criticas efficiant, inferiùs explicabitur. Iam vero natura in conturbatione critica humores morbificos exagitat, quia dum illi secreti sunt à laudabili, & benigniori materia magis naturam irritant; ideoque illa ad expulsionem accingitur. Licet enim humores illi concocti sint, tamen acrimonia & maligna quadam qualitate naturam molestant, eamque ad excretionem impellunt.

Euacuationis causa est facultas expultrix, quæ, vel copia, vel qualitate materiæ irritata, id quod molestum est, criticè expellit.

Facultas expultrix vna est ex ijs, quæ naturales subseruientes nominantur, suum opus exercet beneficio caloris natiui & spirituum, tum per fibras singulis partibus ingenitas.

Cur verò crisis, seu critica euacuatio, in septenarijs potius, & quaternarijs diebus contingat, quam alijs temporibus, id quidem à motu Lunæ tanquam causa principali dependet.

Causa criseos, & causa dierum criticorum omninò distinguendæ sunt, cùm sint res toto genere diuersæ. Nam causa criseos est facultas expultrix quæ id, quod molestum est expellit, At causas dierum criticorum inuestigare, non est quærere, quid humores vitiosos è corpore expellat, sed cur facultas expultrix non in omnibus, sed certis quibusdam diebus, quæ sibi molesta sunt, frequentius, & facilius soleat expellere: id autem à motu Lunæ pendet, quæ varijs suis aspectibus has motiones efficere solet.

Luna maximum habet dominium in hæc inferiora, præsertim in corpora humida, in ijsque insignes efficit mutationes, præcipue in coniunctionibus, oppositionibus, & quadraturis, in quibus etiam crises solent contingere.

Quas Luna varijs suis aspectibus in hoc inferiori mundo mutationes efficiat, & quomodo hinc venti, & tempestates mutentur, fata faciliùs, vel infeliciùs crescant, cancri, & conchylia nunc plena sint, nunc vacua, satis compertum est nautis, agricolis, & ipsis mulierculis. Præcipuum autem hic planeta dominium in corpora humida obtinet; vnde non mirum est, si eam in h. mores nostri corporis potestatem habeat, vt eos certis diebus commouere, & inde crisin excitare valeat. Id autem maximè præstare solet in suis aspectibus, ad quorum rationem dies Critici numerantur. Primus enim Lunæ aspectus à coniunctione est sextilis, seu hexagonus sinister, qui quarto die contingit. Secundus, quadratus, seu tetragonus, sinister, die septimo. Tertius trigonus, sinister appellatus, die vndecima. Quartus, qui oppositus, seu diameter dicitur, die decimo quarto. Quintus, trigonus dexter, die decimo septimo. Sextus, tetragonus, seu quadratus dexter, die vigesimo. Septimus, sextilis, seu hexagonus dexter; die vigesimo quarto. Octauus in coniunctione: die vigesimo septimo. Isti autem dies aliquam habent latitudinem vt infra docebitur: sufficit nunc annotare aspectuum Lunæ computationem eandem esse cum dierum criticorum computatione, quæ *cap. superiori* fuit proposita.

Motus dierum criticorum non pendet ab aspectibus, quos habet Luna cum Sole, sed ab aspectibus, quos habet cum signo Zodiaci & loco cœli, in quo erat in principio morbi.

Si crises mouerentur à phasibus Lunæ cum Sole, nulla esset dierum criticorum ratio quia omnes ægroti quocumque die ægrotare cœperint, vno eodemque die crisin paterentur. V. g. in principio pleniluni, vbi fit oppositio Lunæ cum Sole; vel in nouilunio vbi fit coniunctio; vel in quaternionibus. Ideò existimandum est, crises ab huiusmodi aspectibus non dependere; sed potius ab aspectibus Lunæ ad illud signum, & ad eum locum Zodiaci, in quo erat in principio morbi, & sic septimo die morbi Luna est in quadrato aspectu ad eum locum & decimoquarto est in opposito, atque ita de cæteris.

Computatio dierum criticorum non est instituenda iuxta mensem synodicum, qui & coniunctionis appellatur; neque iuxta mensem apparitionis, seu illuminationis; neque iuxta mensem medicinalem: sed iuxta mensem periodicum, seu peragationis.

Mensis *Synodicus* est illud tempus, quòd inter vnam atque alteram

alteram Solis, & Lunæ coniunctionem intercedit, eſtque dierum 29. hor. 12. atque ita tres ſeptimanæ non viginti, ſed viginti duos dies, & horas tres conſtituunt, ideoque iuxta illum menſem non poteſt fieri computatio dierum criticorum. Menſis *illuminationis*, ſeu *apparitionis*, eſt interuallum à primo Lunæ nouæ conſpectu ad diem vſque euaneſcentis; eſtque dierum 26. hor. 12. neque iuxta illum menſem poteſt fieri computatio, quia tres ſeptimanæ ſunt tantum dierum 19. hor. 12. Menſis *periodicus*, ſeu *peragrationis* eſt illud tempus, quo Luna totum zodiacum peragrat, & ab vno puncto profecta ad diem redire ſolet: eſtque dierum 27. & hor. 8. Atque ita tres ſeptimanæ dies viginti, & horas duodecim efficiunt. Hunc etiam noluit Galenus ordinem dierum criticorum poſſe conſtituere, ideò nouum menſem commentus eſt, quem *medicinalem* appellauit, ex menſe periodico, & illuminationis compoſitum, qui duo ſi coniungantur, faciunt dies 53. & hor. 20. cuius ſummæ dimidium facit dies 26. hor. 22. & illud dimidium conſtituit menſem medicinalem Galeni, cuiustres ſeptimanæ faciunt dies viginti, & 4. horas. Sed hunc Galeni menſem omnes tum Medici, tum Aſtrologi tanquam commentitius, portentoſum, & ab omni veritate alienum reijciunt, ac contemnunt. Quorum rationes breuitatis cauſa omittimus, quia notiſſimæ ſunt. Sufficiat nouiſſe, dies decretorios à vero Lunæ motu deſumendos eſſe, qui menſem *peragrationis* conſtituit, & à quo prædicti aſpectus conſtituuntur. Ille autem menſis *peragrationis*, vt ante dictum eſt conſtat diebus 27. & hor. 8. ac ſi in quatuor ſeptimanas diuidatur, prima finietur diebus 6. hor. 20. Secunda, diebus tredecim, horis ſexdecim. Tertia diebus 20. hor. 12. Neque menſis iſte periodicus negligendus eſt ea ratione, quę Galenum impulit ad menſem medicinalē comminiſcendum, quin potiùs eò magis retinendus eſt, quòd ex eo ratio reddi poteſt, cur dies vigeſimus, & vigeſimus primus inter criticos numerentur. Licet enim vigeſimus frequentiùs decernat, tamen vigeſimus primus planè reijciendus non eſt. Atque ea de cauſa Archigenes, & Diocles, qui ipſius Galeni teſtimonio, *lib. 1. de diebus decretorijs, c. 2.* in operibus artis erant verſatiſſimi vigeſimum primum inter criticos retulerunt. Cauſa autem, cur vterque dies ſit criticus, hæc eſt, quod ambo dies ad abſoluendam tertiam ſeptimanam concurrunt, cuius vltimus dies duodecim horas mutuatur à vigeſimo, & totidem à vigeſimo primo. In vigeſimo tamen frequentiores criſes accidunt, quia Natura, tranſacto acuti morbi termino, oneris diuturnioris quaſi pertæſa, in ipſo diei critici principio certamen cum morbo aggreditur, criſinque molitur. Illud autem diei critici principium eſt in medio diei vigeſimi, quemadmodum finis eiuſdem incidit in medium, ſeu horam duodecimā vigeſimi primi. *Annotandum* etiam eſt Lunæ motum nunc tardiorem, nunc velociorē exiſtere & prout velocior eſt, criſin citiùs contingere, prout verò tardior tardius criſin apparere, atque adeò non poteſt aſſignari certus horarū numerus, in quo criſis contingat, ſed lata determinatione dies ſeptimus, decimus quartus & vigeſimus annotandi ſunt. Quemadmodum inuere voluit Hipp. *in 6. Epid.* vbi dierum numero præpoſitionem, *circa* addidit, ſcilicet circa vigeſimum circa quadrageſimum; & ita de alijs. Deinde, non ſemper criſis vno, eodemque die incipit, ac deſinit; interdum enim ad plures dies extenditur, & perturbatio vigeſimo incipit, criſis vero vigeſimoprimo deſinit: At tota duratio perturbationis, pugnæ & excretionis tempus criſis ſolet appellari.

Præter cauſam principalem, quæ eſt motus Lunæ, duæ aliæ dierum Criticorum cauſæ minus principales agnoſcendæ ſunt, nimirum motus, & diſpoſitio humorum, tum etiam ipſius ægrotantis natura.

Quamuis Lunæ in diebus criticis conſtituendis vis maxima ſit, ſola tamen non ſufficit, alioqui in omnibus ægrotantibus eædem criſes eodem dierum numero contingerent: Secus tamen accidit, cùm alij die ſeptimo, alij decimoquarto, alij alijs diebus criſin pati ſoleant & quidem alijs bona alijs mala criſis contingat. Itaque aliæ cauſæ adigendæ ſunt, diuerſitatem illam efficientes. Primum enim motus, & diſpoſitio humorum in cauſa eſt, vt criſis nunc citiùs, nunc tardius, aliquando etiam intercalaribus diebus aut indicibus accidat. Si enim humorum concoctio celeriùs, vel tardiùs abſoluatur, humoreſque benignam, vel malignam qualitatem acquiſierint, naturam celeriùs, vel tardius irritare poterunt, tum etiam ſi hoc, vel illo die moueantur vndę febrium exacerbationes oriuntur, in quibus plerumque criſis ſolent contingere, quemadmodum Hipp. 1. Epid. *Morbi acuti*, inquit, *iiſdem diebus iudicantur, quibus exacerbantur*. Poſtremo natura corporis ægrotantis, quæ vt antea dictum eſt, cauſa principalis eſt ipſius criſis, ſeu criticæ excretionis, eſt etiam cauſa dierum criticorum minus principalis, prout enim robuſta eſt, vel debilis; citiùs, vel tardius materiam morbificam concoquit, & ex celeri, tardaque coctione criſis tarditas, vel celeritas dependet. Sic quando materia morbifica non eſt concocta die ſeptimo, criſis differtur ad decimum quartum, vel vigeſimum. Mouet enim Luna humores ſingulis diebus criticis, & naturam ad excretionem excitat: ſed illa fruſtra commouetur, neque excretionem moliturj, ſi non inueniat materiam præparatam, & euacuationi diſpoſitam; niſi id aliquando ex maxima irritatione contingat ob materiæ malignitatem, quam natura totis viribus etiam adhuc crudam, interdum expellere nititur. Sed infelix eſt illa criſis, quia ordinarias naturæ leges prætergreditur. Atque hæc de Criſium, & dierum criticorum cauſis dicta ſufficiant. (*conf. Melet. II. 143. &c.*)

PATHOLOGIÆ

SECTIO TERTIA.

De morborum cauſis.

CAPVT PRIMVM.

De Cauſæ morbificæ natura.

Cauſa morbi eſt, quæ quocunque modo aliquid morbo confert.

GEneraliſſima eſt hæc cauſæ morbificæ definitio, vel potiùs explicatio, q a alia eſſe non potuit vt omnes cauſas complecteretur, quę in Medicina conſiderantur: eo enim cauſarum nomine donantur ea omnia, quę aliquid ad morbi generationem conferunt, quomodocunque ſit, ſiue per ſe, ſiue per accidens, mediatè, vel immediatè: tum quę morbum conſeruando, augendo, aut alio quo vis modo aliquid præſtant, vt in differentijs apparebit.

Omnes morborum cauſæ ad efficientem referuntur.

Omnes rerum cauſæ ſub quaternario numero à Philoſopho comprehenduntur, ſub formali nimirum, materiali efficiente, & finali: ad quarum ſeriem cauſæ omnes morbificæ, ſunt referendæ. Nam tamen quatuor illa cauſarum genera poſſumus hic inueſtigare: propterea quod primò cauſa formalis nihil aliud eſt, quàm propria cuiuſque rei eſſentia at morborum naturam, & eſſentiam ſatis abundè ſuperiùs expoſuimus. Deinde cauſa materialis in morbis non datur: cum enim morbus ſit accidens, non habet materiam, ex qua fit, ſed tantum in qua exiſtat, quæ nihil aliud eſt quàm illius ſubiectum, quod eſt corporis noſtri partes: Quod ad cauſam finalē attinet, quam vis actionis læſio talis quodammodo dici poſſit, id tamen fit per accidens quatenus illa morbi generationem ſequitur, ſed nullam habet morbi cauſam finalem proprie, & per ſe, ſicut nec ea omnia, quæ in imperfectione quadam ſunt conſtituta. Supereſt igitur ſola efficiens cauſa hic à nobis conſideranda, quę non tantum hic ſumitur, vt à Philoſopho pro eo, à quo primo producitur effectus, ſed latiori ſignificato, vt ex noſtra deſcriptione patet, pro eo omni, quod quocumque modo ad morbi generationem confert.

CAPVT II.

De Cauſarum Differentijs.

Cauſa morbi alia eſt per ſe, alia per accidens.

Cauſa per ſe eſt, cum propria, & in ſita vi, nullius alterius interuentu, id præſtat.

Cauſa verò per accidens eſt, quando aliquid aliud excitatur, cuius interuentu diſpoſitio morboſa producitur.

SIc aqua frigida, corpori noſtro affuſa, per ſe, & ex natura ſua refrigerat; per accidens verò, denſata cute, & coercitis intus vaporibus, calefacit. Sic ſcammonum, medicamentum calidiſſimum, viſcera impensè calefacit

per se ; sed quia bilem calidosque humores potenter expurgat, ex accidente refrigerat, & febrem tollit.

Est, & causa morbi alia principalis, alia adiuuans, alia sine qua non.

Causa principalis est, quæ vel dedit primum effectui motum, vel sola illum excitare valet.

Causa adiuuans est, quæ sola effectum non producit, sed principali auxiliatur.

Causa sine qua non ea est, quæ affectionem ipsam non præstat, nec quicquam efficit, sed sine qua actio fieri non potest.

Harum trium causarum exemplum dari potest in arthritide. Frigida enim aeris constitutio, & humorum excrementitiorum copia est causa principalis fluxionis in articulos; causa adiuuans est humorum tenuitas; causa verò sine qua non est articulorum imbecillitas, & meatuum laxitas.

Est & causa morbi alia remota, alia proxima.

Remota est, inter quam, & morbum aliæ intercedunt.

Proxima verò est, quæ immediatè morbum parit.

Propositæ causarum differentiæ in arte medica sunt valdè frequentes, & vsitatæ : sequentes tamen vsitatissimæ, & maioris momenti in omnium morborum explicationem, ideò ijs paulò attentiùs immorabimur.

Causæ morborum aliæ sint externæ, aliæ internæ.

Causæ externæ sunt, quæ vel exterius positæ vel à rebus corpus nostrum constituentibus diuersæ, morbos solent efficere.

Causæ *externæ* nomen non videtur omninò appositum, quia somnus, vigilia, & animi pathemata sub illis comprehenduntur, quæ tamen inter res internas videntur contineri : tamen quia receptissimum est apud Medicos, ideò nos etiam illud admittimus, dicentes, causas illas *externas* dici, quod plurimæ earum sint exteriùs positæ, vt aer, cibus, potus, &c. reliquæ verò, vt somnus, vigilia, & animi pathemata ita sint manifestæ, vt quasi exteriùs positæ sine vlla ratiocinatione percipiantur. Ideò Celsus *euidentes* illas appellauit nomine valdè appositò. Alij procatarcticas, prægressas, & primitiuas ; quod ab illis prima morborum origo soleat emanare. *Vide Bartolin. quæst.*

Earum autem aliæ sunt necessariæ, aliæ non necessariæ.

Necessariæ sunt, quæ necessariò nos afficiunt, & quas euitare non possumus.

Licet necessariò nos afficiant, non tamen necessariò morbos inferuntur, sed indifferentes sunt ad sanitatem, vel ad morbum : nam legitimo earum vsus sanitas conseruatur, abusu verò, & immoderato earum regimine desicitur.

Illæ autem sunt sex. 1. aer. 2. cibus, & potus. 3. motus & quies. 4. excreta & retenta. 5. somnus & vigilia. 6. animi pathemata.

Vulgò sex res non naturales appellantur, quia per se nec secundùm, nec præter naturam humani corporis sunt, sed naturæ vtiles, aut noxiæ efficiuntur pro benè, vel malè vtentium ratione. Earum peculiaris tractatio habetur in ea Medicinæ parte, quæ diætam instituit, eamque idcircò hic omittimus. *Vid. Bacmeisterum.*

Non necessariæ sunt, quæ fortuito contingunt, & ad ordinarium vitæ vsum non concurrunt

Sub his continentur res omnes fortuitæ, vt gladiorum, vel lapidis ictus ferarum morsus, &c.

Causæ internæ sunt, quæ intra corpus latent, & non sensibus sed artificiosa coniectura cognoscuntur.

Sic humores, spiritus excrementa, flatus, vapores, ipsarum partium particulæ, & quidquid in illis continetur, aut adnascitur, causæ internæ morbificæ naturam subire possunt.

Illæ autem, vel sunt antecedentes, vel coniuncta.

Causa antecedens est, quæ coniuncta prior est, eamque mouet, ac mediatè per eam morbum efficit.

Sic in continuis febribus causa antecedens dicitur materia, quæ apta est ad concipiendam putredinem ; coniuncta, quæ actualiter putrescit. Sic in tumoribus, qui ab humore fiunt, humor fluens, causæ antecedentis fluxus, coniunctè rationem habet.

Causa coniuncta est, quæ immediatè, & per se morbum producit.

Illius exempla proximè sunt proposita, in antecedentis causæ explicatione.

Notandum tamen, causas etiam externas aliquandò esse coniunctas, vt gladius, qui immediatè vulnus efficit, & ideò non rarò causæ omnes diuiduntur in procatarcticas, antecedentes, & coniunctas omissa internarum, & externarum consideratione.

Causa coniuncta rursus, vel est coniuncta simpliciter, vel continens.

Coniuncta simpliciter est, qua posita, ponitur morbus, ea sublata morbus non aufertur.

Sic posito actu vulnerante, ponitur vulnus : sed eo sublato, non tollitur.

Continens causa est qua posita, ponitur morbus, & sublata tollitur.

Sic, posito calculo, aut alia materia, obstructionem patiente, ponitur obstructio ; & sublatis ijs illa etiam aufertur. Sic etiam, sublato sexto digito, numerum excedentem efficiente vitium, quod ex illo pendebat, protinus aufertur.

Ex his patet, non omnes morbos habere causam continentem, sed nonnullos tantum ; reliquos verò omnes coniunctam necessariò habere. (*conf. Melet. II. 84. ad 94.*)

CAPVT III.

De causis Morborum similarium.

Hactenus de morborum causis in genere, iam de ijs in specie est agendum.

Calidæ intemperaturæ causæ quinque statuuntur. 1. Motus. 2. Putredo. 3. rei calidæ Vicinia. 4. Constipatio. 5. Cibus, potusque calidior. Galen. cap. 2. lib. 2. de causis morborum.

Primo, motus, humores, & spiritus attenuando, & violenter commouendo, corpus calefacit.

MOtus non solum animata, sed etiam inanimata calefacit, ex Aristotele 2. *Meteor. cap.* 3. Inanimata quidem, per rarefactionem, quia illa præuia est ad calorem dispositio, quæ scilicet materiam vltimò disponit, vt ex illius potentia calor educatur. Animata verò facilius motu incalescunt, non solum propter illam attenuationem, sed etiam quia spiritus, & calor qui illis actu inest, per totum corpus expanditur, & ad illius superficiem fertur. Vndè, si motus immoderatus sit, calidam producit intemperiem. Ad motum etiam referuntur iræ, vigiliæ, & alia omnia, quæ humores, & spiritus possunt commouere.

Secundo, putredo corpus calefacit, propter calorem externum, qui sub ea semper introducitur.

Putredo ab Aristotele definitur, *corruptio caloris natiui in vnoquoque humido à calore extraneo*. Necesse est calorem illum extraneum esse valdè vehementem in corporibus nostris vt calidam producat intemperiem.

Tertio vicinia rerum calidarum corpus calefacit per contactum physicum, & mathematicum.

Sic ab igne, vel Sole æstiuo corpus calefit per contactum physicum : à rebus calidis admotis, emplastris, balneis, &c. per contactum mathematicum.

Quarto constipatio calidam intemperiem inducit per accidens, propter, scilicet impeditam transpirationem.

Eam potissimum creant natatio in aqua aluminosa, emplastica medicamenta, & obturantia admota, & reliqua, quæ per antiperistasin calorem augent, dum illius impediunt dissipationem.

Quinto alimenta, calida, humores calida in corpore producendo, illud calefaciunt.

Vt ceparum, aliorum, aromatum, & cæterorum vsus.

Frigidæ intemperaturæ causæ sex statuuntur. 1. Vicinia corporum frigidorum. 2. Assumptorum qualitas, & quantitas. 3. Constipatio. 4. Raritas. 5. Otium immodicum. 6. Motus immoderatus. Galenus cap. 3. lib. de morb. causis.

Primo à frigido externo corpus refrigeratur, si patientis dispositio, &c. concurrant.

Sic in hyeme ob nimiam frigiditatem sæpè corpus congelatur : sic balneum aquæ frigidæ totum corpus refrigerat.

Secundo, alimentorum excessus, defectus, & aliena qualitas frigidam intemperiem inferre possunt.

Excessus alimentorum calorem natiuum suffocari, vnde frigida intemperies excitatur : sic à crapula frequenti excitatur epilepsia, vel apoplexia.

Defectus alimentorum efficit, vt caliditas partium dissipetur, quod non habeant sufficiens pabulum ad eam conseruandam.

Quæcunque natura frigidiora assumuntur, vt lactuca papauer,

ner, mandragora, & reliqua per se corpus maximè refrigerant.

Tertiò constipatio maxima ad calorem natiuum suffocat, vnde frigida intemperies.

Constipatio leuis calidam intemperiem efficit, impediendo caloris dissipationem; maxima verò, & immodica contrariam affectionem inducit, calorem suffocando.

Quartò, raritas calorem dissipat, & resoluit, vnde per accidens frigiditatem inducit.

Quintò, otium corpus refrigerat, ex eo quod langueſcit calor natiuus defectu exercitationis.

Sextò, à motu immoderato calor natiuus dissipatur, vnde per accidens refrigerat.

Siccæ intemperaturæ duæ sunt causæ: 1. Alteratio. 2. Resolutio.

Primò, alteratione exsiccant, quæcunque exsiccandi vi præstant.

Sic alimenta, & medicamenta exsiccantia, sicca aeris constitutio corpus exsiccare solent.

Secundò, resolutione corpus exsiccant, quæcumque efficiunt, vt corporis nostri humidum plus dissepetur, quàm restauretur.

Sic exercitatio violenta, æstus nimius aeris ambientis vigiliæ immoderatæ, humiditatem corporis resoluunt. Sic humiditas dissipatur, cum debita reparatio illius impeditur, quod fit à curis, & sollicitudinibus, inedia, vsu alimentorum parum nutrientium, qualia sunt valde excrementosa, & adstringentia, quia impediunt humoris ad habilis per membra distributionem.

Humidæ intemperaturæ duæ sunt causæ: 1. Alteratio. 2. Retentio humidorum.

Primò, alteratione humidam intemperiem inducunt, quæcunque plurimùm corpus humectare valent.

Sic ciborum humidorum vsus immodicus, largus aquæ potus, aeris constitutio humida, balneum aquæ tepidæ, & reliqua, quæ humidam intemperiem inferre solent.

Secundò retentione humidorum intemperies humida dicitur introduci, cum vacuatio aliqua consueta supprimitur.

Inter vacuationes consuetas recensemus non solùm eas, quæ sensibiliter fiunt; sed etiam, quæ insensibiliter, scilicet per insensibilem transpirationem.

Et hæ sunt causæ simplicium intemperierum.

Compositarum vero intemperierum causæ facilè colligi possunt ex superioribus, coniungendo scilicet causas omnes, quæ duas qualitates peccantes producere possunt.

Causæ tamen immediatæ compositarum intemperierum sunt, vt plurimum humores peccantes, & illæ intemperaturæ humore peccanti similes fiunt. Nam calida, & sicca bile inducitur, frigida, & humida à pituita, & ita de cæteris.

Humores autem illi in partibus duobus modis cumulantur. 1. per fluxionem, 2. per congestionem.

Fluxio duobus modi fit, vel dum humores à partibus mittentibus expelluntur, vel à recipientibus attrahuntur.

In fluxione, quæ fit per expulsionem, duæ requiruntur conditiones, scilicet partis mittentis robur recipientis imbecillitas.

Sic hæpar humores præter naturales robore suo ad inguina, vel cutem (partes naturaliter debiles) expellit, in ipsaque tumores, scabiem, aliosque affectus producit.

In fluxione, quæ fit per attractionem, duæ potissimum concurrunt conditiones, partis scilicet attrahentis calor, vel dolor.

Calidi proprium est attrahere, idcò partes calidæ potenter attrahunt: dolore verò afflictæ, suppetias quærunt, ideò humores, & spiritus attrahunt ad sui tutelam, quos postmodum, quantitate nimia laborantes, commodè regere nequeunt, vnde varij affectus oriuntur.

Secundo, per congestionem humores in partibus cumulantur, ex vitio nutritionis eorumdem.

Sic, dum in aliqua parte non bene fit alimenti assimilatio, vel expulsio excrementorum, quæ in illa generantur, tunc in ea superfluitates per congestionem cumulantur.

CAPUT IIII.

De Causis Morborum Organicorum.

Naturalis partium figura peruertitur, aut in prima generatione, aut post ipsam.

In prima generatione, cùm virtus formatrix singulas partes rectè nequit effingere, quod à tribus causis contingit. 1. Propter virtutis formatricis imbecilitatem. 2. Propter materiæ vitium. 3. Propter dispositionem hæreditariam.

Primò, propter virtutis formatricis vitium partes malè figurantur, cùm quis à parentibus debili admodum naturæ præditis est oriundus.

Secundo, propter materiæ vitium, cùm scilicet peccat quantitate, vel qualitate.

Quantitate peccat, cum redundans est, vel deficiens.

Qualitate peccat, cum siccior est vel humidior, &c.

Tertio, propter dispositionem hæreditariam, cùm quis à parentibus malè figuratis est oriundus.

Et ita in prima generationem fiunt morbi in figura.

Post primam generationem contingunt, vel in partu, vel post partum.

In partu, dum præposterè sese commouet, vel non benè educitur.

VErb.gr. Dum infans ab vtero exiens pedem vnum, vel brachium exerit, vel latera ostendit, dum ob sui crassitiem nimiam, vel partium obscœnarum angustiam diutius in exitu laborat, vel ab imperitia obstetricis imperitè tractatur.

Post partum læditur partium figura à causis externis, & internis quamplurimis.

Causæ externæ figuram vitiant, cùm molliores adhuc infantes congruè fascis non excipiuntur, vel alio quovis modo temerè coarctantur, tùm si fracta, vel laxata membra malè à chirurgo deligentur, vel reponantur; aut si ipsius ægri errore bene restituta distorqueantur; si denique casu, percussione, motu, & agitatione nimia inuertantur.

Ab internis verò causis vitiatur figura, dum humores copiosè in partibus colliguntur, vt in tumoribus præter naturam, elephanticorum facit, hydropicorum ventre, & alijs huiusmodi est manifestum.

Adstrictio, obstructio, & dilatatio ab infinitis pene causis producuntur, quæ meatus, vel cauitates coarctandi, obstruendi, vel dilatandi vim habent, quas sigillatim enumerare est ferè impossibile.

Asperitas & lænitas à quamplurimis causis internis, vel externis producitur.

V.gr. ossa vulnerata, fracta, vel onerosa naturalem lænitatem amittunt, asperæ arteriæ pars interna inæqualis redditur, vocemque raucam, & clangosam efficit, imbuta humore nimio exsiccata, detersa, vel vlcerata, quod de alijs etiam eadem ratione dici potest. Partibus verò natura asperis, aut rugosis lænitatem inferunt humores viscidi, & glutinosi, tunicis interioribus impacti, vt in lienteria; tum etiam vulnerantia, & erodantia per accidens, dum vlcere curato inducitur cicatrix, qua interna illa superficies lænior redditur, & ad continendum minùs apta.

Magnitudo augetur in toto corpore propter nimiam sanguinis, & adipis copiam.

In parte augetur magnitudo, vel affluxu sanguinis laudabilis vel humore vitioso per fluxionem, aut congestionem collecto.

Sic in nonnullis mulieribus omentum valde pinguescit à copioso sanguinis affluxu, & in tantam molem accrescit, vt, vterios comprimendo sterilitatem inducat. Sic ex vitiosis humoribus varia tumorum genera oriuntur.

Magnitudo in toto corpore ob alimenti defectum diminuitur.

Vt in phthisi, marasmo, & insigni macie.

In parte magnitudo imminuitur, cùm alimentum conueniens non suscipit; vel non conficit.

Numerus partium augetur in ortu, vel post ortum. In ortu ex redundantia materiæ seminalis.

Vt quando sex digiti, at tres testes generantur.

Postorium, ex vitiosa materia.

Vt apparet in verrucis, pterygio, &c.

Numerus imminuitur in ortu ex defectu materiæ ; post ortum ab ijs omnibus, quæ partem aliquam amputare, vel aliter perdere valent.

Situs partium immutatur, vel vitio earundem, vel partium continentium eas, vel ligamentorum connectentium.

Ipsarum partium vitio situs immutatur ob earum crassitiem, vel grauitatem nimiam.

Sic omentum, vel intestina crassiora, vel pinguiora, reddita suo pondere rumpunt, aut dilatant peritonæum, & in scrotum deuoluuntur.

Partium continentium vitio situs immutatur, cum illæ ruptæ, vel laxatæ debitè continere nequeunt.

Sic dum peritonæum ab aliqua causa rumpitur, *vel* laxatur, partes contentas nequit suo loco cohibere.

Ligamentorum defectu situs immutatur, quoties laxiora, vel infirmiora efficiuntur, ita vt connexas sibi partes in naturali statu nequeant cohibere.

Sic vterus, rectum intestinum, aliæque partes procidere solent præ extensione nimia, aut imbecillitate suorum vinculorum.

Connexio partium peruertitur à multis causis internis, & externis.

In articulationibus peculiariter connexio immutatur tribus de causis. 1. Defectu excipientis scilicet acetabuli. 2 Defectu ossis, quod excipitur. 3. Vinculi, quod articulationem continet, & firmat.

Primò in excipiente vitium est vel cum cauitas illa excipiens est nimis lata, vel superficiaria, vel cum supercilia auferuntur, aut margines labefactantur.

Secundo, in osse, quod excipitur vitium est, quando maius vel minus est, quàm par sit ; vel alio quocunque modo mala figuratur.

Tertio in ligamentis vitium est, cùm illa sunt laxiora, vel infirmiora.

Ex his omnibus causis luxationes solent exoriri : quibus addantur motus violenti, & inordinati.

CAPUT V.

De Causis morborum communium.

CAusæ morborum communium propositæ fuerunt in eorum differentijs recensendis, quia hæ ab illis desumebantur, ideò nè hic frustra repetantur, ex *cap. 5. primæ sectionis* erunt desumendæ.

CAPUT VI.

De Causis differentiarum accidentalium morborum.

EÆdem causæ ; quæ morbos similares, organicos, & communes excitare solent, sunt etiam causæ differentiarum accidentalium, pro vt varijs conditionibus sunt præditæ; ii nimirum intensæ, vel remissæ, leues vel contumaces, benignæ, vel malignæ, aut alio quovis modo affectæ fuerint, morbos magnos, vel paruos, acutos; vel chronicos, benignos, vel malignos, & alios huiusmodi producunt.

PATHOLOGIÆ

SECTIO QVARTA.

De Symptomatum natura, differentijs, & causis.

CAPUT PRIMUM.

De Symptomatum natura.

Symptoma est affectus præter naturam, qui morbum velut effectus suam causam sequitur, & sine eo subsistere nequit.

AFfectus nomen hic paulò largiore significationem sumitur, quam in definitione morbi, quandoquidem non omnia symptomata habent permanentiam, aut partium positionem in subiecto, sed maxima eorum pars essentiam habet positam in fieri : actiones enim siue integræ, siue læsæ in motu partium consistunt, & fientes perpetuò sunt : Excreta, & retenta tamdiu sunt quamdiu fiunt, si formalem eorum rationem spectes. Qualitates verò simplices, seu patibiles fixæ aliquando sunt, & permanentes. Dicuntur etiam symptomata morbum sequi, quia ab eo (vt diximus) efficiuntur ; effectus verò posterior est sua causa, vnde etiam patet à causa differre, quia causa morbum præcedit, symptoma verò sequitur. Ad clariorem verò symptomatum naturæ intelligentiam sequentia theoremata proponantur.

Omne symptoma à morbo dependet mediatè, vel immediate.

Præcipuum symptoma est actio læsa, à morbo immediatè dependens ; quod quidem aliud excitare potest inexcretis, & retentis, & illa etiam qualitates mutatas inducere possunt ; quæ tamen à morbo dependent tamquam à vera causa, alia quidem mediatè, alia immediatè, vt dictum est.

Symptomata causarum rationem habere possunt, numquam autem morborum.

Sic læsa nutritio est causa consumptionis partium, & marcoris : Sic retenta excrementa in corpore febres generant, obstructiones, tumores, & alia huiusmodi atque ita symptomata fiunt causæ morborum, nunquam verò morbi naturam possunt assumere, quia actiones per se lædere non possunt. Licet enim quidam morbi symptomatici appellentur, quòd alios consequantur : vt febris, quæ pleuritidem sequitur, aut aliam quamvis inflammationem, quæ in se verè morbus est, ratione tamen morbi, à quo dependet, symptomata appellatur ; attamen certum est eos morbos improprie symptomata appellari, quia alios morbos quidem instar symptomatum consequuntur, non tamen immediatè ab ijs generantur, sed mediatè per quædam vera symptomata, (per humorem, v. gr. aut vaporem) quæ posteriores morbi causæ fiunt.

CAPVT II.

De Symptomatum differentijs.

Tria sunt symptomatum genera actio læsa, excretorum vitium, & qualitas mutata.

ACtio læsa primum est, & præcipuum symptoma, quod morbum sequitur immediatè, & à quo reliqua dependent, & generantur. Excretorum vitium sequitur læsionem actionum naturalium, qua prauè conficiuntur alimenta, corrumpuntur, aut aliam prauam obtinent qualitatem, vel denique diuersam quandam, & corpori infestam obtinent naturam. Excretorum autem nomine hic intelligimus non solùm vera excrementa, sed etiam ea omnia, quæ præter naturam è corpore educi solent, vt arenulæ, partium ipsarum excrementa, &c. Qualitas verò mutata prædicta sequitur symptomata, & sub illa continentur omnes qualitates patibiles, quæ à sensibus percipiuntur, & ipsi corpori, vel alicui eius parti inhærent : vt colores, sapores, & aliæ, quæ omnia fusiùs suis locis exponentur.

CAPUT III.

De Actionis læsæ differentijs.

Actionis læsæ differentiæ desumuntur vel à læsionum differentijs, vel ab ipsarum actionum diuisionibus.

A læsionum differentis actio læsa triplex statuitur ; 1. Abolita. 2. Imminuta. 3. Deprauata.

1. *Actio abolita dicitur, quæ nullo modo amplius fit, vel fieri potest.*

VT visio in cæcitate, & auditus in surditate aboleri dicuntur, quia nullo modo possunt exerceri. Attamen dicitur etiam actio abolita, quantum sensus potest iudicare, vt motus, & sensus in apoplexia, & vterina suffocatione.

2. *Imminuta actio dicitur, quæ debilis est, & vix fit longiorique indiget tempore, vt perficiatur, aut nunquam debitam assequitur perfectionem.*

Sic

Sic debilis concoctio ventriculi, aut cuiſvis partis functio, quæ imperfectè exercetur, imminuta appellatur.

3. *Deprauata actio dicitur, vel quoties, corrupta eſt, vel quoties non exercetur, vt debet.*

Corrupta dicitur actio, quando obiectum in alienam qualitatem transmutat, vt quando ventriculus alimenta conuertit in vitiosos succos, vt bilem poraceam, aut omninò putridam materiam. Non exercetur, vt debet, in rigore, palpitatione, singultu &c. quia in ijs affectibus partes perperam agitantur; vel nimis violenter ab obiecto præternaturali irritantur.

Ab Actionum differentijs actio læsa triplex ſtatuitur. 1. Animalis, 2. Vitalis, 3. Naturalis.

Illarum rurſus tot differentiæ, quot actionum animalium, vitalium, & naturalium differentiæ proponuntur in Phyſiologia.

Actiones animales in Phyſiologia diuiduntur in ſenſitiuas, motiuas, & principes. Senſitiuæ actiones ſunt quinque. Viſus, auditus, guſtus, olfactus, & tactus. Hæ omnes, vt dictum eſt, abolentur, imminuuntur, & deprauantur. Viſus aboletur in cæcitate, imminu[illegible]ih viſus obtuſione, & hebetudine, deprauatur in hallucinatione eiuſdem. Auditus aboletur in ſurditate; imminuitur in graui auditu, deprauatur in aurium tinnitu. Et ita de aliorum ſenſuum ſymptomatis facilè eſt coniectari. Motus aboletur in paralyſi, imminuitur in ſtupore, deprauatur in conuulſione, tremore rigore, &c. Sic actiones principes, & ratiocinatio, & memoria abolentur in caro, & apoplexia, imminuuntur in ſtultitia & lethargo & deprauantur in phrinitide, & mania.

Vitales actiones in pulſibus conſiſtunt, qui etiam frequenter abolentur, imminuuntur, vel deprauantur.

Actiones denique naturales concoctio, retentio, attractio, & expulſio tot ſymptomatis afficiuntur. Concoctio ventriculi aboletur in ἀπεψίᾳ, imminuitur, in βραδυπεψίᾳ, & deprauatur δυσπεψίᾳ. Sic de alijs actionum differentijs eſt iudicandum, quæ omnes tot læſionum differentias pariuntur, quarum multæ propria nomina nondum obtinuerunt.

COROLLARIVM CIRCA actionis læſæ differentias.

Inter actiones læſas recenſetur ea, quæ præter naturam aucta dicitur, qualis eſt canina appetentia, ſitis maxima, &c. At dubium eſt ſub qua ſpecie collocetur. Reſpondetur vulgò ſub deprauata contineri: quia perperam, & peruersè exercetur, quæ eſt conditio actionis deprauatæ. Sed obijcitur, ſecundùm hoc decretum actionem imminutam ſub deprauata debere etiam collocari, cùm actio aucta, & imminuta ſint contrariæ, atque adeò ſub eodem genere debeant collocari. Reſpondetur in ratione morborum, & ſymptomatum Medicos non conſiderare Logicas contrarietates ſed tantùm diuerſitates quibus corpora noſtra præter naturam afficiuntur: atque ita, cùm actio aucta diuerſiſſima ſit ab imminuta, tum ratione modi operandi, cum, vt diximus, perperam, & peruerſè exerceatur, iure ſub deprauata continetur, & diſtinguitur toto genere ab imminuta, medicè eas conſiderando.

CAPVT IV.

De Excrementorum differentijs.

Excrementa quatuor modis peccare poſſunt. 1. In ſubſtantia. 2. In quantitate. 3. In qualitate. 4. In excernendi modo.

Primo in ſubſtantia peccant excrementa, cùm ſubſtantiam habent à vulgarium excrementorum ſubſtantia omninò alienam.

ET illa dicuntur eſſe toto genere præter naturam. *Eaque ſunt duplicia, vel ſcilicet omninò aliena, vel ex rebus naturalibus conſtantia.*

A natura omninò aliena ſunt calculus, lumbricus, &c.

Ex rebus naturalibus conſtant excrementa, cùm ſanguis, adeps, caruncula, aut quidvis ſimile excernitur, quod nullo modo debeat excerni.

Secundo, in quantitate peccant excrementa, ratione exceſſus, vel defectus.

Cùm ſcilicet, vel nimis copiosè effluunt, vt in diarrhœa dyſenteria, diabete, ſudore copioſo, & hæmorrhagia profuſiori: vel parcius, quàm par ſit, aut nullo modo euacuantur, vt conſtipatione alui, vrinæ ſuppreſſione, &c.

Tertio, in qualitate peccant excrementa vel prima, vel ſecunda, vel tertia.

In prima, dùm ſunt calidiora, frigidiora, humidiora, vel ſiccíora.

In ſecunda, dum ſunt tenuia, vel craſſa, dura, vel liquida, viſcida, vel ſpumoſa.

In tertia, dum ſunt alieno calore, odore, vel ſapore prædita.

Quarto, in excernendi modo peccant excrementa, quando non excernuntur debito tempore, vel per partes conſuetas, aut cum nimis ſubito, vel paulatim vacuantur.

CAPVT V.

De Qualitatis mutatæ differentijs.

Qualitates corporis mutatæ vel ſunt primæ, vel ſecundæ vel tertiæ.

ILlæ autem, vt ſymptomata dicantur, ab aliquo morbo debent dependere.

Primæ qualitates ſunt, calditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas.

Secundæ, duritias, mollities grauitas leuitas, raritas, denſitas, lævitas, aſperitas, & reliquæ.

Tertiæ ſunt colores, ſapores, odores, ſoni.

COROLLARIVM. circa qualitates mutatas.

Inter qualitates mutatas collocamus caliditatem, frigiditatem; humiditatem, & ſiccitatem, quæ ad morbos ſimilares fuerunt ſupra relata. Vnde grauis oritur difficultas, quàm nos ita diluimus dicentes, leues intemperies, quæ ſunt tantùm in fieri, & nullam habent in parte permanentiam, inter morbos non poſſe recenſeri ſed potius ſymptomata appellari, & qualitates mutatas, quæ ab aliqua partium vicinarum aut ſympathiam habentium intemperie factæ, & morboſa generentur, & faueantur.

Deinde, aſperitas, & lænitas inter qualitates mutatas recenſentur quo ad morbos organicos fuerunt relatæ. *Reſpondetur*, aſperitatem & lænitatem ſi ſint valdè inſignes, ita vt partium, quas occupant, actiones lædant manifeſtè, eſſe veros morbos, ſi verò tàm leues ſint, vt nullo modo actionibus incommodent, à cauſa tamen præternaturali producantur, intemperie puta humida, vel ſicca, certiſſimum, eſt veri ſymptomatis rationem obtinere.

CAPVT VI.

De ſymptomatum cauſis in genere.

Omne ſymptoma ab aliquo morbo dependet, tamquam à propria cauſa.

HOc primò demonſtratur in actione læſa, quæ eſt effectus morbi immediatus, vt ex ipſius definitione patet. Deinde qualitates mutatas certum eſt, à primis proficiſci, quæ temperamentum conſtituunt, quòd ſecundùm naturam exiſtens non poteſt efficere qualitates ſecundùm naturam mutatas, quas patet ab intemperie perpetuò proficiſci. Denique, cum in excrementis vitium non contingat, niſi aut concoctrix, aut expultrix aut retentrix fuerint vitiatæ, certiſſimum eſt, illa perpetuò ab aliquo morbo proficiſci.

Cauſæ autem ſymptomatum in ſpecie, & ſingulorum morborum hiſtoria *in Pathol particular. c. 7.* eactè proponuntur. Nos tantùm hic quædam exempla ad clariorem doctrinam proponemus.

CAPVT VII.

De causis actionum læsarum.

Actiones animales à varijs intemperierum differentijs, morbis organicis, & continuis solutionibus læsi solent.

SIc à frigida, & humida cerebri intemperie excedente actiones animales abolentur, vt patet in amentia & obliuione: & à remissiori imminuuntur, vt in fatuitate, & stupiditate: tum à calida intemperie nonnumquam simplici, aliàs cum siccitate iuncta deprauantur, vt in phrenitide, & mania. Læduntur etiam actiones istæ aliquando a morbis organicis, vt obstructionibus, & tumoribus varijs, & à continui solutionibus, vt ab insignibus capitis vulneribus.

Actiones vitales, quæ in pulsibus consistunt, ab intemperie calida, & frigida, potissimum obstructione, & solutione continui abolentur, deprauantur, vel imminuuntur pro varia causarum intensione, vel remissione.

Sic in febribus pulsus deprauatur, in syncope abolentur, & in lipothymia imminuitur.

Actiones naturales priuatæ à morbis similiaribus tantum læduntur, officiales verò etiam ab organicis.

Actiones naturales priuatæ, quæ ad nutritionem spectant, nimirum attractrix, retentrix, & expultrix à sola temperie perficiuntur ergo sola intemperies eas poterit lædere: officiales verò varia etiam indigent partium, à quibus exercentur, conformatione, ideò à morbis organicis etiam læduntur. Sic ventriculi, hepatis, alteriusque instrumenti actio ab erysipelate, phlegmone, alijsque tumoribus præternaturam interdum peruertitur, hincque deprauata, aut imminuta fit concoctio Sic etiam attractio officiali læditur, dum à tuberculo carnoso, vel alio quo vis tumore in gula suborto, cibis via præcluditur, vel saltem eorum difficillimè in ventriculum fit attractio. Retentio pariter ex causis similibus, & fluxum copia impeditur. Ac denique expulsio ex viarum angustias, & obstructione impeditur; vel etiam ex dilatatione, aut partis vellicatione nimium irritatur, & accelleratur.

CAPVT VIII.

De causis Symptomatum, quæ sunt in excrementis.

Excrementorum vitia perpetuo à morbis dependent, sed vt plurimùm mediatè per actionum læsiones. Eo modo.

Nimia excrementi quantitas, vel dependet à partis, a qua fit excretio, retentrice imbecilli, vel expultrice irritata à praua aliqua humoris qualitate; vel quantitate nimia.

SIc ab acribus, & biliosis humoribus diarrhœæ contingunt, tum etiam à nimia cuiusuis humoris copia, naturam aggrauante.

Fit etiam nimia excrementorum vacuatio ob continentis partis vitium, propter quod illa nequit continere.

Hoc euenit, quando vasa aperiuntur in suis orificijs, vel eroduntur à causa interna, vel externa, vel debilitantur tantùm, vt patet in sanguinis excretione, quæ fit per venarum.

Excrementorum quantitas minuitur, vel quoties illa parcius generantur, vel cum facultas retentrix robustior euasit, aut expultrix imbecillior vel ob viarum angustiam, & obstructionem.

Parciùs generantur excrementa vel ob alimentorum paucitatem, crassitiem, siccitatem vel ob vacuationes contrarias, quæ consuetas impedire solent, vel ob totius corporis nimiam resolutionem.

Aliarum causarum [illegible] satis est manifesta.

CAPVT IX.

De Causis qualitatis mutatæ.

Symptomata, quæ in primis qualitatibus, consistunt fiunt à partium vicinarum, vel sympathiam habentium intemperie, vt dictum est.

Quæ verò ad secundas qualitates spectant à vario humorum vitio, aut partium intemperie dependent.

SIc durities à siccitate, tensione, & congelatione oritur; mollities ab humiditate, & ita de cæteris.

Tertiarum denique qualitatum hæ sunt causæ.

Color in parte immutatur, vel ob intemperiem, vel propter humorem quendam ad eius superficiem delatum.

Sic ab intemperie calida partes rubescunt, à frigida liuescunt: sic à bile in corpus effusa color flauus ictericorum.

Odores praui ab humorum vel partium putredine oriuntur: Sapores alieni ab excrementis linguam imbuentibus. Soni præternaturales à flatu fiunt in aliqua parte incluso pro varia illius operatione, partium angustia, amplitudine, & caloris eleuantis potentia, vel impotentia.

Hi ad excrementorum qualitates videntur referendi, qui tamen ita distinguuntur: vt scilicet eæ qualitates, quæ ad hoc simplicis affectus genus referuntur, in ipsis partibus esse debeant & ab ijs dependere, quæ verò ad excretorum genus referuntur, in ipsis excrementis tanquam subiecto proprio esse debeant, & ab ipsis omninò dependere, vt qualitas quantitas, & substantia eorum.

INSTITVTIONVM MEDICARVM
LIBER TERTIVS.
SIMEIOTICEN CONTINENS.

PRÆFATIO.

IN legitima, & rationali affectuum præter naturam curatione hac methodo semper procedere debet Medicus; Primò morbis propositi natura, causæ, & situs, seu pars affecta accuratè inuestiganda. Secundò, diligenter inquirendum, an illius morbi curationem sperare debeamus, an verò sit incurabilis, vt inde moneamur, vel debita remedia nobis esse vsurpanda ad pollicitam salutem acquirendam; vel in desperata ab ijs abstinendum, ne temere infamentur ea, quæ multis fuere saluti; quæ tamen cùm salis grano accipienda.

Necessaria ergo est Signorum doctrina quæ summum illud nobis confert beneficium, vt præsentes corporis dispositione cognoscere, & futuros earum euentus præuidere valeamus. Simeiosin vniuersam in tres sectiones diuidemus, quarum prima de signis in genere. Secunda, de signis diagnosticis. Tertia verò, de signis prognosticis erit.

SECTIO PRIMA.

De Signis in genere.

CAPUT PRIMVM.

De Signis natura, & definitione.

Signum apud Medicos *definitur, quod sensibus obuium aliquid aliud in corpore nostro latens significat.*

Vbi

VBi notandum est, hic signi nomen latiùs, quàm apud Aristotelem vsurpari. Ille enim ea tantum signa appellanda esse docet, quæ ab effectis desumuntur. Nos verò ea omnia, quæ aliquid ex ijs, quæ in corpore nostro fiunt, iudicare possunt, signi nomine donamus: quæ quidem ad certa quædam genera, seu fontes signorum generales, sunt referenda, si prius communes quasdam eorum differentias paucis tradiderimus.

CAPVT II.

De Signorum differentijs.

Omnia Signa medica à Galeno diuiduntur in Arte parua, *in salubria, insalubria, & neutra.*

DE Signis salubribus pauciſſima ſumus acturi, cùm ex bona corporis temperie, recta partium conformatione, vnione earundem, atque ex actionum omnium integritate, quæ ex illis resultat, salubris status facilè innotescat: cum etiam ex insalubris, tanquam contrarij cognitione, satis luceſcat. Neutra verò dispositio, tanquam inter salubrem, & insalubrem media, per cognitionem extremorum facilè innotescit.

In signis ergo insalubribus potissimùm nobis est insistendum.

Illa autem diuiduntur in προδηλωτικὰ, & συνεδροντα.

Pathognomonica, seu passionem significantia *ea sunt, quæ morbum perpetuò comitantur, & cum eodem incipiunt, & desinunt: ac pro magnitudine morbi augentur, & minuuntur; propriamque morbi essentiam consequuntur.*

Sic in pleuritide dolor lateris pungitiuus, difficultas spirandi, tussis, sputum cruentum, & febris assidua, signa pathognomonica nominantur.

Συνεδρεύοντα, *seu* assidentia *ea sunt quæ necessariò morbis non cohærent, nec eorum essentiam indicant. Sed alia, quæ accidentariò ijs eueniunt, vt magnitudinem, morem, aut euentum morbi.*

Et ea ratione illa triplica statuuntur: Alia scilicet, quæ coctionem & cruditatem indicant. Alia, quæ salutem, & mortem. Alia denique crisin, & solutionem morbi.

Illa autem signa plerumque non ab initio morbi prodeunt; sed paulò post incipiunt apparere. Et hac ratione ἐπιφαινόμενα. *id est*, post apparentia *nuncupantur, vel etiam* ἐπιγενόμενα, *id est*, post genita: *licet hæc duo nomina apud authores non rarò distinguantur.*

Rursus ex his omnibus signis alia præsentem corporis statum indicant, & diagnostica, seu demonstratiua *appellantur; alia futura prænunciant, & prognostica dicuntur; alia denique præterita commemorant,* & ὑπομνηστικὰ, *seu* commemoratiua *nuncupantur.*

Quia verò præterita ideò in memoriam reuocantur, vt vel præsentes dispositiones melius innotescant, vel futuri earum euentus præuideantur: commodè idcircò signa commemoratiua sub diagnosticis, & prognosticis comprehenduntur. (*conf. Melet. III. 22. 23.*)

CAPVT III.

De fontibus signorum generalibus, à quibus omnia signa desumuntur.

VT methodo facillima signa omnia medica elicere valeamus, stabiliendi primò sunt fontes quidam generales, ad quos omnia signa de qualibet re proposita poterunt reuocari, & à quibus eadem artificiosè deducentur.

Cùm igitur essentia, & natura vniuscuiusque rei, quocunque modo fuerit perspecta, non solùm quid res ipsa sit, sed & multa alia, quæ ad rem ipsam pertinent, nobis patefaciat, primum signorum genus à natura rei, de qua agitur, erit desumendum. Deinde cùm duobus modis ad rei cuiuslibet cognitionem deueniamus, vno scilicet à priori, id est, per causam, altero verò à posteriori scilicet per effectum, duo alia signorum genera proponere necesse est, vnum à causis, alterum ab effectibus.

Tres igitur in vniuersum debent constitui signorum fontes: Essentia scilicet, causæ, & effectus.

Essentiam hic Medicè, ac latè accipimus, & illius nomine non solum rei ipsius formam, sed etiam genera, differentias, partes, & proprietates vsurpamus, siue essentiales illæ sint, siue accidentales.

Causarum verò nomine omnia causarum genera, quæ in Medicina considerantur.

Effectus verò varij sunt pro varietate causarum.

Qui omnes signorum fontes minutim excutientur in particulari signorum inquisitione, prout eorum vsus postulabit. (*conf. Melet. III. 7. &c.*)

Notandum autem hic est *Primo*, in singulis rebus dignoscendis ab omnibus fontibus signa capi non posse. Non rarò enim essentia rei est incognita: causæ verò aliquando non exquisitè indicant. Aliàs effectus sunt confusi. Sed tamen ex propositis signorum capitibus semper inuenies, quod rem, quam inuestigamus, quantum Medicina præstare potest, certò demonstret; ita vt nunc ex solis effectibus signa necessaria desumamus, nunc à causis, nunc ab essentia, nunc à duobus simul; & aliquando denique ab omnibus, quòd ipsa exercitatio statim patefaciet.

Nota *secundò*, perpetuò ferè ab effectis multò plura, & certiora signa desumi, quàm à reliquis duobus fontibus.

Nota *tertio*, ex signis, quæ proponentur, alia magis, alia minus efficaciter indicare, sed tamen ex omnium collectione rem, quam inquiremus, certò demonstrari.

Nota *quarto*, vt à propositis fontibus vera signa desumi possint, eorum omnium, quæ corpori nostro insunt, vel ei possunt contingere, naturam, causas, & effectus optimè debere innotescere. Atque adeò Physiologiæ, & Pathologiæ præcepta ita ad manum haberi debere, vt illa hic in vsum facilè possimus reuocare: Alioqui hæc Simeioticæ præcepta, licèt prolixius multò fuerint pertractata, fore inutilia.

A. *Tabula fontes omnes continens; à quibus signa humorum in Corpore prædominantium desumuntur.*



SIMEIO-

SIMEIOTICÆ

SECTIO SECVNDA

De ſignis dignoſticis.

CAPVT PRIMVM.

De Signis bilioſi humoris in toto corpore prædominantis.

COgnitio temperamenti, & humoris, in toto corpore, prædominantis, neceſſaria eſt ad affectus ſpeciem dignoſcendam, & cauſam ſam illum producentem. Ideò antequam de illis diſſeramus, primò nobis proponenda ſunt ſigna humoris in corpore prędominantis, à nobile ſumpto exordio.

Notandum tamen priuſ eſt, duos tantum eſſe fontes, ex quibus humorum ſigna deſumuntur, nempè cauſas, & effectus, eſſentia enim hac in re nihil præſtat.

Vt igitur duos hoſce ſignorum fontes penitus exhaurire valeamus, illorum genera & ſpecies ordine ſunt proſequendæ: omnes ſaltem illæ quæ ad humorum notitiam aliquid præſtare poſſunt; quæ ad faciliorem memoriam in ſequentem tabulam ſunt relatæ.

Huc refer Tabulam notatam littera A.

Hunc igitur ordinem obſeruando, bilem in corpore dominantem indicabunt.

Cauſæ materiales.

Alimentorũ qualitas. Vſus ciborum calidorum & ſiccorum, vini generoſi, aut meri potio, quæ facilè conuertuntur in bilem.

Quantitas. Defectus alimentorum: vt inedia, victus valde tenuis & parcus.

Odor. Dulcia in fine menſæ aſſumpta, quia longiori coctione in bilem vertuntur; ſicut experientia patet, illa in diuturna coctione artificiali amareſcere.

Medicamenta. Vſus medicamentorum calidorum, vt aromatum, &c. quæ in bilem degenerant.

Retenta. Bilis euacuatio conſueta per aluum, vrinas vomitum, vel ſudores, ſponte, vel per medicamenta ſuppreſſa, vel intermiſſa.

Cauſæ efficientes.

Partes. Calida & ſicca temperies ventriculi hepatis & cordis, Quia hæ partes corpus vniuerſum afficere valent.

Hæreditas. Parentes bilioſo prædiți temperamento.

Ætas. Ætas iuuenilis, qualis potiſſimum ab anno decimo octauo ad trigeſimum quintum.

Sexus. Sexus virilis. Illi enim bilioſi magis, ſicut fœminæ pituitoſæ cenſentur.

Regio. Regio calida, & ſicca.

Tempus. Tempus æſtiuum.

Alimenta. Cibi, & potus calefacientes, & exſiccantes, vt aliæ, cepæ, ſalſa omnia, & piperata, quæ hepar plus æquo calefaciendo faciunt, vt nimiam bilis copiam progeneret.

Exercitatio. Vita laborioſa, & multis exercitationibus dedita.

Venus. Nimius ad venerem impetus, quo totum corpus incandeſcit.

Vigiliæ. Vigiliæ nimiæ, quibus ſanguis, & ſpiritus inflammantur.

Animi pathemata. Iræ, curæ, & omnes vehementes animi commotiones.

Iuuantur à frigidis, & humidis, læduntur à calidis, ſiccis, & ieiunio.

EFFECTVS.

Actiones animales:

Ingenium. Ingenium acre, & ſolers, promptum, & expeditum.

Animi paſſiones. Iracundia, furor, audacia, iactatio, appetitus vindictæ.

Somnus, & vigiliæ. Somnus paucus admodum, & leuis, ac vigiliæ maximæ.

Inſomnia. Inſomnia ignium, incendiorum, rixarum, & tumultus.

Senſus. Senſus vegeti, accuti, velociores, expediti, auditus potiſſimum, qui maximè iuuatur à ſiccitate.

Actiones vitales.

Pulſus magnus, frequens & durus.

Actiones naturales.

Appetentia. Inappetentia, & cibi faſtidium, æſtate potiſſimùm.

Frigidorum appetitus.

Inediæ difficilis tolerantia.

Sitis. Sitis magna, & potus frequens.

Accretio cita, & prompta, ac matura ſenectus, quia humidum radicale promptè abſumitur.

Venus. Ad Venerem procliuitas maxima, propter ſeminis acrimoniam.

A Venere cita exolutio: quia bilioſorum ſpiritus ſunt valde diſſipabiles propter tenuitatem.

Paſſiones.

Morbis bilioſis proclivis diſpoſitio, vt febribus ardentibus, & tertianis, phrenitidi pleuritidi, vomitui, bilioſo diarrhœis, eryſipelati, herpetibus, puſtulis, faciei, &c.

Excrementa.

Per os. Vomitus humoris tenuis pallidi, vel flaui, & amari, aut ſapor amarus in lingua.

Aures. Aurium excrementa copioſa, & valde ruſa.

Aluum. Fæces maximè flaueſcentes.

Veſicam. Vrina tenuis, & ruſa, vel etiam rubra, & flammea.

Purgamenta vteri ſubflaua, aut citrina.

Habitus corpori.

Cutis. Cutis ad tactum calida, & ſicca, & calor illius acris, & mordax in manibus potiſſimum.

Qualitates. Cutis dura, & aſpera.

Primæ. Secundæ. Color cutis faciei potiſſimum, & oculorum, pallidus, & ſubflauus.

Capillorum paucitas à pororum raritate, quę materiam pilorum effluere permittit.

Capilli flaui bilis colorem referentes, aut ſubnigri à maiori exuſtione & nonnumquam criſpi propter ſiccitatem quæ pilos intorquet: ac calui fiunt propter cutis ſiccitatem, & materiæ pilorum conſumptionem.

Pili qualitas. Pili citò oriuntur, & citò decidunt.

Latitudo vaſorum; Calidi enim proprium eſt dilatare, & venæ in oculis conſpicuæ.

Paſſio. Habitus corporis gracilis, & macilentus.

CAPVT II.

De ſignis humoris pituitoſi in corpore prædominatis.

PItuitam in corpore dominantem indicant.

Cauſæ materiales.

Alimentorum qualitas. Vſus conſuetus alimentorum frigidorum, & humidorum, vt fructum, olerum, piſcium lacticinorum, aquæ potio, &c. Illa enim facile in pituitam abeunt.

Quantitas. Tempus. Nimia alimentorum quantitas quæ calorem natiuum obruit, & cruditates gignit.

Cibi aſſumpti ſtatim à ſomno, vel ante ſomnum, aut antequam priores ſint concocti.

Medicamenta. Diuturnior vſus medicamentorum frigidorum, & humidorum, quæ vt alimenta in pituitam degenerant.

Retenta. Omiſſa naturalis conſuetudo pituitam euacuandi per vomitum, vel ſeceſſum, vel artificialis per exercitationes, aut vſu aquarum thermalium, laconicorum, vel medicamentorum purgantium, aut diureticorum; ex quorum intermiſſione pituitæ copia cumulatur.

Cauſæ efficientes.

Partes. Frigida, humidaque temperies ventriculi, hepatis, cordis, & cerebri.

Ortus

Hæreditas. Ortus ex parentibus pituitoso temperamento præditis.

Ætas. Ætas senilis, quæ propter caloris inopiam multam accruat pituitam; tum etiam puerilis, propter ingluuiem; & incautam viuendi rationem.

Sexus. Sexus muliebris.

Regio. Regio frigida, & humida quales sunt, quæ stagnis, & paludibus, aut maioribus fluminibus sunt vicinæ, ac Boreæ niuibus, imbribusque expositæ, & quæ sunt magis septentrionales, vnde fit, vt Germani omnes ferè pituitosi sint.

Tempus. Tempus hyemale.

Cibi, & potus. Cibi, & potus refrigerantes, & humectantes, vt lactucæ, portulacæ, & fructuum hortorum vsus, & aquæ potio, quæ ventriculum, & hepar refrigerando faciunt, vt multam pituitæ copiam producant.

Quies. Vita otiosa, & sedentaria.

Somnus. Somni longi, & profundi, præsertim à cibo.

Pathemata. Vita sine curis, studio, mærore, aut cum his valde excedentibus, quia calorem natiuum dissipando corpus refrigerant.

Vsu calidorum, & siccorum iuuantur, & frigidis, & humidis læduntur.

EFFECTVS.

Actiones Animales.

Principes. Imaginatio satis bona, ac facilis rerum perceptio, sed prompta obliuio, quia in rebus humidis facilè fiunt impressiones, sed promptè delentur.

Mens torpida, & hebes, ingenium tardum & obtusum.

Ira remissa, & facilè placabis.

Maxima ad somnum propensio.

Somnus. In somnia frigoris, aquarum, pluuiarum, ni-
Insomnia. uium, submersionis, fluminum, stagnorum, marium, & rerum albarum.

Sensus. Sensuum hebetudo.

Motus. Motus tarditas, sed in eo duratio, quia spiritus crassiores minus dissoluuntur.

Actiones vitales.

Pulsus. Pulsus paruus tardus, & mollis.

Actiones naturales.

Fames. Appetentia delecta, vnde apud Hipp. senes facilè ieiunium ferunt.

Sitis. Sitis nulla, aut saltem perexigua.

Accretio. Tardè adolescunt, quia nonnisi longo tempore calor debilis multam humiditatem potest edomare.

Venus. Ad Venerem tardi.

Ex moderato illius vsu iuuantur, quia calore pituita concoquitur, & temperantius corpus euadit. At frequentiori illius vsu corpus redditur frigidus.

Passiones.

Cœlo sereno melius habent, frigido, & pluuioso pessimus.

Morborum frigidorum frequens occursus, vt catarrhi, hydropis, cachexiæ pituitosæ, lethargi, paralysis, & similium.

Excrementa.

Humoris crassi, albicantis, & insipidi excretio per os, & nares.

Per os, & nares. Fœces albicantes, & mucosæ.

Aluum. *Vesicam.* Vrina alba, vel pallida, eaque tenuis, si adsint obstructiones; alioqui turbida, & crassa, cum copioso sedimento.

Alba vteri profluuia in mulieribus.

Habitus corporis.

Vterus. *Cutis.* *Qualit.* *Primæ.* *Secundæ.* *Tertiæ.* Cutis ad tactum frigida, pedes potissimum, & manus frigidissimæ hyemis tempore.

Pili. *Qualit.* *Secundæ.* Cutis mollis, & lenis.

Color eiusdem albus.

Pili moles, & lænes, ac tenues ab initio.

Rufi capilli, quia pituita vlteriori coctione talem colorem adipiscitur.

Tertiæ. *Figura.* Capilli recti, quia eum in cute nulla sit siccitas, faciles in ea sunt meatus, quos excrementa liberè permeare.

Pili tardè oriuntur, & nunquam calescunt.

Passiones. Vasorum angustia, & nullæ venæ in oculis apparent.

Vasa. Habitus corporis mollis, & obesus, non tamen carnosus.

Carnes.

CAPUT III.

De signis sanguinis in corpore prædominantis.

SAnguinem in corpore prædominantem indicant.

Causæ materiales.

Alimenta. Vsus ciborum euchymorum, & eupeptorum quales sunt panis recens albissimus, & probè coctus, oua tremula, carnes iuniorum animalium, & laudabilis alimenti, vt gallinarum, perdicum, phasianorum, vitulorum, hædorum, &c. Aqua purior fontana, vinum generosum salubriter dilutum.

Retenta. Suppressiones vacuationum solitarum, vt hæmorrhagiæ in iunioribus, hæmorrhoidum in ætate prouectis, aut mensium in mulieribus.

Causæ efficientes.

Partes. Calida, & humida hepatis, & cordis temperies.

Hæreditas. Ortus ex parentibus sanguineis.

Ætas. Ætas à pueritia vsque ad pubertatem.

Regio. Regio meridionalis, & austrinis ventis, perflata.

Tempus. Verna tempestas.

Exercitatio. Otium, vel leuis exercitatio, quæ appetitum intendat, & corpus non resoluat.

Venus. Veneris vsus ratus.

Somnus. Somnus dulcis, & moderatus.

Pathemata. Vita sine curis, gaudio, & lætitia, plena, ac delicijs affluens.

Iuuantes. Iuuantur ex larga sanguinis missione, vel spontanea eiusdem profusione, ijsque omnibus, quæ sanguinis copiam minuere valeant.

EFFECTVS.

Actiones animales.

Imaginatio. Felix imaginatio, & rerum comprehensio, quia in humido promptæ fiunt impressiones.

Ratiocinatio. Mentis hebetudo, & stoliditas, ad risum profusio, impudentia, incontinentia, in valde sanguineis. In alijs iucunditas animi, & hilaritas cum discursu facili, & libero: ac magna ad amorem propensio.

Memoria. Memoria parum debilis.

Somnus profundus, minus tamen, quàm in pituitosis.

Insomnia. Insomnia rerum rubrarum, & iucundarum, amœnitarum, nuptiarum, hortorum, musicorum concentuum, Regum, Principum, & Magnatum.

Motus. Motus quidem moderati, sed graues, & lassitudinibus pleni.

Actiones Vitales.

Pulsus. Pulsus magnus, tardus, plenus.

Actiones naturales.

Fames. Appetitus mediocris, nisi adsit multitudo humoris, quæ satietatem pariat.

Sitis. Sitis etiam mediocris.

Venus. Propensio ad Venerem, sed non tanta vt in biliosis.

Facilis Veneris tolerantia, propter copiam seminalis materiæ.

Passiones.

Facilis lapsus in febres synochos, phlegmonas, furunculos, &c.

Exer-

Excrementa.

Per varias. Partes. Per vesicam. Frequentes, aut copiosæ sanguinis excretiones per nares, vterum, & hæmorrhoides.
Vrinæ copiosæ, laudabili colore, & consistentia prædictę, & contentorum multitudine aliquando refertæ.
Fæces subrufæ, & consistentia mediocres.

Habitus corporis.

Aluum. Qualit. Secundæ. Tertiæ. Pili. Vasa. Cutis ad tactum calida, & mollis persentitur.
Color faciei floridus, & rubicundus.
Pilorum copia mediocris, & color subflauus.
& prompta eorum generatio.
Vasorum amplitudo mediocris.
Habitus corporis carnosus, & bene compactus.

COROLLARIVM.

Vera plethora, & cacochymiæ expers, ijsdem ferè signis indicatur, si vasorum tensionem addas & lassitudinem spontaneam.

CAPVT IV.

De Signis Melancholiæ in corpore prædominatis.

MElancholicum humorem in corpore redundantem monstrant.

Causæ materiales.

Alimenta. Vsus alimentorum crassiorum, duriorum, & terream substantiam possidentium, qualia sunt panis ater, & furfuraceus, vinum nigrum, & crassum, aquæ turbidæ, & limosæ, legumina caseus ar.iquus, carnes bubulæ leporinæ; suillæ, aurum paluſtrium præcipuè salitæ, aut fumo indurātæ, pisces cetacei, duri, & salsi, brassicæ, pastinacæ, &c.

Reten.ta. Retenta melancholię vacuatio consueta, spontè, vel arte facta per hæmorrhoidas, aluum, varices scabiem, &c.

Causæ efficientes.

Partes. Hepatis, & cordis temperies frigida, & sicca, cum lienis imbecillitate, vel obstructione, ob quam non potest humorem melancholicum attrahere, & conuenienter secernere.

Hæreditas. Ortus ex parentibus melancholicis.

Ætas. Ætas consistens, à quadragesimo ad sexagesimum.

Regio. Regio, in qua inæquales fiunt aeris constitutiones.

Tempus. Vigiliæ. Tempus autumnale.
Vigiliæ immensæ, quia corpus exsiccant, & calorem natiuum dissoluunt.

Pathemata. Vita studijs, curis, sollicitudinibus, & mœrore plena.

Iuuantes, & lædentes. Iuuantur calidis & humidis, tum etiam temperatis, læduntur frigidis, & siccis, vt aceto.

EFFECTVS.

Actiones animales.

Imaginatio. Timor, & mœstitia sine causa manifesta in valdè melancholicis. Ij verò, qui ex leui sanguinis adustione fiunt melancholici, sunt astuti, cauti, prudentes, constantes, ingenioſi.
Atrabilarij verò, vbi melancholia est adusta, osores, proditores.
Melancholici difficulter ad iram excitantur, sed postea difficulter placantur.
Rerum perceptio difficilis.

Memoria. Vigiliæ. Memoria firma propter siccitatem.
Vigiliæ maximæ, & somni turbulenti, ac interrupti.
Insomnia rerum nigrarum, horrendarum, cadauerum, sepulchrorum, dæmonum, &c. *Insomnia.*
Sensuum hebetudo, aspectus incostans, tristis, & horridus. *Sensus.*
Motus tardus, grauis, & compositus. *Motus.*

Actiones Vitales.

Pulsus tardus, & durus. *Pulsus.*

Actiones naturales.

Voracitas maxima propter aciditatem melancholiæ, quæ excitat appetentiam; interdum deiecta appetentia. *Fames.*
Sitis exigua propter seri, & saliuæ abundantiam, quæ in melancholicis redduntur. *Sitis.*
Ructus acidi, qui à cruditatibus excitantur, quibus melancholici abundant. *Expulsio.*
Tarda accretio, & cita senectus. *Accretio.*
Tardè ad Venerem excitantur, & illius vsu plurimum læduntur; ad eam tamen promptiores sunt ij melancholici, qui pluribus flatibus abundant; neque his perinde inimica est Venus, cùm paucius semen emmittant, vtpotè ex flatu ad coeundum excitati. *Venus.*

Passiones.

Frequens morborum melancholicorum incursus, quales sunt quartana, tumor lienis, & durities; lepra, fœda scabies, varices, hæmorrhoides, &c.

Excrementa.

Humoris melancholici vomitio frequens. *Per os.*
Frequens sputtio, & copiosa saliuæ eiectio, vnde melancholici sputatores dicuntur.
Aluus, vt plurimum ficca, & constipata, deiectiones nigricantes. *Aluus.*
Sanguinis atri excretio per hæmorrhoides. *Hæmorrhoides.*
Vrina tenuis, & alba, interdum crassa, & liuida. *Vesicam.*

Habitus corpori.

Cutis ad tactum frigida, sicca, dura, & aspera *Cutis*
Color faciei fuscus, plumbeus, aut nigricans. *qualitates.*
Capilli multi duri, & asperi, crassi, nigri, tardè oriundi, & citò canescentes.
Venæ angustæ.
Habitus gracilis, & macilentus. *Primæ. Secundæ. Tertiæ. Pili. Vasa. Carnes.*
Atque hæc de signis humorum in toto corpore prædominantium.

COROLLARIVM.

Hac protinus methodo, & ijsdem omninò signis singularum partium temperiem inueniemus ea scilicet eodem modo illis partibus applicando earumque potissimum actiones, & excrementa contemplando.

CAPVT V.

De signis partis affectæ.

NAturali corporis dispositione ritè perspecta, ad ea, quæ præternaturam corpori insunt, est deueniendum. Primò igitur iam partis affectæ indicia inquiremus. Deinde speciem affectus, qui illam partem occupat, ac tandem causas, à quibus affectus ille dependet. Partis affectæ signa à tribus fontibus desumi possunt: essentia causis, & effectibus, quorum series proposita est in tabula notata litera B.
Ergo secundum illam seriem partem affectam indicat.

B. *Tabula signorum Partis Affectæ.*



Essen-

Essentia.

Qualitates primæ. Temperies partis, si enim illam præter modum calidam, frigidam, humidam, aut siccam percipiamus, præter naturam affectam esse iudicabimus.

Secundæ. Durities, & mollities, si enim in hypochondrijs v. g. duritiem, & renitentiam percipiamus, partes illi subiectas, hepar, aut lienem, obstructum, vel inflammatum esse iudicabimus. Sic nimia alicuius partis mollities, eam œdematoso aliquo affectu laborare, est indicium.

Magnitudo aucta. Tumor præter naturam isque vel externus, qui visu percipitur, vel internus, qui tactu persentitur, quales sunt tumores ventriculi, hepatis, lienis, vesicæ, &c.

Maxima partium consumptio, & atrophia.

Imminuta situs. Situs partis, qui maximi est hac in re momenti. Si enim ex anatome nobis constet, quem vnaquęque pars in corpore nostro sortiatur locum, facilè ex humore, intemperie, aut quo vis alio sensibili affectu, illum locum occupante eam partem laborare conijciemus.

Figura. Figura partes in eodem loco sitas à se inuicem discernit. Sic tumor in dextro hypochondrio lunarem obtinens figuram gibbam hepatis partem affectam esse indicat; si verò oblongam habeat figuram, & externus magis sit, musculos abdominis rectos affectos esse ostendit,

Causæ externæ.

Externæ causæ aliquid indicare valent, si quis enim v.g. cantharides assumpserit, vesicam laborare conijciemus, quòd illæ peculiarem habeant vim vesicam, alterandi. Sic si quis ab insolatione laboraret, caput affectum indicatur, quòd eam partem præ cæteris sol afficere consueuit. tum & si ab immodica venere prodit affectus, spirituosam substantiam, neruosasque partes male habere arbitrãdum, quòd illis partibus sit inimica venus.

Causæ internæ.

Inter causas internas affectus ipsos possumus recensere: si quidem vbi tertiana infestat hepar affectum indicat; quotidiana, ventriculum, & quartana lienem; quia earum causæ in his partibus cumulari solent.

Nota; in vsu practico dum partem affectam inquirimus, ab essentia, & causis non esse inciendum, sed priùs ab actionibus, excrementis, & qualitatibus mutatis signa esse desumenda; ac tandem ab essentia, & causis.

Effectus Actiones.

Animales. Actionis læsio partem affectam indicat, à qua dependet V.g.

Principes Delirium & vigilia, sensus, & motus abolitio, cerebrum affectum significant.

Sensus priuatus. Sensus particularis læsio, vt visus, vel auditus illius organum affectum indicat.

Dolor pungitiuus, tensiuus. Dolor pungitiuus indicat membranam affectam, potissimùm à materia acri, & erodente. Tensiuus autem fit aliquãdo in membranis à flatibus, & in venis à nimia repletione.

Grauatiuus. Dolor grauatiuus significat parenchyma alicuius visceris affici. omnia enim parenchymata obtusum habent sensum: Sic dum calculus renum substantiam comprimit, dolor fit grauatiuus; dum verò in caput vreteris fertur, dolorem efficit pungitiuum. Sic etiam in pleuritide, materia membranam succingentem occupante, fit dolor punctorius, dum verò fit metastasis in pulmonem, mutatur in grauatiuum.

Pulsatorius. Dolor pulsatorius affectam arteriam indicat, aut partem ei vicinam; ideò in omnibus inflammationibus partium arterias possidentium fit dolor pulsatorius.

Excrementa.

Illa verò, quæ per corporis partes excernuntur, partem affectam indicare solent hoc modo.

De essentia partis. Substantia cartilaginosa per tussim excreta asperam arteriam affectam indicat, vel bronchia pulmonum; carnis verò fungosæ frustulum excretum pulmonem ipsum affectum indicat; crassa verò ex crassis educitur.

Naturaliter contenta. Si cibus, aut vrina, aut fæces per vulnus excernuntur, ventriculum, vesicam, aut intestina vulnerata pronunciamus.

Si lapilli, vel arenulæ per vrinam excernuntur, renes, vel vesica laborant.

Præter naturam contenta. Lumbrici per os, aut anum excreti, intestina affecta indicant.

Qualitates excremẽtorum Aer calidior expiratione emissus, cor, vel pulmonem indicat calidiorem; frigidior verò cor valde refrigeratum, & morti proximum.

Primæ secundæ, tertiæ. Sanguis calidior, tenuior, flauior, ac cum quodam saltu exiliens, arteriam indicat vulneratam.

Tenuitas, & color. Tenues alui deiectiones, rubentes, ac loturæ carnium similes, hepatis indicant imbecillitatem.

Spumosæ sanguinis excreationes, ac tussiendo reiectæ, pulmonem affectum indicant.

spumositas et modus. Quibus in alui profluuij excrementa spumosa sunt, ijs capite pituita defluit. *Aph. 20. sect. 7.* Pituita enim è cerebro defluens, & cum flatibus permixta in intestinis spumosa efficitur.

Ructus acidus ostendit, ventriculum cruditate laborare.

Sapor.

Quantitas. Si sanguis tussiendo expuatur magna quantitate, vasa pulmonis affecta esse oportet: cùm ea, quæ sunt in aspera arteria angustiora existant, quàm vt possint multum sanguinis effundere.

Sanguis meiendo excretus, si paucus sit, ex vesica proficisci est conijciendum, si multus, ex renibus aut superioribus partibus, vbi maiori copia continetur.

Modus. Excremeuta spuendo reiecta os affectum significant; screando fauces; tussiendo pulmones, vel asperam arteriam; vomendo ventriculum.

Ordo. Si pus mingitur ante vrinam, in pene ipso vlcus est; si post, in vesica, aut renibus.

In dysenteria si pus, aut sanguis effluat purus ante fæces, credibile est rectum intestinum esse potius vlceratum, quàm reliqua; si verò post fæces, aut illis valdè permixtus: superiora, vel media intestina affecta esse indicat.

Qualitates mutatæ.

Color. Qualitates mutatæ aliquando partem affectam indicant, E. g. qua parte corporis calor, aut frigus est, ibi morbus est *Aph. 39. sect. 4.*

Plumbeus, aut liuescens totius corporis color, hepar indicat refrigeratum, citrinus cystidem felleam esse obstructam, nigricans lienem obstructum.

Rubor pertinax, & saturatus in genis pulmonem indicat inflammatum.

Amarus sapor in lingua, bilem in ventriculo redundere significat.

Salsus verò pituitam salsam à cerebro fluere.

Tinnitus, & Sibilus aurium eas affectas indicat.

Borborygmus in ventre significat flatus in intestinis. (*Melet. III. 14. &c.*)

CAPVT VI.

De signis partis primariò, vel per consensum laborantis.

IN omni præternaturali dispositione perpetuò ferè solet euenire, vt plures partes afficiantur, quod scilicet ea, quæ primariò afficitur, alias omnes, cum quibus aliquam habet communionem, trahat in consensum vbi acri Medici solertia opus est, vt affectus sympathici ab idiophathicis distinguntur.

Ad hoc autem præstandum, ex prædictis fontibus signa desumentur, ex quibus alia leuem tantùm coniecturam afferunt, alia verò certiorem, omnium tamen collectio rem certissimè indicabit.

Horum ergo Signorum fontes ex sequenti tabula, notata littera C. desumentur.

C.

Tabula signorum partem primariò, vel per consensum affici indicantium.



Quorum signorum seriem clariùs patefacient sequentia theoromata exemplis suis illustrata.

Essentia.

Qualitates primæ. Partes calidioris alijs facilius compatiuntur, quàm frigidæ: quoniam humores noxios, & vapores facilè ad se trahunt; attractio enim fit à calore. Sic cor & hepar alijs partibus facilius compatiuntur, quàm ventriculus, vesica, vterus, &c.

Qualitates. Secundæ. Partes raræ, & molles alijs facilius compatiuntur, quàm densæ, & duræ quia, facilius causas noxias recipiunt, eisque minimè resistunt. Sic cutis ob raritatem facilè recipit fluentes à partibus interioribus humores: sic pulmo fluentibus à capite humoribus sæpe tentatur.

Vicinis. Partes vicinæ aptiores sunt alijs compati, quàm remotæ. Sic manus brachio vicino mala sua cõmunicat, os carni vicinæ, ventriculus hepati, pleura pulmoni, pulmo cordi, & ita de cæteris.

Quæ sub eodem genere positæ sunt partes eandemque possident naturam, sibi inuicem facilè compatiuntur. Sic partes neruosę neruosis compatiuntur, vt carnosæ carnosis.

Officium. Partibus publicum in corpore munus exercẽtibus affectis totum corpus per consensum afficitur. Sic cerebro corde, vel hepate laborante, totum corpus laborat.

Situs. Quæ partes similes in corpore officium exercent, sibi inuicem compatiuntur. Sic mammę vtero, vesicæ, renes compatiuntur.

Connexio. Quæ partes alijs directè superiacent, vel subijciuntur, earum affectus facile recipiunt. Sic caput vapores à partibus inferioribus ascendentes facilè recipit, ventriculus & pulmo humores à capite defluentes.

Quæ simul connectuntur partes sibi mutuò compatiuntur. Sic neruorum affectus cerebro communicantur, arteriarum cordi, venarum hepati & vice versa.

Causæ.

Secundo, à causis iuuãtibus & lędentibus signa partis symphaticè laborantis desumuntur, ex quibus sequens theorema constituitur.

Si duabus partibus simul laborantibus, admotis vni iuuantibus, aut ledentibus, altera iuuetur, aut lædatur, ea, cui iuuantia, vel lędentia admouẽtur, primario laborat; altera verò per consensum.

Sic adhibitis ventriculo remedijs, si dolor capitis cesset, vel remittat; caput per consensũ laborat.

Effectus.

Effectus etiam, seu symptomata ad hoc ipsum demonstrandum maximam habent efficaciam, vt ex sequentibus theorematis apparet.

Magnitudo. Ex pluribus partibus simul laborantibus, ea, quę grauioribus tentatur symptomatis, primariò afficitur; reliquæ verò per consensum.

Tempus. Ex multis partibus simul affectus ea primariò laborat, in qua symptomata priùs apparuerunt. Sic ventriculo laborante, si capitis dolor postea suboriatur, symptomaticus est ille dolor.

Ordo. In affectuum exacerbatione ea pars primariò laborat, in qua symptomata incipiunt exacerbari.

Duratio. Affectus ideopathici continui sunt, & nunquam intermittunt, symphatici verò solent intermittere. Sic delirium à febre exortum mitescere solet, inclinante febre; nunquam verò remittit cùm à cerebri inflammatione producitur. *Melet. III. 40. 41.*

CAPVT VII.

De signis speciei morbi.

Signa affectus speciem indicantia cum signis partis affectæ simul ferè innotescunt: clarioris tamen doctrinæ gratia, ea hic seorsum annotabimus, ne in tractatu isto confusio aliqua suboritur.

Illa ergo signa à tribus fontibus desumi possunt, morbi nimirum ipsius essentia, causis eum producentibus, & effectibus, seu Symptomatis ab eo emanantibus.

Quæ omnia in sequenti tabula ordine disponentur.

Huc refer tabulam notatam littera D.

Horum autem series sequentibus theorematis breuiter innotescet.

Essentia.

Morbi essentia nihil aliud est, quem morbus ipse; ideoque sensibus possimus detegere intemperiem parti alicui impressam, vel quãdam morbi organici speciem, aut continui solutionem, non opus erit alijs signis quibus indicetur.

Causæ.

Causæ omnes, quę humores in corpore predominantes significant, possunt etiam morbi speciem indicare, illę enim quæ bilem generãt morbos etiam calidos, & siccos solent producere; quæ pituitam, frigidos, & humidos, & ita de cæteris; & hæ ratione morborum similarium è priori Tabula notata A, erunt desumendæ.

Quibus tamen humorum periodi erunt adijciendæ in hunc modum.

Humores, qui tertio quoque die mouentur, febrem tertianam indicant: qui singulis diebus, quotidianam: qui quarto quoque die, quartanam.

Causæ similarium. Illæ verò causæ, quæ morbos, organicos aut communes indicare valent in hunc modum se habent.

Causæ organicorũ & communium. Vsus alimentorum, & medicamentorum astringentium internos meatus, & cauitates solent astringere, & morbum in astrictione fuisse genitum, suspicionem afferunt.

Alimenta & medicamenta. Alimenta, vel medicamenta incrassantia multas obstructiones solent generare.

Alimenta, & medicamenta valde detergentia asperitates solent producere in lingua, œsophago, aspera arteria, ventriculo, & intestinis.

Alimen-

D. *Tabula signorum Affectus speciem indicantium;*



Alimenta pinguia, & oleaginosa læuitates intestinorum, & lienterias generant.

Medicamenta acria, & erodentia assumpta partes internas erodunt, & exulcerant.

Dispositio Partis, Hepar, & lien sæpissimè tentantur obstructionibus, ideò si illæ partes afficiantur, de obstructionibus erit suspicio.

Trachea arteria à fluxionibus sæpissimè exasperatur, vel leuior efficitur; ideòque si in ea affectus, de asperitate, aut læuitate conijciendum.

In intestinis lumbrici passim producuntur. Ergo, intestinis affectis, lumbricorum erit suspicio.

Temperies partium. Qui frigidum habent ventriculum, & hepar calidum, obstructionibus sunt obnoxi; quia hepar cruda attrahit alimenta, ex quibus obstructiones generantur.

Qui ventriculum habent frigidum, & renes calidos, calculos in renibus generare solent quia pituita in ventriculo frigido genita, à calore renum induratur, & in lapidem conuertitur.

Hæreditas. Nati à parentibus lienosis, nephriticis, podagricis etiam talibus affectibus sunt obnoxij.

Exercitatio statim a pastu obstructiones generat, quia alimenta à ventriculo deturbat antequam sint concocta.

Venus. Venus immodica calculosam efficit dispositionem, quia renes debilitat.

EFFECTVS.

Actiones animales.

Delirium cum furore calidam indicat cerebri intemperiem.

Principes. Delirium cum timore, aut tristitia, & fatuitas frigidam indicant cerebri intemperiem.

Somnus. Somni immodici frigidam, & humidam cerebri intemperiem significant.

Vigiliæ. Vigiliæ immoderatæ calidam, & siccam indicant intemperiem.

Sensus, & motus. Omnimoda sensus, motusque abolito, qualis in apoplexia apparet, omnimodam indicat ventriculorum cerebri obstructionem secundum veterum opinionem.

Motus omnium partium deprauatus, qualis in epilepsia apparet, dimidiatam indicat ventriculorum cerebri obstructionem.

Motus priuatio in aliqua parte, significat neruorum, qui ad illam partem feruntur, ostructionem resolutionem, aut incisionem.

Dolor. Dolor pulsatorius inflammationem indicat in parte dolente.

Dolor stupidus frigidam indicat intemperiem.

Dolor acer, & erodens exulcerationem indicat.

Actiones vitales.

Pulsus magnus, & frequens calidam indicat intemperiem: paruus, & rarus frigidam.

Actiones naturales.

Delecta appetentia, & sitis maxima calidam indicant intemperiem.

Attractio. Appetentia maxima, sitis exigua, frigidam arguit intemperiem.

Ructus nidorosus calidam intemperiem significat; acidus verò frigidam.

Expulsio. Uomitus frequens, & fæcum excretio impedita obstructionem indicat intestinis.

Generatio. Deperdita coeundi libido frigidam intemperiem significat.

Ardens coeundi desiderium cum erectione perpetua, & dolorifica affectum indicat inflammatorium.

Excrementa.

Per os. Sanguis copiosus per os affatim tussiendo reiectus vasis rupionem indicat, paucus verò, & cum pure permixtus exulcerationem.

Aluum. Ramenta per aluum ejecta exulcerationem indicant intestinis.

Vesicam. Vrinæ rubram, & arenosam hypostasim habentes, calculum indicant; aut saltem calidam renum intemperiem humores exurentem.

Habitum. Substantia. Sudantiunculæ, & rigoris crebra vicissitudo emphyema significant, 10. *Coac.* 1. Ex puris acrimonia partes internæ vellicantur, vnde horror; sudatiunculæ verò ex facultate debili.

Alimenta eodem modo excreta, quo assumptæ sunt, lienteriam significant. Potus, si per vrinam emittatur non immutatus, diabeten significat.

Bilis flaua in principio paroxysmi excreta tertianam febrem significat.

Modus. Sanguis copiosè fluens è naribus in principio febris synochum indicat.

Sanguis ex quacunque parte confertim fluens venarum ruptionem, vel anastomosin significat; sensim verò tesudans, diapedesin.

Qualitas mutata.

Rubor intensus in aliqua parte phlegmonosam indicat inflammationem. Sic rubedo in genis peripnemonia significat.

Flauescens color erysipelatosam indicat affectionem. Sic in exquisita pleuritide oculi sæpè croceo colore apparent infecti; sic febribus biliosis ictericus non rarò superuenit.

Color flauus totius corporis sine febre vesiculam felleam iudicat obstructam.

Cutis totius corporis subnigro colore præter naturam infecta lienem indicat obstructum.

CAPUT VII.

De signis morbi magni, & parui.

NOn sufficit Medico morborum curam aggredienti, eorum differentias essentiales per propria signa cognouisse; nam differentiæ etiam accidentales sunt inuestigandæ, vt certum de illis iudicium ferre queat. Nos ideò hic præcipuarum signa proponemus, earum scilicet, quæ magis ad vsum artis sunt accomodatæ; ratione quarum omnis morbus dicitur magnus, vel paruus, benignus, vel malignus, acutus, vel tardus, & ita de cæteris.

Magnum morbum appellamus eum, qui intensus valdè est, & magna vi corpus nostrum affligit, Illius signa à tribus prædictis fontibus desumuntur; si quidem morbum illum magnum iudicamus, qui essentia magnus est, à causis magnis, & intensis fuit productus, ac magna habet, & vehementia symptomata, quę omnia clarioris doctrinæ gratia ordine sunt persequenda iuxta sequentem tabulam litera E. notatam.

E. *Tabula signorum magnum, vel paruum morbum indicantium.*



Vt igitur secundùm tabulæ istius seriem signa morbi magni proponamus, sequentia instituentur theoremata.

Essentia.

Magnę intemperies, aut inflammationes, tumores magni, magnæ obstructiones, magna vulnera, aut vlcera, in longum, latum, aut profundum protracta magnos ostendunt morbos.

Causæ.

Externæ. Quæcunque causæ externæ maximam vim obtinent corpus nostrum afficiendi, magnos morbos solent producere, eosque indicare. Sic diuturna, & violenta exercitatio, in aere calidissimo habita, magnam febrem excitare solet.

Internæ. Humores qui in corpore nostro continentur, quique ordnariæ sunt omnium ferè morborum causę si quantitate, vel qualitate maximè peccent, morbos magnos efficiunt, eosque indicant. Sic sanguis magna quantitate luxurians, aut feruentissimus, bilis vtraque copiosa, acris, vel putrefactã, magnum morbum indicat.

Quibus morbis nulla, vel pauca prosunt remedia, multa verò nocent, magni iudicantur.

Iuuante, & lædenter. Quicunque morbi partes principes, vel publicum munus obtinentes afficiunt, ratione illarum partium magni iudicantur, si modò aliquod aliud signum magnitudinis habuerint coniunctum. Sic vulnus licet exiguum ex se, si cordi hepati, pulmoni, alijsque partibus fuerit, inflictum magnum censetur propter partem affectam, & quia etiam propter eandem partem affectam magna symptomata producit.

EFFECTVS.

Actiones animales.

In quocunque mòrbo delirium, sopor ingens vigiliæ maximæ, sensus, aut motus priuatio, vel dolor vehementissimus extiterit, magnum morbum iudicato.

Actiones Vitales.

Quotiescunque in aliquo ægrotante respiratio magna, frequens, vel difficilis; pulsus magnus, frequens, vel admodum exiguus percipitur, hunc magno detineri morbo pronunciato.

Actiones naturales.

Anorexia, aut apositia, vel contrà fames canina, aut sitis inexhausta, apepsita, vel alui fluxus diuturnus, & vrinæ suppressio, aut diuturna, & copiosa illius profusio, magnum morbum significant.

Excrementa.

Excrementorum nimia quantitas, vel omnimoda suppressio, vel prauus color, aut odor fœtidissimus & substantia, à naturali valde remota, magnum indicant morbum.

Qualitates mutatæ.

Color in corpore valde ruber, flauus, vel liuidus; aut sapor amarus in lingua, color illius niger & siccitas maxima magnum morbum declarant.

COROLLARIVM.

Ex his, quæ iam allata fuerunt satis, apparet, quinam morbi parui dici mereantur, ij scilicet omnes, in quibus dicta signa non reperiuntur. *conf. Melet. II. 62. III. 50.)*

CAPVT IX.

De signis Morbi maligni & benigni.

MAlignos morbos appellamus eos, qui malignam quandam, & venenatam qualitatem adiunctam habent; atque eorum signa ex ijsdem fontibus desumi possunt.

Quæ omnia in sequenti tabula notata F. ordine proponentur.



Huius ergo tabulæ seriem sequentes hæc proponimus theoremata.

Essentia.

Quidam morbi sua natura perpetuò maligni sunt, vt cancer elephantiasis, lues Venerea, carbunculus, penis lij perpetuò benigni, nisi in pestilenti accidant constitutione, vt tertiana febris, ephemera, synochus simplex & similes.

Causæ materiales.

Vsus ciborum cacochymorum, aut corruptorum; potus aquarum palustrium, turbidarum, aut corruptarum, malignos morbos solent producere.

Medicamenta venenata, & deleteria qualitate prædita assumpta malignos morbos generant.

In corporibus cacochymis & malè affectis maligni vt plurimum morbi generantur.

Causæ efficientes.

Aer pestilens, & corruptus malignos morbos solet efficere.

Venus cum impuro scorto inita morbum inde ortum malignum attestatur.

Vulnera à gladijs intoxicatis inflicta, vel morsus venatorum animalium venenatos pariunt affectus, eosque indicant.

Sanguis, & pituita benignos morbos generant; bilis verò atra, porracea, æruginosa, & interdum flaua malignos solet producere.

Quicunque ægrotantes à nullis causis salutaribus iuuantur, siue illæ à natura procedant vt vacuationes spontaneæ; siue ab arte in recta remediorum administratione & ab ijs tantùm, quæ alexipharmaca vi præstant, subleuantur, à reliquis autem omnibus ferè læduntur, morbo maligno laborant.

EFFECTVS.

Actiones Animales.

Delirium, & maxima mentis perturbatio, vigiliæ inquietudines, sine vehementi febre morbum malignum indicant.

Actiones Vitales.

Subita pulsuum, & virium dejectio, animi deliquia, & syncope, malignum morbum testantur.

Actiones naturales.

Sitis magna sine vehementi febre, vel abolita cibi potusque appetentia malignum morbum significant.

Excrementa.

Si per vomitum, aluum, aut vrinas, liuidas, nigras, æruginosas, aut aliam qualitatem à naturali valde remotam possidentia excernantur, malignum morbum significant.

In febre satis insignis, & prauis comitata symptomatis vrinæ sanorum similes, morbi malignitatem indicant.

Ostendit enim talis vrina morbum à vulgari putredine minime generari, sed ab intensiori, profundiori, & occulta seu maligna qualitate, quæ in vrinis non apparet.

Sudores pauci, & frequentes, per frontem tantùm, & ceruicem emanantes morbi malignitatem ostendunt.

Qualitates mutatæ.

Color liuidus in facie, aut alijs partibus per febres malignitatem earum significat.

Color niger in lingua, siti non infestante, malignum morbum indicant.

Accidentia propria.

Quibus in febribus exanthemata, pustulæ variæ, carbunculi, bubones in alijs, & inguinibus, parotides, & similia superuenium maligna iudicantur.

Vlcera circumglabra, maligna *Aph.* 40. *sect.* 6.

COROLLARIVM.

In quibus morbis prædicta malignitatis signa non reperiuntur, benigni censetur. (*conf. Melet. II.* 63. *III.* 50.)

CA-

CAPVT X.

De Signis morbi acuti, & chronici.

QVicumque morbi breues sunt, ac celeriter mouentur coniuctamque habent, breuitati magnitudinem, acuti appellantur, & vehementes: quibus apud Medicos chronici vulgò opponuntur, licet iis non sint omnimodè contrarii. Chronici enim, seu longi morbi appellantur ex eo solùm, quod diuturni sint, licet plerumque magni existant, quales sunt paralysis, hydrops, & similes, quibus verè, & propriè opponuntur ij, qui breues simpliciter appellantur, vt febris ephemera.

Morborum ergo acutorum signa ex superioribus fontibus desumentur secundum ordinem tabulæ sequentis, notatæ litera G.



Huius autem tabulæ seriem sequentia theoremata clarius patefacient.

Essentia.

Omnes partium interiorum inflammationes febres ardentes, & continuę propria natura perpetuò acutæ esse solent. Sic vbi quempiam phrenitide, pleuritide, aut simili affectu laborare conspicimus, acuto morbo affligi pronunciamus.

Causæ.

Quidcunque morbi à sanguine, bile, flaua, vel atra producuntur, acuti esse consueuerunt. Atque ita cognitio humore morbum efficiente, facilè cognoscimus, an inter acutos sit numerandus.

EFFECTVS.

Actiones Animales.

Delirium, sensus, motusque abolitio, vel dolor vehementissimus in aliqua parte morbum acutum indicant.

Actiones naturales.

Sitis ingens, magnus alui fluxus, aut omnimoda alui, vel vrinæ suppressio morbum acutum significant.

Excrementa.

Alui excrementa flauissima, porracea, æruginosa, liuida, aut nigra morbum acutum significant.

Vrinæ rubræ; virides, aut æruginosæ, morbum acutum indicant.

Qualitates mutatæ.

Rubor in vultu ægrotantis, æstus in toto corpore, nigredo, & sapor amarus in lingua morbum acutum significant.

COROLLARIVM.

Signa differentiarum morborum acutorum sume ex *cap.* 4. *sect.* 3. quę est de signis prognosticis (*Melet II.* 64. 72. *III.* 50.)

Morbi verò Chronici facilè dignoscuntur prædictorum signorum absentia, & præsentia contrariorum, vt non sit opus illa hic recensere.

CAPVT XI.

De signis causarum morbificarum.

AC PRIMO.

De signis Bilis præternaturalis.

MOrbi ferè omnes à varijs humoribus naturalem conditionem non seruantibus producuntur. Solent autem morbos efficere humores ij, qui in toto corpore, vel parte affecta prædominantur, atque ita, si probè nouerimus humorem redundantem, causa etiam morbi simul innotescet. Repetenda ergo erunt huiusce sectionis capita priora quatuor. Et quoniam humores ibi consideramus in statu naturali constitutos, ideò quatuor tantùm primas humorum differentias proposuimus: iam verò aliæ nonnullæ, quæ præternaturales omninò sunt, breuiter veniunt proponendæ, atque eadem opera nonnullæ aliæ morborum causæ ab humoribus oriundæ erunt inquirendæ, ne quid tractatui huic nostro deesse videatur.

Vt igitur à Bile exordiamur, naturalem eam diximus, quæ flaua, vel pallida appellatur, licet eadem non rarò præter naturam se habeat, & multorum morborum causa existat. Eadem tamen signa perpetuò illam indicare valent, si hoc vnum tantum ei, quæ præter naturam se habet, & putredinem quandam adepta est, addiderimus; quod nimirum illa tertio quoque die moueatur, vt in tertianæ febris paroxysmis luculenter appareat.

Aliæ autem sunt bilis species, quæ perpetuò præternaturales sunt, & quoties in corpore cumulantur, morbos solent producere. Illæ autem sũt vitellina, porracea: æruginosa, glastea, & atra.

Vitellina ex flaua producitur à calore præternaturali, qui, partes tenuiores dissipando, crassiorem illam efficit, vt consistentia, & colore vitellos ouorum repræsentet.

Ea non aliis signis indicantur, quàm flauę: nisi quòd excrementorum color vitellinum illum colorem referat, aut quod materia illa vitellina per vomitum, aut secessum morbis excernatur.

Porracea, æruginosa, & glastea duobus modis generantur. Vno quidem ex prauis alimentis, & vitioso succo præditis, qualia sunt alia, cepæ, porrum, nasturtium, & similia. Altero, ex bile, vitellina, calore vehementiori exusta, cuius vi varios acquirit colores pro vario exustionis gradu. Porracea enim ex minori adustione fit, æruginosa maiori, & glastea adhuc intensiori, pro vt enim color magis ad nigrum accedit, eò maiorem arguit adustionem.

Illarum igitur bilis specierum signa erunt omnia ea, quæ bilem flauam indicant, & multò intensiora; ac præter illa hæc duo potissimùm, nimirum alimentorum prauorum suprà enumeratorum vsus diuturnus, & excretiones illis coloribus infectæ.

Bilis atra ex superioribus bilis speciebus maiori exustione producitur. Cognoscitur ex causis prægressis, humores exurentibus, & torrefacientibus: tum etiam præcipuè ex effectis. Illa enim dum excernitur, atro colore, & summa acrimonia dignoscitur, partes, quas attingit, exulcerat, & in terram effusa, eam fermentat.

Accidentia denique nonnulla solet producere, vt cancros ostumores, scabiem malignam, fœda vlcera, & similia. Fit etiam nonnunquam atra bilis ex melancholia putrefacta, sed paulò mitior suprà dicta & eadem parit, sed minus vehementia symptomata.

COROLLARIVM.

Sanguinis nullæ sunt species: sed, dum à naturali conditione deficit, & à calore nimiùm alteratur, in bilis varias species commutatur. Sic etiam melancholia exusta, vel putrefacta, in atram bilem degenerat, atque adeò de illis non est vlterius inquirendum.

CAPUT XII.

De Signis Pituitæ præternaturalis.

NAturalis pituita dulcis, vel insipida solet appellari, ex qua tamen, quantitate motu, aut alio quo vis modo naturæ limites excedente multi affectus solent generari.

Aliæ verò illius sunt species, quæ perpetuò præternaturam se habent: & illæ sunt Salsa, vitrea, gypsea.

Salsa pituita duobus modis fit, secundum Gal. *lib. 2. de differentiis febrium cap. 6.* vno ex putredine; altero ex per mixtione salsæ humiditatis serosæ. Illa autem his signis dignoscitur; nimirum vsu diuturno salsorum eduliorum, sit maxima dysenteria cum excrementis pituitosis, scabie fœda, & pruritu immenso, ac potissimùm sapore salso, ex catarrho in os delabente percepto.

Vitrea verò pituita in intestinis tantum colligitur, & propter intensam frigiditatem mordens admodum censetur; ita vt colicos dolores non rarò efficiat, qui hoc signo distinguuntur ab ijs, qui à flatu ducunt originem, quod scilicet à pituita vitrea dolores fixi, & terebra instar perforantes generentur; à flatibus verò vagi, aut loco mutabiles producantur.

Hypsea denique pituita est illa, quæ in duritiem ferè lapideam concreuit, & in tophis, seu nodositatibus podagricorum apparet, aut etiam aliquando è pulmonibus grandinis instar per validam vim reijcitur.

CAPUT XIII.

De signis seri redundantis.

SErosus humor, multos, eosque non leues affectus solet producere, quales sunt distillationes in varias partes, hydropes, & similes; ideoque illius indicia breuiter sunt proponenda, quæ quidem ex duobus fontibus desumentur, causis scilicet, & effectibus iuxta tabulam sequentur.

H



Cuius

Cuius ordinem sequendo, serum in corpore redundans sequentibus theorematis demonstrabitur.

Causæ materiales.

Ciborum humidorum vsus frequens, vt fructuum horariorum atque olerum, magnam aquosi humoris copiam solet aceruare, eumque in corpore redundare suspicionem affert.

Larga & frequens aquę potio magnam seri copiam cumulare solet.

Vrinæ Vacuatio consueta suppressa, vel sudores intermissi serum intra corpus cumulare significant.

Causæ efficientes.

Frigida, & humida ventriculi, & hepatis temperies serosi humoris copiam solet producere.

Qui melancholico temperamento sunt pręditi, plurimo abundant sero.

Obstructiones hepatis, lienis, & renum, magnam seri copiam in corpore coaceruant, quod nimirùm illud liberum non habeat effluxum, vijs solitis obseratis.

EFFECTVS.

Actiones animales.

Sudores frequentes, & madores totius corporis seri copiam attestantur.

Quicunque sero abundant, ij saliuę copiam per sputum solent excernere.

Quorum sanguis per phlebotomiam eductus maiori parte in serum commutatur, totam sanguinis massam eo significa esse refertam.

Accidentia.

Quicunque macilenti tumidum habent abdomen, his seri copia cumulatur.

CAPVT XIV.

De Signis flatuum.

FLatuum copia solet generati ex materia cruda, & crassa, à calore debili alterata. Illorum signa à duobus fontibus desumentur, causis nimirum, & effectibus, quorum seriem sequens tabula indicabit.

I



Huius

Huius autem tabulæ seriem obseruando, hæc proponi possunt theoremata.

Castanea, napi, rapæ, fabæ, ipsa, & omnia fere leguminum genera flatus copiosos producunt.

Qui obstructum habent lienem, aut melancholico temperamento præditi sunt, flatibus vt plurimùm abundant:

In somnia rerum leuium, & celeriter mouentium flatus in corpore abundare significant.

Dolor tensiuus, & mobilis, sine grauitatis sensu, à flatibus excitatur.

Tinnitus aurium à flatibus per aures erumpentibus producitur.

Palpitatio, & concussio partium oscitatio, & pandiculatio flatuum copiam indicant.

Ructus, & crepitus ventris flatuum copiam significant.

Rugitus ventris, & borborygmi, tum sonus, qui tumidum abdomen percutiendo editur, flatus abundare demonstrant.

CAPVT XV.

De signis temporum morborum.

MOrborum tempora nunc partes morborum, nunc ætates, nunc motiones causæ morbificæ à Galeno appellantur; vnde patet eorum notitiam cum rerum parte naturalium diagnosci esse proponendam, quæ ex prædictis fontibus facilè elicitur, vt ex sequentibus theorematis apparebit.

Quorum morborum natura sub sensum cadit, eorum etiam tempora sensibus facilè dignoscuntur. Sic febrem cognoscimus esse in principio, cùm calorem per totum corpus effusum, cum tenorem seruare percipimus, quem à principio accepit, nulla auctione insigni aduenient. In augmento verò esse, cùm calor euidenter crescit. In statu, cum calor eandem retinet vehementiam, à summo incremento relictam: Et denique in declinatione eam remissior sit calida intemperies.

In morborum principio leuiores sunt actionum noxæ, in augmento deteriores, in statu deterrimæ, & diu tales perseuerant, in declinatione denique meliores actiones efficiuntur.

Excrementa omninò cruda quæ nullum coctionis rudimentum acceperunt, morbum esse in principio significant, cùm autem coctionis principium in ijs apparet, morbus est in augmento: & cùm maxima sunt coctionis indicia, morbus est in statu.

Ac denique absoluta concoctio, & excrementorum in melius commutatio declinationem significant.

L. *Tabulæ signorum morbum breuem, vel longum futurum significantium.*



SIMEIOTICAE

SECTIO TERTIA.

De Signis Prognosticis.

CAPUT PRIMUM.

De Signis morbi longi, aut breuis futuri.

MOrborum breuitas, & longitudo multis indicijs potest præuideri, quæ ex ijsdem fontibus eadem methodo desumuntur iuxta præcedentem tabulam notatam litera K.

Cuius tabulæ seriem obseruando, sequentia constituentur theoremata.

Essentia.

Morbi calidi breuiores perpetuò esse solent, nisi frigus contraxerint, frigidi verò longiores.

Accessionum magnitudo.

In morbis, qui accessiones habent, quanto illæ longiores fuerit, eò longiorem morbum prænunciant, breuiores verò breuiorem.

Motus.

Quæcunque morborum accessiones celerrimè perficiuntur, citò desiturum morbum significant, vt ait Gal. lib. 3. de Crisibus c. 4. quia vehemens ille motus crisin breui futuram portendit.

Tempus.

Quæcunque accessionem vnam vel duas horas anticipant, morbum citò finitum iri significant.

Anticipatio enim illa à materiæ tenuitatæ, atque mobilitate exoritur. Aduertendum tamen est, anticipationem, illam vt morbi breuitatem significet, non debere esse ordinatam, vt scilicet eodem temporis spatio singulis diebus anticipet, nimirum vna hora, aut duabus. Ordo enim ille firmitatem morbi, & materiæ morbificæ contumaciam significat. Sed tempus anticipationem debet esse inæquale, vt inde pateat, materiam non esse stabilem, & facile à natura posse edomari, Melius in tertiana v. gr. si paroxysmi non anticipent, sed serius ingruant.

Quæ tardiùs redeunt accessiones, morbi longitudinem prænunciant.

Inde enim ostenditur, materiam morbificam incrassari, & contumaciorem fieri. Aliquando tamen id fit ab eiusdem materiæ imminutione, quando sensim consumitur; quod ex symptomatum remissione etiam facilè innotescet.

Quibuscunque accessiones fiunt, quacunque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habet difficile. Aph. 30. sect. 4.

Dum enim paroxysmi eadem hora constanter reddunt, materiam firmam, & stabilem significant vt nonnisi longo tempore possit edomari, quia ordo in rebus omnibus significat fixionem, & potentiam causarum, atque adeò difficilem solutionem. Sic quotidiana apparet experientia, febrium quartarum paroxysmos ve plurimùm eadem hora recurrere, quia causam habent ad modum firmam, & stabilem, vnde etiam fit vt longiores contumacioresque sint.

Difficultatem etiam significat, non solum, si eadem hora semper accidat paroxysmus, sed etiam, si paribus semper horis, eademque proportione anticipet, aut retardet.

Quicunque morbi tertio quoque die exacerbantur, breuiores sunt, quam qui quotidie, longissimi qui quarto quoque die.

Tertiana enim febris, quæ à bile generatur, humore nempe tenuiori, facilius dissoluitur. Quotidiana verò à pituita generatur, quæ media est inter bilem, & melancholiam ratione crassitiei, & contumaciæ. Quam vis autem tertianæ duplices quotidianæ habeant paroxysmos: tamen propter materiæ copiam, quæ maiori multò in ijs est, quàm in tertiana simplici, fit vt illis longiores esse consueuerint. De causis periodor. febr. vide problem. Gr. Horstij, dec. 1.

Qui morbi circa meridiem exacerbantur, breuiores sunt, quàm qui matutino tempore.

Omnium longissimi, qui circa vesperam, aut de nocte suas habent exacerbationes.

Quatuor enim humores in quatuor diei partibus commoueri solent, videlicet sanguis manè, bilis meridie, melancholia circa vesperam, & de nocte pituita. Cùm igitur hora exacerbationis in febribus continuis dominium ostendat, eadem etiam morbi longitudinem, aut breuitatem, quæ ab humoris natura dependet, poterit significare.

Qui morbi per excretionem soluuntur, citius finiuntur, quam qui per abscessum. Modus solutionis

Quia tenues humores per excretionem vacuantur, crassi verò per abscessum.

Causæ.

Regio anni tempus, & prægressa vitæ conditio calida breues morbos prænunciant: frigida verò diuturnos. Non naturales.

Quicunque morbi à sanguine, bile flaua, & quouis humore tenui, & pauco fiunt, breuiores sunt: à pituita verò melancholia, & atrabile, ac quo vis humore multo, & crasso, longiores. Præter naturam.

In ætate iuuenilli breues vt plurimùm fiunt morbi, in senili verò diuturni, in alijs mediocres. Ætas.

Qui calido sunt temperamento breuibus morbis afficiuntur qui frigido diuturnis. Temperies.

In corporibus benè affectis breuiores fiunt ægritudines, in malè affectis longiores. Varia corporum dispositio.

In partibus durioribus, & densioribus morbi fiunt diuturniores, tum etiam in mollioribus, & laxioribus, breuiores autem in his, quæ mediocrem habent consistentiam.

Sic affectus ossium, & neruorum diuturni sunt: sic etiam affectus articulorum & similium diuturni sunt: Partium verò carnosarum affectus breues vt plurimùm existunt.

EFFECTVS.

Actiones.

Magnæ actionum læsiones longitudinem morbi significant. Coctionis tempus.

Propterea quod tantus à naturali statu recessus nonnisi longo tempore ad pristinum statum possit reuocari.

Excrementa.

Quantum temporis intercedit a principio morbi usque ad manifesta signa coctionis, tamen etiam temporis consumitur ad omnimodam morbi solutionem.

Iuxta legitimam morborum constitutionem morbi principium æquale est duobus subsequentibus temporibus: at principium augmenti computatur à die, qua incipiunt apparere signa manifestæ concoctionis. Huiusmodi autem euentus exempla leguntur apud Hipp. vt 1. *Epid. cap.* 3. *ægr.* 3. vbi dicit, illum fuisse iudicatum 17. die, cui manifestæ coctionis signa habuit in nono & *lib.* 1. *cap.* 3. Epicratis vxor 27. fuit iudicata, & hæc habuit decimoquarto signa manifestæ coctionis, & Cleanactides 40. habuit signa manifestæ coctionis, & 80. fuit liberatus. & 3. *Epid.* 3. Anaxioni 7. cœpit concocta expuere, & 34. fuit liberatus à febre, & pleuritide. Multa etiam huius rei exempla se vidisse refert Epiphanius *hist.* 86.

In quibus morbis coctiones ab initio in excrementis apparent, illorum breuitatem prænunciant vbi verò tardè se se produnt longitudinem significant.

Excrementorum coctiones, quæ in die indicante apparent, breuem morbum prænunciant; longiorem verò, si alio die apparuerint.

In quibus morbis magnæ excrementorum mutationes fiunt, & magnum coctionis incrementum, breuiores illos æstimato: longos verò si paruæ, & paulatim fiant. Coctionis incrementum.

In quibus morbis coctiones diu perseuerant, cito finituros arbitrandum; tarde verò, si post Coctionis duratio.

quam

quam apparuerint, rursus deliteſcant.

Excremẽtorum qualitates. Primæ.

Calida excrementa à quacunque parte emiſſa breuitatem morbi ſignificant; frigida verò, longitudinem.

Secundæ.

Excrementa tenuia morbi breuitatem ſignificant, craſſa verò longitudinem, ſi tamen a coctione craſſa euaſerint, breuitatem etiam prænunciant. Aduerte tamen hoc non eſſe perpetuum, quia in quibuſdam morbis tenuitas excrementorum melior eſt; in alijs verò craſſities. Sic

Vrina tenuis, & de color morbi longitudinem ſignificat.

Vrinæ valde tenuis, & nullum, aut valde tenue ſedimentum habens, euarianſque modò in melius, modò in deterius, diuturnitatem morbi ſignificat.

Tertiæ. color.

Quæ vnicum habent colorem excrementa breuiorem morbum ſignificant: quæ verò plures referunt, longiorem. Illi enim varias oſtendunt diſpoſitiones, quæ difficiliùs vincuntur.

Fœtor.

Maximus excrementorum fœtor morbi longitudinem ſignificat, quoniam ea a ſtatu naturali recedunt.

In diſtillationibus humor à capite defluens vehementer ſalſus, diuturnam indicat diſtillationem, quoniam ea a grauiſſima fit intemperie.

In quo morbo excrementa pauca, & paulatim emittuntur, longitudinem ſignificant; multa vero & confertim emiſſa breuitatem.

Sapor.

Excretiones quæ cùm fieri caperint, ſiſtuntur; vt cum ſudores retrocedunt, ſi non mortem, ſaltem morbi longitudinem prænunciant.

Excremẽtorum quantitas & modus.

Quæ cum vehementi ſtrepitu emittuntur excrementa, morbi longitudinem ſignificant.

Vt ſputum, quòd tuſſi moleſta excluditur, quia magnam arguit difficultatem, quæ longitudinem parit.

Morbi omnes longiores ſunt qui per abſceſſum ſoluuntur: breuiores qui per excretionem.

Loca. Aptitudo.

Excretiones, quæ per loca conferentia fiunt, & partibus affectis expurgandis idonea, breuem morbum efficiunt.

Sic caput per nares & palatum expurgatur, partes ventris inferiorem per aluum, & veſicam.

Rectitudo.

Partes per vias rectitudinem habentes, facilius expurgantur, & morbum breuiorem efficiunt.

Sic hæmatis inflammatio per hæmorrhagiam dextræ naris facilè ſoluitur: non autem per ſiniſtram.

Latitudo.

Quæ per latiores meatus fiunt excretiones, breuis morbos finiunt, quam per anguſtiores.

Sic capitis affectus citius per palatum, & nares ſoluũntur, quàm per aures. Sic febres citius per aluum finiuntur, quàm per veſicam.

Tempus excretionis.

Quæ in morbis acutis die critico fiunt excretiones, morbi breuitatem indicant: quæ vero alio die longitudinem

Quibus in vrinarum ſummo bullæ inſident, morbum renalem, & longum ſignificant. Aph. 34 ſect. 7.

Bullæ enim, vt ait Galenus *in comm.* fiunt circumtenſo humore ſpiritui flatuoſo: ſolet autem hoc magis accidere, quando humor aliquid tenacitatis habet; tunc enim bullæ ipſæ ſunt ſtabiles, & difficulter ſolubiles. Cùm igitur ſpiritus flatuoſus vnà cum vrinis excluditur, ſignum eſt frigidæ grauitudinis renum; hæc enim aggregat ſpiritum flatuoſum? atque ideò ait ægritudinem fore longam. Frigidum enim omnis eſt difficulter ſolubile, & vix coctionem admittit, atque adeò diù durat.

Contenta excrementis.

Quibuſcunque febricitantibus fiunt in vrinis ſedimenta veluti farina craſſior, longam ægritudinem fore ſignificant. Aph. 31. ſect. 7.

Significat enim febrem fieri ab humoribus craſſis, qui nonniſi longo tempore poſſunt concoqui, & edomari. Sic apud eundem Hipp. 3. *Epid. ſect. 2. agr. 3.* qui decumbebat in horto Dealcis, febri magna laborans, vrinas habebat tenues, enæoremà habentes minutum, inſtar farinæ craſſioris, & quadrageſima die iudicatus eſt. Hæc tamen ſententia ita intelligenda eſt, vt talis vrina morbi longitudinem ſignificet, ſi æger ab eo euaſurus ſit: nam aliquando lethalis eſſe ſolet, & cum ea plurimi morte præripiuntur, antequam ægritudo diutius protrahatur, vt apud eundem Hipp. videre eſt, *lib. 2. Epid. ægr. 2.* vbi Silenus, qui habitabat in Platamone propè filios Euaclidis, ex laſſitudinibus, & potibus, & exercitationibus intempeſtiuis, febri magna correptus eſt, decima die minxit aceruatim ſubcraſſum, ſepoſitum, ſubſidentia farinacea, extrema rurſum frigida: vndecima interijt. Dicendum igitur eſt cum Gal. huiuſmodi ſedimentum vel mortem, vel morbi longitudinem ſignificare.

Qualitates primæ.

Vbi in toto corpore mutationes fiunt, ſi corpus refrigeretur, vel rurſus caleſiat, vel calor alius ex alio oriatur, longitudinem morbi ſignificat. Aph. 40. ſect. 4.

Illæ enim mutationes multos, & varios humores in corpore abundare ſignificant, qui varias diſpoſitiones efficiunt: Natura autem longo indiget tempore, vt multas conficiat diſpoſitiones.

Frigidi ſudores cum acuta quidem febre, mortem, cum mitiori autem, longitudinem morbi ſignificant. Aph. 37. ſect. 4.

Nam frigidi ſudores, vt docet Gal. *in comm.* à parte aliqua frigida, & ab humore frigido oriuntur: cum autem proprie ab ipſa cute prodeant neceſſe eſt vt ea in omni frigido ſudore frigida ſit & frigidos humores in ſe contineat, aut partibus ſibi ſubiectis. Cum autem putredo febrium acutarum ſit intra maiora vaſa, contingit interdum, vt incendium magnum, exiſtens in partibus intimioribus, calorem natiuum depopuletur in cute, & partibus ei ſubiectis exiſtentem: atque adeò cum illæ partes vnà cum humoribus ſibi inexiſtentibus refrigerentur, non eſt mirum, ſi ſudores per ipſas tranſeuntes, frigidos reddant, qui tamen exterioribus humoribus intus concluſis ſuſcitentur. Eſt igitur ſudor frigidus lethale ſignum in acutis febribus, quia oſtendit calorem natiuum frigidis illis humoribus dominari non poſſe, atque adeò oneri ſuccumbere. In mitioribus verò febribus longitudinem ſignificat, quia febris exigua non ita diſſoluit vires, vt mortem afferre valeat: attamen humores frigidi copioſi non niſi longo tempore concoqui, & edomari poſſunt.

Secundæ.

Summa totius corporis extenuatio longum morbum ſignificat.

Si ei, qui non omnino leuiter febricitat, permanet, nec extenuatur corpus, longus morbus ſignificatur. Aph. 28. ſect. 2.

Permanere enim, & non extenuari, ex denſitate cutis, & craſſitie humorum dependet, & propterea longitudo morbi ſignificatur.

Corpus vehementer pallidum aut citrinum morbi longitudinem prænuntiat.

Ille enim color maximum oſtendit à ſtatu naturali receſſum, qui non niſi longo tempore poteſt reuocari *conf. Melet. III. 65. &c.*

CAPVT II.

De Signis morbi ſalutaris, & lethalis.

SAlutari morbus appellatur, qui nullum refert vitæ periculum; lethalis verò, qui mortem ægro minatur. Illorum ſigna prognoſtica è tribus fontibus deſumuntur, Eſſentia nempe, cauſis, & effectibus, iuxta tabulam ſequentem, notatam litera L.

L. *Tabulæ signorum Salutis, & Mortis.*



Cuius

Cuius tabulæ seriem obseruando morbum salutarem, aut lethalem patefacient sequentia theoremata.

Essentia.

Febres ephemeræ, & omnes verè intermittentes salutares sunt, & omni carent periculo.

Apoplexiam fortem soluere est impossibile, leuem verò non facile. Aph. 42. Sect. 2.

Fortis apoplexia vocatur ea quæ omni modam habet sensus, & motus priuationem cum maxima respirationis læsione: Leuis verò, in qua non est omnimoda sensus, & motus deperditio, aut respiratio non tam vehementer læsa.

In fortiori tanta est cerebri oppressio, vt non possit vllo modo ab ea se eximere; imò neque in leui, nisi maxima cum difficultate, ita vt perpetuò, cum soluitur, in paralysin degeneret, ob naturæ impotentiam neqeuntis materiam morbificam longiùs expellere.

Quicunque tetano corripiuntur, intra quatuor dies moriuntur, si verò hos effugerint, sani fiunt Aph. 6. sect. 5.

Tetanus ex Galen. *in comm.* est morbus compositus ex emprosthono, & opisthotono, in quo corpus adeò rigidum manet, & immobile prorsus, vt solum pectus agre moueatur. Cum igitur sit morbus adeò violentus, primo quatriduo hominem interemit quod si superauerit signum est morbum esse remissum, alioqui non fuisset ferendus.

Qui frequenter ac fortiter absque causa manifesta desipiunt animo, derepente moriuntur. Aph 41. sect. 2.

Magnam enim significat virtutis vitalis imbecillitatem, vel oppressionem, propter quam natura subitò succumbit.

Omnis ferè hydrops ex sua natura lethalis est.

Quia hepatis, & lienis temperies vehementer læsa non videtur reparabilis.

Omnes febres continuæ, & ardentes, tum partium internarum inflammationes vt phrenitides anginæ, pleuritides, peripneumoniæ, hepatitides, & similes, sunt sua natura periculosæ.

Non tamen omninò lethales, sed pro varia ægrotantis conditione nunc ad salutem, nunc ad interitum terminantur. Neque Medico licet in affectuum istorum principio de salute, aut morte ægrotantis pronunciare, sed expectandi sunt dies critici, qui nobis commodè solent demonstrare, an morbus ad salutem, vel interitum tendat.

Dum febris in periculoso morbo citra manifestam causam cessat, mors non salus expectanda est.

Febres, quæcumque non intermittentes tertia die fortiores fiunt, magis periculosæ. Quocumque autem modo intermiserint, periculum, abesse significant, Aph. 43. sect. 4.

Febres continuæ, vel semper manent in eodem statu, vel augentur vel minuuntur. Quæ augentur, & exacerbantur, deteriores sunt ijs quæ non exacerbantur, quia malum in exacerbatione multò deterius fit & magis affligit ægrotantem: At verò exacerbantur, vel singulis diebus vel tertio quoque die. Ille verò, quę tertio quoque die exacerbantur periculosiores sunt, quia fiunt à succis biliosis, atque adeò calidioribus, quorum proprium est tertio quoque die moueri. Huius generis sunt febres ardentes, & hæmitritæi, quæ periculosissimæ esse solent.

Illæ verò febres quæ intermittunt, carent periculo: quia, vt ait Gal. *in comment.* non ex inflammatione aliqua neque ex maligna putredine occasionem habent; neutra enim harum ad quietem peruenit febre vacantem. Constat tamen experientia, in his saltem regionibus febres tertianas intermittentes apparuisse summę malignitatis participes, quæ tertio, aut quarto paroxysmo ægrotantes de medio tollebant. Dicendum igitur est, hanc sententiam esse de ijs, quæ vt plurimum, non verò perpetuò contingunt: vel possumus dicere ad Hipp. & Gal. defensionem, tertianas illas intermittentes non habere perfectam apyrexiam, & tempore intermissionis aliquid febris, quamuis obscuræ, semper latitare, & malignas esse.

Quicunque ex asthmate, vel tussi gibbi fiunt, ante pubertatem moriuntur. Aph. 46. sect. 6.

Cum enim cor atque pulmones adhuc augeãtur, nec locus ipsorum possit secundum proportionem augeri quia torax à gibbositate impeditus est, fit, vt viscera augescentia non possint diu angustiori loco contineri, ita vt breui post gibbositatem interitum inducant: non quod necessarium sit statim perire ægrotantes; sed quod longè ab eo vitæ spatio, quod alioqui attingerent, recedant.

Hydrops febri coniunctus, aut illi superueniens lethalis esse consueuit, ex Hipp. 2. progn.

Quia febrem non soluit, sed caloris natiui resolutionem significat. Distinguendus autem Hydrops à tumore abdominis post febres sæpè familiaris.

Quartanę intermittẽtes, in continuas conuersæ, vt plurimum lethales.

Ostendunt enim humorum incinerationem, qnæ propemodum irreparabilis est.

Asthmati pleuritis aut peripneumonia superueniens, lethalis est.

Quia repletis pulmonum bronchijs ab humore pituitoso, & pulmonibus debilitatis, nulla fieri potest anacatharsis: & respiratio ab vtroque affectu ita impeditur, vt ægrotantem perire sit necesse. Si tamen anacatharus facilè fiat, & alia symptomata non sint vehementiora, curari potest.

A pleuritide peripneumonia, malum, Aph. 11. sect. 7.

Hæc sententia nititur generali axiomate, proposito ab Hip. *lib. de morbis*, quod nimirum malum signum sit, morbu morboadiungi. Peius verò est vbi morbus, qui ad adiũgitur, est priore deterior; pessimum vbi id fit viribus iam fractis. Cum igitu peripneumonia sit pleuritide multò deterior, & quando illa huic superuenit, iam vires sint admodum attritæ ab antecedente graui morbo, pessimum id esse solet atq; vt plurimum lethale. Ideòque cum Hipp. *in aph.* in casibus minùs periculosis soleat dicere *malum*: & in maximè periculosis, *lethale*: hic certè lethalis nomine vsus esse debuerat, vt non immeritò dubitet Gal. an verbum istud, *malum*, fuerit ab Hipp. positum, cum in quibusdam codicibus, vt ipse testatur non reperiatur.

Lues venerea in elephantico difficillimè curatur.

Quia remedijs exsiccantibus, qualia sunt sudorifica, elephantiasis valdè exacerbatur, & deterior multò efficitur.

Causæ.

Efficientes.

Morbi, qui à sanguine oriuntur, salutares sunt, nisi malignitatem acquirant, aut summam putredinem.

Materiales.

Biilis vitellina porracea, æruginosa, & atra lethales morbos inferre solent.

In corporibus benè habitis, & laudabili temperamento donatis, morbi salutares, vt plurimum generantur.

Vesica disscissa, aut cerebro, aut corde, aut præcordijs aut aliquo, ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut iecore, lethale est. ph. 18. sect. 6.

Discissas vocat partes, quæ magnum, & profundum vulnus acceperunt. Sic tota vesicæ tunica diuisa vsque ad spatium interius non potest coalescere; neque tale vulnus, magnum scilicet, ac profundum in partibus præcordiorum neruosis, aut in tenuibus intestinis. In ventriculo verò aliquando, vt vult Gal. sed rarò sanatur. Horum autem ratio est, quia visica neruosa est, quia tenuis, & exanguis; vnde fit, vt in cruice eius vulnera sanentur, quia carnosa est. Hepatis verò vul-

vulnera propter magnam sanguinis profusionem lethalia sunt, si modò venæ eiusdem diuidantur; alioqui vulnera in summa hepatis superficie sanabilia sunt. Sic cerebri vulnera non admodum profunda interdum sanantur; si verò ad ventriculos aliquatenus peruenerint, lethalia sunt, vid. Glandrop. Sennert.

Iuuantes, & ledentes. *Quibus morbis nulla prosunt remedia, lethales arbitrandi: & contra, quibus multa prosunt salutares.*

EFFECTVS.

Actiones animales.

In quouis morbo mente constare, & bene se habere ad ea quæ offeruntur, bonum, contra verò se habere malum. Aph. 33. sect. 2.

Principes. Nam mente integra existente, signum est, benè se habere cerebrum, eiusque membranas, & spinalem medullam, totumque neruosum genus; & maximè quod ipsi cerebro est proximum. Sic quando æger benè se habet ad cibum, & potum, & reliquo, quæ ipsi offeruntur, signum est, ventriculum, hepar, & reliqua partes naturales commodè se habere. Contra verò ægros *Delirium.* quouis modo delirare, seu non rectè secundum consuetudinem sapere, malum signum Cerebri perpetuò esse solet. Sic apud Hippoc. *Epid. sect. 3. ægr. 1.* Philiscus tertia die in omnibus delirauit, & sexta die obijt. Item *ægr. 2. eiusdem sect.* Silenus secunda die aliquantulum delirauit, Tertia nocte nihil dormiuit, sermones multi, risus, & cantus, se continere non poterat: vndecimâ interijt. Sic etiam *ægr. 4. eiusdem sectionis.* In Thaso vxorum Philini, cum femellam peperisset, secundum naturam facta purgatione, & alioquin leuiter degentem, in decima quarta existentem post partum, febris magna cœpit cum rigore, sexta die ad noctem delirauit multum, & rursus sapiebat: octaua, multa obloquebatur, resurrexit; decima parum intelligebat: vndecima dormiuit, omnium recordata est, celeriter autem rursus delirauit. Decima quarta palpitationes per totum corpus, sermones multi, parum intelligebat, celeriter autem rursum delirauit. Circa verò decimam septimam existens voce priuata est; vigesima obijt. Ita & *ægr. 8. eiusdem sectionis.* Erasmum, qui habitabat ad boote torrentem, febris magna corripuit post cœnam, noctem turbulentiùs transegit, diem primam quiete, noctem laboriosè. Secunda omnia sunt exacerbata, in nocte delirauit. Tertia, laboriosè delirauit multa. Quinta, manè recreatus est, & intelligebat omnia, multum autem ad meridiem furore agitatus est; continere se non poterat, extrema frigida, subluuida; vrinæ subsisterunt, interijt circa Solis occasum. Similes casus videre est in *ægr. 12. eiusdem sect. & ægr. 13. sect. 3. lib. 3.* Ex quibus tamen colligere non licet, delirium in omnibus ægrotis esse necessariò lethale; dixit enim tantum Hipp. *in prædicto Aph.* esse *malum*, id est, vitæ periculum infere quamuis multi ex eo frequenter euadant, vt apud eumdē Hipp. videre est in 1. *Epid. sect. 3. ægr.* Vbi Herophon febri acuta laborans, quinta die mente motus est: sexta delirauit, in noctem sudor, & refrigeratio, delirium perseuerabat: septima desipuit, nocte ad mentem redijt, dormiuit: nona sudauit, iudicatus est, intermisit. Quinta reuersus est, iudicatus est decima septima, neque delirauit in recidiua, & in *ægr. 5. eiusdem sect.* vbi Epicratis vxorem, quæ decumbebat apud Archegetem, secunda post partum die corripuit febris acuta: sexta delirauit: septima omnia sunt exacerbata: vigil, delirauit, decima sexta exacerbata ad noctem, & molestè, non dormiuit, delirauit. Decima octaua sticulosa, lingua exusta est, non dormiuit, delirauit multa. Iudicata est perfectè absque febre octuagesima. Similes historias videre est, *lib. 3. Epid sect. 1. ægr. 3. & sect. 3. ægr. 7.* Ideoquæ quamuis delirium perpetuò malum sit, ex eo tamen ægrotantis interitus non est perpetuò prædicendus, nisi cum eo alia signa mala, & lethalia concurrant: vt ex sequentibus theorematis clariùs apparebit.

Vbi febre non intermittente difficultas spirandi & deliriū acciderint, lethale est, Ap. 50. sect. 4.

Fit vtrumque symptomata interdum ex lesione cerebri, & tunc apparet spiritus, vt ait idem Hipp. *in pregn.* magnus, & ex multo interuallo, hoc est magnus, & rarus. Fit etiam difficultas spirandi ex affectu partium spiritalium, vt pleuritide, peripneumonia, & similibus. Hæc autem omnia sunt valde periculosa.

A profluuio sanguinis, ileo, pleuritide, vel peripneumonia delirium, malum. Aph. 9. 10. 11. & 12. sect. 7.

Cum autem profluuium sanguinis succedit, ab inanitione fit, quæ est admodum periculosa, dum partes principes tantopere debilitat. In alijs verò affectibus, quando cerebrum trahitur in consensum, grauissimus affectus, & periculosus significatur.

Si quis ea faciat quorum sit insolens, grauissimum habet malum 1. Coac. 50.

Indicat enim mentem non constare, & est species delirij.

A prudenti viro ferox responsum atque à feroci modestum, & garrulitas in taciturno, atque taciturnitas in garrulo malum. Hipp. in Prorrhet.

Significant enim hæc summam iudicij euersionem.

Plangere, vel lachymari inuoluntariè, species delirij est, & mortis periculum intendit.

Significat enim humoris atrabilarij dominatum, sic apud Hipp. 1. *Epid. sect. 3. ægr. 2.* Silenus inter alia symptomata quæ ibi recensentur, mœrebat cum dolore die octaua, & vndecima interijt.

Deliria, quæ circa initium morbi apparent, magis periculosa.

Inde enim ostenditur morbi vehementia, qui primo congressu, & natura adhuc valida existente, tanta symptomata producit.

Delirium cum notabili obliuione, ignauia, & stupiditate apparens, exitij est inditium. 2. Prorrhet.

Quòd enim non cognoscant familiares, neque recordentur, ex cerebri refrigeratione fit. Illa autem refrigeratio, quæ calorem sequitur, est pernicioſa. Si verò cum his rigeant ægroti, & frigescant, ineuitabile fatum iudicatur, & Galen. 2. *Prorrhet.*

Quæ circa res necessarias versantur deliria, pessima, indeque si ingrauescant mortifera. 1. Coac. 103.

Ut si quis cibum, & potum auersatur, in maximo est periculo: quemadmodum in 1. *Epid. sect. 1. ægr. 2.* videre est, vbi is, qui potum decima die respuebat, vndecima interijt.

Desipientiæ, quæ cum risu fiunt securiores, quæ verò cum studio, periculosiores, aph. 53. sect. 6.

Phrenitis enim, quæ cum risu fit, è sanguine producitur; cum studio verò, & furore, à bile: Vtraque autem periculosa est, sed quæ à sanguine, multò minus. Non tamen statim, delirio cum risu apparente, salus prædicenda est; nam & per se phrenitis à sanguine non caret periculo, & perseuerante morbo sanguis ille exuritur, atque ita atræ bilis naturam induit, quod ex symptomatis superuenientibus ostenditur, & ex risu in furorem, & mœstitiam conuerso, quemadmodum videre est *in* 1. *Epid. sect. 1. ægr.* 2. vbi Silenus secunda morbi die aliquantulum delirauit: tertia sermones multi, risus, cantus, continere se nequibat: octaua mœrebat cum dolore. Iam igitur ille humor, qui tertia die sanguinis naturam retinebat, & risum, atque cantum efficiebat, octaua in atrabilarium conuersus est; nam mætor

cum

cum dolore fit ab atra bile. Ideòque vndecima interijt. Igitur dicendum est; deliria cum risu quandam securitatem polliceri, si toto morbi decursu perseuerent.

Qui cum silentio è potestate mentis exeunt, nec voce sunt capiti, mortiferum habent malum. Lib. 1. Coac. 79.

Illa enim ecstasis melancholica producitur ab humore atrabilario, cerebri substantiæ infixo, & furori sæpissimè succedit: tuncque fit pro clamore silentium: pro iactatione, quies; pro vigilijs, coma, & cataphora veternosa. Sic *in 3. epid. sect. 2. ægr. 6.* Euryanactis filia febre magna laborans, à qua interijt, toto morbi decursu; inquit Hippoc. abhorrebat omnes cibos, sine siti, silens, nihil loquebatur, mœror, & desperatio statim ipsam habuit. Sic etiam *sect. 3. eiusdem lib.* in Thaso Dealcis vxorem, quæ decumbebat, in plano, febris horrida, acuta; ex tristitia, corripuit: à principio autem contegebatur, & vsque in finem semper taciturna manibus palpabat, euellebat, scalpebat, flocos legebat, lachrymæ, & denuò risus; nona, multa obloquebatur, & rursus quieuit silens; vigesimaprima, interijt. Erat huic vsque in finem spiritus magnus, & ratus; insensibiliter omnium habebat; semper contegebatur, vel sermones multi, vel taciturna vsque in finem phrenitis.

In phrenitide subitanea resipiscentia, febre acuta perseuerante, & nulla crisi prægressa; mortem in propinquo esse significat.

Accidit enim aliquando, phreniticos ita resipiscere, vt adstantes de rebus ferij, & grauissimis admoneant, & quæ ijs euentura sunt, præuideant, & repentè moriantur, prostrato scilicet iam calore natiuo cerebri, & vltimos conatus exerente, sicut lucerna, dum extinctioni est proxima, maiores subinde flammas videtur eructare.

In delirio memoriæ abolito funesta.

Ea inde manifestatur, cum matulam ægri petunt, & postea mingere obliuiscuntur, aut aquam flagitantes, oblato poculo, non bibunt, aut primis tantùm labris degustant.

Ex delirijs ea minus mala censenda, quæ mitia, leuiaque sunt, & non perpetuò ægrotos tenent, sed paruo tempore, atque cum bonis signis, vel saltem non lethalibus perdurant.

Huiusmodi deliria contingunt frequentissimè in febrium bilio sarum paroxysmis, vel exacerbationibus, quibus commota bilis, & exagitata calidos vapores ad cerebrum transmittit; delirium excitantes, qui tamen facile, & breui discutiuntur, neque vllum vitæ periculum minantur, nisi alia signa lethalia simul apparuerint. Mitia autem, & leuia esse oportet huiusmodi deliria: nam, quæ cum ferocitate coniuncta sunt, quamvis leuia existant, mala esse consueuerunt, quemadmodum dicit Hipp. 1. *Prorrhet.* 25. *Quæ paruo tempore feroces fiunt desipientiæ, ferinum.* Et Gal. eandem sententiam exponens: *Cum videris quempiam cum ferocitate desipientem, etsi paulò post sedetur, cognosce, mentem eius non febris ratione læsam esse, sed phreniticam subali affectionem, quæ post adducta, ferina tibi videtur.*

Phrenitis lethargo succedens salutaris, quia materiam concoctam esse significat.

Delirium die critico cum virium robore, & alijs bonis signis contingens, minimè periculosum.

Denotat enim instantem crisin, qua morbus solui consueuit. Sic apud Hippoc. 3. *Epid.* in muliere morosa, tertia die conuulsiones conquieuerunt, coma, & in somnum inclinatio rursùsque vigiliæ excitauerunt eam, continere se non potuit, multum delirauit, febris acuta sub hanc noctem sudor multus toto corpore, & calidus prorupit, libera febre dormiuit, planè mente constitit.

Somnus, & vigilia, vtraque si modum excesserint malum. Aph. 3. sect. 2.

Significat enim recessum à statu naturali, & dispositionem morbosam in parte principe, quæ perpetuò mala est.

In quolibet morbo, si somnus, & vigilia eodem modo se habeant, quo ante a consueuerant, cùm ager bene valeret bonum.

Impossibile enim videtur, hominem ex morbo aliquo inteire, qui somno, & vigilià inculpatis, & nullatenus immutatis vtatur.

Vigiliæ in morbi augmento, vel statu, cum signis concoctionis apparentes, bonæ.

Crisin enim instare significant, quam præcedunt vigiliæ, aliaque symptomata ex perturbatione critica oriunda, quæ tamen apparentibus concoctionis signis, tamquam salutaris crisis prodromis, minimè pertimescenda sunt.

Vigiliæ immoderatæ in iuuenibus magis periculosæ, somni vero in senibus.

Quia maior fit recessus à statu naturali. Iuuenes enim naturaliter plus dormiunt, quia copiosiori humido abundant: senes verò sicciores, ideòque naturaliter vigiles.

Quicumque ægrotantes neque noctu neque interdiu dormire possunt, valdè periclitantur. Hipp. 2. progn.

Illæ enim continuæ vigiliæ maximam cerebri intemperiem calidam, & siccam significant, tum etiam vires vehementer dissoluunt, & cruditates ingeminant, calore natiuo resoluto, & tandem deliria, conuulsiones que accersunt.

Somnus comatosus in febre acuta perniciosus.

Sic apud Hippoc. 3. *Epid. sect. 1. ægr. 2.* Hermocratem, qui decumbebat prope nouum murum, febris magna corripuit, & post varia symptomata, vndecima die comate laborare incæpit, quod insequentibus perseuerauit, ac tandem vigesimaseptima mortuus est. Ratio autem, cur affectio comatosa in morbis acutis sit, adeò pernicio sa, desumitur ex Galen: *Commentario in prædictam historiam,* vbi sic habet: *Reliquum ergo est, perfrigerationem insignem cerebri, aut facultatis imbecillitatem Hermocrati coma induxisse die vndecimo; vtrum autem sit horum, extremè est pernicio sum: nam demonstratum est, insanabilia ea esse frigora cùm calidis morbis, & siccis succedunt.* Sed quod virium imbecillitas facit, exitium proximum notat; quando verò huiusmodi coma diuturnis vigilis succedit, magis pernicio sum est; significat enim omnimodam caloris natiui extinctionem. Sic quando phrenitici comatosi euadunt, iam morti sunt proximi.

In quo morbo somnus laborem facit, mortale: si verò iuuat mortale. Aph. 1. sect. 2.

Non existimandum est, quemcumque laborem à somno esse lethalem. Si enim leuis fit, vt quando ægroti, à somno suscitati, anxij magis, & inquieti fiunt, malum quidem illud, at non necessariò methale: sed si à somno grauissima symptomata adueniant, vt delirium, conuulsio, virium imbecillitas, frigus extremorum, & similia, tunc certè lethalem affectum esse censendum est.

Vbi somnus delirium sedat, bonum. Aph. 2. sect. 2.

Significat enim, vaporum, & humorum, delirium efficientium calorem, & acrimoniam mitigari per somnum, & ad quandam mediocritatem reduci.

Quibus, incidente rigore, nocturna exacerbatio somni vacuitatem affert periculosum, lib. 1. Coac. 20.

Significat enim materiæ anadromen ad cerebrum.

Si quis in laborio sa febre obstupescat, & veluti catoche afficiatur morbo laborat pessimo. 1. Coac. 47.

Sicut antea diximus, coma in febribus acutis esse periculosum; sic catoche multo periculosior est, quæ fit à translatione materiæ siccioris in cerebrum, & neruos, vnde contentio neruorum. Atque ideò, qui hac affectione laborant, eodem in statu manent, & apertis, atque in conniuentibus oculis stupidi consistunt, & ita à comatosis differunt, qui perpetuò clausos oculos habent.

Excitatione à somno, quæ cum pauore fiunt, & turbulentia, periculosæ.

Significant enim humoris atrabilarij copiam, quæ huiusmodi pathemata producit.

Si per somnum candida partis oculorum, demissis palpebris, aliquid apparet, nec alui fluor, nec inedia in causa est, nec ita ager dormire consueuit, vitiosum indicium lethaleque admodum est. Gal. in 1. progn.

Illud enim facultatis, palpebra, mouentis extinctionem significat.

Quæ in phrenitide memorantur insomnia bonum denunciant 1. Coac. 95.

Insomnia nihil optabilius est phrenitico, quam vt somnum ineat, suauiterque dormiat. At suauis somni indicia sunt insomnia, non illa quidem turbulenta, ac tumultuosa, sed placida, atque tranquilla, quæ postea ab ægrotante memorantur; hoc enim ostendit mentem ad se redire, & cerebrum ad moderatam temperiem reuocari.

In eo, qui periculosè ægrotat, insomnia mortuorum, sepulchrorum, & sacerdotum futuram mortem prænunciant.

In morituris aliquando animam suam à corpore separationem præsentit, eamque corpori per insomnia repræsentat, per species eorum, quæ mortem significare valent, sed non semper.

Oculi caligantes, vel lucem refugientes in morbis acutis periculum minantur.

Visus. Magnam enim indicant spiritum dissipationem.

In febre non intermittente, si æger non videat, vel non audiat, iam debili existente corpore, mors in propinquo est, Aph. 49. sect. 4.

Significat enim virtutis sensitiuæ summam debilitatem. & maximam spirituum exolutionem.

Auditus. *Surditas, quæ ex critica perturbatione procedit, aliisque signis decretorijs comitata est, salubris esse consueuit.*

Signa decretoria, quæ surditatem comitari debent, vt salutaris dici possit, sunt præcipuè concoctionis signa, quæ in excrementis apparere solet, & bona perpetuò esse consueuerunt. Sic 3. *epid.* 3. *sect.* 3. *ægr.* 7. de virgine Abderitana, quæ ab octauo die vsque ad 12. in quo multum sanguinis è naribus fluxit, surditate affecta est, quæ sequentibus etiam diebus perseuerans, priorem crisin imperfectam denotabat, aliamque pro morbo resoluendo futuram prænunciabat, quæ iterata sanguinis eruptione, sudore, & humoris translatione ad pedes, postea die 20. est subsecuta. Quibus vacuationibus cum morbus non fuerit penitùs sublatus die 24. redijt surditas cum alijs symptomatis, quæ crisis absolutissimæ die 27. futuræ fuit prænuntia, quod ex ipsius historiæ contextu clariùs innotescit. *Septima die*, inquit, *vrinæ tenues quidem, sed boni coloris: quæ ad aluum pertinent, non turbabãt. Octaua surditas, febris acuta, vigil, anxiosa, horrida, mente constabat vrinæ similes. Nona per eadem, & sequentibus, sic surditas perseuerabat. Decimaseptima è naribus fluxit multum, surditas parum remisit, ac sequentibus surditas inerat, & delirium. Vigesima pedum dolor, surditas, delirium, fluxit sanguinis parum è naribus, sudauit sine febre. Vigesimaquarta febris reuertitur, surditas iterùm, pedum dolor perseuerauit, mentis alienatio, vigesimaseptima sudauit multum sine febre, surditas defecit, pedum submanebat dolor, in alijs autem perfectè iudicata est.*

Surditas morbi acuti, turbulentique succedanea, graue est malum. Coac. cap. 3. 2.

Quemadmodum surditas cum bonis signis iuncta, bona est; ita cum malis mala esse consueuit: ideo si morbus acutus sit, atque turbulentus, ideſt, cum delirio, & grauibus alijs symptomatis coniunctus, surditas ei superueniens mortis periculum minatur. Sic apud Hipp. *l.* 3. *epid. sect.* 7. *ægr.* 2. Hermocratem qui decumbebat prope nouum mutum, febris magna corripuit, incæpit autem dolere capite, & lumbis hypocondrij tensio molliter, lingua verò incipienti exusta est, surditas statim, somni non aderant, siticulosus non valde, vrinæ crassæ, rubræ, sepositæ non subsidebant, ab aluo autem non pauca combusta egrediebantur. Quinta minxit tenuia, habebant enæorema, non subsidebant, ad noctem delirauit. Septima, & vigesima mortuus est. Huic surditas vsque in finem permanebat. Sic etiam *ægr.* 4. *eiusdem sectionis*. In Thaso Philistes, prima die vomuit biliosa, pauca, flaua primùm postea æruginosa, multa, ab aluo autem stercora prodierunt, nocte molestè. Secunda, surditas. Quinta manè extinctus est. Aduertendum tamen est, surditatem etiam cum paruis signis coniunctam non esse perpetuò lethalem, sed tantum periculosam, & cum ea nonnullos euadere. Vt apud eundem Hip. videre est in 1. *epid. sect.* 1. *ægr.* 3. vbi Herophonti febris acuta, ab aluo pauca, qualia in tenesmo secundum principia. Post hæc autem tenuia prodibant, biliosa, subcontinua somni non aderant, vrinæ nigræ, tenues. Quinta manè surditas, exacerbata sunt omnia, lien intumuit, hypochondrij contensio, ab aluo pauca nigra exierunt, mente motus est: nona sudauit iudicatus est, intermisit: quinta reuersus est, statim autem lien eleuatus est, febris acuta, surditas rursum. Post recidiuam autem tertia lien fuit imminutus, surditas minus, crura dolorosa, nocte sudauit, iudicatus est decimaseptima, neque delirauit in recidiua.

Si post phrenitidem, aut grauem alium capitis morbum surditas succedat, priori morbo cessante, aut alleuato, & facultate non debilitata, bonum.

Quia fit, abscedente materia ab interno cerebro ad externas eius partes, expectabunturque tunc temporis surditate parotides.

Bombus in acutis, & sonitus aurium, lethales, 1. Coac. cap. 3. 5.

Aurium tinnitus, & aliæ sonorum species, quæ ab ægrotantibus percipiuntur in morbis acutis, difficillimum, & periculosissimum morbum ostendunt, propterea quod à flatibus crassioribus producantur, qui pariter à crassiori materia eleuantur. Et cùm illa materia contumax sit, atque rebellis, neque in exiguo morbi acuti spatio possit edomari; fit, vt natura priùs onere oppressa concidat, & ita æger ad interitum perducatur.

Odoratus, & gustus.

Cibos, & potus atque medicamenta oblata putria, atque graueolentia videri, malum.

Denotat enim summe putridos, & graueolentes humores in corpore abundare, quandoquidem odoratus, ac gustus vaporibus, à varijs humoribus putridis ad linguam, & mares, seu cerebrum exhalantibus, vitiatur; intusque quod est vel odoris, vel saporis, prohibet extraneum, vt Philosophi docent, eiusque receptionem impedit. Hinc fit, vt, cum nares lingua à putridis vaporibus ex inferioribus partibus eleuatis inficiuntur, omnia quæ tum odorantur, tum gustantur, putrida videantur.

Tactus.

Dolores partes ignobiles, & à visceribus longè remotas occupantes, easque diu exercentes, apparentibus concoctionis signis, & qui præcipue decretorio die cœperint, salutares.

Significant enim naturam præcipua membra exonerare, atque noxios humores procul à se depellere partes autem ignobiles, & à visceribus longè remotæ sunt inguina, crura, genua, tibiæ, & pedes, nec non brachia, & manus. Aduertendũ tamen est, per huiusmodi dolores morbos perpetuò non perfectè iudicari, sed interdum imperfectè, vt postea recidiua succedat. Perfectè autem discutiuntur morbi, si huiusmodi doloribus conuenientes euacuationes succedant, v. g. per sudores, alui fluxum, & similes, quæ vniuersam materiam morbificam exhauriant. Si verò nullæ euacuationes huiusmodi doloribus adiungantur, aut insufficientes sunt imperfecta fit morbi solutio, & recidiuæ obnoxia; propterea quod causa morbifica vniuersa in partem ignobilem detrudi minime possit: ideoque: necesse est, vt per alias euacuationes morbus tandem finiatur, vt videre est apud Hipp. 3. *epid. sect.* 3. *ægr.* 9. vbi Heropytus, graui, & contumaci morbo laborans post varia symptomata, imò, & hæmorrhagiam, quæ morbum quidem imminuit, non tamen soluere potuit, doloribus inferiorum partium afflictus est, & denique per alui fluxum omninò liberatus, Hipp. verba hęc sunt. *Quadragesima die è naribus sanguis fluxit multùm, & sapiebat magis, surditas inerat quidem; minus autem: febres remiserunt, sanguis fluxit sequentibus sæpe, & paulatim. Circa verò sexagesimam sanguinis quidem fluxiones cessarunt, coxæ autem dexteræ dolor fortis, & febres intendebantur, non multo autem tempore post dolores inferiorum omnium: contigit autem vel febres esse maiores, & surditatem multam, vel hæc quidem remittere, & alleuiari, inferiorum autem circa coxas maiores esse dolores. Circa verò centesimam aluus multis biliosis super turbata est, & procedebant tempore non exiguo multa talia, & rursum dysenteria cum dolore, aliorum autem*

autem commodus status, in totum verò, & febres defecerunt, & surditas cessauit. In centesima perfectè iudicatus est. Sic etiam *Ægr. 7. eiusdem sectionis.* Abderitanæ Virgini decimaseptima è naribus fluxit multum, vigesima pedum dolor, surditas, delirium, fluxit sanguinis parum è naribus, sudauit, sine febre; vigesimaquarta febris reuertitur, surditas itetū, pedum dolor perseuerauit, mentis alienatio vigesimase prima sudauit multum, sine febre, pedum submanebat dolor, in alijs autem perfectè iudicata est.

Dolores à partibus superioribus ad inferiores decedentes, salutares.

Ostendunt enim materiam morbificam à partibus præcipuis ad ignobiliore deferri, quemadmodum voluit. *Hipp. 3. prorrhet. Dolores,* inquit, *si ad infernas dilabuntur partes, facilè ab his feruntur,* & confirmatus historia Herophontis, quæ habetur in *7. Epid. sect. 7. ægr. 3.* Huic quinta die lien intimuit cum hypochondrij tensione, octaua lien imminutus est, doluit secundùm inguen; tumor primùm lienis secundum rectitudinem; deinde dolebat secundum vtraque crura, noctem faciliter vrinæ coloratiores, subsidentiam habebant paucam. Nona sudauit, iudicatus est, intermisit. Quinta reuersus est, statim autem lien eleuatus est, febris acuta, surditas rursum: post recidiuam autem tertia lien fuit imminutus, sorditas minùs, crura dolorosa, nocte sudauit, iudicatus est decimaseptima.

Capitis dolores vehementes, & continui cum febre acuta, alioque signo difficili, lethale 3. progn.

Quando enim vehementes sunt, & continui, ostenditur, eos non fieri à vaporibus sublatis à partibus inferioribus, neque à perturbatione critica, sed ab intemperie calidissima, meningibus impressa tensione, & grauitate in ijsdem, producta à materia morbifica cerebrum ipsum occupante, quæ si febrem acutam pariat, bilios a est, & mordax, partique admodum molesta; & talis etiam significatur, si cum doloribus, & febre acuta alia signa mala, & periculosa appareant, vt vigilię, deliria, difficultates spirādi, vrinę tenues, aut confusæ, & similia, quæ eò periculosiorem morbum ostendūt, quò plura ex ijs apparuerint.

Dolor capitis, post sudores criticos euenientes mortem vt plurimum præsagiunt.

Ceruicis dolores, in principio, vel augmento morbi affligentes, mali.

Significant enim humorum copiam in posteriori parte capitis abundantem, & in spinalem medullam, aut illius membranas ex parte diffusam, quæ à natura dissolui, aut concoqui nequeat. Sic in *1. epid. ægr. 2.* Silenus statim ab initio cæpit dolere lumbos, & caput habuit grauitas, colli aderat contentio, vigesima interijt. Sic etiam *3. Epid. sect. 3. ægr. 4.* Phreniticus, cui prima die capitis, & colli grauitas aderat cum dolore, quarta die mortuus est. Sic etiam *ægr. 14. eiusdem sect.* In Cyzico mulieri filias enixæ gemellas, & quæ difficulter peperat, & non admodum purgata fuerat, primum quidem contigit febris horrida, acuta, capitis, & colli grauitas cum dolore, decimaseptima mortua est. Aduertendum tamen est, ex hoc signo mortem absolutè non esse prædicendam, quia nonnulli cum eo solent euadere, vt videre est in *1. Epid. sect. 7. ægr. 5.* Vbi Epicratis vxorem secunda die capitis, & colli, & lumborum dolor affligebat, & multis, grauibusq; symptomatis diuexata est, vsque ad octuagesimam, in qua perfectè iudicata est. Et *ægr. 14. eiusdem sect.* Melidiæ, quæ decumbebat apud Iunonis templum, ineæpit capitis, & colli, & pectoris dolor fortis, cum alijs symptomatis, & iudicata est perfectè die vndecima. Vbi igitur hoc signum in morbi principio apparet, possumus ex eo morbum grauissimum, & valde periculosum pronunciare, ex eoque ægrotum aut moriturum aut periculosissimè laboraturum, vt patet ex Historijs supra citatis eorum, qui euaserunt, cum grauibus tamen symptomatis, & maximo vitæ periculo.

Auris acutus dolor cum febre continua, & vehementi grauis est.

Periculum enim est, ne homo desipiat, & moriatur, *Hipp. 3. progn.* Cùm ab ipso Hipp. signum hoc fallax censeatur, accuratè distinguendum est. Meatui auditorio vicina est dura meninx, ita vt vitium vnius in alterum transferri valeat, sed ita inter se differunt, vt si, affecto cerebro, dolor prædicto meatui superueniat, non erit delirij, autem mortis signum, sed vtriusque præsidium, ostendit enim materiam morbificam à partibus interioribus ad exteriores transferri. At si dolor in febre acura citra cerebri affectionem exoriatur; signum est, humorem per eam partem in cerebrum irruere, phrenitidem, & inde mortem effecturum, maximè si vehemens, ac difficilis fuerit. Moriuntur autem ex tali morbo (vt docet Hipp. *loc. cit.*) iuniores homines septimo die, aut citius; seniores vero multò tardius. Febres enim, & deliria minus ipsis accidunt, atque adeò aures possunt suppurari. Verùm his ætatibus recidiuæ accidentes plurimos interimunt: Iuniores autem antequam auris suppuretur, moriuntur: Si autem fluat pus album ex aure iunioris, spes est, cum superuicturum, si aliud etiam optimum signum ipsi accidat.

Fauces dolorificæ in acuta febre periculosæ, Hipp. in Coacis.

Hic faucium dolor in febribus malignis, & pestilentibus sæpissimè contingit, & est vnum ex signis demonstratiuis illius affectus, fitque vel ex defluxione tenui & maligna, è cerebro in fauces irruente; vel à malignis vaporibus è partibus inferioribus eleuatis, & partes illas vellicantibus.

Dolor affixus pectori cum turpore, pestiferus: superueniente acuta febre, crudeliter moriuntur, 2 Prorrhet. text. 36.

Significat enim sanguinis bilioši copiam in pectus effusam, quæ & dolorem, & febrem acutam pariat: his si torpor, & veluti totius corporis exolutio adiuncta sit, ostenditur iam collabi facultatem cerebro per consensum grauiter affecto.

In acutis febribus conuulsiones, & circa viscera dolores fortes, malum. Aph. 66. sect. 4.

Quemadmodum conuulsiones in febribus acutis fiunt à calida, & sicca intemperie, neruos exsiccante, & distendente. Sic etiam in eodem affectu dolores fiunt intra viscera propter incendij vehementiam, atque siccitatem. Et quo fortiores sunt huiusmodi dolores, eò impensiùs causæ magnitudinem ostendunt, atque adeò maius periculum. Fiunt etiam dolores intra viscera, propter inflammationem, vel erysipelas, vel fortem obstructionem, vel abscessum. Sed de his non loquitur Hippoc. *hoc aph.* Quamquam non minus sit in ijs periculum, sed non habent necessariò comitem conuulsionem, & agitur hic de febribus primarijs, non de symptomaticis, quæ dictos affectus comitari solent. Huiusmodi dolorum exemplum habetur *1. Epid. sect. 1. ægr. 11.* Vbi Dromeadæ coniux febre acuta laborans, prima die cœpit dolore circa hypochondrium. Tertia super meridiem superiguit, febris acuta, vrinæ similes hypochondrij dolor, sexta verò interijt.

Quæ ex dolore dorsi principia morborum ducuntur, difficilia sunt. 1. Coac. cap. 12. 5.

Nam in febribus plerumque lumborum dolores, atque grauitates fiunt ex pondere peccantis materiæ, illabentis in venam cauam, quæ dorso, & lumbis adiacet, eaque materia succensa, dolores, & ardores lumborum excitatur, qui periculosum morbum ostendunt, tum propter materię morbificę copiam, vel acrimoniam, tum etiam propterea, quod facilis est materię morbificæ recursus ab illis locis ad partes principes. Adde quod calor hepati, & regionibus propter viciniam communicatus varia symptomata producat.

Dolores partium ignobilium, in principio apparentes, aut cum alijs malis signis, lethales.

Quemadmodum antea dictum est huiusmodi dolores esse salutares, cum die critico contingunt, & signis concoctionis; propterea quod significent naturam sese exonerare ad partes ignobiles; sic contra, si in principio contingant, in quo nulla potest fieri à natura expulsio salutaris, aut etiam alijs temporibus cum alijs malis signis, mortis periculum minantur. Sic apud Hpp. *1. Coac. 13.* Manuum, ac pedum labores terrificj, nec à genuum dolore leuatio vlla sperabilis, hæc

sententia confirmatur historia luculenta, quæ habetur 3. *Epid. sect.* 3. *ægr.* 5. In Larissa Caluus fœmur dextrum doluit repentè, eorum autem, quæ adhibebantur nihil iuuabat, perseuerauit dolor vsque ad tertiam, & quarta extinctus est.

Dolores, qui in primo à longinqua parte incipientes post ea ad viscera ascendunt, mali.

Ostendunt enim humores ad nobilia membra transfluere, quod confirmauit Hipp. 3. *progn. Dolores* inquit, *qui cum febre fiunt circa lumbos, & inferas sedes, si præcordia attigerint inferas, relinquentes sedes, exitiales admodum sunt.* Et 1 *Coac. cap.* 1. 13. *Terrifica etiam est doloris à femore sursum irruptio, &* 76. *eiusdem capitis: Doloris acerbitas paulisper in iugulo fixa si ad superiora vertatur, mortiferum affert malum.*

Dolores ignobilium partium, qui citò euanescunt, atque occultantur sine causa manifesta, periculosi.

Sine causa manifesta occultari dicuntur, cùm sine Medici auxilio, euacuatione, vel abscessu subitò desinunt. Vel enim significant mentem ægrotare, quæ dolorem non sentiat; vel materiæ metastasin ad interiora; vel partis corruptionem, in qua sensus perierit. Sic in prædicta Calui historia, dolor femoris die tertia occultatus est, propter metastasin materiæ ad cerebrum; vel etiam propter delirium dolorem non sentiebat, hæc sunt verba Hippocrat.

Tertia die femoris quidem dolor cessauit, alienatio vero mentis, & turbatio, & multa iactatio: Quarta circa meridiem extinctus est.

Motus. *In quouis morbo, si æger facilè surgat, & erigat se, si de latere in latus facilè conuertatur, salutare; si contra vix sese commouere possit, malum.*

Quemadmodum cuiuslibet functionis integritas leuiorem morbum ostendit; sic inter animales ea, quæ motum voluntarium spectat, si parum læsa sit, bene sperandum est: contra verò, si valde labefacta sit, vt vix ægri sese commouere valeant, non caret periculo.

Multa corporis iactatio, anxietas, & inquietudo in febre acuta mala.

Ostendit enim humorum serietatem, & diligentiam, qui cum tenues sint, valde mobiles, & vehementer in corpore agitentur, fit vt maximum immineat periculum, ne in partes principes irruant, & pernicio sum aliquem affectum producat. Sic apud *Hipp.* 3. *euid. sect.* 2. *ægr.* 12. Mulier, quæ decumbebat in mendacium foro, statim incipiens sticulosa, anxiosa, septima superriguit, febris acuta, sitis, multa iactatio. Octaua, circa meridiem recaluit, siticulosa, comatosa, anxiosa, decimaquarta mortua est.

Illa demum ratio decumbendi est optima, quàm vnusquisque seruat, dum valet bene: Hipp. ibid. 3. Coac. tract. 1. 9.

Decubitus. Ille autem decubitus sanorum similis describitur ab eodem *Hipp.* 1. *progn.* his verbis: *Deprehendendus est æger decumbens in latus dextrum, vel sinistrum, brachijs, ceruice, & cruribus paululum reductis, & reliquum corpus molliter iacens.* In hoc enim corporis situ omnibus membris quies comparatur, & omnes musculi relaxantur, tum respiratio liberior efficitur, atque somnus placidior obtinetur. Si igitur æger, morbo acuto laborans, talem decubitum obseruet, signum est insigne vegetæ facultatis, quæ alacriter, & sine labore corporis onus portat, & facillimè gubernat.

Grauitas totius corporis manuum item, ac pedum pestifera. Hipp. Coac. 1. tract. 1. 3.

Totius corporis grauitas cognoscitur ex eo, quòd æger in lecto vix se commouere queat, & ad latera conuertere & quando à ministris moueatur, plumbeã: molem, atque sarcinam repræsentet. Manuũ vero, ac pedũ grauitas ex eo facilè apparet, quod ad cibum, potumque capiendum, aut alia quæuis opera vix manus ægre attollere valeat aut si, cum ægrè tolluntur contremiscant; vel si à Medico sublatæ sursum, deinde demissæ lapidis instar decidant. Pedum verò grauitas cognoscitur quando extensi, & minimè reflexi ad extremam spondam delabuntur. Hęc omnia indicia sunt maximè debilitatæ, ac penè emorientis facultatis

Supinum autem iacere, extensis cruribus, manibus, & ceruice, malum. Hipp. 3. Coac. tract. 1. 10. & 1. progn. text. 2.

Magnam enim significat facultatis animalis imbecillitatem, quæ non possit corpus in alio situ continere. Ille autem decubitus supra spinam tum fit, quando corpus proprio pondere collabitur, vt in moribundis apparet, qui perpetuò supini iacere consueuerunt: idq; magis confirmatur ex membrorum extensione, quæ ab eorum grauitate procedit.

Si seipsum æger continere non valens, subinde ad pedes delabatur, funestum. Hipp. l. 3. Coac. tract. 1. 11.

Significant enim virtutem animalem esse propemodum extinctam, vt non possit corporis pondus regere, aut sustinere, sed illud grauitate propria ad inferiora prolabatur.

Si æger, acuto morbo laborans, hiante ore dormiat, funestum. Hipp. 1. prog. text. 20. & 3. Coac. tract. 1. 11.

Fit enim oris hiatus, vel propter facultatis maxillam mouentis, imbecillitatem, & exolutionem; vel propter ingens cordis, & aliarum partium incendium, vnde tam copiosi vapores effunduntur, vt ad continuam eorum exclusionem ægri hiante ore dormire cogantur. Fit autem illud præcipuè in somno, quia tunc temporis calor partium interiorum intenditur, vnde maior fuliginum copia eleuatur. Si autem æger non solùm in somno: sed etiam in vigilia hiante ore consistat, multò magis funestum est. Aduerte tamen, quosdam ex consuetudine, etiam in sanitate, hianti ore dormire: quod si Medico innotescat; nullum inde prognosticum elicere oportet.

In ventrem cubare, qui non est solitus ita dormire, malum. Hipp. 2. Prorrh. text. 9. & 3. Coac. tract. 1. 13.

Nam præposterus ille decubitus, aut delirium, & errorem mentis, aut grauem aliquam circa ventris sedes affectionem significat.

Sin autem nudis pedibus, nec adeò calentibus deprehẽdatur iacens, tum manibus, & ceruice, cruribus item desectis inæqualiter, atque nudis pestiferum anxietudinem enim denunciat. Hipp. Coac. tract. 3. 14.

Quando ægri in summo exacerbationis febrilis rigore, toto corpore valde incalescentes, corpus aut membra denudant ad capiendum frigus, nihil est sinistri iudicij. At si nulla cogente necessitate, & corpore satis temperato existente, membra denudauerint, & totum corpus hinc inde agitauerint, valde periculosum est. *Alysmon enim*, inquit Hipp. *seu anxietudinem significat.* Illius autem ἄλυσμῦ duplex omnino causa est; vna quidem stomachi prorritatio, atque morsus à feritate humoris cum æstu; altera autem virtutis oppressio à corporis grauitate, vt nulla locatio in ea anxietudine sit grauiosa. Causæ vtriusque signa sunt syllogistica: prioris quidem nausea, & vomendi appetitus; alterius autem crebra iactatio moræ impatiens sine nausea. Attamen præcipua iactationes causa est virtus languida, & oppressa; nudandi verò corporis, febris ardens, & lipyria.

Perniciosum etiam est, peruoluere se ad margines lecti ac primum pedes excludere, deinde corpus erigere, & nisi cohibeantur, vel excidere, vel surgere.

Obscurum enim delirium ostendit, & adeò funestum; vt testetur Hollerius in *suo ad Coacas prænotiones commentario*, se ex hoc signo, qui eualuerit, vidisse neminem.

Quicunque ægrotantes erecti, & sedentes manere desiderant in morbi acuti vigore, & potissimum in peripneumonia, periclitantur. Hipp. 3. Coac. tract. 1. aph. 16.

Illud enim vel instantem phrenitidem minatur, propter quam ita exiliunt; vel inconditè iactantur & sine fructu; vel indicat magnum cordis incendium, quod hoc modo per liberiorem aeris inspiratum sedare cupiunt; vel denique magnam partium spiritualium oppressionem, ab ingenti inflammatione eadem occupante, vt ægerrimè respiratio exerceri valeat, nec nisi corpore erecto.

Quicunque ægrotantes manus in vanum iactant, festucas carpunt, floccos à vestibus, aut paleas à parietibus auellunt lecti stragula, quasi sarcinas colligunt, lethale. Hipp. 1. progn. text. 23.

Sunt

Sunt enim hæc symptomata imaginationis læsæ, & phrenitidis indicia, maximè lethalis. Sic apud eundem Hipp. 3. *Epid. sect.* 3. *ægr.* 15. In Thaso Dealcis vxor à principio contegebatur, & vsque in finem semper taciturna, manibus palpabat euellebat, scalpebat, floccos legebat; vigesimaprima interijt. Sed *dubium* est, quomodo Hippoc. symptomata lethalia pronunciauerit, cum Gal. 4. *de locis affectis cap.* 2. de seipso narret, cùm laboraret febre ardente, animaduertisse, se festucas colligere, & flocos euellere, amicisque præcipisse, vt curarent, ne in phrenitidem laboretur, à quo tamen morbo ipse conualuit. Dicendum est, huiusmodi symptomata vel fieri in vera phrenitide, & cerebro essentialiter affecto, vel per consensum à vaporibus ad cerebrum eleuatis, à quibus paraphrenitis solet generari: Si primo modo, lethale est; si secundo, minimè, licet si indicium futuri maioris mali.

Quibuscumque, morbo iam fractis, atque extenuatis, tremores accidunt, funestum. Hipp. 3. Coac. tract. 2. cap. 4. 63.

Tremor. Tremor perpetuò sit, docente Gal. *lib. de tremore, rigore, palpitatione, & conuulsione*, à virtutis animalis imbecillitate, quæ vel fit ab oppressione, vel ab exsolutione, Quæ ab oppressione fit etiamsi periculum minetur, non tamen lethalis est, quia oppressio illa, quæ fit ab humorum multitudine, vacuationibus auferri potest: At tremore, qui in principio morbi contingunt, ob oppressione plerumque fiunt; ideòque non semper lethales sunt, vt patet exemplo Pythionis apud *Hipp. 3. Epid. 3. sect. 1. Ægr. 1.* qui ab initio morbi tremorem in manibus patiebatur, ab eo tamen liberatus est. Cum verò tremor in morbi progressu contingit, ægro iam debili, & extenuato existente, non est dubium quin ab exsolutione procedat: ideoque proximam mortem significat.

Conuulsio *Febrem conuulsioni superuenire melius est, quàm feri conuulsionem.* Aph. 26. sect. 2.

Conuulsio, ex eodem Hipp. *aut ex repletione, aut ex inanitione fit.* Cum igitur aliquem sanum contigerit repentè conuelli huiusmodi conuulsionem fieri ex repletione est necessarium, tunc enim nerui replentur frigidis, & glutinosis humoribus, vnde conuulsionem patiuntur. Hisce igitur febris superueniens, solita est magna ex parte calefacere, extenuare, & digerere, atque adeò soluere, conuulsionem. Si verò in febribus conuulsio contingat; vt plurimum ea fit ab inanitione, & siccitate, quæ à febre ardente, & exurente producitur: quod quidem maximum est malum, ac penè insanabile, quoniam longum tempus exigitur ad siccitatem neruorum remouendam; morbi autem acerbitas tempus non expectat, quin citò vires dissoluit, & exitium affert.

Conuulsiones, quæ in principijs, morborum acutorum apparent, minus periculosæ, quam quæ in statu contingunt.

Non omnis conuulsio, quæ febribus superuenit, lethalis est; sed interdum minus periculosa, si in principio cõtingat, tunc enim multitudinem humorum significat, qua partes neruosæ contenduntur, seu conuelluntur. Et multò etiam minus periculosa esse solet si non diu perseueret: quia à stabili causa tunc minimè producitur, ostenditque interdum translationem materiæ morbificæ à genere venoso in habitum corporis factam, per concussionem, & violentam corporis commotionem. quæ in conuulsione fit. Sic apud Hipp 3. *Epid. sect.* 3. *ægr.* 11. In Thaso mulier morosa, ex mœrore cum occasione excita degens euasit vigil, & cibum auersans, & sitibunda erat, & anxiosa: prima inchoante nocte timores, sermones multi, ægritudo animi, febricula tenuis, manè conuulsiones multæ, obloquebatur, obscœna dicebat, multi dolores, magni, continui: secunda die per eadem, nihil dormiuit febris acutior. Tertia conuulsiones quidem defecerunt sopor autem, & delatio in somnum, & rursum expergefactio, exsiliit, continere se non poterat obloquebatur multa, febris acuta, ad noctem verò hanc sudauit multa calida per totum, sine febre dormiuit: omnia intelligebat, iudicata est. Circa iudicationem verò muliebra multa descenderunt.

Ex hac historia colligitur, conuulsionem in principio apparentem fuisse ex repletione, non solùm Galeni sententia, in *comment. huius loci*, vbi dicit hanc mulierem passam esse suppressionem mensium, sed etiam ex euacuationibus, per quas liberata est, nimirum per sudores copiosos, & vniuersales, nec non per copiosum mensium profluuium, iuxta hoc commune axioma. *Morbi, qui ex repletione fiunt, inanitione sanantur.* At verò si in statu morbi appareat conuulsio, magis periculosa est; vel enim à siccitate fit per febrilem adustionem introducta: vel à transmutatione humoris morbifici ad partes neruosas.

Quæ à siccitate fiunt, omninò pernicioſæ, & lethales habendæ sunt; quæ verò à permutatione, sunt aliquando sanabiles, vt quæ ex morsibus oris ventriculi proueniunt, & in hystericis fœminis, & quæ critice accidunt. Attamen perpetuò difficiles esse solent, & valde periculosæ: vt videre est in historijs, quæ proponuntur apud Hip. in Epidem. Nam in *1. Epid. sect.* 1. *ægr.* 4. In Thaso vxor Philini febre acuta laborans post varia symptomata, octaua die superiguit, conuulsiones multæ cum dolore: nona conuulsiones, vndecima vtinam reddidit cum conuulsionibus affatim multam. Circa verò decimam septimam existens voce priuata est. Vigesima interijt. Item *ægr* 8. *eiusdem sect.* Erasinus, qui habitabat ad Footæ torrentem, ex graui morbo quinta die interijt, circa solis occasum. *Huic* autem, inquit Hipp. *conuulsiones multæ cum sudore circa mortem contigerunt.* Item *ægr.* 11. *eiusdem sect.* Dromeadæ coniux, post varia symptomata sexta die manè supperriguit, velociter autem incaluit, sudauit per totum, extrema frigida, delirauit. Respiratio magna rara paulò post conuulsiones à capite incæperunt, & celeriter interijt.

Denique 3. *Epid. sect.* 2. *Ægr.* 4. In thaso Philistes febre acutissima laborans, quarta die conuulsiones passus est, quinta manè extinctus est.

In febribus acutis conuulsiones, & circa viscera dolores fortes, malum. Aph. 66. sect. 4

Conuulsionem in febre acuta esse malum, supra ostensum est in expositione. *Aph. 26. sect.* 2. At si dolores fortes viscerum ipsi coniungantur, pessima sine dubio est. Fiunt enim illi dolores, aut ob ingentes in illis partibus inflammationes; aut ob calidam siccamque intemperiem ab ardore febrili impressam, quæ maxima esse debet, vt tam insignes dolores possit concitare, atque adeò interitum ægro minari: vt videre est in historijs supra propositis vxoris Philini, Erasmi, & Dromeadæ coniugis; illi enim ægrotantes, non solum conuulsiones, sed etiam hypochondriorum dolores patiebantur, & de medio sublati sunt.

Quæ in phreniticis conuulsiones fiunt, proximum exitium significant.

Gal. 12. *meth. cap. vlt.* se nullum horum conuulsorum sanatum vidisse testatur, neque alium quempiam narrantem idipsum audiuisse. Etenim ab inflammatione cerebri, siccatis neruis, huiusmodi conuulsio exoritur, quæ idcircò incurabilis est.

In pueris conuulsiones minus periculosæ, quàm in adultis.

Quia, vt refert Gal. *comment. in 3. Aph.* pueri magis abundant crudis humoribus, à quibus fit conuulsio à repletione, quæ minus periculosa est illa, quæ fit ab inanitione, quà adultiores frequenter laborant: tum quia pueri infirmas habent partes neruosas; ideòque à leui ori causa conuulsione afficiuntur.

Quicumque tetano corripiuntur, quatuor diebus pereunt: si verò hos effugerint, sani fiunt. Aph. 6. sect. 5.

Tetanus fit ex emprosthotono, idest, ad anteriora tensione, & opisthotono, idest, tensionem ad posteriora. In eo enim fit musculorum antagonistarum æqualis conuulsio, quæ ideò naturam tam vehementer affligit, vt eos labores diu tolerare nequeat, præcipuè quãdo totum corpus, & maximè ceruix obriguit. Tũc enim præter dolores acerbissimos, quibus vires citissimè dissoluuntur, diaphragma etiam per consensum afficitur: quandoquidem à quarta vertebra ceruicis producuntur nerui ad diaphragma, sicque ceruice cõuulsionem patiente, respiratio impeditur, & suffocati

moriuntur intra quatuor dies. Si verò hos effugerint, mitescente morbo, & dissoluto per iudicationem, quæ quarto die contingit in morbis extremè peracutis, à graui illo morbo liberantur.

Conuulsio ex vulnere lethalis est Aph.2. sect.5.

Conuulsio vulneri succedit propter quatuor causas. *Primò*, quando vulnus in magnas incidit venas, & arterias, & sequitur magna hæmorrhagia, à qua conuulsio & animi deliquium: sed ab hac conuulsione, & syncope non moriuntur. *Secundò*, quando vulnus infligitur in neruosum genus, cuius vulneris ratione sequitur conuulsio partium neruosarum, qui dicitur spasmus. *Tertiò*, quando in vulnere fit inflammatio, quæ si ad neruos extendatur, fit conuulsio. *Quartò*, quando non bene purgatur vlcus, aut cum ante tempus clauditur, aut vulneris orificium nimis angustum est, vt in punctura nerui; tunc enim sanies acris retenta vellicat neruos, & conuulsionem excitat. Lethalis autem est hæc conuulsio, quia cerebrum in consensum trahitur, neruis vehementer affectis, & quia putris sanies, in vulnere retenta, interdum, transmittitur in partes nobiles. Lethalis etiam est hæc conuulsio, inquit Gal. *in comment. huius aph.* non tanquam ex necessitate, ac semper mortem afferens, sed tanquam admodum crebro. Quod ipse Hipp. agnouisse visus est, qui in *Coacis prænotionibus* eandem sententiam proponens, loco θλιπτικων, scripsit κακων. Confer: Sennert. de Vulner. lethal.

A copioso sanguinis fluxu conuulsio, aut singultus, malum. Aph.3. sect.5.

Conuulsio ad immodicam sanguinis euacuationem sequitur, vel quod venæ, & arteriæ commoderata sanguinis, quem continet, proportione destitutæ depleantur, depletæ contrahantur, & contractæ contrahant neruos: vel quod venæ exhaustæ à vicinis partibus trahunt, & velut mutuum beneficium reposcunt, indeque exsiccatæ longa profusione sanguinis à neruis alimentum repetunt: quo fit, vt nerui siccati ac contracti ad suum principium, quasi suppetias petentes, conuellantur. Vel quia venæ, & arteriæ immodicæ exhaustæ totum spiritum, nedum sanguinem ab extremis partibus intrò rapiunt, vnde refrigeratio neruis subitò accidit, ac proinde conuulsio extemporanea est, non diuturna, non à causa præter naturam, sed potiùs orta ab agente natura, & noxam ex inanitione depellente: ideòque supra dictum est, conuulsionem ex hæmorrhagia non esse perpetuò lethalem, quamuis tamen periculosa sit, cum nulla conuulsio ab inanitione facta careat periculo.

Superpurgationi conuulsio, aut singultus superueniens malum. Aph.4. sect.5.

In superpurgatione humores non solum inutiles; sed etiam vtiles vacuantur, ideòque conuulsio, quæ illi superuenit, ab inanitione est; atque adeò periculosa. Ita *Aph. eiusdem sect. Conuulsio ab helleboro lethalis est*, propter nimiam purgationem, quę assumpto helleboro succedit.

Ex vigilijs conuulsio, & desipientia, malum. Aph.18. sect.7.

Vigiliæ, inquit Gal. *in comm.* ex ijs sunt, quæ maximè euacuant, & exsiccant; atque adeò conuulsionem, ex siccitate faciunt: ac praterea, quia in longis vigilijs biliosior redditur sanguis, & per consequens aptior stimulandus partibus neruosis.

Rigor *Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur.* Aph.64. sect.4.

Non solum in quotidianis, sed etiam in tertianis, & quartanis circuitibus verum est, febres solui præcedente rigore; indeque colligitur, rigores febrium intermittentium carere periculo, & non esse pertimescendos.

Rigores in febribus continuis superuenientes die critico, cum præcedentibus coctionis signis, & insigni euacuatione subsequente, salutares.

Bonæ euacuationes, eiusmodi rigores subsequentes, sunt sudores copiosi, aut vomitiones, aut deiectiones, aut hęmorrhagiæ, ex quibus febres aut prorsus tolluntur, aut maximè minuuntur, De quibus Hipp. *Aph.* 58. *sect.*4. *A febre ardente habito rigore superueniente fit solutio.* Quod ita intelligendum est si nimirum cùm prædictis conditionibus contingat. Ita apud Hipp.3. *Epid. sect.*2. *ægr.*5. Chærionem qui decumbebat apud Demænetum, ex potione febris magna corripuit: tertia die febris acuta, capitis tremor, maximè verò labij inferioris, paulo post autem rigor, conuulsiones, in omnibus delirauit nocte molestè. Quarta quiete, modicum dormiuit, obloquebatur. Quinta laboriosè, omnia exacerbata sunt, delirium, nocte molestè, non dormiuit. Sexta per eadem. Septima, supperiguit, febris acuta, sudauit per totum, iudicatus est. Huic vsque in finem ab aluo deiectiones biliosæ paucæ, sinceræ, vrinæ tenues, boni coloris, naorema nebulosum habentes. Circa octauam minxit melius magis colorata, habentia sedimentum album, exiguum: mente constabat sine febre, intermist: Circa verò decimamquartam febris acuta, sudauit: Decimasexta vomuit biliosa, flaua, sub copiosa. Decimaseptima superiguit, febris acuta, sudauit, sine febre, iudicatus est. Vrinę post recidiuam, & crisin melioris coloris, sedimentum habętes, neque delirauit in recidiua. Decima octaua calefactus est parum, sitiuit, vrinæ tenues, enæorema nebulosum, parum mente motus est. Circa decimamnonam sine febre, collum dolorosè habebat, in vrinis sedimentum perfectè iudicatus est vigesima. In hoc ægrotante rigor primum accidit die tertia sine fructu: tum quia illa dies rarò decretoria est, tum quia nulla tunc apparebant signa concoctionis, neque vlla sequuta est excretio: atque ita omnes conditiones boni rigoris supra propositæ defecerunt. At qui septimo die contigit rigor, fuit salutaris, quia die critico apparuit, & præcedentibus coctionis signis: vrinæ enim erant quidem tenues, sed boni coloris enęorema nebulosum habentes, & cum euacuatione copiosa. sudauit enim per totum; ideò die octaua, quæ crisin consequuta est, fuit sine febre: attamen morbus non omninò sublatus est, sed valdè imminutus: Diximus enim supra, per huiusmodi rigores febres, vel auferri, vel maximè imminui: & non sublata ex toto causa morbifica per dictum sudorem, contingit recidiua, quam rigor denuò subsequutus est die decimaseptima, dictis conditionibus stipatus, nimirum sudoribus, & vrinis concoctis, ideò febris expers iterum euasit; & vigesima die perfectè iudicatus est. In hac etiam historia aduertendum est, quod notatur ab Hippoc. in vtroque rigore, qui septimo & decimoseptimo die contingit, febrem incanduisse: dicit enim vtrobique, *superriguit febris acuta*; quandoquidem in omni rigore critico quantò magis corpus incalescit, tantò melius perfectiusque iudicium sequitur; ostendit enim naturam esse robustam, ac potenter insurgere ad materiæ morbificæ exclusionem.

Rigore, à quibus corpora minimè, aut parum incalescunt mari.

Naturam enim prælanguidam significant, & aduersus causam morbificam insurgere nequeuntem, vnde Hipp. *in* 1. *prorreth. A rigore refrigeratio non recalescens malum.* Id enim, vt scribit. Gal. *in comment.* caloris extinctionem significat. Quod idem Hipp. obseruauit in 3. *Epid. sect.*2. *Ægr.*12. vbi mulier, quæ decumbebat in mendacium foro, die septima superriguit, febris acuta, sitis multa, iactatio, circa vesperam sudauit per totum frigida; refrigeratio extremorum, non amplius recalescebat; & rursum ad noctem supperriguit, extrema non recalescebant. Decimaquarta mortua est.

Si rigori, aut horrori die critico venienti, coma superueniat, mors expectanda.

Rigores, qui die critico non contingunt, aut quos nulla, vel mala sequitur euacuatio, pernicioſi.

Sic in prædicta muliere, quæ in mendacium foro habitabat, rigor sæpè apparuit; vel diebus non criticis sine vlla excretione, vel cum frigido sudore, quæ mala est euacuatio. Sic enim *historia vndecima sect.* 1 *l. Epid.* Dromeadæ vxor tertia die supperiguit cum sudore vniuersali, sed frigido. Sexta iterum supperiguit cum sudore vniuersali, quem tamen sequuta sunt extremorum frigiditas, delirium conuulsiones: & eadem die interijt, quia ille rigor die critico non contingit, sed sexto, qui tyrannus appellatur à Galen. vt meritò dixerit Hipp. *Aph.*29. *sect.*4. *Quibus frici-*

tami-

tantibus sexto die rigore fiunt, difficile iudicium sequitur Obijci tamen potest, Larisseam virginem, cuius historia describitur in 3. *Epid. sect.* . *Ægr.* 12. die sexta aduenient rigore, quem copiosa hæmorrhagia, & sudor vniuersalis calidus exceperunt, perfectè fuisse iudicatam. Cui *respondendum* est cum Gal. *in commentar.* hoc esse ex miris exemplis, quibus obseruauit Hipp. diebus in paribus fieri interdum iudicationes; quod quidem tam rarò contingit, vt communem bonarum crisium regulam infringere nō debeat. Adde quòd menstrua tum primùm ei profluentia, solutionem morbi quàm plurimùm adiuuarunt.

Si rigor incidat, febre non intermittente, ægro iam debili lethale est. Aph. 46. sect. 4.

Gal. *in comment.* dicit, non idem esse, si quis dixerit, si inciderit, & si incidat, verbum enim *inciderit*, vnum significat rigoris insultum, *incidat* verò plures. Semel igitur rigore incidente, nunc bonum, nunc malum esse potest, vt ex præcedentibus theorematis apparet; sæpius verò fieri rigorem, febre non deficiente, cùm alioqui bonum non sit, in vitium imbecillitate est pernicios. Nam si aliqua euacuatio rigorem subsequatur, quæ nullam faciat intermissionem, propter vtrumque dissolui hominem par est, tum quia vis imbecillis ferre non potest rigoris agitationem, tum quia ad euacuatione dissoluitur. Si verò solus accidat rigor, nulla euacuatione subsequente; vtroque modo casus caret bonitate: nam tanqnam mala causa vires hominis tentat, & malum signum erit, illarum indicans imbecillitatem, quæ solitæ erant nox os humores in rigoribus euacuare, nunc verò hoc non possunt efficere.

Rigores in morbo diuturno sæpè aduenientes, vel potius horrores sine ordine, & typo suppurationem internam sæpè significant. Hip. in Coac. *Vel significare possunt humorum prauorum copiam, à quibus vapores acres excitari solent. Vid. Hip.* 1. Coac. 10. 13. 6.

Horrores, qui in principio febrium acutarum frequenter apparent, mali.

Maximam enim humorum prauitatem ostendunt, partes sensiles vellicantem; & naturæ infirmitatem, humores mouere frustra tentatis. Huiusmodi horrores apparere solent plerumque in principijs febrium malignarum, & pestilentium.

Crebri ex lumbis horrores cum cita caloris vicissitudine, calamitosi; nam acerbissima vrinæ suppressio denuntiatur atque bis insudare, pestiferum. 1. Coac 8.

Significat enim inflammationem spinalis medullę, aut membranarum eius quæ partes vi caloris præternaturalis exardent, nactui autem caloris paupertate refrigerantur, quemadmodum fit in repentina, & frequenti partium extremarum in vtrumque mutatione: In empyemate etiam hoc non rarò contingit. Succedit verò vrinæ suppressio, quia à frequenti rigore calor vesicæ natiuus extinguitur, atque ita virtus illius expultrix labefactatur, & sensus irritationis adimitur.

A sudore horror non bonum. Aph. 4. sect. 7.

Iudicatoria, quæ non iudicant, mala sunt. Sic sudor die critico erumpens, si ægrum non iuuerit, sed inde horror sequutus sit, malum est signum. Significat enim, vel humores tantùm vtiles vacuatos esse per sudores, & inutiles, ac noxios intus manere; vel portionem tantùm huiusmodi prauorum humorum per sudorem esse vacuatam; reliquum verò intrò recurrere, ac partes sensiles vellicare, horroremque efficere. Indicatur itaque vel naturam esse debilem, quæ non possit materiam morbificam excutere, vel humores esse contumaces, qui naturæ conatum eludant.

Sternutatio. *Obseruatum est, si ægrotans vir semel dumtaxat sternutet, quod is morbi ferocia succumbiturus sit; si verò bis sternutet, profligato morbo, reualiturus. Contra in fœminis, si quæ grauiter habens bis sternuat, funestum, & exitiale; si semel sternuat, salubre signum existit.* Forest. obseru. 487.

Coryzas, & sternutamenta in morbis pulmonum præcessisse, vel subsequi, malum. In alijs verò morbis etiam exitialibus, & sternutamenta spem solutionis adferunt. Hipp. 2. prognost. cap. 16.

In phthisi, pleuritide, & peripneumonia, ex cōcussione ista strenutantis cerebri, lacerantur, & violenter diuelluntur partes thoracicæ vnde inflammatio valde augetur, & nulla propterea fit materiæ morbificæ vacuatio. In alijs verò morbis causa morbifica potest dissipare, & excuti vi naturæ aduersus eam motu illo violento insurgentis; ideòque sternutamentum significat naturam iam vires resumere, & ad expellendum excitari, vnde conualescentiæ initium coniectari licet Gal. *in comment. huius loci*, sternutationem sine rheumate in declinatione, vel postquam præcessit ægritudo semper esse bonum signum, & si ægritudo, sit periculosa, affirmat.

Mulieri, quæ hystericis tenetur passionibus, aut difficulter parit, superueniens sternutatio, bonum. Aphor. 35.

Sternutamentum in hysterici suffocationibus, partu difficili, & secundinis retentis, conuenientissimum est, vt signum, & vt causa. Vt signum, quia naturam ostendit propriarum meminisse motionum, & quæ prius torpebat, excitari, & reuiuiscere, quandoquidem aliquam eijcit superfluitatem. Vt causa, quia vehementiori concussu, atque feruore partim quidem naturam excitat, partim verò excernit, quæ partibus corporis infixa adhærent.

Bona, & facilis respiratio maximam habet vim ad salutem in morbis acutis. Hipp. 1. progn. *Actiones vitales. Respiratio.*

Nam, vt docet Gal. *in comment.* bona respiratio thoracem, cor, pulmones, pleuram, diaphragma, & denique omnes partes respirationi inseruientes, bene valere significat. Ijs autem bene valentibus, nullum ex morbo acuto debet timeri periculum, nisi ille malignus sit, & pestilens. Febres enim huiusmodi ita sæpè per insidias corpus aggrediuntur vt nulla in respiratione læsio appareat quamvis in progressu lethaliter afficiant.

Vbi in febre non intermittente difficultas spirandi, & delirium acciderit lethale. Aph. 50. sect. 4.

Quia duo vitæ principia, scilicet, Cor, & cerebrum vehementer læsa sunt, & ad interitum consentiunt. Vtraque autem passio, nimirum delirium & difficultas spirandi diu durare debent, vt lethalia dici possint nam in perturbatione critica vtrumque salutariter interdum contingit.

Respiratio magna, & rara cum febre acuta, pessima est.

Delirium enim vel præsens, vel imminens ostendit. Mens siquidem valde occupata à multitudine specierum, quæ in delirio repręsentantur, facultatem musculos thoracis mouentem aliò auertit, ita vt non fiat respiratio, nisi maxima co ente necessitate, vnde rara efficitur; sed raritas illa magnitudine compensatur. Eadem etiam ratione melancholici & amantes habent non rarò huiusmodi respirationem magnam, & raram, quia in profundis cogitationibus defixi, obliuiscuntur respirare. Huius autem respirationis magnæ, & rare periculum, in morbis acutis, colligere licet ex Hipp. 1. *Epid. sect.* 1. *Ægr.* 2. Vbi Silenus qui vndecima die interijt, habebat à principio, & per totum spiritum magnum, & rarum. Item *Ægr.* 11. *eiusdem sect.* Dromeadæ coniux prima die circa hypochondrium anxiosa, horrida, inquieta, & sequentibus non dormiuit, spiratio rara, magno, statim retracta. Sexta manè superriguit, velociter autem incaluit sudauit per totum, extrema frigida, delirauit, respiratio magna rara. Paulò post conuulsiones à capite incœperunt, & celeriter interijt.

Magna, & frequens respiratio periculosa.

Magnum enim incendium significat; & putredinem, cordi, partibusque vicinis proximam, quæ multa indigens, venulatione, magnam, & frequentem respirationem efficit.

Parua, & frequens respiratio periculosa.

Significat enim teste Hipp. *in epidemijs*, organi alicuius dolorem, quòd animalis facultas, dolori prouidens, nolit partes illas, quæ sunt supra septum transuersum, & respirationi inseruiunt, plurimùm dilatare, quo minùs doleant, ac motu violentur. Ideò paruam efficit respirationem. Sed quia parua illa respiratio, non sufficit incendio intus concepto ventilando, natura idcirco cōpensare cogitur, quod à magni-

tudine detrahit. Ille autem dolor, talem respirationem efficiens, producitur ab inflammatione, abscessu vlcere; vel è copiosis, crudisque humoribus, quæ omnia periculum minantur.

In febribus spiritus offendens malum. Conuulsionem crim significat. Aph.68. sect.4.

Per spiritum offendentem intelligit respirationem interruptam, seu intercisam, quæ in medio sui subsistit. Idque potest contingere tum in inspiratione, & vocatur ab Hipp. duplex intrò reuocatio, veluti super inspiratio, vt frequenter pueris plorantibus contingit: tum in exspiratione, sed rariùs, & vocatur ab Hipp. spiritus offendens, cùm ad exteriora fertur. De vtroque intelligendus est hic aphorismus, quod scilicet in febribus conuulsionem significet; quod nimirum musculi, ac nerui, iam conuulsioni parati, ita moueant thoracem; qua dispositione insuper aucta, & plures occupante partes, manifesta conuulsio hominem apprehendit.

In acutis passionibus, quę cum febre fiunt luctuosa suspiria, mala. Aph.54. sect.6.

Hic aphorismus superiori similis est in eo; quod per suspiria intelligenda sit illa respiratio interrupta, & reduplicata, quæ supra fuit exposita: Nunc verò peior, & lethalis vt plurimum efficitur huiusmodi respiratio, quando luctuosa est, id est, cum luctu, & gemitu quodam editur. Significat enim quandam dolorosam dispositionem; vel potius humoris attrabilarij copiam, qui mœrorem quendam inducens, huiusmodi etiam luctum, nolentibus ægris exprimere solet.

Nocturna dispnœa in chronico morbo hydropem minatur. Plater.

Respiratio, quæ maximè naribus editur, in qua pinnę narium moueri videntur, exitiosa.

Significat enim commodam virium infirmitatem. Nam progresso iam morbo, & non sufficiente ad respirationem diaphragmate, veniunt in subsidium musculi intercostales ac sine his quidem sufficerint vsui, cartilagines illæ à natura diducuntur, plus aeris attrahere conantes: sed frustra fit illæ conatus, haud secus quàm hiare, vt in morientibus fit.

Frigida spiratio in morbis acutis proximam mortem significat.

Ostendit enim caloris innati extinctionem & humidi primigenij consumptionem ab vrente calore.

Pulsus.

Pulsus magnus vehemens, & æqualis in quouis morbo salutaris esse consueuit.

Significat enim facultatis vitalis robor, à quâ reliquæ fulciuntur, vt causa morbifica facilè deuinci queat.

Pulsus inconstans, inæqualis, & languidus, pessimum euentum prænunciat.

Significat enim magnam prauorum humorum copiam, quæ naturam valde conturbet, vnde illa inconstantia, & inæqualitas in pulsu. Quod si virium infirmitas adsit, quæ ex languitudine pulsus colligitur, non poterit graue illud onus excutere.

Pulsus minutus, & frequens, qualis est formicans, aut vermiculans lethalis.

Vires enim paulatim deficere, & in proximam ruinam delabi significant.

Pulsus intermittens, seu intercidens, pernicioſus.

Gal. 2. *de prœsag expulsibus* dicit, cum pulsu intermittente multos senes, & pueros euadere, Iuuenem verò ab eo incolumem se vidisse neminem. Et ratio huius rei est; quia in iuuenibus maximum à statu salubri recessum declarat; illi enim ob validum virium robur non nisi à fortissima causa in tales affectus incidunt, quæ difficile superari queat, imo potius ægrotantem obruat. At senes & pueri ob inualidum robur à leuiori causa magis efficiuntur, quæ tamen faciliùs eliminari queat. Experientia tamen Gal. sententiæ refragari videtur, cum nullus ferè Medicorum reperiatur, qui non viderit etiam iuuenes nonnullos cum pulsu intermittente liberatos. Vt autem Gal. authoritas defendatur, dicimus, pulsum intermittentem dupliciter fieri, vel cum æqualiter intermittit, vt scilicet inter duas intermissiones idem perpetuò sit pulsationum numerus, & ille pulsus intermittens est perpetuò lethalis, de quo Galen. sententia intelligenda est. Vel cùm intermittit inæqualiter, & tunc ægri possunt liberari. Pulsus intermittens æqualiter significat constantiam causæ morbificæ, eiusque victoriam supra naturam.

In febribus pulsus sanorum pulsibus similes, periculosi

Nam febrem malignam, & pestilentem significant, in qua sæpissimè solent contingere, vt præter experientiam docuit Gal. 3. *de præsag. expulsib.* & tales pulsus fieri vult, quod in huiusmodi febribus præcipuè malignioribus, vel cordis substantia calidior fiat, humores autem contenti frigidiores, vel contra cordis substantia frigidior sit, humores autem calidiores ex quibus contrarietatibus quædam veluti symmetria in pulsu exurgit. Vel certè dicamus in principio potissimum febris malignæ, & pestilentis pulsus ferè connaturales apparere; quia cor magis afficitur à veneno, quam à calida intemperie, quæ solet efficere insignes illas in pulsibus mutationes: cum tamen in progressu morbi pulsus, frequens, paruus, debilis, ac diuersus apparere soleat. Vide Horstium in obseruat. de peste.

Actiones naturales.

Fames

COROLLARIVM.

Reliqua reperantur ex Galen. luculentissimè conscripta in *lib. de prœsagitione ex pulsibus* sufficiat hic præcipuas, & in praxi frequentiores pulsuum differentias annotasse.

Bona, & laudabilis in morbis appetentia, salutaris.

Illa appetentia bona, & laudabilis censenda est, quæ ad benè valentium appetentiam accedit eique maximè est similis, qui quidem optima est iuxta sententiam Hipp. *aph.3 sect.2. In quouis morbo mente constare, & bene se habere ad ea, quæ offeruntur bonum.* Hinc enim facultatem naturalem, & partes illi seruientes, ac præcipuè ventriculum bene valere, colligitur.

Deiecta omninò in morbis appetentia valdè periculosa.

Magnam enim à statu naturali peruersionem significat, oritutque vt docet Gal. *in comment. in 3. Epid.* aut à prauis malignisque humoribus, ventriculi orificium occupantibus; aut ab ipsius facultatis extinctione cuius munus erat alimenti indigentiam sentire, idque consequenter appetere. Sic Hipp. *in 1. Epid.* de tabidis in epidemica constitutione mortuis ait: *Cibos quosuis perpetuò fastidiebant, non sitiebant.* Sic etiam Gal. *in comment. in 3. Epid.* multos se vidisse affirmat in quadam pestilenti constitutione, qui nihil quicquam ciborum assumebant, & de medio tollebantur, quidam tamen; vt ipse ait, fortiores quippe, qui vim sibi ipsis afferentes cibum oblatum assumpserunt superstitiosi fuerunt. Ita apud Hipp. *3. Epid. sect.1. Ægr.2.* Hermocrates, qui die 27. mortuus est, cibum auersabatur toto morbi tempore, & vltimis diebus ne degustare quidem poterat. Et *sect. 2. eiusdem lib. Ægr. 6.* Euryanactis filia abhorrebat omnes cibos toto tempore, neque appetebat quicquam, sine siti, neque aliquid bibebat effatu dignum ex quo morbo interijt post diem duodecimam.

In morbo diuturno fastidium cibi & deiectione; sinceræ, malum, Hipp. Aph.6. sect.7.

Cibi fastidium per se ipsum prauum est signum in morbis diuturnis: (nam in ijs, qui à talibus morbis sunt euasuri, contrarius affectus solet accidere, vehemens scilicet ciborum appetentia,) sed deiectiones sinceræ ijs superuenientes deteriùs multò præsagium efficiunt: quandoquidem per sinceras deiectiones intelligit Hippocrates impermixtas aquosæ humiditati, quando solus humor suo ferò destitutus ejicitur, siue is biliosus sit; siue melancholicus: nam deiectiones huiusmodi exustam esse omnem natiuam humiditatem à calore febrili demonstrant.

In longis difficultatibus intestinorum cibi fastidium, malum: & cum febre peius. Aph.3. sect.6.

Dysenteria fit ab humoribus acribus intestina exulcerantibus, primùm quidem summa superficie abrasa; progressu autem temporis profundiora omninò habent, & putrida vlcera, quo maximè tempore etiam ventriculus, ipsis compatiens, non benè concoquit,

quæ

qua offensione, magis ac magis ad superiora perueniente, quando os ventriculi vna afficitur, tum ęgrotantes cibi fastidio laborant. Sunt quidem & ab initio nunquam cibum fastidientes propter malos humores fluentes ab hepate, à quibus abraduntur intestina, præsertim cum huiusmodi humores biliosam naturam obtinent: nam pars eorum superflua ad os ventriculi effertur. In longis verò difficultatibus intestinorum, cùm hic casus euenerit, mortem quandam ipsi aduenisse ventriculo compatiendi ratione, significat, in qua omninò interijt appetentia, opus ad vitam necessarium. Si verò vna cum inappetentia febris aduenial difficultati intestinorum, duorum alterum est; vel putredo aliqua circa vlcera, vel magna inflammatio, quorum vtrumque admodum est exitiosum.

Fames intensa, ac bulimiæ in morbis, mala.

Vel enim appetitus ille deprauatus sequitur euacuationes insignes, quas frustrà magnis illis repletionibus resarcire conatur: vel acrimoniam caloris immensi, velut fornacis, quæ omnia alimenta subitò absumit, & quasi in fauillas conuertit, vt in multis hecticis macilentis videre est; in quibus etiam sępe contingit hæc bùlimia, propter insignes obstructiones venarum mesaraicarum, quæ impediunt chyli commeatum ad hepar, vnde nulla, vel perexigua fieri potest nutritio, quandoquidem illa chylosa materia, cum non possit prætèrfluere ad hepar, in intestinis corrumpitur, & per aluum excernitur, vnde fit, vt hectici huiusmodi perpetuò, & immedicabili alui fluxu teneantur. Ideò partes suo genio defraudatæ perpetuò trahunt alimentum ab hepate, hepar verò à ventriculo, ex qua tractione fit continuò in ventriculo, & præcipuè in orificio illius superiori illa diuulsio, quam fames necessariò consequitur. Vel etiam appetitus ille intensus dependet ab humoribus acidis, ventriculi orificio affixis, qui perpetuò vellicant illam partem exquisitiori sensu prædictam. Hæc igitur fames immensa, vt est rara & portentosa in morbis; sic nihil boni indicare potest, vt est *Aphor.* 4. *sect.* 1. *Non satietas, non fames, non aliud quicquam; quod modum naturæ excesserit, bonum.* Nam perpetuò nimia illa ciborum ingestio causa existit pessimorum excrementorum, quæ in ægrotantibus colliguntur, vt est *Aph.* 17. *sect.* 2. *vbi cibus præternaturam ingressus est hic morbum facit.* Et vt habetur *Aphor.* 8. *&* 11. *sect.* 2. *Comedentes, & nihil proficientes, malo sunt loco.*

Deprauata appetentia, quæ pica, seu malacia dicitur, in morbis chronicis mala.

Huiusmodi appetitus; qui ad absurda aut aliena fertur, grauidis familiaris est ob suppressionem mensium, quæ prauorum excrementorum multitudinem colligit, eorumque refluxum ad ventriculum parit; & in his non est valde periculosus, quia partu omnia illa recrementa expurgantur. At in morbis chronicis pessimus habetur, tam ratione causæ, quàm signi; dum enim se ingurgitant cacochymis illis cibis, causæ morbificæ multiplicantur, & denotat euersionem temperamenti partium, & humorum, propter quam similia illis expetere solent. Sapienter itaque dixit Hippocrates, *aph.* 38. *sect.* 2. paulò quidem deteriorem cibum, valdè expetitum ægro quandoque concedendum, sed cum ea moderatione, vt non possit ratione quantitatis, aut qualitatis grauiorem illi noxam afferre.

Sitis præter rationem soluta in morbis acutis, malum. Hipp. 1. prorrh.

Si enim non sit causa aliqua sitim sedans, vt fluxio pituitosa à capite, quæ ventriculum irriget: vel caloris nativi extinctionem significat, vel errorem mentis. Non minus enim ijs, qui sitiunt, & sitim non sentiunt, qui dolent, & dolorem non sentiunt, mens ægrotare solet. Hoc theorema confirmatur historijs supra, propositis in delectæ appetentiæ explicatione.

Sitis inexausta, quæ nullo potu expleri potest, mala. Sitis

Summam enim indicat discrasiam, & intensissimum partium internarum incendium, aut humidi primigenij consumptionem. Sic apud Hipp. *in* 2. *Epid. Ægr.* 1. Philiscus inter alia symptomata valdè siticulosus erat, & sexta die obiit. Ita & 3. *Epid. sect.* 3. *Ægr.* 3. Pythion toto morbi decursu ingenti torquebatur, & decima die interijt.

Deprauat admodum sitis, quæ circa liquores absurdos, & potui minimè idoneos versatur mala.

Nonnulli ægrotantes reperiuntur, qui neque aqua, neq; syrupo, aut vino diluto, vel simili liquore consueto recreantur, sed alienam potionem expetunt, quæ parum naturæ, & morbo consentanea est. V.g. qui acetum, aut succum limonum, aut aquã vitæ, aut alium quempiam liquore potui parum idoneum bibere desiderant. At qui ita affecti sunt, in magno versantur vitæ periculo, quia natura tantum iam à suo limite recessit, vt non possit deinceps ad conuenientem statum reuocari.

Si quis laboriosa febre singultiat, morbo laborat pessimo 1. Coac. 47.

Fit enim ille singultus ab humoribus acribus, & malignis tunicam Stomachi interiorem vellicantibus, & facultatem illius expultricem stimulantibus. Et dicit Valesius, se nullum vidisse seruatum in extenuatis, aut febre ardente, vel maligna correptis, cui singultus superuenerit. Sic apud Hipp. *Epid. sect. Ægr.* 12. mulier, quæ in mendaciũ foro habitabat, die duodecima frequentes singultus patiebatur, & decimaquarta interijt. Obseruauit Platerus in febribus ardentibus superuenientem singultum, & perseuerantem plerumq; mortis esse prænuncium: at in semitertiana febre eundem vidit non lethalem. Idem in dysenteria lethalem esse obseruauit.

A vomitu singultus, & oculorum robur malum. Aph. 3. Sect. 7.

Duo hæc signa si vomitui superueniant in morbis acutis, & ad aliquod tempus perseuerent, id. ô lethalia habenda sunt, quia inflammationem cerebri, vel ventriculi denunciant: quæ inflammatio nõ modo ipsius singultus, ac ruboris oculorum causa, sit, sed & vomitus; Si enim vomitus cieretur ab actibus humoribus, os ventriculi eiusque tunicas mordentibus, expulsis per vomitum illis humoribus, cessaret vomitus, & singultus, nec à vomitu vllus vapor acer ad oculos deferretur, qui oculos rubros efficeret. At cum vomitus non solum non profuerit, sed etiam post se singultum, & oculorum ruborem inuexerit, certissimum est, illa tria, vomitum, singultum, & oculorum ruborem pendere ab inflammatione cerebri, vel ventriculi. Cerebrum enim inflammatum sanguinem ad oculorum venulas exprimit præ copia, & effundit in extimam tunicam oculi, quam adnatam vocant, vnde oculorum rubor: cui ventriculus consentiens per neruos, qui à sexta coniugatione in eius os feruntur, ab ea cerebri inflammatione facilè in vomitum ac singultum impellitur. Ventriculus quoq; inflammatus vomitum, & à vomitu singultum, & vna cum singultu, ruborẽ oculorum inuehit, facto concursu sanguinis feruidioris ad oculos propter maximum consensum, qui inter istas partes intercedit, quem facile ostendunt suffusionum initia, imaginũ ante oculos apparitiones, quæ plerumque vitiato ventriculo contingunt. Vnde meritò Hipp. *in lib. de locis in homine* dixit, à vomitu oculos maximè lædi. Huius singultus, vomitui succedentis exemplum habemus in historia suprà citata mulieris, quæ in mendacium foro habitabat, in qua ventriculi inflammationem ex prauorum humorum affluxu in illam partem fuisse genitam, verisimile est: nam octaua die vomuit biliosa, exigua, subflaua: nona vomuit exigua, biliosa: vndecima vomuit vitulenta, biliosa, superriguit non multò post extrema frigida ad vesperam sudor, rigor. vomuit multa, noctem laboriosè. Duodecima vomuit multa, nigra graueolentia; singultus multum, sitis, laboriosè: decimaquarta mortua est.

Iecoris inflammatione singultus malum. Aph. 17. sect. 7.

Singultus tunc iecoris inflammationi superuenit, vt docet Galen. *in comment. huius aphorismi*, quãdo inflammatio auctior, & deterior euasit. Tunc enim magna

magna inflammatio in hepate eò vsque accreuit, vt vehementer superiori ventriculo incumbat, ac singultum inducat. Imò verò affluente materia nonnunquam inflammatio, aut erysipelas in ventriculo gignitur; sin minus ab ea ventriculi tunicis imbibita morsus excitatur.

In diuturnis læuitatibus intestinorum superueniens ructus acidus, qui prius non erat, signum bonum. Aph. 1. sect. 6.

Lienteria fit vt plurimum à frigida ventriculi intemperie, qua coctio ventriculi aboletur, vt alimenta neque colore, neque odore neque alia qua vis qualitate mutata, celeriter excernantur. Si verò in huiusmodi lienteria iamdiu contracta ructus acidus superueniat, qui prius non extiterit, bonum erit signum. Hinc enim apparebit, intemperiem iam incipere restitui, caloremque natiuum iterum excitari, qui per talem lienteriam adeò debilitatus erat, vt ne tentaret quidem alimentum immutare. Licet enim ructus acidus insignem significet ventriculi refrigerationem; tamen flatus aliquos etsi acidos eleuare minoris perfrigerationis est, quàm omninò nihil.

Excremēta per oculos

Quibus in febribus, aut alijs morbis, voluntariè illacrymant oculi, nihil absurdi est; quibus verò non voluntariè, absurdius. Aph. 52. sect. 4.

Lachrymæ voluntariæ dicuntur, quæ à causa manifesta, & externa, puta tristitia, & mœrore, imò interdum lætitia excitantur, & in ijs nihil periculi. Inuoluntariæ verò, vel fiunt ab inflammatione oculorum, aut acri in eosdem fluxione, & in ijs etiam nihil est periculi: vel fiunt à perturbatione critica, & crisin per hæmorrhagiam præcipuè præsagiunt, quæ etiam nullum minantur periculum; & tales cognoscuntur ex præcedentibus concoctionis signis & prauorum symptomatum carentia: vel denique oriuntur ex resoluta virtute retentrice, quæ est in cantho, & cæteris oculis partibus, & illæ sunt exitiosæ, de quibus loquitur Hipp. *in hoc aph.* & à reliquis discernuntur, ex oculorum cauitate, & extenuatione, alijsque symptomatis, quæ ipsa necessariò committantur.

In graui capitis affectu, si pus ex auribus effluat, solutio fit.

Hoc theorema desumptum est ab Hipp. *Aph.* 10. *sect.* 6. *Dolenti capite, & valde sonanti pus aut aqua, aut sanguis fluens per aures, aut per os, aut per nares, soluit morbum.* Hinc enim sunt ductus, & meatus ordinarij, per quos cerebrum sese exonerare solet. At præcipua, atque grauissima cerebri affectio est inflammatio, quæ si ad suppurationem veniat, & pus per aures, quæ magis ordinaria in hoc casu via est, vacuetur, fit morbi solutio.

In puerulis humiditates per aures diu effluentes, salutares.

Huiusmodi humiditates pueris, & familiares sunt, *Aphor.* 24. *sect.* 3. & salutares: quia in illa ætate cerebrum humidissimum, & excrementis scatens, salutariter sese non solùm per aures, sed etiam per alios ductus expurgat.

Aurium sordes, quæ natura sua flauæ, & amaræ existunt, dulcescere, aut colorem mutare, pessimum Epid.

Gal. *in comment.* dicit, illud accidere per colliquationem cerebri in febre acuta. Uel dicere possumus, quòd, debilitatio valde calore natiuo, profluant aquosæ illæ humiditates, quæ in cerebro continebantur, sordibusque istis permixtæ, illarum saporem, & colorem immutent.

Sanguis bene, ac largiter fluens è naribus die critico salutaris.

Fit enim tunc temporis illa euacuatio à natura bene operante, & causam morbificam expellente. Sed diligenter aduertendum est, vtrum præcesserint signa concoctionis, & nulla in morbo lateat malignitas: siquidem in morbis malignis huiusmodi hæmorrhagia sæpe solet inutiliter contingere.

Hæmorrhagiæ nimis copiosæ, & vehementes pessimæ nam ad conuulsionem deferunt.

Fit enim aliquando, vt natura copia sanguinis grauata, & ad excretionem concitata, modum tenere nequeat, & super crisin efficiat, quam Medici sæpè cohibere coguntur.

Hæmorrhagia in principio morbi, mala.

Quia in principio morbi, nulla euacuatio potest esse critica, sed merè symptomatica est: non tamen idcircò lethalis est, sed tantùm inutilis, & nihil ægro conferens: quemadmodum contigit Pericli in 3. *Epid. sect.* 3. *Ægr.* 6. cui prima die sanguis fluxit ex sinistro, postea verò febris multum intensa est, & perseuerauit vsque ad quartum diem, in quo per copiosum calidum sudorem iudicatus est.

Hæmorrhagia, quæ à directo partis affectæ accidit, bona: contra verò mala.

In hepatis inflammatione hæmorrhagia critica salutaris est, sed hanc debet habere conditionem, vt per dextram narem sanguis euacuetur; si enim per sinistram effluat, non seruabit rectitudinem tantopere laudatam ab Hippocrate, & ostendet naturam perturbatam præpostere operari. Sic in lienis inflammatione sanguis per sinistram narem debet effluere, non verò per dextram.

Stillæ sanguinis paucæ per nares effluentes, malæ.

Significant enim naturæ imbecillitatem, & malignitatem morbi. Omnis siquidem excretio in morbis acutis, quæ inchoatur tantùm, & non perficitur, maximè damnatur ab Hipp. quia maior est securitas in febribus, in quibus natura nihil excernit, quàm in quibus pauca, & inutilia: siquidem coctioni esse intentam tunc temporis arguitur. Adde, quod, nulla apparente stilla, materiæ benignitas elucet, quæ inepta est ante tempus naturam irritare. Sic apud Hipp. 1. *Epid. Ægr.* 1. Philisco quinta die parũ è naribus stillauit, sincerum, & sexta die obijt. Et *Ægr. vndecimo eiusdem sectionis*, Dromeadæ coniugi quarta die destillarunt pauca è naribus, sexta verò interijt. Non tamen ex hoc signo mors absolutè conijcienda est, nam *in* 3. *Epid sect.* 1. *Ægr.* 3. in eo, qui decumbebat in Dealcis horto, secunda die ex nare sinistra paucus, & sincerus effluxit sanguis, & quadragesima die iudicatus est. Attamen grauissimo morbo conflictatus est, vt ex tota historia apparet, ideoque si non mortem, saltem maximum vitæ periculum portendit huiusmodi stilla sanguinis, si alijs prauis symptomatis adiungatur. Nam hoc etiam aduertendum est, quod videlicet exigua sanguinis excretio, die indice apparens, sine grauioribus signis, vel intercedentibus, vel subsequentibus, tantùm ab est, vt periculosa sit, quin potiùs crisin per eandem viam ad futuram denunciet; vt Metoni accidit. *in* 4. *Epid. sect.* 1. *Ægr.* 7. cui quarta die, non præcessis grauioribus symptomatis fluxit è dextra nare sanguis, bis, parum: quinta fluxit largiùs ex sinistra, sincerum, sudauit, iudicatus est, & cùm recidiuam passus esset, sanguine iterum, ac sæpè profluente, liberatus est.

Per os Sputũ & excreatio.

Sputa alba, læuia, æqualia non admodum tenuia, vel crassa, quæ ve prompte, facileque excernuntur, & sine dolore vllo vehementi, aut multa tussi, salutaria.

Significant enim, naturam materiæ morbificæ dominari, eamque laudabiliter concoquere, & concoctam sufficienter excernere. Dictæ enim qualitates, in sputo apparentes, optimæ concoctionis indicia sunt.

Sputum statim initio morbi pectoris, aut pulmonis apparens, bonum. Aph. 12. sect 1.

Significat enim concoctionis rudimentum, quod si statim ab initio morbi fiat, sperandum est, breui tempore morbum solutum iri.

Sputum leuiter rubescens ex sanguine, & pituitæ permixtione salutare.

In pleuritide hæc sputa reijciuntur, cùm natura materiam morbificam aggreditur: hanc etenim paulatim attenuat, & liquat, ac proinde laxatis vijs, quò vapor exhaleret, tenuior pars, & vicina vapori, per raritatem pororum elabitur in interna, ac vicina spatia, ac pituitæ permiscetur, vnde tussi sublata, & sputo excluso, vitium coctionis demonstratur, ac proindè Galen. *comment. in* 6. *Epid.* has mitissimas pleuritides esse statuit.

Sputum flauum pauco permixtum sanguine, in pectoris, aut pulmonis inflammationibus, ineunte mor-

bo

bo editum, salutare est, multumque confert; septimum verò diem agenti, aut prouectioribus, securitatis minus est. Hipp. in Coac. & prognost.

In inflammationibus, quæ à bile, & sanguine producuntur, huiusmodi sputa solent contingere: quæ si ab initio morbi appareant ostendunt naturam partem oneris deponere, vnde laxitas in parte, & doloris remissio exoritur, ac proinde sanationis initium. At si prouecto iam morbo, id est, septimo, vel vndecimo die tantum hoc sputum appareat, minùs securitatis est; quandoquidem facultates ad anacatharsin necessariæ à morbo magis opprimuntur, quò minus laudabiles operationes ex ijs sperare possimus: tùm materia morbifica magis rebellis est, cuius ne tenuior quidem pars, & magis obediens primis diebus potuit educi: tum mora diuturniori in partis substantiam penitus defixa est, vt æqriùs multò possit eradicari.

Omnia sputa mala sunt, quæ dolorem non sedant. Hipp. 2. prognost.

Omnes euacuationes bonæ, vel malè censentur ex conferentia, quæ ex ijs ægrotanti accidit. Si ergo ex anacatharsi nullum doloris leuamen accidat; mala sine dubio censenda est. Aut enim materia, quæ morbum immediatè producit, non ejcitur; aut si quædam portio illius euacuetur, noua aliunde suppetit, quæ morbi imminutionem impedit.

Sputa pauca; etsi concocta, si non pro ratione morbi excernantur; mala.

Quia nihil paucum criticum est, nec aliquod leuamen afferre potest. Ideò ab huiusmodi sputis timendum esse in peripneumonia nos docuit Hippocratis *in Coac*; qualia fuere in vxore Euxeni ab Hippocrate obseruata 7. *Epid.* quæ ex eo morbo interijt.

Nihil omnino expuere in pluritide, aut peripneumonia progresso iam morbo exitiosum.

Quamuis in principio nihil excernatur; non adeò periculosum est, sed si in augmento, vel statu sputum non appareat summam morbi cruditatem significat & inflammationem contumacem ac concoctu difficilem ostendit. Hinc Hipp *in Coac.* siccas pleuritides, in quibus nihil expuitur, meritò fecit periculosissimas: & Gal. 2 *de Crisibus cap.* 1. *Cùm passio*, inquit *exquisitè angustata fuerit, & veluti alligans inse se vniuersum fluxum cohibuerit tum facit morbos lethales.* E *libro de totius morbi temporibus*, nihil omnino expuere cum ingenti dolore, & spirandi difficultate esse exitiale statuit.

Si sputum postquam apparuerit, supprimatur, & plenus pulmo ferueat in gutture, ac stertorem, ebullitionem quampatiatur, omninò lethale.

Vel enim significat maximam inflammationẽ, quę sputum exurendo tàm viscidum efficiat, vt nequeat expectorari, sed bronchijs pulmonum adhærens, eaque obstruens, suffocationem inducat: vel ostendit virium exsolutionem, quæ non possit anacatharsin promouere; vt fit, vt omnes, qui ex pleuritide, vel peripneumonia moriuntur, iam morti proximi huiusmodi stertorem patiantur. Huiusmodi stertorem obseruauit Hipp. 7. *Epid.* in Menone, de quo ait, *Arteriæ sub illiebat cum stertore* & de vxore Theodori, *Arteriæ, & pectoris stridula quædam asperitas strepitus & fluctuatio puris*: Et de vxore Polycratis, *intus circa arteriam, & fauces sibilus erat*, & κάρχος, vel, vt tradunt interpretes, *asperitas rancida.* In quibus, & multis alijs qui *in eodem libro* recensentur, illud symptoma partim in naturę impotentiam, partim in multitudinem, aut lentorem puris, pituitæ, aut alterius humoris fuerat referendum. At licet perpetuò quidem malum sit & summopere timendum; summè tamen pernicioſum est post morbi principium, prælanguidis viribus redditis. Id enim ostendit, præimbecillitatem naturam quicquam non posse excernere, sed suffocari; quod etiam indicabunt alia signa exitialia, quæ cum isto copulata necessario apparebunt. In principio verò nonnunquam fit, vt præ copia humoris, & lentore eiusdem, ferueat in gutture, quo humore postea concocto, & per sputum purgato, cessat illa ebullitio. Tale verò non esse pernicioſum ex eo dignoscitur, quòd vnà adsint alia signa bona, & nullum pernicioſum, vt in Pisistrato contingit, de quo ait Hip. 7. *Epid.* stertoroſum in faucibus, bene autem ferebat morbum, mente constabat, calor remisit simulque excretio, & stertor euasit. Denique in asthmaticorum paroxismis huiusmodi stertor, isque valdè intensus cum sibilo solet contingere sine vllo periculo: quod diligenter annotandum est, ne in prognostico decipiamur.

Sputa alba, & merè pituitosa, in pleuritide, & peripneumonia, mala.

Huiusmodi sputa incautos Medicos possunt decipere, quandoquidem in ijs, quę in statu naturali excernuntur, admodum similia cùm sint; salutem prima fronte videntur polliceri. Attamen admodum mala sunt, quia ostendunt nihil humoris, inflammationem facientis, expurgari: propterea; & morbum crudissimum, & summè pernicioſum demonstrant. Quod Hipp. obseruauit 7. *Epid.* in vxore Euxeni, quæ pleuritica obijt, ea enim per sputum pauca, candida, & tenuia excernebat.

Sputa flaua, pallida, aut rufa insanis apparentia, siue amara illa sint, siue dulcia, phthisin adsuturam, & inde mortem prænunciant.

Huiusmodi enim colores bilem in pulmonibus delitescentem significant, quæ quidem in sputo amarorem magna ex parte interdum deposuit ob pituitæ permixtionem, cuius dulcedine bilis acrimonia retunditur. In quo Medicos errare, ac decipi facilè est, qui biliosum humorem intus in pulmone delitescentem non agnoscant ex eo, quòd sputa etsi flaua, vel pallida, vel rufa appareant, minimè acria, vel amara obseruent. In ijs tamen ægrotantibus, exesis pulmonibus, cruenta sputa, vel purulenta postea reduntur, atque inde tabes. De his loquitur Gal. 4. *De loc. affect. cap.* 9. insigni contextu, & ita ad hanc rem conducente, vt ejus verba huc meritò transferenda sint. *Quidem* inquit, *humorem repentè Exput, liquidæ bili in colore perquam simile medium videlicet inter flauum, ac pallidum, acrem nullo acredinis sectum, atque ita quotidie maiorem eius quantitatem expuit; deinde leui obortà febricula, tabescere cœpit, adeò vt purulenta screaret. Postea tractu temporis, quatuor videlicet mensium, exiguum cùm pure cruorem reiecit, atque sic acuta febre magis consumebatur: ac iterum, atque iterum plus expuebat, adeò vt magnam sputi quantitatem redderit; quocirca magis increscente febre, ac re solutis viribus, eorum, qui tabe marcescunt exemplo mortem obijt. Deinde alium vidi eodem ferè morbo sex mensibus, ac alium quoque diutius laborantem. Igitur qui primus nobis occurrit, initio quidem nihil mali habere sed tandem pessime affici visus est. Alterum verò cum conspiceremus ei statim, ab initio cognito malo, præsenti medicamento succurrere tentauimus, ac multò magis etiam tertio. At quamvis multò negotio vtrumque liberare conaremur, nihilominus neque horum vllus, neque aliùs post alios seruari potuit; cum enim iam morti proximi essent, pulmonis ipsius putres quasdam partes expuebant;* hæc Galen. Cæterum mirum est, cur sputis flauis, aut pallidis apparentibus, acri, amaro, aut saſso sapore vacantibus homines ad tabem ducantur. Hoc vero fit, quòd pituitosi humoris mixtione in ipsis sapor facilius, quam color occultetur, quæ quidem pituita in bronchis pulmonum continetur, ibidemque cum bile permiscetur; at bilis in pulmonibus colligitur ita acris, & copiosa, vt eos exedat, putrefaciat, & ad tabem perducat.

A sanguinis sputo puris sputum, à puris sputo tabes cùm verò sputum supprimitur, moriuntur. Aph. 45. & 16. sect. 7.

Non ab omni sanguinis sputo puris sputum consequitur; nam & à cerebro, & à gingiuis, & à gutture sæpè sanguis educitur sine noxa. Imò nec à sputo sanguinis, quòd in pleuritide & peripneumonia contingit, puris sputum necessario generatur; sed de illo tantum sputo sanguinis intelligendus est hic aphorismus, quod à pulmone procedit, per erosionem

nem illius partis, aut ruptionem alicuius venæ, per illius substantiam dispersæ. Huic enim sanguinis sputo puris sputum, & tabes, & mors necessariò succedunt. Huiusmodi autem sputum, quod in puris sputum degenerat, à prædictis distinguitur, quòd in eo spumosus ac valdè floridus sanguis per tussim excernatur; quæ conditiones in alijs omnes non reperiuntur.

Sputa viridia, æruginosa, liuida, nigra, sincera, vel fætida, mala.

Viridia, & æruginosa magnum caloris incendium & bilis æruginosæ copiam significant. Liuidæ, aut ab atrabile, aut à caloris extinctione fiunt. Nigra fiunt ab ijsdem causis, sed multò potentioribus; nam & maior adustio, & refrigeratio, seu caloris extinctio ex liuore nigredinem conciliat. Sincera sputa ea dicuntur, quæ fiunt ab vnico humore puro, & impermixto, suoque serò destituto, quod serum à calore consumptum est. Fœtida ingentem putredinem in partibus spiritalibus conceptam significant. Illa igitur omnia sputorum genera esse valde mala, eorum causæ iam recensitæ satis superquæ indicant.

Sputa admodum crassa, viscida, & glutinosa, in pleuritide, vel peripneumonia, mala.

Quia significant magnum incendium, & ardorem intus delitescentem, qui materiam istam valde incrassat, & viscidam reddit, vt difficilimè possit purgari, nec non tussi molesta, & laboriosa excreatione, quæ plus affert detrimenti quàm emolumenti.

Sputa viscida, & glutinosa cum raucedine, pessima 1. Coac. cap. 16.

Simpliciter viscida, & glutinosa mala sunt, vt in *præcedenti theoremate* dictum est. At si huiusmodi sputa raucitatem inducant: ostenditur cum visciditate iunctam esse acrimoniam, quæ arteriam exasperando huiusmodi raucitatem inducat. Quanto igitur deterior est materia, tanto deteriorem affectum producit: atque adeò quicunque pleuritici, & peripneumonici huiusmodi sputum cum raucedine emittunt, lethaliter laborant. In alijs verò, qui hisce affectibus non tenentur, talia sputa cum raucedine glutinosa, & salsuginosa phthisin prænunciant.

Sputum rotundum, aut grandinis formam referens, exitiosum.

Primum enim sputum rotundum necessariò crassum, & viscidum est, atque ea ratione vitiosum vt iam annotauimus. Imò verò incoctibilem arguit materiam, quæ ad vstionem deducta, crassior, & viscosior reddita, hanc figuram nacta est. Ideò quicunque pleuritici, vel peripneumonici huiusmodi sputa reijciunt, breui moriuntur. Tùm etiam sine morbo præsenti tale sputum phthisin prænunciat, vt testatur Gal. *comm. in 6. Epid.* Vbi refert, se huiusmodi sputum in quibusdam febre vacantibus vidisse, qui per longum temporis interuallum nihil mali pati videbatur: attamen isti omnes postea phthisici contabuerunt. Illa verò sputa, quæ grandinis granis similia sunt, quia rotundis solidiorem consistentiam nanciscuntur, ideò à maiori pulmonis calore fiunt, & certius phthisin prænunciant. Ita Gal. 4. *de locis affectis, cap.* 9. Historia luculenta huiusmodi sputorum periculum ostendit, his verbis. *Præterea alium huiusmodi affectum in pulmone notaui. Quidam diuturna tussi vexatus & exiguum, lentumque pus expuens, frustum quoddam paruo grandinis grano haud ab simile excreauit, ac deferens illud mihi ostendit, atque rursus non ita multò post aliud quoque attulit; vnde conieci, lentum illum humorem, & quem antea expuere solebat, siccatū induratumque ad huiusmodi substantiam peruenisse. Quamobrem medicamentum et in potu dedi quod asthmaticis auxiliatur, atque ita factum est vt minorem expuere grandinem, atque longiori quàm antea interuallo; neque pluribus deinceps annis adeo mitigari potuit affectus, quin tandem moreretur. Cæterum grandines ipsæ magna ex parte erui magnitudinem æquabant, quamuis interdum maiores esse, interdum minores viderentur. Atque alios quoque similiter quidem expuere, sed nihilominus multos annos vitam extendere vidimus, quorum alij aliam ob causam, alij verò ob spiritualium instrumentorum effectum mortui sunt, quamvis nihil cruoris excrearent.*

Qui suffocantur, & à vita deficiunt, nondum tamē mortui sunt, non referuntur in vitam, quibus spuma circa os apparet. Aph. 43. sect. 2. *Spuma.*

Spuma generatur, vel à vehementi calore, multos vapores excitante, eosque cum saliua permiscente, vt videre est in ijs, quæ igni apposita feruent, & bulliendo spumam emittunt; vel fit à motu violento, qui eodem modo flatus cum aquosa substantia permiscet, vt patet in albumine oui diutius agitato, & in mari ventis vehementer commoto. Qui igitur ex vehementi ira, aut cursu, vel exercitatione violenta incandescunt, ij possunt habere spumam in ore sine periculo, quia excitatur à causa procatarctica. Ita etiam epileptici circa finem accessionis spumam emittunt ex ore, ob motum illum violentum, & conuulsorium, quia attenuat exagitando dissoluitque materiam illam pituitosam in cerebro contentam, à qua paroxysmus ille excitabatur: ideò nullum etiam in ea est periculum, quia fit materiæ morbificæ exclusione. At in ijs, qui suffocantur, siue illud laqueo fiat, siue demersione in aqua, siue à graui angina, vel apoplexia, spuma in ore apparens pessimum est signum, & proximam mortem ostendit; significat enim extremum naturæ conatum, fuligines in pulmone contentas magna vi excludere conantis, cum quibus etiam aliquid propriæ ipsius pulmonis humiditatis exprimit, & cum dictis fuliginibus permiscet. Cum his confert Theatrum Tabidorum Bennetti.

Vomitus ex bile flaua, & pituita mixtus, qui nec valde crassus est, nec admodum copiosus, & qui duos istos humores habet exquisitè permixtos, bonus. *Per vomitum substantia.*

Talis enim vomitus non solùm in substantia, sed etiam in quantitate, & qualitate laudabilis est. Ex omnibus enim humoribus excrementijs pituita, & flaua bilis sunt omnium mitissimi. Si autem quantitate, & consistentia mediocri, ac bene inuicem permixti per vomitum efferantur, omnes laudabilis vomitus conditiones obtinebunt.

Vomitus bilioſi, aut pituitosi die critico erumpentes, boni.

Non solùm vomitus permixti ex vtroque humore boni sunt; sed etiam, qui fiunt seorsim ex alterutro humore, si talis humor morbum committat, quo æger detinetur. Sic in biliosis febribus bilis criticè erumpens, aut pituita in pituitosis, morbi solutionem afferunt, aut saltem maximam salutis spem pollicentur.

Longo alui profluuio laboranti spontaneus vomitus superueniens: morbum soluit. Aphorism. 15. sect. 6.

Fit enim reuulsio materiæ morbificæ in contrariam partem, & illa reuulsio ostendit naturam reficiari, ac vires resumere. Vt enim Medicus facit eorum quæ in partem aliquam fluunt, retractionem; ita natura facit, cum prætalere incipit, repulsionem; vt cùm ex surditate facit derectiones biliosas; ita etiam ex profluuio ventris, vomitum. Nimirum cùm intestina laborarent fluxione, potentis naturæ indicium est, id quod intestina malè affecturum influebat, aliam in partem repellere.

Sanguinem supernè efferri, qualiscunque sit, malum, Aph. 25. sect 4.

Sanguis, qui per vomitum reijcitur, à ventriculo, vel hepate proficiscitur, & alicuius venæ apertionem, ruptionem, aut erosionem in ijsdem partibus significat, ideo talis vomitus malus censendus est. Et de eo loquitur Hippoc. *in hoc aph.* Tum etiam de sanguine, qui reiicitur per tussim, & à thorace, vel pulmone educitur. *Aduertendum* tamen est, cruentam vomitionem aliquando bonam, salubremque existere, si nimirum criticè perficiatur, quam vis hoc valde rarò contingat. Hoc tamen testatur Gal. 7. *meth. cap.* 11. 3. *de sympt. caus. c.* 2. & 5. *de lo-*

de locis affectis c.7. & nos vidimus aliquando pleuritidem in iuuene robusto per sanguinis vomitum die septimo perfectè, & salubriter iudicatam. Alium etiam vidimus, qui longo morbo detentus, & velut tabe cõfectus, cum difficultatem spirandi, oborto repentè vomitu copioso sanguinis atri, fuit liberatus. Hic igitur aphorismus ita distinguendus est, quòd videlicet sanguinis vomitus perseuerans, & frequenter repetens, malus: si verò semel tantùm accidat, nec iterum reuertitur, eumque morbi alicuius solutio consequatur, bonus sine dubio censendus est.

Vomitus paucus, & laboriosus in acuta febre malus.

Quantitas. Nihil enim eorum, quæ decretoria sunt, exiguè secerni conuenit; sed quæ ita vacuantur omnia, significant aut materiæ copiam, quam natura tolerare nequeat, sed ex ea aliquid symptomaticè effundat; vel naturæ imbecillitatem, quæ superflua expellere frustrà nitatur.

Vomitus variegati, ex multis humoribus constantes, mali.

Quantitas. Significant enim varios humores in corpore latitare, qui eò maius negotium naturæ faceſſunt, quò difficilius est pluribus inimicis resistere. Si enim aduersus varia alimenia pugnare grauissimum efficitur; quantò difficilius erit, & periculo plenum, tentare varios humores, præter naturæ modum existentes, concoquere, & edomare? Præcipuè in morbis acutis, in quibus breue est tempus pugnę, quod deberet esse longissimum, vt maior spes victoriæ ex parte naturæ haberi posset.

Vomitus porraceus, eruginosus, liuidus, niger, aut fœtidus, lethalis.

Significat enim huiusmodi vomitus bilem porraceam, æruginosam, aut atram in corpore redundare. At hæ omnes bilis species malignos morbos, atque lethales solent producere: his verò si fœtor adiunctus sit, insignem humorum corruptelam significat, cum quâ natura non possit diu consistere. Vomitus eruginosi exemplum habetur apud Hipp. 3. *Epid. sect.* 2. *Aegr.* 4. Vbi Philistes prima die vomuit biliosa, pauca, flaua primùm postea æruginosa, multa. Quinta manè extinctus est. Tum etiam *sect.* 3. *eiusdem libri, Aegr.* 4. vbi phreniticus, qui prima decubuit, vomuit æruginosa, multa tenuia; quarta mortuus est. Nigræ verò vomitionis exemplum habemus in 2. *Epid. Aegr.* 12. qui die octaua circa vesperam euomuit nigra pauca, biliosa, & vndecima obijt. Attamen *obijci* potest anceps esse huiusmodi signum quia Epicratis vxor, vt habetur in 1. *Epid. Aegr.* 5. vigesima die vomuit biliosa, pauca, nigra, & iudicata est perfectè sine febre, octuagesima. *Respondendum* est, eum morbum fuisse adeò grauẽ & adeò sæuis comitatum symptomatis, vt mirum sit, quomodo ex ea ęgrotans potuerit euadere cum octuaginta dies eam occupauerit. At interdum contingit, vt quidam morbi etiam lethalissimi præter Medicorum spem feliciter terminentur, qui tamen iudicia artis nequaquam debilitant, quæ censenda sunt ex ijs, quæ vt plurimùm contingunt, non autem semper, aut necessariò. Præterea hoc etiam annotandũ est prauos huiusmodi humores criticè interdum excerni, quamvis rarissimè hoc contingat. Denique fœtidi vomitus, cum alijs prauis qualitatibus coniuncti, exemplum habemus in 3. *Epid. sect.* 2. *Aegr.* 12. Vbi mulier, quæ decũbebat in mendacium foro, die octaua, & nona vomuit exigua biliosa; vndecima vomuit virulenta biliosa; duodecima, & decimatertia vomuit multa, nigra, graueolentia; decimaquarta mortua est.

Vomitus sinceri, & impermixti in acutis febribus, mali. 20. Prorrhet.

Nam humor sincerus non solùm crudus est, sed etiam incoctilis, quippe qui excludat tum actum coctionis, tum potestatem. Hip. ἄκρητον vocat humorem omnem mixtionis expertem, vel omne excrementum feruidum, & crudum, quod suo fero dilutum non est. Cuius generatio vel partis alicuius vitio fit, vel feruore, & incendio febrilis exhausta aquosa, & serosa parte: ideòque in acuta febre magnum intus incendium latere ostendit, plerumq; à natura nostra inuincibile.

Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis, vel supernè, vel infernè exierit, lethale. Aph. 22. sect. 4.

Talis excretio lethalis est, vt signum, & vt causa. Nihil enim ineunte morbo salutariter potest excerni, malaque est cuiusvis humoris à corpore euacuatio, quæ fit ante coctionis signa. Indicium enim est, causam valdè mordere, aut grauare, aut omninò facultatem languere: cùm naturæ œconomia hoc modo conturbetur, quæ primùm concoquit, deinde secernit, ac separat inutilia ab vtilibus, postremo excernit. At cùm materia peccans, & hoc modo naturam conturbans deterrima est, lethaliter affici ægrotantem arbitrandum est. Verum si in progressu morbi atra bilis excernatur, poterit aliquando bona esse illius euacuatio, si nimirum concoctionis signa simul apparuerint.

Quibuscunque per morbos acutos vel diuturnos, aut vulnera, aut quemvis alium modum extenuatis, atra bilis, aut veluti sanguinis niger per inferiora subsederit, postridie moriuntur. Aph. 23. sect. 4.

Extenuatio magnam debilitatem significat; talis deiectio magnum morbum, qui ægrum valdè debilem citò interimit. Quando igitur ita extenuatis talis vacuatio contingit, significat naturam omninò prostratam humores illos amplius contingere, non posse, sed veluti, laxantis habenis, per inferiora demittere.

Deiectiones sinceræ in morbis acutis, pessimæ.

Sinceras deiectiones appellauit Hipp. (vt docet Galen. *in aph 6 sect.* 7) quæ impermixti sunt aquosæ humiditati, quando solus humor, qui euacuatur, deijcitur; siue sit biliosus siue melancholicus, siue porri colorem præferat, siue bilis, quæ eruginosa nominatur. Nam deiectiones huiusmodi exuštam esse omnem natiuam humiditatem à calore febrili demonstrant vnde maximum imminet vitæ periculum. Sic apud Hipp. 1. *Epid. Aegr.* 2. Sileno prima die biliosa, sincera spumosa laturata, multa prodierunt: quinta deiectiones sinceræ, biliosæ, læues, pingues, vndecima interijt. Eiusmodi etiam sinceræ deiectiones in Euryanactis filia, Pario Pythione, & alijs contigerunt, qui lethalibus morbis conflictabantur.

Pingues, & viscosæ deiectiones, lethales.

Pingues in acutis deiectiones fiunt, vt docet Gal. *comm. in text.* 22. *lib.* 2. *prorrh.* quoties pinguedo ab igneo calore absumitur. At vbi etiam viscosæ sunt; significant non solùm pinguedinem colliquari, sed etiam solidas corporis partes vnde necessariò contabescunt. At verò quia deiectiones pingues, & viscidæ interdum generantur ex alimentis inutilibus & lentis, tum etiam à pituita multo calore viscida reddita: ita inuicem distinguendæ sunt, vt nimirum, quæ ab alimentis aut pituita copiosores sint, & minimè fœtidæ: quæ verò à coliquatione, paucæ sunt, & graueolentes. Et graueolentia imprimis, vt Gal. docet, colliquationis indicium est. Hæ igitur pingues deiectiones magnum incendium significant, & certum exitium, si aliquod ex prauis indicis simul illuxerit, atque adeò si morbus magnus, vehemensque fuerit; veluti in mitiori morbo longitudinem pro exitio præmonstrabunt, cuiusmodi in eo, qui in Dealcis horto habitabat, Hipp. obseruauit, de quo ait sexto die deiectiones fuisse nigras, pingues, spumosas, viscosas, graueolentes, qui die tantùm quadragesimo fuit iudicatus. Verum hæ non à colliquatione partium solidarum factæ fuerunt; sed à pinguedine, & ab humoribus viscidis putrefactis, quandoquidem ex multę extiterunt. Quæ verò etiam solida partium substantia tabescente fiunt prorsus exitiales existunt, quales in Sileno obseruauit Hipp. & nos *in precedenti theoremate* notauimus.

Spumosę deiectiones in febribus acutis, malę.

Illæ enim, aut caloris incendium significant, quo excrementa feruescentia spumam contrahunt, vt in lebete præcopia caloris fit; aut flatuosum spiritum humori commixtum, vt videre est in spumis maris, incurrentibus ventis. Vtrumque autem malum est, quia illud calorem arguit colliquantem, hoc verò inæquale perturbationem. Peiores tamen sunt, quæ caloris incendium colliquans denotant, & cognoscun-

scuntur ex acuta febre, & ab excrementis calidioribus spumosis redditis, tum etiam quòd sincera spectentur. De his legitur 2. *Prorrhet. In biliosis sinceris q; deiectionibus spumosa efflorescentia, mala.* Quæ verò ex spiritus flatuosi commixtione fiunt malæ etiam fiunt, quia in excrementis cruditatem significant.

In morbis acutis, si ea, quæ assumunt, inalterata reijciatur, lethale est.

Huiusmodi lienteria abolitas in ventriculo functiones naturales ostendit, propter maxima caloris natiui exolutionem, quæ proximam mortem denuntiat: vt videre est apud Hippocr. *in 3. Epid. sect. 3. Aegr. 15.* in Dealcis vxore, cui accidit die decimaseptima ab aluo irritatio turbulenta, deindeipsæ potiones exibant; & vigesimaprima interijt.

Lumbrici. *In morborum principio vermes prodire, malum, tam viuos, quàm mortuos: potissimùm si soli, & sine stercore exeant.*

Viui enim summam eruditatem, aut alimenti penuriam significant, mortui verò magnam putredinem, à qua enecantur.

Lumbrici declinatione morbi cum excrementis exeuntes, & iam coctione apparente, bonum.

Ostenditur enim tunc naturam excrementis dominari, sitque sæpiùs post dysenteriam.

Quantitas. *Copiosior alui deiectio in quolibet morbo, mala. At si cum ventre subtumido, & crescente efferatur, pessima.*

Alui fluxus copiosior vires maximè resoluit, & naturam prosternit, vt *in 2. progn.* Hipp. habet. At si vniuersim, & sæpè deijciatur, periculum imminet animæ defectionis: quod etiam confirmat in *Coacis prænot.* his verbis *Liquida deiectio, & confertim, semelque effluens, & paulatim, mala: altera enim vigilias, & altera exsolutionem inuehit.* At verò si copiosa deiectio cum ventre tumido coniuncta sit, significat magnam caloris natiui exsolutionem, vnde cruditates, & flatus multi generantur, quibus venter intumescit.

Paucæ deiectiones, vel quæ statim vbi incœperint, sistuntur, malæ.

Omnes excretiones paucas inutiles esse, alibi demonstratum est, tùm quod ad morbi causam tollendam non sufficiant; tum etiam, quòd vel humorum multitudinem, vires opprimentem, vel earundem imbecillitatem significent. At si alui fluxus statim vbi incœperit, cohibeatur: significat prauos humores, qui per intestina ferebantur, aliò esse conuersos, vbi grauem noxam inferre possint. De his loquitur Hipp. *in 7. Epid.* his verbis *Ventres, etsi fortè humectati essent, statim maligno modo sistebantur.* Hinc non ab simili ratione diarrhœæ, & dysenteriæ, quæ subitò cohibentur, maximum vitæ periculum ægris afferre solent.

Qualitas. *Liquida deiectio, quæ cum morbo acuto incipit, & cum eodem perseuerat, mala.*

Significat enim magnam materiæ morbificæ copiam, vel malignam qualitatem, quæ naturam cœgit ad præcocem istam diarrhœam. Sic apud Hipp. 3. *Epid. sect. 2. Aegr. 8.* in adolescente, qui decumbebat in mendacium foro, cui prima die venter turbatus est biliosis, tenuibus multis: secunda deiectiones plures, intempestiuiores: septima mortuus est. Et *Aegr. 10. eiusdem sect.* Mulieris, quæ circa Pantimedem, prima die aluus turbata tenuibus, multis, crudis; secunda ab aluo multa: septima obijt: aluus semper humida deiectionibus multis, tenuibus, crudis.

Pleuritide, & peripneumonia correpto alui profluuium aduenies, malum. Aph. 16. sect. 6.

Cùm instrumenta respirationi inseruientia vehementer afficiuntur, hepar, & ventriculus in consensum trahuntur, eisque labefactatis contingit alui fluxus, qui ea ratione lethalis esse consueuit. Ideò, vt verum sit hoc prognosticum, pleuritis, aut peripneumonia debet esse grauissima. Quod innuit Hippocr. (docente Gal. *in comm. huius aphor.*) cùm non simpliciter dixit, in pleuritide, aut peripneumonia aluum turbatam esse, malum signum; sed adiecit, *correpto*, ac si dixerit detento, atque vexato hominiá talibus passionibus, profluuium alui superueniens, malum esse signum; quoniam ita se habentibus, profluuium alui solet aduenire, non potente hepate ad se trahere alimentum, neque conuertere in sanguinem, & quandoque ventriculo idem alimentum corrumpente. In mediocri autem pleuritide, aut peripneumonia profluuium alui superueniens prodesse potius ratione euacuationis, præcipue si morbus non sit grauis, & nullum timeatur ex eo periculum: tum etiam si concoctionis signa in sputis, & vrinis apparuerint. Interdum etiam in recenti pleuritide, & peripneumonia diuertitur materia antecedens ad intestina, & vtilem, salubremque alui fluxum producit.

Ophthalmia laborantem alui profluuio corripi, bonum Aph. 17. sect. 6.

Nam per huiusmodi alui fluxum fit reuulsio ad distantissima opposita, & à superioribus ad inferiora quæ omnium efficacissima, atque vtilissima est.

Alui excrementa liquida, quæ in progressu morbi sensim crassescunt, bona.

Omnis concoctio incrassando progreditur, & quæ concoquuntur, crassiora euadunt; ideò excrementa tenuia, seu liquida quæ sensim crassescunt, virtutem naturæ benè operantis significant.

Albæ deiectiones in morbis quibuslibet apparentes, malæ.

Vel enim albæ deiectiones fiunt ex cibis ingestis, vtpote pane puro, lacte, ptisana, alica, amygdalis aliisque (*vt Phlegmagogis*) aut vt Galen. docet *in 2. progn.* cùm bilis nullo modo peruenit ad intestina, idque, vel obstructo canale, per quem à vesica fellis ad intestina fertur, vt in ictero contingit; vel eadem sursum cum sanguine in caput inflammatum attracta: aut denique fiunt albæ deiectiones à colliquatione pinguedinis mollis, & recentis. At hæ paucæ, viscidæ & valdè fœtidæ existunt. Quocunque autem modo fiant, exceptis ijs, quæ à cibis albescunt, in acutis morbi non parum damnantur, omniumque maximè, quæ cerebro inflammato contingunt, de quibus Hippoc. *in prorrhet. In phreniticis alba deiectio, malum*, quandoquidem vniuersa bilis in cerebrum attrahitur. Propterea in biliosis febribus albæ deiectiones malæ etiam sunt, quia excrementa causæ morbificæ respondere debent; ideoque vel canalis obstructionem significat, quo bilis ad intestina deferri consueuit, quæ obstructio affectum plerumque etiam in non febrientibus lethalem facit, de quo Hipp. *in Coac. Regio morbo admodum fœdati, moriuntur, & his alba deiectio præcedit*: vel cerebri, aut connexæ tecoris partis superioris incendium, quod bilem vniuersam ad se proliciat. Denique albas paucas, viscidas, & malè olentes deiectiones malas esse, suprà ostendimus, quòd malignam colliquationem denotent.

Alui deiectiones vitellinæ virides, æruginosæ, liuidæ nigræ, variegatæ aut valde fœtidæ, malæ, 2. progn.

Hæ omnes deiectiones malæ sunt, propter easdem rationes, quas de simili vomitu suprà retulimus. Aliquando tamen possunt criticè, & vtiliter effundi, si antea signa concoctionis in vrinis apparuerint: vt videre est apud Hipp. *in 1. epid. sect. 1. aegr. 14.* Vbi Melidiæ, quæ decumbebat apud Iunonis templum, incæpit capitis & colli, & pectoris dolor fortis, statim autem febris acuta corripuit, sexta die comatosa, anxiosa, horrida, tubor in gena, parum delirauit: septima sudauit, febris defecit, dolores permanebant, redijt: somni parui, vrinæ vsque in finem bene coloratæ quidem, sed tenues. Deiectiones tenues, biliosæ, mordaces, valde paucæ, nigræ, fœtidæ prodierant, vrinis subsistentia alba læuis: sudauit, iudicata est perfectè vndecima.

Fluidæ alui excrementa cum dolore. & dysenteria, aut laboriosa, & frequenti deiectione mala. *Excernendi modus.*

Significant enim maximam humorum acrimoniam, quæ intestina vehementer vellicet, pungat, & cro-

erodat. Quod obseruauit Hipp. in 1. *epid.* in multis, qui ex febribus malignis interibant, de quibus ait: *alui turbatæ erant, bilioſis, paucis, meris, tenuibus, mordacibuſque, & frequenter deſidebant*: & paulò poſt: *quæ hos infeſtabant, & hæc erant: dyſenteriæ, teneſmi, lienteriæ, & fluxiones alui.* Quod etiam obſeruat in 3. *Epid. ſect.* 2. *ægr.* 6. in Euryanactis filia, cui die duodecima aluus turbata eſt bilioſis, paucis, & ſinceris, tenuibus, mordacibus, crebrò deſidebat, ex quo morbo interijt. Interdum tamen quidam morbi difficiles per dyſenteriam iudicantur, vt docuit Hipp. *aph.* 48. *ſect.* 6. *Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperueniens, bonum.* Quod ita intelligendum eſt, modò illa dyſenteria diuturna admodum non ſit, alioqui erit mala, iuxta *aph.* 43. *eiuſdem ſect. qui lienoſi difficultate inteſtinorum corripiuntur, ijs ſuperuenientem longam difficultatem inteſtinorum, aqua inter cutem, aut inteſtinorum læuitas excipit, & moriuntur.* Alij etiam morbi per fluxum diſentericum ſiniuntur, vt videre eſt in 1. *epid. ſect.* 2. *ægr.* 10. vbi Hipp. de Calzomenio ita ſcribit: *Circa diem trigeſimam primam fluxus alui multis aquoſis cum dyſentericis: & quadrageſima die à morbo liberatus.* Hæ autem deiectiones quando ſalutares ſunt, nulla pernicioſa ſigna cum ijs apparent, plerumque verò hæmorrhagia bona aut copioſus ſudor, aut aliquod aliud bonum ſignum ſimul contingit.

Liquida deiectio, quæ non ſentientibus efferri, valde mala.

Aut enim errorem mentis, & delirium ſignificat: aut caloris natiui exſolutionem, quam ſenſus abolitio conſequuta eſt.

Alui fluxus, qui cum facili tollerantia contingit, ex quo ęger leuamen aliquod percipit bonus.

Oſtendit enim naturam noxios humores excernere, vnde ſolutio morbi ſperanda eſt.

Vrina illa optima eſt, quæ in ſubſtantia eſt mediocris, quantitate aſſumptę potioni reſpondens, colore ſubrufo, aut ſubflauo, cum hypoſtaſi alba, lęui, & æquali, Gal. 1. de Criſ. cap. 12.

Vt omnia vrinæ vitia faciliùs innoteſcerent, decuit ab initio omnes bonæ vrinæ conditiones ſimul exponere, vt hoc theorema ſit veluti regula, ad quam ſequentia omnia reuocari queant. Vrina igitur laudabilis debet eſſe ſubſtantia, ſeu conſiſtentia mediocris, id eſt, media, inter tenuem, & craſſam; colore ſubrufo, aut ſubflauo, quia in multis vrinæ ſunt coloratiores, in alijs minùs coloratæ, & nihilominus optimè concoctæ, quod à diuerſis corporum diſpoſitionibus ſolet dependere, nimirum à temperamento hepati, & aliorum viſcerum præcipuarum, ætate, ſexu, victus ratione, & vitæ inſtituto. Corpora etenim calidiora coloratiores vrinas habent, & frigida pallidiores. Iuuenes vrinas habent pueris tenuiores, & coloratiores; pueri craſſiores: ſenes tenuiores, & minùs coloratas. Mulieres vrinas habent viris craſſiores, & minùs coloratas, cum multis contentis; & qui crapulis indulgent, mingunt vrinas cum multo ſedimento crudo; & qui media vſi ſunt, vigilijs, aut laboribus, habent vrinas coloratiores cum pauco ſedimento. Contrà qui in otio vitam agunt vrinas habent minùs coloratas cum multo ſedimento. In temperatis verò corporibus vrina optima erit, vt docet Gal. colore modicè croceo, ad quam reliquæ differentiæ quò magis accedunt, eò meliores cenſendæ ſunt. Sufficit tamen in morbis, ad ſalutem prædicendam, vt vrina maximè accedat ad eas conditiones, quas habere ſolebat, dum æger optima fruebatur valetudine. Ideò optimum eſſet, illius vrinam, dum bene valebat, ſæpe conſpexiſſe, vt quantum à ſtatu naturali receſſerit, facile dignoſci queat. Sedimentum denique, ſeu hypoſtaſis eſſe debet alba, læuis, & æqualis, quod confirmat Hipp. 2. *progn. tex.* 26. additque huiuſmodi hypoſtaſin debere conſiſtere per omne tempus, donec morbus iudicetur: ſi enim intermittat, & interdum vrina ſedimenti expers effundatur, morbus diuturnior futurus eſt, ac minùs ſecurus. Hic verò *annotandum* eſt, Hippocratem *loc. cit.* ſolam hypoſtaſin attendere, qua concoctio denotatur, non autem conſiſtentiam, aut colorem, quia illa, vt antea dictum eſt, maximè variant in varijs indiuiduis: tum etiam quia vrina optimum habens ſedimentum, & optimum colorem, & ſubſtantiam mediocrem habeat, neceſſe eſt. Illud igitur ſedimentum, quod in fundo matulæ reſidet, album, læue, & æquale, puri optimè concocto ſimile eſt perfectæ concoctionis indicium. Enaorema verò, ſiue ſuſpenſum, ſeu ſublimamentum, quod in medio matulæ ſuſpenditur, minus bonum cenſendum eſt, & imperfectiorem concoctionem ſignificat. Nebula verò, quæ in ſummo vrinæ innatat, adhuc minùs bona eſt. Quanquam, vt docet Gal. in 3. *epid.* aliquando bonum enæorema, & aliquando bona nebula ſat ſit, ad ſalutem prædicendam, quod diſerte expreſſit Hipp. *aph.* 71. *ſect.* 4. *Quibus ſeptimo die fit criſis, ijs nebecula rubea quarto die in vrina apparet, & alia ex ratione.* At verò, inquit, Gal. in *comm.* non ſolùm rubra aliqua nubes apparens, antea non viſa, iudicationem ſignificat, ſed & alba multò magis, quàm ipſa; adhuc autem magis & enæorema album, ę qualè atque conſiſtens.

Vrinæ tenues cum bono colore in morbis acutis, ſalutares. *Vrinæ liquor eiuſque qualitas.*

De his loquitur Galen. *comm. in epid.* his verbis: *planum ergo eſt, tenues, ſed boni coloris, vrinas coloris bonitate promittere ſalutē; quatenus verò erant tenues, hactenus tempus requirebant concoctionis.* Hę quidem vrinæ ſalutem prænunciant, ſed longiori tempore futuram: quod obſeruauit Hipp. in 1. *Epid. ſect.* 1. *ægr.* 6. qui Cleonactides appellatur. Huic die ſexageſima vrinæ tenues quidem, at boni coloris apparuerunt: Octuageſima perfectè iudicatus eſt. Item *ægr.* 20. *eiuſdem ſect.* Clazomenio ab initio vſque ad decimam ſextam vrinæ erant tenues quidem, at boni coloris, & multum habebant enæorema diſperſum, non ſubſidebant, & quadrageſima liberatus eſt. Ita & 3. *epid. ſect. Ægr.* 5. Clarioni vſque in finem vrinæ erant tenues, boni coloris; enæorema nebuloſum habentes; & die vigeſima perfectè iudicatus eſt.

Vrinæ tenues, albæ, & aquoſæ in morbo difficili exitioſæ.

Vel enim huiuſmodi vrinæ ſignificant bilioſum humorem ſurſum in caput ferri, vnde phrenitis, & delirium exoritur, de quibus Hippocr. *aph* 72 *ſect.* 4. *Quibus vrinæ, albæ; perſpicuæ malæ, præſertim ſi in phreniticis appareant* Galen. verò *in comm.* dicit, ſe nullum phreniticum ſeruatum vidiſſe, in quo talis vrina apparuiſſet. Vel ſignificant ſummam cruditatem, quæ aut mortem, aut morbi longitudinem portendit, longo enim tempore natura indiget ad illam ſummam cruditatem tollendam; idcircò ſi febris non admodum ſit vehemens, & acuta, & vires validę ſint, aliquando ſalus, longo tamen tempore ſuccedit. In vehementi verò morbo cum viribus prælanguidis prorſus exitiales exiſtunt. At multò certiùs perniciem denotant quæ poſt principium incœperunt, & diu perſeuerant, quales fuerunt, quæ in muliere apud frigidam aquam decumbente apparuerunt; nam vndecima die habuit vrinas tenues aquoſas, quæ tales vſque ad diem quadrageſimam perſeuerarunt. Si verò poſt criſin peractam diu talis vrina reddatur, recidiuæ certiſſimum eſt ſignum. In alijs denique morbis, vt febribus intermittendis, aut mitioribus, & diuturnis, vrina tenuis deſignat magnas lienis, hepatis, meſenterij, & ſimilium partium obſtructiones, per quas vrina veluti percolata tenuitatem iſtam adipiſcitur.

Quibus vrinę craſſæ grumoſæ, paucæ, non ſine febre; multitudo veniens ex his tenuis iuuat: maxime vero tales veniunt, quibus ab initio, vel celeriter ſedimentum ineſt. Aphor. 69. ſect. 4.

Per *craſſas* vrinas oportet intelligere eas, quæ ſunt valdè tales, quæue ſemper ſunt perturbatæ: per *grumoſas*, quæ multos continent grumos. Tales vrinæ fiunt incipientibus febribus pituitoſis, nam craſſities fit ex multitudine craſſorum humorum: grumi fiunt fruſtulis quibuſdam pituitæ calore febris exſiccatis.

ſiccatis. Hæ tunc temporis *paucæ* fiunt; quia natura eſt conuerſa ad retinendum: cùm verò iam coctus eſt humor, vrina apparet facta tenuior, ceſſante videlicet perturbatione; & multa excernitur, natura conuerſa ad euacuandum; & quò copioſius prodit, eò plus iuuat, ſicut in omnibus criticis euacuationibus. Ergo hoc loco *tenuis vrina* dicitur, nòn quę reuera talis eſt, ea enim non iuuat; ſed quæ turbationem concoctione depoſuit: hæ maximè fiunt in pituitoſis febribus, in quibus etiam ſolent vrinæ in principio habere ſedimentum quoddam fallax, quod non fit concoctione, ſed deſcendentibus ſuccis crudis.

Quæ vrina craſſa, turbida, & confuſa mejtur, deinde per ſeipſam clara euadit, & limpida, bona.

Oſtendit enim victoriam naturæ heterogenea ſecernentis, & quod ſibi noxium eſt, expellentis: idque magis, ſi poſt huiuſmodi ſeparationem craſſior pars in fundo ſubſideat alba, læuis, & æqualis.

Vrina, quæ clara mejtur primum, deinde verò poſt aliquod tempus conturbatur, bona.

Significat enim naturam iam inchoaſſe concoctionem, & illius inſigne rudimentum edidiſſe.

Vrina craſsa, turbida, taliſque permanens, vt ignis appoſita clareſcere, non poſſit mala.

Talis enim vrina, vt docet Gal. *in aph.* 70. *ſect.* 4. ſi vires affuerint, longum fere morbum oſtendit, ſi imbecillitas adſit, ægri mortem prænuntiat. Fit enim & multitudine crudorum, & craſſorum humorum quos multi flatus ijs permixti, conturbant, & exagitant: atque ſi vires ſint debiles, periculum eſt, ne ab huiuſmodi humorum copia ſuffocentur. Si verò validiores ſint, longo indigent tempore, quo materia illa concoquatur, & edometur. Huius vrinæ exemplum habetur apud Hipp. 1. *Epid. ſect.* 3. *ægr.* 4. in vxore Philini, quæ die vndecima vrinam reddidit cum conuulſionibus affati multam, illis rarò admonentibus craſſam, albam, qualis ſit in ſubſidentibus, quando ſepoſitæ multò tempore turbantur, non ſubſidebat, color, & craſſities qualis iumentorum, vigeſima interit. Item *Aegr.* 11. *eiuſdem ſectionis*, in Dromeadæ coniuge ſecunda die vrinæ erant craſſæ, albæ, turbidæ; quales fiunt ex ſubſidentiam habentibus, quando conturbantur ſepoſitæ multo tempore, non ſubſidebant ſexta die interijt. Ita & in Hermocrate, & in eo, qui caleſcens cœnauit, & potauit largiùs, eædem vrinæ turbidæ non reſidentes fuerunt obſeruatæ.

Vrinę, quę turbidæ, minguntur, & tales permanent cum fœtore inſigni, peſſimę.

Gangrænam enim in veſica, aut partibus vicinis ſignificant.

Vrina rubra vel rufa, & tenus, tali diu perſeuerans, mala.

Significat enim magnum caloris incendium, & inflammatoriam quandam diſpoſitionem in hepate, aut ventriculo, aut ſepto tranſuerſo reſidere, à qua nulla concoctio, ſed aduſtio potiùs in humores introducatur. Ideoque talis vrina diutiùs perſeuerans cum virium imbecillitate, mortem: cum robore verò illarum, morbi longitudinem, vel abſceſſum in partibus inferioribus prænuntiat.

Nigræ vrinæ in morbo acuto apparentes, perniciosæ.

Significant enim inſignem humorum torrefactionem, quæ in atræ bilis naturam eos degenerare faciat, vnde lethales affectus producuntur, quemadmodum videre eſt in Philiſco, 1. *Epid. ſect.* 3. *Aegr.* 1. qui tertia, & quinta die nigra minxit, ſexta verò obijt. Item in Eraſmo. *Aegr.* 8. *eiuſdem ſect.* qui quinta die obijt: *Huic*, inquit Hipp. *febres per totum, cum ſudore hypochondria eleuata, contento cum dolore: vrinæ autem nigræ habentes enæoremata rotunda, non ſubſidebant.* Item in Phytione, 3. *Epid. ſect.* 3. *Aegr.* 3. in quo prima, & quarta die vrinæ nigræ notantur, & decima extinctus eſt. At verò ſi vrinæ nigræ tenues etiam exiterint, deteriores cenſendæ ſunt, quia maiorem cruditatem ſignificant. Hinc Hippoc. *in* 1. *Epid.* tenues, nigras, & paucas vrinas, quæ in principio febrium ardentium apparebant, vnum ex ſignis fuiſſe, quæ annunciare ſolebant, quibus exitium impenderet. At verò ſiue multa, ſiue paucæ exierint vrinæ, tenues, & nigræ, perpetuò lethales ſunt. Tum etiam quæ cum initio nigræ apparuerint, poſteà in tenues, & aquoſas mutantur: quod confirmatur hiſtoria Sileni, in 1. *Epid.* in quo vrinæ vſque ad quartum diem nigræ cùm fuerint, quinta tenues, & tranſparentes exire incœperunt, Et *hiſt.* 2. *ſect.* 3. *lib.* 3. mulieris, quę propè frigidam aquam decumbebat, quæque octuageſima die interijt. Huic die vndecima *vrinæ erant multæ, tenues, & nigræ*, vigeſima verò *vrinæ aquoſæ multæ*. Quod Galen. *in comm.* annotauit, videlicet vrinas nigras in aquoſas verſas, eſſe lethales. Denique peſſimè omnium ſunt nigræ cum nigro ſedimento, de quibus Gal. 1. *de Criſ. cap.* 12. ita habet: *Peſſima igitur eſt tota vrina denigrata, adeò, vt neminem vnquam ſeruatum viderim ex vs, qui talem vrinam minxerunt. Minus verò pernicioſa, ſi ſolum id quod ſubſidet nigrum fuerit, atque adhuc minùs, ſi ſolùm, id quod in medio iacet. & multò minùs etiam ſi nebula.* Aduertendum tamen diligenter eſt, nigras vrinas non eſſe perpetuò malas. *V. Zacut.* Nam *primò*, in melancholicis tales poſſunt critica excerni, quemadmodum Gal. *comm. in* 3. *epid. ſect* 3. *text.* 74. dicit, ſe nouiſſe quandam mulierem, quæ his vrinis, magna copia euacuatis, plurimùm fuit iuuata. *Secundo*, in lienoſis vrinæ nigræ ſalutariter excerni poſſunt, quando nimirum lien ſe per illam regionem exonerat; quemadmodum Herophonti contingit, in 1. *Epid. ſect. ægr.* 3. cui febre acuta detento, ab initio vſque ad quintam diem vrinæ fuerunt nigræ, & tenues, quinta lien intumuit, octaua lien imminutus eſt, vrinæ coloratiores, ſubſidentiam habebant paucam, decima ſeptima iudicatus eſt. *Tertio*, cum hæmorrhagia coniunctæ huiuſmodi vrinæ minimè periculoſæ ſunt, quia tenuior, & calidior pars ſanguinis, ex quà periculum impendebat, per hæmorrhagium vacuatur, vt videre eſt in 1. *Epid. ſect.* 3. *Aegr.* 7. vbi Metoni magna febre correpto, quarta die fluxit è dextra nares ſanguis, bis, parum, vrinas ſubnigras habuit, enæorema ſubnigrum exiſtens, diſperſum, non ſubſidebat, quinta fluxit largiùs ex ſiniſtra ſincerum, ſudauit; iudicatus eſt: poſt criſin vigil, obloquebatur, vrinæ tenues, ſubnigræ, dormiuit, reſipuit, huic non rediit, ſed ſanguis ſæpè, & poſt criſin. *Quartò* denique ex ſuppreſſionem menſium vrinæ nigræ apparentes, copioſo eorundem menſium fluxu ſuperueniente, morbi ſolutio fit: vt videre eſt, in *Epid. ſect.* 3. *ægr.* 11. vbi mulier morioſa, quæ tertia die iudicata eſt, vrinas tenuas, & nigras emittebat, circa iudicationem verò muliebria multa deſcendebant.

Vrinæ multæ, & concoctæ, decretorio die apparentes bonæ.

Significant enim materiam morbificam deuictam eſſe à natura, & conuenienter expelli per loca conſentanea. Tales vrinæ in Nicodemo obſeruat Hippocr. de quo ait: *Die vigeſimo quarto multam vrinam & albam reddidi, in qua multa ſubſidebant, & cum ſudore fuit iudicatus.* Et de Pericle ait idem Hippocr. *Tertio febris emollita fuit vrinæ multę concoctæ, in quibus multa ſubſidebant.* Tum etiam Chærionem ait multis vrinis biliosis fuiſſe ſeruatum.

Vrinæ multæ, tenues, æquoſæ, ſine contentis, nihil iuuantes malæ.

Sequuntur enim humoris excrementitij, & crudi multitudinem, vt renum calidiorem intemperiem, quæ exſtimatur diabetem parere, aut totius corporis colliquationem, vnde ſumma caloris natiui exſolutio conſequitur. Sic 3. *Epid. ſect.* 2. *ægr.* 12. mulier, quæ in mendacium foro decumbebat, octaua die multam vrinam ſine fructu reddidit, decimaquarta mortua eſt.

Vrinæ, paucæ, & tenues, & aſſumpto potui non reſpondentes, quolibet in morbo, malæ.

Vel enim ſignificant ſecretricis, & excretricis facultatis imbecillitatem, vel calorem intenſum, hu-

mi-

miditates corporis exurentem, quales apparuerunt in vxore Dromeadæ, & in adolescente Melibœæ, & in Euryanactis filia, & in illa Muliere, quæ apud Tisamenum, & in ea, quæ Pantimedem decumbebat, qui omnes ægroti vrinas paucas, & tenues emittebant, & paulò post obierunt.

Vrinæ subsistentes in morbis acutis, pernicioſæ.

Fit enim vrinæ suppressio in acutis vt Galen. docet *comm. in 3. epid.* vel ab igneo calore serum sanguinis protsus absumente, vel ab extinctione functionum naturalium, vt Sileno contigit, cui sexto die vrinæ restiterunt, atque die septimo nihil minxit, vndecimo interijt. Item in muliere Cyzici anginosa, apud Bitonem agente, atque adolescentæ Melibœæ, paulò ante interitum, vrinæ restiterunt. At deterrima etiam est vrinæ suppressio, quæ rigorem consequitur, vt docet Hipp. 1. *Coac. sect. 2. aph. 5. Ex frigore*, inquit, *pestifera est vrinæ suppressio, quæ rigorem præcedit*: quandoquidem signum est euacuationis criticæ, quæ præsertim per sudorem futura est. Ita contrà, cum rigorem subsequitur, pessima omninò est quia significat destructam omninò fuisse vesicæ actionem, & calorē illius extinctum ab illa perfrigeratione.

Vrinæ, quæ nullum, aut sedimentum, aut enæorema, aut nubeculam habent, malæ.

Illæ vrinæ, contentis carentes, malæ sunt, si id non dependeat ab inedia, laboribus, aut vigilijs, aut nephritica rerum dispositione; aut corpora non fuerint admodum biliosa. Significant enim magnam humorū cruditatem, aut corruptionem, aut viscerum debilitatē, aut inflāmationem, aut obstructiones vehementes.

Vrinæ paucam subsidentiam habentes, malæ.

Minus quidem malæ sunt, quam, quæ contentis omninò carent quandoquidem fiunt quidem ab ijsdem causis, sed paulò minoribus. De his loquitur Hipp. *in 1. Epid. vrinæ tenues, & incoctæ decolores paucæ, aut crassitiem habentes, & paruam subsidentiam, malæ.*

Farinacea in vrinis sedimenta mala; his sunt deteriora lamineæ, his autem sunt deteriora furfuracea, Hipp. 2. progn.

Huiusmodi sedimenta secundùm Gal. 1. *de Crisib. cap.* 12. fiunt à calore immenso, liquante, & exurente pinguedinem, & ipsam carnis substantiam. Vbi autem calor aduren agit in partes solidas, primum pinguedinem molliorem, & recenter concretam aggreditur, mox solidiorem: & vbi omnis pinguedo est colliquata & consumpta, tum aggreditur primò carnē teneriorem & recenter concretam, postremò carnem solidiorem, & tandem partes solidas. Ex pinguedine itaque recenti, ab ingenti febris calore colliquata, vrinæ fiunt oleaginæ. Ex pinguedine verò solidiori colliquata nec non à carnibus inæqualiter liquatis; aut ex assato sanguine crasso, vt docet Gal. *in comm. huius prognostici* fiunt farinaceæ. Ex solidis denique inæqualiter eliquatis fiunt lamineæ, tum etiam furfuraceæ calore intensiùs aduretē. Vnde facilè videre est, sedimenta lamineæ esse farinacis deteriora, furfurea verò lamineis. Quantum verò pernicioſa sint illa sedimenta satis liquebit ex Gal. iudicio de farinaceo, reliquis minùs malo, quod ab eo prolatum est *comm. in Aph. 31. sect. 7.* vbi sic habet *Tales vrinę exitiales sunt, sicuti etiam in prognostico dictum est, & plurimi morte præripiuntur, antequam ægritudo diutius protrahatur; & quicumque ex ipsis sunt liberati, ijs omnibus in longum producta est ægritudo, cùm dispositio multam requireret coctionem, in qua talis vrina mingitur.* Ita Hipp. *in epid. ægr. 2.* inquit: *Minxit affatim crassum erat, quod subsiderat, sedimentum instar farinæ crassioris album, extrema rursus frigida, vndecima mortuus est.* At in 3. *epid. sect. 1. ægr. 5.* de eo, qui in Deacris horto decumbebat, *vrinæ*, inquit, *tenues, variæ, habentes sublimamenta varia instar farinæ crassioris*: hunc autem dicit quadragesimo die fuisse iudicatum. Liquet igitur ex his exemplis quod quicunque mingunt vrinam similem farinæ crassiori, si saluari debeant, tardè liberentur; quicunque verò exitialiter se habent, contingat hos quam citò interire. Vrinæ farinaceæ sunt quando hypostasis apparet in fundo vrinæ instar puris, & sunt valde exitiales, vt ego expertus sum.

Sedimentum in vrinis diuulsum, & inæquale, malū.

Cruditatem enim significat, quæ si in eodem statu perseuerat, neque sedimentum in progressu morbi ad melius mutetur, ostendit naturam non posse materiam morbificam superare, si verò corrigatur in dies; solutionis spes est, sed tardiùs accessuræ.

Sedimentum tenue, initio morbi apparens, & in dies ensim crassescens, bonum.

Significat enim naturam ab initio coctionem aggredi, eamque in diem vlterius perficere.

Sedimentum crassum in quouis morbi tempore apparens, malum.

Fiunt illa sedimenta à crassis, & crudis humoribus, qui cum vrina permixti, ab eiusdem liquore separantur, & grauitate sua matulæ fundum petunt. Cùm igitur crassi illi humores, & crudi difficilè admodum à natura vincantur, ideò periculum minantur, præcipuè quando vires sunt debiles. Si verò cum virium robore appareant, saltem morbi longitudinem significant. Possunt autem huiusmodi humores crudi, & crassi, matulæ fundum petentes iunioribus Medicis imponere, vt pro vera, & laudabili hypostasi accipiantur: ab illa igitur exactè distinguendi sunt. Ac *primùm* humores illi crudi plerumque in principio morbi apparere solent; bona verò hypostasis nonnisi in statu aut declinatione. Et contingit plerumque, vt post principium morbi, attenuato illo humore crudo, nullum amplius appareat in fundo sedimentum, sed illius loco, aut nebula, aut enæorema, quod progrediente concoctione à superioribus matulæ partibus ad inferiores in dies prolabitur, quæ est vera ratio bonæ concoctionis, vt scilicet ex nebula fiat enæorema & ex enęoremate sedimentum. At contra quando ex sedimento fit nebula aut enæorema sedimentum illud non erat laudabile, sed crudus humor, & crassus, qui postea concoctione attenuatus est. *Secundo*, crudus humor sibi ipsi non cohæret, neque omninò læuis & æqualis est, sed viscidus, & nimis crassus. At laudabile sedimentum leue, & æquale est, & moderatè crassum. *Denique* crudus humor grauior est, & in matulæ fundo omninò subsidet. At bona hypostasis non residet, sed potiùs subsidet in fundo, ab eoque tantillum subleuatur, & globosam quodammodo figuram obtinet, quod non facit humor crudus, qui magis diffusus est. Cùm quis morbo defunctus videtur, vrinas tamen reddit decolores, cum sedimento valde albo instar niuis, ex recidiua moritur, vt obseruauit ter aut quater D. Pachecus.

Vrinę sedimenta liuida, aut nigra, pessima.

Idque propter rationes, quæ in vrinæ liquore nigro fuerunt propositæ.

Enęorema diuulsum, inęquale, aut nigrum malum.

Sedimentum hisce conditionibus præditum, malum esse supra ostensum est; reliqua verò contenta propter easdem rationes etiam mala sunt, sed minùs mala, quam sedimentum.

Nubecula, iuxta vrinę superficiem, circuli modo euecta in morbis pessima.

Instantem enim phrenitidem, & ex ea mortem significat.

Vrina oleosa, & cui pinguia aranearum telis similia innatant, mala, Hipp. 2. progn.

Significat enim calorem immensum, pinguedinem colliquantem, quæ est in renibus, aut in toto corpore. Quomodo autem distinguatur an huiusmodi colliquatio procedat à renibus, an verò à toto corpore, docuit Hipp. *Aph. 35 sect. 7.* his verbis *quibus autem summum est pingue, & confertum, his renum malum acutum significatur.* Per *acutum malum* calidam intemperiem significat, quæ facit mictum aceruatum pinguedinis, quia adiacet renibus multa aceruataque pinguedo, & est ab eo loco breuis expeditaque via exitus vrinæ et quod liquatum est minus vijs noceat. Itaque si aceruatim excernitur pingue, est malo acuto renum sed si non aceruatim, sed tales aranearum similia exeant, ex consumptione cōmuni est Huiusmodi vrinę oleosę exemplum habetur apud Hip. *ep. ægr.*

11. in Dromeadæ coniuge, in qua quarta die vrinæ apparuerunt tenues, oleosæ: quinta vrinæ similes, sexta verò interijt. Ita & 3. *Epid. sect.* 3. *ægr.* 1. in filio Parionis, qui septima die minxit oleosum, centesima vigesima mortuus est, & in eo sine dubio tales vrinæ diù perseueratunt, quod videtur innuere. Hippoc. his verbis: *vrinæ vsque in finem malæ*. Ita & *ægr.* 16. *eiusd. sect.* Melibœę adolescens ab initio morbi minxit oleosum, vigesimaquarta interijt. Quamuis autem huiusmodi vrinæ oleosæ pessimæ sint; tamen farinaceæ lamineæ, & furfuraceæ adhuc multò deteriores sunt vt supra ostensum est.

Vrinæ, quæ insciis ægrotis, & non recordantibus minguntur, pessimæ.

Hæc sententia habetur apud Hipp. *in* 1. *prorrhet. tex.* 28. his verbis: *vrinæ excretio in non recordantibus pernicioſa*: Denotat namque aut cerebrum valde læsum, & ingenti delirio ægrotantem affici, aut extinctum esse partium naturalium robur, vt functiones suas amplius exercere nequeat.

Vrinæ in febribus malignis, atque pestilentibus, substantia, colore, & contentis vrinæ sanorum similes, exitiosæ

Hoc innuere videtur Hippoc. in *Coacis*, dum ait: *vrinæ de repente, & extra rationem coctæ prauæ, & qui quid in vrinis præter rationem coctum, pessimum.* Morbi autem maligni, & pestilentes à venenata quadam qualitate producuntur, quæ ipsi cordi, & spiritibus bellum peculiariter indixit, quorũ integritas subitò destrui potest ab hoste illo potentissimo, quantumcumque bene se habeat reliqua naturalis œconomia. Vel etiam huiusmodi vrinæ, apparenter laudabiles in morbis acutis, & prauis symptomatis stipatis, ostendunt bilem, qua aliàs colorantur, aut cerebrum, aut aliquod aliud viscus inuasisse, nihilque succorum noxiorum cum vrinis excerni, quod summè pernicioſum est. Vid. Tom. 2. Op. Horst.

Ne te decipiat, si vesica, vel renes, morbum habentes, vitiosas vrinas reddiderint, non enim totius corporis signum est sed tantum illarũ partiũ. Hip. 2. prog.

Hoc inde dignoscitur, quia si vrina prauis contentis referta, & bene cocta fuerit; constat ex malo peculiari renum, aut vesicæ esse, nam si ex febre vrente esset, vrina non esset bene cocta. Hoc innuit Hipp. *Aphor. sect.* 4. *Quibus cum vrina crassa caruncula parua, aut veluti capilli vna exeunt, ijs a renibus excernitur.* Et *Aph.* 77. *eiusd. sect. Quibus cum vrina crassa furfurea quædam simul exeunt, ijs vesica scabie laborat*: In his Aphorismis vrinam bene coctam appellat Hipp. *crassam*, vt testatur Galen. *in comm.* quod est peculiare indicium, contenta illa à renibus, aut vesica prouenire.

Sudores, qui cùm manifestæ concoctionis signis die critico, & rigore præcedente, ex toto corpore calidi copiosi, stillantes, & cum vapore erumpunt. & quibus febris, vel perfectè soluitur, vel ad modum imminuitur, boni.

Libuit omnes boni sudoris conditiones hic simul congerere, tùm vt ille facilius internosci queat, tùm vt omnes mali sudoris, differentiæ, ad hanc veluti regulam collatæ melius innotescant. Sex igitur *conditiones* requiruntur, vt sudor aliquis bonus dici mereatur, quarum *prima* est ex Galen. 1. *de Crisi. cap.* 2. quòd ante sudoris eruptionem concoctionis signa debeant apparere. *Coctiones* enim, vt inquit Hip. 1. *epid. crisis celeritatem, salutisque securitatem significant. Cruda verò, & incocta, & in malos abscessus conuersa, dolores longitudinem, ac crisias, mortem, vel recidiuas. Secunda* conditio est, vt boni sudores dies critico erumpant, quod testatur Hipp. *Aph.* 36. *sect.* 4. qui sic habet: *Sudores febricitantibus si incæperint. boni, & tertio die, & quinto, & septimo & nono, & vndecimo, & decimo quarto, & decimoseptimo, & vigesimo, & vigesimoprimo, & vigesimoseptimo & trigesimoprimo, & trigesimoquarto. Hi enim sudores iudicant morbos: qui verò non ita fiunt laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam.* Notandum obiter in hunc Aphorismum, quòd Gal. *in comment.* anxiè inquirit, cur quartus dies in eo omissus sit, cùm tamen sit primus iudicatorius? *Resp.* verò, hunc diem, vel esse prætermissum ab ipso Hipp. vel ab eo qui primus librum transcripsit. *Si autem*, inquit, *omnino Hipp. illum præterijt, hanc ob causam existimo, illum fecisse, quoniam morbi plurimi peracuti, qui cum sudore iudicantur, tertio, & quinto die magis, quàm quarto iudicium suscipiunt. Karioles enim sunt, qui die quarto iudicantur. & hoc à me fuit inuentum per experientiam. ob hoc ipsum plurimùm quærente, cur dies quartus fuerat ab Hipp. in Aph. prætermissus*, Hoc deinde dicit accidere, *quoniam morbi peracuti diebus imparibus mouentur, & crises ijsdem diebus solent accidere, quibus morbi exacerbantur*: atque ita tertio, vel quinto die potius crisis contingit, quàm quarto, quia morbi, qui diebus paribus mouentur, tardiùs solent iudicari. *Tertia* conditio est, quod boni sudores criticum aliquem rigorem sequantur; natura siquidem cum è venis tenues acutosque humores detrudit, & in ambitum corporis propellit, vellicatis partibus sensibilibus, quas illi humores prætergrediuntur, rigorem concinat, cum extremarum partium refrigeratione: rigorem verò, & refrigerationem, si natura robusta satis fuerit, calore foras erumpente, febris acuta, & magna consequitur, cuius calore humores extenuati in sudorem copiosum resoluuntur: vnde Hipp. *Aph.* 58. *sect.* 4. *febre ardente laborantibus rigore supernemente, solutio fit.* Ita & 3. *epid sect.* 2. *ægr.* 5. loquens de Chærione ait *decima septima superriguit, febris acuta, sudauit, sine febre iudicatus est. Quarta* conditio est, vt sudores copiosi sint, & calidi, atque ex toto corpore prorumpant. Tunc enim facultatem robustam denotant, cum æquè per omnes partes corporis ea calorem diffundit, ipsosque superfluos humores in sudorem digerit, & æquè per omnes partes resoluit; quod ei quidem prælanguidæ non succedit, aut cùm maligno morbo laborat. Sudores enim tunc inæqualiter vacuantur, in quibusdam partibus plus, in quibusdam parùm, vel nihil. Multa talis sudoris exempla proposuit Hipp. in *epid.* vt in Pericle, de quo ait: *quarta circa meridiem sudor prorupit toto corpore multus, & calidus, sine febre, iudicatus est neque redit.* Et de Nicodemo: *sudor ei toto corpore copiosè calidus emanauit sine febre, iudicatus est*. Et de muliere morosa: *sub hanc noctem sudor multus toto corpore, & calidus prorupit, liberata febre, dormiuit*. Et de Virgine Larissæa: *Inhorruit, & mox sudauit toto corpore multum, & calidum, sine febre, est iudicata. Quinta* conditio est, vt sudor stillans effluat, & cum vapore, quemadmodum proposuit Hipp. 1. *progn. c.* 8. Illa autem ostendit naturam prauis humoribus dominari, eosque valdè ad superficiem expellere. *Sexta & vltima* conditio est, vt ex eo sudore morbus tollatur, aut admodum minuatur. Ideò Hipp. in *epid.* optimos sudores proponens, qui morbos integrè sustulerint, sæpius dixit, *febre lib.* aut *febris cessauit*, aut *sine febre, iudicatus est*. Eos verò, quibus morbus tantum minutus est, proposuit in historia illius, qui in Dealcis horto decumbebat de quo ait: *decimo septimo extrema frigida cooperiebatur, acuta febris, toto corpore sudauit. alleuatus est, meliùs sapiebat, non tamen febre liber & vigesimo dormiuit, plane mente constabat, sudauit, liber erat à febre non sitiebat, quæ postea recijt. Et non nisi die quadragesimo cum alui sub cerebra pituitosaque deiectione, cum multo sudore ex toto corpore absolutè est iudicatus.*

Sudor multus in febre acuta apparens, eamque non imminuens malus. *Quantitas.*

Ostendit enim humorum multitudinem quàm natura difficilè superare queat, & nonnisi longo tempore, quod in morbis acutis non conceditur; ideò periculum est, ne natura succumbat; antequam coctionem perficere possit. Vnde Hipp. *Aph.* 42. *sect.* 4. *Sudor multus calidus, vel frigidus, semper fluens, frigidus, grauiorem. calidus minorem morbum significat.* Quia vt inquit Gal. in *comm.* vterque copiam humorum significat, quippe frigidus frigidorum, qui est peior: calidus calidorum, qui priore minus est periculosus. Hi autem neque febrem soluunt, neque imminuunt, crudoque morbo erumpunt; ideò longitudinem saltem, recidiuas, atque laborem significant.

Sudo-

Sudores assidui, siue modici illi sint, siue copiosi, in febre acuta, mali.

Significant enim naturæ imbecillitatem, quæ non possit humores retinere, donec per concoctionem ad excretionem præparati fuerint. Ideò qui continenter sudant, sed modicè, si euaserint; diu saltem ægrotare solent. Ac si crebro magnam sudoris copiam profundant, palam est, non multo post eorum virtutem resolutam iri. Adde quod sudores, quicumque per plures dies perseuerant, symptomatici sint, quia critici intra vnum diem absoluuntur.

Sudatiuncula omnis præcipue quæ circa caput, & ceruicem apparet, mala.

Contingit enim plerumque hæc sudatiuncula, quam ἐφιδρωσιν Hipp. nominat, ob magnam virium imbecillitatem, quæ humores circa cutem existentes continere nequit: vt videre est in syncope, vbi sudor exiguus circa caput, collum, aut pectus emanat; aut etiam in moribundis talis sudor sæpenumerò contingit, qui *diaphoreticus* vulgò solet nominari. Sic apud Hipp. 1. *epid. sect.* 1. *agr.* 1. Silenus circa caput modicum sudauit: vndecima interijt. Ita & 3. *epid. sect.* 2 *agr.* 11. Mulier, quia post abortum febre magna tenebatur, quarta die sudauit circa caput exiguo frigido: septima interijt.

Sudor, qui cùm cœperit erumpere; statim desinit malus.

Significat enim naturam excretionem moliri, & præ imbecillitate non posse opus absoluere.

Sudatiunculæ, & rigoris crebra vicissitudo, funesta, 1. *Coac. Aph.* 10.

Dicit Hippoc. hanc sudatiunculam, cum rigore frequenti, empyema significare. Et certè humores in vasis contenti hæc non possunt producere, quandoquidem tùm sudatiuncula in capite tantùm, & thorace solet apparere: sed ex concepto empyemate fit vellicatio partium thoracicarum à puris acrimonia, vnde leuis ille rigor, quem sudatiuncula sequitur, facultatis infirmitate, ob quàm succi alibilis resolutio fit.

Frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem, cum mitiori autem, morbi longitudinem significant, Aph. 37. sect. 4.

In febribus putridis humores putrescunt interdum in vasis solis, interdum verò in toto corpore, ita vt in partium substantia, & iuxta cutem, atque adeò in toto habitu corporis humores noxij contineantur: cum verò hæc duo contigerint, tum humores, qui sunt in vasis putrescere; tum etiam calor natiuus, vel extingui omninò in habitu corporis, vel proximus esse extinctioni; quæ quidem ex his partibus euacuantur, frigida sentiuntur. Eam verò, quæ fit ex putredine, in vasis caliditatem, nihil prohibet vehementissimam esse, atque ideò signum exitiale, offendens in hominis corpore humorum multitudinem, tantam habentium frigiditatem, vt neque à calore natiuo, neque à febrili calefiant. Si igitur in febre acuta frigidi sudores contingant, mortem prænuntiant, quandoquidem illa humorum crudorum, & frigidorum multitudo non potest tam exiguo tempore non concoqui, calore admodum debili existente. At si cum mitiori febre contingant, non quidem mortem sed morbi longitudinem prænuntiant, quia non tantopere vires labefactantur à mitiori febre, & ea in longius tempus protrahitur, in quo natura potest illam humorum multitudinem concoquere. Hæc est doctrina Galen. in *comm. huius Aph.* Attamen fiunt etiam frigidi sudores vel ob summam inflammationem, vel ob simplicem caloris natiui exsolutionem. Cum enim summa aliqua ineat internis partibus inflammatio, vniuersus calor exteriorum partium retrahitur ad interiora, vndæ externæ partes manent omnino refrigeratæ. Atque ita fit, vt, cùm ex interno illo incendio magna fiat effumatio, vapores illi in cute condensentur, & in sudorem abeant, eumque frigidum, quia à cute refrigerata refrigeretur, vt in lipyria febre solet euenire. Cùm etiam in morituris calor natiuus sit valde exsolutus, cogitur ille præ nimia paucitate totus in corde colligi, & partibus interioribus, vnde externæ partes manent refrigeratæ. Calor autem ille conclusus aliquâ adhuc efficit euaporationem, quæ tota in sudorem concrescit eumque frigidum propter dictam partium externarum frigiditatem. Quocumq; autem horum duorum modorum cõtingat huiusmodi sudor, lethalis proculdubio censendus est. Multa sudorum frigidiorum exempla proponuntur ab Hip. in *Epid.* quæ huius prognostici veritatem luculenter patefaciunt, v.g. in *epid. sect.* 1. *egr.* 2. Philiscus die quinta sudauit frigidum, sexta verò obijt. Et *egr.* 2. *eiusdē sect.* Silenus octaua die sudauit per totum frigidum: vndecima interijt. Item & 3. *epid. sect.* 2 *eg.* 11. Mulier quæ ex aborsu febre magna correpta est, quarta die sudauit circa caput exiguo frigido septima interijt. Et *egr.* 12. *eiusdem sect.* Mulier, quæ in mendacium foro decumbebat, die septima sudauit per totum frigido: decimaquarta mortua est.

Fœtidi sudores in morbo acuto pessimi.

Summam enim humorem putredinem significant, quæ naturalem corporis œconomiam destruit, & euertit.

Si inter sudandum horror, vel rigor sæpiùs recurrat malum.

Quia nouus iste naturæ conatus magnam indicat illius perturbationem, qua non potest propositam euacuationem perficere conuenienter, sed denuò insurgit cum magno virium, & vitæ periculo. Vnde Hipp. *Aph.* 4. *sect.* 7. *a sudore horror non bonum.*

Sudor, qui non effluit, sed instar granorum milij in cute apparet, malus.

Huiusmodi sudor in capite, aut ceruice tantùm solet apparere per syncopas, aut alias virium exsolutiones quæ non possunt copiosum sudorem effundere, sed exiguum tantùm, qui tales globulos granis milij similes efformatur.

Sudores qui die non critico contingunt, mali.

Symptomatici enim sunt, & à vi morbi concitati. Qui enim fiunt à naturæ motu bene operantis diebus tantum criticis contingunt. Sic apud Hipp. *epid. sect.* 1. *agr.* 11. Dromeadæ coniux sexta die sudauit per totum & eadem die interijt. Et 3. *epid. sect.* 3. *egr.* 3. Pythioni decima die multus sudor accidit, & eadem die interijt.

Sudores in principio morbi apparentes, mali.

Quia in principio omnia sunt, cruda, & nihil potest salutariter excerni, nisi priùs debitè concoctum sit. Idcirco verum est hoc theorema de omni euacuationum genere, quæ in principio morbi nunquàm possunt esse salutares. Ita Philiscus die prima sudauit: tertia circa vesperam febris acuta cum sudore: sexta die obijt. Ita & Dromeadæ coniux tertia die sudauit per totum, sexta verò interijt. Et phreniticus, cuius historia habetur 3. *epid. sect.* 3. *egr.* 4. prima die multum sudorem per totum effudit, secunda sudauit, quarta mortuus est.

Quicunque abscessus post signa concoctionis apparent, & secundum rectitudinem partis affectæ & in loco ab illa valde remoto decliui, & capaci, non valde exquisito sensu donato, & qui citissime ad suppurationem perueniunt, salutares. qui contrario modo se habent periculosi.

Loca abscessui recipiendo maxime idonea sunt crura tibiæ, brachia, inguina axillæ, & articuli. Sunt enim à partibus internis remota, aut saltem earum excrementis recipiendis idonea, & satis capacia, ac calore natiuo prædita, vt materia in illis contenta facilè concoqui valeat; si vero fiant in abdomine, periculosissimi.

Quicunque abscessus foras vertuntur, optimi sunt, qui parui, & maximè egrediuntur atque ad exteriora eminent, & in acumen eleuantur. Qui verò maiores sunt, plani, & omni acumine destituti, mali, tum etiam quicunque ad interiora vergunt, vel intrò rumpuntur.

Optimi sunt, qui interioribus partibus nihil communicant, sed sunt adducti, & parum doloris inferunt & cutis colorem non mutant. Hip. 2. Prognost. cap. 10.

Abscessuum bonitas, vel malitia ex triplici sumitur, differentia, scilicet loci, in quem erumpunt, figuræ

quam retinent, & loci, in quem rumpuntur. Quod ad *primam* spectat: quo magis abscessus aliqui vertitur ad exteriora, eò melior est cùm vt signum, quia robustiorem facultatem expultricem significat; tùm vt causa, quia minùs lædit partes interiores. Quod attinet ad *figuram qui parui sunt*, inquit. Hipp. *meliores* (quod non intelligendum est simpliciter de quantitate abscessus, quandoquidem abscessuum magnitudo quantitati materiæ respondere debet; sed de magnitudinem secundùm basin, vt scilicet, qui minorem habent in basi circumferentiam, sint meliores) tum etiam qui maximè egrediuntur, surguntque in acutum. Nam robur expultricis facultatis significant. Qui verò magni sunt secundum basin, hoc est, lata, & minimè acuti, contrarijs de causis mali sunt. Quod *rupturam attinet*: omnium optimi sunt, qui rumpuntur extrà solùm quia ita fit vlcus magis idoneum ad curationem, & commodiùs multò est pus extra erumpere, quàm ad interna membra labi. Optimi denique sunt, qui partibus internis nullum dolorem, aut inflammationem, aut aliam quam vis malam dispositionem communicant, tum & ipsi exiguum dolorem inferunt, & calorem cutis naturalem parum immutant, quit significant partes circa vlcus bene temperatas, atque adeò curationem sui se promptè promouere.

Omnis abscessus, qui ad suppurationem venit, si pus effundat laudabile, salutaris est; si non laudabile, periculosus.

Dictum fuit anteà, pus laudabile, esse debere album, læue, & æquale, & minimè fœtidum. Quod contrarias habet conditiones, malum est: significat enim potiùs materiæ putredinem, quàm veram concoctionenm.

Si abscessu in aliqua parte apparente æger non subleuetur, sed eadem sympt omata perseuerent, lethale.

Significatur enim, hunc abscessum fieri potiùs ex decubitu materiæ in illam partem, quàm ex critica expulsione, ex qua perpetuo æger melius habere solet.

Abscessus in principio morbi apparens, pessimus.

Nulla euacuatio, quæ fit morbo crudo existente, potest esse vtilis: sed in abscessibus præsertim hoc peculiariter obseruandnm est, quòd morbi, in quorum principio contingunt, vt plurimùm maligni sint, atque pestilentes, vnde maximum vitæ periculum præsagire licet.

Abscessus minores, vel maiores, quam par sit, apparentes, mali.

Minores non recipiunt sufficientem materiæ morbificæ copiam, qua morbus solui, aut multum imminui possit, ideoque inutiles. Maiores verò nimiam humoris morbifici copiam denotant, vnde periculum est, ne natura oneri succumbat, tum etiam, ne præter cutem, & musculos pars aliqua interna, aut ex principibus, aut ex necessarij obsideatur.

Quicunque abscessus, postquam apparuerint, citò recurrunt, & occultantur, funesti.

Significant enim naturam esse prælanguidam, excretionem quidem aggredientem, sed eam præ imbecillitate perficere nequeuntem. Hoc tamen ita intelligendum est, modò illa retractatio non fiat ab aliqua euacuatione ab arte, vel à natura procurata.

Quæ dolenter ad aures assurgunt, pestifera. 2. Coac. cap. 4.

Omnes parotides à præstantioribus Medicis semper ferè suspectæ haberi solent, propter loci angustiam, qui non est capax totam suscipere materiam; tum etiam propter vicinitatem cerebri, ad quod fit refluxus materiæ morbificæ. Si verò parotides grauem dolorem inferant, magis periculosæ sunt, quia significant humorum multitudinem, quæ tensionem parit, ex qua dolor concitatur. Attamen si parotidum eruptionem copiosus sequatur alui fluxus, vel multa profluat vrina, solent ægri liberari, vt Glazomenio contingit in 1. *epid. sect.* 2. *ægr.* 10. in quo die, decimaseptima prope ambas aures facta est eleuatio cum dolore: & vigesimaseptima tumores circa aures magis eleuati sunt, neque substiterunt, neque suppurati sunt. Trigesima prima fluxus alui, multi, aquosi, cum dysenteria, vrinas crassas minxit, substiterunt quæ circa aures, & ad quadragesimam secundam à morbo liberatus est.

Parotides, quæ cum vrina cruda apparent, mala.

Ostendunt enim naturam non potuisse superare causam morbificam, & ad conuenientem euacuationem disponere.

Parotides, quæ fractis iam viribus contingunt mortiferæ.

Maximè enim tunc temporis natura viribus opus habet ad expellendam materiam morbificam, & parotidum suppurationem moliendam: si igitur in illo motu deficiant, nulla salutis spes superesse potest.

Parotides, quæ non suppurantur, malæ, nisi larga hæmorrhagia, aut copiosus alui fluxus succedat aut vrinæ crassæ, & concoctæ profundantur.

Non tamen omnis alui fluxus parotides dissipat: nam in febre pestilenti sæpè cum parotidibus ægros de medio tollit: sed oportet alui fluxum esse criticum, & laudabilem, quod ex signis supra de alui fluxu propositis facilè innotescet. Hinc Hippoc. in *Coac. Diutiùs hypochondrio afflicto, & aluo grauiter olente, abscessus ab aures interfecit.*

Parotides, quæ magnitudine moderatæ, sine dolore, integris viribus aliquo die critico, & antegressis coctionis signis erumpunt, bonæ.

Quamvis parotides vt plurimum suspectæ esse soleant, vt antea dictum est; tamen vtiliter aliquando erumpunt; si nimirum cum dictis conditionibus appareant, ex quibus dignoscitur naturæ dominium supra causam morbificam. Sic in Clazomenio, cuius historia supra relata est vrinæ toto morbo decursu tenues quidem, sed bene coloratæ apparuerunt: & die decimaseptima, quæ critica est, parotides apparuerunt.

Pustulæ in principio morborum acutorum, toto corpore, aut nonnullis partibus apparentes periculosę.

Apparere solent plerumque huiusmodi pustulæ in morbis malignis, & pestilentibus, & eorum sunt indicia, atque vitæ periculum minatur: præcipuè verò si in principio morbi erumpant, quod maiorem malignitatem significat, quæ naturam irritet ante vllam concoctionem ad exclusionem ichorum acrium, & venenatorum, à quibus huiusmodi pustulæ produci solent. Unde Hipp. in *Coac. quibus in febribus pustulæ per totum corpus erumpunt lethale nisi purulentus abscessus illis succedat.* Et alibi; *qui circa artus rotundas in superficie pustulas habēt, insuperque rigorem illis tandem circa inguina, & venere rubores, & nigredines exoriuntur, & intereunt.* Quod etiam confirmat idem Hippocr. in 1. *epid.* exemplo Silent, in quo die octaua exanthemata cum sudore rubra, rotunda, parua, veluti varia prodierunt, & vndecima interijt. Quamvis autem variolæ, & morbili qui in pueris frequenter apparere solent, ex hoc genere esse videantur; solent tamen non rarò salutariter erumpere, si nimirum fiant simpliciter ab ebullitione, & motu naturę secernentis purum ab impuro. Quando verò à maligno, & venenato aeris contagio dependent, tunc magnum periculum inuehunt, & magnam sæpè puerorum stragem efficere solent. *Per pustulas.*

Pustulæ admodum rubentes, vel præcipuè liuentes, aut nigricantes, exitiosæ.

Valde rubræ intensum humorum feruorem significant, quales in Sileno apparuerunt. Liuidæ aut nigræ humorum adustionem significant, & maximam malignitatem, vnde pustulæ carbunculosam naturam nanciscuntur. Sic in variolis, & morbilis, quibuscumque exanthemata liuida, aut nigra apparent, omnes moriuntur.

Calor in febribus optimus est, temperatus, suauis, æqualis in omnibus corporis partibus cum quodam humido, qui maxime natiuo calori sit similis, & æquali totius corporis molitie. *Qualitates corporis primę.*

Primò, bonus iste calor per humiditatem, quàm habet

habet comitem ab igneo distinguitur, qui siccus esse consueuit. *Secundò*, per mollitiem, in toto corpore æqualem, distinguitur ab eo calore, qui in febribus malignis reperiri solet, qui Medicos plerumque fallere solet, blandus enim, & mitis est calori naturali simillimus; intus nimirum concluso calore intensiori, nec foras liberè diffuso. Quamobrem bono illi calori corporis vna totius æqualem mollitiem coniugi oportebit, vt docet Hippoc. 2. *progn. optimum*, inquit, *est, si corpus omne æquè calidum, molleque est*; æqualis enim totius corporis mollities distinguit bonum calorem ab alijs, qui boni non sunt. Atque ita calor mitis, & blandus, qui in febre maligna reperitur, dignosci poterit ex inæqualis totius corporis mollitie, quod videlicet hypochondria dura, vt plurimùm & tensa appareant. Aut saltem illa cauliditas in toto corpore æqualis non erit, quod nimirum partes extremæ minus calidæ sentiantur, at circa ventrem intensior caliditas percipiatur. Itaque caliditas temperata æqualiter in toto corpore, cum æquali quoque molitie semper bonum signum erit; siquidē fieri non potest, quòd corpus tali caliditate, & mollitie præditum exitiosè ægrotet: id enim certò demonstrabit, viscera inflammatione obstructionibus, & insigni putredine carere.

Flammans cum sudore facies in febre acuta mala. 2. Prorrhet. text. 33.

Intensa enim illa caliditas internam cerebri inflāmationem significat, & sudor pariter eandem partem laborare ostendit, quandoquidem, vt testatur Hipp. in *Aphorismis*, *vbi sudor, ibi morbus est.*

In febribus circa ventrem fortis æstus, & morsus oris ventriculi malum. Aph. 65. sect. 4.

Significat enim magnam inflammationem, vel mutambilem, eamque accerrimam circa ventriculum ebullientem, aut putrescentem, quæ internis erysipelatis metum faciat.

In morbis acutis frigus partium extremarum, malum. Aph. 1. sect. 7.

Fit enim illa refrigeratio extremorum in morbis acutis, vel ob internam inflammationem, cuius calor adeò vehemens est vt ad se trahat totum sanguinem instar cucurbitulæ; vnde fit, vt ijs, qui ita se habent, viscera perurantur; extremæ autem partes frigescant propter defectum sanguinis ad viscera se recipientis. Confirmauit idem Hipp. *aph. 48. sect. 4. In febribus nō intermittentibus, si partes exteriores sint frigidæ, interiores verò vrantur, & sitim habeant, lethale est.* Hæ autem febres, in quibus exteriora frigent & interiora vruntur, Libyriæ nominantur, fiuntque præcipuè ex inflammatione partium neruosarum, veluti ventriculi & intestinorum, suntque perpetuò lethales & paucis diebus interimunt. Vel fit illa refrigeratio extremorum ex maxima exsolutione caloris natiui, cuius reliquiæ perexiguæ, in corde, & in præcipuis visceribus collectæ, non possunt vsque ad partes exterioris exporrigi. Idcircò qui ita refrigerati sunt maxima laborat imbecilitate virium, nec ampliùs recalescunt, & morti sunt proximi quod testatur Hipp. *in Pror. Quoties à rigore perfrigeratur quis nec denuo incalescit, malo est loco.* Et confirmatur *in 1. epid. sect. 1. ægr 1.* vbi Philiscus quinta die habuit extrema vndiquaque frigida, & non ampliùs recalescent a sexta die obijt. Ita & *ægr. 2. eiusdem sect.* Silenus sexta die extrema habuit frigida, liuida: septima extrema non ampliùs recalescebant: vndecima interijt. Ita & *ægr. 8. eiusdem sect.* Erasinus quinta die circa meridiem extrema habuit frigida, subliuida, & eandem die interijt circa solis occasum. Ita & 3. *Epid. sect. 2. ægr. 11.* Mulier quæ ex aborsu febre magna correpta est, habuit extrema frigida à quarta die vsque ad septimam qua interijt. Attamen interdum extremorum frigiditas non perseuerans, nec frequenter reuertens, bona esse consueuit; crisin enim aduenientem significat, in qua calor retrahitur ad interiora, ad excludendam materiam morbificam: vt contingit illi, qui decumbebat in Dealcis horto 3. *epid. sect. 1. ægr 3.* qui die decimaseptima habuit extrema frigida, postea febrem acutam & sudauit per totum, & alleuatus est.

Frigiditas narium perseuerans toto ferè morbi decursu in puerulis, lethalis.

Frigiditas linguæ per aliquot dies perseuerans, lethalis: vt in tribus ægrotantibus animaduersum fuit, in quibus alia symptomata grauia non apparebant, præter quendam virium languorem.

Qui frequenter refrigerantur & vehementissimè incalescunt, sunt in periculo. 2. Prorrhet. text. 32.

Significantur enim materiæ morbificæ multitudo, vel malignitas, aduersus quam natura certamen frustra aggrediantur, vnde caloris natiui exsolutio ac mors tandem consequitur, vt annotauit Hipp. in 3. *Epid. sect. 2. ægr. 12.* Vbi mulier quæ decumbebat in mendacium foro, septima die subterriguit, febris acuta, circa vesperam refrigeratio extremorum, non ampliùs recalescebat, & rursum ad noctem superriguit, extrema non recalescebant. Decima extrema recaluerunt. Undecima rursum extrema frigida. Decimaquarta mortua est. Ita & 3. *Epid. sect. 3.* Pythion die secunda habuit refrigerationem extremorum, & post multum tempus recaluit. Tertia subrefrigeratus est parum. Quarta iterum refrigeratio, & recaluit post tempus. Octaua manè refrigeratio, serò autem rursus recaluit. Decima multa refrigeratio, febris acuta, multus sudor interijt.

Cutis facies, & aliarum partium dura, scabra, aut squallida mala. *Secundo. Duities.*

In morbis enim acutis magnam indicat exsiccationem à calore febrili factam. In diuturnis verò magnam humidi primigenij consumptionem, vt in febribus hecticis. Sic 3. *Epid. sect. 3. ægr. 13.* in Dealcis vxore, die decimaseptima, erat cutis circumtensio arida: & vigesima prima obijt. Et *ægr. 19. eiusdem sect.* in Meliboeæ adolescente, die decima cutis fuit arida, & circumtensa, & vigesimaquarta interijt.

Summa totius corporis mollities in qualibet morbo, mala.

In morbis enim acutis insignem quandam putredinem significat, propter quam partes corporis nostri flaccescunt: vt patet in cadaueribus, pestilenti febre peremptis. In chronicis verò magnum pituitæ copiam, in vniuersum corpus diuersam, vt in leucophlegmatia contingit.

Rubor faciei intensus cum mœstitia, malus. 2. Prorrh.

Faciei rubor simpliciter consideratus non perpetuò malus est: significat enim interdum crisin instantem per hæmorrhagiam, quemadmodum Ga. in Romano iuuene coram alijs Medicis ex hoc signo prædixit. Et tunc signa concoctionis simul debent apparere: si verò crudo morbo existente facies valde rubra appareat; timenda erit capitis inflammatio, & cerebri præsertim, cum hoc signo demonstretur sanguinem sursum in caput agi, ipsumque inflammare vnde fit, vt tristitia phrenitidem præcedat quia ille sanguis à nimio calore adustus est, & ad bilis atræ naturam vergit, vt docet Gal. in *comm. huius sententiæ* his verbis: *Cum itaque florida quidem apparuerit facies, æger autem valde tristis fuerit quædam in cerebro valde calida affectio esse videtur, quę sanguinem exurit, ob eamque causam bilem atram, vt demonstratum est, gignit.*

Rubores intensi & quasi erisipelatodes in manibus, & pedibus apparentes, per morbos acutos, cum bonis signis boni, cum malis mali esse consueuerunt.

Si enim cum bonis signis appareant, significant naturam fortem esse, & longius humores noxios ad ignobiles partes propellere; vnde bona illa metastasis censenda est, quam alluuatio ægri necessariò consequitur. Si verò cum malis signis appareant huiusmodi rubores, & nullum ex ijs leuamen ægrotanti succedat, censendum est per epigenesin eos excitari, videlicet per multiplicationem qualitatis illius phlegmonosæ, quæ iam viscera firmiter occupauit.

Pallor ingens, in facie potissimùm, malus.

Quia significat, vel retractionem caloris violentam ad interiora, vel eiusdem extinctionem, aut sanguinis inopiam: vnde fit ille color in demortuis soleat apparere.

Liuiditas, & nigrities totius corporis, faciei, vel partium extremarum, mala.

Fit enim propter caloris extinctionem in illis partibus, vt docuit Hipp. 2. *progn. Si corpus adeò graue est, vt vngues, ac digiti liuidi sint, expectanda continuò mors est.* Illa autem liuiditas cum frigiditate extremorum perpetuò coniuncta est, vt videre licet in exemplis Philisci, Sileni, & alijs, vbi de frigiditate extremorum supra agebatur propositis.

In osse ægrotante caro liuida, malum. Aphor. 2. sect. 7.

Per *os ægrotans* intelligit Hipp. quod vulnere, vel vlcere, seu carie affectum est. At liuescit caro in vulneribus, aut vlceribus, vel ob caloris extinctionem, vel ob gangrænam, seu syderationem ex inflammationis magnitudine, vel ob contusionem. Si ergo in osse corruptu, aut violato liuescat caro, nullaque adsit contusio aut syderatio, certissimum signum erit, prauam subesse putredinem, quæ calorem nativum extinguit; proinde illud os exscindendum est, aut eximendum.

Calorem subinde mutare in morbis acutis, malum.

Corpora *colorem mutari* dicimus, cum ex proprio colore nativo in pallidum, aut album, aut flauum, aut æruginosum, aut viridem, aut plumbeum aut denique nigrum mutatum. Hæc autem colorum mutatio frequens significat naturam valdè opprimi, & magnam adesse prauorum humorum redundantiam.

Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malas. Si verò septimo vel nono, vel vndecimo, vel decimoquarto superuenerit, bonum: nisi dextrum hypochondrium induruerit, Aph. 62. & 64. sect. 4.

Hæc verba Hippoc. non sic superficie tenùs intelligenda sunt, cùm plures visi sint ante septimum regio morbo affecti, sani, & liberi euasisse. Intellige igitur *ante septimum*, id est, ante materiæ morbificæ concoctionem quam si aurigo anteuertat, malum est, vt inquit Hippoc. quia motus ille est symptomaticus. At si ante septimùm materiam morbificam concoqui, & edomari contingat, quam postea natura ad cutim propellat, vnde morbus regius fit, bonis ægri rebus id fieri necesse est. Quod ipse confirmauit Hipp. *de ratione victus in morbis acutis*: *In biliosa*, inquit, *febre morbus regius cum rigore ante septimum diem enatus soluit morbum; si verò absque rigore propter occasionem euenerit lethale.* Sciendum tamen est, ideò Hippocratem septimum diem annotasse, tanquam primum terminum boni icteri, quia rarò admodum contingit, vt febrium biliosarum materia ante septimum diem benè concocta sit cùm præsertim ad cutem expellitur, & icterum facit; hinc enim ostenditur, bilem esse crassiorem, quæ non potuit per sudores vacuari. Tradit igitur Hippoc. *in hoc aph.* id, quod frequentiùs accidit, quamuis aliter interdum possit contingere. At verò icterus, qui septimo, nono, vndecimo, aut decimoquarto die videlicet critico contingit, bonus est; quia tunc bonæ concoctioni succedit; signum autem ostendens icterum in illis diebus laudabili concoctioni succedentem, est, si nulla durities sit in hypochondrio dextro: nam durities illa ostendit humorem in hepate, qui vasa bilem expurgantia comprimit, vel obstruit; vnde fit transfixus humoris biliosi ad habitum corporis. *Si* verò nullus adsit tumor in hepate, icterus fit per expulsionem bilis febrem efficientis ad habitum corporis. Huic demum signo sequentia adiungenda sunt, quod in ictero critico vrinæ non sint coloratæ, vt linea croceo colore inficiant, neque fæces candidæ appareant; vt in icteio morboso: tum etiam quod ex eo febris soluta, aut saltem admodum imminuta sit.

Odor. *Fœtor intensus ab ægrotantis corpore exhalans, malus.*

Magnam enim significat humorum corruptelam, quæ tetros vapores vndequaque expirat.

Quando gger in morbis acutis odores non consuetos sentit odor abilire nulla præsente, qualis est odor piscium, luti, butyri, aut similium, & mala signa ad

Sonus *sunt, mors in propinquo est, teste Auicenna.*

Stertor in acutis, qui & dormientibus, & vigilantibus inter respirandum fit, lethalis est.

Stertor, seu stertorosus spiritus fit, quando inter respirandum sentitur in gutture quædam veluti ebullitio, & feruor, seu strepitus, cuiusmodi in stertentibus, & ille in omnibus ferè morituris ex morbo acuto apparere solet per vnum, aut alterum diem ante obitum, præcipuè in ijs, qui ex pleuritide, aut peripneumonia intereunt. Significat enim extinctam omninò facultatem, quæ non valeat excrementa ab aspera arteria & faucibus expellere. Quicunque igitur morbo ingrauescente hunc stertorem patiuntur, morti sunt proximi. At verò interdum contingit huiusmodi stertor in principio morborum, v. gr. pleuritidis, peripneumoniæ, & febris catarralis ob humorum defluxum ad pulmonem, & asperam arteriam; & tunc non est necessario lethalis, quia in progressu morbi ille humor potest excerni, vel dissipari, vt in asthmaticis fit, qui hunc stertorem sine vllo vitæ periculo frequenter patiuntur. Et quia huiusmodi stertor in principio apparens interdum lethalis est, interdum verò minimè, ita distinguendum est: quod videlicet qui minimè lethalis est, augescente morbo sensim minuatur, & tandem prorsus desinat, humore aut per tussim excreto, aut à calore febrili resoluto: ille verò, qui lethalis est, pertinaciter perseueret, & sensim intendatur: quod ostendit naturam à multitudine humorum opprimi, eosque non posse excerni, sed ab ijsdem ægrotantem suffocari.

Quibus cum strepitu alimenta in ventriculum descendunt, vt in puteum proijci videantur, malum.

Significant enim fibras œsophagi esse resolutas, vt descendentia alimenta continere nequeant, & ad ventriculum veluti manu ducere, vt in naturali deglutione fit, fitque frequentiùs in puerulis agonizantibus.

Dolores ex hypochondrijs, & tumores si sint recentes, & sine phlegmone, soluit, murmur factum in hypochondrio, maximè erumpens cum stercore, & vrina, & flatu: si verò non effluat, confert etiam; si deuoluatur ad inferna. 2. Prognost.

Inflationes hydrochondriorum, quæ sæpè cum morbis acutis iungi solent, si recentes & absque phlegmone sint, (phlegmone autem ex partis ardore, & pulsu innotescit) à flatibus producuntur, & contumaciam quidem ostendunt, si dolorem habeant firmum instar fixi pali; sed maximum tamen iamiam futuræ salutis signum exhibent, cum homo incipit sursum, aut deorsum in ructu, & per sedem, cùm deiectione, & sine ea, cum vrina flatum emittere. Flatum autem cum vrina emitti, ostendit spuma illi super natans. Licet verò flatus non emittatur, si tamen cum murmure incipiat deorsum repere bonùm est: principium si quidem salutis esse solet, quia calor membri iam incipit flatum dissipare, & membra non sunt iam adeò extensa, sed constringuntur ad flatum expellendum, vnde principium est victoriæ.

Facies cadaueroſa mortifera, sed ea minus tamen, quæ ob vigilias, aut ventris solutionem eiusmodi est. Atque talis corruptio his de causis orta vno die finitur. 2. Coac. cap. 5. *Accidentia propria in facie.*

Hæc facies, quam Hipp. vocat *cadaueroſam* quòd similis sit ei, quæ apparet in cadaueribus, & ijs, qui morti sunt proximi, vulgò vocatus *facies Hippocratica* quia ad amussim, & veluti penicillo describitur ab Hippocr. 2. *Coac.* & in 1. *progn.* his verbis *Fuerit autem sanè facies huiusmodi, oculi concaui nares acutæ, collapſa tempora, aures frigidæ, & contractæ, cutis in fronte dura, lenta, & arida, color pallidus, vel niger liuidus, aut plumbeus*: quæ omnia ex pessimis causis solent contingere. Partes enim faciei, aut reuera gracilescunt, consumpta earum substantia; aut gracilitate quadam apparenti magis, quàm vera, quam facit subtractio spirituum, & sanguinis: hi enim tribuunt particulis viuidum colorem, & mediocrem humorem, qui concidit illis subtractis; acceditque tunc frigus externum, particulas comprimens maioris extenuationis causa. Vt consumatur

subie-

subiecta cuti caro, facit calor, qui malignus est, aut
Essentia. intensissimus. Vt verò sanguis, & spiritus ab ijs particulis subtrahantur, facit aut debilitas tanta innati calidi, vt non possit emergere, aut tantum interitus incendium, vt retrahatur introrsum velut à cucurbitula. Omnes igitur causæ extenuationis maximè, quæ in facie apparent, pessimæ sunt; illæ autem particulæ, quæ ab Hipp. enumerantur, sunt maximè extenuationis capaces. Oculi enim multa pinguedine referti
Causæ efficientes. sunt, & copiosis spiritibus abundant, qui tumere, & prominere eos faciunt. Si igitur pinguedo illa consumatur, aut spiritus exhauriantur, oculos subsidere, & locum, quem antea occupabant, vacuum maiori ex parte fieri necesse est, vnde oculi concaui apparent. In naso sola illa particula est crassiuscula, quæ extrema, ac veluti quædam cuspis; nam reliqua sunt ossa cartilagines, & cutis sine carne. In solis pinnulis sunt fibræ quædam carnosæ, tenues, ex
Causa materialis. musculis buccas mouentibus productæ; ergo meritò ea in parte nasi apparet magis ex morbo facta extenuatio. Temporum cauitates musculis valde humidis plenæ sunt, vnde fit, vt canities plerumque à
corpus ægrotantis temporibus incipiat, quæ humiditas facilè absumitur à causis supradictis. Aures meritò refrigerantur
Effectus. per debilitatem, aut retractionem caloris natiui, tum quod extremæ sint à caloris fonte longeque remotæ, tum etiam quòd ex carnes, ex sola enim cute &
Actiones animales. cartilaginæ compositæ sunt. Contractæ etiam fiunt earum pinnulæ, & cutis frontis intenta, dura, & arida per exsiccationem, ex consumptione humidarum
Rigor. partium, vt coria, quæ exsiccata contrahuntur, & contorquentur, color denique pallidus, niger, aut liuidus, ex caloris natiui, & spirituum retractione,
Vitales. aut exsolutione dependet, vnde illæ partes refrigeratæ talem colorem nanciscuntur. Postremò *aduertendum est*, faciem Cadaueroſam, quæ signis propositis innotescit, esse pernicioſam, si à causis internis
Pulsus iam recensitis producatur: nam si à causis procatarcticis talis reddita sit, minùs periculosa est, vt notat
Naturales. Hippoc. in hoc theoremate, vbi tantùm vigilias, &
Suppressio vrinæ alui fluxum enumerat. Sed his addere etiam possumus alias causas procatarcticas, vt defectum alimenti, mœrores, & timores. Et facile cognoscetur
Excrementa cùm ab huiusmodi causis procatarcticis dependet, quia vno die finitur, & postea æger ad pristinum statum reuertitur.

Oportet verò considerare oculorum in dormientibus suspectiones. Nam si quid album commissis palpebris subinspiciatur, neque ex alui profluuio, aut medicamenti potione istud contingat, malum est signum, & lethale valde. Aphor. 52. sect. 6.

Cum Ægri semiapertis oculis dormiunt, vt album sub appareat, maxima imbecillitas facultatis animalis significatur. Cùm enim oculi ex minima facultate claudantur, si in somno claudi nequeant, summam spirituum animalium depauperationem denuntiant. Signum igitur lethale est, si vi morbi talis resolutio producta sit. At verò si ab euacuatione vel spontanea, vel arte facta, aut aliqua alia causa procatarctica talis spirituum resolutio producta sit, reparabilis illa est, ideòque conniuentia oculorum ab ea producta non tam periculosa. Addit etiam Hipp. aliam cautionem, *in 1. progn.* Si nimirum æger hoc modo dormire non assueuerit: sunt enim quidam, qui oculis semiapertis dormire consueuerunt. Habet autem maximam vim hoc prognosticum in acutis capitis morbis, siue cum febre coniuncti sint, siue sine febre; quia oculi cerebro proximi sunt, & veluti coniuncti; illius ideòque passiones certissimè declarant: ex alijs verò morbis non tam certum periculum denuntiant. Nam pueruli vermiculosi sæpè non omninò claudunt oculos inter dormiendum, & facilè liberantur. Non solum autem ab exsolutione virium hæc conuiuentia producitur, sed etiam interdum à conuulsione oculos mouentium musculorum, vt docet Gal. *in comm. huius aphorismi.*

Si in morbo acuto oculus vnus altero minor fiat lethales est. Hipp. 1. progn.

Fit enim tunc temporis ob facultatis regentis imbecillitatem, quæ illum oculum incipit deserere. Grauius quidem foret ambos oculos extenuari ob eiusdem facultatis imbecillitatem; sed illa extenuatio apparere incipit in alterutro oculorum, qui perrarum est, vtrumque esse simul eodem omninò apparatu. Nam & atrophia, quæ est afflictura totum corpus, ab vno, vel duobus membris solet incipere, illincque ad alia serpere, rursumque ad alia, prout magis, vel minus dispositæ sunt. *Aduertendum* tamen est, an non huiusmodi oculi extenuatio à peculiari morbo dependeat, non ab imbecillitate facultatis; tunc enim eo ex nullum imminet periculum.

Si in morbi acuto album oculi rubrum appareat, periculosum. Hipp. 1. progn.

Significant enim sanguinem, aut bilem transferri ad cerebrum, vnde inflammatio, indeque phrenitis expectanda est, quæ magnum vitæ periculum minatur. Cùm autem tunica adnata, quæ album oculi constituit, à meningibus cerebri exoriatur, facilè fit, vt earum inflammatio ipsi communicetur.

Si in morbi acuto venæ oculorum liuidæ, aut nigræ apparuerint, lethale est. 1. progn.

Vel enim significant humores adustos, atrabilarios abundare in cerebro; vel caloris natiui extinctionem; vnde sanguis natiuum suum calorem amiserit, & concretionem aliquam acquisiuerit.

Si in morbi acuto oculi peruertantur, malum. 1. progn.

Oculi *peruerti* dicuntur, quando indecore mouentur, id est, vel magis sursum quam deberent, vel deorsum, vel in obliquum: tum etiamsi vnus sursum alterdeorsum: vnus in vnum, alter in alterum angulum torqueatur. Quæ quidem oculorum peruersiones fiunt ob conuulsionem musculorum oculos mouentium quemadmodum fieri solent in epilepsia, in qua quidem periculosæ non sunt. At conuulsiones, quæ fiunt in morbis acutis sunt maximè periculosæ.

Oculi tenebrosi, turbidi, squallidi, ac minime splendentes mali.

Tales enim fiunt ex defectu, atque extinctione spirituum animalium, qui splendidi sunt, & luciditatem oculis conciliant: tum etiam ex arefactione tunicarum, oculos componentium, & corneæ potissimum, vt docet Galen. 1. *de sympt. caus.* 20. *de vsu partium.*

In palpebris, naribus, & labijs.

Si autem peruersa fiat, aut liuida, aut pallida palpebra, aut labrum, aut nasus cum aliqua aliorum signorum sciri oporteat, morti proximum esse. Lethale etiam est, labra resoluta, & pendentia, & frida, & alba esse reddita. Hipp. 1. progn.

Eandem fere sententiam habet idem Hippoc. *Aph.* 49. *sect.* 4. his verbis: *In febre non intermittente, si labrum, aut palpebra, aut supercilium, aut oculus, aut nasus peruertatur, aut non videat, aut non audiat ger iam debili existente corpore, mors proxima est.* Fiunt autem omnes istæ peruersiones ex musculorum has partes mouentium conuulsionibus, quæ in morbis acutis lethales sunt, vt sæpè inculcatum est. At liuidæ, aut pallidæ palpebræ fiunt ab extinctione calidi innati. Labia verò pendentia, & resoluta, & frigida, & alba manifestè indicant facultatis mouentis imbecillitatem, & extinctionem calidi innat.

Nares propter modum dilatatæ in morbo acuto, periculum portendunt.

Significant enim magnam facultatis animalis imbecillitatem, quæ cùm nequeat thoracem sufficienter dilatare, ad summum incendium temperandum, id dilatatis naribus conatur compensare, vt per illas aer copiosior attrahant.

Dentibus stridere in febribus, quibus non est assuetum à pueritia, furibundum, & mortale. Hipp. 1. progn.

In dentibus.

Hanc eandem sententiam repetit Hipp. *in 2. prorrhet.* his verbis: *Dentium stridor perniciosus, quibus non est sanitatis tempore consuetus.* Galenus verò *in 1. progn. Stridere* inquit, *dentibus, quibus ab initio non erat consuetum, futuri delirij accidens est; si verò interdum ægrum offendas vtrumque perpeti, delirare, & stridere dentibus, hunc iam esse prope mortem arbitrare.* Fit autem stridor dentium muscu-

lis, qui maxillas mouent, conuulsiuos motus patientibus, aut facultate mouente admodum debilitata. Quodcunque horum sit per morbos acutos, multum pati cerebrum, suspicionem facit: magnę cerebri læsioni dementiam succedere, verisimile est, cum dementia sit facultatis, quæ in cerebro viget, actio læsa, qua partis principijs læsione plurimùm acta, mortem fieri necesse est. Magis autem succedere solet furor illi stridori, qui cùm maximo dentium sonitu fit, quàm qui cum exiguo: hic enim fieri potest ob debilitatem, quæ sine dementia afferre potest mortem; illæ verò fit ob motus conuulsiuos, qui excitantur à malignis fuliginibus, quales exatrabile sunt, cerebrum, & neruosas partes imo tentibus.

Quibus in febribus temores, & nigredines circa dentes apparent, periculosum.

Significant enim maximam erudorum, & crassorum humorum copiam; & maximum febris incendium, quod humores illos crassos exsiccet, & exurat.

In lingua. *Lingua nigra cum siccitate, scabritie, & scissuris, & vstione lethalis.*

Hæc enim omnia à febre ardente, & valdè exurente ducunt originem, cuius vi lingua impensè exaresçit, & adustas fuligines à viscerum incendio eleuatas recipiens, camini instar, nigredine illa tingitur. A minori quidem vstione siccitas, & scabrities efficiuntur: à vehementiori verò scissuræ producuntur, quemadmodum terra, valde exsiccata æstatis tempore, rimas vndique & fissuras paritur. Lingua ab initio exusta significat, visceris alicuius inflammationem, quæ ex hypochondriorum dolore, duritie, tumore, aut calore dignoscitur.

Lingua tremula in acutis, mortifera.

Significat enim maximam animalis facultatis imbecillitatem, & summam cerebri læsionem; ideò phreniticis, iam morti proximis, lingua hoc modo solet contremiscere. Quod dilucidè exponit Gal. *in 1. prorrhet. text. 19.* his verbis: *Tremor igitur linguæ accidit, debilitata propter siccam intemperiem animali facultate. Conuulsiones verò siccitatem musculorum ipsius, vna cùm capite affectorum, consequuntur: sicut, & vox obtremuit propter infirmitatem, quæ ab horum intemperie contracta est. Prædicta autem hæc omnia symptomata, quæ à siccitate capitis interiore fiunt, mentis motionem fieri quoque, indicant.*

In faucibus. *Fauces exulcerari cum febre, malum; verùm si aliud signum superueniat eorum, quæ diximus pessima esse, prædicere oportet, cum periculo esse hominem, Hipp. 2. progn.*

Fauces exulcerari solent, vel ab acri destillatione à capite defluente, vel cum totum corpus laborat magna cacochymia, in febre ardente, aut maligna. Quo fit, vt plerisque eorum, qui lue venerea, aut elephantia si tenentur, in faucibus vlcuscula fiant: At in morbis acutis, de quibus hic tantùm agimus, vt plurimum mali sedes est aut thorace, aut in hypochondrijs. Cùm ergo fauces incumbant viæ, quę venit à pulmone, & quæ venit à ventriculo; excipiunt fumos omnes, qui ab illis locis ascendunt qui si acres, ac erodentes sint eas exulcerant. Oportet ergo locum hunc per eas febres assiduè intueri, eadem prorsus causa, quo linguam. Eodem enim modo repræsentat febris vehementiam, nimirum, vt per febrem maximè ardentem lingua fit arida, & multis fissuris affecta, si ingens sit, ita etiam fiunt faucium vlcera, maximè si Medicus non fuerit diligens per febris ardorem in vsu eorum, quæ sitim sedant. Verum cùm Medicus hæc auxilia non omiserit, exulcerari fauces, multò maioris ardoris indicium est. Meritò ergo Hip. dicit, malum esse; non tamen adeò malum est, vt vel sine vllo alio signo pessimus mortis periculum prædicere. Nam fieri potest, vt ob destillationem, quæ cum febre coniuncta est, exulcerentur fauces, quod non adeò malum est, vt hac vna de causa mortis periculum prædici possit. Si verò à summa partium inferiorum intemperie procedat faucium exulceratio, pernicioſa quidem est; sed cum illa non potuerunt non apparere signa alia praua. Oportet ergo signa alia considerare, & si aliquod aliud prauum appareat, mortis periculum prædicere. Valesius hoc signum graui hoc elogio commendat: *Ego*, inquit, *testari possum, me signum hoc magnifacere, vidisseque multos, quibus febris ardens iam videbatur inclinare, cum hac affectione perire. Quod accedit grauissimum est fastidium quoddam maximum, adeò vt nihil possint accipere, sed potum etiam detestentur, quamvis exurantur. In his comectaui semper internas gulæ partes vsque ad ipsum ventriculum vlcere excedi.* Hæc Uallesius. Nos verò faucium inflammationes, & exulcerationes millies obseruauimus in febribus illis malignis, quæ annis elapsis populariter grassatæ sunt, & castra Regia potissimum infestabant. Illæ autem ab ipso morbi initio in omnibus ferè ægrotantibus apparebant, vt inter signa huius morbi pathognomonica vulgò haberentur: vnde colligere liceat, eas à praua, malignaque causa plerumque generari.

In Hipochā. dr. 8. *Hypochondria optima sunt, quæ sine dolore, mollia, & æqualia sunt, dextra, sinistra parte. Hipp. 1. progn.*

Hypochondriorum nomine vulgò intelligitur tota illa regio, quæ est inter septum transuersum, & vmbiliculum, in qua hepar, lien, & ventriculus continentur. Harum partium attrectatio nunquam est contemnenda à Medico per morbos; pluri mum enim facit ad prænotionem. Imò verò singulis diebus à Medico diligenti, & sedulo attrectanda sunt hypochondria, imitatione Hippocratis, quem hoc in vsu buisse apparet ex 1 *Epid. 1. Ægr. 2.* vbi ait Silano tertia die hypochondriorum tensionem apparuisse quo innuit, se eadem alijs etiam diebus attrectasse. Vnde existimandum est, Medicos in cognoscendo quotidie hypochondriorum statu debere esse diligentissimos, quandoquidem ibi est sedes facultatis naturalis, hoc est, viscerum naturalium in quibus fere tota vis salutis, aut interitus posita est, & in quibus tanquam in palæstra quadam omnes ferè morbi, & naturæ fiunt conflictus, quos maximè omnium semper Medicus obseruat. Itaque in morbis, cutis hypochondria bene se habere non leue est morbi præsagij argumentum; nam impossibile est; aliquam partium illarum læsam esse et hypochondria mollia esse, & absque dolore. Tum æqualitas ijsdem locis secundum dextras, & sinistras partes necessaria est, quæ quidem æqualitas in omnibus accidentibus intelligenda est, scilicet in calore, mollitie, & mole. Talia enim hypochondria sunt, quæ in hominibus bene valentibus solent apparere.

Hypochondrium exæstuans, aut dolens, aut tensum, aut inæqualiter affectum, à dextris partibus ad sinistras, morbi est non mansueti. Hipp. 2. Coac. et 1. progn.

Hypochondrium ardens, & multo calore abundans fit ex calidorum humorum multitudine, ibidem putrescentium. Dolor, & tensio ab eadem causa producuntur, partes replente, & malam intemperiem ijs producente, vel etiam à nimio calore siccitas introducitur, quæ tensionem facit. Inæqualiter afficitur parte alterutra, vel vtraque, quando scilicet hic calidius, hic frigidius est, hic durius, illic mollius, hic læuius, illic asperius, albi doloris expers, hic dolens, denique magis minùs vè distentium: quæ omnia aliquam earum partium deteriùs habere significant, & aliqua inflammatione affici, quæ in febribus acutis sæpissimè solet contingere.

Hypochondria sursum reuulsa, nullis criseos per hæmorrhagiam futuræ signis apparentibus mala.

Contingit aliquando instante hæmorrhagia critica, hypochondria sursum reuelli, humoribus sursum irruentibus vis iecoris, & se contrahentis, & excutientis humoris illos, quod tamen sine dolore fit, & parum durat, & alia signa apparent futuræ hæmorrhagiæ. Si verò diu perseueret illa hypochondriorum reuulsio cum dolore, & sine vllis futuræ hæmorrhagiæ signis pessima est, & lethalis; fit enim ab inflammatione, vel exsiccatione, ex ardore febrili diaphragmatis,

matis, aut membranæ costas succingentis, quæ partes contractæ, & reuulsæ attrahunt secum peritonæum, & hypochondria, quæ illis annectuntur. Huius rei etiam signum erit certissimum vox acuta, quæ antea fuerat grauis, illa enim immutatur ex diaphragmatis contractione; vnde Hipp. *in Coacis Quibus; acuta vox hypochondriæ intrò sursum ijs reuulsa sunt.*

Tumor in hypochondrio durus, & dolens pessimus. si toto est in hypochondrio. Si verò sit in altera parte minus periculosus est in sinistra. Hipp. 1. *progn.*

Tumor durus, & dolens ab inflammatione fit, quæ si totum occupat hypochondrium, maximum impendet periculum: si solùm dextrum, minus; & si solum sinistrum, adhuc multò minus. Ratio vniuscuiusque euidentissima est. Etenim inflammata esse simul plura viscera in febre acuta, exitiosissimum est. At cùm in dextera parte collocatum sit iecur, in sinistra lien; certissimum est, affectum eundem multo esse grauiorem in iecore, quod nobilius est viscus; quam in liene, multò ignobiliori.

Tibiarum inflatio vespere apparens, & manè discussa cum bonis signis bona, cum malis mala est.

Hæc tibiarum inflatio contingit sæpè in conualescentibus. At si conualescentiæ signa non appareant, sed alia quædam signa mala, hydropem minatur, aut prauam aliquam hepatis dispositionem significat. Aliquando enim apparuit, cum abscessus esse in hepate. (*Conf. ad hæc omnia, Melet. III.* 27. 28. 29. 60. 61. 62.)

CAPVT III.

De modo, quo finietur morbus: An scilicet per crisin vel paulatinam solutionem.

OMnes morbi, vel per crisin, vel per paulatinam solutionem finiri consueuerunt.

Per crisin finiuntur ij, qui magni sunt, & acuti, paulatim verò finiuntur, qui inter chronicos recensentur, aut nullam habent magnitudinem.

Signa igitur morbum acutum & magnum, vel chronicum, & paruum indicantia, eadem etiam per crisia, vel paulatinam solutionem vtrum sit finiendus, prænuntiabant quæ quidem in diagnosis fuere proposita, indeque repetenda (*Melet. II.* 143. *III.* 68.)

CAPVT IV.

De tempore, quo finietur morbus: vbi dies, & hora futuræ criseos prænuntiant.

TEmpus futuræ criseos ex duobus potissimum innotescit, acumine nimirum morbi, & concoctionis signis: quę omnia ex sequentibus theorematis patent.

Acutorum differētię.

Morbi acuti simpliciter decimo quarto die solent iudicari, peracuti die septimo, & peracuti die quarto.

Has morborum acutorum differentias dignoscemus ex vehementia, & celeritate symptomatum. Si enim primo statim die symptomata ingraueſcant, sumantque vehementiam, & impetum, erit perpera cutus, seu extremè peracutus & quarto morbi die iudicabitur. Si verò impetum sumant, & vehementiam primo quidem quaternario; sed non primo statim die; erit ille peracutus, & septimo iudicabitur. Si verò vehementia illa secundo tantum quaternario, idque in illius principio apparuerit; decimo quarto crisis erit sperandа. Si denique post septimum tantum impetus sæuiat, vigesimo tantum, vel vigesimo primo iudicium apparebit.

Notandum autem est, crises illas dies iudicatorios non rarò preuertere, aut retardare, pro materiæ mobilitate, aut contumacia, & in diebus indicibus perfici, qui etiam sunt nonnihil iudicatorij: quod tamen inde poterit dignosci, cum vehementia, & impetus morbi paulò citius, vel tardiùs incipiunt, ex gr. cum impetus incipit in principio secundi quaternarij, nimirum die quinto crisis decimoquarto erit sperandа. At si sexto, vel septimo tantùm impetus incipiat, decimoseptimo futuram crisin, erit conijciendum. Quæ quidem solerti admodum indigent exercitatione, ab vsu artis comparata.

Si primò statim morbi die concoctionis signa apparuerint quarto morbus iudicabitur: si quarto tantùm appareant, septimo finietur. Si septimo appareant, vndecimo iudicatur. Si vndecimo, fiet crisis decimoquarto: & ita de alijs per quaternarios, vel septimanas computando iuxta naturam morbi.

Concoctiones signa aliunde sunt reperenda. Ex his tamen præcipuum est in febribus, hypostasis vrinarum. *Notandum* autem est, concoctionis signa cum vehementia symptomatum perpetuò esse coniungenda, vt certam prognosin efficias.

At verò iam futura crisis facilè dignoscitur ex perturbatione, quæ illam solet præcedere: cum enim fieri incipit certamen morbi, & naturæ, omnia symptomata maximè exacerbantur, quòd innuit Hipp. *Aph.* 13. *sect.* 2. *Quibuscunque crisis sit, ijs nox grauis ante accessionem existit.*

Hora denique futuræ criseo, inde artificiosè erit præsagienda, supponendo primum omnem crisin in morbi vigore, seu statu fieri. Cum ergo vigoris tempus cognouerimus, criseos etiam tempus cognoscemus. Rursus si morbus aliquas habere solet exacerbationes, priùs animaduertimus, qua horæ fieri soleant exacerbationes & quantum temporis perdurent, ac postremò qua hora vigor exacerbationis soleat apparere: cum enim certum sit, crises in vigore morbi, & in vigore exacerbationis fieri, illis sedulo præcognitis, non solum diem, se dipsissimam etiam horam futuræ criseos præuidebimus. Conf. Iolem. (*Melet. III.* 66. 68. 69.)

CAPVT V.

De loco, per quem futura est crisis. Ac primùm De signis futuræ criseos per vomitum.

OMnis critica vacuatio fit per vomitum, vel alui fluxum, vel sudores, vel vrinas, vel hæmorrhagiam, vel menses, vel hæmorrhoides, vel abscessum: quorum signa, è prædictis fontibus deprompta, sequentibus patefient theorematis, à vomitu incipiendo.

Tenebricosæ apparitiones, oculis obuersantes, futurum vomitum prænuntiant. *Actiones visus.*

Indicant enim materiam morbificam in ventriculo cumulari, quæ halitus copiosos ad caput emittit, & huiusmodi apparitiones tenebricosas efficit.

Capitis dolor acris, & mordens, futurum vomitum significat.

Ille enim dolor à dictis halitibus excitatur, qui acrimonia sua meninges cerebri vellicant.

Oris ventriculi morsus instantem vomitum significat.

Fit enim à dictis halitibus, partes illas vellicantibus.

Rigor, & frigus hypochondriorum instantem vomitum significant. *Motus.*

Fit enim etiam à dictis halitibus, partes illas vellicantibus.

Labri inferioris tremor instantem vomitum significat.

Fit enim ob communicationem tunicæ interioris ventriculi cum ore, & palato.

Sputationes frequentes imminentem vomitum significat. *Excrementa.*

Fiunt enim ob dictam tunicæ communionem & ventriculi compressionem, sese ad vomitum accingentis. (*Melet. III.* 70.)

COROLLARIVM.

Nota, vt plurimùm post vomitionem criticam subsequi diarrhœam, quæ morbo finem solet imponere; & reliquias ex vomitu expurgare.

CA-

CAPVT VI.

De signis crisεos futuræ per alui fluxum.

CRisis, quæ per alui fluxum perficitur, non admodum certis, & manifestis signis indicatur. Illa tamen erit prænoscenda partim ex signis, quæ iam proponentur, partim etiam ex signorum priuatione, quæ alias crises indicare solent. Ad eam igitur prænoscendam sequentia proponentur theoremata.

Quibus adsunt frequentes ructus, eisque succedunt multi flatus, & crepitus ventris cum borborygmo, & quadam illius inflatione, eos instantem alui fluxum expectare oportet.

Hæc enim omnia significant translationem materiæ morbificæ ad intestina.

Lumborum dolor, cum alijs signis potissimum iunctus, alui fluxum prænuntiat.

Quando enim per venas mesaraicas humor noxius fertur ad intestina, dolor lumbis communicatur per continuationem mesenterij, quod à ligamentis, lumborum vertebras connectentibus, ducit originem.

Quibus hypochondria suspensa murmurant, dolore lumborum superueniente, alui ijs humectantur, nisi flatus erumpant, aut vrinæ multitudo procedat: in febribus autem hæc. Aphor. 73. sect. 4.

Cum regio hypochondriorum intumescit, & murmurat, constat humorem cum flatu eo loci redundare. Quibus si dolor lumborum succedit, humor ille, aut flatus deorsum repit, vnde alui fluxus sequitur, aut saltem flatuum eruptio per sedem, nisi ille humor per vrinas euacuetur. (*Melet. III. 70.*)

COROLLARIVM.

Nota, maiorem fieri coniecturam, si toto morbi decursu aluus libera valde fuerit, aut die indice apparuerit fluidior, quàm alio tempore.

CAPVT VII.

De signis futuræ Crisεos per sudores.

MOrbi acuti frequentius multò per sudores, quàm aliam quamvis euacuationem solent iudicari. Ideò exactiores paulò erimus in futuri sudoris signis inuestigandis, quorum facilem intelligentiam sequens Tabula præstabit, notata littera M



Essentia. Cuius tabulæ seriem obseruando, sequentia proponentur theoremata.

Morbi acutissimi per sudores vt plurimùm iudicantur.

Fiunt enim ab humore bilioso, calido, & tenui, qui facilè per habitum corporis excluditur.

Causæ efficientes. Aer. *In calida, & humida aeris constitutione morbi vt plurimùm per sudores terminantur.*

Quandoquidem à calida, & humida aeris ambientis temperie pori, & meatus totius habitus laxantur, & aperiuntur, humores liquantur, & fluidiores efficiuntur, vt facilè per sudores expurgari valeant.

Humores *Quicumque morbi ab humore tenui, & calido, producuntur, per sudores solent iudicari.*

Sic febres biliosæ plerumque per sudorem iudicantur, quia illius humoris tenuitas, & calor facit, vt à natura commodè per habitum excernatur.

Causæ materiales, corpus ægrotantis *Quicunque ægrotantes carne molli, & cute laxa sunt præditi, his per sudores crisis facile perficitur.*

Siue illa habitus laxitas, & mollities à natiua dispositione sit, siue à cœli constitutione, vt dictum est perpetuò maximè confert ad crisin per sudores efficiendam.

Effectus. Actiones animales. Rigor *Rigor, aut horror in febribus continuis apparens, crisin per sudorem imminere significat.*

Quia humores illi tenues, dum à venis ad habitum feruntur, partes membranosas vellicant acrimonia sua, atque ita rigorem pariunt.

Vitales. Pulsus. *Pulsus mollis, & vndosus in febribus sudorem ad futurum demonstrat.*

Quando enim tenuiores humorum partes ad habitum affectant viam, arterias humectant, & emolliunt; vnde fit pulsus mollis, & vndosus, sudoris futuri prænuntius.

Naturales. Suppressio vrinę. *Vrinæ suppressio in febribus crisin per sudorem futuram ostendit.*

Quia cum eadem sit materia sudoris, & vrinæ nimirum serosi humores, dum illi ad habitum feruntur, necesse est vrinam supprimi, aut maximam pati imminutionem.

Excrementa *Si calidus quidam vapor è corpore ægrotantis eleuari præsentiatur, aut leuis quidam mador percipiatur, per sudorem futura est crisis.*

Si præter consuetudinem in ægrotante partes corporis externæ incalescant, aut facies rubescat, crisis per sudorem futura iudicatur.

Postrema hæc duo signa ostendunt naturam ad habitum corporis viam affectare, per quam humores noxios, & præternaturales expellat. (*Melet. c. I.*)

CAPVT VIII.

De signis futuræ Crisεos per vrinas.

SIgna futuræ crisεos per vrinas, pauca admodum proponuntur, illa tamen licet præuidere partim ex quibusdam signis positis, partim verò ex absentia aliorum. Si enim signa apparuerint, quæ crisin futuram in genere demonstrent, & nulla vomitus, diarrheæ, sudoris, aut hæmorrhagiæ signa apparuerint, per vrinas eam futuram, erit colligendum.

Signa verò quæ illam futuram peculiariter demonstrant hac seriæ proponuntur: quæ tamen simul sunt colligenda, vt aliquam in iudicando certitudinem habere valeamus.

Illa autem hæc sunt.

Hyberna constitutio.

Senilis ætas.

Cutis densitas.

Frequens micturitio, vel vrinæ copiosiores die indice apparentes.

Ardor, vel pruritus in extremo pudendi.

Grauitas in hypochondrio.

Tria priora signa continent impedimenta, quæ in habitu reperiri possunt, & efficere, ne serosus humor per sudores expurgetur. Cùm autem eadem materia, quę per sudores effluit, per vrinas facile possit expurgari, posito impedimento in via sudoris, conijcere possumus, per vrinas futuram excretionem. At tria signa posteriora ostendunt iam humores descendere ad vrinæ meatus. (*Melet. III. 76.*)

CAPVT IX.

De signis futuræ Crisεos per hæmorrhagiam.

FVturam hæmorrhagiam sequentia theoremata demonstrant.

Essentia. *Inflammationes hypochondriorum hęmorrhagia, vt plurimum soluuntur.*

Et in hoc solutionis modo tota salutis spes est constituta,

stituta, quia si non accidat, mors prædicenda est.

Causæ diuturnitatis Effectus.

Hæmorragiæ sepius solent contingere vsque ad vigesimumquintum annum, quam vltra hunc, & quidem temperamento sanguineo, aut bilioso, vernæ tempestate, & austrina constitutione.

Ex effectibus, qui ab actionibus læsis, excrementis, & qualitatibus mutatis desumuntur, sequentes futuram hæmorragiam prænuntiant.

Insomniæ. & imagines rerum rubrarum.

Capitis, & cernicis dolor subinde obortus.

Temporum grauitas, & pulsatio magna in arterijs illorum.

Tinnitus, vel sonnitus aurium.

Oculorum hebetudo, & marmaryges illis obuersantes.

Rubor eorundum, ac totius ferè faciei.

Lucis auersio.

Lachrymæ inuoluntariæ.

Pruritus nasi.

Sanguinis stilla die indice.

Spirandi difficultas.

Tensio hypochondriorum sine dolore.

Quando sanguis ad caput deferri incipit, parit in cerebro phantasmata rerum rubrarum, tum per in somnia, tum etiam inter vigilandum, vt inueni Romano contingit, cuius mentionem facit Gal. *lib de præsag. ad posthumum*: is enim morbo acuto laborans, rubrum serpentem ad cubiculi laquearia oberrantem videre visus est, quo perterritus è lecto subinde exilijt, vnde Gal. aduentantem hæmorrhagiam prædixit, & sanguinis missionem impediuit, quam alij Medici præscripserant. Dolor capitis, & cerui cis, ea eadem sanguinis translatione ad partes superiores exoritur, qui membranas, diuellens distendensque doloris sensu parit. Pulsant arteriæ temporum extraordinario motu propter earum compressionem, quæ à venarum repletione fit. Aurium tinnitus fit ex vaporibus ad cerebrum magna copia ascendentibus. Visus hebetudo fit, quia copiosi, & crassi vapore, ad superiora elati, meatus obstruunt, vnde fit, vt denegato aditu spiritui animali, hebescat visus. Marmaryges oculis obseruantes, nihil aliud sunt, quàm tenuia quædam, & diuulsa corpuscula variorum colorum intra corneam tunicam, & crystalloidem contenta ex vaporibus sursum elatis producta, quæ licet interiùs sint, exterius tamen posita, deceptione visus, apparent; quandoquidem oculus externæ assuetus visioni, quæcunque intus sunt, extra esse iudicat. Rubor faciei & oculorum ex sanguine fit, qui maiori copia ad illas partes cumulatur. Lucis auuersio ex eo proficiscitur, quod distenti oculi humorum copia, & ex nimia luce magis distendantur, quia lux disgregat spiritus, vnde oculi dilatatio, quam dolor consequitur, quem vt euitent ægrotantes, lucem refugiunt. Lachrymæ inuoluntariæ fiunt ex repletione oculorum, & partium adiacentium, quæ præter modum distentæ comprimunt glandulas illas, humorem continentes, ex quo lachrymæ generantur. Pruritus narium fit ex vaporibus sursum ascendentibus & nares vellicantibus. Sanguinis stilla die indice apparens, vt quarto, vel vndecimo, ostendit futuram hæmorrhagiam die iudicatorio, v. gr. septimo, vel decimoquarto, quia diebus indicibus natura incipit transferre humores ad eas partes. Difficilis redditur respiratio, quia dum sanguis ad superiora transfertur diaphragma comprimitur. Tensio denique hypocondriorum fit, quia sanguis in suo fonte, & radicibus venarum moueri incipit, sed fugax est ea distensio, & sine dolore, quemadmodum, & difficilis respiratio: si enim diutius, & contumaciter perseuerarent, signa essent potius hepatis inflammati. *Melet. III. c. I.*

CAPVT X.

De Signis futuræ criseos per menses, aut hæmorrhoidas.

Mensium, & hæmorrhoidum fluxus futurus ijsdem signis dignoscuntur, in eo tamen distinguuntur, quod, si in muliere appareant, menstruas purgationes pati consueta, per vterum perficiantur: Si verò in viro se prodant, hæmorrhoides pati solito per eas futuram crisin arbitrandum sit. Illa autem signa, vtrique vacuationi communia, sunt hæc:

Dolor, & grauitas lumborum, ac æstus eorundem.

Dolor, & tensio in hypogastrio.

Oris ventriculi molestia.

QVando sanguis ad partes inferiores descendit, venam cauam admodum replens, atque distendens, dolorem, & grauitatem, nec non æstum in eis efficit; quandoquidem vena caua descendens lumbis superiacet; à qua insignes rami ad hypogastriam deferuntur, qui dolorem etiam, atque tensionem in ijs partibus efficiunt: vnde etiam molestia in ore ventriculi persentitur, propter magnum consensum, quem habent partes hypogastricæ, & lumbares cum ventriculo. (*Melet. III. c. I.*)

CAPVT XI.

De Signis futuri abscessus.

ABscessus in aliquo morbo euenturus, sequentibus aphorismis breuiter significatur.

Quos febres longæ exercent, ijs tubercula, vel labores in articulis fiunt. Aph. 44. sect 4.

Febres longæ eæ dicuntur quæ vltra quadraginta dies exporriguntur, & fiunt ex materia frigida, crassa, & contumaci: quoniam igitur illa materia non facile per excretionem potest vacuari, ideò sæpissimè ad partes debiliores à natura expellitur, ibique abscessum producit.

Quicunque vrinas tenues, & crudas multo tempore mingunt, si alia omnia signa, vt in superuicturis, sint in his oportet expectare abscessus in regionibus infra septum transuersum. Hipp. 2. *progon.*

Dictum fuit supra, signa cruditatis longo tempore durantia, si vires sint debiles, mortem præsagire, eo quòd metus sit, ne æger possit durare, donec materia concocta sit. At verò si vires sint validæ, & reliqua signa conualescentiam polliceri videantur, sperandum est fore, vt homo liberetur, non quidem perfecta solutione sed permutatione, vel abscessu.

Quæ cum rigore sistuntur vrinæ, ijs, qui sopore tentantur, parotidas fore, sperabile. Hipp. *in Coac.*

Sopor magnam cerebri oppressionem significat, quæ rigore superueniente abscessum producit, aut magnam conuulsionem.

Febricitantibus lassitudinem habentibus in articulis, & circa maxillas potissimum, abscessus fiunt. Aph. 31. sect 4.

Lassitudo spontanea in febribus fit ex crassorum, & crudorum succorum multitudine, & illæ febres difficillimi sunt iudicij, atque vt plurimum per abscessus iudicantur.

Quibus conualescentibus ex morbo aliquid laborauerit, illis abscessos fiunt. Aph. 32. sect. 4.

Non solum dolor, aliquam partem affligens circa morbi declinationem, in ea futurum abscessum præmonstrat, sed etiam ea omnia, quæ partem debilem esse ostendunt.

Nota ex Hippoc. *Aph. 74. sect. 4.* quòd dum signa futuri abscessus apparent, à metu abscessus liberet, si vrina multa, crassa, & alba appareat, idque multo certiùs, & citius, si cum his vrinis hæmorrhagia contingat. (*Melet. c. I.*)

CAPVT XII.

De signis eorum, quæ superuentura sunt his, qui iam ægrotant, vel in morbos prolabuntur. Ac primùm de Signis futuri delirij.

MVlta in morbis præter crisin superuenire solent, tùm symptomata grauia, tum etiam, quando vnus morbus in alium commutatur; quæ omnia si à Medico præuideri possint, summum illi honorem, & ægrotanti vtilitatem afferre solent. Eorum

rum igitur signa iuxta prædictam methodum proponere aggredimur, à signis futuri delirij incipientes, quæ quidem sequentibus theorematis innotescent.

Actiones animales. Principes. *Obliuio de repente contingens in acutis, phrenitidem prænuntiat.*

Ostendit enim cerebrum iam affici, & materiam morbificam ad ipsum à partibus inferioribus irrumpere.

Somni perturbati, atque tumultuosi, delirium portendunt.

Minùs principes. Somnus et vigilia. Hoc docuit Hippoc. *in Coac.* his verbis: *Turbulentę ferocesque excitationes à somno, delirium afferunt*: Et ostendunt cerebrum valdè affici, & à naturali suo statu dimoueri.

Vigiliæ indesinentes delirium afferunt. Hippoc. 2. *prognost.*

Vtraque enim affectio ab eadem causa, producitur: calida nimirum, & sicca cerebri intemperie, vt docet Galen. 4. *de præs. ex pulsib.* Ideò remissior intemperies facit vigiliam; quando verò intenditur, in delirium commutatur.

Auditus *Tinnitus, & sonitus aurium, vel etiam surditas, insaniam sæpe præcedit, præsertim si cum vrinis appareat, habentibus suspensionem elatam, & sublimem*, Hipp. 1. *prorrhet.*

Significant enim hæc materiam transferri ad cerebrum, à qua delirium excitatur.

Exquisitus nimium odoratus futuram insaniam prænuntiat.

Significat enim insolitam cerebri exsiccationem, & spirituum attenuationem, quæ cerebrum ad phrenitidem disponit.

Tactus. *Dolor capitis vehemēs, et assiduus in acutis febribus delirium portendit præsertim qui in auribus obseruatur, aut qui cū præcordijs reuulsis coniungitur.*

Significat enim humores magna copia transferri ad cerebrum, idque vehementer afficere.

Lateris dolor, qui cum sputo bilioso sine causa manifesta euanuit, excessum affert mentis.

Significat enim translationem humoris bilioſi à latere ad cerebrum.

Surarum dolores mentem præcipitant, idque tum aliàs, tum si in vrina prauum sit enorema. Hippoc. *in Coac.*

Tanta est surarum communio cum partibus principibus, vt quemadmodum in calcis fractura accidunt febres peracutæ, tremulæ, singultosæ, paucorum dierum, mortiferæ deniq; ita quoq; insuturarum doloribus, qui fiunt à cacochymia maligna, febris excitatur in corde, & delirium in cerebro, quandoquidem humores maligni facilè cerebrum inuadunt. Quanquam verò huiusmodi dolores non modò surarum, sed & fæmorum, dorsi, & aliarum partum ignobilium sua præsentia delirium portendant, attamen multò certiùs id præstant, si postquam apparuerint, occultentur. Significant enim materiæ morbificæ translationem ad cerebrum: vt videre est apud Hipp. in 3. *epid.* 3. *sect.* 3. *aggr.* 5. vbi Caluus in Larissa fæmur dextrum doluit repentè, eorum verò, quæ adhibebantur, nihil iuuabat. Prima die febris acuta, ardens, dolores autem pergebant. Tertia fœmoris quidem dolor cessauit, alienatio verò mentis, & turbatio, & multa iactatio. Quarta circa meridiem extinctus est acutissimè.

Actiones Vitales. *Respiratio magna, & rara delirium significat.*

Spiritus magnus, & rarus propriùs est deliratium. Hipp. 1. *progn.* 24. illi enim, ob febris ardorem plurima respiratione indigentes, atque ob mentis errorem respirare obliuiscentes, ratò respirant & raritatem magnitudinem compensat. Huc sententia est etiam Gal. *de difficultate respirationis. cap.* 3. Vbi ostendit huiusmodi respirationem esse delirij propriam. Et *cap.* 10. *eiusdem libri* dicit, Philiscum, & Silenum non habuisse alias causas talis respirationis, quàm delirium. De Philisco, & Sileno agitur apud Hippoc. in *epid. sect.* 1. *histor.* 1. & 2. Vtrique à principio respiratio magna & rara fuit, in progressu verò manifesta deliria contingerunt.

Excremēta. *Vrinę albę, & lucidę in acutis phrenitidē prænūtiat.*

Significant enim bilem, quæ per vrinas effundi solebat, easque coloratiores efficere, ad cerebrum transferri.

Qualitates mutatæ. *Si in morbo acuto album oculi rubrum appareat, phrenitidem portendit.*

Significat enim membranas cerebri inflammari, quæ inflammatio facile comunicatur tunicæ adnatæ, quæ ab ipsis ducit originem.

Accidētia propria *Si pulsus insit in hypochondrio, tumultum significat, aut delirium: verùm oculos horum conspicari oportet. Si enim obrutus crebro mouetur, forè vt furiant, expectandum est.*

Cum arteria pulsat vehementer in eo loco, in quo non solet sentiri, calidam significat intemperiem, & multum flatus calidi per arterias delati, quæ ipsa causa tentans cerebrum, delirium facit. Iis enim, quæ per arterias meant, expeditissima via est ad cerebrum per caroditas, & iugulares, quæ penetrant in ipsos cerebri ventriculos. Cùm verò delirium cùm furore est, accidit menti magna vareitas imaginationum, & inquietudo: mouet ergo variè oculos, quasi requirens res varias, quæ illi obuersantur per cerebrum.

CAPVT XIII.

De signis futuræ conuulsionis.

Effectus. Actiones, principes. *Ex frigore cùm adest metus, & mœror immeritò, conuulsione finis est.* Hipp. *in Coac.*

Metus, & mœror fiunt ex concractione spirituum versus sua principia, à copia humoris melancholici obrutorum, vnde cùm frigore coniuncta sunt, atque ita humor ille cerebrum afficiens conuulsionem excitat, nisi hæmorrhoidibus, varicibus aut mensium profluuio vacuetur.

Minùs principes. Somnus et vigilia. *Deliria immanissima in conuulsionem desinunt.* Hipp. *in Coac.*

Fiunt enim à calidissima, & siccissima cerebri intemperie, quæ principium neruorum afficiens, conuulsionem inducit à siccitate.

Quibus incidente rigore, nocturna exacerbatio somni vacuitatem affert, cùm fatuitate coniuncta, si nonnunquam in somnis vrina excidit, conuulsione finis. Hipp. *in Coac.*

Hæc omnia symptomata significant materiæ anadromen ad cerebrum, quæ conuulsionem minatur.

Dolor capitis ingens, & perseuerans cum aluo suppressa conuulsionem minatur.

Significat enim materiam morbificam in cerebrum defigi, quæ ad neruorum principium tandem delata, conuulsionem efficit.

Tactus. *Dolores cubitorum, & ceruicis graues, & profundi, conuulsiones accersunt.*

Procedunt enim ab oppressione partium posteriorum cerebri, & humorum diffusione in spinalem medullam, aut membranas eius, ob copiam materiæ, aut malignam qualitatem, quæ extenditur per dorsum, & ad cubitum: eò quòd natura causam dissoluere aut concoquere non valeat.

Excremēta. Vrina. *Vrina cum rigore suppressa, praua, conuulsionem enim inuehit, tum aliàs, tùm si antea sopor inuaserit.* Hipp. *in Coac.*

Rigores symptomaticos cum vrinæ suppressione conuulsio facilè excipit, quandoquidem ostendunt anadromen humorum ad cerebrum, & principium neruorum, idque magis, si æger sopore afficiatur, qui euidentissimum est affecti cerebri indicium.

Vrina, quæ in somnis excidit præter consuetudinem, conuulsione minatur.

Significat enim musculum ceruicem occludentem, debiliorem esse redditum, cuius motus dependet a neruo cuius principium, & origo in vitio est, nisi peculiari morbo pars illa afficiatur.

CAPVT XIV.

De signis futuræ recidiuæ.

FUtura recidiua in conualescentibus, sequentibus theorematis poterit præuideri.

Essentia. *Morbi maligni, & mali moris non raro solent recidere.*

Ille enim naturam admodum debilitant, vt vix possit à causa morbifica se ita perfectè liberare, quin aliquæ superstitent reliquæ, recidiuam producturæ.

Morbi quantò longiores sunt, tantò magis obnoxij recidiuæ: quanto verò accutiores, minùs reuertuntur.

Morbi diuturni fiunt à materia crassiori, & frigidiori, quæ difficilius concoquitur, & euacuatur. At morbi acuti ex materia tenuiori, quæ facilius præparatur, atque excernitur.

Quibus die non critico febres soluuntur, ijs reuertuntur.

Quemadmodum dies critici maximam habent vim ad perfectam morborum curationem, quandoquidem tunc temporis natura vtiliter excernit humores morbificos; ita quæ die non critico contingunt solutiones, infidæ perpetuò esse consueuerunt; quandoquidem naturæ bene operantis legibus non respondent.

Causæ intern. *Morbi, qui ab atra bile, varijs, & mixti humoribus, viscidis, crassis & peruersis oriuntur, recidiuas facere solent.*

Illi enim humores maximè rebelles sunt, & à natura perfectè subigi, & edomari nequeunt, vnde recidiuæ solent exoriri.

Morbi, qui à sanguine, pituita dulci, aut bile pallida producuntur, aut alijs humoribus: qui nullam malignitatem acceperunt simplicesque existunt, & qui neque copiam hominem grauant, nec crassitie, aut lentore sunt præditi, nullam recidiuam minantur.

Quia natura facillimè se liberat à sarcina huiusmodi humorum, qui nullam contumaciam præseferunt.

Exterg. *Qui morbi in hyeme, vero, aut prima æstate contingunt, non solent facere recidiuas: Qui verò autumno solent contingere, illis maximè obnoxij sunt.*

Hyeme enim, & vere calor natiuus potentissimus est, & noxios humores efficaciter dissoluit. Autumno verò maximè debilis est, & exhaustus ex præcessæ æstatis exolutione; ideò vix potest causas morbificas integrè discutere.

Subiectum. *Qui bona corporis constitutione præditi sunt a morbo semel curati, non patiuntur recidiuas: at malè constitutis vt plurimum labuntur.*

Robur partium causam morbificam perfectè dissoluit; at quando est imbecillitas, vt in male habitus imperfecta sit humorem excretio.

Iuuãtes, et ledentes. *Quicunque ægrotantes perfectam sanitatem nequeunt adipisci & à paucis rebus iuuantur, læduntur verò à plurimis, (sunt in periculo recidiuæ.*

Hæc omnia significant causæ morbificæ reliquias in corpore latitantes, quæ recidiuas facere consueuerunt.

Effectus. *In quibus conualescentibus actiones, excrementa, & qualitates plurimùm a naturali constitutione euariant, nec ad pristinum statum reducuntur in his metuenda est recidiua.*

Quibus febres cessant sine signis concoctionis recidiuam in his expectare oportet Hipp. *prog.* 2.

Non possunt humores morbifici conuenienter excerni nisi prius concocti fuerint: ideò, quamvis febris cesset, si cruditatis signa appareant, ostendunt materiam morbificam adhuc intùs retineri, recidiuam effecturam.

Si post crisin peractam prina tenuis diu reddatur & parum colorata, recidiuam prænuntiat.

Significat enim naturæ imbecillitatem, quæ concoctiones suas ritè non exercet; vnde nouorum excrementorum prouentus, ex quibus recidiua expectanda est. (*Melet. III.* 56.)

INSTITVTIONVM MEDICARVM

LIBER QVARTVS:

Qui est de Ὑγιεινῇ seu valetudine conseruanda. *Hygiene.*

PROEMIUM.

Finis Medicinæ duplex est, vt scilicet sanitas præsens conseruetur, & amissa recuperetur. Priori debetur Ὑγιεινὴ *posteriori* Θεραπευτικὴ. *Therapeutica.*

Hygiene. Ὑγιεινὴ *in sex rerum non naturalium administratione tota versatur. Ille autem sex res nonnaturales sunt Aer. cibus, & potus, motus, & quies, somnus, & vigilia, excreta, & retenta, & animi pathemata.*

NOn naturales dicuntur, quasi mediæ inter naturales, & præternaturales, Illæ enim proprie, & absolute naturales dicuntur, quæ corporis viuentis constitutionem ingrediuntur, & tractantur *in Physiologia*. Hæ verò dicuntur nonnaturales, quandoquidem rectus ac legitimus rerum vsus sanitatem conseruat; & tunc ad causas naturales referuntur: præposterus verò, & illegitimus, morbos producit & tunc præternaturales fiunt, omniumque propemodum morborum causæ, vt *in Pathologia* docetur. Sunt tamen earum nonnullæ, quæ in rerum verè naturalium serie continentur, vt motus corporis, & animi pathemata, prout functiones sunt à facultatibus suis profectè: considerataæ verò prout earum vsus corpus afficit, nonnaturales appellantur.

Dicuntur etiam necessarię, quia ijs carere, earumque vim effugere possumus; sed continuò, & necessariò corpus nostrum afficiunt.

Obijci potest, alia adhuc esse non pauca, quæ corpus nostrum alterant; & ideo ad res nonnaturales esse referenda, nempe cœlum, aquam, ignem, terram, & regiones; ac proinde senarium earum numerum esse multiplicandum. *Respondemus*, Cælum, ignem, terram, & regiones; ad aerem reduci, quia non agunt in nos, nisi per aerem; Aquam verò, si assumatur, ad potum esse referendum; si verò admoueatur, vt in balneo, & lotionibus, negamus esse necessariam; siquidem ea facilè carere possumus, atque hoc respectu rerum nonnaturalium censu est expugenda.

Totus igitur hic liber in sex rerum nonnaturalium explicatione versabitur: in eoque ostendemus, quomodo ij, vtendum sit ad sanitatem tuendam, vitamque incolumem, & potu morbis immunem diutissime conseruandam: a cibo, & potu incipiendo, quòd maioris sint momenti, & multò plura in ijs considerandа veniant.

CAPUT I.

De Cibo, & Potu, seu de Alimentis.

Alimentum est id, quo à calore natiuo commutatum, in corporis nostri substantiam conuerti, illudq; nutrire potest. In eo differt à medicamento, quòd medicamentum definiatur Galeno 1. simpl. *quòd corporis nostri substãtiã alterare.*

neque

neque in eam, quatenus tale, conuerti poteſt.

Datur tamen medium quoddam inter illa duo, vtriuſque naturæ particeps, quod & nutrire, & alterare poteſt, vocaturque alimentum medicamentoſum, vel medicamentum alimentoſum.

Varia autem ſunt alimentorum genera ex diuerſis rebus petita, quę tamen omnia ſub plantarum, & animalium generibus continentur.

REs omnes ſublunares, quibus in Medicina vtimur, ſubtriplici genere comprehenduntur; plantarum, animalium & mineralium. Omne autem mixtum nutriendi facultate præditum, vitam (*ſuccum nutritium*) habuiſſe neceſſe eſt, ſicque mineralia (*& non paucæ etiam plantæ*) ex alimentorum ſerie prorſus excluduntur.

In eorum verò vſu conſideranda ſunt ſubſtantia, quantitas, qualitas, ordo, tempus, & hora ſumendi; præparatio, conſuetudo, & delectatio, ætas, & anni tempus. De quibus omnibus ſigillatim agemus. Iiſque conſequenter præcipuorum, ac magis vſitatorum ciborum, accondimentorum facultates ſubijciemus. Ac tandem potulentorum materiam, & vires excutiemus.

CAPVT II.

De alimentorum ſubſtantia.

Per Alimentorum ſubſtantiam intelligimus formam, & materiam, ex qua illa componuntur.

Sub formæ nomine comprehendimus illam totius ſubſtantiæ proprietatem, qua alimentum idoneum redditur, vt in corporis noſtri ſubſtantiam conuertatur. Vnde vulgo dici ſolet alimenta nos nutrire propter ſubſtantiæ ſimilitudinem, quam habent cum corporibus noſtris.

Hinc cibi dicuntur boni, vel mali ſucci, multùm, vel parùm nutrientes, quatenùs habent ſubſtantiam corpori noſtro magis, vel minùs analogam, eamque puriorem, aut multis partibus heterogeneis permixtam.

Ad materiam referuntur, durities, mollities, raritas, denſitas grauitas, leuitas, craſſities, tenuitas, lentor, & friabilitas.

Quæ licet ſub qualitatum ſecundarum claſſe contineantur; quia tamen materiam proximè ſequuntur, & ideò qualitates materiales nominantur, (propterea quod ex varia permixtione humidi cum ſicco oriuntur) ad ſubſtantiam, vel ſubſtantiæ modum reducuntur.

Ergo ratione ſubſtantiæ bona, & laudabilia alimenta vocantur, quæ bonum, & laudabilem ſuccum, ac pauca excrementa generant, & mediocrem obtinent conſiſtentiam, nempe, quæ neque nimis dura, craſſa, aut denſa; neque nimis mollia, rara, aut tenuia. E quorum genere ſunt panis expuriſſima tritici farinæ confectus, recens bene coctus, & fermentatus, caro vitulina, hœdina, vitulina, caponum, gallinarum, pullorum, pipionum, perdicum, aliarumque auicularum montanarum; aliaque ſequentibus ſuctus explicanda.

Praua verò, & dyſpepta, ac malè nutrientia multaque excrementa generantia dicuntur ea quæ duram, grauem, denſam, ac craſſam, ſubſtantiam obtinent, vt panis furfuraceus, caro bouina, caprina, hircina, ceruina, legumina, caſcus antiquus, & ſimilia.

Hæc tamen bona, vel mala alimenta, ſalubria, aut inſalubria generaliter dicenda non ſunt omnibus hominibus; ſed pro diuerſa eorum natura, vitæ genere, & exercitijs, illa quibuſdam magis conueniunt, hæc verò alijs commodiora ſunt. Sic quibus calor fortior eſt, iis dyſpepta alimenta qualia ſunt carnes bubulæ, ceruinæ, leporinæ, infumatæ, & ſimilia benè concoquuntur: contra verò eupepta, vt carnes agninæ, vitulinæ; oua tremula, piſces ſaxatiles, & ſimilia, deterius concoquuntur: ſiquidem illa corrumpuntur, & aduruntur à calore fortiori: prout enim alterantur, facilè, ſic promptè vitiantur, ac corrumpuntur. Alia verò, quæ communiter diſpepta nominantur, ſicut difficulter alterantur, ita ægrè ad ſtatum deteriorem producuntur.

HVius rei exempla deſumere poſſumus ex ijs, quæ exteriùs coquuntur; v.g. melle, quod ſua natura dulciſſimum, ſi vlterius coquatur, amaritudinem contrahit. Contra verò carnes bubulæ, & porcinæ, diutiùs coctæ, ſapidiores euadunt. Idem mel iuuenibus eſt noxium, quoniam à mordaci eorum calore aduritur, & in bilem conuertitur ſenibus verò ſalubre eſt, quoniam à modico eorum calore probè concoquitur. Propter eandem cauſam agricolæ, foſſores, baiuli, nautę alijque artifices laborioſam artē exercentes, carnibus hœdinis, vitulinis, pullis gallinaceis, columbinis, & ouis ſorbilibus non probè nutriuntur: non ſolùm quod è fortiori eorum calore alimenta illa citiùs conſumantur, ac diſſipentur; ſed etiam, quòd ab eodem calore nimis concoquantur, & corrumpantur. Contrà verò leguminibus, braſſica, caſeo, carne bubula, & ſimilibus commodè aluntur.

CAPVT III.

De Alimentorum quantitate.

Quantitas alimentorum debet eſſe moderata, quæ ſcilicet corpori nutriendo, & viribus reſficiendi ſufficiat. Et ſi hos limites plurimum excedat, varios producit morbos, ac vitam abbreuiat.

Quemadmodum autem ciborum multitudo plurimos morbos generat; ſic eorundem parſimonia, quæ ſobrietas vulgo, ac frugalitas nominatur, multorum morborum curationi, & præcautioni inſeruit, vitamque longam efficit.

SVmma, ac præcipua Diætetices ratio in moderata quantitate conſiſtit. Licet enim alimenta in ſubſtantia, qualitate, alijſque conditionibus aliquantulum aberrent; ſi tamen pauca ſit eorum quantitas: benè concoquuntur, & optimè nutriunt. Itaque in primis quantitati attendere oportet, quæ vt plurimùm nimia eſſe ſolet. Hoc ex eo ſatis patet, quòd omnes ferè morbi venę ſectione, purgatione, alijſque euacuationibus curentur, quibus ſuperflua humorum copia auferenda eſt, quæ ex nimia ingeſtorum copia ducit originem. Hinc ſobrietas & ciborum parcimonia ſanitatis, & vitæ longæ parens dici conſueuit. Vnde Hippoc. 6. *epid. ſect.* 4. *Aph.* 20 *ſanitatis ſtudium eſt non ſatiari cibis & impigrum eſſe ad labores.* Idem *Aph.* 17. *ſect.* 1. *vbi plus cibi quam pro natura ingeſtum eſt hic morbum facit:* Plato intemperantem ciuitatem hoc ſigno patefacit, quò multos Medicos alat. Hinc natum prouerbium. *Intemperantia medicorum nutriax* tum etiam illud. *plures occidit gula, quàm gladius.* Galenus vero, *Maiores noſtri* inquit, *pauciores morbis laborabant, quia frugalius viuebant.* Et Seneca luxum, & ingluuiem ſui temporis, mendacem feciſſem Hippocratem ſcribit, qui, Eunuchos, & fœminas atrithicis doloribus non vexari, aſſeuerat Ariſt. verò *in problemaiis* dicit ſalubertimum eſſe, cibum minuere, & laborem augere. Diogenes Cynicus dicere ſolebat, inſanum eſſe ea à Dijs petere, quæ in noſtra eſſent poteſtate; dum ſcilicet pro obtinenda bona valetudine Deum oramus; deinde nos cibo, potuque ingurgitamus. His omnibus ſacræ Scripturæ autoritatem ſubnectamus. Eccleſiaſtes *c.* 37. *Noli,* inquit, *auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper eſcam, in multis enim cibis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit ſquead coleram: propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens eſt, adijcit vitam.*

Idipſum exemplis luculentis confirmari poteſt. Sanctus Paulus primus Eremita, referente Diuo Hyeronimo *in eius vita,* ad annos 115. ætate produxit, ex quibus centum egit in Eremo, quadraginta quidem primos cum paucis dactylis, & hauſtu aquæ; reliquos verò, poſtquam dactyli defeciſſent, pane dimidio, quem coruus ei quotidie ſubminiſtrabat. Sanctus Antonius, teſte Athanaſio, vixit annos 105. ex quibus 90. egit in Eremo, ſolo pane, & aqua corpus ſubſtētas, quibus interdum aliquid oleris addebat in extrema ſenectute. Arſenius præceptor Arcadij Imperatoris, vixit annos 120. quorum 55. tranſegit in deſerto; abſtinentia mirabili. At noſtro ſęculo Ludouicus Cornarus, Nobilis Venetus, cum ad 35. ætatis annum vitam inſalubrem duxiſſet, licet multis remedijs fruſtra vſus eſſet, varijs frequenter morbis conflictatus: tandem conſilio cuiuſdam Medici ſola dieta morbos illos oppugnare cępit: cibi, & potus quantitatem ſenſim imminues, donec ad vncias quatuordecim cibi, computando panem, carnes, oua, & alia quæuis edulia, & ſexdecim potus ad ſingulos dies peruenijſſet; in quo regimine perſeuerans, vitam incolumen, & à morbis liberam, atque vegetam vltra centeſimum annum produxit vt ipſemet teſtatur *in libello de vitæ ſobriæ commodis* inſcripto, ab eo Italice edito, qui poſtmodum in Latinam, & Gallicam Linguam conuerſus

eſt,

est. Ex quibus colligere possumus, ciborum parcimoniam non solùm ad sanitatem in eodem statu, conseruandam, sed etiam profligandos morbos contumaces, & diuturnos maximè conferre. Postquam enim calor natiuus paucam illam alimentorum quantitatem citò concoxit, circa humores superfluos occupatur, eosque digerit, dissipat, & per varia corporis emunctoria sensim eliminat, vt tandem corpus purum, & à causis morbificis liberum euadat. Perseuerando autem in eodē victus regimine, corpus ab omnibus morbis liberum redditur, saltem ratione causarum internarum, quarum congeries ab eodem præcauetur. Si verò à causis externis corpus offendatur, multò minor læsio sequitur, quia corpus superfluitatibus vacuum magis resistit. Unde videmus in magnis mutationibus temporum, v. g. quando à constitutione austrina, calida, & humida, subita, & repentina fit mutatio in Aquiloniam, frigidam, & siccam, multos homines affici catarrho, pleuritidi, aut peripneumonia, in quorum scilicet corporibus morbosus apparatus habitabat; alios verò minimè, quorum scilicet corpora magis vacua superfluis humoribus reperiuntur. Et, si tales homines interdū causarū externarum vehementia in aliquē morbum præcipitentur, citiùs liberantur, ob paucitatem causę internæ ab externa commotæ, quæ ideò facilè vincitur, ac resoluitur.

Prætereà, si exacta illa diæta morbos incurabiles auferre nequit, eos saltim multò leuiores, & tolerabiliores reddit, facitque vt ęgri cum ijs diu viuere possint. Sic multos quotidie videmus cum vlcere pulmonis, cum scirrho hepatis, vel lienis, cùm calculo in renibus, aut vesica, diu vitam producere. Sic testatur Aristoteles *in Problematis*, quēndam fuisse suo tempore Philosophum, Herodicum nomine, qui cùm tabe laboraret, tamen arte διαιτητικῆ ad centesimum annum peruenerat.

Vulgo *obicij* solet; multos ad extremum senium peruenire, qui multis cibis quotidie sese ingurgitant. *Respondemus*, ratissimos esse illos, & eximio partium robore, ac temperamento præditos, qui si sobriè viuerent, vitam diutiùs protraherent, & ad animi actiones meliùs dispositi essent. Necesse est enim eos, qui non frugaliter viuunt, multis prauis humoribus impleri, & sæpè morbis tentari, nec posse, sine detrimento valetudinis, arduis mentem functionibus diu intendere: tum quia in illis tota vis naturæ, & spirituum concoctioni ciborum mancipata est, à qua si violenter per animi contentiones abstrahatur, prauа fiet concoctio, & multæ nascentur cruditates; tum quia illis opus est crebra corporis exercitatione, vel medicamentis, quibus corpus expurgetur, atq; adeò etsi diu videantur viuere corpore, tamen animo & ingenio parum viuunt, cū exiguo tempore ad functiones animi sint idonei, & maior pars temporis debeat impendi obsequio corporis. His adde, quòd si aliquando contingat, eos, qui fortiori natura præditi sunt, diu vitam producere, licèt plurimis cibis sese ingurgitent nullum tamen vnquam videre est ex ijs, qui debilioris sunt naturæ, tali victu vtentem qui ad senectutem peruenire potuerit. Contra verò si temperatè viuant, longiùs vitam producunt, quam robusti intemperatè viuentes.

Moderata autem, & necessaria ciborum quantitas regula generali determinari nequit, cùm diuersitas temporum, ætatum, & temperierum eam multùm uariet.

Hoc theoremate ostenditur: Lud. Cornari exemplum supra propositum quibuslibet hominibus, tanquam exemplar imitandum obijci non debere. Multi enim homines reperiuntur robusto, ac valido calore natiuo præditi, qui ætam parco victu maximè læderentur. Scribit enim Hipp. *aph. 5. lib. 1.* tenuem victum, eumque admodum exquisitum paulò plenori esse periculosiorem; quia facilius est causis replentibus subuenire, quam exhaustum humidum primigenium, & exhaustas partes solidas alimento reficere. Victus ratio triplex instituitur ab Hipp. & Gal. *tenuis* quæ vires imminuit, *mediocris*, quæ conseruat, & *plena*, quę auget. Tenuis nunquam sanis sed ægris tantum competit. Nam *sicut sanis cibus robur est, ita ægrotanti morbus, & impura corpora quò plùs nutries, eo magis lædes.* In sanis verò semper seruandum est naturæ robur, vel augendum alimentis, non frangendum: quod in ægris non potest fieri, quia victus mediocris vires conseruans in sanis, eas imminuit in ægris morbum augendo; quia quò magis nutries, eò magis lædes. Tam exacta igitur victus ratio, qualis à Cornaro obseruata est, omnibus hominibus conuenire non potest sed tantum ijs, qui valetudinarij sunt, & calorem natiuum habent admodum debilem multis cibis concoquendis minimè capacem tum etiam ijs, corpus habent multis humiditatibus referrum; inedia enim corpus exsiccat, ac deniq; ijs, qui parùm exercitij indulgent, & vitam agunt sedentariam: simulque contēplationis, aut magnis animi contentionibus dediti sunt. Nonnulla tamen theoremata stabiliri possunt, quibus vnusquisque sibi conuenientem ciborum copiam circumcirca determinare poterit.

Primum theorema est. *Nunquam bene sano ad satietatem esse comedendum, sed à mensa, vigente adhuc appetitu, esse recedendum.*

Hoc theorema respondet *Aph.* Hip. *suprà citato, non satiari cibis:* in bene valentibus enim viget appetitus, donec ventriculus valdè repletus sit, quæ repletio admodum noxia est, vt suprà monuimus.

Secundum theorema est: *Si tantum ordinariè sumas cibi, & potus, vt postea sentias torporem quendam, grauitatem, & lassitudinem corporis, cùm antea esses agilis & alacrior, signum est mensuram congruentem excedi, & quantitatem alimentorum esse minuendam, donec prædicta incommoda non ampliùs appareant.*

Tertium theorema est: *Si à pastu parum aptus sis actionibus mentis, vt studio, meditationi, aut contemplationi alijsq; tum animi tum corporis functionibus; perspicuum est, te iustam mensuram excedere.*

Quartum theorema *desumitur ab* Hip. 3. *de diætas vbi signa repletionis proponit: quæ quidem repletio ex nimia alimentorum copia procedit, & ideò minuenda est. Imo verò si multum exuperet, vt morbum minari videatur; cùm victus parsimonia nonnisi lentè humores superfluos consumat; euacuationibus confestim auferenda est.*

Signa ergo repletionis ab Hipp. *proposita hic summatim describenda sunt, iuxta semeiotices nostræ methodum, vt meliùs percipiantur, in ordinem à nobis redacta. Talia igitur sunt capitis dolor, & grauitas somni longiores, & perturbati in somnia turbulenta, vt videatur homo cum aliquo pugnam committere, somnus etiam diurnus præcipuè post pastus. Segnities totius corporis, lassitudines, & dolores, vel toto, vel aliqua parte. Appetitus detectio, aut imminutio, cruditates in ventriculo, ructus acidi vel nidorosi, alui contrictio, aut tarditas insolita. Destillationes frequentes nares à cœna repletæ è quibus tamen nihil, aut parum emungitur, magnæ cū exerceri incipiunt, multum emungitur, & expuitur. Flatuū copia præter consuetudinem, alui profluuia interdum, à corruptis alimentis, & interdum dysenteriæ.*

Quintum theorema est: *Ab inordinata viuendi ratione non est immeditatè transeundū ad exactam regulam, sed sensim id faciendum; minuendo, modicis subtractionibus cōsuetam quantitatem, donec ad eam perueniatur mensuram, quæ non ampliùs corpus grauet, aut animi functiones offendat.*

Hoc theorema fulcitur *Aphorismo* Hippocratis. *51. l. 2. Plurimùm, atque repente euacuare, vel replere, refrigerare calefacere sine quouis alio modo corpus mouere, periculosū: omnis enim mutatio subita est periculosa.*

Ad quantitatem discretam spectat ciborum varietas, quæ sanitati noxiosissima est. Cum enim diuersorum ciborum diuersa sit natura, fit, vt alij celeriùs & alij tardiùs conficiantur inde prauа sequitur concoctio. Si enim cibi concocti faciliores, postquam perfectè concocti sunt, vlterius in ventriculo detineantur, corrumpuntur citissimè: Si verò quam primum concocti sunt ad intestina detrudantur, reliquos cibos nondum concoctos simul abripiunt, vnde cruditates emergunt.

Hoc theorema intelligendum est de varietate ciborum, natura, & temperie plurimùm inter se discrepantium. Nullum enim est inconueniens, in vna, & eadem mensa pullos, pipiones, perdices, aliasque carnes delicatiores comedere: sed si carnes cum piscibus, oleribus, fructibus, alijsque edulijs heterogeneis misceantur; prauа inde sequitur concoctio. Hippocrates *li. de flatibus: Dissimilia* inquit *seditionem mouent* aliaque celeriùs, alia tardiùs & ægriùs concoquuntur. Et Seneca eleganter; *Diuersa cibaria inquinant, & non alunt.*

CAPVT IV.

De Qualitate alimentorum.

Alimenta ratione qualitatis, vel temperata sunt, vel intemperata.

Temperata dicuntur, in quibus nulla qualitas manifesta superat:

perat, & illa omni hominum generi præsertim vero temperatis conueniunt. Ex eo genere sunt panis, & carnes, quas euchymas nominauimus: & illa simpliciter Alimenta *vocantur.*

Intemperata sunt, quæ manifesta aliqua qualitate nos immutant, &c. Alimenta medicamentosa *dicuntur.*

Illa autem alimenta medicamentosa corpora nostra immutant, calefaciendo, refrigerando, humectando, vel exsiccando, obstruendo, vel aperiendo, aluum laxando, vel constringendo semen, vel lac generando.

MAnifestè calefaciunt vinum, piper, & alia aromata cæpa, allium, porrum, nasturtium, hyssopus, mentha petro selinum & salsa omnia; eadem etiam exsiccant. Refrigerant verò panis ex farina hordei, aut secalina acetum, lactuca, portulaca acetosa, cucurbita, cucumeres, melones, & fructus horarij; quæ etiam humectãt, si acetum excipias. Obstruunt alimenta crassa supra enumerata, & reliqua eiusdem generis, quę maximè vitanda sunt omnibus hominibus, quia omnes ferè morbi fiunt ab obstructione. Aperiunt obstructiones aromata prædicta, apium, petroselinum, capparis, asparagus, pastinaca syluestris, fœniculum marinum, cicera rubra, & alia quamplurima. Semen, & lac generantia ex materia medica desumenda sunt: in qua etiam multò plura prędictis facultatibus prædita reperiuntur, præterea, quæ supra; tantùm exempli grauia, proposita sunt.

CAPVT V.

De Ordine alimentorum.

Si vltimum theorema cap. 2 propositum, ritè obseruetur, vt scil. ciborum varietas in vna, & eadem mensa, tanquam noxia videtur; huic capiti nullus erit locus: sed quia hominum intemperantia strictioribus viuendi legibus submitti non vult; cogimur etiam præcepta docere, quibus noxam illius imminuere valeat.

Communis igitur, atque generalis circa ordinem regula habenda est; vt alimenta tenuia, liquida concoctu facilia laxantia, & quæ facile descendunt, priùs assumantur: crassa verò solida, concoctu difficilia, & astringentia posteriùs.

HOc theorema desumitur à Gal. 2. de *Alim. facult. cap.* 2. & 1. *de victus rat. in morbis acutis, text.* 22. Et ratio idipsum maximè confirmat. Nam quæ celerius concoquuntur, qualia sunt humida, & liquida, citiùs è ventriculo descendunt: & si diutiùs retineantur, postquam concocta sunt facile putrescunt. Adde, quòd, postquam illa concocta sunt & ad duodenum detrusa, reliquis nondum concoctis locum cedant, vt ad fundum ventriculi deuoluta meliùs concoquantur.

Quamuis autem hæc, doctrina receptissima sit, nonnulli tamen contrarium probare conati sunt ex eo, quòd solida, & dyscepta alimenta maiori calore indigeant, qualis est in fundo ventriculi magis carnoso: atque adeò prius ingesta eadẽ temporis distantia concoquentur, qua eupepta superiorem partem minori calore præditam occupantia. Verùm, non tanta est in superiori, & inferiori ventriculi parte caloris differentia, vt in vna eupepta, in alia dispepta eodem tempore concoqui valeant. Sed potiùs dicendum est, alimenta in ventriculo eandem sedem toto concoctionis tempore non seruare, quam, dum ingesta fuerãt, obtinuerunt, sed per coctionem, quæ elixatione fit, simul commisceri: cum caloris sit congregare homogenea. Et constat experientia, chylum vniformem, & omnibus suis partibus similem ex omnibus alimentis generari. Adde, quod potus, qui per prandij, & cęnę decursum partitis vicibus ingeritur, exactè cibis misceatur: quod etiam de iusculis, aliisque liquidis alimentis dicendum est. Non est igitur magni momenti hæc regula, ciborum ordinem spectans. Sed multò maioris momenti est, huic ciborum varietati non indulgere, cùm vnicus cibus, aut saltem plures valde analogi, simul ritè coquantur, nullumque cruditatis metum inferant, si modica quantitate sumantur. Asserendum tamen est; alimenta humida, & laxantia, priùs assumpta, ventriculi tunicas laxare & aluum molliorem reddere, contrà verò astringentia eándem comprimere, si prioti loco sumantur.

In principio mensæ iusculum, aut ossa, aut quodvis aliud alimentum actu caliduin sumatur. Nunquam tamen pastus à potu est inchoandus.

Huic theoremati repugnare videtur vulgaris ille versiculus scholæ Salernitanæ.

Vt vites pœnam de potibus incipe cœnam.

Ille tamen non intelligendus est de potu aquæ, & vini: alioqui purè, & simpliciter reijciendus esset; sed de alimento liquido audiendus est: in quo sensu etiam Hipp. nomen potus vsurpauit. *Aphor.* 11. *sect.* 2. vbi *facilius est*, inquit *impleri potu, quam cibo*, per potum intelligens liquidum alimentum, quod potu hauritur, quale febricitantibus vulgò exhiberi solet, idque alibi victum humidum appellãs. Illa siquidem facilius concoquuntur, & distribuuntur, sicq; facilè corpus impletur, ac reficitur. Potus autem ordinarius qui ex aqua, & vino componitur, priori loco assumptus, crudus rapitur à venis, præsertim existentibus famelicis neruosq; ferit, maximè si vinum bibatur. Nam aquam bibere ante pastum, ijs, qui ventriculum habent calidum, & sitibundum, præcipuè æstatis tempore, incommodum non est: illa enim aqua citò rapitur ab hepate sitibundo, vnde ipsi refrigerium aliquod accedit.

Neque obstat vterum consuetudo à quibusdam allata, quę apud Athenæum reperitur. *l.* 4. *Dipnosophist.* vbi refert, donatas fuisse conuiuis assidentibus argenteas phialas viginti, hisque euacuatis, panem demum, carnesque appositas esse. Idem *loco cit.* frugalitatem describens Cleomenis Lacedæmoniorum Regis notat, conuiuis datum esse cyatum vnum ante cœnam. Hæc bibendi ratio προπόσια, & προποτισμὸς vocabatur. Apud Latinos etiam hic mos obseruatus fuit quemadmodum refert Plinius *libr.* 12. *capit.* 22. Tiberio Claudio principe, ante annos 400. institutum, vt ieiuni biberent, potusque vini cibos antecederet. Verùm praua fuit, & damnosa illa consuetudo in conuiuiorum luxu non apud homines sobrios vsitata. Quod ipse Plinius innuit inquiens, hunc morem introductum fuisse externis artibus, & placitis quorundam Medicorum, nouitate aliqua sese commendantium. A Plutarcho etiã improbatur *lib.* 8. *Sympos. quæst.* 9. vbi inter causas nouorum morborum προπόσεις recenset. *Antiqui*, ait, *ne aquam quidem biberunt antequam comedissent: nunc ante cibum captum vino oppleti, humectato, & feruente corpore cibum aggrediuntur.* Saluberrimum autem est ante potũ cibos solidos assumere, donec sitis excitetur, eosque actu calidos, ne calorem stomachi offendant, sed sint veluti fundamentum stabile totius pastus.

Pastus verò potu claudere inconueniens non est.

Non est res magni momenti, si pastus potu, vel cibo claudatur, sed hoc tantùm aduertendum est, ne nimia copia potus ingeratur, fluctuationem enim in ventriculo efficere. At si in fine pastus sitis aliqua supersit, commodè potus assumitur. Celsus optimum esse asserit, in fine pastus aquæ frigidę parùm assumere, quod à ratione alienum non est, illa enim stomachi orificium frigiditate sua leuiter constringit, calorem cogitanti peristasi & vaporum ascensum prohibet quẽadmodum experientia docet, grauem quorundam eduliorum halitum, vt cæparum, alliorum, casei antiqui, & similium, aquæ frigidæ potu in fine mensæ prohiberi, aut plurimùm imminui, vt proinde aquam potus & cereuisiam post caseum, &c. sumant doctiores.

CAPUT VI.

Tempus, & horam sumendi alimenti à consuetudine desumere oportet. Si quis enim bis, aut ter in die, & statis horis alimenta sumere consueuerit, & cum his benè habeat; in eo modo perseuerare debet, donec aliquid contingat, quòd eum immutare cogat.

NOn potest certa regula statui circa cibandi tempus, sed illud imprimis à consuetudine desumendum est: cui natura tantoperè inhæret, vt aduentante hora prandij, in bene sanis ventriculus plurimùm appetat; & nouum famelicus appetat alimentum. Quà hora prætergressa, languet plurimùm, appetentia, & fames deijcitur.

Aduentante verò prandij, aut cœnæ hora, necesse est, vt appetitus vigeat, & cibus in priori pastu ingestus optimè concoctus fuerit, alioqui satius est, horam illam differre, aut pastum omnino intermittere, aut pauciissimam alimentorum copiam assumere.

In eo vniuersa hæc regula versatur, vt cibus non assumatur, antequam prior, antea ingestus, sit omninò concoctus, & ad intestina detrusus: nunc enim appetentia redintegratur, & coctio postmodum egregiè perficitur. Si verò

cibus

verò cibus assumatur, priori nondum concocto, malè concoquetur, & insignem eruditatem pariet. Hoc tantum in ijs habet locum, qui casu aliquo extraordinario, vt in conuiuio lautiori, sese præter modum epulis ingurgitarunt: nunc enim saluberrimum est sequentem pastum omninò præscindere, aut vnico austu vini diluti, & tantillo cibi absoluere. Si enim in victu ordinario illud contingeret, vt hora pastus ordinaria appetentia non vigeret, & alia nondum concocti prioris cibi signa apparerent, indicio esset, nimiam alimenti copiam assumi, eamque esse minuendam.

Cum autem tempus aliquid sumendi cibi vniuersim præfigi debeat, quod maiori hominum parti conueniat: statuimus vis, in die cibum sumere conuenientissimum esse. Frequentiores enim epulæ eruditatis metum afferunt. Ieiunia vero longiora corpus debilitant, & prauos humores ad ventriculum deducunt, vnde multi affectus exhoriri possunt.

Maxima pars hominum prandio, & cœna contenta est: multi tamen ientaculum addunt, alij etiam merendam: quod præcipuè pueris, & senibus conuenit: illis, quia, vt docuit Hipp. *Plurimùm habent calidi innati, & plurimo egent alimento*. His verò, quia cum habeant calorem debilem, paucũ alimentum singulis vicibus ingerere debent, vt benè concoqui valeat, & illud frequentiùs assumendum, vt toti corpori nutriendo sufficere possit. Ieiunia verò longiora picrocholis præsertim noxam afferre solent, quia ventriculus vacuus bilioſi; impletur humoribus, qui cardialgias, colicas bilioſas, & alios affectus pariunt. Cæteris autem hominibus ventriculus vacuus non habens, quod concoquat, à vicinis locis trahit quod inuenit, sicque prauis impletur humoribus, qui etiam multorum morborum causa esse possunt. Satiùs ergo est in singulis pastibus quantitatem ciborum minuere, quam post lautas epulas longum ieiunium exercere.

Cœna in nonnullis optima sanitate præditis, & in florenti ætate constitutis, prandio æqualis, aut largior esse potest. At in reliquis omnibus parcior esse debet.

Nulla res in tota arte magis controuersa reperitur, quàm vbi quæritur, an cœna prandio largior esse debeat, aut contra. Quæ aliam etiam grauissimam quæstionem includit: an coctio meliùs noctu, quàm interdiu, in somno meliùs, quàm in vigilia perficiatur. Vtrinque enim authoritates, & rationes efficaciter militant.

Ac primùm cœnam largiorem esse debere, probatur ex Hippocrate 3. *de diæta*, vbi hyeme semel tantùm in die cibum sumere præcipit, nisi quis ventrem valde siccum habeat. Quod si id fieri minimè possit, modicùm prandere iubet. Vnde facilè colligitur, per vnicum illum pastum, quem hyeme præcipit Hippocr. cœnam esse intelligendam.

Celsus verò Hippocratem sequutus; *Hyeme*, inquit, *oportet semel in die cibum capere nisi venter nimis astrictus sit*: Postea addit: *si prandeat aliquid, & ipsum siccum, sine carne sine potione sumere.*

Galenus 7. *meth. c. 6.* cœnam prandio liberaliorem esse debere, diserté pronuntiat rationem addit, quòd cibum vespertinum sequantur quies, & somnus ac tempus diuturnius, ac duplum ferè ad illud, quod inter cœnam, & prandium intercedit. Ex his Galeni dictis triplex ratio elici potest.

Primo, In quiete corpus non mouetur, nec agitatur; ita vt cibus in ventriculo aptè resideat, non fluctuet, non dimoueatur; sicque melius concoquitur, quia concoctio indiget quiete.

Secundo, In somno cùm animales spiritus magna ex parte feriantur; vitales, & naturales fortiores, ac vegetiores euadunt, vnde melius sunt concoctiones.

Tertio, Cùm duplum sit tempus à cœna ad prandium, duplum debet esse alimentum.

Quarto, His addit Gal. exemplum athletarum, qui multas carnes comedebant in cœna, in prandio verò solùm panem. His Galeni rationibus sequentes adduntur.

Quinto, Noctis frigiditas cibi concoctionem iuuat. Hæc enim perinde, vt hyems, ventres calidiores reddit, calorem pellendo ad interiora, vt meliùs coctionem perficiat.

Sexto, In somno calorem concentrari, probatur tùm authoritate Hippocratis 7. *Epid. sect.* 4. dicentis, vigilantem calidiorem esse circa exteriora, frigidiorem circa interiora; dormientem contrà: tùm ex pulsu, ac respiratione, validiore in somno, quàm in vigilia.

Contra verò prandium largiùs esse debere, sequentibus authoritatibus, & rationibus conficitur.

Auctoritates desumuntur ab Actuario, & Auicenna, qui præcipiunt, cibum in tres partes esse distribuendum, & duas sumendas esse in prandio, tertiam verò in cœna: quibus ac cedunt Scholæ Salernitanæ versiculi:

Ex magna cœna stomaco fit maxima pœna.
Vt sis nocte leuis, sit tibi cœna breuis.

His rationes validæ subnectuntur.

Primò, inter prandium, & cœnam septem, vel octo tantùm horæ intercedunt; inter cœnam verò, & prandium circiter sexdecim. Si verò per somnum coctio melius perficeretur, circa mediam noctem illa absoluta esse deberet, & statim fames vrgere. At contra videmus manè è lecto surgente minùs fame tentari, quàm ante cœnam; vnde facile videre est, coctionem tardiùs perfici in somno, quàm in vigilia.

Secundo, Somnus à prandio facit in non assuetis, vt hora cœnandi appetitus non vigeat, & ventriculus cibis grauatus sẽtiatur, quod ostendit coctionem imperfectius fieri in somno. Si enim somnus coctionem adiuuaret, esse vtilior omnibus.

Tertio, vigilantes fame laborant, vnde Hipp. 9. *Epid. sect.* 4. *Aph.* 20. *aqua vorax, vigilia vorax*. Sic qui noctu præter solitum vigilant; citiùs famem percipiunt. Sic vinum, & oleum exprimentes; quia perpetuò vigilant, multum, & frequenter comedunt.

Quarto, si per somnum melior fieret concoctio, statim à pastu esset dormiendum; quia tunc cibus solidior maiori ventriculi actione indiget, & primarum horarum actio difficilior est, quæ tamen vigilando transigitur, alioqui stomachus grauatur.

Quinto, Qui ventriculum habent debilem, & βραδυπεπτικὸν laborant, magis torquentur noctu post primum somnum, quàm interdiù post meridiem: quo arguitur coctionem difficiliùs perfici in somno.

Sexto, Celsus præcipit in longis diebus satius esse meridiari ante cibum, cuius rei non potest esse alia ratio, nisi quia somnus coctionem retardat.

Septimo, Per somnum calor reccurrit ad suos fontes, reliquæ verò partes illo magis destituuntur, quam in vigilia per vigiliam verò ad omnes partes magis diffunditur. Ergo minor est calor in ventriculo per somnum, quam per vigiliam.

Octauo, Interdiu calor Solis coctionem adiuuat Sol enim ex Arist. 2. *Phys.* 2. est vitæ principium. E concoctio diurna duplex habet calidum; nocturna verò minimè.

Nono, Situs ventriculi in vigilantibus magis facit ad concoctionem, quia erecta figura facit, vt cibi meliùs descendant ad fundum ventriculi, qui carnosior est; cubantibus verò latera ventriculi magis attingunt, vnde os illius non sufficienter clauditur. Hinc fit, vt somnus meridianus minùs noceat, si sedendo capiatur, quàm cubando.

Decimo, Pituita, quæ interdiu per nares & sputum reijcitur noctu in ventriculum defluit, & coctionem retardat, quo incommodo carent vigilantes.

Denique experientia huic veritati maximè fauere videtur; siquidem paucissimi homines reperiuntur, qui libere non fateantur, se à leuiori cœna longè meliùs habere. Et Cardanus testatur, se multos interrogasse, qui ad centesimum annum peruenerant, & omnes parciori cœna vsi fuerant. His addere possumus Telephi Grammatici exemplum à Gal. relatum 5. *de sanitate tuenda*, qui ad annum ferè centesimum accessit. Illius autem verba ita se habent: *Mel crudum alicæ cum aqua cocta, permixtum edebant hora diei tertia ferme, septima prandebat, oleribus primo sumptis, inde piscibus saxatilibus, aut auibus. Vespere autem panè cum vino permixto contentis erat.*

Nos igitur posterioris sententiæ rationibus, & multò magis quotidiana experientia conuicti, censemus cœnam prandio parciorem esse debere. Concedimus tamen (vt in *theorem.* dictum est) eos, qui perfecta fruuntur valetudine, & ventriculum habent validum, posse aut æqualiter cum prandio, aut etiam copiosius cœnare, modò tota vtriusque pastus quantitas mediocritatem non excedat; in ijs enim & noctu, & interdiu optima fit concoctio. Et hic locum habet sententia Celsi, *Homo bene sanus nullis sese debet obligare legibus.* Imò verò in debiliori etiam constitutione, si quis pauco vtatur alimento, & minimam illius quantitatem sumat in prandio, poterit sine dubio latiùs cœnare: vt tota ciborum quantitas, quæ vna die sumitur, corporis nutritioni sufficiat. Sed si hodiernorum hominum morem intueamur, qui in prandio comedunt ad satietatem, certum est, eos maximè grauari, si in cœna adhuc largiùs comedant, & tunc verificatur ille versiculus Scholæ Salernitanæ supra citatus.

Ex magna cœna stomacho fit maxima pœna.
Vt sis nocte leuis, fit tibi cœna breuis.

At præcipuè locum habet hoc theorema in ijs, qui fluxio-

nibus, & catarrhis obnoxij sunt. Noctu siquidem humor pituitosus è cerebro defluit in ventriculum, & coctionem perturbat. Contrà verò, si paucus in cœna cibus assumatur, pituitosus humor consumitur à calore natiuo, nec tam facilè multiplicatur, vt in copiosè cœnantibus: cum ex illa alimentorum copia, multi vapores per somnum in cerebrum exhalent. Et ita affecti post leuem cœnam placidè dormiunt: si verò lautiùs cœnauerint, somnum habent inquietum, & interruptum, ita vt eorum maxima pars in cœna parcè comedere, nonnulli etiam à cœna planè abstinere cogántur. Hinc sapienter dictum à Manardo, *Epist. 4. lib. 6.*

Exiguam cœnam capiti, & oculis conferre.

Vt autem veritas ista clariùs eluceſcat, auctoritatibus, & rationibus in contrarium allatis, satisfaciendum est.

Ac *primùm* ad Hippocr. Celsi, & Galen. auctoritates dicimus: ex ijs quidem conuinci, morem apud Antiquos fuisse, parum comedere in prandio, multum verò in cœna: attamen cùm parcissimè pransi essent, maiorem cibi copiam in cœna ferre potuerunt. Interim ille cibus in cœna ingestus, longiore tempore ad coctionem opus habuit, quam si in prandio sumptus fuisset. Nostris antem temporibus, cùm prandium lautiùs esse soleat, Antiquos in cœna imitari non possumus. Et meliùs proculdubio sese gessissent Antiqui, si quod in cœna ingerebant, in prandio sumpsissent; & quod in prandio sumebant, cœnæ loco habuissent. Adde quod non eadem fuerit apud Antiquos hora cœnæ, quemadmodum apud nos: siquidem Romani, cùm parcissimè pransi essent satis manè, tribus horis ante Solis occasum cœnare solebant; ita vt coctio fere peracta fuerit, antequam ad somnum sese componerent.

Ad *primam* verò *rationem* pro aduersa sententia allatam *dicimus*, omnimodam quietem ad coctionem iuuandam non esse vtilissimam: siquidem motus leuis, & moderatus à pastu facit, vt cibi in fundum ventriculi melius descendant, & calorem natiuum aliquantulum excitet, vt facilius coctioni incumbere valeat. Hinc vulgaris ille versiculus: *post cœnam stabis, aut passus mille meabis.*

Ad *secundam dicimus*, vitales quidem spiritus fortiores fieri in somno, sed non influere in ventriculum, & alias partes ea copia, qua in vigilia, quia per somnum retrahuntur ad suum frontem: in vigilia verò magis diffunduntur.

Ad *tertiam respondemus*, quòd duplum tempus, inter cœnam, & prandium intercedens, duplum requiret alimentum: si coctio in vtroque pastu æqualiter fieret: sed cùm illa tardiùs à cœna perficiatur, vt à nobis demonstratum est, longiùs illud tempus fuit necessarium.

Ad *quartam dicimus*, Athletarum constitutionem non probari à Galen. 1. *Aph. 13. & in libro de bono corporis habitu, & insuaſoria ad artes*: quinimo, & breuis vitæ, & morbosæ illos accusat. Ad corpus quidem instaurandum, & impinguandum magis confert cibus in cœna sumptus, quia minor sit illius resolutio per somnum; sed copia superfluitatum, quæ inde emergit, morbos producit. Hinc etiam conualescentes ex paulò lautiori cœna citiùs quidem reficiuntur, sed maius recidiuæ periculum incurrunt.

Ad *quintam*, & *sextam dicimus*: in somno quidem calorem concentrari, & ad suos fontes recurrere, nempe cor, & hepar; hinc meliores fiunt concoctiones in venis, & arterijs: vnde nihil vtilius somno, ad concoctionem prauorum humorum in febribus continuis præficiendam, & nihil magis impedit coctionem eorumdem, quam vigilię continuę. Hinc etiam ebriosi crapulam edormire dicuntur, quæ ex potu nimio in venis cumulata est. Sed coctionis, quæ fit in ventriculo, longè alia est ratio, quæ imperfectiùs exercetur, quando natura intenta est alimentorum antea concoctorum distributioni, & prauorum humorum concoctioni; à quo opere vicissim non parum auertitur coctione ciborum, quæ fit in ventriculo, præsertim si illa magna copia ingerantur.

Hora prandij tempestiua, nempè duabus, aut tribus horis ante meridiem, longè salubrior est ea, quæ ad meridiem, aut vlteriùs differtur.

Ex prandio tempestiuo tria lucramur. *Primo*, tempus longius vsque ad cœnam, quo meliùs coctio perfici valeat. *Secundo*, quod hora sit frigidior, [quod in æstate potissimum locum habet,] illa frigiditas coctionem iuuat. *Tertio*, quod homo sit robustior, quia vicinior somno præcedenti, ex quo multi spiritus geniti sunt, qui totum corpus robustius, & alacriùs reddunt. Hinc passim videmus eos, qui diutissimè vixerunt, tempestiuè cibum sumpsisse: contra verò eos qui tardiùs pransi sunt, morbosos fuisse, & breuiori vitæ.

CAPUT VII.

De præparatione Alimentorum.

Ciborum alij præparatione artificiali indigent, vt alendis corporibus nostris idonei reddantur: alij ab ipsa natura sufficienter præparantur, vt assumi valeant, qualiter nobis à natura exhibentur. Prioris generis sunt carnes: pisces, & similia; posterioris fructus fere omnes maturi.

Præparatio ciborum coctione potissimum perficitur, eaque triplici: dum scilicet elixantur, assantur, aut frigunntur, seu torrentur.

Elixatio dupliciter fit, vel cum res in aqua decoquuntur, & tunc idem elixationis nomen retinet, sicque hoc modo præparatæ carnes elixæ nominantur: vel vbi, cum proprio succo lento igne decoquuntur, & carnes hoc modo paratæ, iurulentæ appellantur.

Scribit Celsus, carnes iurulentas magis alere quàm assas, & has magis quam frixas. Addimus nos: elixas omnium minime nutrire, quia bonam partem succi alibilis in iusculo deposuerunt.

Magis tamen laudatur elixatio vulgari vsu familiaris, quia quod ex carne amittitur, in iusculo reperitur. Deinde, cùm elixatione carnes molliores euadant in ventriculo faciliùs dissoluuntur, & cocoquuntur.

Assatio carnis veruecinæ meliùs procedit si prius malleo, aut pistillo ligneo contundatur, vt vulgo coqui, & ancillę facere solent: sic enim tenerior redditur, & laxior euadit, vt à calore ignis meliùs penetrari valeat.

Reliquę ciborum præparationes, sanitati inseruientes, in particularibus eorum descriptionibus proponentur. Quę vero ad lautitias, & conuiuiorum luxus spectant, ad coquos releganda sunt.

CAPVT VIII.

De Consuetudine; & delectatione in alimentorum vsu.

Cibi consueti, licet paulo deteriores, vtiliores sunt insuetis aliquantulum melioribus.

HOc theorema ab Hippocr. sancitum est. *Aph. 50. sect. 1.* qui sic habet: *Quæ longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sint insuetis, minùs molesta esse solent.*

Consuetudo enim est altera natura, siquidem alimenta, longo tempore consueta, naturam, immutant, eamque sibi similem reddunt. Per *Naturam* autem temperamentum intelligimus, quod redditur simile alimentis, quibus longo tempore vti consueuimus. Illius autem consuetudinis efficacia quamplurimis historijs, ab auctoribus relatis comprobatur. Nobis vnicam proposuisse sufficiet, à Solenandro relatam, *Consilior. medic. sect. 5. consil. 15.* de quodam rustico, qui ad hospitale perductus, nullis remedijs curari potuit. Tandem, breui moriturum quæsiuit Medicus quid peteret, & qua victus ratione antea vsus esset? Respondit, se planè ab isto cibo, & potu syrupis, ac id genus alijs, vt & lecto, quod nimis molle esset, planè abhorrere; cùm non dormiuisset intra annos nouendecim in lecto, atque vsus fuisset caseo, & similibus, & subdio in stramine vestitus dormiuisset. Medicus permisit, vt vna nocte in stramine dormiret, & vteretur sale, cæpis, & aqua frigida. Etsi verò arbitraretur eum inde citiùs moriturum: tamen postridie præter omnium opinionem eum foco adstantem inuenit.

Consuetudinis autem ratio habenda est, non solùm circa substantiam ciborum, sed etiam circa qualitatem quantitatem, & tempus exhibendi.

Hoc etiam theorema ab Hippocr. mutuatum est, qui *Aph. 17. sect. 1.* Et quibus *inquit*, semel, aut bis, & quibus plura, aut pauciora, & particulatim oporteat offerre, considerandum. Concedendum autem aliquid tempori, regioni, consuetudini, & ætati.

Quando cibi consueti deteriores, propter aliquam occasionem, corpori noxam inferunt, commutandi sunt, & ad meliores transeundum est: modò id sensim, & paulatim fiat. Omnis enim subita mutatio periculosa est.

Propter varias causas ciborum mutationes interdum neces-

necessatiæ sunt; è quarum numero sunt morbi, qui à cibis consuetis foueri, vel augeri possunt: ætas, quæ iam prouecta, cibos concoctu difficiles ita subigere non potest, vt in iuuentute solebat, & alia quamplurima. Si igitur propter aliquam causam necessarium videatur, victus rationem mutare: id sensim, & paulatim faciendum est. Quod docuit Hipp. *Aph.* 51. *sect.* 2. *Plurimum*, inquit, *atque repente euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum omne enim nimium naturæ inimicum, sed quod paulatim fit, tutum est, cùm aliàs, tum cum ab altero ad alterum transitus fit.* Id ipsum multis exemplis confirmari potest, sed instar omnium sit historia Dionysij Siciliæ tyranni, qui ebrietati, & luxui valdè deditus fuerat. Cùm verò ab hoste aliquando obsideretur, & necessitate coactus à solita potandi consuetudine sibi desistendum esse animaduerteret, subitò ab ea abstinuit, quod cùm aliquandiu fecisset tabifico morbo corripi cœpit, nec eo liberari potuit, priusquam ad pristinum potandi morem, ebrietatemque redijsset. Quod si sensim, & paulatim prauam illam consuetudinem deseruisset, nihil incommodi passus esset.

Illi cibi semper præferendi sunt, quibus aliquis maximè delectatur, etiamsi paulò deteriores sint ijs, quos aliquantulum auersatur.

Hoc docuit Hipp. conceptis verbis, *Aph.* 38. *sect.* 2. in hunc modum: *Paulò deterior cibus, & potus, qui tamen sit suauior, melioribus quidem, sed minùs suauibus anteferendus.* Qui enim cum voluptate cibi assumuntur, eos ventriculus auidiùs amplectitur, promptiùsque, & expeditiùs concoquit. Contra eos, qui displicent, auersatur; quo fit, vt neque auidè illos amplectatur, neque probè conficiat. Ex hoc Hip. Aphorismo multi assentatores sibi patrocinium quærunt, qui, vt ægrotantibus gratificentur, omnia ab ijs expetita liberaliter concedunt. Verùm ijsturpiter errant, & à Galen. damnantur *lib.* 12. *method. cap.* 1. *Quemadmodum*, inquit, *crudelis hominis officium facit, qui vnà cum morbo vitam quoque homini aufert; sic qui cubantis delicijs perpetuò subscribit, eiusque voluptatem, non sanitatem pro meta gerendorum habet, adulatoris.* Et 1. *meth. cap.* 1. grauiter in istos adulatores inuehitur, *qui frigidam exhibent si hanc ægri poposcerint, qui lauant. Cùm iusserint; qui niuem vinumque porrigunt, quando hæc postularint; qui denique quidquid optarint, mancipiorum ritu faciunt. Contra quam veteres illi Medici ab Æsculapio oriundi, qui tamquam duces militibus, & vt Reges subditis imperarunt; nequaquam verò Getarum, Tibiorum, Phrygum, & Thracum emptitiorum more, parere, & obsecundare voluerunt.*

Vt igitur certa quædam mensura statuatur eorum, quæ ægris concedi possunt, consulendus Hipp. 6. *sect.* 4. vbi sic loquitur: *Hæc sunt, in quibus gratificandum est ægris, vt scilicet cibus ac potus purè conficiantur; grata sint etiam quæ viderint; & mollia quæ attigerint; sed non admodum lædant, & facilè reparabilia sint, veluti frigidæ exhibitio, vbi opus fuerit illa, & alia.* Vbi hæc verba præcipuè notanda: sunt, *quæ non admodum lædant, & facilè reparabilia sint.* Si enim ea, quæ ab ægris expetuntur, satis insignem noxam inferre valeant, prorsus abdicanda.

CAPVT IX.

De Victu singulis ætatibus congruo.

Victus puerorum ad frigidum, & humidum inclinare debet; & ideò vinum illis inimicum est.

CVM puerorum corpora multo calore prædita sint, victu refrigerante opus habent. Hinc vinum illis noxium est, quia calorem auget, & præterea caput eorum multo halitu replet, quà ratione ijs interdicitur à Galen. 1. *de sanit. tuenda cap.* 9. & Plato 2. *de legibus* præcipit, ne pueris vsque ad duodeuigesimum annum vinum concedatur; *quia*, inquit, *ignem igni addere non oportet.* Humidum verò cibum illis competere docuit Hipppoc. *Aph.* 16. *sect.* 1. *victus humidus febricitantibus conuenit, maxime verò pueris.* Et ratio idipsum suadet. Cùm enim in hac ætate corpus admodum crescat, & augeatur, incrementum illud exsiccantibus cibis inhibendum non est. Deinde puerorum substantiam valdè resolubilis est, & ideò humidis alimentis, quæ cito distribuuntur, reparanda.

Quantitas etiam ciborum maior eis concedenda est, quam reliquis ætatibus, ob caloris copiam, & corporis incrementum.

Hoc theorema ab Hipp. sancitum est. *Aph.* 14. *sect. Qui crescunt, plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento, alioqui corpus absumitur.* Ratio Aphor. est quia à multo calore in corpore molli, & raro substantia illius multum absumitur; quæ plurimo alimento reparanda est.

Puberibus, & adolescentibus victus medius, cùm ratione qualitatis, tum ratione quantitatis exhibendus est.

Puberes, & adolescentes moderatum habent temperamentum, ideò temperatis alimentis nutriendi sunt, quæ scilicet moderatam primarum qualitatum proportionem habeant. Quantitas etiam eorum debet esse moderata, minor scilicet, quàm in pueritia, & maior, quàm aliarum ætatum.

Iuuenes, quia impensè calidi, & sicci, contrario victu id est, frigido, & humido indigent.

Licet victus iste, iuuenibus præscriptus, puerorum victui ratione qualitatum similis esse debeat: ratione tamen substantiæ, dissimilem esse oportet. Si quidem alimenta humida pueris, actu, & potentia talia præscribenda sunt, id est, liquida maiori parte, & sorbilia, aut saltem mollia, & concoctu facilia. Iuuenibus verò conueniunt solidiora & concoctu difficilia, vt olera fructus, & similia, quæ à ventriculis eorum robustioribus faciliùs concoqui valeant. Imprimis vinum ijs maximè noxium est, præcipuè meracum; hoc enim, vt Plato loquitur habitum eorum furiosum reddit. Et Galen. ait, eos vinum præcipitare ad iram, & libidinem.

Senibus victus calidus, & humidus conuenit, quia corpora eorum refrigerata, & exsiccata sunt.

Inter alimenta calefacientia, & humectantia, vinum senibus maximè conuenit, & ideò *lac senum* nominari solet. Debilem enim eorum calorem fouet, vires infirmas reficit, cruditates, quibus abundans, concoquit, humiditates excrementitias absumit, & exsiccat, ac per vrinas euacuat, tristitiam depellit, & hilaritatem inducit. Quod à Platone eleganter traditum est 2. *de legibus*, *Deus*, inquit, *vinum hominibus quasi auxiliare aduersus senectutis austeritatem pharmacum largitus est, vt reiuuenescere videantur, & mœstitiæ nos obliuio capiat, atque ipse hominis habitus mollis e duro factus, vt ferrum igni impositum, tractabilior fiat.* Cauendum tamen, ne nimia eius copia assumatur, humidum enim primigenium citius absumeret, caput, tentaret & catarrhos excitaret. Eligendum autem est vinum potens, tenue fragrans, sapore bono, ætate medium, calore fuluum. Crassa verò senibus non competunt, quia obstructiones pariunt, aluum constringunt, vrinas non prouocant, sicut prædicta. Vtile quoque est senibus hydromel ad vitam diutiùs producendam; sicut narrat Plinius *lib.* 22. *hist. nat. cap.* 24. de Pollione Romano, annum centesimum excedente, qui cum ab Imperatore Augusto interrogaretur, quanam maximè ratione vigore illum animi, & corporis tamdiu custodiuisset, respondit, intùs mulso, foris oleo. Mel crudum etiam (modò optimum sit, vt Narbonense,) senibus multum conuenit, cum pane in ientaculo, vel cœna comestum.

Ciborum quantitas senibus minor esse debet, quàm alijs ætatibus.

Calor enim senum debilis est, vt magnam alimentorum copiam concoquere non valeat. Hoc docuit Hippoc. *Aph.* 14. *sect.* 1. *Senibus* inquit, *parùm innati calidi inest, paucis propterea fomitibus eget, quia à multis extinguitur. Sicut enim*, inquit, Gal. *in comment. Lucernarum flammæ, quarum oleum est alimentum, si quis id totum simul superinfundat, extinguuntur potiùs, quam nutriantur: eodem modo, & in senibus calidum sui fomentum quidem habet alimenta; si vero multis & confertis cumuletur, ac quodammodo stranguletur, periculum est, ne extinguatur, sicuti etiam, si paruæ scintillæ ignis lignorum multitudinem superacerue.* U. Ranchinum.

CAPVT X.

De victu, singulis anni temporibus idoneo.

Hyeme alimenta calidiora, ficciora, & copiosiora vsurpanda sunt, quàm alijs temporibus. Potus vero parcior esse debet, ac vinum paulo meracius.

CAlidiora, & ficciora debent esse alimenta, vt frigiditati, atque humiditati aeris hyberni resistatur, pituita, quæ hyemis tempore congeritur, absumatur. Copiosiora verò debent esse alimenta, quia naturalis calor hyeme maximè viget, vt docuit Hipp. (*Vid. Gal. in comm.*) *Aph. 15. sect. 1. Ventres Hyeme, & Veræ naturæ calidissimi sunt & somni longissimi, quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor natiuus plurimus est, vnde & pluribus egent alimentis.*

Potus verò parcior esse debet, quia tunc temporis corpus humiditatibus abundat. Et vinum paulò meracius bibendum est, vt noxas à temporis frigiditate allatas corrigere valeat.

Vere cibi debent esse qualitate, & quantitate mediocres: calidiores tamen, & copiosiores, quàm in æstate; minùs verò, quàm in hyeme.

Cùm verò sit omnium temporum anni temperatissimum, ideò temperatissima requirit alimenta, & quantitate mediocria. Attamen, quia ventres etiam vere sunt calidissimi, vt docuit Hipp. *Aph. supra cit.* copia ciborum debet esse maior, quàm alijs temporibus, excepta Hyeme. Aduertendum tamen, in principio Veris, quod aliquid adhuc retinet de natura hyemis, victum hyemalis similiorem esse debere: in progressu verò sensim immutandum esse, vt ad æstatem proximè accedens, quantitate minor sit, & frigidior, atque humidior reddatur.

Æstate cibi refrigerantes, atque humectantes conueniunt & pauca eorum quantitas assumenda. Potus verò copiosior esse debet.

Caliditas aere æstiuo corporibus nostris indita, refrigerantibus, atque humectantibus cibis, ac multo potu corrigenda est. Cui rei natura ipsa incumbere videtur, quæ fructuum, atque olerum copiam tunc temporis nobis suppeditare solet. Cùm autem calor natiuus tunc temporis debilior sit, pauciora alimenta ingerenda sunt, vt commodiùs concoqui valeant.

Autumno paulò pleniori, calidiori, ac ficciori victu vtendum, quàm æstate sed in principio ab eo, qui æstati conueniens est parum declinet: in fine verò ad hyemalem magis accedat.

Dictum fuit antea, mutationem victus sensim esse faciendam, vt ei natura faciliùs assueſcat, quod in Autumno, sicut alijs temporibus, obseruandum est.

CAPVT XI.

De Pane.

Panis ad corporis nutritionem, & sanitatis conseruationem vtilissimus esse debet ex purissima farina confectus fermentatus, benè coctus, leuis, oculatus, mediocri sale conditus, recens, & ante 24. horas coctus.

POstquam generalia theoremata circa ciborum vsum proposuimus, iam peculiaria quædam, & magis necessaria, ad præcipuos, & magis vsitatos cibos spectantia, paucis exponere aggredimur, reliqua omittentes, quibus opus nimium excresceret, & quæ apud auctores, qui de alimentorum facultatibus ex professo scripserunt, fusè exarata inueniuntur.

A pane igitur incipientes, tamquam primario nutritionis fundamento, dicimus primùm, illum ex purissima tritici farina confici debere. Ex omnibus autem cerealibus pani conficiendo idoneis, triticum maximè præualet, cuius plurimæ species enumerantur: vnicuique tamen regioni notissima est, etiam apud plebeculam illa tritici species, quæ meliori pani conficiendo magis idonea est. Matthiolus *in Dioscoridem* optimi tritici conditiones describit, vt nempè sit fractu contumax, densum, graue, colore aureum, lucidum, leue trium mensium, maturum, mundum, pinguique terra ortum.

Ex purissima illius farina panis confici debet, quæ scilicet repurgata sit ab omni furfuracea materia, & flos farinæ, siue siligo nominatur, vnde panis ex ea confectus, siligineus dicitur.

Panis autem siligineus omnium maximè nutrit, quamvis ille, qui furfur habet admixtum, magis ventrem subducat, propter vim detergendi, quæ in furfure residet. Ideò quidam aluum strictam habentes, aliquid furfuris farinæ admiscent, vt aluus laxior seruetur; alij secale admiscent, quod cum humidius sit, aluum moliorem reddit.

Fermentatus etiam debet esse panis optimus, quia pasta viscida, & lenta fermenti admistione inciditur, attenuatur, & in aeream substantiam (vt loquitur Plato *in Timæo*) quodammodo immutatur, atque in ampliorem magnitudinem intumescit; vnde panis fit leuissimus, & oculatus, quæ sunt aliæ optimi panis conditiones. Qui verò fermento caret, aut non satis habet fermenti, difficilè concoquitur, stomachum grauat, validas parit obstructiones. Neque obstat Celsi sententia, qui *l. 2. c. 28.* dicit panem fermentatum corruptioni esse facillimum, non fermentatum verò minùs intrà corpus vitiari, putredinique minus esse obnoxium: illa enim sententia, tamquam falsa, & erronea, à Rhonsæo Bruyerino, Mercuriali, & Siluatico reijcitur. Excusari tamen potest, si vnicum vocabulum sententiæ addatur, dicendo, panem nimis fermentatum facilè intus corrumpi; minimè verò qui nimis fermentatus non est. Quamvis fortè ea non fuerit auctoris mens. Et profectò nescio, quomodo ab errore excusari valeat, quando *in eodem capite*, mel enumerat inter ea, quæ facilè corrumpuntur; cum mel incorruptibile sit, & omnia quibus admiscetur, quantumvis corruptibilia à putredine preseruet, vt in fructibus horeis videre est, qui melle conditi putrescere non possunt. Audacter Mercurialis, summus auctorum criticus, qui etiam librorum Hippoc. censuram elegantem edidit, de Cornelio Celso suam sententiam profert, cum scilicet Medicum non fuisse. Propria illius verba ferre lubet, quæ habentur *to. 4. consult. medicin. consil. 20.* ad Bernardinum Castellanum scripto, vbi sic habet; *Celsi locus de pane non fermentato semper mihi suspectus fuit, nempe, quem medicinam non fecisse, ex eo concipere licet, quod Plinius eo posterior scriptum reliquerit, neminem Romanum vsque ad sua tempora artem medendi exercuisse, ac ob id multos errores in rebus ad exercitationem artis spectantibus commisisse. Etenim experientia ipsa docet: fermentum moderatè adhibitum panem reddere leuiorem, ac propterea coctu faciliorem, minusque stomacho molestum, & nisi aliud posset hoc confirmare, vnus omnium penè gentium mos, & consensus sat esset ad ostendendum, panem fermentatum pro sanitatis vsu non fermentato præstantiorem esse.*

Debet enim panis esse bene coctus; nam si malè coctus sit, ventriculum grauat, & malè concoquitur: quod docuit Alex. 2. *Canone tract. 2.* dicens: panem, qui probè coctus non fuerit, plurimùm quidem nutrire, sed si quis priuatus, & ab exercitatione alienus eo vti voluerit, celerrimè eum in obstructiones incurrere.

Mediocri debet esse sale conditus: sal enim, quemadmodum fermentum, crassam, & viscidam illius substantiam attenuat, efficitque vt minus obstructionibus generandis obnoxius sit. Modica tamen illius quantitas esse debet; si enim salsior panis sit, nimiùm exsiccat.

Recens etiam esse debet, & ante 24. horas coctus; vetus enim durus est, ac siccus, difficiliùs concoquitur, stomachum grauat, aluumque cohibet. Attamen nimis recens, nuper è furno exstractus, lentorem adhuc retinet, vehementer inflat, visceraque obstruit, & si adhuc è furno caleat, empyreuma retinet, quod perturbat spiritus, & calori naturali nocet, vt loquitur Arnaldus Villanouanus *lib. de iis, quæ iuuentutem inducunt.*

Panis medulla nutritioni aptior est, cruda verò nimium exsiccat, & humores adustos, atque melancholicos procreat.

Hoc theorema confirmatur vulgatissimo scholæ Salernitane versiculo.

Non comedas crustam choleram quia gignit adustam.

Attamen qui ventriculum habent humidiorem, ea vti possunt, modò exausta non sit. Potissimum verò in fine mensæ omnibus hominibus vtile est, crustæ frustulum comedere; os enim ventriculi constringit, & concoctionem adiuuat.

Omnis repletio mala, panis pessima.

Licet panis præ cæteris omnibus alimentis corpus optime

me nutriat: si tamen nimia quantitate sumantur, insignem noxam afferre consueuit. Cùm enim substantiam habeat glutinosam, cuius etiam ratione, plurimum nutrit; si nimia copia sumatur, non concoquitur sufficienter, ac per consequens non satis attenuatur in ventriculo: vnde fit, vt in venis mesenterij hæreat, ac graues obstructiones pariat. Hoc docuit Auicenn. 3. can. l. 1. doct. 2. c. 7. in hunc sensum: panis impedimentum, vbi non percoquit venter, maximũ censeri debet; carnis verò non ita. In stomacho quippe residet diu, onere inprimis molesto: quòd si, non concoctus satis, tandem dilapsus fuerit: hepar obstruit, ac mesaraicas. Caro autem maiorem ducit cum humano corpore similitudinem: proinde ex ea minus prouenit nocumenti, & hepatis, aut mesaraicarum obstructio minor, accuratiores minus obsistens, imbibentibus membris longe facilius carnis succum, ob eognationem quandam, quàm panis.

CAPUT XII.

De hordeo, oryza, auena, fabis, pisis, ciceribus, & lentibus.

Hordeum est in primo gradu frigidum, & siccum. Cortex tamen exterior medulla interiori siccior est. Abstergendi vi prædita est vtraque sed multò maior cortex.

Ex eo interdum panis fit, qui frigidior est, & minus firmum, ac stabile nutrimentum suppeditat.

Fit etiam ex eo hordeatum, ex hordeo decorticato in aqua decocto, addendo amygdalas contusas, & saccharum.

Coquitur etiam interdum cum frustulo colli veruecini, & colatura sumitur instar panatellæ, vel etiam interdum saccharo adiecto.

Hæc autem hordeata calido ac sicco temperamento præditis plurimum conferunt, tum etiam macilentos reficiunt, & ad taben propensos præseruant; humorum acrimoniam temperando, & corpus reficiendo, atque impinguando.

HIc tantùm proponimus esculenta, quæ in statu sano vsitata sunt. Quæ enim ægrotis conueniunt; non sunt huius loci. Ideò prisanam antiquorum, & illius differentias, quæ apud antiquos maximo in vsu erant, ad diætam ægrorum remittimus.

Oriza in primis qualitatibus temperata est, ad calidum, & siccum aliquantulum declinans. Multum nutrit, cum lacte, vel iure carnium decocta; at paulò difficiliùs concoquitur, crassiusque alimentum præbet. Ideò iuuenibus, ac laboriosis magis conuenit, & frequens illius vsus, propter substantiæ crassitiem obstructiones parere potest. Propter incrassandi, & adstringendi vim, qua prædita est ijs, qui sanguineis profluuijs diarrhœæ, dysenteriæ, aliusque affectibus, extenuium humorum defluxionibus oriundis obnoxij sunt, plurimum conducis.

Auena non solum iumentorum, vt quidam censet, sed etiam hominum cibo inseruire solet. Ex ea enim decorticata, & in aqua decocta, addendo lac amygdatarum, & saccharum, optimum fit ferculum, quod Auenatum *nominatur hordeato leuius, & ideo facilius concoquitur; vrinas mouet, ob substantiæ tenuitatem, & temperamentum ad calidum inclinans.*

Fabæ dupliciter vsurpantur: aridæ, quę à plebeijs tantùm, & vilioris fortunę hominibus vsurpantur; & virides, quę mensis etiam delicatioribus apponuntur, tum elixę cum iusculo, tum frixæ in sartagine.

Quoquo modo parentur, malè concoquuntur, ac distribuuntur, crassos, flatulentosque succos generant, ventrem inflant, spirandi difficultatem augent, aluum adstringunt, hepar, lienem, venasque mesaraicas obstruunt, vapores multos ad cerebrum transmittunt, vnde visum hebetant, & insomnia turbulenta inducunt, frigido, & sicco temperamento præditæ sunt, virides tamen humidiores.

Quamuis fabæ inter esculenta infimum locum obtineant; ex ijs tamen præstantissima medicamenta eliciuntur quorum enumeratio licet non sit huius loci, vbi alimentorum materiam tantùm exponimus, lubet tamen ea extra theorematum seriem, tãquam vtilissima, summatim attingere, quæ certa, ac frequenti experientia nobis cognita sunt.

Ac primùm ex corticibus fabarum recentibus aqua per destillationem elicitur calculosis vtilissima. Renes enim abstergit, & mundificat, sicque calculorum generationem prohibet, si eius Vnc. ij. vel iij. manè sumantur per intervalla. Ijs, qui calida renum intemperie laborant, maximè conuenit, quia frigida est, & humida, cùm omnia ferè nephritica medicamenta impensè calefaciant.

Ex corticibus fabarum exsiccatis, & stipitibus combustis cinis conficitur, qui in aqua parietariæ decoctus in formam lixiuij, sicque ad Vnc. v. vel vj. mane exhibitus per aliquot dies, cum Vnc. j. syrupi capillorum veneris in forma iulepi, contumaces gonorrhœas efficacissimè curat. Idem iulepus præstantissimus est ad calculos in vreteribus hærentes, & graues dolores concitantes, confestim deturbandos. Eundem effectum præbet sal ex prædictis cineribus elicitus, & Drachm. j. pondere cum aqua parietariæ exhibitus.

Exteriùs etiam farina fabarum vtiliter admouetur in multis affectibus; præsertim in testium inflammationibus, quæ malè curatæ gonorrhææ sępe succedunt. Chirurgi plerique omnes, quia stolidis ægrotantibus in morbis venereis frequentiùs consuluntur, quàm Medici, summam testium inflammatorum duritiem aduertentes, cataplasmata emollientia statim admouent, vnde inflammatio plurimum augetur: quandoquidem pars mollis, & spongiosa, relaxantibus hisce aptior redditur ad suspiciendam fluxionem. Ideò adstringentibus, ac discutientibus tumores isti curandi sunt: cui vsui mirabiliter confert cataplasma confectum ex farinis fabarum cocta in oxycrato, quod cataplasma sæpe mutandum est, ac renouandum, quia citò exsiccatur ob pinguium ingredientium defectum, quæ in omnibus alijs cataplasmatis miscentur. Sed hic non conueniunt, quia partem inflammant. Potest tamen addi huic cataplasmati vt prompta illius exsiccatio prohibeatur, parum oxymelitis simplicis, quod vtraque facultate, adstringendi scil. ac discutiendi præditum est.

Pisa omnibus leguminibus præferenda sunt, & quodammodo media inter euchyma, & cacochyma, eupepta, & dispepta vt testatur. Gal. 1. de alment. facult. cap. 21. & nulla excedente qualitate prædita: atque adeò ad medium temperamentum accidentia. Attamen frigiditas, & siccitas aliquantulum prędominantur. Varijs modis præparantur tum viridia tum sicca.

Facilius concoquuntur in stomacho à corticibus suis exuta, quando scilicet post coctionem transcolantur, & inde plus conficitur (Purge) *nominata. Cortices enim dyspepti sunt, cacochymi, & astringentes. Sicca viridibus præferuntur, quæ magis flatulenta sunt, & concoctu difficiliora. Vtraque tamen quemadmodum, & reliqua omnia legumina, melancholicis, & ijs, qui crassis abundat succis, aut obstructionibus laborant, noxia sunt.*

Cicera crassiorem habent substantiam, quàm pisa, & difficilioris sunt coctionis; tum intra, tum extra corpus: longiori enim tempore elixanda sunt antequam molleſcant, neque optimè coquuntur in aqua puteali; sed pluuiali, aut fontana tenuissima opus est.

Iusculum tamen eorum præstantissimum est: facultate siquidem abstergendi, aperiendi, vrinas, & menstrua prouocandi prędita sunt: ad quos vsus nigra præcipuè commendantur, quę ideò apud vulgus dicuntur medicamenta.

Nostrates mulierculæ iusculum vulgò parant ad ciendа menstrua ex ciceribus nigris radicibus petroselini, & croco: quod per triduum exhibent, instante, aut incipiente illa euacuatione.

Lentes omnium leguminum pessimę: frigido & sicco temperamento prædita, difficile concoquuntur, succum melancholicum generant, obstructiones pariunt, visui nocent, somnia excitant tumultuosa, capiti, neruis, & pulmonibus nocent, aluum astringunt, menses, & vrinas cohibent. Quæ omnia a crassa, & astringente earum substantia dependent. Decoctum tamen probatur in Variolis.

CAPUT XIII.

De oleribus vsitationibus, eorumque facultatibus.

Lactuca, Galeno teste meliorem cæteris oleribus sanguinem generat, sed paucum: frigida est, & humida, somnum conciliat, lac generat, aluum emollit, ventriculi ardorem extinguit, omnemque humorum acrimoniam reprimit, biliosis, sanguineis, & iuuenibus conuenit, præsertim in æstate: cruda comeditur in acetarys, tum

etiam cocta in iusculis, & magis conuenit ijs, qui debilem habent stomachum. Crebrior illius vsus oculorum claritati officit, inquit Dioscorides.

REferunt multi (*Gal. III. simpl. 13.*) lactucæ succum epotum, trium, aut quatuor vnciarum pondere reliquorum venenorum more interimere: attamen si tanta lactucæ copia edatur, à qua eadem succi copia elici valeat, nullam inferre noxam. Cuius euentus ratio duplex afferri potest. Prima est, quòd lactuca integra diutius maneat in ventriculo; sicque frigiditas illius coctione longiori corrigatur: succus verò citiùs penitiora penetret. Secunda est, quod lactuca coctione, aut salis, olei, & aceti, atque interdum sacchari admixtione corrigatur.

Brassica ex *Gal. 3. simpl. c. 15.* duplicem habet substantiam: succulentam, & terrestrem. Illa calida est ordine primo, atque nitrosa; hæc frigida, & sicca.

Succus nitrosus est acer, & astersorius, ideòque aluum mouet. Ipsum verò corpus crassum est, siccum, terrenum, & astrigens, ac proinde aluum supprimit.

Succi pars tenuior prima ebullitione brassicæ extrahitur: ideò primum illud iusculum aluum mouet, secunda verò, aut tertia ebullitio idem non præstat.

Paucum brassica præbet alimentum, neque probum succum generat, vt lactuca, sed vitiosum, & graueolentem.

Prauum illius succum ostendit primum illius decoctum, quod effusum grauiter olet, præcipuè quod ex brassica capitata elicitur, tum etiam in hortis brassica putrefacta abominabilem spirat odorem.

Brassica, ante alios cibos ingesta, ebrietatem arcet, at summo cibo sumpta, crapulam discutit, ac vini noxam restinguit.

Hæc brassicæ facultas ebrietatem arcendi secundum quosdam ex antipathia colligitur, quæ inter eam, & vitem, vinumque intercedat. Vites enim minimè, aut debiliter adolescere dicunt, si in eodem solo brassicæ serantur, sed falluntur.

Est verò concoctionis difficilis, & crassum, melancholicumque succum generat. Halituosa quoque est, ideoque crassis ad caput missis vaporibus mentem turbat, somnumque efficit turbulentum.

Quandam habet cum pulmone analogiam ideò, morbis pulmonum laborantibus illius vsus minus noxius est. Brassica verò rubra inter herbas vulnerarias recensetur.

Pulmonum affectibus conferre brassicam, ostendunt medicamenta, quæ ex ijs componuntur. Pharmacopæiarum scriptores Looch de caulibus commendant. Nos præstantissimos vidimus effectus in asthmate, aliisque pulmonum vitijs, ex succo caulium rubrorum cum saccharo, in iulepi, vel syrupi formam redacto. Vlcera verò contumacia optimè sanantur fotu aquæ catapultarum vulgò dictæ, postmodum verò admouendo folium brassicæ rubræ, in eadem aqua calente madefactum. Aqua catapultarum sit ex *rad. aristoloch. rotund. gentianæ, raphan. Zedoar. an.* Vnc. j. coctis in libris tribus vini albi ad medias, postea dissoluendo sacchari albi Vnc. iv.

Beta ad brassicæ naturam accedit; illius enim succus nitrosa qualitate præditus est, absterforia, & quodammodo acri, vnde aluum stimulat; atque adeò ad calidum, & siccum temperamentum vergit. Corpus verè terrestre frigidum, & siccum est, ventremque constipat.

Est rusticorum, & plebeiorum edulium, vnde Martialis betas *fabrorum prændi* nominat. Illarum autem cum brassicis similitudinem, in laxanda, & constringenda aluo, propter substantiarum diuersitatem, colligere possumus ex duobus versiculis, quorum prior debeta sic se habet.

Sic laxat parum nutrit, ventrem constipat, & vrget.

Alter verò de brassica, Scholæ Salernitanæ, *cap. 58.*

Ius calis soluit, cuius substantia stringit.

Spinacchia refrigerat, & humectat ordine ferè secundò, substantiam habet aquosam, ac ferè insipidam. Ideò citò descendit, aluumque emollit: Pectus insuper expedit, asperam arteriam lenit, & tussi medetur: parum alit, multum seri producit, flatus generat, & nauseam parit, nisi aromatibus condiatur.

Endiuia refrigerat, aperit, & abstergit: ideò inter olera maximi est vsus, tum cruda, tum cocta. Confert eximiè calido, debili, obstructoque iecinori: stomachum debilem, ac bilioſum iuuat, sanguinem purificat, scabiem sanat, sitim sedat, stomachi ardoribus subuenit, appetitum conciliat, ictericos iuuat.

Cichorium easdem vires obtinet, quas endiuia, sed multò efficaciores propter amaritudinem, cuius ratione magis aperit, & abstergit, magisque stomacho placet, & hæpati simul.

Acetosa frigida, & sicca est in gradu secundo. Incidit, aperit, & modicè adstringit, parum nutrit; viscerum intemperiem calidam emendat, sitim sedat, appetentiam excitat, bilis acrimoniam temperat, cor exhilarat, & venenis resistit.

Borrago in actiuis qualitatibus temperata est, in passiuis verò humida in primo gradu; Sanguinem purificat, humori melancholico aduersatur, & cor exhilarat.

Portulaca frigida est tertio gradu, humida verò in secundo: parum alit, sanguinem refrigerat, & incrassat, bilis acrimoniam, atque feruorem temperat sitim sedat, appetitum excitat, lumbricos interimit, visum hebetat, & actus venereos infringit, quod omnibus plantis refrigerantibus commune est, si quis ijs copiosè vtatur.

Petroselinum calidum, & siccum est gradu secundo, Aperit, vrinas mouet, menses prouocat, flatus discutit, ideòque colicis doloribus ob noxij plurimum confert.

Eruca calida, & sicca est ordine tertio. Ideò sola non comeditur, sed cum lactuca, aliisque herbis refrigerantibus miscetur instar correctiui. Concoctionem iuuat, vrinas mouet, venerem stimulat largiùs assumpta.

Nasturtium cum Eruca temperamento, & facultatibus conuenit. Aperit, attenuat, & incidit; arenulas expellit, propterea renibus, & vesicæ confert. Hortense, & aquaticum in acetarijs vsurpantur; vtrumque imprimis lienosis conducit, & inter scorbutica remedia recensentur, vt nonnulli existiment, cochleariæ, ac becabungæ non cedere.

Pimpinella refrigerat mediocriter, astringit, & exsiccat. Vsus illius in acetarij, sapida est, ac bene odorata: tum etiam cordialis est, & hilaritatem inducit; ideò etiam viuo maceratur.

In Medicina maximus est pimpinellæ vsus: ita vt in iulepis, & apozematis frequenter præscribatur, præcipuè in febribus malignis. Propter vim astrictoriam ad omnes ventris fluores, & sanguinis profluuia vtiliter vsurpatur. Leue illius decoctum in potu ordinario vsurpatur, citò dysenteriam curat. Ad pulmonum vlcera sananda vtiliter exhibetur aqua pimpinellæ stillatitia, in qua conserua rosarum dissoluta fuerit, & colata. Eiusdem puluis frequenter exhibitur.

CAPVT XIV.

De Radicibus esculentis.

Rapæ, & napi eiusdem sunt naturæ: moderatè calefaciunt, & humectant.

Cum carnibus elixæ comeduntur, tum etiam in aqua simplici, addendo Butyrum, vel oleum. Exiguum præbent alimentum, succum generant mediocriter crassum, inflationem pariunt, quia flatuosa sunt, lac, & semen augent, & veneris stimulos incitant, vrinas mouent, fauces, & pulmonem leniunt, humorem melancholicum contemperant, ideò ad quartanam à Cratone comendantur.

Pastinaca calida est, & sicca ordine secundo: crassum, ac melancholicum præbet alimentum, & difficilè concoquitur. Attamen diuretica est, venerem stimulat, & menstrua ciet.

Raphanus calidus est ordine tertio, & siccus secundo. Est tamen aliqua differentia inter illius species. Acrior enim calidior est, dulcior verò magis temperatus: paucum, & vitiosum præbet nutrimentum: & magis obsonium est, quàm alimentum. Nam vt ciborum condimentum, & appetentiæ incitamentum adhiberi solet.

Difficilè concoquitur, flatus generat, ructus olidos parit; grauitatem capitis infert, vaporibus illud replendo, menses, & vrinas prouocat, arenulas renum deturbat. Ac denique aperiendo, incidendo, attenuando lienosis prodest. Verùm oculis nocet propter halitus acres, & mordaces, Salernitani addunt: venenis aduersari.

Alium calefacit, & exsiccat ferè ordine quarto: exteriùs enim admotum cutem exulcerat. Coctum tamen debilius est, quam crudum: aluum, & vrinas mouet, menses euocat, flatus parit, & oculis nocet. Ventriculi concoctionem

nem adiũuat, quando is frigida intemperie laborat, si aliquot bulbi integri pilularum instar manè deuorentur. Viscerum obstructiones aperit crassos, lentosque humores incidit, & abstergit: bronchia pulmonum ab eorum infractu liberat, & vocem clariorem reddidit: lumbricos enecat, & venenis resistit, vnde *theriaca rusticorum* nominatur.

QVærit Galen. *lib. 3. de temperam. cap.* 3. cur allium, cepa, & sinapi cuti imposita eam exulcerent; deuorata verò interiora non erodant; Respondet, quia concoquuntur in ventriculo, & alijs partibus in eodem loco non manet, sed per partes disperguntur; & quia multis cibis, & potibus, (quæ ratio præcipua est) permiscentur.

Cæpa calefacit, & exsiccat ordine quarto. Acris enim est, atque mordax: est tamen aliqua differentia secundum magis, & minus, vt de Raphanis diximus; & inter illas differentias longa acrior est rotunda; rubra, albi; sicca, viridi; cruda, cocta. Paucum & prauum alimentum præbet, flatulentos gignit spiritus, hinc largiori vsu capitis dolores inuehit, somnia facit turbulenta, oculis nocet, vt & gingiuis, propter acrimoniam. Incidit attenuat, aperit, & menses mouet.

Quamuis Cæpa prauum sit alimentum, optimum tamen est medicamentum, & in multorum morborum curationibus mirabiliter conducit. Ac primum cæpæ sub cineribus coctæ tussientibus, & asthmaticis prosunt, cum butyro comestæ. Idem beneficium conferunt cum Iusculo carnium elixæ. Calculosis plurimum conferunt mane comestæ, & aceto prius intinctæ. Aqua illarum destillata in B.M. cum saccharo in eodem affectu mirandam præstat, si in orbiculos scindantur, & in aqua per noctem macerentur. Aqua illa pueris exhibita lumbricos potenter enecat. Exteriùs etiam admotæ suppressam vrinam promouent. In hunc vsum ex cæpis concisis, & in sartagine frixis, cum ol. communi, deinde additis ouis, placenta conficitur, pubis regioni applicanda ad vrinam retentam prouocandam: vel pelliculæ earum in sacculum coniectæ, & in vino albo decoctæ eidem parti admouentur. Feliciùs operantur si pars oleo scorpionum prius inungatur. Cæpæ excauatæ, & ol. amigdal. amar. repletæ, ac sub cineribus coctæ denique expressæ huiusmodi liquorem fundunt, qui sedi illitus hæmorrhoidum fluxum promouet.

Eædem coctæ sub cineribus, & in mortario marmoreo cum pistillo ligneo contusæ, adita butyri recenti æquali portione, dolores hæmorroidum sedant, & tumentes hæmorrhoides emolliunt, ac breuiter discutiunt.

Porrum similem cum Cæpis habet naturam, & temperiem easdemque facultates, sed paulò debiliores. Ab Hipp. commendatur, 1. de morbo mulier. *adiuuandam conceptionem, non solùm minùs assumptum, sed etiam exteriùs admotum per fomenta semicupia, & cataplasmata.*

Hoc præcipuè dependet à vi abstersoria, quâ vterum expurgat à mucosis humoribus, qui seminis retentionem, & actuationem prohibent.

CAPVT XV.

De Fructibus exculentis vsitatioribus,

Poma omnia refrigerant, & humectant. Differunt tamen inter se variæ eorum species secundum magis, & minùs. Acidiora enim frigidiora sunt, & aluum astringunt. Dulcia sunt magis temperata, & aluum laxant.

Cruda difficilis sunt concoctionis, cocta verò non item: Cardiacam vim obtinent, præsertim redolentia, ideo melancholicis admodum vtilia.

POmorum facultates aduersus morbos melancholico animaduerti possunt ex syrupis, qui in Officinis habentur, huiusmodi morbis destinatis, quales sunt syrupus de pomis Regis. Sapor, & syrupus de pomis redolentibus. Præterea in syrupis magistralibus, qui ad prædictos morbos præscribuntur: nunquam omittitur succus pomorum redolentium. Vis laxandi aluum ex eo dignoscitur, quòd ijs, qui eam adstrictam habent, poma cocta præscribantur, per horam ante cibum vsurpanda.

Pyorum vt etiam de pomi dictum est) variæ sunt species, & varia temperamenta. Insipida enim frigida, & humida sunt. Acida, austera, & acerba frigida, & sicca. Dulcia ad aliquem calorem inclinant. Omnia astringendi vim obtinent: sed maiorem austera, & acerba, minorem dulcia, minimam insipida. Cocta crudis vtiliora sunt, & ventriculo conuenientiora.

Cydonia terrenæ sunt naturæ, valde astringunt, refrigerant, & siccant gradu secundo. Vomitum, & alui fluxum curant, cor exhilarant, eique robur addunt, venenis resistunt, & ventriculi concoctionem adiuuant, in mensæ fine ingesta quia orificium illius claudunt.

Pruna recentia refrigerant, humectant, aluum emolliunt, & parum nutriunt. Facile corrumpuntur, vnde largiore esu febris putridas, diarrhœas, & dysenterias pariunt, præsertim si non satis matura comedantur. Ab ijs abstinendum, quibus ventriculus frigidus, humidus, ac debilis est; tum etiam senibus, & multa pituita refertis. Conueniunt autem iuuenibus biliosis, & sanguineis, æstuosæ maxime aeris constitutione. Siccata stomacho salubriora sunt, nec tam facilè corumpuntur: ventrem insuper subducunt, in aqua cum saccharo decocta.

Mala per sica frigida, & humida sunt gradu secundo. Prauum generant succum, & facile corruptibilem. Ideo mouet Galen. 2. de alim. facult. cap. 19. post alios cibos non esse comedenda. Dicit enim, corrumpi in superficie natantia. Sumenda igitur ante fercula alia, sic enim fiet, vt facilè egeruntur, & alijs cibis viam muniant, si enim sumptæ fuerint postrema, vna secum alia quoque corrumpunt. Praua eorum qualitas corrigitur vino & sale. Quidam decoquunt supra cineres calidos, vt poma, & saccharo conspergunt, quæ correctio omnium optima est.

Præceptum Galeni de malis Persicis, vt ante alios cibos ingerantur omnibus fructibus conuenit, qui frigidi, & humidi, valdeque corruptibiles sunt. Illi enim, diu retenti in ventriculo, corrumpuntur, & alijs cibis innatantes eos quoque corrumpunt.

Mala Armeniaca Persicorum temperiem æmulantur, sed paulò minùs humida illa tamen bonitate superant, Galeno teste, neque tam facilè acescunt aut corrumpuntur. Sunt enim suauiora, ideò magis grata ventriculo, cuius mos est, sibi gratiora melius concoquere.

Cerasa cum prunis maximè conueniunt, cum ratione temperies, tum ratione facultatum. Non leuis tamen est in varijs eorum speciebus differentia. Acida enim magis refrigerant, & difficilius corrumpuntur: dulcia verò magis corruptibilia sunt.

Ficus recentes in actiuis qualitatibus temperatæ in passiuis humidæ sunt. Satis laudabilem succum generant si perfectam maturitatem adeptæ sint. Si verò satis maturæ non fuerint, (quod ex eo cognoscitur, cum ex arbore decerptæ lac in extremo pediculi emittunt) tunc prauum, & corrosiuum succum producunt, vnde febres putridæ, ac præsertim dysenteriæ oriuntur. Facile in ventrem discendunt, & primo cibo assumptę, tum laxant, abstringendi vim obtinent.

Ficus siccæ, caricæ vulgò dictæ, calidæ sunt in primo gradu, attenuandi atque abstergendi facultate præditæ.

Vuæ fouent, aluum subducunt, renes mundificant, frigidis pulmonum vitijs opitulantur, hepatis, & lienis obstructiones referant. Largiùs ingestæ sitim excitant, quia æstuosæ. Sanguinem impurum, & putredini obnoxium generant; vnde ex illarum vsu crebro pediculorum prouentus, aut scabies exoritur.

Venenis resistere non pauci auctores referunt, & Plinius narrat, Mithridatē Regem Ponti, alexipharmacum in parato habuisse, contra venena præsentissimum; quod ex ficubus, nucibus iuglandibus, folijs rutę, & sale confectũ erat. Quintus Serenus ingredientium dosin notat, dicitque componi ex folijs rutę 20. salis grano 1. nucibus duabus, & totidem ficubus.

Vuæ inter autumnales fructus principatum obtinent, vt testatur Galen. 2. de alim. facult. cap. 9. eò quòd plus nutriant quàm reliqui fructus, minimumque praui succi contineant; modo ad perfectam maturitatem peruenerint. Benè eas nutrire ostendit exemplo eorum, qui vineas custodiant: illi enim, postquam per duos menses custodiæ præfuerunt, & solis vuis, ac ficubus pasti sunt corpulenti admodum euadere solent. Caro tamen, quæ inde progignitur, minus firma, densaque est illa, quæ ex carnibus generantur.

Bonitas vuarum in omnibus regionibus eadem non est. Quæ enim in frigidis locis prouenium, & perfectam maturitatem non adipiscuntur acidæ sunt, austeræ, vel acerbæ, & sanitati plurimùm infensæ. Contrà vero, quæ in calidis regionibus adolescunt, gratam habent dulcedinem, corpus re-

ficiunt, & humectant egregiè. Pueris maximè conueniunt, propter magnam temperamenti analogiam: sunt enim calidæ, & humidæ. Nonnullos puerulos, febræ hectica laborantes, & marasmo consumptos, solo vuarum vsu restitutos vidimus, quas in omnibus pastibus copiosè cum pane comedebant. Sed perpetuò cauendum est, vt sint benè maturæ, & ijs, qui admodum debilitati sunt, à pellibus exuendæ, ne illæ deglutitæ stomachum grauent: incoctiles enim sunt. Recenter è vite decerptæ calidiores sunt, & empyreuma retinent, à radijs solaribus impressum, si autem per biduum, aut triduum asseruentur, frigidiores euadunt. Vuæ pensiles inter cibos refrigerantes enumerantur.

Vuæ passæ calidiores sunt, & æstuosæ ab Hipp. dicuntur, bili enim generandæ idoneæ sunt, quemadmodum omnia dulcia, in corporibus scilicet biliosis, nam frigida, & temperata corpora bene nutriunt. Ex ijs præstantiores sunt pingues, & tenui folliculo vestitæ, pleniusque nutriunt. Aluum laxant, & abstergunt, sed paulo minùs quam caricæ; magis stomachum iuuant. Pectori, renibus, & vesicæ plurimum prosunt. Scribit Gal. 8. κατὰ τόπους *vuam passam hepati tota substantia familiarem esse.*

Hæc cum hepate familiaritas locum dedit electuario de Passulis, quod & electuarium de vino appellatur, hepati roborando conuenientissimum; eaque ratione ad hydropem maximè commendatur. Illius descriptio reformata habetur in *Praxi medica nostræ, cap. de hydrope.* Nos aliquot puerulos ab hydrope liberatos vidimus vsu electuarii simplicius parati. Coquebantur passulæ in vino albo ad consumptionem vini, & persæceum traijciebantur, atque iterum recoquebantur ad cydoniati consistentiam, eoque vtebantur in omni pastu, interiectis aliquot purgationibus specificis.

Valde vsitatæ sunt in Germania, multisque alijs locis, Passulæ laxantes; ijs, quia astrictam habent aluum vtilissimæ, puerulis, ijsque; qui medicamentorum sapores ingratos abhorrent, conuenientissimæ. Harum descriptio habetur in *Pharmacopœa Augustana*, in hunc modum.

℞. *Sennæ Alexandrinæ* vnc. iv. *cinamom. electi zinziberis* an. Scr. iv. *aquæ endiuiæ, & vini albi* an. vnc. xiv. Infundantur per hor. vj. aut vij. deinde bulliant, & leniter exprimantur; huic decocto post colaturam adde, *sacchari*, albi vnc. iv. Coquantur fere ad consistentiam syrupi; tum injice, *passularum minorum repurgatar.* vnc xij. Coquantur iterum leni artis, ad iustam mensuram.

Amygdalæ dulces moderatè calidæ sunt, & pinguem atque oleosam humiditatem habent. Attenuant, & detergunt, vrinas mouent, & pulmones inprimis ab infarctu liberant, bronchiorumq; asperitates leniunt. Copiosè nutriunt, & alimentũ euchymum sed crassium præbent, genituram augent somnum conciliant, quia balituosæ, sed difficilè concoquuntur propter substantiæ crassitiem. Infinitis penè modis præparantur ad rem cibariam à coquis, pistoribus, & dulciarijs.

Nuclei pinei ad naturam amygdalarum maximè accedunt, sunt enim calidi, & humidi, crassumque succum generant, ac difficilè concoquuntur. Lac & semen augent, ac venereos stimulos irritant. Detergunt, humectant, reficiunt, & impinguant: vnde tussientibus, phthisicis, & tabescentibus conferunt.

Nuces auellanæ ad pineorum, & amygdalarum temperiem accedunt; sed difficiliùs concoquuntur, & ventriculum grauant. Largiùs comestæ in ventriculo cibis supernatant: vomitum flatus, capitisque dolores creant. Nephriticis conferunt ante pastum esitatæ, & a calculo præseruant.

Nuces inglandes calidæ, & siccæ sunt, parum nutriunt, & difficilè concoquuntur, stomacho nocent, bilem generant, capitis dolorem inferunt & pulmoni noxiæ sunt, lumbricos expellunt. Virides cum saccharo conditæ, cortice priori detracto, stomachum, & cor roborant. Siccæ venenis resistunt, vt in ficuum explicatione de Antidoto Mithridatis dictum est.

Præcipit schola Salernitana, post pisces nuces esse comedendas, cuius præcepti ratio est, quia pisces frigidi sunt, & humidi, phlegma generant, facile corrumpuntur, & putrescunt præsertim in debili, frigido, humidoque stomacho. Nonnulli etiam, præsertim, *if* qui in cænosis stagnantibusque aquis habitant, maligni aliquid habent. At nuces aridæ calefaciunt, & exsiccant, putredinem arcent, & malignitati resistunt.

Castaneæ in actiuis qualitatibus temperatæ sunt, ad calidum vergentes, passiuis verò siccæ. Satis copiosum præbent nutrimentum; sed difficile concoquuntur, succum producunt crassum, flatus excitant, aluum astringunt. Elixæ cum fœniculo minus flatuosæ sunt, quam assæ, quæ illico stomachum inflant, variis tamen modis corrigi possunt, quod ex culinis petendum est.

Melones frigidi, & humidi sunt sitim sedant, vrinas mouent, facillimè corrumpuntur, & corrupti naturam veneni induunt, vnde cholera morbus, aut febris maligna excitari solet.

Eorum noxa aliquatenùs euitatur, si multo sale corrigantur, in prima mensa modica quantitate sumantur vt melius concoquantur, & faciliùs ad intestina descendant, si merum superbibatur, & cibi euchymi postmodum ingerantur.

Quidam volut vinum post melonum esum assumptum magis nocere, quòd prauum illorum succum citiùs deferat ad penitiora corporis, vbi noxam grauiorem inferre solet. Uerùm id quidem locum habere potest, si vinum debile, aquosum, & minùs potens, vel in nimis exigua quantitate bibatur: sed si generosum, & satis copiose sumptum omnem melonum noxam corrigit, & bona sit illorum concoctio, vbi postmodum eorum succus ad venas translatus suam malitiam deposuerit.

Cucumeres sunt frigidi, & humidi ferè in tertio gradu: prauum succum corpori suppeditant, ac facilè putrescibilem, vnde febribus malignis, diarrhœæ, ac dysenteriæ materiam suppeditare possunt.

Cucurbita frigida, & humida est in gradu secundo. Parum alit, succum gignit improbum, cucumeribus tamen salubriorem, & in tusculis commodè æstuante cœlo, vsurpatur: refrigerat enim, & humectat, bilisq; feruorem contemperat.

Articoca, quam Gal. Cynaram, recentiores scolymum vocant, calida est in gradu secundo, sicca in primo. Flatus generat, venerem stimulat, caput grauat. Hanc Gal. vocat eduliuni cacochymum, præsertim cùm pluscul um obduruit. Tunc enim habet succum biliosum in copia maiori, totamque substantiam lignosiorem: adeo vt ex hac quidem succus gignatur melancholicus; ex ipso verò succo tenuis, ac biliosus.

CAPUT XVI.

De cibis, qui ex Animalibus petuntur, ac primùm de carnibus in genere.

Carnes animalium plurimum inter se differunt, non solum ratione diuersarum specierum; sed etiam in vna, & eadem specie, ratione ætatis, regionis, pabuli, habitus, castrationis sexus, & præparationis.

Iuniorum animalium caro, & præsertim recenter genitorum muscosa est, mollis, humida, & excrementis referta, eorum maxime, quæ natura sunt: humidiora: facilius tamen concoquitur, & aluum fluidam reddit.

Vetustorum animalium caro dura est, sicca, neruosa, concoctu difficilis, paucique, ac praui alimenti.

Eorum verò animalium caro, quæ in media ætate sunt constituta, medio modo se habet.

Quæ humida, & palustria incolunt loca, carnes habent humidas, & superfluitatibus plenas. Quæ sicca, & montuosa, excrementis vacuas, concoctu faciliores, & ad nutriendum aptiores.

Animalia syluestria carnes sicciores, & magis excrementis vacuas largiuntur domesticis & vrbanis, quæ carnes habent humidiores, magisque excrementitias.

Carnes macilentæ, & extenuatæ duræ sunt, ac siccæ, concoctu difficiles, & parùm nutrientes: pingues verò, & obesæ præhumidæ sunt, & ventriculo infensæ, nauseamque parientes, si pinguedo admodum excesserit. Si verò medio modo se habeant, hoc est, neque macriores, neque pinguores, substantiæ bonitate, & saporis suauitate reliquis sunt præferendæ.

Animalia, quæ in locis nutriuntur optimis pascuis refertis, sapidiora sunt, & melius nutrientia. Sic verueces in dumetis nostris, thymo, lauendula, roremarino, aliisque plantis aromaticis refertis enutriti, longè suauiorem carnem habent ijs, qui in montibus, hisce plantis destitutis, aluntur. Sic etiam perdices montanæ nostratibus insipidiores sunt.

Castratorum animalium carnes teneriores, sapidiores, & concoctu faciliores sunt, vt in verueecibus, bobus, iubus, & caponibus apparet.

Musculorum carnes laudabiliores sunt carnibus fœminarũ: quandoquidem mares calidiores sunt, & sicciores, laborio-

bonosiores, & excrementis minùs onerati, vt in pecore, bouino, & ouillo conspicuum est.

Carnes alixæ humidiores sunt, & ad secessum commodiores.

Assæ verò sicciores; quia humiditas, & pinguedo igne absumpta est Frixæ etiam sicciores, & acriores. Sale, & aromatibus conditæ calidiores, & sicciore.

CIrca carnes assas, & elixas est *dubitatio*, quæ elicitur ex Arist. *probl. 54. sect. 1.* vbi asserit, carnes assas esse humidiores elixis, quod theoremati proposito & sensibus ipsis repugnare videtur. *Soluitur* tamen: dicendo carnes assas esse humidiores humiditate propria, & congenita; elixas verò humiditate aduentitia, quæ ab ipsis imbibitur, dum in aqua decoquuntur; ast verò sicciores esse elixas rationem humiditatis propriæ, quæ in iusculum extrahitur; vnde fit vt minùs nutriant, quàm assæ, si seorsim, & sine iusculo sumatur.

Carnes elixæ magis competant ijs, qui sunt ad huc in incremento corporis, qui sicco sunt temperamento præditi, & qui calidi, siccisque laborant ægritudinibus: idque magis in regionibus, & anni temporibus calidis, & siccis. Assæ verò magis conueniunt ijs, qui frigido, humido temperamento præditi sunt, quibus aluus fluida est, & qui morbis frigidis, & humidis obnoxij sunt.

CAPVT XVII.

De Carnibus Quadrupedum.

Caro veruccina in nostris (Galliæ) regionibus omnium præstantissima, & vsitatissima est, omni ætati, complexioni, & tempori conuenientissima. Temperata est, aut saltem moderate calida, & humida. Optimatum assa tum elixa, quæ ex veruecibus anniculis aut bimulis, mediocriter pinguibus, puro in aere & bonæ notæ pascuis enutricis prouenit.

Caro ouilla mali succi est, & excrementitij; difficile concoquitur ob substantiam viscidam, ac lentam, & partus frequentiam.

Agnina caro valde humida est, mucosa & pituitosa. & ob hanc causam declinanda Galeni iudicio lib. de victu attenuante ca. 8. *Quod tamen de agnis recens natis intelligendum; non vero de adultioribus, qui optimum præbent alimentum & facile concoquuntur. Hinc carò eorum conuenientissima est vsus, qui naturæ sunt delicatioris ac debilioris, & qui parum exercentur. Præterea distinguendæ sunt regionibus, in quibus adolescunt. Lutetiæ enim caro agnina magno est in pretio, & hædina longe præfertur: apud nos verò hædina agninæ præferri consueuit.*

Caro hædina carnem habet humidam, sed minùs agnina. Ideo præfertur: saltem apud nos; moderate nutrit, sanguinem gignit tenuem, & humidum, alium emolit, & melior est assa quam elixa, sicut & agnina.

Caro bouina calida est, & humida absolute considerata, quia omnis caro tale habet temperamentū vtpote ex sanguine calido, & humido genita. Comparate tamen, respectu aliorum animalium, sicca est, ac dura concoctu difficilis, & aluum sistens. Sanguinem procreat sicciorem & melancholicum firmum tamen præbet alimentum si bene concoquatur ideo robustioribus corporibus, & valido exercitio vtentibus vtilis.

Vitulina caro in actiuis temperata est, in passiuis humida, boni succi concoctu facilis. sanis atque ægrotantibus conueniens magis tamen competitijs, qui in otio & delicijs viuunt, qui que mollioris, ac delicatioris sunt constitutionis, quam baiulis, nautis, fossoribus, & alijs qui duros subeunt labores. quibus bubulæ caro est conuenientior.

Suilla caro in actiuis temperata est in passiuis humida. Galenus humanæ carni similem esse asserit, & si benè coquatur omnium ciborum potissimè nutrire. Crassum & lentum habet succum, & ideo nutrimentum præbet firmum, ac durabile, quod dissipari facile nequit.

Porcellorum caro prę humida est, & mucosa, plurimumque gignit pituitæ; magis excrementosa, quàm suilla, quia humidior: minùs autem nutrit. Alimentum, quod præbent facile quidem ob tenuitatem substantiæ distribuitur, sed prompte discutitur.

Leporina caro sicca est dura, & crassa, sanguinisque melancholici parens. Quod de vetulo animali audiendum siquidem lepusculorum caro debilitatissima est, & inter conuiuiorum lautitias cum perdicibus æquiparatur. Laudantur vero, bimestres, trimestres, & quatrimestres.

Cuniculorum caro ad leporinam proxime accedit: in eo tamen distinguuntur, quod cuniculi mediæ ætatis reliquis præstantiores sunt. Vetusti autem duriores, siccioresque iuniores vero, & nuper in lucem editi mucosiores: Syluestres aliis præferuntur, vtpote minùs excrementosi, minusque humidi. Altiles, qui domi educatur pinguiores quidem, corpulentioresque sunt; at sapore, & salubritate syluestribus longè inferiores. Illud pabulum sapiunt quo nutriti fuerunt atque adeo, si brassicis alantur, vt sæpè fit, abominabilem saporem habent. Si verò triticum tantum comedant valdè impinguantur & delicatissimum præbent edulium; quod in Apiciorum gratiam sit dictum. Syluestres, qui in dumetis nostris, thymo, lauendula, origano, aliisque herbis aromaticis nutriuntur, sapidissimum, & saluberrimum alimentum præbent.

CAPVT XVIII.

De Interaneis, & Extremitatibus Animalium.

Hepatis substantia genericè considerata, crassum præbet alimentum, concoctu difficilè, gignendisque obstructionibus idoneum: magna tamen differentia reperitur ratione animalium, à quibus desumitur siquidem hepar gallinarum, caponum, anserum, pipionum, & vitulorum gallinaceorum præstantissimum est. Ideò prior sententia de quadrupedum hepate audienda est inter quæ hœdi, vituli, & sues satis laudabilis succi iecinora exhibent.

Lien prauum alimentum suppeditat, & melancholicum succum producit, difficilè concoquitur, & tardè destribuitur. Renes difficilè concoquuntur ob substantiæ solidita-tem, qua præditi sunt, succum pariunt crassum, & malum, propter varios & excrementitios humores, qui eos continuò perfundunt.

Cor fibrosam carnem obtinet solidam & duram; atque adeò difficilè concoquitur, tardè destribuitur & crassum succum producit. Si tamen benè concoquatur, non paucum copori alimentum præbet, neque id mali succi.

Pulmo hepate ac liene concoctu facilior est, quia vtroque rarior & mollior, longè tamen hepate quoad alendum inferior.

Glandulæ omnes hoc commune habent vt suauis in cibo, & teneræ, ac friabiles appareant. Cranium dant alimentum & si bene animal habitum sit, multum, ac boni succi. & probè in ventriculo concoctæ non minùs nutriunt quàm carnes musculosæ. Minùs verò quàm par digestu succum pituitosum, & crudum generat. Hæc de glandulis mammarum præcipuè audienda. Ex alijs verò glandulis molliores sanguinem pituitosum generant duriores verò crudum.

Lingua vitulina hædina agnina, suilla, & veruecina concoctu facilis est, & laudabilem succum generat; bouina paulò crassior, sed nutritioni satis idonea modo sale non condiatur, nec fumo induretur.

Cerebrum cibum præbet phlegmaticum crassi succi, concocti difficilem, crassum, & tardè permeabilem. Appetitum prosternit, & nauseam parit.

Pinguedo, & adeps pauci sunt nutrimenti, & potiùs carnium nos nutrientium condimenta, quàm alimenta. Ventriculi tunicas laxant, eiusque tonum dissoluunt, ac propterea nauseam pariunt, & appetentiam deijciunt. In biliosis corporibus facilè in bilem vertuntur, difficillimè concoquuntur.

Ventriculi substantia membranosa est, atque adeò frigida, & sicca, dura, & glutinosa. Difficilè concoquitur, ituitam generat, obstructiones parit, multorumque morborum causa esse potest, mollibus, & otiosis hominibus vitanda, & baiulis, fossoribus, nautis, & similis naturæ hominibus tantum exhibenda.

Intestinorum eadem est ratio, si quidem eorum similis est natura. Iuniorum tamen animalium, vt agnorum, & hædorum intestina molliorem habent substantiam, & facilius concoquuntur.

Pedes, aliæque extremitates quadrupedum, ex membranis, ligamentis, tendinibus, venis, arterijs, & cartilaginibus compositæ, frigidæ sunt & siccæ lentæ, viscosæ pauci nutrimenti & difficilis concoctionis. Iuniorum tamen, & lactantium animalium extremitates excipimus, vt de ventriculo, & intestinis annotatum est.

CA-

CAPVT XIX.

De Alimentis, quæ in quadrupedum partibus continentur.

Sanguis calidus est, & humidus, concoctu difficilis, & plurima excrementa generans. Licet enim dum in venis continetur, facilè in substantiam corporis nostri conuertatur, tamen postquam ab ijs eductus est, & calorem atque spiritus amisit, concrescit, & in prauam substantiam degenerat.

Medulla calida est, & humida, optimè nutrit, si bene concoquatur. Nimia quantitate assumpta stomachum relaxat, & nauseam parit.

Lac integrum in actiuis qualitatibus temperatum est, ad frigidum aliquantulùm vergens, in passiuis verò humidum ratione pinguis, & aquosæ substantiæ; emplasticum, & incrassans, ratione caseosæ: absterforium, ratione serosæ: contemperatorium, seu mitigatorium ratione butyrosæ.

Optimi electio est, vt sit candidum, clarum, purum, atque sincerum, dulce, omnisque amaritudinis, acrimoniæ, aciditatis & salsedinis expers, odore sua veolens, aut saltem boni odoris exiguum quid spirans: consistentia moderatum, hoc est, neque nimis crassum, & caseosum, neque nimis tenue & serosum, sibi ipsi continuum, & vngui instillatum cohærens, & non diffluens, recens, multum, & ab animali benè pasto, & habito petitum.

Lac optimum, prædictis conditionibus stipatum, omnium ferè alimentorum est præstantissimum, facilè concoquitur, & leui negotio vertitur in sanguinem, sufficienter alit, corpus roborat, atque impinguat, aluum emollit, sed stomachum, & intestina inflat. Quę omnia locum habent in corpore temperato, & superfluitatibus vacuo: nam in ventriculo pituitoso acescit, in bilioso nidorem contrahit. Corrigitur sale, vitello oui, saccharo, aut melle. Lac verò vitiosum nocentissimum est; & tantùm abest, vt ad succum laudabilem generandum conferat, vt etiam corpora sumentium cacochyma reddat,

PRauos vitiosi lactis effectus ostendit Gal. *lib. 3. de alim. fac. cap.* 15. exemplo nutricum, quę ob annone caritatem vsæ sunt syluestribus oleribus; pueri enim, earum lac sugentes, prauis vlceribus; alijsque affectibus inficiuntur. Item exemplo caprarum, scammonio, aut tithymalo pastarum, quarum lac catharcticum est.

Inter lactis differentias, ad sanorum alimoniam magis vsitatas, vaccinum omnium crassissimum, & pinguissimum est, nam caseosæ substantiæ habet plurimum, serosæ verò, si cum alijs comparetur minimum. Hinc aluum minùs subducit, magis autem nutrit. Difficiliùs concoquitur citiùs in ventriculo coagulatur, tardiùs descendit, difficiliùs distribuitur; & obstructionibus generandis magis est idoneum. Caprinum mediæ est consistentię, quemadmodum & Ouillum quod tamen caprillo crassius est, plus enim casei habet, minùs verò serit: ideoque minùs deijcit & valentiùs nutrit. Asininum omnium tenuissimum & maximè serosum est. Verum illius vsus ad Therapeuticem magis, quàm ad Hygieinen spectat.

Butyrum calidum, & humidum est gradu primo, & eiusdem ferè naturæ cum oleo oliuarum maturarum, teste Auicenna. Magis tamen humidum, quàm calidum. Vetustum calidus est, atque tenuius: recens ferè temperatum in actius. Nutrit, impinguat, ventrem laxat, tussi obnoxis confert. Nimius illius esus ventriculi tonum dissoluit, nauseam parit, appetitum aufert. Proinde ijs vitandus, qui humidiorem, laxioremq; habent ventriculum. Vitandus, & calidioris complexionis hominibus, in quibus facilè acceditur, & in bilem mutatur. Apponendum est prima mensa, citiùs enim exit, cibisque ingestis quasi viam sternit. Si autem post alios sumatur, ventriculum relaxat, & in complectendo cibo, constringendoque orificio superiori, eum impedit.

Cremor lactis butyro simillimus est, & cum eo viribus, ac qualitatibus maximè conuenit. In eo differunt, quòd butyrum arte extrahatur, cremor verò sponte supernatet. Lac bubulum præsertim eo maximè abundat. Ob pinguedinis copiam ventriculum relaxat, cibo supernatat, alimenta assumpta ejcit, prinsquam concoquantur, vapores mittit ad caput, succum generat crassum.

Recocta est substantia recenti caseo similis, & serosa lactis parte per ebullitionem extracta. Minus stomacho nocet quàm caseus recente pressus. Calidis confert defluxionibus, sitim sedat, somnium conciliat: sed frigido ventriculo, & neruorum morbis obest. Uetusta, & indurata difficilè concoquitur, sitim parit, parùm nutrit, aluum sistit, flatus generat.

Caseus omnis eandem non habet naturam, & temperiem, sed pro diuersitate animalium, ex quibus desumitur, & pro sui ipsius etiam ætate, odore, sapore, alijsque circumstantijs, plurimùm variat.

Caseus vaccinus multùm alit, sed difficilè concoquitur. Ouillus minùs crassam habet substantiam, & faciliùs concoquitur, parcius alit vaccino, sed meliùs alimentum præbet. Caprinus vtroque est deterior, sed ob acrimoniam faciliùs deijcitur.

Antiquus calidus est propter acrimoniam, & aliquando putredinem, quam contrahit, vel propter coaguli, & salis, dum paratur, admixtionem. Et quo antiquior eò acrior, ac per consequens calidior, & siccior adeò vt Auicena talem gradu tertio calidi, & sicci pronunciet. Hinc ob caliditatem, & siccitatem concoctu difficilior, & calculo gignendo aptissimus, & præsertim si sit plus æquo salitus. Vitandus igitur est, cum, docente Galeno, Dioscoride, & Auicenna, malè concoquatur, & distribuatur, siccum, & prauum alimentum generet, aluum constringat, & in atram bilem vertatur. In pauca tamen quantitate sumptus præsumptorum alimentorum, præcipuè carnis concoctionem iuuat, quamquam ipse difficiliùs concoquatur.

Recens qui adhuc mollis, & nuper coagulatus est, frigidus, & humidus est; duro, & sicco flatuosior propter humiditatem; minùs tamen siticulosus, minusq; ventrem sistit, benè nutrit, & impinguat, stomacho vtilis facilè in membra distribuitur, non tam crassi, aut praui succi, vt antiquus. Attamen concoctu difficilis est, calculum, obstructiones, aliosque affectus producit.

Putridus, aut fœtidus omnium pessimus est: qui verò bonum spirat odorem, salubrior Acer, & salsus, calidus est, & siccus, siticulosus, & cacochymus. Acidus, cachochymus, & frigidus est. Dulcis, & pinguis modicè calidus, magis nutriens, & succi melioris.

Caseus pinguis, & butyrosus, cui nihil, aut parum butyri ademptum est, melior est: macer verò, & oculatus, omni ferè butyro priuatus, longè deterior.

CAPVT XX.

De Cibis ex volatilibus desumptis.

Gallinarum caro in actiuis temperata est, in passiuis humida: concoctu facilis, boni succi, & multum nutrientis. Scribit Auicenna, eam augere intellectum, & ingenium clarificare vocem, & seminis copiam generare. Quę omnia de iuuenibus mediocriter obesis, & quæ nondum pepererunt audienda sunt; anosæ enim, vtpotè durę, & neruosæ, macræ, glocientes; & incubantes, damnantur.

Caponum, & pullorum gallinaceorum caro, eiusdem est naturæ, & temperiei cum carne gallinarum iuniorum: hac tantùm differentia quod pulli, tenuiorem substantiam habentes, minus alunt, & minùm solidam substantiam præbeant, ideò corporibus multùm laborantibus minùs aptam.

Pulli Columbini inter laudatissima reponuntur alimenta, optimè concoquuntur, succum generant neque crassum, neque tenuem, sed inter hunc medium.

Galli Indici, caponibus, & gallinis non cedunt, si iuniores sint, & ante aliquot dies iugulati. Si enim veterani sint, aut recenter mactati, carnem habent duriorem, & concoctu difficilem.

Anserum caro calida est, & humida, crassa, cõcoctu difficilis, & excrementitia. Quo autem sunt annosiores anseres: eò siccriores, duriores, & ad alendum ineptiores, viscera obstruunt, & prauũ succum generant: Qui vero ætatis sunt mediæ, & bene saginati, meliores, ac teneriores sunt, vnde in multis regionibus inter cupidias habentur.

Pulli iuniores insalubres sunt, quia muco, & excrementitia carne referti.

Perdices inter alites principatũ obtinẽt sine illius sumptuosę conuiuia gratiã, & splendorem amittunt, carnem habent sapidissimam, præsertim iuniores, cum aliquamdiu in aere fuerint suspensæ bonum, ac laudabilem generant sanguinem, eumq; copiosum, & excrementis vacuum memoriam augent, semel multiplicant. Veneris stimulos excitãt Cardanus asserit, cõtinuo perdicũ esu luem veneream curari, quan-

quandoquidem ab ijs massa sanguinea, & totum corpus renouantur.

Palumbæ, turtures, coturnices, turdi, merulæ, alaudæ, & reliquæ montanæ auiculæ secundum a perdicibus locum obtinent: optimum succum generant; benè nutriunt, & excrementorum pauciſſima copiam obtinent.

DE Coturnice est controuersia, siquidem Galenus, Plinius, & Auicenna referunt, eos qui coturnicibus frequenter aluuntur, spasmo esse obnoxios. Cuius rei causam desumit Galenus ex veratro, seu helleboro, quo coturnices pasci consueuerunt. Auicenna addit, substantiæ illarum quandam inesse facultatem occultam, quę spasmum inducere possit. Contra ab alijs improbatur hæc sententia quorum anteſignanus est Auerroes, asserens coturnicum carnem esse saluberrimam, & optimam, ac laudabilem sanguinem generare. Quod rationi maximè consentaneum est. Pauciſſimæ enim sunt regiones, in quibus helleborus adolescat, sed passim vescuntur coturnices optimis herbis & cerealibus. Neque experientia docet, eos qui coturnices comedunt, obnoxios esse epilepsiæ. Adde quod singulari Dei beneficio Israelitis olim in deserto concessæ sint, quod factum non fuisset, nisi optimum præberent alimentum. Etiamsi enim Israelitis graues morbi inde exorti sint, hos ex abusu illius cibi prouenisse constat, quo se plurimùm ingurgitabant, vt sufficienter eum concoquere non possent. Hinc eruditates, & putredines maximæ exortæ sunt.

De quadrupedum, & volatilium carnibus hoc theorema vniuersale annotandum est: illas plurimùm inter se differre, ratione ætatis, modi, præparationis, & loci, in quo habitant. Siquidem iuniorum, & adhuc augescentium caro longè præstantior est ætate prouectiorum, & declinantium. Eorum verò, quæ in ætate florenti constituta sunt, mediam naturam obtinet. At recenter editorum caro praua est, quia mucosa, humida, & excrementis plena.

Assa, & in sartagine frixa, siccior est: elixa verò humidior Animalium, quæ in stagnis, paludibus & locis humidis viuunt carnes humidę, & excrementitias sunt, ac cōcoctu difficiles: quę verò in mōtibus, dumetis, & locis siccis degunt; carnes habent siccriores concoctu faciliores, & excremēti vacuas.

Oua ex varijs animalibus petuntur: at sola gallinacea in vsum quotidianum veniunt. Ex duplici substantia conflata sunt, temperie diuersa prædita, vitello scilicet, & albumine. Vitellus moderatè calidus est & humidus, optimum præbet alimentum, sanguini maximè vicinus est; in eumque leuissima coctione conuertitur: vnde vulgò dicitur, tantum gignere sanguinis, quantum habet ponderis, atque adeò excrementis vacuus est. Albumen verò frigidum est, ac moderatè sic cum, Galeno teste.

Oua optima eligenda sunt, quæ candida, longa, noua: nam recentia eiusdem dici aurea dicuntur, duorum dierum, argentea, trium verò ferea.

Oua tremula dicuntur, quæ in aqua modicè elixa, eatenùs, vt in manu detenta tremere videantur. Ad corporis alimoniam omnium sunt accommodatissima, Galeno teste, & magis alunt, quàm sorbilia.

Oua sorbilia, quæ in aqua cum lutamine eo vsque elixa sunt, vt forberi valeant minùs nutriunt, qua tremula, (vt dictum est) propter substantiæ tenuitatem. Facilius autem subducuntur, ac probe aluum emolliunt, præsertim mane ieiuno stomacho sumpta: vocem reddunt claram tussim sedant, partum facilitant, & venenis in peste aduersantur. Illa, vt & tremula conualescentibus senibus, infantibus, phthisicis, & hæmorrhagia, aliaque insigni euacuatione debilitatis plurimum conferunt.

Oua longiori elixatione indurata difficilè concoquuntur, succum crassum generant, & aluum constipant. Assa sub cineribus magis constipant succique pectoris sunt crassio ijsque vim enim ignis patiuntur, maiorem, & plus naturæ humiditatis amittunt quam elixatione indurata.

Oua frixa omnium pessima sunt, ęgre concoquuntur lentè permeant, prauum, crassumque succum gignunt, & humores sibi admixtos in corruptelam perducunt. Quod tamen intelligendum est de ouis ad integram duritiem frixis.

Placentæ ex ouis paratæ in sartagine cum butyri satis bona quantitate & ad mollem adhuc consistentiam cocta saluberrimæ sunt. Idem dicendum est de ouis suffocatis, quæ scilicet conquassata, in patina concoquuntur ad mediocrē consistentiam cum butyro vel lactè, saccharo postmodum adiecto. Illa enim facilè concoquuntur, & probè nutriunt.

CAPVT XXI.

De Piscibus.

Pisces in genere frigido, & humido temperamento præditi sunt, alij tamen plus, alij minus. Quoad substantiam etiam plurimum variant; vt alij concoctu faciles sint, ac succum laudabilem generent; alij verò difficilè concoquantur, & magnum faciant excrementorum prouentum.

Pisces, qui in limosis, sordidis grauiterque olentibus aquis degunt, insalubertimi sunt. Improbantur etiam qui in paludibus, stagnis, fluminibus, paruis, atque stagnantibus, aut cœnosis; & turbidis, aut magnarum ciuitatum, quas præterfluunt, excrementis, & sordibus inquinatis versantur.

Maximè probantur pisces saxatiles, qui in saxosis aquis ceu limpidissimis delitescunt. Facilè enim concoquuntur, & mediæ consistentiæ sanguinem, hoc est, neque nimis tenuem, neque nimis crassum producunt.

Squammosi pisces, & carnem teneram, atque friabilem habentes, salubriores sunt ijs, qui squammis carent. Illi enim substantiam habent siccriorem: hi verò lentam, glutinosam, & humidiorem.

Pisces in alto mari degentes, meliores sunt: quia ab vndis agitantur, motuque continuo siccriores redduntur. Littorales his cedunt, quia mare in littore minus agitatur, estque ibi impurius.

Ex generalibus hisce theorematis facile erit singularum piscium specierum naturam, salubritatem, aut insalubritatem distinguere, vt in singulis enumerandis tempus insumere non sit opus.

CAPUT XXII.

De Condimentis.

Cinnamomum calidum est ordine tertio, siccum secundo. Urinas mouet, menses prouocat, visum acuit, attenuat, incidit, digerit, concoctionem iuuat, flatus discutit, parresque corroborat, leuiter astringit.

Caryophylli sunt calidi, & sici ordine tertio, cerebro, cordi, ventriculo, & vtero appropriati. Cerebrum roborant, materiam distillationum absumunt, mentem erigunt, memoriam firmant, frigidam, humidamque cerebri intemperiem corrigunt, morbis ex ea oriundis medentur, spiritus vitales reficiunt, syncopen arcent, ventriculi concoctionem promouent, nauseam tollunt, flatus discutiunt, vterum recreant, illius affectus leuiunt, visum acuunt, & venerem stimulant.

Zinziber calidum est ordine tertio, & humidum primo: facilè cariem contrahit propter humiditatem. Ventriculum roborat, flatus discutit, inappetentiam à frigidis humoribus oriundam curat.

Piper calidum, & siccum est ordine tertio. Longum minus habet siccitatis, quo fit, vt cariosum euadat. Album acrius, & calidius est nigro. Ventriculi concoctionem iuuat, appetentiam mouet, flatus discutit, tussi, & pectoris vitijs medetur, partum adiuuat, & oculorum caliginem discutit.

Nux moschata calefacit, & siccat gradu secundo, astringit, & propterea ventriculum roborat, flatus discutit, oris halitum emendat, alui fluxum cohibet, frigidis cerebri, neruorum, & vteri affectibus medetur.

Crocus calefacit gradu secundo, siccat primo, leniterque astringit, concoctionem adiuuat, vrinam mouet, venerem stimulat, vim habet cardiacam, venenis inimicam, putredini aduersam. Tussientibus, asthmaticis, phthisicis, & pleuriticis mirabiliter subuenit: vnde anima pulmonum appellatur. *Elegantem*, inquit Dioscor. *faciei colorem præstat*, obstructa viscera aperiendo, & concoctionem ventriculi promouendo, si moderatè vsurpetur.

Menses etiam retentos, fœtum, & secundinas potenter educit. Nimio verò vsu, aut assidua odoris inspiratione caput lædit: id enim replet, mentemque perturbat, spiritus attenuat, dissoluit, vt in magna quantitate sumptus mortem inferre valeat.

MVlierem nouimus, quæ ad prouocanda menstrua eam croci quantitatem sumpserat, quam viseptasiarius

siarius quinque assibus dederat. Inde tanto impetu menses prorupere, vt intra tridum è viuis sublata fuerit.

Ad pulmonis affectus tam efficax esse remedium, scribit Dodonæus vt subinde phthisicis in summo vitæ discrimine, & animam propè agentibus, spiritum reducat, vitamque ad dies aliquot proroget, scrupuli dimidij, aut ad summum scrupuli vnius pondere, cum passo, aliòve dulci vino exhibitus. Eodem modo oblatum asserit, grauissi mas dispnœas subitò citra febrem irruentes momento temporis auferre, idque non semel fuisse obseruatum.

Bellarium sinapis, quàm mostardam *vulgò vocant, quasi mustum ardens, frigidam, & humidam ventriculi intemperiem corrigit, pituitam illius parietibus hærentem detergit, concoctionem adiuuat, & delectam appetentiam excitat.*

Sal calidum est ordine secundo, & siccum tertio. Abstergit, digerit, astringit, condensat, putredinem arcet, torpentem appetitum excitat, ventriculi concoctionem adiuuat, aluum subducit, & omnibus edulijs gratum saporem conciliat. Nimia quantitate vsurpatum calculum gignit, pruritum parit, scabiem inducit, impetiginem accersit, Scorbutum generat, quod nationes salsis tum piscibus, tum carnibus quotidie vtentes experiuntur. Aciem oculorum obtundit, genituram minuit, bilioſis, & melancholicis nocet.

Cibi sale conditi frequentiùs assumpti eadem noxas inferunt: præterea duriores, & concoctu difficiliores reddunt: quia natiua eorum humiditas absumitur, vnde substantia eorum condensatur, & induratur, quò nomine coctioni fit rebellior.

Oleum recens, & dulce ex maturis oliuis expressum, modicè calidum est, & humidum: Emollit, laxat, lenit, acrimoniam omnem contemperat, lumbricos enecat, & venenis resistit.

Saccharum callidum, & siccum est in gradu primo: putredinem arcet, astergit, & ideò stomachum iuuat, quia detergendo illius phlegma eluit. Attamen si stomachus bile inquinatus fuerit, nocebit, quia in bilem conuertitur. Renibus, & vesicæ confert, arenulas, & mucosam pituitam abstergendo, pectus lenit, & mundificat, aluum laxat, optimè nutrit: verum nimio vsu obstructiones generat, vt alia dulcia, quia promptè rapiuntur ab hepate, sicque alia edulia admixta nondum satis concocta attrahuntur. Dentibus est inimicum, quos denigrat, & ad cariem perducit: ideò post illius esum os colluendum.

CAPVT XXIII.

De Melle.

Mel calidum & siccum est gradu secundo: est tamen quædam differentia ratione locorum, ex quibus mel ab apibus colligitur. Calidius enim, & siccius est, quod in locis prouenit calidioribus, thymo, lauenduli, roremarino, aliisque herbis aromaticis refertis: in regionibus vero frigidis, huiuscemodi herbis destitutis, minus calidum est. In genere flauum calidius siccíusque est albo: & sensus ostendunt, aliud alio esse odoratius, & acrius, atque adeo viribus, & qualitatibus potentius. Abstergit, aluum mouet, vrinam prouocat, tussi medetur, putredini mirum in modum aduersatur, & fructus horgi maximè corruptibiles, si cum melle, aut saccaro condiantur, incorrupti permanent ad plures annos. Vtile est senibus, frigidi temperamenti hominibus, præsertim hyemali tempestate: noxium vero iuuenibus, bilioſis, & tempore æstiuo. Calculoſis, asthmaticis, aliisque pulmonum affectibus obnoxijs maximè conducit. Purum homini nutrimentum exhibet, corporis, animęque vires reficit, sensus omnes recreat, eosque acutiores reddit.

MEllis naturam & facultates capite proprio, & seperato explicare voluimus, tum propter illius præstantiam, tum quia non solùm inter condimenta sed etiam inter alimenta locum habet; ac denique quia Gal. 11. *simp.* scribit, mellis naturam seperatũ quid esse à plantis, & animalibus.

Illius præstantia multis authoritatibus, & exempli confirmatur Plinius enim mel, diuinum nectar appellauit. Idem ex Aristæo, mellę non minima huius vitæ munera vocauit. Maximo autem in vsu fuisse apud antiquos, & plurimam ad sanitatem conseruandam, vtilitatem attulisse historiæ plurimæ testantur. Pythagoras (referente Laertio) cum frugalissimè viueret, solo sæpe melle contentus fuit, & ad annum nonagesimum vitam perduxit. Eosque sine morbo viuere, posse affirmabat, qui mel crebro comederent. Refertque, Atheneæus, Pythagoricorum cibum panem fuisse cum melle. Galen. 5. *de san. tuenda, cap.* 4. refert historias Antiochi Medici, & Telephi Grammatici, quorum ille singulis diebus tertia diei hora panem sumebat cum melle Attico, rariùs crudo, plerumque cocto, & sic cum alia victus ratione ibi descripta annum octuagesimum excessit. Hic verò pro ientaculo mel crudum esitabat, cum alica in aqua cocta, & ad centesimum annum vitam protraxit. *Plin.* 22. *c.* 24. de Pollione Romano, annum centesimum excedente, refert: cùm Augustus Imperator illius hospes interrogasset, quanã ratione maxime vigorem illum animi corporisq; seruasset responsum tulisse: foris oleo, intus, melle. Quod à Democrito didicerat, qui aliquando interrogatus, quomodo quis in sanitate vitam traducere valeret; respondit, si exteriora oleo, interiora melle rigarit. Idem Democritus, cum in senectute vitæ esset pertæsus, eam subtractione alimenti finire conabatur. Sed cum ingruerent Thesmophoria, seu sacrorũ cerealium dies, rogantibus mulieribus ne per id tempus domum funestaret, vas melle plenum adferri iussit, & sola illius anaphora hoc est; euaporatione, aliquot dies vitam produxit. Scribit etiam Athenæus, Cyrnios, qui Corsicam insulam habitant, ideò esse longæuos quòd mellis cibo vtãtur assiduè, cuius maxima copia ibi colligitur. Denique sacri Codicis testimonio, mellis præstantia confirmatur, vbi de Ioanne Baptista loquens, *Butyrum*, inquit, *& mel comedet; vt sciat eligere bonum, & reprobare malum.* Cum enim boni, & laudabiles humores ex Cele generentur, ex bonis humoribus boni spiritus, à quibus functiones corporis omnes, atque adeo functiones cerebri principes exercentur; consequens est, illius vsu ingenium, & intellectum acuti, cuius tota operatio in boni, & mali exquisita dignotione consistit.

Mellis natura satis recondita est, quandoquidem incertum est, ad quam rerum classem reuocari debeat; cum scripserit Gal. *loco supra citato*, illius naturam seperatum quid esse plantis, & animalibus. Et authores in hac re maximè variant, alijs ab aere purè, & simpliciter prouenire, & ab apibus in escam colligi, atque in fauos transferri asserentibus, alijs verò dicentibus, ex plantarum succo ab apibus generari. Prior sententia ab Aristotele, Galeno, alijsque innumeris magis probatur. Et confirmatur experientia, quòd in regionibus melle abundantibus, verna tempestate, matutinis horis, folia plantarum melle referta comperiantur, quod ex aere promanauit. Est igitur mel rosquidam aereus, & pinguis, ex pinguibus quibusdam vaporibus è terra eleuatis, & in aere condensatis genitus, ab apibus supra flores præsertim, tum etiam folia plantarum, collectus, & ad cibum in fauis reseruatus. *Dubium* tamen aliquod remanet, num ex ipso florum succo aliquid etiam mellis generari possit, quandoquidem nemini dubium est, quin cera ab ipsis apibus ex plantarum succis generetur, quę cum maximam habeat analogiam cum melle, verisimile videtur, mel etiam ex ijsdem succis in roris penuria generari posse. Hoc saltem certissimum est, mel qualitates plantarum referre, è quibus colligitur. Sic, quod in thymo colligitur, thymum redoleat; quod in Sardinia prouenit, vbi absynthij magna copia crescit, amarum est: in Ponto verò est venenatum, propter rododendron, quod in eo magna copia adolescit. *Verùm* qualitates plantarum melli facilè communicari possunt, dum in eas spargitur, ijsque tenaciter adhæret, & aliqua ex parte imbibitur.

Mellis optimi electio ab auctoribus proposita est vt sit colore flauo, odore suaui, nullum nec florum, nec herbarum odorem, aut saporem referens, gustu iucundum. Album tamen, quale est nostrum Narbonense, & quale Atticum olim fuit, præstantius est ratione alimenti, quia magis temperatum. Flauum verò præferri potest ratione medicamenti. Omne tamen mel est alimentum medicamentosum, quia nam solum perfectè nutrit, vtpotè purissimum, & incorruptibile alimentum, ac excrementis vacuum; sed etiam corpus calefacit; pituitam ventriculo, & intestinis hærentem abstergit, aluumque laxat. Aliaque commoda pauca corpori suppeditat.

Mel vernum præstantius est autumnali, quia è cera noua exeptum, nouellisque stirpibus genitum. Æstiuum deterius est verno, quia calidius, & acrius. Hybernum omnibus deterius, *halitum enim ceraginis expirat, inquit Dioscorides, & cras sius exiltit.*

CA-

CAPVT XXIV.

De Potu, & materia potulenta.

Aqua simplex frigida est, & humida. Omnium verò optima, quæ limpida, & clara est, pura, minimèque cœnosa, & ab omnibus, quæ innatare solent, ramentis liberata: omnis saporis, omnisque odoris expers: tenuis, & leuis, quæ hypochondria celeriter permeat, & per corpus citò distribuitur: citò calescit, & refrigeratur. His optimæ aquæ notis ab authoribus propositis duæ aliæ addi possunt non adeò vulgares, vt scilicet duo lintei frustra eiusdem ponderis sumantur, & in aquis diuersis humectentur, ac postmodum ad solem exsiccentur: si alterum priùs exsiccetur, melior erit aqua in qua illud humectatum fuerit. Deinde, postquam ambo exsiccata fuerint, iterum ponderentur, & si alterum altero leuius sit, melior erit aqua, in quam leue demersum fuit.

Ratione locorum ex quibus aquæ desumuntur, Fontana reliquis præferenda est, modò conditiones habeat superiori theoremate propositas: si enim ijs destituatur, improbanda est. Hipp. lib. de aere loc. & aq. *alias proponit conditiones, vt scilicet versus ortum solis præcipuè æstiuum, scaturiat: per terram mundam minimèque lutosam, vel argillosam sed per arenas, & lapillos fluat; quæve hyeme sit calidior, æstate verò frigidior: Hoc enim significat ex profundis terræ visceribus eam scaturire, quæ propter antiperistasim hyeme calent, æstate verò frigent vt in puteis solet contingere. Quæ ad Septentrionem, aut Occidentem oriuntur, & Solem auersum habent, deteriores sunt: vt pote crudæ, graues, & tardè permeantes.*

Aqua Pluuialis post fontanam omnium optima censetur, imo vero a quamplurimis authoribus fontanæ præfertur si conditionibus requisitis stipata sit. Hæ autem conditiones sunt, si fictilibus tubis in contectam cisternam deducatur; si per locum arena repletum transfundatur; si verno tempore blandè & pacatè, non autem procellose decidat; si in munda cisterna pura, & incorrupta seruetur, neque sordes, aut vitium aliquod contrahat ex tegulis, quas eluit.

AQuæ fontanæ primum locum concessimus, iuxta sententiam Hipp. Galen. & Auicennæ. Multa tamen afferri possunt, quæ pluuialem cum ea de dignitate certare posse ostendant. Ac primùm Celsus; *lib. 2. cap. 18. leuissima,* inquit, *pluuialis est, deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo; post hanc ex niue, aut glacie grauissima ex palude.* Aetius *tetra lib. 1. sermone 3. cap 165. Aqua pluuialis,* inquit, *omnium leuissima censetur, & facilè transmutatur.* Hipp. *lib de aere, locis, & aq.* aquam pluuialem laudat, quòd leuis, dulcis, limpida, & tenuis sit, ex eo quod à Sole tenuissimum trahatur, & leuissimum. Vitruuius *lib. 8. cap. 9. Quæ ex imbribus,* inquit, *aqua colligitur, salubriores habet virtutes, eo quod eliciatur ex omnibus fontibus leuissimis, subtilibusque raritatibus, deinde per aeris exercitationem percolata, tempestatibus, liquescendo perueniat ad terram.* Auerroes *in Canticis*, diserte asserit, aquam pluuiam optimam esse & fontana, ac fluuiali longè excellentiorem. His authoritatibus accedunt rationes ab experientia desumptæ: si quidem aqua pluuialis ad stateram omnium leuissima est, promptissimè calefit, atque refrigeratur, hypochondria non grauat, sed facilè permeat; nullam in colore, odore, vel sapore insignem qualitatem obtinet: eiusque tenuitas ex eo potissimum apparet, quod legumina in ea melius coquantur quàm in fontana. Præterea aquæ pluuiæ salubritatem ostendunt olera, & omne stirpium genus, quæ imbrium depluuio melius, quam irrigatione nutriuntur, & incrementum capiunt. Imò *& arundines, in palude progenitæ, sine imbribus non adolescunt,* vt Plin. affirmat. Et Aristot. *8. de histor. animal.* dicit, pisces ipsos qui in aqua continuò degunt, non bene viuere, ac soboleſcere ijs annis, quibus pluuiæ deficiunt. Diceres, humorem in vapores solutum, & insita leuitate sursum delatum è Cœlo, & syderibus viuificam vim mutuari, quam postmodum hisce inferioribus impertitur.

Obijci potest, niues, & grandines ex pluuiæ materia generari, attamen aquas ex ijs eliquatas reijci ab omnibus, cum tamen eandem cum pluuiæ naturam participent. *Respondet* Paulus, aquam niualem, & glacialem omnium vitiosissimam esse, quod aquarum congelatione omnes tenuissimæ partes exprimantur.

Secundo obijci potest ex Gal. aquam pluuiæ facilè putrescere, & astringendi facultate præditam esse. *Respondet* iterum Paulus his verbis. *Nemo citius putrescibilem aquam deterrimam esse iudicet cùm alterationis, mutationisq; procliuis virtuti magis, quam vitio adscribenda sit.* Et Galenus ipse 1. *De aliment. facultatib.* ait, ea, quæ facilè concoquuntur, facilè item alterari, & corrumpi: & contrà, quæ concoctu sunt difficilia, difficiliùs alterari, & corrumpi. Ad astrictionem verò aquæ pluuiali tributam à Galeno, *responsio* elicitur ex Auicenna qui dicit, aquam pluuialem ea ratione videri astringentem, quòd mox distribuatur, & ad vias, vrinæ penetret: hinc enim fit, vt fæcibus minùs humiditate diluatis, factisque siccior bus, aluus astrictior euadat. Per se autem aqua pluuialis astringere non potest, cùm tenuissima sit, & aerea; astrictoria autem vis à terrea materia dependeat.

Ex ijs, quæ dicta sunt, aqua pluuialis fontanæ videretur præferenda. Nos tamen fontanam cum grauissimis authoribus prætulimus, quia si debitis conditionibus, in theoremate propositis, stipata sit, in eodem statu semper remanet, neque facilè à causis externis immutatur. Contrà verò pluuialis tot conditionibus indiget à rebus externis petitis, vt difficilimum sit omnes concurrere simul sed aliqua earum deficiente non parùm illam de perfectione sua amittere necesse est; si nimirum à tegulis non diligenter ablutis, sed sordibus inquinatis excipiatur, vel in cisterna non benè mundata seruetur & tempore minùs apto colligatur.

Est autem *dubitatio* circa tempus aquę pluuiali colligendæ magis idoneum. Siquidem non pauci ex Hippoc. censent. æstiuo tempore collectam, & cum tonitru descendentem esse præferendam, quòd illa tenuissima, & leuissima sit. Verùm licet talis aqua ratione tenuitatis, & leuitatis aliquam habeat prærogatiuam; tamen cùm tempore æstiuo variæ exhalationes è terra eleuentur, quæ mineralium naturam quodammodo æmulantur, & cum vaporibus misceantur, ex quibus pluuiæ conflantur; non tam laudabiles videntur illæ aquæ: cuius rei euidens est indicium, quòd facilè putrescant, & vermiculi frequenter in ijs generentur. Fulgura enim, & tonitrua è sulphurei exhalationibus oriuntur, quæ etiam aliquando aeream odore suo inficiunt. Adde, quòd æstatis tempore, aquæ stagnorum, lacuum, & paludum contrahant putredinem, ex ijsque vapores eleuati pluuiæ materiam suppeditent, quæ ideò vitiosa, & facilè putrescibilis est. His rationibus ducti, eam aquam prætulimus in theoremate, quæ verno tempore colligitur; quandoquidem stagna, lacus, & paludes aquam habent copiosam, eamque puram ex pluuiarum copia, quæ tota hyeme deciderunt. Deinde impossibile esset, eam aquæ copiam colligere, quæ vsui annuo sufficere valeret cùm rarissimæ sint, & paucissimæ pluuiæ æstiuæ, ad aliquot tantùm horas perdurantes. Et docet nos experientia, hic Monpelij, vbi aquæ pluuiæ vsus frequentissimus est, quæ vulgo per hyemis, & veris decursum colligitur eam esse optimam, & omnes habere prærogatiuas supra descriptas. in decoctione leguminum præsertim, hæc sola vsurpari solet, in qua mollitiem eam insignem adipiscuntur: cum in alijs aquis duritiem aliquam retineant, quantumvis decoquantur.

Aqua putealis cruda est & grauis: vnde in viscera diutiùs hæret & obstructionum generationem promouet. Magna tamen est inter aquas puteales differentia, ita vt nonnullæ cum fontanis de bonitate certent si nimirum sequentibus conditionibus stipatæ sint. 1. Si fontes vicinos habeant, ex quibus aquæ laudabiles scaturiunt; (conijciendum enim est, ab illis fontibus aquas suas qualitates mutuari,) vel flumini puro, ac rapido vicinæ sint. 2. Si ex profundis puteis hauriantur; tales enim æstate frigidæ, hyeme calidæ sunt, & exteris iniurijs minùs patet. 3. Si cœlum spectent, & aereo libero, à Sole illustrato, expositę sint, Solis namque lumine depurantur, & serenantur, vitalisque cuiusdam auræ redduntur participes. 4. Si frequenter moueantur, & hauriantur; attenuantur enim, & minùs putrescunt. 5. Si earum putei sepe, ac diligenter expurgentur, vnde puriores redduntur. 6. Si à cloacis, aut sterquilinijs sunt remotæ, à quibus prauam aliquam qualitatem mutuari possunt. Si verò contrarias haberent conditiones, illaudabiles censendæ sunt. Quæ enim profundæ non sunt; (nisi à fontis cuiusdam scaturigine oriantur) iniurijs patent externis, hyeme algent, æstate calent, paluſtrium, & stagnantium aquarum more. Concluſæ subtectis.

locis-

locisque concameratis, cælesti lumine priuantur, & situ mucido inquinantur. Immotæ crassescunt, crudæ manent, putredinis quid concipiunt, ventriculum offendunt, ægrè permeant, viscera lædunt. Cloacis, & sterquiliniis vicinæ vitioso sapore, & odore imbuuntur.

Aquæ fluuiales cum putealibus bonitate certant, & in quibusdam locis præferendæ sunt, in aliis postponendę. Magnas tamen habent aquæ fluuiales inter se differentias. Meliores enim sunt, quę dulces ac limpidæ sunt, & è magnis, ac rapidis fluminibus petuntur, per laudabiles terras fluunt, & felici cęli aspectu fruuntur. Malæ autem sunt quę ex prauis, & stagnantibus, aut cœnosis, ac turbidis fluuiis hauriuntur; vel ex magnis quidem, ac currentibus, sed latrinas expurgantibus, sordesque culinarum, vestium, & linteorum recipientibus.

Hinc flumina, quæ magnarum ciuitatum mœnia alluunt, multas habent impuritates admistas, & multos morbos generant, ni cautico adhibeatur, quæ in eo præcipuè versatur vt loca hauriendę aquę destinata supra ciuitatem posita sint, vbi aqua ciuitatem sordibus nondum infecta est. Si verò aqua ciuitatis præterlapsa vsurpetur, salubris esse non potest. Hæc etiam cautio in aquæ fluuialis vsu adhibenda est, vt in hidrijs per aliquot dies asseruetur; ibi enim quiescens terrestres, ac limosas partes, omnesque impuritates ad fundum deponit.

Aquæ stagnantes, & palustres omnium pessimæ sunt: Cùm enim nullo, aut exiguo motu cieantur, facilè putrescunt, Crassæ sunt, crudæ, & sæpè malignæ ac pestilentes.

Aquę Niuiales, & Glaciales pessimę etiam sunt. Dum enim a frigore congelantur, tenuiores partes exhalant; præterea insigni frigiditate præditæ sunt, quæ ventriculum offendit. Quod de vinis, & aquis, niue & glacie refrigeratis, intempestiuè, & præpostere vsurpatis, etiam dicendum est. Licet enim iuuenes robustiores earum noxam statim non percipiant; progressu tamen ætatis eam sentiunt, & varios articulorum, viscerum, & partium neruosarum morbos incurrunt.

Nostra ætate, & paucis annis apud nos maximè inualuit potus aquæ niue, aut glacie refrigeratæ, æstatis tempore vsurpatus; imò non pauci vinum hoc modo refrigerant. Quæ res inter Medicos, imò & apud vulgus maximè controuertitur; alijs hunc vsum plurimùm laudantibus, aliis improbantibus. Quandoquidem igitur opportuna occasio hic sese offert, sententiam nostram aperiendi, paucis eam explicabimus. Ac primùm, in theoremate, aquæ niue, aut glacie refrigeratæ potum damnauimus: sed cum hac diuotione si intempestiue, & præpostere vsurpetur quod accurata explicatione indiget. Nam primò potus iste admodum frigidus, in genere consideratus, damnandus absolutè videtur, iuxtam sententiatm Hippocratis. *Aphor. 51. sect. 2. Plurimum atque repente euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, vel alio quouis modo corpus mouere, periculosum. Omne enim nimium naturæ inimicum, sed quod paulatim fit, tutum est.* Cùm igitur in magno æstatis ardore corpus plurimùm æstuet: periculosum esse videtur illud subitò, & repentè glaciali illo potu refrigerare. Huius periculi effectus confirmari potest plurimis exemplis eorum, qui ex huiusmodi potu in grauissimos morbos præcipitati sunt, quorum non paucos ipsimet vidimus, & curauimus. Ex altera verò parte infiniti reperiuntur, qui hunc vsum ad cęlum efferunt, & plurimis tùm rationibus, tùm experimentis confirmant.

Prima ratio ex eo desumitur, quòd calor noster natiuus à duobus validis, & potentissimis hostibus oppugnari, & extingui consueuit; frigore nimirum extinguente, & calore dissipante. Sic in vehementissimo æstatis ardore corpora languida, & effœta redduntur ab æstuante aere, partes corporis veluti inflammante, earumque calorem exsoluente. Quæ exsolutio impediri non potest, nisi refrigerantibus assumptis, & admotis. Quemadmodum igitur ab omni anno balnea, & natationes in aquis frigidis conuenienter vsurpatæ fuerunt, ad feruorem illum corporis temperandum; sic etiam potus frigidus assumptus, adhoc ipsum efficiendum, maximè valebit.

Secundò, Potus in genere necessarius est ad restaurandam humiditatem, quæ à calore natiuo indesinenter absumitur, ac dissipatur, potus autem ille, quatenus humidus, id præstat: si autem cum humiditate iuncta esset caliditas, illa plurimùm humiditatis resolutionem adiuuaret; ideò communis est omnium hominum instinctus, vt frigidum potum appetant, etiam hyemis tempore, ad calorem illum internum temperandum, & humidi dissipationem remorandam. Potiori ergo iure æstatis tempore, vbi magna fit humiditatis dissipatio à calore viscerum intenso, potus ille refrigerans necessarius est.

Denique, frigidissimum potum æstatis tempore vsurpatum maximè conferre, infinitorum hominum testimonijs constat, qui se à plurimis incommodis, potu niue, aut glacie refrigeratio, liberatos esse testantur. Tum etiam in Hispania, & Italia pro certo habetur, ab eo tempore, quo huiusmodi potus inualuerit, minus grassari æstatis tempore febres continuas, & malignas, quæ antea eos maximè infestabant.

Nos verò hac de re ita statuendum censemus *Primo*, de potu mediocriter frigido nulla est dubitatio, quin omnibus hominibus maximè cõueniat. Hinc ab antiquo solent omnes (quantum fieri potest) vinum in cellis subterraneis pro æstatis vsu asseruare, aquas è profundis puteis haurire, ijsque vinum diluere, si potabiles sint; sin minus, in ijs vinum, & aquam meliorem refrigerare. Atque adeò saluberrimum censemus, vigente æstu, vulgaribus, & antiquis hisce modis vinum, & aquam refrigerare; quibus etiam vltiorem frigiditatis gradum conciliare possumus, si lagenæ ijs repletæ in puteum dimittantur, ita tamen, vt aquam non attingant: aer enim, aquæ vicinus, ab ea frigiditatem contrahit, & magis penetrat, quàm aqua, lagenasque suspensas potentiùs refrigerat. Sed de potu, niue, aut glacie refrigeratio, qui longe intensiorem, ac propemodùm glacialem frigiditatem contrahit, maior est difficultas. De ea enim maxime valet citatus Aphor. *plurimùm, atque repente refrigerare. vel calefacere periculosum.* Ad cuius resolutionem dicimus: in regione, & tempestate calidissima posse vsurpari ab ijs, qui in iuuenili ætate constituti sunt, calidiori temperamento præditi, & prauis humoribus vacui; tum etiam viscera omnia valida, ac robusta obtinent, & in primis, qui huiusmodi potui sunt assueti, & sese plurimum exercent. Aliis verò, qui nempe in senili, aut puerali ætate constituti, debilia habent viscera, vel obstructa; pituoso, aut melancholico temperamento præditi sunt, plurimos habent humores excrementitios, otiosam vitam agunt, pauco exercitio, & plurimo coitu vtuntur, noxiosissimum esse. Cùm igitur tot circumstantię requirantur ad huiusmodi potum impune vsurpandum, & illæ in paucissimis hominibus reperiantur, satius est ab eo abstinere & potu modis propositis refrigerato vti, qui ad sanitatem conseruandam sufficere potest.

At verò, quia tantopere inualuit hoc tempore potus glacie refrigeratus; vt multi ei non assueti in conuiuiis, aut alii locis eo vti cogantur, alios potus genere destituti; vnde nonnullos vidimus in grauissima pericula coniectos: operæ pretium duximus præceptum aliquod ex cogitare, quo minorem noxam ex eo incurrere valeant. Atque adeò præcipimus, vt ante omnem potum plurimos cibos ingerant, eosque calidiores, vt offam calidam, salsa, & piperata, quibus excalefactus ventriculus vehementi potus frigiditati melius resistat: mox potum assumant paucissimum, eumque non multùm dilutum, sed solito meraciorem: vinum enim tantum frigus non concipit, vt aqua, ac promptiùs incalescit in ventriculo, quem postmodùm actuatum calefacit: atque vt siti omninò satis fiat, potuum singulorum paucitas frequentia compensetur: sic enim potus illius frigiditatis noxa saltem maiori parte euitari poterit. Eandem cautionem obseruare possunt ii, qui calidiori temperamento præditi, ardente Sirio plurimùm æstuant, & febribus ardentibus obnoxiæ sunt, aliasque conditiones præseferunt, quibus innoxii tali potu vti valent, & se ex haud exiguum fructum percepturos sperant, vt scilicet ei paulatim assuescant, per aliquot dies, ab initio pitissando, seu parùm, & frequenter bibendo.

Vinum in genere consideratum in actiuis qualitatibus calidum est, in passiuis verò siccum. Calorem nostrum fouet, cor maximè roborat, spiritus auget, vires reficit, concoctiones iuuat, pituitam attenuat, bilem per vrinas expurgat, omniumque excrementorum expulsionem promouet.

Per vinum, in genere consideratum, intelligimus illud, quod principaliter vinum dici meretur, & quod in regionibus calidis, aut saltem temperatis prouenit quod ex vuis maturis expressum est, in dolio probe confectum, cum insigni tamen differentia: vt aliud in primo, aliud in secundo, aliud in tertio gradu calidum sit, & siccum. Illud verò quod ex vuis immaturis exprimitur, quòdque acidum est, austerum, vel acerbum, vini nomen proprie non meretur, sed potiùs omphacium appellandum est.

At verò circa passiuas vini qualitates, grauis est difficultas,

tas, propter pugnantes inuicem authoritates, & rationes. Nam *Primò*, Aristoteles *problem.17. sect.* 3. vinum dissertè calidum, & humidum pronuntiat. *Secundo* Gal. *3. de caus. puls. cap. vltimo*, vinum propter humiditatem celeriter nutrire asserit, eoque magis, quia simul calidum; calorem enim ducem humoris nominat.

Tertiò, idem Galen. 1. *de sanit. tuenda cap.* 11. pueris vinum interdicit: tum aliàs ob causas, tum præcipuè, quia eos nimis humectat, & copioso halitu replet. *Eodemque loco* scribit vinum humectare, quidquid immodicè siccatum est.

Quartò, idem Galen. 5. *de sanit. tuenda cap.* 5. vinum senibus aptissimum censet, non modò propter calorem, quem senes habent debilem; verùm etiam propter humiditatem.

Quintò, Plato 2. *De legibus* dicit. Dionysium hominibus vinum largitum esse, quasi remedium aduersus duritiem senectutis, vt reiuuenescere videantur: & non secus, ac igne ferrum, ita vino senum corpora molliri.

Sextò, Hippocrates 2. *de diæta* vina dulcia nigra, dulcia tenuia, & acida humectare asserit.

Septimò, succus vuarum naturarum, ex quò vinum conficitur, calidus est, & humidus, teste Hippocrate 2. *de diæta.*

Octauo, Vinum humanæ naturæ quæ calida est, & humida gratissimum est, & amicissimum.

Nono, Vinum melancholicis maximè confert, qui humectatione indigent, vnde illud: quamdiu humectantur, tamdiu curantur.

Contrà verò, siccitatem in vino præualere, sequentibus authoritatibus, & rationibus ostenditur.

Primo, Galen. 7. *simplic. de vino*, in eo siccitatem caliditati proportione respondere dicit.

Secundo, idem confirmat Paulus Ægineta *l. 7. cap.* 3. & Galeni mentem sequitur.

Tertiò, Aetius *tetrabibl. sect. cap. de vino* vinum antiquum tertio ordine siccum statuit.

Quarto lib. 2. *Synops. cap.* 15. vinum gradu secundo siccum esse asserit, & *cap.* 16. ponit in gradu tertio, si nempe valde sit vetustum.

Quinto, Vinum multum spiritum continet, qui igneæ est naturæ, & facilè inflammabilis.

Sexto, Phlegmaticis naturis confert, & immoderatè sumptum sitim excitat, ac viscera torrefacit, vnde color rubicundus, & pustolæ præcalidæ in ebriosorum facie apparent.

Septimo, ad vlcerum curationem vtilissimum est, docente Gal. 4. *Meth. cap.* 5. At vlcera detersione, & exsiccatione curantur.

Pro huius controuersiæ decisione duplex distinctio adhibenda est vna humiditatis, altera vini.

Humiditas duplex est, actualis, & potentialis. Et vtraque natiua, vel ascititia.

Vinum, vel immaturum, acidum, & imperfectum est; vel maturum, perfecteque vel coctum. Iterum, vel recens, vel antiquum: & vtrumque generosum, ac potens, vel debile, & infirmum.

His positis, dicimus vinum actu esse humidum, quandoquidem omne corpus fluidum actu humidum est. Potentialiter verò siccum est, si sit maturum, generosum: neque valde recens: quemadmodum in theoremate posuimus.

Quòd verò crudum, & acidum est, valdè recens, & adhuc musti naturam redolens, tùm etiam dulce humidum est à prædominio. Crudum abundat phlegmate, & aquosa humiditate, tam propria, quam ascititia: recens multa abundat humiditate, quæ sensim in dolio per fermentationem absumitur.

Præmissis igitur hisce distinctionibus, authoritatibus, & rationibus acquiescimus, quibus vini siccitas confirmatur. Iis verò, quæ pro illius humiditate allatæ sunt, ita respondemus.

Ad *primam* dicimus, Aristotelem vinum vocare humidum actuali humiditate, non autem potentiali.

Ad *secundum Respondemus*, Gal. vinum considerare, vt alimentum est, qua ratione actu humidum est, & propter illam actualem humiditatem celeriter distribuitur, & facile immutatur, vnde etiam celeriter nutrit.

Ad *tertiam dicimus*, Galen. pueris vinum interdicere non quod potentialiter, sed actualiter eos humectet, quod calefaciat, quodque halitibus caput repleat, sicque variis morbis, & imprimis conuulsionibus ansam præbeat.

Ad *quartam Respondemus*, Galen. senibus vinum commendare, non quod humectet, sed quòd calorem eorum debilem reficiat, seroso sque humores, quibus abundant, per vrinas euacuet. Qua de causa vinum tenue, ac flauum iis accomodatum esse monet.

Ad *quintam Respondemus*, Platonem, cùm vinum dicit remedium esse aduersus duritiem senectutis, non intelligere duritiem corporis, sed animi: inquit enim, senioribus bibendum esse vinum, vt reiuuenescant, & mœstitię eos capiat obliuio, ipsaque animi affectio, velut ferrum in igne, ex duritie in mollitiem deducta, flexibilior fiat. Quòd etiam clariùs explicat in sequentibus, dicens bibentium animos, sicut in igne ferrum, molliores, iunioresque euadere.

Ad *sextam dicimus*, Authoritatem Hippocr. sententiæ nostræ minime repugnare, qui in controuersiæ decisione diximus, vinum acidum, & dulce esse humidum à prædominio.

Ad *septimam Respondemus*, Hipp. loqui de musto, seu vino recenti, quod vocat succum vuarum maturarum; & illud etiam humidum esse à prædominio fatemur.

Ad *octauam Respondemus*, Vinum humanæ naturæ amicum esse, quia celeriter nutrit, spiritus reficit; qui effectus non impediuntur ab exsiccandi vi, quæ valde moderata est, & ab humana temperatura non admodum recedens.

Ad *nonam Respondemus*, Vinum melancholicis conferre, non quatenus humectat, sed quatenùs spiritus recreat, cor exhilarat, & lætitiam inducit.

Variæ autem sunt vinorum differentiæ à propria natura, sapore, odore, colore, & ætate desumptæ, quæ viribus etiam, ac facultatibus multùm inter se variant.

Ratione propriæ naturæ vinum aliud vocatur ὀλιγοφορον, *seu* pauciferum, *quod in diluendo paucam aquæ admixtionem fert: aliud vinosum, ac generosum, quod potentius est, & plus aquæ ferre potest, & quò generosius est, eò magis ad caliditatem, & siccitatem vergit.*

Ratione saporis, vina dulcia bene nutriunt, & à visceribus auidè arripiuntur. Quia tamen sunt crassiora, obstructiones pariunt, hypochondria inflant, flatus generando propter eandem crassitiem, & facilè in bilem vertuntur. Pulmonibus conferunt, neque nimis calida sunt, neque caput tentant, aut neruos feriunt. Quę omnia relata sunt ab Hipp. 2. de rat. vict. in acut. text. 2.

Vina austera, & acerba calorem habent debiliorem, in ventre diutius morantur, neque facilè venas permeant, & ad vias vrinæ penetrant: pulmonis affectibus nocent; alui fluxui conferunt, vtpote astringendi vi prædita.

Ratione odoris, vina odorata, & fragrantia maximè commendantur, vires instaurant, spiritus reficiunt, totum corpus recreant, & exhilarant, sinibus vtilia sunt, nisi quod caput repleant, neruosque feriant: ideò noxia sunt iis, qui catharris, aliisque capitis affectibus obnoxij sunt.

Ratione coloris non adeo certa facultatum indicia desumi possunt. Sunt enim vina quædam alba, aquosa, & minùs potentia: alia generosa, & impensè calida. In vniuersum tamen alba fuluis, & flauis minus calefaciunt. Inter fulua generosissima sunt Rhenanum, Creticum, & Moscatellinum. Ex rubris etiam alia magis, alia minùs generosa. Vt plurimùm tamen quæ intensiorem habent rubedinem, & quo magis ad nigredinem accedunt, minùs potentia sunt, & quo crassiora, eo magis obstructionibus generandis idonea sunt: Tenuia vero meatus aperiunt, sudores, & vrinas mouent; pauciores tamen sunt nutrimenti, quàm crassa.

Ratione ætatis, vina noua, & recentia, quæ musteam adhuc dulcedinem seruant, aquosiora, debilioraque sunt, quàm vino conueniat: excrementosa sunt, & coctionis difficilis; alimenti distributionem sufficienter non adiuuant, se diù in ventre retinent, vnde hypochondria inflant, & distendunt: grauia in somnia excitant, viscera obstruunt, & calculum generant, præcipuè quæ dulcia sunt, crassa turbida, & parum defæcata, mustique naturam adhuc retinentia.

Vina antiqua, quæ ab ortu suo, & propria natura generosa sunt, acriora, ac vinosa euadunt, ac plus iusto calefaciunt. Caput, neruosq; lædunt facilè inebriant, & corpus vsu quotidiano attenuant, calidis temperaturis noxia, nisi modicè, ac benè diluta bibantur. In quibusdam tamen regionibus frigidioribus vina, quæ acerba, & austera esse solent secundo, ve

tertio anno meliora, & salubriora euadunt, & longiori coctione, quæ fit in dolijs, austeritatem deponunt.

Vina ætate media victui sanorum, & ægrorum accommodatissima sunt, siquidem tunc temporis optimè defœcata sunt, & in calore mediocria. Vini enim calor successu temporis magis sese exerit, & minùs potens est in nouo, magis in ætate media, maximè in annoso.

Licet autem varia vinorum genera varijs naturis, ac temperiebus magis vel minùs opportuna sint, in vniuersum tamen, optimi vini, & omnibus propemodum hominibus conuenientissimi, conditiones sunt: vt saporem habeat inter dulcem, & austerum medium, vt sit odoratum, & fragrans, sit clarum, & nonnihil fuluum, non nimis tenue, aut crassum, ad tenuitatem tamen magis accedat, neque nimis potens, neque nimis debile, ætatis mediæ.

APPENDIX.

Multa alia potuum genera ob vini penuriam in varijs regionibus communiter vsurpantur, vt cereuisia, pomaceum, pyraceum, &c. quæ quoniam apud nos incognita & inusitata sunt, ijs qui dictas regiones incolunt, examinanda relinquimus. Præterea varia etiam potuum genera vulgò vsurpantur, & à Medicis præscribuntur, ad multorum morborum curationem, & præcautionem, vt ptisana ex hordeo, liquiritia, ebore, cornucerui, varijsque radicibus, & herbis confecta; bochetum ex China salsaparilla, santalo, buxo rhabarbaro, hydromel, & infinita alia, quæ consultò omittimus, potui sanorum tantùm inhærentes. Videantur Sennert. Joel, Horstius, & alij de his potibus scriptores.

CAPVT XXV.

De Aere.

Aer omnibus hominibus saluberrimus, eorumque sanitati conseruandæ maxime idoneus debet esse in primis qualitatibus temperatus, purus, nitidus tenuis, patens & liber, nullo vapore malo, nullis inquinamentis, nulla vligine aut corruptela perfusus: sed blandis, ac suauiter spirantibus ventis diffiatus; & vt plurimum serenus.

Insalubris verò est qui stagnantium aquarum, aut paludum habitu inficitur, aut è profundo quodam specu pestilentem auram recipit: qui è cloacis, vastam vrbem purgantibus, vitium contrahit, aut ex animalium laniena, coriariorum officinis simique putredine. Qui ex stagni, aut magni fluminis vicinia crassus, nebulosus, & caligine plenus est: qui editis vndique montibus septus, demissoque loco, ac cauo arctatus nullum recipit perflatum.

AEr duobus modis corpora nostra afficit, vel quatenus ea extrinsecus ambit, & per cutis poros, ac spiracula sese insinuat; vel quatenus inspiratione attrahitur. Vtroque modo magnam corpora nostra afficiendi, atque alterandi vim habet, dum omnes suas qualitates spiritibus (qui ex eo generantur, ac generantur,) continuò communicat, & per spiritus singulis corporis nostri partibus. Quæ si corpori conseruando idonea sint, ad tuendam sanitatem plurimum conferunt: si verò illius temperiei, ac constitutioni sint aduersæ; ad morbos procreandos insignem vim obtinent.

Galen. 1. *de sanit. tuend.* saluberrimum esse ait hominibus, optimum in pulmones aerem attrahere, vt puri ex eo spiritus generentur; vti pestilentissimum, noxio aere vti. Et Columella 1. *de re rust. cap.* 3. in emendo ægro cœli salubritatem imprimis spectandam censuit; neminem enim sanum debere facere sumptus in pestilenti, quamvis feraciss imo, pinguissimoque agro, cum incertum sit, an dominum sinat ad fructus peruenire. Nam vbi sit cum orco ratio ponenda, ibi non modo perceptionem fructuum, sed & vitam colonorum esse dubiam, vel potius mortem quæstu certiorem. Petatur igitur aer calore, & frigore temperatus, quem fere medius obtinet collis, qui neque depressus hyeme pruinis torpet, nec torret æstate vaporibus; neque elatus in summa montium perpetuis ventorum motibus, aut pluuijs, omni tempore anni seuit.

Aer exquisitè temperatus, & quasi mediam, inter calorem, ac frigus, humiditatem, ac siccitatem constitutionem sortitus, optimè temperatis corporibus saluberrimus est. Intemperatis verò, aer contraria qualitate præditus longè salubrior est.

Sic calido temperamento præditi in aere frigido melius degunt: qui frigidiorem temperiem nacti sunt, ijs calidior aer vtilior est; humidiores, sicciori; siccliores, humidiori aere gaudent.

Cùm vero vnusquisque proprium, & suæ temperaturæ maximè idoneum aerem inuenire, aut eligere nequeat, arte supplendum est, quod natura beneficio denegatur. Atque adeo frigidior aer arte calefaciendus est calidior refrigerandus humidior exsiccandus & siccior humectandus.

Si regendo corpori calido, aere frigido egeamus, qui talis, vel regionis, vel situs ædium culpa, non fuerit; præparare ipsum ad frigidum oportet sequenti ædium irrigatione florum, & plantarum refrigerantium vsu, patentium ad Septentrionē luminum apertione, quò inde spirans aura edes refrigerat. Si aer frigidior sit, accenso igne luculento calefaciendus est; ædium meatus omnes occulendi, vt frigidi aeris ingressus prohibeatur: vel in hypocausto vt plurimùm degere oportet, vt apud Germanos, omnesque Septentrionalis plagæ incolas fieri solet. Humidior aer igne multo, ac suffitibus siccabitur: siccior aquarum perfusionibus humectandus erit.

Aer calidior corpora reddit calidiora, humores liquat, attenuat, & dissoluit: vires deijcit, si immodica fuerit illius caliditas: coctionem debilitat, vitam insuper breuem facit.

Aristoteles Æthiopes, & qui Lybiam Sole exustam incolunt, ideò breuioris æui esse voluit, quòd nimio Solis ardore natiuus eorum calor breui dissipetur, citòque senium accedat; siccatis eorum corporibus.

Frigidior aer corpora refrigerat, densat, astringit, coctionem adiuuat, vrinæ copiam auget, catarrhos, aliosque capitis morbos excitat, si frigiditas fuerit intensior.

Calor vi frigoris ambientis ad interiora repercussus, validior, ac vegetior fit, vnde Hippocrati *ventres hyeme calidiores*, & à calore illo potentiori coctio alimentorum melius perficitur. Vrinæ copiam auget frigidus aer, quia condensatis cutis poris maximè impeditur diaphoresis, & vapores, qui per transpirationem excludebantur, interius retenti condensantur, ac seri formam adepti ad vrinæ vias transferuntur. Sic vulgò dicitur eandem esse materiam sudoris, & vrinæ: ita vt profluentibus sudoribus, pauca sit vrinæ copia: & contrà ijsdem suppressis magnus sit vrinæ prouentus. Sic vulgaris docet experientia, hyemis tempore, & flante Borea maiorem vrinæ copiam profundi; Æstate verò, & in constitutione Austri, longe minorem. Si verò intensior fuerit frigiditas, catharri excitantur, cerebro refrigerato quandoquidem frigidum cerebro valde inimicum est, vt docuit Hipp. in *Aphorismis*.

Humidus aer cutem emollit, & corpus humectat, excrementisque obnoxium reddit, idque pigrum, ac deses efficit, ingenij torporem, ac tarditatem inducit.

Siccus aer totum corporis habitum siccat, excrementa minuit, corpori agilitatem, sensibus, & ingenio claritatem inducit.

Aer turbidus, nubilus, ac nebulosus, corpora prauis humoribus, & inquinatissimis spiritibus implet, in pituitosis naturis pituitæ copiam accruat, quæ nubi, ac nebulæ similis est.

Quotidiana docet experientia, in locis paludibus, stagnis lacubus, aut magis fluminibus vicinibus, aut qui propter aliam causam crasso, ac turbido aere fruuntur, febres putridas, tum simplices, tum malignas esse frequentiores.

CAPVT XXVI.

De Temporibus Anni.

Ad earum anni tempora referuntur, quoniam in eo magnas mutationes faciunt.

Astrologi quatuor anni partibus æqualibus illius tempora definiunt: nempe Ver ab ingressu Solis in principiū arietis, vsq; ad finem geminorum; Aestatem à principio cancri ad finem Virginis: Autumnum à principio libræ ad finem sagittarij, & Hyemem à principio Capricorni ad finem piscium.

Medici verò, & populi diuersi iuxta aeris temperiem anni tempestates mensurant; & prout aer in quibusdam locis ex natiua constitutione calidior, in alijs frigidior est: ita his hyemen, illis æstatem longiorem efficiunt. Sic Hipp. in

Tasa,

Taso, vbi habitabat, hyemem definit. 3. de Diæta, *a vigiliarum occasu, seu initio mensis Nouembris, vsque ad æquinoctium vernum: ver autem ab æquinoctio ad vergiliarum exortum, hoc est: circiter diem septimum Maij: æstatem a vergiliarum exortu ad Arcturi exortum, qui incidit in medium ferè Septembris: Autumnum ad Arcturi exortu ad vergiliarum occasum. Qua computatione tribuuntur hyemi quatuor menses, & dies decem: totidem æstati: veri duo solùm menses, & aliquot dies: Autumno vix duo menses: In regionibus Septentrionalibus frigus maximè viget in æquinoctio, vt brumalis tempestas longè vlterius progredi, & ad quinque menses durare censeatur.*

PRosper Alpinus *lib. 1. de med. Ægyptior. cap. 7.* scribit: in Ægypto aerem esse temperatum, & ver vigere mensibus Ianuario, & Februario: æstatem Martio incipere, & ad finem Augusti durare: Autumnum Septembri, & Octobri: hyemem verò Nouembri, & Decembri absolui. Ab aeris ergo temperie anni tempora, iuxta Medicorum doctrinam metiendo, sequentibus theorematis erunt definienda.

Ver inter alias omnes anni tempestates temperatissimum est, & inter primas qualitates medium quoddam obtinet: vt neque sicut in hyeme, maximè polleat frigido, & humido: neque sicut in æstate, calido, & sicco.

Hippocrates, non vno loco, Ver calidum, & humidum esse dixit, quod intelligendum est, comparatione facta ad alias tempestates. Hyemi enim collatum calidum dici potest: æstati verò humidum statuetur: sed in seipso sine vlla relatione ad alias tempestates consideratum, temperatum dicendum est.

Quod Galen. ostendit. 1. *De temperam.* proprio cuiusque experimento. Etenim, cum neque propter frigus in vere, natiuam suam constitutionem seruante, algere nos perinde atque in hyeme contingat, neque æstu perinde, atque in æstate premi; nec humore diffluere, aut siccitate torqueri, neque vllum insignem harum qualitatum sentiamus excessum, temperatum omninò ver meritò iudicabimus illa autem moderata temperies in toto veri decursu non reperitur, sed principium illius hyemis naturam redolet, finis verò ad æstatis temperiem accedit.

Ver inter alias anni tempestates salubberrimum est: dicente Hipp. Aph. 9. sect. 3.

Adueniente vere, corpora, quæ hyberno tempore constringebantur, laxari, & rarefieri incipiunt, sanguis augetur, spiritus recreantur, & post hybernas, glacies, omnia quasi exhilarantur. Neque obstat *dicere*; vere morbos multos produci: siquidem ver ex propria natura salubritatem; non morbos inferre solet, & si corpus bonis humoribus præditum reperit, illud in sanitate conseruat. Verùm, si prauorum humorum prægressa hyeme collectorum congeries adfuerit; illi verno tempore funduntur, commouentur, & aliquando putrescunt, vnde varij morbi excitari possunt. Sicque ver per accidens tantum, non ex se, & ex propria natura morborum ferax dici potest.

Obijcies rursùm, Ver ex Hipp. calidum, & humidum est: At calida, & humida constitutio insalubris est, & ad producendos morbos, ex putredine maximè, idonea; Ergo ver saluberrimum dici non potest.

Respondemus, id habere locum in magno caliditatis, & humiditatis excessu. Verùm vbi moderatè caliditas frigiditatem, & humiditas siccitatem excedit, tunc temporis saluberrima est temperies, & maximè laudata, ac pro temperata habetur, idest, temperiei humanæ maximè congrua, quæ ad caliditatem, & humiditatem inclinat. Adde, quod vita in calido, & humido consistat, quod similibus conseruandum est.

Æstas calida, & sicca corpora calidiora & ficciora squalida, sticulosa, imbecillaque reddit: humores attenuat, & accendit: bilis prouentum efficit, vnde febres ex ea genitæ illo tempore grassantur.

Autumnus frigidus est, & siccus: morborum maximè ferax propter inequalitates, quæ in eo contingunt: mane enim frigus viget, circa meridiem æstus, ac demum circa vesperam aer frigidus euadit. Tunc temporis densantur corpora, & humores diffluri prohibentur, & ad interiora aeris frigiditate trahuntur: vnde etiam multi morbi oriuntur, maximè periculosi, propter atram bilem, quæ Autumno in corpore redundat.

Hyems frigida est, & humida: corpora firmat, eoque vegetiora, & multo calore natiuo referta efficit, somnosque ob longitudinem noctium prolixiores reddit. Pituitæ procreatrix est, & corpora fluxionibus facit obnoxia.

CAPVT XXVII.

De Motu, & Quiete.

Motus, & exercitatio ad sanitatis conseruationem, supra omnes alias res non naturales, principem locum obtinent: si sobrietatem exceperit.

HIc locum habet vulgatissima Hipp. sententia, *ex lib. 6. Epid.* desumpta: *Sanitatis studium est, non satiari cibis, & impigrum esse ad labores.* Galenus verò, pluribus in locis exercitationem maximè commendat. Vnus sit instar omnium, in quo exercitationem etiam ciborum parsimoniæ anteponit. Is habetur *lib. de succorum bonitate, & vitio, c. 2.* *Nisi quis*, inquit, *satis exerceatur, nulla ciborum parsimonia se a morbis immunem tueri poterit; nisi per interualla inopiam exercitij purgatione, vel sanguinis missione compenset. Sin integrè exercetur, etiam aliquando in alimentatione peccans, durabit sine morbis.* Aristoteles verò *probl. 4. sect. 1.* quærens cur cibum minuere, & laborem augere salubre sit, *An*, inquit, *quia causam egrotandi excrementorum habet nimieta, quæ tum, certè exultat, cùm aut cibus superest, aut labor deest.*

Motus, & exercitatio calorem natiuum excitant, spiritus mouent, & exagitant; vnde corpus fit robustius, vt externis iniurijs minus pateat, & ad omnes actiones obeundas aptus euadat. Coctiones præcipuè ex caloris augmento melius perficiuntur; & spirituum commotio transpirationem vberiorem facit, cuius defectus omnium fere morborum causa esse solet.

Plures autem sunt motus, & exercitationis species nempè ambulatio, cursus, saltus, equitatio, vectio, gestatio, & infinitæ aliæ, quarum aliæ magis, aliæ minus corpus exercent: aliæ totum corpus, aliæ quasdam tantùm partes.

Galenus ludum paruæ pilæ præcipuè commendat, in quo omnes corporis partes exercentur. Cursu, & ambulatione potissimùm crura exercentur, armorum tractatione, & remigratione brachia, & partes superiores; cantu, vociferatione, & clara lectione thorax; equitatione ventriculus.

Commodior, & vsitatior exercitationis species est ambulatio mediocris, per amæna, & virentia loca, placido, & sereno cœlo suscepta. Qui verò pedibus ire satis liberè non possunt, aut propter virium infirmitatem nimis fatigantur, equitatione indulgere saluberrimè poterunt.

Ambulatio moderata probè vniuersum corpus exercet, appetentiam excitat, calorem natiuum exsuscitat, corpus roborat, & vacuationem excrementorum maximè iuuat.

Vt exercitatio corporis sit vtilis, & fructuosa, duo obseruanda sunt: tempus, & mensura.

Tempus commodum est ante cibum, & præcipuè ante prandium.

Ante cibum commodior est exercitatio, quia coctione superioris pastus peracta, excrementa residua per exercitationem euacuantur, & dissipantur: sicque corpus melius disponitur ad nouum cibum recipiendum, & concoquendum; vnde Gal. 1. *de San. tuenda, cap. 2.* cum, quæ non concoxit, iubet ex toto conquiescere. Exercitatio verò, quæ fit à pastu, pessima est, crudos enim humores in venas rapit, vnde iecur obstruitur, caput grauatur, & morbi multiplices excitantur. Hac de causa Scholastici plerumque scabie laborant, quia statim à prandio vt plurimum sese exercere solent: vnde cibi è ventriculo ante debitam concoctionem rapiuntur, hincque crudorum humorum copia cumulatur, quæ vehementibus exercitationibus ad cutem rapitur, & scabiei materiam suppeditat. Idem enim illis accidere solet, quod ijs, qui in cacochymia, & humorum vitio se exercent: in ijs enim ad cutem praui humores euocantur, vnde vlcera, & scabies procreantur: vt docuit Hippoc. 6. *Epidem. sect. 5. Si impurgatus laborauerit vlcera erumpent.* Melior autem est exercitatio ante prandium, quàm ante cœnam: quia matutinis horis ventriculum vacuus est, & per longius tempus, quod à pridiana cœna intercessit. Concoctiones melius absolutæ sunt: contra vero ante cœ-

nàm cibi, in prandio ingesti, nondum perfectè elaborati sunt.

Post cibum tamen leuis deambulatio vtiliter vsurpatur, vt quæ neque calorem reuocet, neque cibum rapiat; sed eum ad fundum ventriculi melius descendere faciat, vbi promptiùs concoquitur, & iam concocti distributionem adiuuat.

Mensura exercitationis stabilitur à Galen. 2. de sanit. tuenda, cap. vlt. *quæ ad quatuor capita referri potest;* Primò, *vt continuetur exercitatio, donec corpus intumescat.* Secundò, *donec corpus floridum appareat.* Tertiò, *donec corpus lassitudine affici incipiat.* Quartò, *donec sudor modicus, aut saltem calidus vapor erumpat. Quorum aliquo apparente ab exercitatione desistendum est.*

CAPVT XXVIII.

De Somno, & Vigilia.

Somnus ad vitæ conseruationem absolutè necessarius est, & si moderatus sit, concoctiones adiuuat: vires ex vigilia resolutas instaurat; internas corporis partes humectat; ac senibus præsertim maximè conducit.

OMnia, quę ex somno hominibus eueniunt commoda, vni caloris ad interiora retractioni adscribenda sunt. Calor enim in visceribus auctus copiosos spiritus generat, & per vigilias dissipatos reparat, & instaurat: vnde concoctiones melius perficiuntur, præsertim in hepate, & singulis partibus; & excrementorum expulsio adiuuatur. Et cùm virium resolutio, quæ vigilando inducitur, ex spirituum resolutione oriatur: ijs instauratis vires reficiuntur, & lassitudo fugatur. Per coctiones autem copia humoris alibilis partibus internis suppeditatur, vnde ille plurimùm humectantur; quemadmodum docuit Hipp. 6. *Epid. Labor Articulis cibus est, somnus vero visceribus.* Ac denique senibus plurimùm conducit, quia nihil æquè eorum corpora frigida, & sicca calefacit, & humectat, atque adeò deperditam humidam substantiam instaurat. Vnde illud Homeri à Gal. citatum, *de sanitate tuenda, Vt lauit, sumpsitque cibum, dat membra sopori: Namque hæc iusta seni.*

Somnus verò immodicus membra omnia laxat, colorem, habitumque corporis deteriorem reddit, caput grauat, multisque vaporibus, atque humoribus implet, calorem nativum hebetiorem, partesque omnes ad motum pigriores reddit.

Hæc omnia dependent ex nimia excrementorum retentione, quæ ex somno immodico contingit. Notissimum enim est, somnum omnes euacuationes cohibere, præter sudores: atque adeò, postquam concoctiones peractæ sunt, quas sequi debet excrementorum euacuatio, si illa in corpore præter modum retineantur; omnia mala in theoremate recensita producunt.

In somno salubriter ineundo tria spectanda sunt; tempus, spatium, & decubitus.

Tempus somno conuenientissimum est nocturnum post horam vnam, aut duas a cœna, præmissa leui deambulatione, vt cibus ad inferiora descendat.

Nox propter suam humiditatem, & tranquillitatem somno est aptissima, & longum illius spatium satis temporis suppeditat ad coctionem absoluendam: ita vt somnum interrumpere negociorum causa, non sit necesse, quemadmodum in diurno somno plerumque solet contingere.

Somnus meridianus maximè noxius est, præcipuè non assuetis.

Tempus enim, quo quis interdiu dormit; ad perfectam concoctionem non sufficit; hinc sunt, vt ij, qui à prandio dormiunt, excitati à somno propter interruptam concoctionem grauitatem sentiant in stomacho, acidos edant ructus, flatibus impleantur, & hora cœnæ inappetentia laborent. Adde, quod somnus diurnus nimia humiditate cerebrum implens catharros, aliosque capitis morbos procreat. Implet autem cerebrum humiditate, quod nox cerebrum abundè satis humectarit, vt non opus sit illud denuo per somnum diurnum humectare; quin potiùs per vigilias humiditas illa, quæ plerumque nimia est, discutienda.

Si quis tamen propter labores matutinos, aut corporis debilitatem, vt in conualescentibus contingit, lassitudine tentetur, aut nocte prægressa non dormierit, somno indulgere post meridiem innoxiè poterit.

Imò verò vtilis esse poterit somnus meridianus, si breuissimus sit, qui tantùm caloris reuocet ab externis partibus ad interiores, vt concoctio melius perficiatur.

Cùm enim minimo temporis spatio duret, vaporibus caput replere nequit, & tamen vires recreat, vaporesque in cerebro potiùs dissipat, quàm colligit; calore intus tantisper reuocato.

In longissimis etiam, & calidioribus diebus meridiari licet, ijs præsertim, qui assueti sunt.

Cùm enim noctes breues, & sæpè inquietæ, somnum sufficientem interdum non concedant, defectus ille somno meridiano reparari potest. Adde, quòd spiritus resoluti à minio æstu, per somnum resarciantur. Talis autem somnus assuetis magis prodest, quod Itali experiuntur, qui per æstatis decursum meridiali consueuerunt, & inde maximum solatium percipiunt.

Quoties ob prædictas causas somno meridiano indulgendum est, ille somnus aut longissimus esse debet, aut breuissimus.

Quòd breuissimus esse debeat, ratio reddita est. Longissimi verò hæc est ratio, etiam suprà allata, quia si ante absolutam coctionem somnus interrumpatur, perturbatur ea, & inde multæ oriuntur cruditates.

Minùs verò nocet somnus meridianus, si erecto corpore capietur, quam decumbente: sic enim facilior ascendentibus vaporibus exitus patet.

Neque statim a prandio dormiendum, sed aliqua mora est necessaria, & leuis deambulatio, vt cibi ad fundum ventriculi descendant.

Spatium somni definitur ex perfecta concoctione, quæ in ventriculo, & hepate absoluitur; eaque ex coctis vrinis, & actionum alacritate dignoscitur.

Cum igitur in quibusdam promptiùs, in alijs tardiùs coctiones perficiantur: in his longior, in illis breuior somnus concedendus est.

Sic helluonibus, repletis, pituitosis, mulieribus, & ventriculum debilem habentibus somnus longior necessarius est, quia longiori caloris retractione indigent: breuior verò crassis, & obesis, sobrijs, & valide coquentibus competit: mediocris denique sanis, ac benè temperatis, qui vulgo septem, vel octo horarum spatio definitur.

Decubitus debet esse capite sublimiori, in latere alterutro: primùm quidem in dextro, postmodum verò in sinistro. Pronus decubitus ad coctionem confert, visui tamen nocet. Supinus excrementorum euacuationem per consuetos meatus prohibet; calculosis imprimis nocentissimus, est vid. Plemp.

Erectior decubitus facit, vt caput ab excrementis faciliùs liberetur. In latere dextro facit, vt cibus faciliùs in imum descendat, & respiratio sit facilior: in sinistro, vt melius concoquatur, ob iecur ventriculo incubans. His addit Aristoteles in *problematis*, non recto, sed inflexo corpori, vt venter incalescat.

Vigiliæ moderatæ omnes sensus excitant, ac vegetiores reddunt; spiritus, & calorem in omnes corporis partes diffundunt; alimenti distributionem adiuuant; excrementorum euacuationem promouent. Immoderatæ verò spiritus absumunt, & dissipant corpus vniuersum, imprimis cerebrum exsiccant bilem augent, acuunt, inflammant, ac morborum calidorum sæpe causa existunt; interdum etiam frigidorum, calore dissipato, & absumpto.

CAPVT XXIX.

De Excretis, & Retentis.

Ad excreta, & retenta referuntur fæces alui, vrina, insensibilis transpiratio, menses, & semen. Quæ si tempestiuè egerantur, sanitatem conseruant; si verò retineantur diutius, quàm par sit, morbos pariunt.

Alui excrementa, si debito tempore non eijciantur, coctionem impediunt, inappetentiam excitant, & nauseam pariunt, quia vapores putridi, à retentis excrementis eleuati, ad caput exhalant, dolores colicos excitant, & flatibus exitu prohibitis vertiginem, & celephalalgiam afferunt.

Dum verò secundùm naturam se habent, mollia sunt, mediocrem tamen consistentiam habentia, colore subrufa, nec admodum fœtida; copia autem assumptis respondere debent.

Vrina

rina naturalis mediocris esse debet consistentiæ, coloris fuluis, sine sedimento, aut cum sedimento albo, læui, & æquali quantitate liquidis assumptis respondens.

Transpiratio insensilis si prohibeatur, vel occlusione pororum externorum à frigore ambiente; vel internorum, à pravis humoribus retentis, grauissimi morbi excitantur, vt pleuritides, peripneumoniæ febres putridæ, &c. Quando vero legitima fit, & conueniens transpiratio, corpus sanum, ac benè dispositum conseruatur.

HIc diligenter aduertenda sunt, quæ de insensili traspiratione prodidit Sanctorius, *lib. de statica medicina*, vbi dicit, transpiratione insensili multò plura, & copiosiora excrementa vacuari, quàm omnibus aliis euacuationibus simul sumptis, quod quidem omnium sæculorum Medicos latuit. Id tamen sibi compertum, asserit Sanctorius, experimentis triginta annorum in corporibus innumeris ante, & post pastus, & post excrementorum reiectiones exactè ponderatis: quæ omnia apud authorem videnda sunt, aut apud Sennertum, *in febrium putridarum theoria* fusissimè transcripta.

Mensium fluxus debet esse moderatus, mulieris temperaturæ, & consuetudini conueniens, certa intervalla, certasque periodos obseruans: alioqui dum supprimitur, vel parcè, aut immodicè fluit, multorum morborum causæ esse solet.

Ad seminis excretionem refertur Veneris vsus, qui si moderatus sit, valetudini non officit. Eo tamen homines plerumque impunè carere possunt, vt experientia docet in monachis, & cœlibem vitam agentibus: in iis enim materiæ seminalis ad partes diuersas transmittitur, in earumque alimoniam insumitur; partes verò seminales, arescunt, & ad munus suum ineptæ redduntur. In quibusdam tamen mulieribus magis noxia est Veneris abstinentia, quibus semen retentum corrumpitur, & hystericos affectus parit.

Immodicus autem Veneris vsus viros magis, quàm fœminas lædit: spiritus dissoluit, totum corpus refrigerat, cerebrum, neruos, ventriculum, oculos, & articulos debilitat: mentem sensusq; obtundit; cruditates, & oris fœtorem parit.

Ætas, Veneri aptissima est iuuenilis, & virilis; reliquis nocet potissimum senibus, & naturis siccis, ac debilibus.

Interualla autem talia adhiberi debent, (docente Galeno in arte parua) vt homo post coitum leuior seipso, & agilior factus videatur.

Vernum tempus Veneri magis idoneum est, deinde hyems, minus Autumnus, omnium minimè æstas, quo tempore melius est omninò abstinere.

Quod ad partes diei spectat, manè aut post primum somnum opportunè venus instituitur, peracta concoctione ciborum in ventriculo, non statim post cibum. Importuna verò, & noxia post crapulam, exercitia valida, tempore incdiæ, aut post immodicas euacuationes.

CAPUT XXX.

De Animi Pathematis.

ANimi Pathemata ad immutandam totius corporis constitutionem maximam vim habent; ita vt non solùm grauissimis morbis, sed etiam mors interdum ex immodico eorum excessu oriatur. Si verò in moderatione contineantur, ad sanitatem conseruandam plurimùm conferunt.

Quisquis igitur sanitatis conseruationi studere cupit, animi tranquillitatem aucupari debet, & vehementibus passionibus resistere. Sic enim corpus, in statu naturali conseruatur, & nulla in eo ex parte pathematum mutatio contingit. Quia verò impossibile est ab omnibus pathematis sese immunem reddere: enitendum summa rationis vi illis obsistere, eorumque impetus frenare. Horum autem pathematum, aut saltem præcipuorum, effectus paucis exponendi sunt.

Gaudium moderatum inter reliquos animi affectus ad sanitatem conseruandam principem locum obtinet: ex eo enim calor, spiritus, & sanguis ad totum corpus diffunduntur, vndè facultatum vigor excitatur: habitus corporis alitur, humectatur, & viuido colore suffunditur, hinc illud Sapientis: Animus gaudens ætatem floridam reddit. Gaudium verò immodicum spirituum substantiam dissipat, & vitalis facultatis robur dissoluit: vnde syncope, & interdum mors repentina succedit, præcipuè in senibus, mulieribus, & naturis imbecillioribus.

Tristitia calorem natiuum debilitat, corpus refrigerat, & exsiccat, faciem reddit decolorem, pulsumque imminuit propter cordis constrictionem interdum febrem accendit, ob difflationem prohibitam, ex qua putredo in humoribus accenditur. Auuicenna *lib. de viribus cordis, cap. 6.* Duo ex tristitia consequi testatur, naturalis facultatis imbecillitatem ob caloris extinctionem, & spirituum, humorumque incrassationem à frigiditate, vnde humor melancholicus exageratur.

Timor subitò calorem ad cor reuocat: vnde partes extimæ algescunt, pallent, contremiscunt, dentes stridunt, vox interrumpitur, vires concidunt: interdum aluus soluitur, & vrina profunditur ob retentricis imbecillitatem, & musculorum resolutionem mors interdum succedit, reuocato magna copia sanguine ad cor, à quo opprimitur, & extinguitur facultas vitalis.

Ira calorem, & spiritus vehementer exagitat, pulsum auget, accelerat spiritus & sanguinem inflammat, bilem acuit, febres diarias, & putridas accendit: si valdè effrænis sit; rationem subigit, & interdum de sede sua dimouet. Frigidis naturis interdum vtilis est, calor enim debilior inde excitatur, & vegetior redditur.

INSTITVTIONVM MEDICARVM

LIBER QVINTVS,

ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΗΝ CONTINENS. *Therapeutica.*

THERAPEVTICES

PARTIS PRIMÆ,

De Methodo generali medendi.

PRÆFATIO.

Quinta Medicinæ pars, quæ *Theraupeutice* nominatur, in duas principales diuiditur.

Prima continet methodum generalem medendi, & indicationes omnes proponit, quæ ad morborum curationem sunt necessariæ.

Secunda instrumenta docet, quæ ad illas indicationes adimplendas sunt necessaria.

Ideò quintus iste liber duas partes continebit. In prima methodus generalis medendi: in secunda, instrumenta Medici exponentur.

PROOEMIVM.

METHODVS medendi duplex ab auctoribus proponitur: generalis scilicet, & particularis. Generalis est, quæ communia tradit præcepta, quibus singula morborum genera curari debeant: & ostendit, quæ remedia morbis similaribus, quæ

organicis, quæ ve communibus idonea sit. Particularis verò decet, quo modo singulæ morborum species, in singulis partibus, à capite ad pedes curandæ sint. Quæ quidem Methodus obseruatur in auctorum operibus, quos Practicos vulgò vocant: & hæc morborum particularium curatio vniuersa dependet ex communibus præceptis, quæ in Methodo generali proposita sunt. Imò verò nihil aliud est, quàm Methodi generalis, per omnes morborum species, & singulas corporis partes, exercitatio. Quia verò dogmatica medendi methodus perindicationes perpetuò procedit, ideò noster hic Tractatus quatuor comprehendetur Sectionibus. *Prima* erit de methodo medendi, & indicationibus. *Secunda*, de indicationibus à causa. *Tertia*, de indicationibus à morbo. *Quarta* denique de indicationibus à viribus. Et sic nullum erit præceptum morborum curationi inseruiens, quod quatuor hisce Sectionibus non explicetur.

SECTIO PRIMA.

De Methodo Medendi, & Indicationibus.

CAPVT PRIMVM.

Quid Methodus medendi, quid curatio, & quæ illius conditiones.

Methodus medendi est pars Medicinæ qua per indicationes auxilia inueniuntur, vt deperdita hominis sanitas restituatur.

Curatio est præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitum mutatio. Galen. 9. meth. cap. 15.

Debet autem institui curatio, quantum fieri potest, citò tuto & iucundè.

METHODVS medendi, & curatio morborum, parum inter se differunt: si quidem methodus medendi nihil aliud est, quàm rationalis via, qua Medicus in morborum curatione debet incedere. Et hac medendi methodo, quæ per indicationes progreditur, Medici dogmatici à reliquis Sectis distinguuntur; quia illi soli indicationibus, tanquam propriis instrumentis, vti consueuerunt: reliqui verò minimè. In omni autem curatione propositæ conditiones perpetuo obseruandæ sunt iisq; tanquam firmissimis fundamentis inniti debet vera, atque rationalis medendi methodus. *Tutò* itaque curatio progreditur, si morborum expellat, quantum fieri poterit, sine metu recidiuæ & nullam, vel quam minimam ægrotanti noxam attulerit, adhibitis nimirum remedijs, frequenti vsu, & longa experientia cognitis. *Citò* verò fiet curatio, si nulla agendorum occasio prætermissa fuerit, & remedia efficacia, ac morbo æqualia, vel etiam potentiora fuerint vsurpata. Denique *iucundè* curatio exercebitur, si inter remedia, morbo expugnando aptiora, ea imprimis eligantur, quæ & gustui gratiora sunt, & cum minori ægrotantis molestia vsurpantur, (quemadmodum docet Hippocrates, primùm diæta curationem esse tentandam; mox pharmaceuticis remedijs, priusquam ad ferrum & ignem deueniatur;) tùm si accidentia, morbos consequentia, vt sitis, dolor, vigiliæ, blandè leniantur, atque demulceantur.

CAPVT II.

De Indicationibus, & earum differentijs.

Indicatio est comprehensio iuuantis, vnà cum comprehensione nocentis, quæ simul cum re indicante aduenient sine vlla experientia, aut ratiocinio. Gal. lib. de opt. sect. cap. 11.

INdicatio Græcè ἔνδειξις dicitur, quæ nihil aliud, quàm ostensionem, seu delationem significat, atque ita, cùm in methodo medendi vsurpatur significat ostensiones auxiliorum. Indicantia enim indicata quasi deferunt, & ad curationem vtilia esse indicant, ac veluti digito demostrant. Indicationem definit Galenus 2. *method. cap.* 7. agendi insinuationem; quæ ferè nominis explicatio est, quoquo modo illius naturam adumbrans. Perfectior habenda est illa, quæ proponitur in theoremate, desumpta ex eodem Galeno *lib. de optima secta*, in qua Galenus *primum* genus conueniens proponit, dum ait esse comprehensionem, seu notionem quandam, Medico, atque ægrotanti insitam à natura ex rei molestæ sensu ad eius expulsionem. *Deinde* propriam differentiam addidit dum vult, hac notionem proficisci ex rei nocentis natura cognita adiuuantis auxilij perceptionem, id est, à cognitione effectus præternaturalis, in ordine ad quem siue cuius gratia sequitur cognitio iuuantis auxilij. *Denique*, indicatio aduenit sine experientia, aut ratiocinio, quia vbi primùm patuit natura rei molestæ, ex insito quodam principio statim indicatur, seu infertur genus ipsius auxilij. Nam, percepto frigore, calorifica inquirimus, infixam acum euellimus, similiaque absque discursu præstamus. Aduertendum enim est, res præter naturam remedia indicare non per se; sic enim sui destructionem molirentur: sed per accidens, quatenus molestiam animanti inferentes, sui depulsionem insinuant, & per communem quandam notitiam contrarij vsum.

Aduersus propositam doctrinam *obijci* potest: Si inuentio remedij ex comuni quadam notitia, & insito principio dependet; sequetur, idiotas quos libet à peritis artificibus nihil differre, & rei medicæ æque esse peritos, ac ipsos Medicos. *Respondendum* est, maximum esse discrimen, non quidē in primis, ac generalissimis indicationibus, quæ in sublatione rei præternaturalis, & contrarii vsu versantur; illæ enim omnibus communes sunt; sed in ipso progressu, & specialibus indicationibus, ad quas adimplendas necesse est, genera remediorum; seu materiam medicam habere perspectam: tum enim morbos, eorundem causas, atq; symptomata rectè distinguere, nec non remedii formam, qualitatem, quantitatem, locum, tempus, & exhibendi modum accuratè indagare, in quibus omnibus maxime ratiocinatio expetitur, & varia inter ipsos Medicos peritia elucescit. Ex quibus concludendum est quamuis indicatio primariò, & generatim sine ratiocinio eliciatur: attamen secundariò, & specialim eo maximè indigere, ita vt quamplurimi auctores, non exigui nominis, indicationem retulerint ad tertiam mētis operationem, quæ syllogismus nominatur. Sennertus corrigit in textu Græco, sine συγισμῶ, id est *ratiocinio*, & sic omnis ambiguitas tollitur.

Hæc autem indicatio quadrifariam diuidi potest.

Primò alia est indicatio conseruatoria alia curatoria.

Indicatio conseruatoria respicit res naturales, quæ conseruandæ sunt persimilia.

Indicatio curatoria respicit res præternaturales, quæ auferendæ sunt per contraria.

Secundò; Indicatio alia est generica, alia subalterna, alia specifica.

Generica indicatio ea est, quam communis, & generica indicantis natura suppeditat.

Subalterna, quam subalterna indicantis natura suggerit.

Specifica, quæ à speciali indicantis natura petitur.

In hac indicationum serie totum Medici Dogmatici artificium constituitur, cui insistens methodum sequi dicitur, progrediendo nimirum à generica indicatione per subalternas ad specificas, & determinatas, vt docetur à Gal. 2. *meth. c.* 7. *Quisquis*, inquit, *condere methodum parat, huic à primis indicationibus est auspicandū, atq; hinc ad eas, quæ deinceps sunt, transeundum, rursusque ab his ad proximas: Itaque pergenti non prius consistendum; quàm ipsius compos sit finis. Finis autem est inuenire cuique morbo remedia.* Huius methodi, & seriei indicationum exempla desumi possunt, ab omnibus morbis. Proponatur v.g. curanda frigida ventriculi intemperies in secundo gradu: *primum* adest morbus, à quo sumitur indicatio generalissima, cum esse tollendum. *Secundo* est morbus intemperie, à quo sumitur indicatio subalterna, esse alterandum. *Tertio* est intemperies frigida, à qua sumitur indicatio itidem subalterna, esse calefaciendum. *Denique* est intemperies frigida in secundo gradu, à qua petitur indicatio specifica, esse adhibendum medicamentum calefaciens in secundo gradu, & vltra ars non progreditur, nec vltra infimas species methodus descendit.

Tertio, Indicatio alia est inartificiosa, alia artificiosa.

Inartificiosa, est quæ alijs, quàm artificibus, & ipsi vulgo innotescit.

Eadem omninò est hæc inartificiosa indicatio cum ea, quam supra genericam appellauimus, quemadmodum docet Galenus 3. *method. cap.* 7. *Indicatio*, inquit, *quæ à morbo sumitur, est velut principium, vel carcer, vnde medendi ratio promouet: nulla prorsus ipsius medicæ artis ad hanc portio, aut certè nec magna, nec propria, sed quæ etiam plebi sit communis.*

Arti-

Artificiosa indicatio est, quæ non omnibus; sed artificibus tantùm nota est, & vt cognoscatur magno artificio indiget.

Quemadmodum indicationes genericæ inartificiosæ sunt: ita subalternæ magis artificiosæ, ac multò magis specificæ, quia difficiliùs, & cum magno artificio cognoscuntur, ideò medendi methodo propriæ.

Quarto, alia est indicatio vtilis, alia inutilis.

Vtilis indicatio illa est, cui aliqua respondet materia, seu quæ tale auxilium indicat, cuius materiam reperire licet, quæ primo & per se affectum tollere possit.

Inutilis indicatio est, quæ tale auxilium indicat, cuius non inuenitur materia, quæ affectum primo, & per se tollere possit.

Quidam affectus præter naturam vtiles præbent indicationes; alij verò inutiles. V. g. in calida, vel frigida temperie indicatio vtilis est. quia multæ dantur materiæ, quibus eam possimus corrigere: at obstructio, quæ indicat aperiendum esse, inutilem indicationem suppeditat; quia nullum datur medicamentum, quod per se obstructionem tollat; sed obstructionis apertio consequitur ad alia, nempè incisionem, attenuationem, denem, & euacuationem materiæ obstruentis.

CAPVT III.

De Indicantibus.

Indicans est agens aliquod in corpore permanens, quod per propriam naturam, & essentiam auxilium aliquod indicat, atque indicatum, quod expostulat, ad sese dirigendum esse monstrat, vt sanitas hominis amissa restituatur.

HÆc definitio indicans tantùm curatorium comprehendit, non autem conseruatorium, cuius finis est sanitatem conseruare vt huius amissam restituere.

Veri indicantis quatuor sunt conditiones.

Prima, *vt sit agens aliquod, & corpus afficiat.*

Sic morbus, quia corpus afficit, idque destruit, & corrumpit, indicans est, sutque sublationem insinuat.

Secunda *conditio est, vt Indicans maneat in corpore.*

Prout enim sui ablationem indicat per remedia corpori adhibenda sic etiam eidem corpori debet inhærere.

Tertia *conditio est, vt Indicans sit notum intellectui.*

Explicatur: quidquid enim indicat, in alterius cognitionem nos deducit puta indicati, seu remedij; quod autem ignotum est alterius cognitionem insinuare nequit. Ideò Gal. 3. *meth. cap.* 6. & passim alibi, qui occulta qualitate agunt, & ideò intellectui nota non sunt, à methodo medendi, quæ indicationibus perficitur, solet excludere.

Quarta *conditio est, vt Indicans vnum indicet, quemadmodum vnum tantùm ab vno indicatur.*

Hoc axioma traditur à Galen. 11. *meth. & lib. de optima secta*: & illius ratio est, quod indicans perpetuò sui contrarium indicet, à quo auferatur: at vnum vni tantùm contrarium est. Aduerte tamen effectum, qui vnus appellatur, sæpè compositum esse; ideò quatenus compositus est, plura indicare potest: seu, vt Gal. loquitur *9. meth. c.* 12. *Quod simplex est, simplicem indicationem habet; quod non simplex etiam non simplicem.* Aduerte etiam, vnum indicans habere esse genericum, subalternum, & specificum; & prout diuersam habet naturam, plura indicare posse: sed tamen per vnam essentiam vnum tantum, per genericam remedium genericum, per subalternam subalternum, per specificam specificum indicat.

Indicantia vera, & propria duo sunt: morbus, & causa morbi.

Indicans est res præter naturam, quæ auferenda est contrarijs remedijs: remedia autem causæ morbificæ, & morbo adhibenda sunt. Primò quidem causæ quandoquidem, vt docet Galen. *7. meth. c.* 12. impossibile est, vllum affectum ad perfectionem sanari, manente adhuc effectrice eius causa. Quamvis autem idem Galen. præseruationem causis propriè deberi asserat; vnde nonnulli causam indicans præseruatorium nominant: hoc tamen audiendum est de præcautione causarum imminentium, & futurarum, non earum, quæ iam actu morbos in nobis producunt, in quarum auersione, & curatione versatur plerumque tota curationis vis; nemo enim vnquam febrem, à putredine profectam, nisi illa sublata curauerit. Si velis igitur cum Galen. loqui: si hæc præseruatio curatoria, cùm alijs simpliciter præcautio dicatur in statu salubri. & neutro. Morbo etiam curatio debetur, quia ille, sublata causa, sæpissimè adhuc permanet, imò verò intemperies interdum nuda, & per se, sine vllius causæ præsentia diutissimè perseuerat, vt in febre hectica videre est: tum in plerisque morbis contraria est indicatio, quæ ab affectu morboso petitur. illi quam causa suppeditat: vt in quotidiana febre, quæ in propria essentia refrigerari vult, ac ratione causæ. quæ pituita est, calefacientia requirit. Porrò ex definitione indicantis, supra proposita, manifestè apparet; errare eos, qui vires inter vera indicantia numerandas esse contendunt: quandoquidem omne indicans therapeuticum sui sublationem expostulat; sed vires perpetuò conseruandæ sunt, igitur magis appositè coindicantibus annumeranda sunt, cùm in morbo considerantur: quamvis in statu salubri, & in ea parte, quæ σγιεινὴ nominatur, vires propriè, & verè indicent. quia omnis indicatio, quæ in illa parte consideratur, conseruationem respicit. Ergo vno verbo concludendum est, vires in parte Medicinæ conseruatoria esse verum indicans: in curatoria vero tantùm coindicans.

Symptoma inter indicantia non potest numerari.

Licet indicationes à rebus præter naturam desumantur, hę verò ternario numero comprehendantur. prout morbum causam morbi, & symptoma continent: omnes tamen indicationes à morbo, & causa morbifica tantùm desumuntur, nullæ verò à symptomate: quia symptoma ita dependenter à morbo, & essentiam suam, atque existentiam mutuatur, vt, eo sublato, confestim euanescat. Et quamvis symptomati mitigatio debeatur, quæ curationi subalterna est; tamen id fit, non quatenus symptoma est, sed quatenus causæ rationem obtinet, & morbum sua præsentia, vel producere, vel augere potest. Sic hæmorrhagia sistenda est quia frigidæ intemperiei, & mortis causa esse potest: aquæ hydropicorum educendæ, quia iecoris intemperiem augent: dolor in vulnere, aut inflammatione sedandus est, quia impetum auget fluxionis, & vires posternit.

CAPVT IV.

De Coindicantibus, Contraindicantibus, & Correpugnantibus.

Coindicantia sunt, quæ propriè remedij vsum non indicant sed indicationis tantum id suadentis efficaciam augent, vel faciliorem reddunt.

Ea vero sunt res naturales, & non naturales.

Ad res naturales referuntur vires, temperamentum, ætas, sexus, consuetudo, & vitę genus: tum pars affecta eiusque substantia, temperamentum, actio, figura, situs connexus sensus exquisitus vel obtusus.

Ad res non naturales referuntur sex illę res hoc nomine donatę: nimirum aer, cibus, & potus: motus, & quies somnus, & vigilia; excreta, & retenta; & animi pathemata.

Ad aerem vero refertur domus, regio, anni tempus dies hora, venti, Luna quadræ, & varij Cæli, astrorumque positus.

QVemadmodum veræ, & propriæ indicationes à rebus præter naturam desumuntur, sic coindicationes à rebus naturalibus, & non naturalibus peti debent. Et quantumvis remedia primariò non indicent; secundariò tamen id præstant, & sine diligenti earum animaduersione rectus eorum vsus constare nequit. Ideò Galen. sæpè *in lib. meth.* quæ verè sunt coindicantia simpliciter indicantia nominat, latiori tamen nominis acceptione: quod diligenter obseruandum est, ne Galen. lectio confusione pariat. Primo igitur rerum naturalium vera, & propria indicatio est conseruatio; quatenus autem natura morbos curat, & remedijs vtitur tamquam instrumentis, eaque reducit de potentia in actu: illius vires expendendæ sunt, vt pro modo earum æstimetur remedij efficacia, atque ita si morbus vehemens postulet remedium, & vires sint validæ, illiusque vim ferre queant, tunc coindicare dicuntur. Sic etiam temperamentum calidum in morbo calido coindicat remedia refrigerantia, & contra. Tum verò qui plurimum à naturali statu distat morbus, vehementioribus eget remedijs: qui verò à

statu naturali minùs recedit, ægrique naturæ, & temperamento naturali cognatus est, mitioribus remedijs curandus est. Idem præstare solent ætas, sexus, consuetudo, Idiosyncrasia, & vitæ genus, quæ particularem virium, & temperamenti statum patefaciunt. Deinde, post considerationem totius, partis etiam affectæ habenda est ratio; quæ in vsu remedij potenter coindicat, considerando nimirum illius substantiam, temperamentum, figuram, situm, connexionem, & actionem nec non sensum exquisitum, vel obtusum, pro quorum varietate vsus auxilij immutandus est. Denique res non naturales coindicant, quia varius earum status vsum remedij variè immutare solet. Sic aer æstiuus in morbo calido remedij refrigerantis indicationem adiuuat, & fortiùs adhibendum esse demonstrat, quàm si, aere frigidiori, vel temperato existente, morbus contigisset: & ita de reliquis est sentiendum; quamquam aer cæteris rebus non naturalibus maiorem in coindicando habeat potentiam.

Contra indicantia sunt ea, quæ vere, & diametre indicantibus opponuntur.

Nomen ipsum satis ostendit contraindicantia indicantibus esse contraria. Cum autem contraria sub eodem genere collocari debeant, & indicantia propria, atque primaria sunt res præternaturales; ita contraindicantia sint etiam res præternaturales, quæ indicantibus opponuntur, vt quando morbus morbo contrarius est, vel causa causæ, item morbus causæ, vel causa morbo, & contrarium remedium indicat. Sic calida hepatis intemperies indicat refrigerantia: huic autem frigida ventriculi intemperies contraindicat, cum ambæ in eodem individuo reperiuntur, quòd sæpissimè contingit. Sic etiam febris quotidiana ratione sui refrigerantia indicat: causa verò contraindicat, quæ est humor pituitosus, & calefacientia potiùs exposcit.

Correpugnantia sunt ea, quæ coindicantibus opposita sunt.

Quemadmodum vera indicantia dicuntur indicantia primaria, & coindicantia indicantia secundaria; ita contraindicantia vera vocantur contraindicantia primaria & correpugnantia vocantur contraindicantia secundaria. Hæc autem correpugnantia sunt eadem genere cum coindicantibus, nimirum res naturales, & non naturales, sed quatenùs remedio à morbo vel causa morbifica indicato resistunt, & illius vsum dehortantur, vt quando purgatio, vel venæ sectio à causa morbifica indicatur, vires autem sunt debiles, tum illæ correpugnare dicuntur, vel contraindicare contraindicatione ista secundaria. Sic etiam febris putrida in diebus canicularibus purgationem indicat ratione causæ, aer verò calidior repugnat, vel contraindicat; & ita de alijs est sentiendum. Hic autem *aduertendum* est, correpugnantiæ nomen rarò esse in vsu apud auctores, sed contraindicationis nomen pro primaria, & secundaria indiscriminatim vsurpari.

CAPVT V.

De Indicatis.

Indicatum est illud, quod à natura indicantis sequendum demonstratur, vt illius efficacia dispositio præter naturam auferatur.

HInc patet Indicatum nihil aliud esse, quàm remedium: quod Gal. *lib. de constit. art. med. c.* 4. dicit esse, quidquid corpus iuuat, dum affectum ad naturalem statum reuocamus. Varijs autem nominibus vsurpatur à Galeno alijsque auctoribus. Uocatur enim vtile, postulatum auxilium, præsidium, scopus, & intentio: quamquam scopi nomen in alio etiam sensu vsurpetur, vt quando à Galeno scopi venæ sectionis proponuntur, magnitudo morbi, & virium robur: tunc enim Scopi indicationes significant. Imò verò indicans primus scopus appellari consueuit; & Indicatum scopus secundus.

Omnis indicati consideratio versatur circa genus remedij, & rectam illius administrationem.

Ad genus remedij spectat primus scopus: quo quæritur, quid sit agendum?

Ad rectam remedij Administrationem spectant quatuor scopi: quibus quæritur, quantum agendum, quo modo quando, & vbi.

Quid agendum, seu genus remedij, ab essentia indicantis, seu rei præternaturalis desumitur.

Sic morbus frigidus indicat esse calefaciendum; calidus, refrigerandum; repletio, vacuandum; solutio continui, coniungendum, & ita de cæteris. Per genus, autem remedij non solùm genus summum intelligimus; sed etiam subalternum, & specificum, vt remedia inueniantur, quæ satisfaciant indicationibus genericis, subalternis, & specificis, quæ supra *cap.* 2. expositæ fuerunt. V. gr. febris ratione generis summi, quod est affectus præter naturam indicat remedium auferens, seu remouens febrem; ratione generis subalterni, quod est calor præter naturam, indicat remedium frigidum; & ratione generis specifici, quod est v. gr. calida intemperies in secundo gradu, indicat remedium frigidum in secundo. Ex quibus facilè videre est, qualitatem remedij, & gradus eiusdem ad genus remedij pertinere: quamvis à nonnullis hæc perperam distinguantur, & male ab ijsdem gradus remedij ad illius quantitatem referatur. Reijciendum quoque est, quod à nonnullis, & à Gal. ipso traditur, genus remedij à partis natura, dignitate, actione, substantia, situ, ægri viribus, alijsque indicari. Nam, vt anteà dictum est, vnum tantùm ab vno indicatur, & omne indicans est res præter naturam. At partis natura, actio, & similia, sunt res naturales: ideò iuxta fundamenta superiùs posita, illa tantùm coindicant, vel correpugnant. Atque vt Galen. mentem adexatam doctrinæ normam reuocemus, dicendum est, cum Coindicantia nominare, non vt vera, & propria indicantia, sed tantùm vt indicantia secundaria, qua ratione sedulò obseruanda sunt, velut ad curationem maximè conferentia. Sic hepar, cor, & aliæ partes præstantiores non ferunt vehementiora remedia, quæ illorum vsui repugnant. Sic etiam, quæ frigidæ naturæ sunt partes, dum calido affectu laborant, remedia desiderant, quæ validiùs refrigerent: cùm in pari affectu longiùs à naturali temperie, quàm, quæ calida sunt, recedant. Eodem modo, quæ sensu exquisito prædita sunt membra, dolorifica remedia non sustinent, qualia illorum affectus sæpe postulant. Quæ item longiùs ab externa superficie in profundo corporis sunt collocata, validiora, quàm affectus ipse natura sua desiderat, requirunt auxilia. Et internæ partes non admittunt, quæ erodentem, aut venenosam vim obtinent, quibus earum mala sæpè gaudent: ea autem tolerant externæ.

Quantum agendum remedij quantitatem significat, illius scilicet desin, quæ à morbi quantitate, seu recessu à naturali statu indicatur.

Quantitas remedij sæpè etiam pro gradu, & vehementia vsurpatur, sed exactiùs philosophantibus ad quantitatem sola dosis referenda est cùm gradus ad genus remedij reducantur, vt superiori theoremate dictum est. Prout autem morbus magis, vel minùs à naturali statu recedit: dosis maior, vel minor exhibenda est: quia in maiori quanto est maius quale, & sic in maiori excessu maior dosis præscribenda est, vt morbum superare possit. Multum etiam conferunt ad quantitatem remedij definiendam indicantia secundaria, quæ tamen verè non indicant, sed tantùm coindicant, aut correpugnant. Sic naturalis temperies partis indicat remedij quantitatem, prout ostendit quantus sit ab ea recessus. Sic partes, quæ in profundo corporis sunt sitæ, maiorem dosin remedij postulant, vt facultas eousque faciliùs penetrare queat. Sic erisypelas pollicis minore secundùm quantitatem eget exycrato; quàm cruris, aut brachij. Sic inflammatio plurium partium internarum maiorem medicamenti frigidi quantitatem exposcit, quæ huic incendio sedando sufficere possit.

Quo modo, seu vtendi modus, nihil aliud significat quam an semel, aut bis, partitè, vel confertim adhibenda sint remedia: Illa autem à modo affectus præter naturam indicatur.

Sic, quando morbus affligit continuò, & violenter, remedia subitò, & confertim adhibenda sunt. Si causa morbi turgia, & orgasmo teneatur, si benè sit concocta, si tenuis & sequax, subitaneam euacuationem poscit. At verò si lentè tantùm, & per interualla, & longitudinem potiùs ex cruditate, quàm periculum minetur, tunc repertis alterationibus, & purgationibus materia alteranda, & concoquenda erit.

Ad modum etiam vtendi indicandum non parum conferunt indicantia secundaria, quatenus coindicant, vel pugnant.

Sic vires robustæ facilè assentiuntur repentino remedio: infirmæ verò, ac debiles non nisi benignas, & partitas ferre possunt mutationes. Sic etiam tenuis, et rara partium substan-

tia,

tia, vel exquisitior sensus, vix ferre potest vim præcipitem vacuantis, aut alterantis auxilij, quàm solida, & densa, vel obtusioris sensus facilè sustinet. Situs etiam valdè remotis per vices id præstandum suadet, vt tandem remedium eòusque penetrare possit, salua interiectarum partium temperie. In parte etiam nobili cautè agendum, partitis vicibus ne grauiorem noxam ex illius subita mutatione toti corpori inferamus.

Quando agendum est tempus opportunum, & occasio conueniens administrationi remediorum.

Illud autem duplex est, generale, & particulare.

Tempus generale est vnum ex morbi quatuor temporibus, quæ vocantur principium augmentum, status, & declinatio.

Sic Galenus *lib. de opt. secti. cap. 37.* docet, quo morbi tempore frigida potio sit administranda: an scilicet in principio vel augmento, vel statu, vel declinatione. Sic in principio inflammationum docent. Practici reppellentia esse applicanda; in augmento resoluentia cum repellentibus, & ita de cæteris.

Tempus particulare sunt dies, & hora exhibendi remedij.

Sic idem Galen. *eodem loco* docet, quo die, & qua diei hora aqua frigida sit exhibenda. Sic purgans medicamentum sexto die, vel alio pari, & matutinis horis exhibendum.

Ad tempus etiam reuocatur ordo remediorum, vt malè nonnulli ordinem à tempore distinguant, illiusque ratione diuersum scopum constituant.

In affectu simplici, vel composito, si plura remedia sunt vsurpanda, vt perpetuò ferè contingit, videndum est, quo tempore vnumquodque administrandum sit, & hoc ad ordinem spectat. V.g. ratione febris, aqua frigida est exhibenda: ratione causæ, vena secunda: dum autem tempus cuique opportunum præfinitur ordo simul stabilitur, qui in eorum celebratione est obseruandus.

Tempus autem, & occasio, & ordo remediorum indicantur à præsenti vrgentioris indicantis.

Quando, & quoties malum vrget, perpetuò ei occurrendum est. Ideò præsentia morbi, vel causæ morbificæ indicat tempus, & occasionem remedij adhibendi. At vero, quando plura vrgent, occurrendum est vrgentiori. In horum autem vsurpatione habenda perpetuò ratio coindicantium, & contraindicantium. Licet enim affectus præsentia remedium hoc tempore esse vsurpandum suadeat, tamen virtus, aut natura particulari ægrotantis, aut aliquid aliud prohibere possunt.

Vbi agendum significat locum in quo, & per quem remedia administranda sint: & indicatur à loco indicantis.

Si morbus, vel causa morbi totum corpus occupet; toti corpori remedia adhibenda: si vnam tantùm partem obsideat; ei tantùm parti remedia conuenient: si externæ partes afficiantur; exterius erunt adhibenda: si internæ, interius erunt assumenda: & si per vtramque viam remedijs vis ad locum affectus ferri possit, vtrinque erit admouendum.

Ad locum etiam remedij indicandum non parum conferunt. Coindicantia, fœures naturales, & præcipuè partium conformatio, situs, & connexio.

Sic ventriculus per vomitum, & secessum; hepatis cana, deiectione; connexa, vrinarum prouocatione potissimum expurgantur. Affectis intestinis remedia per annum infundimus.

Eodem modo correpugnantia considerandà sunt, quæ impediunt remedij vsum.

Verbi gratia orificium ventriculi inflammatum exteriùs esset refrigerandum, ni diaphragmatis vicinia impediret; quemadmodum eiusdem refrigerati calefactionem hepatis locus ei superiacens prohibere solet.

CAPVT VI.

De primo, & generalissimo curationis principio.

Omnis curandi methodus à primo hoc, & generalissimo principio desumitur: contraria contrarijs curantur.

QVamuis de principijs minimè disputandum sit, sed ea tamquam vera & indubitata supponenda sint: quemadmodum Galenus de hoc ipso *artis curatiuæ principio* refert, in Medicina tam certum esse, contraria contrariorum esse remedia, quam in mathematicis bis duo quatuor efficere, & hoc principium non tantum hominibus, sed etiam brutis esse à natura insitum. Nonnullæ tamen *obiectiones* illius veritatem prima fronte conuellere videntur.

Prima, Tetanus morbus frigidus est, & frigidæ affusione curatur, dolore tollitur, vomitus vomitu, alui fluxus alui fluxu.

Secunda, Omne contrarium contrarij aduentu magis intenditur: quemadmodum torpentem gelu manum si quis igni exponat magno vexatur cruciatu: si ambustum digitum frigidæ immittat, crudelius torquetur, quàm si igni admoueat, aut aqua vitæ profundat.

Tertia, Purgantia medicamenta sunt humorum peccantium propria remedia: sed illa humores purgant familiaritate substantiæ, quam habent cum ijs; non autem contrarietate.

Quarta, Natura morbos tum calidos, tum frigidos curare solet, cum quibus nulla ipsi interuenire potest contrarietas.

Quinta, Morbi magnitudinis, numeri, & figuræ nihil habent contrarium, quo auferri valeant.

His vt satis fiat, dicendum est: Contrarietatis nomen latiùs patere apud Medicos, quàm apud Philosophos, & contrarietatem non solùm spectari secundùm formam, sed etiã secundùm effectum, & operationem. Quidquid enim rem præter naturam auferre potest, vel contrarium effectum inducere, siue per se, siue per accidens id præstet, contrarium nominatur. Sic rhabarbarum biliosæ cacochymiæ contrarium dicitur quatenùs eam expurgat: sic ferrum, vel ignis carni superfluæ contraria sunt, quatenùs eam extirpant. Quibus ita suppositis, ad *obiectiones* facile est respondere.

Ad *primam* enim dicendum est, Tetanum effusione frigidæ curari per accidens, aucto per antiperistasin calore in partibus interioribus: dolorem dolore tolli etiam per accidens, dum nouus dolor causam priorris doloris ad se reuellit: vomitum cutari vomitu, & alui fluxum alui fluxu, vacuata causa, quæ eos committebat.

Ad *secundam* dicimus: contrariorum conflictum naturæ molestum esse si repentinus sit & vehemens si verò moderatus, & conueniens, maximè amicum. Sic manus frigore torpescens igni exposita cruciatur, quia subitant eorum puram: at in tepidam coniecta, vel linteolis calidis inuoluta restituitur. Et digitus combustus, igni admotus, aut aqua vitæ perfusus leuatur rationes causæ, quia eiusmodi calidis consumantur, vel auocantur foras scintillæ partipenitus infixæ quàs frigida in profundum depellebat.

Ad *tertiam respondeo*: quod, licet purgantia sint humoribus peccantibus similia ratione substantiæ: tamen contrariæ effectiuè dicenda sunt, quatenùs eos expurgant, & extra corpus educunt.

Ad *quartam respondeo* naturam morbis omnibus contraria esse, quatenùs eorum causam vel coquit, vel expellit, vel alio quauis modo expugnat.

Ad *quinta* dicimus, magnitudini, numero, & figuræ effectiuè contraria esse, quæcunque eas auferre vel immutare possunt vt ferrum, ignis, ligaturæ, & similia.

Illa autem contraria, quantum fieri potest, debent esse inuicem æqualia.

Æqualitas illa indicatur à natura morbi, & causæ morbificæ quę etiam sui ablationem indicant. At vires, pars affecta, tempus morbi, & aliæ circumstantiæ huic æqualitati repugnant. Ideò addita est theoremati hæc particula: *quantum fieri potest*, quia æqualitas contrariorum ad curationem simpliciter necessaria non est, sed tantùm ad commodiùs curandum, si reliqua consentiant.

Æqualitas verò remedij respectu morbi dupliciter consideratur, vel secundum gradum, vel secundum copiam, & molem.

Æquale remedium secundùm gradum dicitur quod parem cùm morbo recessum à mediocritate obtinet. Sic remedium frigidum in secundo gradu æquale est morbo calido in secundo.

Æquale remedium secundùm mollem, & copiam illud est, quod præter gradum suæ qualitatis ea est quantitate, vt vna, duabus, vel pluribus vicibus exhibitum expugnare possit morbum.

Hoc sensu, & mediocre, & vehemens remedium aduersus eundem morbum æqualitatem obtinere potest, quando quidem vehemens semel, aut bis vsurpatum, mediocre verò frequenter, morbum tollere potest.

Præterea æqualitas in gradu vel actu, & realiter existit; vel tantum consideratur respectu operationis.

Sic in morbis similaribus datur gradus contrarietatis actu existens, vt calidum remedium in secundo appositum morbo frigido in eodem : at in morbis conformationis, magnitudinis, & numeri dicuntur remedia æqualia iuxta operationem, quia scilicet eò vsque agere possunt, donec naturalis conformatio, magnitudo, & numerus restituantur.

Ex supra propositis dissolui facilè queunt omnes *obiectiones*, quæ aduersus æqualitatem contrariorum afferri solent, quarum præcipuæ sunt sequentes.

Prima, Hippocr. 6. *Epid.* contraria præcipit sensim vsurpanda, & intermissionibus adhibitis.

Secunda, Galenus, *secundo* κατὰ τόπον statim ab initio efficacissima prohibet, & à debilioribus inchoandum præcipit.

Tertia, Frigoris minor est efficacia, quàm caloris: humiditatis, quàm siccitatis : non ergo pari gradu hæc opponenda.

Quarta, Morbis calidis, vel frigidis in quarto gradu non possunt adhiberi remedia calida, vel frigida in quarto, quæ venena sunt.

Quinta, Si omnes morbi curarentur contrarijs æqualibus, par esset in omnibus agentis proportio ad id, quod patitur. Atque ita eandem velocitas mutationis ; ac proinde eodem temporis interuallo omnes ægri sanarentur.

Sexta, Reductio ex Gal. debet fieri in corporibus sanis per contraria æqualia ; ergo in ægrotis validiora erunt vsurpanda, quia citiùs oportet morbum tolli, quàm temperamentum naturale.

Denique Paulus *initio l. 4. Rectè*, inquit, *mea sententia Cappadox Aretæus memoriæ prodidit, auxiliorum vim morbis fortiorem esse oportere, eoque elephantiam numquam curari, vt qua nulla fortior medicina reperitur.*

Ad *primam*, *& secundam respondendum est*, Hippocr. contraria adhibere sensim, & Galen. à debilioribus incipere, habita circumstantiarum ratione ; ne scilicet vires frangantur, aut ratione contradicentium ; ne cruda materia vehementioribus frustrà agitetur, cùm tamen ipse morbus æqualia respectu sui semper indicet.

Ad *tertiam* dicendum est, quamuis minor sit frigoris vis, quàm caloris, humiditatis, quàm siccitatis : quia tamen æqualitatem in vltimo actionis termino spectamus, ideò non minùs hæc dicentur æqualia : siquidem excessum morbosum ad mediocritatem reducere possunt.

Ad *quartam respondeo*, etiam venena in vsum medicum vocari, si ea morbi natura postulet, idonea tamen præparatione præmissa.

Ad *quintam respondeo*, non esse par in omnibus morbis curationis tempus, quia non licet in omnibus eodem tempore vti contrarijs æqualibus, propter variam subiecti, & circumstantiarum dispositionem : & quamuis eorum vsus admitteretur, non esset par in omnibus curationis velocitas ob multas circumstantias cùm affectus, tùm corporis affecti.

Ad *sextam* dicendum est : quamuis reductio debeat fieri per contraria æqualia ; tamen ea non eadem efficacia operantur, quemadmodum in curatione morbi, qui, cum in dispositione sit, facilius auferetur contrarijs æqualibus, quàm temperamentum naturale, quod in habito est, & ideò difficilius corrumpitur. Denique *ad auctoritatem* Pauli, & Aretæi dicimus, Remedia morbi æqualia esse ratione intentionis ; esse tamen valentiora ratione affectus, quia adiuuantur à natura, quæ semper contra morbum cum ijs pugnare consueuit.

CAPVT VII.

De Inuentione Remediorum.

Remedia morborum curationi apta triplici via inueniuntur ratione, experientia, & analogismo.

Ratione inueniuntur remedia per indicationes, quando morbi, & remedij natura nobis cognita est.

Sic febrem refrigerantia indicare dicimus, quia scimus, illius naturam esse calidam, & nobis inimicam, quæ sibi contraria, & sui ablationem demonstrat.

Experientia inueniuntur remedia quando pluribus exemplis obseruatum est, aliquod remedium alicui morbo prodesse, etsi effectus illius causa ignoretur.

Scribit Galenus, artem medicam duplici crure innixam incedere : ratione, & experientia. Quod quidem intelligendum est, non de rudi illa experientia, qua Empirici, & idiotæ in omnibus morbis summà cum temeritate vtuntur ; sed tantùm illa, quæ circa eos morbos, & ea remedia versatur, quorum natura, & causa incognita est ; quemadmodum antidota venenis, & morbis venenatis opitulari, nulla docente ratione, sed ipso dumtaxat vsu nouimus.

Analogismo remedia inueniuntur, quando morbo incognito ea adhibentur remedia, quibus alius affectus cognitus, qui cum eo aliquam habet similitudinem, curari solet.

Sic in lue venerea, cum primùm grassari cœpisset, & adhuc ignota esset, remedia, quæ in elephantiasi, & fœda scabie vtilia sunt, non inutiliter vsurpata fuerunt.

SECTIO SECUNDA.

De Indicationibus à Causa.

CAPVT PRIMVM.

De Euacuatione in genere, & illius differentijs.

In legitima curatione causa morbifica primò auferenda est, secundò ipse morbus si post causæ ablationem superstes maneat.

LEGITIMÆ curationi opponitur Illegitima, & extraordinaria, quam aliquando vsurpare cogimur, cùm vrgens aliqua intemperies corrigenda est, priusquam causæ demolitionem aggrediamur, aut etiam aliquod symptoma prius est mitigandum.

Causa autem morbifica multiplex est, vt docetur in pathologia : *præcipua tamen, & magis ordinaria est humor, quia morbi ab humoribus multo frequentiùs, quàm ab alijs causis producuntur.*

Humorum autem peccantium præcipuum, atque vsitatissimum remedium est euacuatio, quæ nihil aliud est, quam humoris vitiosi è corpore eductio.

Ea vero duplex est, vniuersalis, & particularis.

Vniuersalis est, quæ communiter ab vniuerso corpore, & tribus illius dictis regionibus materiam subtrahit.

Harum autem regionum prima *est, quæ ventriculum, intestina, venas mesaraicas, & reliquos venæ portæ ramos caua hepatis, lien, & pancreas continet.*

Secunda *regio hepatis connexa, omnemque venam cauam, atque illi comitem arteriam magnam, & quidquid incidit inter alas, & inguina comprehendit.*

Tertia *regio musculos complectitur, membranas, ossa, omnemque corporis molem vsque ad extimam cutem.*

Præter communes illas regiones aliæ multæ sunt, quæ particulares appellantur, in quibus etiam asseruantur, excrementa ; vt cerebrum, pulmones, renes, & vterus.

Vniuersalis euacuatio fieri consueuit per venæ sectionem, alui deiectionem, vomitum, & sudorem. Harum si quidem quæcumque primùm obtigerit, quamquam plurimum, ac validè regionem vnam ; cæteras tamen consequutione quadam, licet parciùs euacuat.

Venæ sectio primùm venas exhaurit, & arterias illis anastomosi coniunctas, deinde corporis molem, ipsaque viscera, ad primas vsque venas progressa.

Alui deiectio primùm intestina, ventriculum, viscera primasque vias expurgat : deinde venas, habitumque corporis.

Vomitus primùm ventriculum expurgat : deinde viscera, venasque maiores, postremò corporis habitum.

Quæ per sudores fit euacuatio proximè quidem è corporis habitu dissoluit ; secundo è venis, arteriisque grandioribus ac postremo è visceribus, & ex intima corporis regione materiam pellit.

Particularis euacuatio est, quæ à parte quadam peculiari excrementa educit.

Huius generis est cerebri per palatum, & nares expurgatio, thoracis per anacatharsin, renum, & vesicæ per vrinas.

Omnis porro vacuatio : vel spontanea est, vel artificiosa.

Spontanea vacuatio est, cum citra vllius remedij opem quippiam è corpore effunditur.

Eaque

Eaque rursum duplex; naturalis, & symptomatica.

Naturalis est, quando vi solius naturæ, benè operantis, vitiosi humores excluduntur.

Symptomatica rursum fit, vel ratione facultatis, vel rationis materiæ.

Ratione facultatis, quando ea imbecillior humores corporis regere, atque retinere nequit, eosq; prorsus diffluere sinit.

Ratione materiæ: quando humor quantitate, aut qualitate peccans naturam ita irritat, vt eum è vasis receptaculisque suis excludere cogatur.

Vtraque irrita est, præter naturam, nulloque vsui quod benignus, atque salutaris humor pariter cum pernicioso promiscuè nullo delectu, nullisque legibus prorumpat.

Artificiosa vacuatio est, quę remediorum ope perficitur.

Eaque duplex est: vniuersalis, & particularis.

Vniuersalis est, quæ ab vniuerso corpore humores educit.

Particularis, quę ab aliqua tantum parte.

Rursum euacuatio ad duplicem præcipuè finem instituitur: reuulsionem, & derivationem.

Quamvis propter alios fines sæpè vacuationes instituantur, vt in progressu patebit: quia tamen reuulsio, & derivatio frequentius vsu veniunt, & maiores habent difficultates; ideò sequenti capite seorsim explicandæ sunt cum particulari euacuatione propter summam, quæ inter eas intercedit affinitatem.

CAPVT II.

De Reuulsione, Derivatione, & particulari Euacuatione.

Reuulsio est humoris in aliquam partem fluentis auersio ad oppositа distantissima habita fluxus originis, communitatis vasorum, & rectitudinis ratione.

EVacuatio quæ humori debetur, vel eum respicit quatenus est in motu, vel quatenus quiescit. Humori mouenti, seu in aliquam partem fluenti, debetur reuulsio, aut derivatio: quiescenti verò, vacuatio simplex. Reuulsionem verò fieri debere longissimè à parte, quæ fluxione tentatur, constat ex Galeni præcepto, 13. *meth. cap.* 11. & 2. *ad Glauconem. c.* 2. Et ipsa reuulsionis natura id ipsum insinuat: quærimus enim, ne quod semel reuulsum est, retrocedat, quod faciliùs obtinere licet, si reuulsio in contraria, & longinqua fiat; neque enim facilè motus contrarij sibi inuicem succedunt. Id tamen non simpliciter & absolutè accipiendum est, sed tantùm suppositis conditionibus, quæ sequentibus theorematis exponentur.

Oppositio partium, seu contrarietas, quę in reuulsione obseruatur, tribus conditionibus stipata est.

Prima *conditio est, vt reuulsio fiat ad fluxionis originem.*

Quotiescunque fluxionis origo cognita est; illi perpetuò reuulsio opponenda est, & ad eam humores retrahendi sunt. V.g. si ab hepate ad vterum fluxio deferatur; vena cubiti dextri aperienda est, vt ad fluxionis exordium humor reuocetur.

Huic conditioni aduersari videtur illa Galeni sententia, quæ habetur *lib. de curandi ratione per venę sectionem c.* 8. qua vult, vtero inflammatione laborante, venas crurum esse aperiendas. Cui *Respondendum* est, venas inferiores secari in vteri inflammatione, non ad simplicem reuulsionm cuius ratio ne meliùs foret à partibus superioribus sanguinem mittere: sed ad derivationem, simul cum reuulsione celebrandam. Qua responsione soluuntur etiam alia Galeni loca, in quibus docet, affectis partibus infra rene positis, venas inferiores esse secandas: quod ideò fit, vt derivatio simul cum reuulsione fiat, cùm alioqui sæpè ad simplicem reuulsionem in affectibus earum partium venæ superiores aperiri soleant.

Secunda *conditio est, vt seruetur vasorum communitas.*

Si fluxionis origo teneatur, primam conditionē obseruare satis est; vt scilicet ad partem mittatur fluxio retrahatur. Sed quando pars illa mittens non cognoscitur, quod sæpissimè contingit; tunc duæ posteriores conditiones obseruandę sunt, quæ respiciunt partem recipientem, vt scilicet illius ratione seruetur vasorum communitas, & partium rectitudo. Communia autem vasa sunt, quæ cum parte affecta communicationem habent. Sic in fluxu sanguinis è naribus venæ brachij aperiuntur; non autem crurum: quamvis hæ maiorem habeant distantiam à parte recipiente, quia minorem habent communicationem. Sic Galenus 13 *meth.* in phlegmone hepatis internam brachij venam secat, eo quod, inquit, cum iecinore ampla & recta via communicet. Sic etiam *lib. de tremore. Si*, inquit *venam quæ nullum cum affecta parte consortium habet, secueris, ipsam quidem non iuuabis, & sanam lędes, à qua sanguinem haurit vtilem.*

Tertia *conditio est, vt seruetur rectitudo partium.*

Hæc conditio maximi est momenti, & diligenter obseruanda in omni reuulsione: Fundatur enim in consortio, & consensu mutuo, quod maximum reperitur inter partes eiusdem lateris, & vocatur illa rectitudo ὀρθότης ab Hippocrate, & εὐθυωρία à Galeno, quæ confirmatur multis experimentis: Vteri enim pars dextra tantò ex sinistra calidior, vt caloris aucti nomine mares formet, sinistra fœminas. Sic dexter testis, ad sinistrum collatus. Est autem caloris aucti causa rectitudo hepatis: vicinitas enim, & vasorum communitas non sunt vtrique parti disparia. Paralysis medietatem corporis exactam corripit, illæsa reliqua, & tamen humor illabitur à tertio, & quarto cerebri ventriculis, in quibus non est dextri à sinistro secretio. Si inflammato hepate, ex dextra nare sanguis erumpit, sanatur, si ex sinistra, non iuuatur, cum vna ad vtramque narem ex iecinore vena pertingat. Si cubitus sinister secatur, vacuatur lien inflammatus, & pleura sinistra: quæ omnia ex dextra axillari non succedunt. Sinistra tamen, si venarum communionem spectes, non nisi interuentu hepatis ex sinistro exhaurit. Ac denique dicebat Hippocrates *sexto Epid. per rectum fiunt morborum permutationes, & crisis, & abscessus.*

Cur verò tantùm possit rectitudo, adeò difficile est respondere, vt multi varia commenti sint, quibus omissis probabilius videtur illud, quod à grauissimis quibusdam auctoribus sancitum est; multos nimirum esse canales corporis longitudinem perceptantes, & distinguentes, per quos sursum deorsum promptus est omnium in corpore contentorum commeatus, qui tamen non perinde per latera distribuitur. Illi autem ductus, quoniam sensibus perspicui nos sunt, duabus rationibus firmantur præter experimenta superius proposita. *Prima* à fine desumpta est, quòd scilicet natura, conseruationis indiuiduorum sollicita, ea veluti gemina constituit, vt dimidia illius parte læsa, altera minus pateretur. Sic, dum aliquo infortunio vnus oculus, auris, brachium perit, altero oculo, aure brachio, vita seruatur. Ita duo quasi animalia, dextrum, sinistrumque, in vnum animal coniungens diuturniorem illis vitam comparauit. *Secunda* ratio ab euentu petitur: repente enim, & frequenter commutatio fit à dextro pede, ad dextrum vel brachium, vel humerum, & contra: quemadmodum etiam laborante dextra capitis parte, & descendente humore, potius intumescit pars dextra cerulcis, si illic sistitur humor, aut si ad thoracem descendit; potius dextrum latus, quàm sinistrum repletur: vel denique si ad partes inferiores labitur, dextram potius podagram efficit, quàm sinistram. Eadem ratione, laborante pede, in epilepsia subitò ascendit materia aliqua ad caput: quod non posset fieri, nisi ductus illi concederentur, qui vt demortuo homine occulti sunt, sic in viuente manifesti & per eos humores, qui recta feruntur ascendendo, vel descendendo, facilem viam inueniunt, si attrahantur, expellantur, & alijs remedijs hinc inde dimoueantur.

Ex suprà propositis facile confutatur sententia Arabum, qui reuulsiones moliuntur, omissa illa rectitudine, ad quoslibet contrarietatis terminos, cuius tres faciunt species: videlicet à superioribus ad inferiora, ab anterioribus ad posteriora, & à dextris ad sinistra. Unde Auicenna *fen.* 10 *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 1. in pleuritide, & alijs internis inflammationibus, primò iubet secari venam in malleolo eiusdem lateris, secundo communem in brachio contrarij lateris: vltimò internam eiusdem lateris quæ doctrina aduersus τὸ κατ' ἴξιν Hippocratis, & legitimam curandi methodum manifestè pugnat. Adde, quod in diametris, seu quadris corporis enumerandis, deficiant Arabes, cùm tres tantùm constituant: illis enim quarta adiungenda est, quæ scilicet ab internis est ad externa, quam proponit Gal. *lib. de reuulsione*, & illa obseruatur in pleuritide, quando vena secatur in eodem latere: fit enim tunc reuulsio à partibus interioribus ad exteriores.

Reuulsio autem duplex est, vniuersalis vna, particularis altera.

Vniuersalis est, quæ contrarietatem obseruat respectu totius

tius corporis, & in eò contrarios terminos respicit, vndecunque humores prolabantur.

Hæc potissimùm celebratur, quando maiores venæ secantur, & ipsum hepar fluxionum origo exhauritur, atque adeò vsitatissima, & securissima est, vt nimirum, quando fluxionis origo propria ignoratur, ab ipso hepate per maiores venas reuulsio ineatur: sic enim exinanitæ venæ reliquum sanguinem arctiùs retinent, neque eum fluere permittunt. Vnde Galenus 1. *ad Glauconem*, 14. inflammationum defluxum reuocari vult, vel ad commune Vas, vel ad originis fontem. Ita 2. 2. *acut. cap.* 10. *quæcunque*, inquit, *vena secetur; vniuersæ exhariuntur: quia omnium in corpore vna est confluxio, & commeatus.* Hac tantùm differentia, quòd quędam venæ exhauriant certas partes alijs celerius.

Reuulsio particularis, quæ & localis nominatur, est; quæ in vno membro tantum contrarios terminos respicit.

Hæc præcipuè fit venis minoribus apertis, quæ à parte tantùm reuellunt: & reuulsionis nomen simpliciter non meretur; sed tantùm reuulsionis localis. Imò verò ad deriuationem propriè referenda est, ideò tantùm reuulsionis nomen retinens, vt hæc præcepta consentanea sint cum Galeni doctrina, qui huiusmodi deriuationes reuulsionum nomine vsurpat. Explicans enim aphorismum Hippocr. 60. sect. 5. qui sic habet. *Dolente parte capitis posteriori, in fronte vena incisa prodest*, dicit reuulsionem fieri secundùm longitudinem, suprà, infràque; secundùm latitudinem, ad dextram, & sinistram; secundum profunditatem, ad anteriora, & posteriora, ac proinde dolente parte capitis, posteriori, reuulsionem fieri secta vena frontis, quæ quidem reuulsio particularis, & localis est, nec nisi post vniuersalem fieri debet in corpore plethorico.

Deriuatio est humoris ad aliquam partem fluentis, per vicinas partes auersio.

Quoniam deriuatio reuulsioni particulari finitima est, ideò ex superioris theorematis explicatione deriuationis natura satis innotescit.

In deriuatione vasorum communio perpetuò obseruanda est.

Deriuatio in eo, differt à reuulsione: quòd illa ad opposita & remota fieri debeat, hæc verò ad vicina. Cùm ea verò conuenit, quod in vtraque vasorum communio requiratur, Sic in fluxione quæ ad dentes, vel oculos labitur, vesicatorium ponè aures admouemus, deriuationis gratia.

Particularis euacuatio est, quæ humorem alieni parte impactum euacuat.

Hæc autem post reuulsionem, & deriuationem celebranda est.

Et fit dupliciter: nimirum sensibiliter aut insensibiliter.

Sensibiliter rursum vel per ductus à natura in eum vsum conformatos, vel parte ferro, aut caustico aperta.

Sic cerebrum per nares, & palatum euacuatur; pulmo per asperam arteriam, vesica per vrethram, per ductus scilicet naturales. Abscessus verò materiam, & alia huiusmodi, in parte ductibus carente præter naturam contenta, artificiosa apertione educimus.

Insensibiliter fit per poros, & insensibiles partium meatus: & hæc resolutio propriè nominatur.

Sic materia in aliqua parte contenta, tumores alioſque affectus pariens, citra manifestam euacuationem resoluitur fomentis, linimentis, emplastris, & similibus remedijs.

In reuulsionis, deriuationis, & particularis euacuationis recta administratione, sequentia theoremata obseruanda sunt.

Cum fluxio maxime vrget, reuulsione vtendum est; cùm verò sedata est magna ex parte, deriuatione; cum denique non amplius influit humor: sed parti impactus est, particulari vacuatione.

Quando materia fluens est venenata, nequaquam reuellēda est; sed ab initio per partē ipsam recipientem vacuanda.

Sic in carbunculis, pustulis malignis variolis, & bubonibus pestilentibus, aut venereis, non licet secare venam, reuulsionis gratia; sed tantùm simplicis euacuationis: si corpus sit valdè plethoricum.

Reuulsio deriuatio, & particularis euacuatio, simul, & semel vna, & eadem euacuatione celebrari possunt.

Quamvis reuulsio, deriuatio, & particularis euacuatio contrariæ quodammodo videantur, quod vna ad longinqua fieri debeat, aliæ verò ad vicina; multæ tamen possunt instituti vacuationes, omnium participes: Si nimirum media distantia inter propinquā, & remotam eligatur. Vt in pleuritide, cum vena brachij secatur, quod fluit, reuellitur; quod iam parti recipienti proximum est, deriuatur; & quod partis ipsis angustis meatibus impactum est, euacuatur. Has autem euacuationes, simul & semel factas, vtilissimas esse, colligitur ex Gal. præcepto, vulgo Medicorum incognito, quod habetur 6. *Epid. sect.* 2. vbi docet, non esse insistendum toto fluxionis tempore reuulsoris; sed interponendum esse medium tempus vacuationis humoris, in parte contenti. Ita enim demum fluxio cessabit, si & longè reuellentibus auertatur confluens materia, & proxima vacuatione dolor, calorque partis tollantur, fluxionis causæ. Si ergo confluente humore simul detur, vnica sectione modicè remota, reuellere simul, & vacuare, non est dubium, quin illa amplectenda sit quod Galenus in iecore inflammato & alibi perpetuò sequitur: quemadmodum & in pleuritide vulgò fieri consueuit, vt antea ostensum est. Denique ex eodem Galeno 13. *meth. c.* 10 *Si solus fluxus curandus; secanda distantissima pars est: si sola partis plenitudo; vicinissima.* Ex hoc conficitur, vbi duo scopi pariter iunguntur, mediam quandam distantiam obseruare necessum esse.

Quando ex communi vena reuulsio, & deriuatio simul & semel fiunt; illa adhibenda moderatio est: ne vacuatio sit exigua, quæ agitando magis augeat fluxum, quam extractione sedet. Dandaque opera est, vt eodem die, si natura patitur: sin minus: postero repetatur eiusdem venæ sectio.

Hoc præceptum vtilissimum est, & maximi momenti in vsu practico quod tamen multi cum ægrorum incom modo surda aure pertranseunt. Si enim primùm parca manu sanguis mittatur, ille magis exagitatus, nec sufficienti quantitate eductus, vehementiùs in partem irruit. Deinde, cum prima sectione non liceat exhaurire totum, quod in inflammato loco vitiosum continetur; sed tantùm vsque ad coloris mutationem, ex Hippocratis sententia neque enim ampliorem virtus euacuationem ferre potest; supereſt, vt quod prior transposuit, sequens inaniat. & cum inanitus locus affectus ex vicinis vasis sanguinem sugat, eumque vicissim; nisi ab eo beneficio repetitæ vacuationis breui extrahatur, putreat necesse est, & rursum ingraueſcat malum.

Quantitas reuulsionis, & deriuationis fluxionis quantitati respondere debet, modò vires ferre queant.

Sic quando fluxio magna est, si reuellenda sit, atque deriuanda per venæ sectionem, eà copia mitti debet sanguis, vt vniuersam fluxionis materiam educere possit habita semper virium ratione, vt scilicet totam euacuationem ferre queant. Vbi notandum est insigne præceptum, quod habetur apud Hippocratem 2. *de victus ratione in acutis, text.* 10. docens modum & terminum venæ sectionis in inflammationibus & præsertim in pleuritide scilicet vsque ad coloris mutationem. Illa autem coloris mutatio ab ipsa parte affecta sanguinem educi significat; quemadmodum docet Galenus, *in commentario huius loci* his verbis: *Quidquid sanguinis in phlegmone continetur, id, caloris abundantia, colore permutatur: reliquum autem in partibus omnibus simile manet. Eam ob causam sanguine, qui in totum spargitur corpus, pituitoſiore existente, rubicundior sanè erit, qui in eo, quod phlegmone obsidetur, latere continetur. Quod si sanguis in totum corpus diffusus, rubicundior extiterit: is procul dubio, qui ad phlegmonem est, adustus, assatusque in nigrum cōuertetur.* Coloris, Itaque mutatio sanguinis translationem ex parte affecta certò significat; sed vnam eam semper, vt *ibidem* docet Galenus, non expectare oportet ob virium imbecillitatem.

Dum humor cum impetu fluit, maiores venæ aperiendæ sunt. modò id loci natura, & situs partium permittant.

Quia per maiores venas prompta, & subita fit reuulsio, ac plerumque deriuatio, quæ fluxionis celeritate obsistere possit.

CAPVT III.

De Sanguinis Missione.

Humorum vitium duplex est: in quantitate, & in qualitate. Illud vocatur plethora, hoc cachochymia.

A plethora indicatur sanguinis missio, à cacochymia purgatio.

HOc theoremate grauissima includitur controuersia, de indicationibus mittendi sanguinis, quæ auctorum ingenia variè torsit, & multis difficultatibus intricauit. A quibus

quibus, vt nos breuiter expediamus, proposita in *superiori sectione* principia sequemur, quibus indicantium, & indicatorum natura rectè constituitur, & acoindicantibus, ac correpugnantibus exactè distinguitur.

Primùm igitur suppo nendum est, nos hic sanguinis missionem vsurpare, prout est species euacuationis, & remedium sanguinem euacuans. Quo posito, dicimus, sanguinis missionem indicari à sola plethora, seu plenitudine quæ sanguinis redundantiam significat; propterea quòd vnum tantùm ab vno indicetur, & indicatum debeat esse contrarium indicanti; at copiæ sanguinis directè opponitur illius imminutio; quod quidem agnouit Galenus, dum 2. κατὰ τόπους; & *alibi* sanguinis missionem à multitudine sanguinis indicari docet. Cùm verò 4. *meth. cap.* 6. plenitudini adiungit magnitudinem morbi, virium robur, & ætatem florentem *& lib. de venæ sectione*, tùm multis alijs locis, tres iam dictas indicationes mittendi sanguinis simpliciter proponit, nempe magnitudinem morbi, virium robur, & ætatem florentem, non propriè, & strictè intelligendum est indicationis nomen, vt ex sequentibus demonstrabitur.

Primò, vnum tantùm ab vno indicatur, vt supra ostensum est, *cap. 3. sect. 1.* Ergo sanguinis missio à tribus indicari nequit.

Secundò, vires, & ætas cùm ad res naturales referuntur, numquam possunt verè indicare; sed tantùm coindicant, vt supra demonstratum est, *cap. 4. sect. 1.*

Tertiò, Magnitudo morbi, seruata lege contrarietatis, quæ debet intercedere inter indicans, & indicatum, non potest indicare nisi magnitudinem remedij. Atque ita, cum purgatio æque magnum remedium sit, ac venæ sectio, æqualiter vtraque à magno morbo indicabitur, non autem speciatim venæ sectio. Quod videns Galenus 4. *meth.* magnitudinem morbi nunc sanguinis missionem, nunc purgationem indicare scribit: quo ostenditur, magnitudinem morbi non esse verum indicans venæ sectionis, quia non est vnum, neque perpetuum.

Quarto, ex eadem contrarietatis lege, cum sanguinis missio sit species euacuationis, inter morbum magnum, & euacuationem vera contrarietas deberet intercedere, quæ cum nulla omninò sit, vnum alio non potest indicari. Neque est quod dicas, esse contraria per accidens, nam vera indicantia debent indicare per se contrarium remedium.

Quinto multi sunt morbi magni, quibus non conuenit sanguinis missio: vt febris hectica, & quicunque ab inanitione fiunt, ergo magnitudo morbi non est verum indicans venæ sectionis.

Dicimus igitur, Galeni morbi magnitudinem proponere, quasi sanguinis missionem indicet, non quod proprie, & reuera id præstet: quod nonnulli recentiores sumis viribus defendere conantur, sed quòd sit signum vehemens sanguinis vitium ostendens quoties ab eo producitur; & illud sanguinis vitium postulat venæ sectionem. Vires verò, & ætas coindicant solummodò, latioriſque verbi acceptione indicare dicuntur: vt supra ostensum est, coindicantia simpliciter iudicantia sæpè à Galeno nominari. Magnitudo morbi venæ sectionem indicat, quatenus est conditio sine qua non, iuncta multitudini sanguinis. Nam ea, absente plethora, solui potest alijs vijs, puta inedia, exercitio, &c.

Plethora alia est ad vasa, alia ad vires.

Plethora ad vasa fit, vel omnibus humoribus æqualiter adauctis, & appellatur simpliciter plethora vel solo sanguine copiosiùs redundante, & vocatur plethora sanguinea.

Quando aliùs humor à sanguine sua quantitate symmetriam excedit, & omnes alios exuperat, ipsis etiam adhuc adductis illius humoris appellatur plenitudo.

Cum denique vnus tantum humor excedit, reliqui in æquilibrio positis, vocatur cachochymia.

Cachochymia est vitium in qualitate, quemadmodum plethora in quantitate: quia sanguis absque vitio qualitatis potest augeri, alij verò humores nequaquam.

Plethora ad vires ea est, quæ licet vasa præter modum non repleat, corporis tamen facultates premit, & præcipuè naturales: ita vt, cùm ab illis regi nequeat, in corruptelam degeneret.

Rursus plethora alia leuis est, alia grauior, alia præsens, alia futura, alia communis, alia propria.

Confert etiam sanguinis missio ad reuulsionem, derivationem, & totius corporis refrigerium, non quidem per se; sed tantùm per accidens.

Sanguinis missio per se multitudinem humorum, qui cõtinentur in venis educit: per accidens verò reuellit, & derivat humores, ad aliquam partem confluentes. Totum verò corpus refrigerat etiam per accidens, videlicet humoris calidi portionem educendo, & illi qui relinquitur, liberam traspirationem conciliando.

Ex prædictis theorematis facilè desumi possunt solutiones omnium argumentorum, quæ à multis afferri solent, vt probent sanguinis missionem non indicari à plethora: nam ijs, qui ex alto ceciderunt, licet nulla adsit manifesta plethora, secatur vena, quia est plethora ad vires; illæ enim ex casu debilitatæ, non possunt regere humores, qui antea sub regimine naturæ ritè coercebantur, dum sanitas erat integra. Deinde fit illa sanguinis missio ad reuulsionem humorum, qui fluere incipiebant ad partes contusas. Sic in immodico sanguinis fluxu venæ sectio celebratur: non quatenus est euacuatio, sed quatenus est remedium reuellens. Sic in febribus putridis, & quandoque etiam malignis (U Senn.) secatur vena ad corporis refrigerium, aut quia adest plethora ad vires. Leuata enim natura portione oneris, quo premebatur, quod reliquum est, facilius sustinet, minoreque negotio domat, atque conficit. Denique plethora leuis, quæ solo exercitio, & frictionibus curari potest, non indiget venæ sectione; sed tantùm ea, quæ grauior est, & morbum magnum producit, aut breui productura est.

In ter ea, quæ venæ sectionem coindicant, vires primùm locum occupant: quæ si validæ sunt, & robustæ, eam permittunt, si verò debiles, ac languidæ, eandem prohibent.

Vires sub triplici facultatum numero continentur, præcipuè tamen in facultate vitali virium robur constituitur. Si enim illa ex pulsu magno, & æquali, nec non respiratione libera, constans, & robusta comperiatur, sanguinis missionem permittit. Si verò ex contrario pulsus, & respirationis habitu imbecilla appareat; venæ sectionem dehortatur etsi causa morbifica, vel morbus hoc remedij genus expostulet; aut certè parca manu, & per dilucida interualla sanguis educendus est. Hic enim diligenter vires languidæ ab oppressis distinguendæ sunt. Opprimuntur à causis internis, vt obstructione, & humorum copia, & tunc vacuatione recreantur. Exoluuntur, & dissipantur à causis euidentibus, vt aeris feruore, & maligna corruptione, labore, vigilijs, inedia, vacuatione quauis immodica, doloris atrocitate, morbi violentia & diuturnitate, alijsque huiusmodi: tunc verò refectioni potiùs, quàm euacuationi danda est opera. In languidis & oppressis viribus pulsus ferè similis est: sed hoc discrimen afferri potest; quod oppressis morbi intio exilis pulsus, & sepultus percipiatur, languentibus autem, & deiectis in incremento, & vigore, cum quibus causæ commemoratæ concurrunt.

Coindicat etiam sanguinis missionem ætas florens, quæ inter pueritiam & extremam senectutem media est. At pueritia, & vltima senectus eandem prohibent, aut certè non nisi maxima vrgente necessitate, & summa cum cautione celebrandam esse suadent.

Ætas non coindicat, aut correpugnãt nisi ratione virium, quæ in puero, & sene sunt tàm debiles, vt vix ferre queant venæ sectionem. Pueri enim corpus habent molle, tonerum, & patens, quod sponte sua assiduò digeritur, ac diffluit: senes verò spiritum, & caloris inopia laborare solent. Ideò Hipp. 4. *de victus ratione in morbis acutis*, ætatem florentem cum magnitudine morbi, & virium robore ad sanguinis missionem requiri præcipit. Quem sequutus Galenus 11. *meth. cap.* 14. *& lib. de curandi ratione per venæ sectionem*, ante annum 14. & post septuagesimum venam secare vetat: quod de plenioribus illa veteribusque consueta vacuatione audiendum est: nam moderatam, quæ viribus, & plenitudini aut par, aut inferior sit, omnis fere ætas ferre potest, si vegeta, & robusta sit. Ætas siquidem non tam annorum numero, quàm habitus, & virium robore metienda est. Quod elegantur Celsus confirmauit *lib. 2. cap.* 10. *Antiqui* (inquit) *primam, vltimamq; ætatem sustinere non posse hoc auxilij genus iudicabant: persuaseramque sibi, mulierem grauidam quæ ita curata esset, abortum esse facturam; postea verò vsus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliasque potiores obseruationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debet. Interest enim non quæ ætas sit, neque quidem corpore intus geratur; sed quæ vires sint: ideo firmus puer, & robustus senex, & grauida mulier valens tuto curantur.* Sic Rhasis in ætate decrepita quæ graui, vrgenteque pleuritide laborabat, sanguinem misit. Sic Auenzoar filio suo trimo se

vti-

vt aliter venam fecisse commemorat. Et nos plerumque experimur pueros quarto, aut quinto ætatis anno (*in Gallia*) grauissimis morbis venæ sectione liberari.

Quantitas venæ sectionis a magnitudine vitij à sanguine dependentis indicatur. Atque ita magnus morbus copiosam indicat sanguinis missionem, mediocris moderatam, paruus denique exiguam, aut nullam.

Quantitatem verò coindicant vires ægrotantis, quæ si validæ fuerint, quantum morbus desiderat, fidenter vacuandum. Minùs calidis, parciùs prostratis, nihil prorsus educendum.

In magno sanguinis vitio, viribus constantibus, antiqui sanguinem mittebant vsque ad lipothymiam, seu animi deliquium, quo non intelligendum est illud, quod nonnullis, venę sectionem expauescentibus, aut alia de causa citra insignem euacuationem accidit; sed illud quod ratione euacuationis contingit. Talem adhibebant sanguinis missionem in magnis inflammationibus, febribus synochis, vel ardentissimis, & doloribus vehementissimis: affertque Galen. se experientia comperisse, si in ardentissimis febribus vsque ad animi deliquium sanguis mittatur, statim corporis habitum refrigerari, & febrem extingui, plurimosque aluo soluta, & sudoribus erumpentibus, planè sanitati restitui. Hæc tamen vsque ad lipothymiam vacuatio nostris temporibus rarissimè vsurpatum, & apud vulgus temeritatis maximè suspecta esse consuevit. Satius igitur est infra subsistere, & sanguinis quantitatem, quæ vna vice lypothimiam induceret, duabus potius, aut tribus vicibus educere absque vllo lipothymię metu, & minori virium iactura.

Coindicant etiam quantitatem mittendi sanguinis causæ internæ & externæ.

Internæ sunt corporis temperamentum, habitus, ætas.

Temperamentum calidum, & humidum copiosiorem patitur venæ sectionem, quam frigidum, & siccum.

Habitus corporis extenuatus, mollis, & rarus, magnam ferre nequit sanguinis euacuationem: contra verò carnosus firmus, atque densus.

Habitus præpinguis, & obesus difficilè sustinet, venæ sectionem.

Quamvis huiusmodi habitus minimè resolubilis sit, quia tamen angustas, & exiles habet venas: quas exinanitas pinguedo facile stringit, vt inde metus sit, ne natiuum calorem extinguat, ideò difficile ferre potest venæ sectionem.

Iuuenibus ætas largiorem patitur venæ sectionem, quam pueritis, aut senilis.

Causæ externæ sunt regio, anni tempus, cœli status, vacuatio suppressa vel immodicè procedens, consuetudo victus, vel generis vitæ, vel vacuationis.

In regione calida, & sicca sanguis minori copia educendus est.

Quia talis regio multum innati calidi sanguinis, & spirituum absumit; hinc vires comminuntur, & minor sanguinis quantitas relinquitur in venis.

Regio frigida, & humida satis largam patitur venæ sectionem; minùs verò, quæ est frigidissima: at temperata largissimam profusionem tolerat.

Frigida, & humida aeris temperies innatum calidum, humoresque intus coercet; horumque minimum dissoluit. In extremè frigida sanguis, veluti frigore conglaciatus, vacuationi vix cedit: tum partes internæ si à suo calore destitutæ maneant, ambientis frigoris iniuria extinctionis periculum subibunt.

In anni temporibus ver sanguinem largiùs profundi permittit: post autumnus, deinde hyems, omnium verò minimè æstas.

In cœli statu calidissimo, & frigidissimo parcè sanguis mittendus est; in temperato, copiosiùs.

Consueta aliqua vacuatio suppressa largiorem patitur sanguinis missionem.

Vacuatio spontanea, materię morbi nihil detrahens, venæ sectionem non excludit, modo illa vires valdè attrita non fuerint. Harum tamen ratione sanguis parciùs mittendus est, & sistenda vacuatio, si magis vires offenderit.

Spontanea vacuatio, quæ materiam morbificam educit, si iam ægrotum leuet possitque quantum requiris, vacuare, prorsus est naturæ committenda. Sin minus id possit tantum ipse detrahes, quoad coniunctim perficiatur, quod postulas.

Qui frugaliter siue ex consuetudine, siue ex morbi impedimento victitant, parciùs vacuandi sunt; quam qui liberaliùs, pleniusque viuunt.

Qui venæ sectioni sunt assueti, alacriùs; ac leuiùs eam perferunt, quàm non assueti.

In quibus morbis conuenit venæ sectio, ijs ab initio est celebranda.

Tempus sanguinis mittendi definitur à præsentia eorum indicantium, quæ tale remedium postulat. In principio enim morbi illa indicantia maximè concurrunt, tùm ratione sui, tum ratione virium, quæ tunc temporis validiores sunt, tum quia in progressu morbi natura, coctioni, & pugnæ cum morbo intenta, ab opere non est auocanda.

Si morbi principium fuerit prætermissum, aut in eo sufficiens sanguinis quantitas detracta non sit, alijs etiam temporibus educenda est si plenitudinis, atque cruditatis signa perseuerent, & vires ferre queant, aliaque coindicantia concurrant, vt saltem non prohibeant.

Ex ijs, quæ venæ sectionem prohibere solent, in principio morbi, alijsque temporibus, non infima est cruditas ventriculi, aut cibi incocti in primis vijs.

Hoc præceptum proponitur à Galeno *9. meth. c. 5.* ideò semper, nisi sanguinis vitium sit vehementissimum, differenda est venæ sectio, donec humores ij concoquantur, ne ad hepar attracti obstructiones pariant, & plus damni inferant, quàm ex venæ sectione possit suerari commodi.

In ijs morbis, quorum certa est vel remissio vel intermissio; venæ sectio in remissione, aut intermissione celebranda est.

In febrium accessionibus, & exacerbationibus maximus est naturæ cum morbo conflictus, in quo nihil mouendum est, neque vires, ad pugnam necessariæ, venæ sectione imminuendæ sunt, quod eleganter à Celso proditum est, *cap. 10. lib. 2.* his verbis: *Si vehemens febris vrget in ipso impetu eius sanguinem minuere, hominem iugulare est.*

Quando affectus vehementer vrget, quacumque hora sanguis mittendus est; in ijs verò, qui dant inducias, hora sanguinis mittendo aptior est matutina, maximè secunda, vel tertia ab ex ortu solis.

Tum enim cibus hesternus probè coctus est, & vires plerumque magis vigent, nec non matutinis horis sanguis magis dominatur, & ipso diei lumine quodammodo tenuior, & ad fluendum aptior efficitur.

CAPVT IV.

De Purgatione.

Purgatio est humorum qualitate peccantium euacuatio.

HÆc definitio proponitur à Galeno, *comment. in 2. Aph. sect. 1.* quæ vt rectè intelligatur, sciendum est, per qualitatis vitium non audiendam esse meram intemperiem, quia illi sola alteratio deberetur; sed potiùs cacochymiam, seu humorum nutritioni ineptorum redundantiam. Huius generis sunt humores omnes excrementij, qui in venis cum sanguine permixti, vel extra venas continentur. Illi autem duorum sunt generum, vt ex Physiologia constat. Alij scilicet naturales, alij præternaturales, Naturales sunt, qui ex naturæ instituto generantur, vt pituita dulcis, bilis, melancholia, & serum. Hi si debita proportione, ac quantitate generentur; vacuatione non indigent: si verò maiori quantitate abundent: cacochymiam constituunt, & purgatione educendi sunt. Humores verò excrementitij præternaturales sunt, qui præter naturę leges producuntur, vt bilis vitellina, prorracea, eruginosa, glastea, & atra, nec non pituita, acida & falsa, & serum ipsum acidum, vel salsum factum: quod humorum vitium cùm nullo modo esse debeat in corpore, sed minima quantitas cacochymiam constituat, purgationem indicat, si diæta, exercitio aut leuioribus remedijs auferri nequiuerit.

Vnicuique autem humoris peccantis speciei propriæ medicamenti purgantis species respondere debet. Atque ita pituitæ phlegmagogum; bili, cholagogum; melancholiæ melanagogum, sero, hydragogum; mixtis humoribus mixtum medicamentum adhibendum est.

Purgationem verò coindicant ægrotantis vires, temperamentum, habitus, ætas, sexus, naturæ consuetudo, & aeris status.

In omni purgatione ægrotantis vires validas, aut saltem mediocres esse, necesse est.

Purgatione vires aliquatenus infringuntur; ideò si valdè labefactatæ fuerint, non est tentanda purgatio, ne ab ea planè deficiantur.

Corpora calida, & sicca, tum frigida, siue humidiora sint, siue

sine sicciora, difficiliùs purgationem ferunt : calidiora verò, & humida faciliùs.

Qui calidiori, & sicciori temperaménto prædíti sunt, ex purgatione facilè possunt incalescere, arefieri, exsiccari, nec non in conuulsiones incidere, si purgatio nimia extiterit. Frigidi, & humidi tum frigidi, & sicci calorem habent languentem, & spiritus exiguos, qui facilè à purgatione dissipantur, Calidi verò, & humidi validiora habent naturæ principia quæ purgationis impetum eludunt.

Habitus gracilis, tenuis, & laxus facilè exsoluitur ; carnosus vero, & benè compactus commodè purgationem tollerat, pinguis non æque benè.

Pingues à carnosis sedulò sunt distinguendi, licet enim vtrique ferre possint purgationem ; tamen multò minus pingues, quia frigidiores sunt, spiritus habent pauciores, & vasa angustiora.

Pueri, & senes benigniora tantùm ferre possunt medicamenta in ætate media constituti vehementiora.

Grauidæ mulieres quarto, quinto, & sexto mense magna vrgente necessitate, & summa cum cautione purgandæ sunt.

Hæc sententia desumpta est ab Hipp. *Aph. 1. sect. 4.* & illiratio euidens suffragatur ; Cùm enim natura à purgante medicamento irritata humores excrementitios, & ipsum pharmacum expellere nitatur ; vterum, & concutit, & fœtum simul expellit, nisi fortiter adhæreat. Si tamen prægnans morbo affligatur, qui purgationem maximè desideret, illa nihilominus tentanda est, sed blandis, atque benignioribus medicamentis, quæ corpus parùm concutiunt : & illis insuper mensibus fidentiùs incunda, quibus fœtus vtero fortiùs alligatus est, quod quarto, quinto & sexto mense contingit. Similis enim est, vt docet eleganter Galenus, *in comm. prædicti Aphorismi*, fœtus cum vtero, ac fructuum cum arboribus adhæsio. Fructus in prima generatione debilioribus pediculis continentur, & ideo facilè decidunt, quando vehementior ventus ipsos concusserit : posteà verò aucti difficilem habent à plantis dissolutionem : sicuti rursus cùm perfecti sunt, sponte sua sine vi extrinseca decidunt. Eodem modo & conceptus in principio suæ formationis, & quando iam perfecti sunt, ex leuiori commotione facilè disrumpuntur, tempore verò inter medio firmiorem habet coalitum.

Ægrotantis natura particularis diligenter obseruanda est : quida enim à mitioribus medicamentis facillimè & copiosissimè purgantur alij verò fortioribus vix commouentur.

Qui purgationibus assueti sunt, faciliùs eas tolerant, in ijs verò, qui nunquam, aut rarissimè purgati sunt, cautiùs procedendum.

In calidiori aut frigidiori aere purgatiores difficiliores, in temperato faciliores.

Calidior aer vires debilitat, & morbos calidos gignit : ideò purgantia, quæ vires magis debilitant, & corpus calefaciunt, non adeò facilè admittit. Vnde Hippocrati *Aphor. 5. sect. 3.* In cane, & ante canem, purgationes difficiles.

Frigus humores condensat, & meatus constipat, atque ita corpus minus fluxile reddit, vnde laboriosæ succedunt purgationes. Recte igitur Hipp. Aph. 47. *sect. 6. purgationes verno tempore magis conuenire, quam reliquis temporibus asseruit.*

Purgationis quantitatem humoris peccantis quantitas ostendit. Vniuersus enim expurgandus est, vt corpus à morbo vindicetur.

Si noxius humor totus non auferatur, vel non curatur morbus, vel si curatus appareat, recidiuæ obnoxius est ; vnde Hipp. *Aph. 10. sect. 2. Quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere consueuerunt.* Si tamen exigua humoris illius portio derelicta est, exquisita viuendi ratione, & naturæ, calorisque vi domari, ac vinci poterit.

Pauca cacochymia vniuersè detrahi potest, constantibus viribus, præsertim si concocta sit, aut tenuis. Imbecillis autem viribus non modo multa, sed & pauca cacochymia partitè eximenda est.

Huic theoremati suffragatur. *Hipp. Aph. 36. sect. 2. Qui prauo vtuntur cibo medicamenta purgantia assumentes, statim debilitantur.* Et ratio est, quia multis vitiosis, corruptisque scatent humoribus, & pauco fruuntur bono succo, vnde vires debiles à fortiori medicamento deijciuntur : tum sentina illa prauorum humorum purgantibus mora putres, tetros, ac pernicioſos humores ad cor, & ventriculum, emittit, vnde lipothymia, vertigines, & alia accidere possunt. Non tamen hi humores in corpore reliquendi sunt sed sensim, & per interualla, ac per epicrasim sine magna agitatione euacuandi.

Tempus morbi, purgationi aptissimum est morbi status, aut declinatio ; in quibus humores concocti sunt, & ad euacuationem præparati.

Fundatur hoc theorema. *Aph. Hipp. 22. sect. 1. Concocta mediari oportet, non cruda.* At in sola morbi declinatione, aut saltem in fine status, integrè humores concocti sunt. Hac tamen restrictione limitandum est hoc theorema, videlicet si natura per se euacuationem non aggrediatur : quando enim humores criticè vacuantur, purgatio nulla instituenda est, nisi crisis fuerit imperfecta : tunc enim reliquiæ materiæ morbificæ medicamentis educendæ sunt, ne recidiuam pariant.

In principijs etiam morborum purgationes conuenire possunt si nempè materia turgeat.

Turgere dicuntur humores, quod ὀργᾶν Græci nominant, quando cum impetu in corpore agitantur, partesque lacessunt, & vellicant. Hæc autem turgentia humoribus biliosis propriè competit, qui calidi sunt, tenues, atque mordaces, morbos acutos gignere aptissimi. Crassi verò humores, atque frigidi, ex quibus morbi diuturni generantur, orgasmi capaces minimè esse solent. Si itaque tales humores turgeant, eos non expectata coctione purgare licet. Metus enim est, ne vires ex illa materiæ agitatione deijciantur, vel humores, impetu illo concitati, in partem aliquam principem ruant. Tum verò satis facilè purgantur illi humores, licet concocti non sint, quia tenues, & mobiles, & ipsa natura, ab ijs stimulata, & lacessita purganti medicamento auxiliatrices manus porrigit, vt ita ex hac turgentium humorum ante coctionem purgatione plus vtilitatis, quàm damni æger percipiat. Vnde Hip. *Aph. 10. sect. 4. Medicandum in valde acutis, si materia turget, eadem dic : tardare enim in talibus, malum est. Hoc tamen summa cautione, & cum diligenti præmeditatione exequendum est ; vt plurimum enim materia non turget,* vt est *Aph. 22. sect. 1.* & docuit idem Hip *Aph. 24. sect. 1. In acutis morbis raro, vt in principio medicamentis purgantibus vtendum, & hoc cum præmeditatione faciendum.* Purgantia enim caliditate sua, & acrimonia morbos acutos augent : & acuti morbi sæpius critica euacuatione, quàm purgatione solui solent. Illæ autem crises haud temerè turbandæ sunt, quin potiùs, si aliqua earum spes, à purgatione abstinendum, viæque potiùs ad illam euacuationem præparandæ. Considerandæ etiam vires, & reliqua coindicantia, tum etiam corpus ipsum, an scilicet vias habeat patentes, & ab obstructionibus liberas, & æger multitudine crassorum humorum, atque cruditatum non scateat ; tum verò num inflammatione aliqua interna conflictetur, quæ purgatione ingraueſceret.

Humores ad partes nobiliores, aut ad eas, quæ nobiles in consensum trahere possunt, fluentes, aut quam primum fluxuri in morbi principio purgatione educendi sunt.

Sic in magnis vulneribus, vlceribus, inflammationibus alijsque tumoribus, capitis doloribus, alijsque aliarum partium affectibus, si prauorum humorum copia in corpore luxuriet, non est dubium, quin purgatio conueniat ; si nihil aliud eam prohibeat, vt materia, quæ affectum augere possit, minuatur, & à parte affecta auocetur. Quod quidem & in praxi ordinaria vsurpatur, & à Galen. sancitum est *lib. de curandi ratione per venæ sect. cap. 8. in ijs,* (inquit,) *quibus pars quædam grauiter icta est ; aut vtcumque aliter incipientem habet phlegmonem, eam si magnam fore suspicamur curationem ab euacuatione incipimus, aut purgatorio medicamento exhibito, aut vena incisa, prout nimirum altero magis conuenire iudicamus.*

Quando humores copia luxuriant, & ideo commodè coqui nequeunt, eorundem portio cathartica detrahenda est, vt natura portione oneris liberata, quod reliquum est, faciliùs expellat.

Quia huiusmodi purgatio materiam morbificam imminuit, dempta aliqua illius portione, ideò *minoratiua* vulgò nominatur, quæ nostris temporibus in omnibus ferè morbis vsurpari solet

Neque pericula, quæ huiusmodi purgationes minorantes in morborum principijs institutas, auertantes in medium afferre solent, admodum reformidanda sunt. Metuunt enim, ne commota saltem, & non euacuata materia, ob multitudinem æger in graue aliquod discrimen conijciatur,

& hu-

& humores malicum bonis magis commisceantur.

Quæ pericula euitare facillimum est, si benigniora medicamenta, vt vulgò fieri solet, vsurpentur, quæ sine vlla, aut saltem minima humorum commotione primam regionem expurgant, & eam materiæ morbificæ portionem educunt, quæ euacuationi magis disposita est.

Quod si fortè Hippocratis, & Galeni temporibus minus vsitatæ erant huiusmodi purgationes, in morborum principijs vsurpatæ; ideò factum esse certissimum est, quod illis temporibus vehementia tantùm, acria, & maligna medicamenta propinari consueuerant. Neque mitiora illa, atque benigniora, nostris temporibus familiarissima, illi nota erant quæ sine vlla ferè molestia vsurpari possunt. Ideò Celsus præsente febre pharmacum semper abdicat, quia sua ignea caliditate, & acredine sui temporis pharmaca, febrilem calorem intendebant. Et ob eandem rationem Hippoc. vigente æstate huiusmodi medicamenta exhorrebat, vt *Aph. 5. lib. 4. sub cane, & ante canem, purgationes difficiles*, quia exusti tunc temporis humores illam purgantium acrimoniam ferre nequeunt. Eadem omnino ratione nos hoc sæculo medicamenta illa, quæ vulgò *diagrydiata* nominantur, temporibus illis calidioribus, & in corporibus febre affectis auersamur: sed mitiora alia, quæ parum calida, & ferè temperata, imò verò refrigerantia sunt, & in febribus continuis, & in earum principijs, & æstatis tempore, ipsis etiam diebus canicularibus tutò, & feliciter vsurpamus; vt sunt Manna, Cassia, Tamarind, &c.

Certum tamen est, antiquos in morborum principijs purgationi indulsisse; præsertim in morbis febre vacantibus, & in quibus non aderat humorum cruditas ex putredine oriunda; quemadmodum Galenus 4. *de victus ratione in morbis acutis*, interdum prima, interdum secunda, interdum quarta, & quandoque quinta die pharmacum se exhibuisse tradit, tùm etiam *lib. de compos. medic. secundum loca*, nulla præcedente coctione, aliaue præparatione, vtramque bilem, & pituitam purgat in alopecia, & paulò post in multis capitis morbis idem facit. Denique 13. *methodi*, refert, multis, quibus inflammatio in oculis cœperat, sola per inferiorem ventrem purgatione vna die liberatos.

In morbis qui exacerbationes habent, vel paroxismos, tutius est remissionis, aut intermissionis die, purgans medicamentum exhibere.

Quando enim morbus minùs fatigat, vires robustiores sunt, & morbi impetum facilius ferre possunt. Certum tamen est, in exacerbatione, vel accessione promptiorem fieri euacuationem, quia tunc temporis humores sunt in motu, & veluti turgentes, sicque facilius educi possunt. Ideò Empirici non rarò febres intermittentes curare solent, exhibito medicamento, quod per vomitum, vel secessum, vtramque regionem euacuat. Quia tamen hoc modo natura valde conflictatur, ideò prudens Medicus rarò, & non nisi summa cum cautione huiusmodi curationes experietur.

Purgationi liberæ, & electiuæ dies temperata Austrina potius, quam Aquilonia, & benenola syderum commixtione salutaris.

Austrina tempestate corpora laxiora sunt, & humores fluidiores; vnde melius purgatio succedit. At syderum influxus esse aduertendos in purgatione instituenda docent Astrologi, eorumque de hac re præcepta in vnum caput collecta videre est apud Io: Antonium Maginum *lib. de legitimo Astrologiæ in Medicina vsu cap.* 26. In primis autem obseruandum est, ne in coniunctione, & oppositione Lunæ cum Sole catharsis instituatur quamvis enim cum alijs Astrologorum dogmatis etiam hoc præceptum à non paucis derideatur, obseruatum tamen persæpè est, illis temporibus purgationem non ita feliciter procedere: idcircò satius est in purgatione electiua eos aspectus euitare.

Locus, per quem debet fieri purgatio, duplex est: scilicet per vomitum, & per secessum.

Et indicatur à loco humoris, & natura eiusdem.

Humores in ventriculo residentes per vomitum commodè expurgantur; tum etiam non raro ij, qui in liene, cauis hepatis, & pancreate continentur. Illi verò, qui in partibus inferioribus, aut à ventriculo remotis continentur, per aluum facilius educuntur.

Euacuatio, quæ fit per vomitum, præcipuè competit humori in ventriculo contento. Certum tamen est, partes ventriculo vicinas, vt lienem, caua hepatis, & pancreas per vomitum aliquando vtiliter expurgari; ita vt interdum contumacissimi humores morbos diuturnos committentes ex ijs locis vtiliter per hanc viam euacuati fuerint, qui alijs remedijs eradicari nequiuerant.

Humores tenues, calidi, & biliosi per vomitum; crassi verò, pituitosi, & melancholici per aluum facilius educuntur.

Biliosi sunt ἀνώτερόποι, quia leuiores: pituitosi, & melancholici κατώτερόποι quia grauiores.

Locum verò, per quem debet fieri purgatio, coindicant tempus anni, ægrotantis habitus, natura, & consuetudo.

Æstate commodiùs per superiora purgatio instituitur: hyeme vero per inferiora.

Hoc præceptum habetur apud Hippocratem, *Aph. 4. sect.* 4. & ratio illius est, quia æstate bilis flaua calidique humores abundant, qui facilius sursum feruntur: hyeme verò contrarium accidit. Neque huic sententiæ obstat, quod habetur apud eundem Hippocratem, *libro de salubri diæta*, sexu hybernis mensibus vomendum esse: id enim à Galeno *in commentario* explicatur, tantùm intelligendum esse de pituita, quæ in ventriculo colligitur: ea enim per vomitum expurganda est, reliquum verò corpus per secessum.

Qui habitu sunt gracili, per superiora facilius expurgantur: crassi vero, & carnosi per inferiora.

Desumitur hoc theorema ex Aphor. 6. & 7. *sect.* 4. illiusque ratio ex eo desumitur, quod graciles bile magis abundent; carnosi verò pituita. Adde, quod hi, propter omenti, & musculorum abdominis pondus, non nisi laboriosè, & cum violentia, ac vasis alicuius in thorace rupturæ periculo vomere possunt.

Quorum natura ad vomitum prona, atque facilis est, illis tuto vomitus excitari potest: qui vero difficulter vomunt, à vomitu arcendi sunt.

Difficulter vomentes non nisi vehementissimis medicamentis ad vomitum excitari possunt: vnde metus est, ne exagitatione alicuius venæ in pectore ruptio contingat.

Qui vomitionibus assueti sunt, facilius per vomitum expurgantur; qui vero non assueti, difficilius.

Vomendi consuetudo antiquis erat vsitatissima, qua de causa vehementiora vomitoria ferebant. Nostris autem temporibus vomendi illa ratio ferè obsoleuit: ideò etiam in ciendo vomitu cautius agendum, & diligenter aduertendum, quando vtiliter moueri possit, quando verò adhibenda per aluum purgatio quæ certè plerumque commodior est. Natura enim ipsa viam hanc, per intestina scilicet, ad excrementorum electionem paraui, eaque idcirco ignobiliora fecit. Imò etiam breuior, & rectior à corpore vniuerso ad intestina via est; quàm ad ventriculum: plures enim, & patentiores venæ ad intestina, quàm ad ventriculum feruntur.

CAPUT V.

De Humorum Præparatione, & Concoctione.

Humores noxij antequam expurgentur, præparandi, & concoquendi sunt.

Præparatio humorum fit ab arte, coctio vero à natura.

Est autem concoctio mutatio substantiæ in meliorem statum, quæ caloris vi perficitur.

IN hoc concoctio ab alteratione differt, quod in alteratione solæ qualitates mutantur, in concoctione verò ipsa etiam substantia.

Eaque duplex est: vna, quæ vocatur pepsis; altera vero pepasmus.

Pepsis est illa vera, & propria concoctio, quâ alimentum in corporis nostri substantiam commutatur.

Pepasmus verò est, quando vitiosus, ac putridus humor, quin in corporis substantiam facessere non potest, in aliquid melius, & naturæ conuenientius, vt in pus, aut quidpiam puri finitimum deducitur.

Tumores à sanguine oriundi in verum pus commutantur, quemadmodum & sanies, quæ in vlceribus generatur. At humores putrescentes, qui in venis continentur, non quidem in verum pus, sed in quippiam aliud puri finitimum conuertuntur, quemadmodum illius idea in vrinam hypostasi apparere solet.

Humorum verò præparatio quæ fit ab arte, vel ipsos humores respicit, vel vias, per quas illi humores expurgandi sunt.

Humores calidiores refrigerandi, frigidiores calefaciendi, crassio-

crassiores incidendi, & attenuandi, lenti, ac glutinosi detergendi; tenuiores incrassandi sunt.

Quam vis multi existiment, contra Auicennam humores quo tenuiores sunt, eo facilius expurgari, neque vnquam esse incrassandos; attamen rationi magis consonum est, moderatam crassitiem ijs magis competere. Vt enim paleа, vento agitata huc illuc impellitur, ait Auicenna sic humor biliosus interdum, præ tenuitate sua hinc inde agitatus, non tam facilè trahitur à medicamento, vel à natura expellitur, quàm vbi mediocritatem substantiæ per leuiter incrassantia fuerit adeptus.

Viæ, per quas humores expurgandi sunt, liberæ, & patentes reddantur, atque ventriculus humorum copia minimè sit nauseaburdus, ne haustum pharmacum magnopere auersetur, ac renomat, intestina etiam satis vacua sint, & cursui humorum non obsistant, tum venarum, atque viscerum obstructione referentur.

Quælibet præparatio, quæ artis, & remediorum opera perficitur, non solum adiuuandas purgationes; sed etiam ad coctiones humoris morbifici promouendas vsurpatur.

Quia huiusmodi remedijs præparantibus sub actus humor morbificus, facilius à calore nostro vincitur, & ad pepasmum perducitur: ideò hæc medicamenta præparantia à Medicis concoquentia, quamuis impropriè nominantur; quia ad iuuandam concoctionem, & humorum morbificorum mutationem conferunt.

CAPVT VI.

De Euacuatione per Urinas.

Per vrinas euacuari solent humores serosi, biliosi, & pituita tenuior ab vniuerso corpore.

LIcet in operibus naturæ ordinarijs humor tantùm aquosus vacuetur, qui ex potu superesse solet; tùm etiam commodius per eas vias gibba hepatis pars, renes, vesica, & vasa his inseruientia purgentur, quam reliquæ corporis partes: interdum tamen, & totum corpus per eas vias humores quoslibet tenuiores euacuat, vt videre est in crisibus, quæ per vrinas frequenter, & vtiliter contingunt: ideò etiam Medicus huiusmodi euacuationes aptis remedijs promouebit.

In ijs præcipuè morbis euacuatio per vrinas molienda est, quorum materia sensim, & paulatim euacuanda est.

Diuretica enim medicamenta non nisi sensim, & paulatim corpus euacuant: ideò in illis morbis parum prosunt, qui subita euacuatione indigent.

Quando per vrinas instituitur vacuatio, cauendum est, humor educendus multus, atque copiosus sit; periculum enim est, ne dura ad vias angustas impellitur, eas copia obstruat, sibique, & alijs exitum præcludat.

Ideò Medici ante vsum diureticorum, purgatione per aluum instituta, bonam humoris peccantis quantitatem educunt, ac illius postmodum reliquias per vrinas euacuant.

Si renes, vesica, & huic euacuationi destinata vasa exulcerata, vel inflammata sint, aut simili vitio laborent, vrinæ prouocatio suscipienda non est.

Quia minimè consentaneum est, humores ad partes affectam, & debilem deducere.

CAPVT VII.

De Euacuatione per Sudores.

Per sudores expurgari possunt, quicunque humores tenues, aut tenuitatis capaces in habitu corporis, & venis continetur, aut ad eas partes deduci possunt.

IN hac euacuatione contraria videtur esse natura, & Medici operatio: natura enim morbos tantùm acutos per sudores critice resoluit; at Medicus chronicorum tantùm curationem per hoc euacuationis genus tentare consueuit. Ratio huius rei est, quia non possunt sudores arte procurari; quin corpus vniuersum impensè calefiat, quod in morbis acutis esset periculosissimum. Illud tamen in morbis longis, & frigidis vtilissimum esse solet, quandoquidem hac ratione humores pituitosi, partibus pertinaciter infixi, attenuantur, & paulatim educuntur.

Euacuationem illam, quæ per sudores perficitur, dissuadere solent vires languidæ, temperamentum calidum, & biliosum, & materiæ multitudo.

Sudorificorum vsu cutis spiracula reserantur, & multa fit spirituum, caloriſque natiui deperditio, vnde vires maximè atteruntur. Per eadem sudorifica corpus vehementer incalescit, vnde metus est, ne calidior temperies in febrem, aut marcorem conijciatur; Denique si materia sit multa, dum tota simul commouetur, & potenter attenuatur, metus est, ne in partem aliquam principem irruat, aut poros ipsius habitus occludat; vnde putredines, tumores, & alia vitia contingunt. Ideò consultissimum est, ante sudorum prouocationem vniuersali purgatione materiam morbificam imminuere.

THERAPEVTICES.

PARTIS PRIMÆ.

SECTIO TERTIA.

De Indicationibus à morbo.

CAPVT PRIMVM.

De Indicationibus à Morbo Similari.

Omnis Intemperies alteratione per contraria corrigenda est.

SIc calida intemperies indicat medicamentum refrigerans; frigida, calefaciens; humida, exsiccans, sicca, humectans. Sic etiam in compositis intemperiebus, calida humida medicamentum postulat frigidum, & siccum; calida sicca, frigidum, & humidum; frigida, & humida, calidum, & siccum; frigida, & sicca, calidum, & humidum.

Intensior intemperies, & à naturali statu valdè recedens, intensioribus indiget contrarijs; remissior verò, & à statu naturali minus recedens remissioribus.

In corrigenda qualibet intemperie partis affectæ ratio maxima habenda est, vt illi appropriata, & specificæ, seu peculiarem quandam cum ea affinitatem, & naturæ conuenientiam habentia remedia præscribantur.

Sic quando cerebrum calefaciendum, non ipsi quælibet calefacientia indiscriminatim adhibenda sunt; sed ea, quæ Cephalica dicuntur. Sic thoraci thoracica; cordi cardiaca; ventriculo stomachica: hepati hepatica; lieni splenica, vtero hysterica, & quælibet parti appropriata medicamenta adhibenda sunt, ijs qualitatibus primis donata, quas dictarum partium intemperies requirit.

CAPVT II.

De Indicationibus à Morbo Organico.

Morbi organici plures sunt species: nimirum in conformatione: magnitudine, numero, & situ, quorum indicatione sigillatim proponendæ sunt.

Morbi conformationis versantur in figura, meatu, & cauitate, asperitate, & læuitate.

Figura vitiata, vel ab vtero contracta est; vel à partu genita.

Quæ ab vtero contracta est, tanquam incurabilis omittenda.

Quæ post partum genita est, si diuturnior facta sit, difficillimè curatur, recentior multo facilius.

Si figuræ vitium ex humorum affluxu producatur, aut aliqua alia causa, vel interna, vel externa; illarum causarum sublatione protinus emendabitur.

SIc deprauata figura, quæ in hydrope tumoribus præter naturam, elephanticorum facie, & similibus apparet, humorum eos affectus committentium reuulsione, derivatione, & euacuatione restituenda est.

Si figuræ vitium absque humorts affluxu contingat, vt ijs fit, qui obtorta habent crura, vel dorsi spinam conuexam, aut

aut cossas nimis eleuatas: in pueris quidem correctio tentanda est, contrectatione longa, & frequenti manuum in oppositam partem; posteà decubitu, & deligatione conuenienti cum fascijs, clitellis, & chartulis: In adultioribus verò emollientibus medicamentis pars priùs demulcenda est, deinde in loco debito continenda prædictis instrumentis. Quod si ex fractura, & malè genito callo ob indebitam membri collocationem vitium figuræ acciderit; denuò callus frangendus est, vt deinceps commodiùs regignatur; modò illud sine periculo fieri possit; nimirum in corpore robusto, benè habito, & temperato.

Morbi meatus, & cauitatis sunt dilatatio, astrictio, & obstructio, quæ ab innumeris causis produci solent, & secundum causarum varietatem quamplurimas exhibent indicationes, quæ nonnisi in methodo particulari exactè tradi possunt.

Asperitates etiam, & læuitates præternaturales fiunt ab innumeris causis tam internis, quàm externis, vulnerantibus, erodentibus, abstergentibus, siccantibus, & similibus, quarum ablatio nonnisi in particulari methodo doceri potest.

Morbi in numero deficiente à sola natura curabiles sunt. Quidquid enim deest, vel est caro, vel os, vel alia quædam pars, quam Medicus nequit reponere. Illius tamen generationem promouere potest, remouendo impedimenta, quæ naturam in hoc opere remorari possunt. Tum etiam quando membra deperdita à natura regenerari nequeunt, in eorum locum quippiam aliud Medicus subrogare potest, quod partis amissæ vsum quodammodo præstare possit, vt quando brachium ferreum, aut crus ligneum, aut nares artificiales Taliacotij in amissorum locum adaptari solent.

Quæcunque numero excedunt, protinùs rescindenda sunt modo id sine periculo, & cum ægrotantis commodo fieri possit. Prout autem eorum maxima est varietas, sic diuersissimus esse solet extirpationum modus, cum tamen omnes ferro, igne, vel medicamentis perficiantur.

Magnitudo aucta, imminutione: imminuta, additione sanatur, ijsdem propemodùm instrumentis, quibus numerus auctus, & imminutus curari solent.

Quando partes situm, & connexum naturalem amittunt, in pristinum locum reponendæ sunt, ea præsertim methodo, quæ in luxationum, & herniarum curatione proponitur.

CAPVT III.

De Indicationibus à Morbo Communi, seu soluta vnitate.

Omnis solutio continui vnionem desiderat quæ a natura perficitur, cuius tamen minister est Medicus, cuius præcipua hac in re officia quinario numero continentur.

Primum *est vt videat; ne quid incidat in partem affectam, quod conglutinationem impediri possit.*

Secundum, *vt extrema solutæ vnitatis rectè iterum coniungantur, & sibi mutuò applicentur.*

Tertium, *vt extrema coniuncta conseruentur.*

Quartum, *vt eorundem vnio, & mutuus coalitus promoueatur.*

Quintum, *vt symptomata, quæ super venire possunt, præcaueantur, & corrigantur: quorum præceptorum exercitatio in vulnerum, vlcerum, & fracturarum curationibus fusè ostenditur.*

THERAPEVTICES,
PARTIS PRIMÆ.
SECTIO QVARTA,
De Indicationibus à Viribus.

CAPVT PRIMVM.

Quid diætam in ægris indicet, ac coindicet.

Vires in quocumque corporis statu sui conseruationem indicant; Illa autem conseruario a diæta, seu victus ratione perficitur, quæ vt a vilibus proprie indicatur: sic a morbo, seu causa morbifica coindicatur, vel prohibetur.

QVemadmodum suprà dictum est, remedium provt est curationis instrumentum, indicari à rebus præter naturam, & coindicari à rebus naturalibus; sic iam contra pro certo habendum est, alimenta, vtpotè conseruationis instrumenta, à rebus secundùm naturam indicari, & coindicari à rebus contra naturam. Sunt autem vires ipsæ facultates, seu potiùs earum instrumenta, nimirùm caloris, spirituum, & partium solidarum robur, quo firmo, ac vegeto existente, vires esse dicuntur validæ, & contra. Quia igitur partium solidarum, & spirituosarum conseruatio fit beneficio alimenti; ideò illius vsus, qui diæta nominatur, vires conseruare dicitur. Morbus verò, & causa morbifica coindicant, vel prohibent alimenti vsum, quatenus ab eo augeri, vel foueri possunt, vel natura, pepsi intenta, à pepasmo auocari. Quando enim ea in concoctione alimentorum occupatur, à materiæ morbificæ concoctione distrahitur: vnde fit, vt ex consideratione morbi cibationi modus sit adhibendus.

CAPVT II.

Quæ ad dietam, seu victus rationem spectent.

In omni corporis statu diæta, seu victus ratio in sex rebus non naturalibus versatur, præcipuè verò in morbis cibi, & potus consideratio principem locum obtinet.

CIbus, & potus prout sunt vera nutritionis obiecta, sic vera sunt instrumenta, quibus vires conseruantur, reliquæ verò res nonnaturales sunt tantùm causæ adiuuantes, quæ benè, vel malè dispositæ faciunt, vt nutritio, ex alimento meliùs, aut peiùs procedat. Nam somnus, & vigilia, si modum excesserint, calori, & spiritibus officiunt: si verò intra sanitatis limites constiterint, eadem conseruant, ac proinde coctionem iuuant. Somnus enim immodicus cerebrum refrigerat, & humectat, vnde calor innatus marcescit, spirituſque animales humiditate obruitur, atque ita facultas animalis labefactatur, cui facilè vitalis, & naturalis compatiuntur. Nimiæ verò vigiliæ spiritus, & calorem dissipant. At moderatus somnus, & moderatæ vigiliæ, calorem, & spiritus conseruant, atque ita coctionem iuuant. Sic etiam motus, & quies, quæ intra modum constiterint, calorem natiuum excitant, & fouent. Tum etiam repletio, & inanitio, in symmetria positæ, optimæ coctioni inseruiunt. Animi verò pathemata, & ipsa moderata faciunt, vt calor natiuus vigeat, & hinc bona fiat concoctio: contrà verò eorum excessus calorem, & spiritus, vel dissipat, vel suffocat. Ac denique aer ambiens, benè temperatus, omnes corporis functiones recreat: intemperatus easdem insigniter lædit, morborumque curationem impedit.

CAPVT III.

Quotnam sint diætæ species, & quibus morbis conueniant.

Diæta triplex est, plena, mediocris, & tenuis.

Plena est, quæ non solum vires præsentes conseruare, sed etiam augere potest.

Eaque rursum triplex est; simplicissima, quæ & ægrotantibus conuenit. Fitque secundum Hippocr. per ptisanam hordeaceam integram; alia plenior, & crassior, quæ fit per pisces, & ouа; alia pleniſſima, quæ carnes solidiores complectitur.

Diæta tenuis est, quæ vires quidem conseruat, non nihil tamen imminutas.

Eaque etiam triplex: alia simpliciter talis, quæ fit per ptisanæ succum; alia tenuior, in qua melicratum exhibebatur; alia tenuissima, quæ mera erat inedia.

Diæta mediocris est, quæ vires in eodem statu conseruat; & fiebat olim per panem in iure lotum, vel etiam per carnes pullorum.

Nostris temporibus diæta ægrorum valdè diuersa est, & victus non magis tenuis, quam per iusculа caponum, gallinarum, aut pullorum instituitur. Mediocris verò per hordeata, panatellas, & cætera perficitur. Ac denique plenior,

plexior, vsu alimentorum euchymorum, & solidorum vt perdicum, caponum, columbarum, & aliorum eiusdem naturæ.

Quælibet diæta ægrorum ex virium & morbi collatione metienda est, ita vt quo magis natura in morbo expugnando occupata est, eo tenuior diæta imperanda sit; quantum scilicet vires eam ferre possunt, & quo minus natura occupata est, eo vberiorem victum adhibere liceat.

In morbis longis mediocri, vel pleno victu opus est, & tanto quidem plenore, quanto morbus longior est.

VIres enim ita conseruandæ sunt, vt vsque ad statum durare possint, & totius morbi expugnationi sufficere, qui cum diu duraturus sit, vires tenui victu non imminuendæ sunt.

In acutis morbis tenuis victus requiritur, & quo acutior est morbus eo tenuior victus est exhibendus.

In acutis morbis natura expugnationi causæ morbificæ maximè occupata est, ideò alimentis, quantum fieri potest, ab opere suo non auocanda. Ideò tenuis victus conuenit, qui quamuis aliquantulum vires imminuat; illæ tamen totius morbi decursui, qui breuissimus, sufficere poterunt.

Si vires non adeo Medico perspectæ sint, vt iustam alimenti formam præscribat, satius est, iusto pleniorem victum præscribere, quàm tenuiorem.

Hoc præceptum depromptum est ab Hippocrate, *Aph. 5. sect. 1.* qui sic habet. *In tenui victu ægri delinquunt, quo fit vt magis lædantur. Quicunque enim error committitur magnus maior in hoc fit, quàm in paulo pleniori victu. Propterea etiam sanis periculosus existit valdè exquisitus victus quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus, eo, qui sit paulo plenior, magis periculosus,* Cui tamen sententiæ contrariam attulisse visus est idem Hippocr. *2. de vict. rat. in acut. Adiectioni*; inquit, *ciborum attendendum multo minùs, subtrahere autem omnino expedit.* Hanc tamen contrarietatem conciliare possumus, *dicentes*: in priori sententia loqui Hippoc. de forma victus, quæ si sit iusto tenuior maiora affert incommoda, quàm paulò plenior; in posteriori verò loqui de quantitate victus, in quo, eadem forma obseruata, satius est nos esse parciores.

CAPVT IV.

De Quantitate Victus.

Quantitas victus triplex est, summa, media, & minima quæ in omni victu siue pleno, siue tenui, siue mediocri adhiberi potest.

QVemadmodum in medicamentis triplex quantitas seu dosis consideratus, nimirum summa, media, & infima, quæ tum in vehementioribus, tum mitioribus, tum etiam mediis consideratur, sic & in alimentis idem fit: postquam enim Medicus iudicauit, an in morbo proposito victus tenuis conueniat, vel plenus, vel mediocris, aduertere debet, an in quantitate mediocri, summa, vel minima exhibendus sit, quod ex morbi acuti, & maiori, vel minori naturæ cum morbo certamine distinguere poterit.

In principio morbi victus, qui ei competit, in summa dosi exhibendus est.

Quia tunc temporis natura cum causa morbifica non valdè pugnat, neque adhuc in illius coctione, & euacuatione occupata est, ideò maiorem alimenti copiam conficere poterit.

In augmento morbi, victus in mediocri quantitate exhibendus est.

Quia tum temporis natura circa materiæ morbificæ concoctionem magis occupata est, quàm in principio.

In statu morbi victus in minima dosi est exhibendus.

Quia tunc temporis naturæ pugna cum morbo vehementissima est & natura in concoctione, ac euacuatione materiæ occupatissima ab instituto suo minimè est reuocanda.

Si vires sint debiles, & causa morbifica valdè vrgeat, parua cibi quantitas, & sæpiùs iterata exhibenda est.

Ratione causæ, quæ vehemens est, parum cibi exhibere oportet, ne illa causa morbifica augeatur: at ratione virium sæpè iterare conuenit, ne ipsæ deficiant, in quo magna Medici prudentia opus est, quia omnia indicantia, coindicantia, & prohibentia diligenter debet circumspicere, quod annotauit Hippocrat. *Aph. 17. sect. 1. quibus*, inquit, *etiam semel, aut bis, & plus, minusve & partis vicibus cibum præbere conuenit spectandum est: dandum vero aliquid regioni, ætati, & consuetudini.*

CAPVT V.

De Tempore victus Exhibendi.

In morbis continuis, & qui accessionum, aut exacerbationum differentias non habent victus exhibendus est secundum consuetudinem, eo potissimum tempore, quo prius æger cibum assumere consueuit.

In morbis, qui accessiones, vel exacerbationes habent, in tempore maioris quietis cibus est offerendus.

CVm enim in paroxysmo vis morbi sit maxima, & naturæ cum morbo pugna acerrima, natura alimentis oneranda, & ab opere suo ad cibi concoctionem auocanda non est, ne inferior euadat. Tum etiam cibus exhibitus tunc temporis non coquitur, sed crudus manet, & à materia putrida, quæ tempore accessionis agitatur, contaminatur, & corrumpitur, atque ita morbus augetur, & mala symptomata inducuntur.

Quando maxima est virium iactura, etiam in paroxysmo cibum exhibere conuenit.

Si febris sit ab humore acri, & mordaci, accenso à Sole, inedia, laboribus, & æger sit habitu gracili, temperatura calida, & sicca, præsertim æstatis tempore, in ipso paroxysmo, vel paulò ante ipsum, æger cibandus est.

Si enim huiusmodi ægrotantes diutiùs à cibo abstineant, periculum est, ne febris magis incandescat, syncope, vel conuulsio excitetur, aut etiam febris hectica, vt docet Galenus 10. *metaph. cap. 2.*

TERAPEVTICES,

PARS SECVNDA.

De Instrumentis Medicis.

PRÆFATIO.

Omnia Medici opera tribus instrumentis perficiuntur, Diæta, Chirurgia, & Pharmacia.

REMEDIORVM sylua, quibus Medicus vtitur ad morborum, vel præsentium curationem, vel imminentium præcautionem, sub tribus hisce instrumentis omninò comprehenditur. Quorum *primum* debitam victus rationem secundùm legitimi sex rerum nonnaturalium vsum instituit. *Secundum* circa ea versatur, quæ manu periti artificis in corpore humano exercentur. *Tertium* denique omnia medicamentorum genera, quibus humores noxij præparantur, & expurgantur, partium intemperies emendatur, earumque robur intenditur, ac reliquæ omnes indicationes curatiuæ implentur, gremio, atque ambitu suo complectitur.

De Diæta, & Chirurgia, quantùm ad medicas institutiones attinet, satis abundè egimus in methodo generali medendi. *Superest iam, quæ ad Pharmaciam spectant, diligenter inquirere.*

Est autem Pharmacia illa Medicinæ pars, quæ materiam medicamentorum, eorumque facultates, vsus, & componendi modos complectitur.

Quæ vt sigillatim explicentur, totus iste Tractatus in duas sectiones *erit distribuendus.*

In prima *omnis, medicamentorum materia, earumque facultates, & vsus exponentur.*

In secunda *verò componendorum medicamentorum ratiò docebitur.*

THERAPEVTICES, PARTIS SECVNDÆ.

SECTIO PRIMA.

De Materia Medica.

PROOEMIVM.

Quid Medicamentum, quæ illius differentiæ, & sectionis diuisio.

Medicamentum, ex Gal. 1. de simpl. med. facultatibus cap. 1. & 3. est, quod naturam nostram alterare potest, & à statu præternaturali ad naturalem reducere.

Differt ab alimento, & veneno, quod alimentum à natura nostra vincatur, & in corporis substantiam commutetur. Venenum verò corpus nostrum corrumpat.

Et ideò medicamentum est veluti medium inter alimentum, & venenum, quod neque à corpore nostro vincitur, neque illud corrumpit, sed tantùm alterat, & immutat.

Omnia verò medicamenta vulgo diuidi solent in simplicia, & composita.

Simplicia sunt, quæ à sola natura nobis suggeruntur, & nihil ab arte permixtum habent; eaque ex tribus fontitibus desumuntur, plantis, animalibus, & mineralibus.

Composita sunt, quæ ex pluribus simplicibus simul mixtis conflata sunt, aut quæ artis ministerio in aliam formam commutata fuerunt.

Vtraque rursum duplicia sunt, interna, & externa.

Interna hic vocamus, quæ internarum affectuum curationi sunt accommodata.

NE quis egrè ferat, nos internorum medicamentorum catalogo illa etiam admiscere, quæ foris admouentur, sciat, nos hic interna appellare, non solùm, quæ intra corpus assumuntur; sed etiam, quæ foris admouentur, dummodo affectuum internorum curationi inseruiant, quod magno tyronum commodo factum est, vt ad eandem indicationem adimplendam materiam internam, & externam simul congestam reperire possint.

Externa verò, quæ curandis affectibus externis inseruire solent.

Ideo Sectio ista prima in duas particulas *diuidenda est.*

Prima *materiam medicamentorum internorum proponet.*

Secunda *verò externorum materiam continebit.*

SECTIONIS PRIMÆ.

PARTICVLA PRIMA.

De Materia Medica Interna.

PRÆFATIO.

In morborum internorum curatione præcipuę indicationes respiciunt vel causas morbificas, vel morbos, vel ipsas partes affectas.

Causę morbificæ maiori ex parte sunt varij humores, qui prout varijs qualitatibus peccare solent, ita varia requirunt medicamenta, contrarijs qualitatibus donata. Verbi gratia, frigidi humores calida exposcunt remedia; calidi, frigerantia, tenues, incrassantia, crassi, attenuantia; corrupti, expurgantia, & ita de cęteris.

Morbi quandoque sublatis suis causis adhuc permanent, & peculiarem exposcunt curationem per contraria remedia, vt in methodo generali medendi *luculenter docetur.*

Partes denique corroborantia requirunt, & alterantia specifica, qualia sunt Cephalica, Thoracica, Cardiaca, Stomachica, Hepatica, &c. quę omnia ordine suo proponentur.

Porro omnis hæc materia vel sumitur ex plantarum radicibus, lignis, corticibus, foliis, seminibus, fructibus, floribus, gummis, resinis liquoribus succis; vel ex animalibus integris, aut ipsorum partibus, tam viuentibus, quàm non viuentibus, & excrementitijs; vel denique ex mineralibus, qualia sunt Terra, succi concreti, lapides, & metalla, ex quibus omnibus varia composita parantur in officinis, vt aquæ, syrupi, conserue, pulueres, trochisci, confectiones, electuaria, pilulæ, &c.

CAPUT PRIMVM.

De Medicamentis bilem refrigerantibus. & attenuantibus.

Biliosus humor, quoties morbum aliquem producit, refrigerantia medicamenta postulat. Quando autem crassior est, & alicui parti impactus, tum medicamenta non solum refrigerantia, sed etiam leuiter attenuantia esse debent.

REfrigerantia medicamenta in vsum reuocantur, sumpta indicatione à morbo, & à morbi causa. Bilis enim propria natura calida est, & morbos calidos producit; vnde vtique refrigeratio est consentanea. Attenuantia verò esse debent in omnibus propemodum febribus, præsertim ijs, quæ ab humorum putredine ducunt originem. Siquidem omnis putredo à prohibita transpiratione fit, prohibita transpiratio ab obstructione, obstructio ab humorum crassitie, vel multitudine. Quemadmodum ergò nonnullæ febres putridæ fiunt ab humorum multitudine, ita maxima pars earum humoris crassitiem sortiri habere comitem: quæ si tanta non fuerit, in bile potissimum, vt patentes meatus possit obstruere; sufficiens saltem est, poros insensiles partium internarum occludere: qui vt aperiantur, leuiter saltem attenuantibus humor est præparandus. Adde, interdum parti alicui bilem esse iam aciam, quæ vt auferatur, attenuanda est, ijsque vsibus medicamenta, bilem refrigerantia, & attenuantia, destinata fuerunt. Quæ licet frigida sint tamen substantiæ tenuitate sunt prædita, quam leui aciditate, aut amarore patefaciunt, hincque humores attenuant.

Illorum autem medicamentorum series hæc est.

SIMPLICIA.

Radices, *Acetosæ, graminis, cichorei, lapathi acuti.*

Folia, *Endiuiæ, cichorei, acetosæ, capillorum Veneris, scariolæ, dentis leonis.*

Semina, *Quatuor frigida maiora endiuiæ, acetosę, hordeum.*

Fructus, *Poma, pruna acida, ceroſa arida.*

Flores, *Cichorei*, præsertim, quibus adduntur, *flores boraginis, bugossi, & violarum*, qui licet non habeant attenuandi vim, quia tamen refrigerant, humectant, & corroborant, ideò in omni ferè refrigerationis indicatione, siue attenuandum sit, siue incrassandum, frequenter præscribi solent.

COMPOSITA.

Aquæ, acetosæ, cichorij, graminis, endiuiæ hordei, *quę non destillatione, vt aliæ, sed sola decoctione fit.*

Succi, limonum, granatorum, pomorum, acetum, omphacium.

Syrupi, de limonibus, acetosus simplex, cichorei simplex, de succo acetosæ, capillorum Veneris, de pomis, de granatis acidis, de agresta, oxysaccharum.

Conserue, Florum cichorei, foliorum acetosæ, capillorum Veneris, cerasa condita.

Pulueres, & electuaria, Diamargariti frigidi, diatriasantali.

Chymica, Spiritus sulphuris, & vitrioli, clissus, sal prunellæ.

CAPVT II.

De Medicamentis bilem refrigerantibus & incrassantibus.

Interdum bilis sua tenuitate multa parit incommoda, quibus opitulantur incrassantia medicamenta, quæ simul refrigerant, & ferocientis humoris impetum coercent.

BIlis calida, & tenuis sæpè in morbis acutis facit orgasmum, vnde periculum est, ne vehementer commota in partem aliquam nobilem irruat, eamque insigniter lædat. Aliàs, ad intestina delata, molestas parit diarrhœas: non nun-

nunquam etiam, alijs humoribus permixta ijsque tenuitatem concilians, graues excitat fluxiones, vnde postquam catharticis quædam illius portio vacuanda est, reliqua incrassanda, vt ferox illius motus coerceatur. Qua ratione vsurpari solent medicamenta incrassantia, quæ necessariò frigida sunt, cùm incrassatio à frigiditate communiter dependeat.

Illa autem medicamenta incrassantia sunt huiusmodi.

SIMPLICIA.

Radices, Altheæ, plantaginis.

Folia, Portulacæ, plantaginis, maluæ, altheæ.

Semina, Lactucæ, portulacæ, papaueris albi, maluæ, psylij, cydoniorum, bombacis.

Fructus, Iuiubæ, sebesten, cydonia.

Flores, Nymphææ, papaueris rhœados, violæ, rosæ rubræ.

Gummi, Arabicum, tragachantum.

Animalia, Ebur, spodium, cornu cerui.

Mineralia, Terra sigillata, bolus armena.

COMPOSITA.

Aquæ, Lactucæ, portulacæ, papaueris rhœados, nymphææ, rosarum.

Syrupi, Violaceus, iuiubarum, papaueris rhœados, rosarum siccarum, papaueris albi.

Succi, Cydoniorum, amylum.

Conseruæ, Rosarum, violarum, florum nenuphares, lactucæ conditæ, cydonia condita.

Electuaria, Diatragacantum frigidum, diapenidion sine speciebus.

Chimica, de spodio.

Chymica Laudanum opiatum, sal prunellæ.

Licet sal prunellæ inter attenuantia fuerit recensitum; hic tamen locum habere debet, quia summè refrigerando humorum motum cohibet, & mira quadam natura contrarios veluti effectus parit: Siquidem humores tenuiores, & mobiliores incrassat, eorumque impetum mirabiliter cohibet. Vnde fit, vt ad quamlibet hæmorrhagiam potentissimè conducat. Tum etiam diaphoreticum est, vt pleuritidi, peripneumoniæ, & febribus malignis multum prosit; nec non vrinas prouocat, & calculosis efficacissimè confert.

CAPVT III.

De Medicamentis pituitam alterantibus.

Pituita excrementitia frigida est, & humida, crassa, viscida & lenta: ideò medicamenta illam præparantia calefaciendi, exsiccandi attenuandi, incidendi, & detergendi facultate prædita esse debent.

NOn potest pituita catharticis commodè expurgari, quin priùs alterantibus conuenienter præparetur, & purgationi idonea reddatur. Ideò Medicamenta ei destinata, quoad primas qualitates, frigidum, humidumque humorem calefaciunt, & exsiccant; quoad secundas, crassum attenuant, viscidum incidunt, lentum detergunt, eumque ita disponunt, vt purgantium tractationi facilè obsequatur.

Nota, pituitam salsam tantoperè calefacientibus non indigere, sed tantùm temperatis, admixtis etiam frigidis, quæ bilem incrassare valent, quando præsertim à pituita salsa catarrhi generantur.

Medicamenta verò pituitam alterantia sunt.

SIMPLICIA.

Radices, Enulæ campanæ, cyperi calami aromatici, galangæ, apij, petroselini, fœniculi, zedoariæ, ireos florentinæ, chinæ, salsæ parillæ, zinziberis.

Ligna, Xyloaloes, guaiacum, sasafras.

Cortices, Citri sicci, guaiaci, cinamomum.

Folia, Saluiæ, betonicæ, roris marini, maioranæ, thymi, origani, calamenthi, pulegij, absynthij, menthæ, chamedryos, chamæpiteæos.

Semina, Anisi, fœniculi, apij, petroselini, citri, cardui benedicti carui, ameos, dauci, seseleos.

Fructus, Piper, cubebæ, caryophylli, cardamomum.

Flores Saluiæ, stœchados, anthos, lauendulæ, betonicæ, schœnanthos, macis.

Animalia, Moschus, zibetta, castoreum.

Mineralia, Ambra, gryfea, chalybs præparatus.

COMPOSITA.

Aquæ, Saluiæ, betonicæ, fœniculi, hyssopi, absynthij, melissæ, cardui, benedicti, cœlestis, Imperialis, theriacalis, cinamomi, aqua vitę.

Syrupi, de stœchade, de hyssopo, de mentha, de absynthio, de quinque radicibus, oxymel simplex, oxymel compositum, syrupus conditurę corticis citri, mel rosatum.

Conseruæ, & conditurę, Florum saluiæ, stœchados, anthos, foliorum, absynthij, zinziberis, radicis, enulæ, campanæ, radicis acori, corticis citri, myrobalanorum, nucis moschatę.

Confectiones, Theriaca, mitridatum, aurea Alexandrina, confectio alKermes.

Pulueris, & Electuaria, diambræ, diamoschi, de gemmis, dianthos, diaireos, diagalangæ.

Trochisci, Galliæ moschatæ, aliptæ, moschatæ, de myrrha de absynthio, de eupatorio.

Chymica; Oleum, seu essentia anisi, fęniculi, thymi, saluiæ, cinamomi, caryophyllorum. *Ex his Elæosachra, & multa alia.*

CAPVT IV.

De Medicamentis Melancholia alterantibus.

Humor Melancholicus frigidus, & siccus, crassus & terrestris est. Ideo medicamenta, quæ illum præparant, calefacere, humectare, attenuare, & incidere debent.

IMpossibile est aliquod reperire Medicamentum, quod calefaciat, & attenuet, simulque humectet illa enim quę calefaciunt, & attenuant, necessariò exsiccant. Non possumus igitur hunc humorem secundùm omnes suas qualitates alterare, nisi attenuantibus admiscendo ea, quæ peculiarem humectandi vim præ se ferunt, prout in sequentibus fiet.

SIMPLICIA.

Radices. Enulæ campanę, eryngia apij, petroselini, bugloss̄ę, fœniculi.

Cortices, Radicum capparum, mediana fraxini, tamarisci, sambuci, citri.

Folia Fumariæ, lupulorum, ceterach, cuscutæ, melissæ, borraginis pimpinellæ, capillorum Veneris.

Semina Anisi, fęniculi, apij, citri, cardui benedicti.

Fructus, Passulæ cappares, poma reddolentia, vuę Corinthiacæ, grana Kermes.

Flores, Genistæ, tamarisci, borraginis, bugloss̄i, calendulæ, sambuci, violarum, crocus.

Gummi, Bdellium, ammoniacum.

Mineralia, Chalybs.

COMPOSITA.

Aquæ Borraginis, bugloss̄i, fœniculi, cardui benedicti.

Syrupi, de pomis, redolentibus, fumariæ, de quinque radicibus, bizantinus, capillorum Veneris.

Conseruæ, & conditurę, Florum borraginis, bugloss̄i, genistæ violarum, radicis enulę campanæ, corticis citri, myrobalani conditæ.

Confectiones; AlKermes, theriaca.

Pulueres, & Electuaria, Diambra, lętificans Galeni, de gemmis, diamoschum dulce.

Chymica, Sales, fraxini, tamarisci, tartari, cremor tartari, chalybs prępparatus.

CAPVT V.

De Medicamentis atram bilem alterantibus.

Atra bilis adustione generatur, vnde calida est, & sicca, nec non crassitiei particeps: vnde medicamenta, quæ eam præparant, frigida, humidaque esse debent, & simul attenuantia.

HÆc ab ijs, quę bilem flauam prępparant, ferè non distinguuntur, nisi quòd ea tantùm seligantur, quę maiori pollent humiditate, atque adeò, quęcumque acida sunt, hic non vsurpantur; propterea quòd siccandi facultate quadam prędita censeantur. Igitur, quæ bilem flauam alterant, hic vsurpari poterunt: attamen propriè, & directè sequentia medicamenta atram bilem oppugnant.

SIMPLICIA.

Radices bugloſſi boraginis, liquiritiæ,
Folia borraginis, bugloſſi, ſumariæ lupulorum.
Semina quatuor frigida maiora.
Fructus pomi redolentia.
Flores borraginis, bugloſſi, violarum, nymphæ.

COMPOSITA.

Aquæ, borraginis, nymphæ.
Syrupi, violaceus, pomorum redolentium.
Conſeruæ, violarum, borraginis, bugloſſi, nympheę, lactucæ.
Chymica, ſpiritus ſulphuris, vitrioli, (eſt acidi ſunt) ſal brunellæ, Saturni, Martis tartari.

CAPUT VI.

De Medicamentis Aperientibus.

In multis corporis meatibus, venis potiſſimum hepatis, lienis, meſenterij, & vteri, obſtructiones generantur à craſſis, viſcidiſque humoribus, vaſorum tunicis adhærentibus, ac reliquorum humorum tranſitum præpedientibus.

IN frigidioribus naturis, vita ſedentaria, & prauis alimentis vtentibus, humores crudi generantur: qui per anguſtiora vaſa delati propter craſſitiem non poſſunt transfluere, ſed magis, ac magis incraſſantur, lenti, ac glutinoſi euadunt, venarum tunicis adhærent in ijſque obſtructiones generant, à quibus infinita incommoda ſolent exoriri.

Soluuntur autem illæ obſtructiones aperientibus medicamentis, quæ ex Galeno 5. de ſimpl. medicam. facult. cap. 11. nitroſa ſunt, & amara, quarum qualitatum ope attenuant, incidunt, & abſtergunt, atque adeò pituitam præparantibus ſunt finitima.

Aperientia Medicamenta à Galeno appellantur ἐνφρακτικα, ſeu ἐκκαθαρτικα, quaſi expurgantia, & ab infarctu liberantia, qua facultate ea omnia præſtant, quæ ad tollendas obſtructiones ſunt neceſſaria; quatenùs enim attenuant, humoris craſſitiem auferunt: quatenus incidunt, viſciditatem tollunt, quæ in partium tenuitate conſiſtit: quatenus denique abſtergunt, humorem partibus adhærentem excutiunt.

Quæcumque igitur verè atque efficaciter aperientia ſunt; calida enim neceſſe eſt. Dantur tamen aperientia frigida minoris virtutis; & minùs propriè ita dicta, leuioribus obſtructionibus, & calidioribus naturis idonea.

In febribus putridis, aut alioqui calidioribus naturis obſtructiones ſæpè contingunt, quæ niſi ſint valdè contumaces, aperientibus frigidis ſunt auferendę, aut ſaltem calidioribus frigida hæc miſcenda; quæ tamen non tam abſolutè frigida dicuntur, quàm alijs comparata: Ex ſe enim vel temperata ſunt, vel remiſſè frigida. Non poteſt ſiquidem aperiendis vis cum eximia frigiditate conſiſtere.

Illa autem medicamenta aperientia ſunt huiuſmodi.

APERIENTIA CALIDA

SIMPLICIA.

Radices apij petroſelini, fœniculi, filicis, cyperi enulæ campanæ, gentianę, eringij, ononidis, ariſtolochiæ vtriuſque, aſari.
Cortices radicis capparum, median. fraxini, median. tamariſci.
Folia origani calamenthi pulegij, chamædrios, chamepityos, centaurij minoris, betonicę, hyperici abſynthij romani, capillares omnes, *quæ temperatæ ſunt.*
Semina apij, petroſelini, fœniculi, cardui benedicti, vticę, agni caſti, aniſi dauci, ammeos, ſeſelios, cicera rubra.
Flores ſtœchados, anthos, geniſtæ, ſambuci, tamariſci, hyſſopi, betonicæ.
Gummi ammoniacum, bdellium, aloes, terebinthina, myrrha.
Mineralia chalyps.

COMPOSITA.

Aquæ fœniculi, betonicę, abſynthij, hyſſopi, cardui benedicti, cinamomi.
Syrupi Byzantinus, de quinque radicibus, de abſynthio oxymel ſyplex, oxymel compoſitum.
Conſeruæ florum geniſtæ, tamariſci, foliorum abſynthitij, capillorum veneris radicis enulæ campanæ zinziberis.
Electuaria aromaticum roſarum, diarrhodum abbatis, *Confectiones* alkermes, Theriaca.
Trochiſci de cappariibus, de abſynthio, de eupatorio, de myrrha.
Chymica, chalybs præparatus, ſal abſynthij tamariſci, fraxini, tartari, & Cremor eiuſdem. Oleum aniſi, fęniculi, cinamomi, ſpiritus terebinthinæ, balſ. ſulph.

APERIENTIA FRIGIA.

SIMPLICIA.

Radices, cichoreis, graminis, aſparagi, acetoſæ, bruſci, oxylapathi.
Folia, endiuiæ, cichorei, cucurbitæ, acetoſæ, hepaticæ, acrimoniæ, capillares omnes.
Semina, quatuor frigida maiora, acetoſæ.
Flores, cichorei.

COMPOSITA.

Aquæ, endiuiæ, cichorei, graminis, acetoſæ, agrimoniæ.
Syrupi, acetoſus ſimplex, de limonibus, de cichoreo ſimplex, de ſucco acetoſæ, capillorum veneris.
Electuaria, triaſantalon, diarrodon abbatis *temperatum.*
Chymica, ſpiritus ſulphuris, vitrioli, ſal prunellæ, cremor, & liquor tartari.

CAPUT VII.

De Medicamentis purgantibus.

Hactenus medicamenta propoſuimus, quæ humores noxios præparant, & purgationi ſubeundæ idoneos efficiunt: iam de purgantibus agendum.
Solent autem humores euacuari purgantibus medicamentis, quæ ſubſtantiæ familiaritate, quam habent cum illis, eos ad ſe attrahunt, vt magnes ferrum.
Tot igitur erunt purgantium medicamentorum genera, quot ſunt humores in corpore purgationi idonei: nimirum chalagoga, phlegmagoga, melanagoga, & hydragoga.

HUmores, qui cathartcorum ope vacuari ſolent, vulgò ſunt bilis, pituita, melancholia, & ſerum, ſeu aquoſus humor. Vnicuique horum peculiaria competunt remedia electiuè purgantia. Sic quæ bilem purgant, *cholagoga* nuncupantur, quæ pituitam *phlegmagoga*, quæ melancholiam, *melanagoga*, quæ ſeroſos humores, *hydragoga.*

Illa iterum diuidi ſolent in mitiora, mediocria, & vehementia.

Medicamenta purgantia non æquali virtute operantur, ſed alia minori, alia maiori pro varia agendi vi ſibi à natura inſita. Ideò vt facilius poſſint in vſum reuocari, in tres claſſes diſtribuuntur, mitiorum ſcilicet, mediocrium, & vehementium. *Mitiora* vſurpari ſolent in debilioribus naturis, vel vbi à prima tantùm regione, eſt euacuandum. *Mediocria* in mediocri virium robore, & vbi ad ſecundam regionem vacuandum. Denique *vehementia*, in robuſtioribus corporibus, & quando à remotioribus partibus humores attrahendi, cerebro puta, articulis, &c. Plerumque tamen in eodem pharmaco vehementia cum mitioribus, & mediocribus à prudenti Medico permiſceri ſolent, vt facilius inuicem permixta operentur.

Atque vt facilè in vſum reuocari queant, iuſta ſingulorum doſis erit proponenda.

Maximi eſt momenti, cuiuslibet medicamenti doſin rectè tenere, ſine qua nemo vnquam medicinam facere audeat, niſi cum certo ægrotantium vitæ diſcrimine. Quia tamen purgantium doſis vbique immutanda eſt pro varia corporum diſpoſitione, quod quidem à iudicio Medici omninò dependet, ideò cuiuslibet medicamenti maiorem, & minorem doſin proponemus, quatenùs ſcilicet in ætate mediocri vſurpantur; vt ex earum latitudine quantitas magis conſentanea elici poſſit.

Illę autem doſes ita accipiendæ ſunt, prout ſcilicet medicamenta per ſe, aut in ſubſtantia, (vt vocantur) aſſumuntur; nam in infuſione vehementiora dupla quantitate exhibentur in decocto verò, tripla. Mitiora verò, & mediocria tripla ferè in infuſione; & quadrupla in decocto.

Virtus medicamentorum infuſione, & decocto deperditur illa etenim in tenuiori ſubſtantia reſidet quæ à calore facilè diſſipatur. Ideò cùm in decoctione multo maior ſit caloris vis, quàm in infuſione; neceſſe eſt vim purgatricem magis minui, atque adeò maiori doſi medicamenta erunt præſcribenda.

Ab hoc tamę generali theoremate excluduntur rhabarbarum,

rum, & myrobalani, *quæ magis purgant in infusione, quàm in substantia, propterea quod non solùm vim purgatricem præseferant, sed etiam astrictoriam, quæ infusioni non communicantur.*

Hæc duo medicamenta purgandi, & astringendi vim obtinent ratione diuersæ substantiæ, tenuis scilicet, & crassæ, seu terrestris. In tenui enim substantia vis purgatrix residet, in terrestri verò adstrictoria. Iam infusione tenus substantia in liquorem transfertur, terrestris verò reijcitur, vnde in infusione purgans tantum remanet. Uide M. M. Fernellianam Gr. Horstij.

CAPUT VIII.

Chalagoga Medicamenta.

SIMPLICIA.
MITIORA.

Cassia, ab ℥. j. ad ℥. j. ß.
Manna, ab onc. j. ad onc. ij. & onc. ij. ß.
Succus rosarum, ab onc. j. ß. ad onc. iij.
Tamarindi, ab onc. ij. ad onc. iij.

MEDIOCRIA.

Aloe à ℈. j. ad ℥. j. Corrigitur *mastiche, tragacantho.*
Rhabarbarum, à ℥. j. ad ℥. ij. tam in substantia, quàm in infusione. Corrigitur *spica nardi, cinamomo.*
Myrobalani citrini, à ℥. ij. ad ℥. iij. magis astringunt, quàm purgent. Uis illorum astrictoria minuitur infusione, & frictione cum *oleo amygdalarum dulcium.*

VEHEMENTIA.

Scammonium, à gr. iv. ad viij. Corrigitur *succo cydoniorum*: & quando correctum est, *diagridium* appellatur.
Corrigitur etiam *vapore sulphuris*, vt in puluere Cornachini descriptione videre est; tum etiam *succo limonum* per infusionem, & euaporationem: Ac denique extractum illius paratur cum *spiritu vini*, quod *resina scammonij* vocatur, blandè admodum purgans ad ℈. j. exhibitum.

COMPOSITA.
SYRVPI.

Rosatus solutiuus, *De cichoreo cum Rheo.* } ab ℥. iij. ad ℥. iv.

OPIATÆ.

Catholicum., *Diaprunum simplex*, *Diacussi.* } ab onc. j. ad onc. j. ß.
Diaprunum solutiuum, Electuarium de succo rosarum, Tryphera persica. } ab onc. ß. ad ℥. vj. & vij.

PILVLÆ.

Aureæ, Sine quibus, De rhabarbaro } à ℥. ß. ad ℥. j.

CHYMICA.

Extractum rhabarbari, scammonij, mercurius dulcis, mercurius vitæ, crocus metallorum aliæque Antimonij præparationes purgantes, de quarum dosi. U. Schroder pharm.

CAPVT IX.

Phlegmagoga Medicamenta.

SIMPLICIA.
MITIORA.

Semen carthami, ab onc. j. ad onc. ij. Corrigitur *anisо*, & *cinamomo.*

MEDIOCRIA.

Agaricus ℥. j. ad ℥. ij. Corrigitur *Zinzibere*, & sale gemmæ.

VEHEMENTIA

Turbith, à ℈. ij. ad ℈. iv. Corrigitur *zinzibere.*
Hermodactylus, eadem dosi, & correctione, qua turbith.
Colocynthis non exhibetur, nisi correcta, & præparata in trochiscis, qui *alhandal* appellantur, ad grana octo, vel decem.

COMPOSITA.
OPIATÆ, ET ELECTVARIA.

Catholicum, *Diaphenicum*, *Hiera picra.*, *Electuarium diacarthami*, *De citro solutiuum.* } ab onc. ß. ad ℥. vj. aut vnc. j.

PILVLÆ.

Cochiæ maiores., De Agarico., Sine quibus., Stomachicæ. } à ℥. j. ad ℈. iv.
Cochiæ minores., Fœtidæ maiores., Lucis maiores., Arthriticæ., De Hermodactylis. } à ℈. ij. ad ℥. j.

TROCHISCI.

Agaricus trochiscatus, à ℥. j. ad ℈. iv.

CHYMICA.

Extractus agarici, colocynthidis, mercurius dulcis, mercurius vitæ, crocus metallorum, Aliæque antimonij præparationes. V. Schroder.
Hæc purgantia, è mineralibus petita, omnes humores purgant: ideò in varijs capitibus enuntiantur.

CAPVT X.

Melanagoga Medicamenta.

SIMPLICIA.

Senna à ℥. j. ß. ad ℥. ij.
Polypodium à dr. ij. ad ℥. iij.
Epythymum eadem dosi.
Ellebor us niger à gr. x. ad dr. ß. præstat infundere, vel decoquere à dr. ß. ad dr. ij.

COMPOSITA.
OPIATÆ.

Catholicum, *Diasenna* } à dr. vj. ad dr. x.
Confectio hamech à dr. iij. ad dr. vj.

CHYMICA.

Extractum sennæ, Ellebori nigri, Antimonij variè præparatum.

CAPVT XI.

Hydragoga Medicamenta.

SIMPLICIA.
MITIORA.

Bulli semen, ad dr. j.
Cortex medianus eiusdem, ad dr. ij.
Succus eiusdem, ab onc. j. ad dr. x.
Succus ireos nostratis, ab ℥. j. ad ℥. ij.
Sambucus, idem cum prædictis, sed minùs efficaciter.

MEDIOCRIA.

Radix mechoachan, à dr. j. ad dr. ij. non coquitur; sed infunditur in vino albo, & liquor cum puluere simul exhibetur in infusione.
Radix ialapæ, ad dr. ß.

VEHEMENTIA.

Soldanella puluerata, à dr. j. ad ij.
Succus eiusdem, ad onc. ß. ad onc. j.
Elaterium à gr. viij. ad gr. x.
Esula, à gr. viij. ad gr. xij.
Chamælea, *Thymelæa*, *Gutta Gummi.* } à gr. v. ad ℈. ß.

COMPOSITA.

Diacurbith ad dr. j.
Diacarthamum ad ℥. ß. ad ℥. j.
Pilulæ de sagapeno, ad ℈. iv.

CHYMICA.

Resina ialappæ scammonij, puluis Cornachini, Mercurius & Antimonium variè præparatum: (de dosi dictarum specierum, tam simplicium, quàm compositarum, vid. N.B. Simonis Pauli appendicem ad Quadripartitum.)

CAPVT XII.

De Vomitorijs Medicamentis.

Humores noxij in ventriculo, & partibus ei vicini contenti, facilius sæpè vacuantur per vomitum, quam per secessum, si æger ad eum fuerit propensus, cui vsurpantur medicamenta, Vomitiora; nuncupata.

IN ventriculo sæpè humores excrementitij natant, qui breuiori via per vomitum excludantur, præcipuè si ægrotans nausea infestetur, & vomitum non ægrè ferat. Facilè enim vomitum patiuntur, ex Hipp. doctrina, bilioſi, graciles, & qui amplo sunt pectore: Contra verò lædit solent à vomitu melancholici, valdè carnoſi, & stricto pectore præditi, idque magis si phthisi asthmate, aut alio pulmonum affectu laborauerint. His addere oportet tempus anni: æstate enim per superiora purgatio facilis: hyeme verò minimè. Licet verò horum remediorum vsus non sit valdè frequens, certum tamen est, opportunè vsurpata præstantissimos effectus producere. Multas enim febres intermittentes videre est, quę caterorum remediorum vim eludentes, solis vomitorijs eradicantur, quod frequenti experientia nobis innotescit.

Illa autem vomitum prouocant, vel qualitate manifesta ventriculum relaxando, vel specifica proprietate, quemadmodum cat hartica.

Quæcunque pinguia sunt, & oleosa, magna quantitate hausta, ventriculum relaxant, eumque subuertunt, vnde vomitus sequitur, quo ea tantum vacuantur, quæ in ventriculo continentur. At verò propriè dicta vomitiora, qualitate occulta humores attrahunt ad ventriculum, eumque ad expulsionem excitant per superiora. Et sic feliciter humores in hepate, liene, & partibus ventriculo vicinis contenti non rarò vacuantur.

Præcipuorum, & magis vsitatorum series hæc est.

MITIORA.

Aqua tepida, aqua hordei tepida, iuscula pinguia tepida, butyrum oleum simplex, oxymel simplex, syrupus acetosus. Quæ omnia magno hausto sunt exhibenda.

MEDIOCRIA.

Semen atriplicis, aneti, in decocto, ab ʒ ß. ʒ j.
Flores anethi, genistæ, in decocto, à p. j. ad p. ij.
Semen raphani, in decocto, ab ʒ. ß. ad ℥ vj.
Raphani succus, ad ʒ. iij.
Radix peponis, ad ʒ j. in decoctione.
Agaricus, à ℥ j. ad ij.
Radix asari, a ʒ j. ad ℈ iiij.

VEHEMENTIA.

Nux methel. balanus myrepsica, cataputia, æsulum, helleborus albus. Aqua Nicotianæ, succus Ireos nostratis.

Dosis eorum non proponitur, quia satius est illis nunquam, vti, propter vitæ periculum, quod ex nimia vehementia inferre possunt, aut saltem nonnisi diligentissima præparatione, & correctione adhibenda.

Chimici vomitorijs medicamentis nimium abundant, ijsque maiori parte adeò vehementibus, vt eorum causa omnia spagyrica remedia apud vulgus suspecta euaserint. Ex eorum genere sunt, quę ex antimonio componuntur, præcipuè verò *vitrum, & flores antimonij*, quibus ego nunquam vti hactenus ausus sum, licet aliquando medicamentorum spagyricorum vsum tentare voluerim, & quid in medicina possint experiri. Uerùm enim verò, negandum non est è spagyricis medicamentis, nonnulla interdum, rite à prudenti Medico administrata, optatos producere effectus, qui a vulgatibus remedijs obtineri nequiuerant. Ideò non abs re facturus videor, si, quæ propria experientia comprobata sunt, spagyrica vomitoria summatim exposuero.

Ea autem quatuor omninò sunt, viribus, & efficacia maximè diuersa, quæ omnia in manibus habere debet, quicunque cautè huiusmodi remedijs vti voluerit, vt nimirum à minùs vehementibus incipiat, & ad fortiora progrediatur, si illa satis efficacem operationem non ediderint.

Primum est vitriolum album præparatum, provt à Crollio, & Beguino describitur, quod tam blandum est vomitiuum, vt etiam pueruli tutò exhiberi valeat à ℈ ß. ad ʒ ß. adultioribus verò ad ℥ j. in aqua communi (*cereuisia calida butyrata,*) dissolutum: humores tantum ventriculo contentos euacuat, ab alijs verò partibus nihil educit.

Secundum est sal vitrioli, ex vitriolo Cyprio calcinato extractum, quod priori vehementiùs operatur: at verò ex ventriculo similiter tantùm humores educit. Dosis à gr. x. ad xx. in aqua communi, describitur à Beguino sub nomine *salis colcotharis*, & ab Angelo Sala *in triumpho Emeticorum*, tum etiam *in anatomia vitrioli*.

Tertium est *Aqua benedicta* quæ describitur à Quercetano *in pharmacopœa* hęc componitur ex Antimonio, & prioribus multò vehementior est, nec nisi robustioribus hominibus, & summa cum cautione exhibenda. Si tamen opportunè vsurpetur, præstantissimos sæpè affectus parit. Dosis eius aquæ est ab ʒ j. ab ʒ iij. humores non solùm è ventriculo, sed etiam è toto corpore educit.

Quartum denique est *puluis Emeticus*, qui vulgò nominatur *mercurius vitæ*, & à Beguino, & Crollio describitur. Omnibus prędictis vehementior est, suos tamen in medicina vsus habere potest in cura morborum contumacium, quique remedijs vulgaribus non cedunt: cautè tamen & nonnisi in summa virium fiducia eo vtendum est. Humores è toto corpore eradicat potentissimè, dosis à gr. iij. ad v. in iusculo, conserua rosarum, vel alia quauis re. Corrigi tamen potest illa mercurij vitæ vehementia, vt maiori dosi exhiberi valeat innoxiè, & vix aut leuiter vomitum moueat, totamque vt plurimum operationem suam perficiat per inferiora Corrigendi modi varij proponuntur ab Hartmanno, *in comment. ad Crollium*.

Nos hanc addimus vsu nostro comprobatam, quæ in multis ægrotantibus per inferiora tantum purgat, in nonnullis verò semel tantùm, aut bis vomitum mouet. Facillima autem est hæc correctio nostra, quæ fit, ponendo mercurium vitæ, seu puluerem emeticum benè lotum in patina terrea vitreata supra foculum mensarium, aut furnulum exiguum, semper mouendo. Fumus exhalat ater, & fœtidus, qui venenositatem intus latentem contineat, & illam operationem continuando, per duas, vel tres horas, tota absumitur. Peractæ sufficienter operationis signum est, quando nullum amplius fumum emittit. Si post istam operationem adhuc vomitum moueat; iteranda erit, & optatum habebis effectum. Puluis albissimus coctione ista griseum colorem acquirit. Dari postea gr. iiij. ad gran. viij. in tabellulam cum saccharo, & mucilagine tragacanthi redactus, vt sine vllo fastidio exhiberi valeat. Adde Tartarum Emeticum, & alia Antimonialia à Schrodero descripta.

CAPUT XIII.

De Sudorificis Medicamentis.

In morbis chronicis, & contumacibus sudorifica medicamenta frequenter vsurpantur.

ILli morbi, qui alterantibus, & purgantibus medicamentis curari nequiuerunt, sed radices habent altius infixas, quales sunt epilepsiæ, paralyses, contumaces catharri, hydropes, arthritides; & quilibet frigidi affectus, tum imprimis lues venerea, potentioribus medicamentis eradicandi, qualia sunt sudorifica, quæ per plures dies, vt moris est, vsurpata, non solum tertiam corporis regionem, cui peculiariter destinata sunt, sed etiam totum corpus à recrementis expurgant.

Illa autem calefaciendi, & attenuandi vi prędita, humores colliquant, eosque per insensibiles meatus excutiunt.

Humores, diuturnos morbos efficientis, frigidi, & crassi vt plurimùm esse solent. Ideò sudorifica illis ritè conueniunt, quæ eos calefaciunt, colliquant, attenuant, insensibiles corporis meatus recludunt, per eosque vacuant.

Multa tamen non tam manifestis qualitatibus, quàm, specifica proprietate sudores promouent.

Apud antiquos Medicos hoc dogma non habetur, quia illi omnem sudorificorum vim ad manifestas qualitates retulerunt. Neque enim præstantiora sudorifica, quibus hodie vtimur, illis nota fuerunt. Attamen necesse est, occultam qualitatem in ijs agnoscere, qua sudores prouocant, cum piper, & pyrethrum, valde calida & attenuantia, sudores non moueant, & radix Chynæ in primis qualitatibus ferè temperata, id potenter efficiat. Inter omnia sudorif. eminet Opium, teste Uvaluo, (correctum.)

Illa autem sudorifica medicamenta sunt.

SIMPLICIA.

Lignum guaiacum, & cortex eiusdem, lignum sassafras, radix Chynæ, radix Salsæ parillæ

Hæc

Hæc efficaciter sudores mouent minùs verò sequentia.

Radices, carlinæ, angelicæ, zedoariæ, scorzoneræ, fœniculi apij, petroselini, bardanæ, pimpinellæ, tormentillæ.

Folia, scordi, vlmariæ, cardui benedicti, capilli veneris, bardanæ.

Semina, cardui benedicti, milium vulgare, lentes.

Flores, chamæmeli, cyani, papaueris rubri.

COMPOSITA.

Aquæ, papaueris rhœados, cardui benedicti, scabiosæ, theriacalis, Opiatæ, Theriaca vetus.

CHYMICA.

Sal cardui benedicti, mater perlarum calcinata, bezoarticum minerale Beguini, Antimonium diaphoreticum Crollij, Bezoarticum iouiale Hartmani, in commentarijs ad Crollium: & alia penè infinita à Chymiatris descripta. Nos prædicta tantùm in vsum reuocauimus, & præstantissimos effectus ex ijs obtinuimus, quorum exempla nonnulla in *Obseruationibus nostris* videri possunt, in febrium præsertim malignarum curationibus.

CAPUT XIV.

De Diureticis Medicamentis.

Diureticis Medicamentis conuenienter expurgantur gibbę hepatis partes, renes, vesica, vterus, & vniuersum venosum genus.

QUemadmodum affectus, venosum genus occupantes, ex vrinis dignoscuntur; quia portio materiæ in venis contentæ ad illas transfertur, nec non ijdem affectus crisi, quæ per vrinam fit, sæpè terminatur: ita humores noxij diureticorum ope non difficili negotio expurgari solent.

Ex his quædam calida sunt, quædam verò frigida.

Calida humores fundendo, partes magis aqueas, & serosas separant, quæ postmodum à renibus attrahuntur.

Quæ verè, & propriè *Diuretica* nominantur, actiua sunt, vehementer calida, & sicca, ideò sanguinem fundunt, & serosum humorem ab eo separant, tum etiam pituitam, & crassos humores colliquant, eosque in aquosum humorem commutant, qui cum sero facilè commiscetur, simulque ad renes attrahitur, & cum vrinis excernitur.

Frigida verò, vel abstergendo, vel aquosam materiam suppeditando vrinas mouent.

Nonnulla medicamenta humores, qui in vasis, & renibus continentur, abstergunt, eosque nonnihil attenuant; quia licet frigida sint, tenues tamen habent partes, atque ita vrinas promouent. Talia sunt *gramen, asparagus, parietaria, capillares, herbæ, &c.* Alia multa humiditate sunt prædita, quæ venis suppeditatur, deinde à renibus attrahitur, & cum ea humores in venis contenti simul rapiuntur. Huius naturæ sunt *althea cucurbita, semina frigida maiora.*

Horum autem diureticorum medicamentorum, tam calidorum, quam frigidorum materia talis est.

DIURETICA CALIDA. SIMPLICIA.

Radices apij, petroselini, fœniculi eringij, valerianæ, asari, ononidis, raphani.

Cortex medianus genistæ, & medianus tamarisci.

Folia Saxifragiæ, pimpinellæ, apij, vrticæ, fœniculi, chamædrios, centaurij minoris, sysimbrij, nasturtij aquatici, sabinæ.

Semina seseleos Massilienfis, petroselini Macedonici, apij, raphani, vrticæ, leuistici, milij solis, paliuri, cicera rubra.

Fructus baccæ lauri iuniperi.

Flores genistæ, chamomillæ.

Gummi terebinthina.

Animalia sanguis hirci præparatus, cantharides.

Mineralia carabæ.

COMPOSITA.

Aquæ fœniculi, apij, sabinæ.

Syrupi de quinque radicibus capillorum veneris, byzantinus, oxymel simplex, & compositum.

Conserua florum genistæ.

CHYMICA.

Spiritus sulphuris, vitrioli, tartaris, salis, terebinthinæ.

Soles tartari, baccarum hederæ, siliquarum, stipitum fabarum.

DIURETICA FRIGIDA SIMPLICIA.

Radices asparagi graminis, ruscı, altheæ, oxylapathi, acetosæ.

Folia capillorum veneris, acetosæ, parietariæ, herniariæ bismaluæ summitates asparagi.

Semina quatuor frigida maiora, acetosæ, alkekengi, hordeum.

Fructus cucurbitæ, pepones, cucumeres, fraga.

Flores altheæ, cichorei.

Gummi caphura.

Succi limonum, granatorum acidorum.

CHYMICA.

Sal prunellæ, spiritus sulphuris, & vitrioli qui licet inter diuretica calida relati sint; refrigerandi tamen facultate insigni præditi sunt, & nihilominùs in affectibus tum calidis, tum frigidis conueniunt, propter summam tenuitatem, & penetrandi vim, cuius ratione vehicula sunt aliorum remediorum.

COMPOSITA.

Aquæ parietariæ, graminis, acetosæ, hordei.

Syrupi capillorum veneris, de limonibus, de althea.

Conseruæ capillor. veneris, radicum eryngij, carnis cucurbitæ.

Trochisci de Caphurâ.

COROLLARIUM.

Ad horum vacuantium genus spectant menses mouentia, quæ tamen ad hysthericorum classes meliùs referuntur: inde ergo erunt repetenda.

CAPUT XV.

De Errhinis Medicamentis.

In affectibus capitis diuturnis, à pituita productis, post vniuersales vacuationes errhina vsurpantur, quæ illam per nares attrahunt, & expurgant.

VAcuationes illæ, quæ humores à toto corpore expurgare solent, *vniuersales* appellantur, quibus succedunt, quæ peculiarem tantum partem euacuant *particulares* nuncupatæ, qualis est illa, quæ pituitam per nares è cerebro elicit, multis illius affectibus conuenientissima: Postquam enim maior excrementorum pars vniuersali vacuatione educta est, postmodum per victna emunctoria reliquiæ commodè educuntur.

Vtque facilè humorem illum crassum & frigidam attrahant; calida esse debent attenuantia, & detergentia: qualia sunt, quæ sequuntur.

Radices ireos, cyclaminis, cucumeris agrestis.

Folia, betæ rubræ, potissimum brassicæ, nagallidis, maioranę, saluię, bethonicę, pulegij, origani, prassij, hederę, nicotianę.

Gummi, euphorbium.

Succi radicum, & foliorum prędictorum, elaterium.

CAPUT XVI.

De Sternutatorijs.

STernutatoria medicamenta sua acrimonia expultricem cerebri facultatem, irritando pituitam è cerebro eliciunt, tum etiam in affectibus comatosis soppitum cerebrum excitant. Talia sunt, quæ sequuntur.

Radices zinziberis, pyretri, ireos Florentinæ, hellebori albi, & nigri.

Folia, betonicæ, maioranæ, saluiæ, nicotianæ.

Gummi: euphorbium.

Animalia castoreum.

CHYMICA.

Spiritus sulphuris, vitrioli, sal vitrioli.

CAPVT XVII.

De Masticatorijs.

Ἀποφλεγματίζοντα medicamenta sunt, quæ pituitam per os è cerebro educunt, idque præstant sua caliditate & acrimonia qua humorem attenuant, & facultatem irritant expultricem. Illa autem sunt huiusmodi.

SIMPLICIA.

Radices, zinziberis, pyretri, angelicæ.
Folia, saluiæ, maioranæ, hyssopi, origani, tabaci.
Semina nasturcij, sinapi, staphisagriæ, nigellæ, piper album, & nigrum.
Fructus, passulæ, cubebæ.
Gummi, mastiche.

COMPOSITA.

Acetum scilliticum.
Oxymel scilliticum.
Theriaca, confectio anacardina.

CAPVT XVIII.

De Cephalicis Medicamentis.

Cephalica medicamenta dicuntur, quæ cerebrum roborant, eiusque intemperiem emendant.

MVlta dantur medicamenta, quæ specifica proprietate, & sympathia, quam habent cum certis corporis nostri partibus, earum robur intendunt, & peculiares earum affectus oppugnant. Talia sunt *Cephalica*, quæ vires suas peculiariter in cerebro exercere creduntur.

Eaque duplicia sunt, calida scilicet, & frigida.

Calida cerebrum calefaciunt, & exsiccant, ac pituitam in eo contentam incidunt, & attenuant.

Frigida partim calidam cerebri intemperiem contemperant, partim pituitam acrem, & salsam, aliosque humores tenuiores, graues fluxiones efficientes, incrassant.

Quum cerebrum nunc frigidis, nunc calidis affectibus tentetur, medicamenta illam partem respicientia duorum generum esse debuerunt, vt omnibus hisce affectibus succurrere possemus.

Horum autem omnium materia talis est.

CEPHALICA CALIDA.
SIMPLICIA.

Radices, spica nardi calami aromatici, valerianæ, ireos, Florentinæ, acori galangæ, zedoariæ, pœoniæ.
Lingua, viscus quercinus, xyloaloes.
Corticis, cinamomum.
Folia betonicæ, maioranæ, saluiæ, rorismarini, lauri, calamenthi, polij montani.
Semina, pœoniæ, cardomomi, siseleos montani, nigellæ Romanæ.
Fructus, baccæ lauri, iuniperi, caryophylli, nux moschata, cubebæ, grana Kermes.
Flores, betonicæ, stœchados, anthos, saluiæ, macis, chamomillæ, lilij conuallium, tiliæ arboris.
Succi, & *liquores* opobalsamum, vinum.
Gummi, thus, mastiches, storax, benzoinum.
Marina, succinum, ambra.
Animalia, castoreum moschus, zibetta.

COMPOSITA.

Aquæ, betonicæ, saluiæ, maioranæ, *seu florum arantiorum* cinamomi, theriacalis, imperialis, cælestis aqua vitæ.
Syrupi, de stœchade, mel rosatum.
Conseruæ, acori, zinziberis, florum stœchados anthos, saluiæ, myrobalanorum conditarum, nux condita, nux moschata condita, corticis citri.
Confectiones, alKermes, theriaca, mitridatum aurea alexandrina.
Electuaria, dianthos, diambræ, diamoschi dulcis, diairis, aromatici rosati.
Trochisci, de Gallia moschata, de carabe.

EXTERNA.

Olea, de castoreo, chamæmelinum, irinum, laurinum, nardinum, rutaceum, de spica, vulpinum.
Unguenta, martiatum, aregon.
Emplastra, de betonica, de baccis lauri, de meliloto, de mucilaginibus.

CHYMICA.

Olea distillata, succini, rorismarini, lauendulæ, saluiæ thymi, fœniculi, anisi, cinamomi, nucis moschatæ, caryophyllorum balsamus Vitæ.

CEPHALICA FRIGIDA SIMPLICIA.

Ligna, santali omnes.
Folia, lactucæ, portulacæ, plantaginis.
Semina, lactucæ, papaueris albi, quatuor frigida maiora, psyllij, hordei.
Flores, rosarum, violarum, nymphææ, papaueris rhœados.
Succi, limonum, granatorum, acetum, omphacium, opium, lachrimæ, camphora.

COMPOSITA.

Aquæ, portulacæ, lactucæ, plantaginis, rosarum papaueris rhœados, nymphææ.
Syrupi, violaceus, rosarum siccarum, de papauere.
Conseruæ, rosarum, violarum, nymphææ, lactucæ, cucurbitæ.
Electuaria, trium santalorum, diamargariti frigidi.
Confectiones philonium, requies Nicolai.
Trochisci, de caphura.
Pilulæ, de cynoglossa, laudanum opiatum.

CHYMICA.

Sal prunellæ, *spiritus sulphuris & vitrioli.*

EXTERNA.

Olea, violaceum nymphææ, rosaceum, caphuræ, omphacinum.
Unguenta rosaceum, populeum, refrigerans Galeni ceratum santalinum.

CAPUT XIX.

De Ophthalmicis Medicamentis.

Ophthalmica propriè dicta sunt, qua proprietate specifica oculos corroborant, eorumque visum acuunt, oxydorcica appellata.

Alia tamen secundariò referuntur, quæ variis oculorum affectibus curandis sunt necessaria, videlicet anodyna repellentia, exsiccantia, dirigentia, detergentia.

OCuli sensu exquisitissimo donati, in plurimis affectibus dolore acerbissimo cruciantur, vt omni arteri js mitigandus sit anodynis medicamentis. Sæpè etiam inflammationibus laborant, quibus in principio repellentia conueniunt, vt alio tempore resoluentia: Denique lachrymis, vlceribus alijsque affectibus tentantur, quibus, exsiccantia, & debent ob delicatiorem partis naturam, & exquisitum sensum, qualia sunt, quæ sequuntur.

OXYDORCICA, SEU VISUM ACUENTIA.

Radices, *fœniculi*, *chelidoniæ*, *raphani*.
Folia, *chelidoniæ*, *verbenæ*, *rutæ*, *euphrasiæ*, *fœniculi*.
Semina, *fœniculi*, raphani, *ormini satiui*.

ANODYNA.

Lac muliebre, *Albumen oui* agitatum, & in aquam conuersum. *Aqua rosarum*, *mucilago seminis psyllij*, *mucilago seminis cydoniorum*; *medulla panis* macerata, & in lacte cocta, addito pauco croco, *Poma dulcia cocta* subcineribus. *Pomorum putridorum pulpa*. *Throchisci albi Rhasis cum opio.*

REPELLENTIA.

Aqua, *rosarum*, *plantaginis*, *portulacæ*.
Succus, *cydoniorum*, *pomorum acidorum*, *albumen oui*, *Alumen*.

EXSICANTIA.

Cerusa lota, *tutia lota*, *antimonium lotum*, *vngnentum de tutia*, *Trochisci albi rhasis sine opio.*

DIRIGENTIA, SEU RESOLUENTIA.

Sarcocolla cum lacte nutrita, *crocus*, *Lac muliebre decoctum fœnugræci*, *Sanguis columborum iuniorum* è pennis maioribus in oculum expressus.

DETERGENTIA SINE MORSU.

Saccharum candum, *Syrupus rosarum siccarum*, *tutia pompholix*, *plumbum vstum*, & *lotum*, *antimonium lotum.*

DETERGENTIA CUM MORSU.

Fella piscium mitiora, *Quadrupedum* media, *auium* fortissima, & inter illa *fel perdicis* omnium validissimum, *gallinæ* mitissimum, *Succus chelidoniæ*, *fœniculi*, *aqua melitis composita.*

CA-

CAPVT XX.

De Thoracicis Medicamentis.

THoracica Medicamenta dicuntur, quæ pulmoni familiaria sunt, & humores in eo contentos præparant ad anacatharsin.

Vt autem hi humores per anacatharsin facilè expellantur, non debent esse nimiæ crassitiei, aut tenuitatis participes, vnde crassiores præparantur attenuantibus, incidentibus, & detergentibus medicamentis, quæ calida sunt; tenuiores incrassantibus, quæ frigida sunt. Horum omnium materia talis est.

THORACICA CALIDA SIMPLICIA.

Radices, *enulæ campanæ, ireos Florentinæ, aristolachiæ vtriusque, liquiritiæ, zinziberis, squillæ.*

Folia *tussilaginis, prassij albi, hyssopi, thymi, satureiæ, origani, calamenthi, pedis cati, hederæ terrestris, roris solis, nicotianæ*, pauca dosi, quia vomitiua.

Semina, *vrticæ; lini, brassicæ, seseleos Massilienſis.*

Fructus, *ficus pingues, passulæ dulces, amygdalæ, nuclei pinæ, baccæ lauri.*

Flores, *chamomillæ.*

Aromata, *crocus*, qui eximius.

Gummi, *Therebinthina, myrrha.*

Animalia, *mel, pulmo vulpis præparatus.*

Mineralia, *flores sulphuris.*

COMPOSITA.

Aquæ, *hyssopi, tussilaginis.*

Syrupi, *de tussilagine, de hyssopo, de liquiritia, capillorum veneris; oxymel simplex, oxymel scilliticum, saccharum candum.*

Conseruæ, *capillorum veneris, radicis enulæ campanæ, zinziberis.*

Electuaria, *diaireos simplicis, diaireos Salomonis.*

EXTERNA.

Olea, *irinum, amygdalarum, dulcium, chamomillæ, liliorum alborum.*

Adipes, *exungia gallinæ, anatis, vitulina, butyrum.*

Medullæ, *ceruina, vitulina.*

Vnguenta *de althea, resumptiuum.*

Emplastra, *de sulphure, de baccis lauri, filij Zachariæ.*

THORACICA FRIGIDA EXTERNA.

Radices, *altheæ, liquiritiæ.*

Folia, *capillorum veneris, pulmonariæ.*

Semina, *quatuor frigida maiora, malueę, altheę, papaueris albi, psyllij, bombacis, hordeum.*

Fructus, *iuiubę sebesten, amygdalę dulces, pruna dulcia.*

Flores, *violarum, nymphææ, papaueris rhœados.*

Gummi, *Arabicum, tragachanthum,*

Succi, *amylum succus liquiritiæ.*

Animalia, *lac muliebre, asininum, caprinum, carotestudinum, cancri fluuiatiles.*

COMPOSITA.

Aquæ, *lactucæ, portulacæ, nymphææ, papaueris, rhœados, hordei.*

Syrupi, *iuiubinus, violaceus, capillorum veneris, papaueris albi*, narcoticus.

Sacchara, *rosaceum, penidiatum.*

Conseruæ, *rosarum, violarum, borraginis, lactucæ, caro cucurbitæ condita.*

Electuaria, *diatragacanti frigidi, diamargariti frigidi, diapenidium sine speciebus.*

EXTERNA.

Oleum, *violaceum, nymphææ, amygdalarum dulcium.*

Axungiæ, *gallinæ, anatis vituli, butyrum recens.*

Axungiæ istæ temperatæ sunt, & ideò in affectibus tàm calidis, quàm frigidis vsurpantur.

CAPVT XXI.

De Cardiacis Medicamentis.

MEdicamenta *Cardiaca* nominantur, quæ proprietate specifica cor roborant, spiritus vitales reficiunt, ac venenis, & malignis affectibus resistunt.

Et quia interdum ab intemperie calida, interdum à frigida cor debilitatur: ideò Cardiaca medicamenta alia calida, alia frigida esse debuerunt.

CARDIACA CALIDA SIMPLICIA.

Radices, *dictamni*, seu, *fraxinellæ, angelicæ, pentaphylli, scorzoneræ, zedoariæ, gentianæ, imperatoriæ, doronici.*

Cortices, *cinamomum, cortex citri siccus.*

Ligna, *xyloaloes.*

Folia, *melissæ, scabiosæ, cardui benedicti, ocymi*, seu basiliconis, *polij, abrotani, rorismarini, lauendula.*

Semina, *cardui benedicti ocymi, citri.*

Fructus, *grana tinctorum, baccæ iuniperi, nux moschatæ, garyophylli.*

Flores, *anthos, borraginis, buglossi, macis, crocus, spicæ nardi.*

Gummi, *thus, myrrha mastiche.*

Succi, *melissę, scabiosę, borraginis.*

Animalia, *moschus, zibetta, lapis bezoar, sericum crudum.*

Mineralia, *ambarum succinum.*

COMPOSITA.

Aquæ, *florum arantiorum, melissæ, rorismarini, cardui benedicti, scabiosę, aqua vitę, Imperialis, Theriacalis cęlestis, cinamomi.*

Olea Chymica, *cinamomi, garyophyllorum, nucis moschatæ.*

Syrupi, *conditurę corticis citri, byzantinus.*

Conseruæ, *florum anthos, cortex citri conditus, nux moschata condita, myrobalani conditæ.*

Confectiones, *alkermes, theriaca.*

Electuaria, *aromaticum rosatum diambræ, de gemmis, lætificans Galeni diamoschum dulce.*

CARDIACA FRIGIDA. SIMPLICIA.

Radices, acetosæ, buglossi, bistortæ, tormentillæ.

Ligna, santali omnis.

Folia, Borraginis, buglossi, acetosæ, oxylapati.

Semina, cydoniorum, plantaginis, acetosæ.

Flores, rosarum, violarum, borraginis, buglossi, nenupharis.

Fructus, citria, limones, cerassa acida, ribes, granata, acida, poma odorata, cydonia.

Gummi, Camphora.

Animalia, perlæ, vnicornu, os de corde cerui, ebur, spodium, cornu cerui, lapis bezoar.

Mineralia, terra sigillata, bolus armena, fragmenta pretiosa, aurum, corallus.

COMPOSITA.

Aquę, rosarum, borraginis, bugossi, acetosæ.

Syrupi granatorum, de limonibus, violaceus, de succo acetosæ, rosarum siccarum, de pomis redolentibus.

Conseruæ, florum boraginis, buglossi, rosarum, violarum, foliorum acetosæ.

Confectio, de hiacyntho.

Electuaria, diamargariti frigidi, diatriasantalior.

CAPVT XXII.

De Hepaticis Medicamentis.

HEpatica medicamenta hepati roborando, eiusdemque intemperiebus corrigendis sunt destinata: vnde alia calefaciunt, alia refrigerant.

Quia tamen omnes humores in eo generantur; & ob venarum angustiam obstructionibus est valdè obnoxium: idcircò omnia ferè medicamenta, hepati conuenientia, sunt etiam aperiendi facultate donata.

HEPATICA CALIDA. SIMPLICIA.

Radices, calami aromatici, cyperi, enulæ, campanæ.

Folia, agrimoniæ, absintij, menthæ, chamædryos, chamæpytios, betonicæ, centaurij minoris.

Semina, anisi, fœniculi, carui, ammeos.

Flores, anthos macis, scœnanthos, spicæ nardi.

Fructus, garoyphylli, nux moschata, passulæ.

COMPOSITA.

Aquæ, absynthij, menthæ, betonicæ.

Syrupi, de absynthio, de mentha, byzantinus, de quinque radicibus.

Con-

Conserua, florum saluiæ, anthos, cortex citri conditus, radix enulæ condita, acorus conditus, nux condita, nux moschata condita, myrobalani conditæ.

Confectiones, theriaca, mitridatum.

Electuaria, aromaticum rosatum, diambra, diarrhodon temperatum.

Trochisci, de absynthio, de rhabarbaro, de eupatorio.

EXTERNA.

Olea de de absynthio, de mentha, nardinum.

HEPATICA FRIGIDA.

SIMPLICIA.

Radices, graminis, asparagi, cichorei, acetosæ, brusci.

Ligna, santali omnes.

Folia, endiuiæ, cichorei scariolæ, chondrillæ, hepaticæ adianti, acetosæ, portulacæ.

Semina, quatuor frigida maiora, quatuor frigida minora.

Nempe, lactucæ, portulacæ, endiuiæ, cichorei, semen acetosæ.

Flores, rosarum, nymphęę, cichorei.

Fructus, pruna acida, granata acida, cucurbita, ribes cucumeres.

Succi, limonum, granatorum, cydoniorum endiuiæ acetosæ, cichorei, acetum omphacium.

Animalia, ebur, spodium.

Mineralia, corallium.

COMPOSITA.

Aquæ, cichorei, endiuiæ, graminis, acetosæ, rosarum, agrimoniæ.

Syrupi, de cichoreo simplex, & compositus, de succo acetosæ, de granatis, de limonibus rosarum siccarum.

Conseruæ, florum cichorei, foliorum acetosæ, rosarum, fructuum berberis, cerasa acida condita.

Electuaria, diatriasantali, diarrhodonis, abbatis, diamargariti frigidi.

Trochisci, de spodio de caphura.

EXTERNA.

Olea rosaceum, omphacinum, nenupharis.

Vnguenta, rosaceum, ceratum santalinum refrigerans Galeni.

CAPVT XXIII.

De Stomachicis medicamentis.

Ventriculi actio multis modis offenditur: vel quatenus alimentum non appetit, vel malè concoquit, vel denique probè non retinet.

Appetentia deficitur, quando ventriculus, & præsertim superius illius orificium aliquo humore excrementitio obducitur, qui partis illius sensum obtundit. Concoctio læditur imminutio ventriculi calore. Retentio denique labefactatur ex partis laxitate, quam sequitur vomitus, & alui fluxus.

Appetentiam exsuscitant medicamenta, quæ humores noxios detergunt, partis robore seruato, partemque blandè vellicando, dinulsionis sensum efficiunt qualia sunt acida, & salsa. Concoctionem iuuant nonnulla proprietate specifica, alia calore moderato, & aromatica vi. Retentio denique astrigentibus appropriatis confirmatur Illa autem omnia stomachica medicamenta ad calidorum, vel frigidorum classes referri solent.

VEntriculi, quemadmodum, & aliarum partium functiones, à varijs intemperiebus lædi solent, quæ generaliter sui ablationem indicant. Ideò semper in stomachicorum classe ea erunt seligenda, quæ cùm partem roborent, generali etiam indicationi inseruiant, hanc scilicet, vel illam intemperiem corrigendo.

STOMACHICA CALIDA.

SIMPLICIA.

Radices, zinziberis, cyperi, calami aromatici, galangæ.

Cortices, citri, cinamomi.

Lignum, xyloaloes.

Folia, menthæ, absynthi, vtriusque saluiæ, betonicæ, rorismarini.

Semina, anisi, fœniculi, coriandri, citri, piper.

Fructus, garyophylli, nux moschata.

Flores, saluiæ, anthos, betonicæ, macis, crocus.

Gummi, mastiches.

Mineralia, succinum, ambra.

COMPOSITA.

Aquæ, betonicæ, absynthij, menthæ, saluiæ.

Syrupi, de mentha, de absynthio pontico.

Conseruæ, florum saluiæ, anthos; foliorum absynthij, cortex citri conditus, nux moschata condita, myrobalani conditæ, zinziber conditum, acorus conditus.

Confectiones, theriaca, mithridatum, alKermes.

Electuaria, aromaticum rosatum, diambræ, diagalangæ.

Trochisci, de absynthio, de rhabarbaro.

EXTERNA.

Olea, nardinum, de absynthio, de mentha, nucis moschatæ, mastichinum, myrtinum.

Emplastra, pro stomacho de mastiche.

STOMACHICA FRIGIDA.

SIMPLICIA.

Radices, plantaginis, acetosæ.

Ligna, santalum rubrum.

Folia plantaginis, myrti.

Semina, plantaginis, cydoniorum.

Flores, rosæ rubræ, balaustia.

Fructus, cydonia, pyra mespila, myrtilli.

Succi, acacia, hypocistis.

Mineralia, corallus.

COMPOSITA.

Aquæ, rosarum, plantaginis, acetosæ.

Syrupi, rosarum siccarum, cydoniorum, granatorum, myrtini, de succo acetosæ, de agresta.

Conseruæ, rosarum rubrarum, foliorum acetosæ.

Electuaria, diatriasantalon.

EXTERNA.

Olea, rosaceum, lentiscinum, omphacinum.

Vnguenta, ceratum, santalinum rosaceum.

CAPVT XXIV.

De Splenicis Medicamentis.

LIeni dicata medicamenta ferè sunt, quæ melancholicum humorem præparant, propterea quod lien dicatur melancholiæ conceptaculum.

At verò quandoque illa melancholia naturalem sortitur conditionem, estque frigida, crassa, & terrestris, obstructiones efficiens, tumque medicamenta postulat aperientia, incidentia, & detergentia; imò, & interdum emollientia, quando humor induratus scirrhum producit.

Interdum nimio calore aduritur, & atræ bilis conditiones acquirit, tumque eadem requirit medicamenta, quæ supra atræ bili præparandæ idonea esse diximus.

SPLENICA CALIDA.

SIMPLICIA.

Radices, apij, enulæ campanæ, ireos, calami aromatici, aristolochiæ.

Cortices, radicum capparum, cortex medianus fraxini, medianus tamarisci, cinamomum.

Folia, chamædryos, cuscutæ, ceterach, summitates lupuli, tamarisci, pulegij, thymi, nasturtij, fumariæ, centaurii minoris, melissæ.

Semina, agni casti, nasturtii, anisi, apij, cardui benedicti.

Flores, genistæ, calendulæ, tamarisci, crocus.

Fructus cappares.

Gummi, ammoniacum, bdellium, myrrha.

Mineralia, chalybs.

COMPOSITA.

Aquæ, fœniculi, fumariæ, melissæ, cardui benedicti cinamomi.

Syrupi, de fumaria, de quinque radicibus, oxymel simplex, oxymel scilliticum.

Conseruæ, florum tamarisci, genistæ, acorus conditus, zinziber conditum, cortex citri conditus.

Confectiones, alKermes.

Electuaria, de gemmis, lætificans Galeni.

Trochisci, de cappatibus, de eupatorio.

EXTERNA.

Oleà, de cappatibus, tamarisci, irinum, rutaceum.

Vnguenta, de arthanita, de althea.

Emplastra, de mucilaginibus, de meliloto, diachylum cum gummis de Ammoniaco.

SPLENICA FRIGIDA.

Eadem ferè sunt ac bilem attenuantia, quæ ideò, ne hic frustra repetantur, inde erunt depromenda, quibus addenda erunt, quæ bilem adustam præparare valent.

CA-

CAPUT XXV.

De Nephriticis Medicamentis.

Medicamenta renum affectibus curandis idonea dicuntur, vel quatenus vrinas promouent; vel quatenus renum ardorem contemperant; vel quatenus calculos frangunt, aut comminuunt; vel denique quatenus arenulas, viscidosque humores, in renibus contentos detergunt.

Vrinas mouentia suprà fuerunt proposita; ijs tamen quædam addenda sunt, renibus magis peculiariter appropriata.

Renum ardorem contemperant diuretica frigida, tum alia nonnulla simpliciter refrigerantia, quæ nephritica frigida appellantur.

AD calidam renum intemperiem corrigendam non semper vtendum est diureticis, quantum vis refrigerent. Non quando immoderatum vrinæ profluuium illam intemperiem consequitur, alijs refrigerantibus est vtendum, quæ potius incrassent, aut leniter adstringant, qualia sunt lactuca, portulaca, semen psyllij, gummi tragacanthum, &c.

Lithontriptica, seu calculum frangentia medicamenta id præstant, vel specifica proprietate, vel quatenus incidunt, & attenuant, sine admodum insigni calore: alioquin calculum magis excoquerent, vel denique asperitate sua summam calculi faciem abstergunt, & attritu comminuunt.

Arenulas, viscidosque humores detergentia ex diureticis, aut lithontripticis desumuntur.

Horum omnium materia talis est.

VRINAS MOVENTIA.

Hæc suprà fuerunt proposita, tàm calida, quàm frigida, capite XIV.

VRINÆ, RENVM QUÆ ARDORVM temperantia, & lenientia.

SIMPLICIA.

Radices, altheæ, liquiritiæ.

Folia, maluæ, lactucæ, portulacæ, endiuiæ, cicerbitæ, scariolæ.

Semina, melonum, cucurbitæ, cucumeris, altheæ, maluæ, lactucæ, papaueris albi, psyllij, hordeum.

Fructus pruna dulcia, passulæ, iuiubæ, amygdalæ.

Flores, violarum, nenupharis.

Gummi, tragacanthum.

Animalia, lac, butyrum.

COMPOSITA.

Aquæ, lactucæ, portulacæ, neupharis.

Syrupi, de liquiritia, altheæ, iuiubarum, violarum.

Conseruæ, violarum, nymphææ, lactucæ conditæ.

Electuaria, diatracanthum frigidum.

EXTERNA.

Olea, violarum, rosaceum, nenupharis.

Vnguenta, refrigerans, Galeni, vnguentum rosaceum.

LITHONTRIPTICA, SEV calculum frangentia.

SIMPLICIA.

Radies, ononidis, lappæ maioris, saxifragiæ, virgæ aureæ calcitrapæ.

Ligna, lignum nephriticum.

Cortices, fabarum siccarum, radicis lauri.

Folia, saxifragiæ, calcitrapæ, argentinæ, fragariæ, parietariæ, fœniculi marini.

Semina, milij solis, vrticæ, raphani.

Fructus, nuciei ceraforum; persicorum, mespilorum, bacchæ iuniperi, hederę.

Gummi, terebinthina.

Animalia, mille pedes, sanguis hircinus pręparatus, oculi cancrorum fluuiatilium.

Lapides, Judaicus, nephriticus, crystallus præparatus.

COMPOSITA.

Aquæ, saxifragiæ, calcitrapæ, nicotianæ.

Syrupi, nephrocatharticus Iouberti, de raphano Fernelij, oxymel simplex, oxymel scyliticum.

Electuaria, lithontripticon.

ARENVLAS, ET VISCIDOS Humores detergentia.

Eadem sunt, quæ diuretica, & calculos expellentia.

Terebinthina, parietaria, raphanus, apium, cicera rubra.

CAPUT XXVI.

De Hystericis Medicamentis.

Quæ in vteri affectibus vsurpantur medicamenta, vel ipsum corroborant, & conceptionem adiuuant: vel partus, & secundinarum exclusionem promouent vel menstruas purgationes educunt, vel nimium earundem fluxum cohibent: vel vterum ab excrementorum illuuie expurgant.

Conceptum iuuantia moderato calore vterum reficiunt aromatica vi recreant, & quadam adstrictione firmant.

Quæ fœtum, & secundinas excludunt, menses etiam promouent: sed fortiora ex his vsurpantur.

Menses mouentia calida sunt, & tenuium partim nec tamen vehementer exsiccant, neque solum sanguinem attenuant, sed etiam vasorum oscula aperiunt.

MAxima est menses mouentium, & diureticorum affinitas. In eo tamen distinguuntur secundum Galenum, 5. *de simp. fac. cap.* 22. quòd ambo quidem sint calida, sed diuretica, potenter exsiccant, menses mouentia minimè. Illa enim, quæ validiùs exsiccant, sanguinem absumunt, & sic menstruis materiam subripiunt, necnon eundem incrassant, & fluxui minus idoneum efficiunt; eadem tamen vrinarum profusionem iuuant, quia dum sanguis à calore fusus cogitur à siccitate, oportet fieri serosę substantiæ secretionem, quæ vrinæ materiam suppeditat.

Menses cohibentia medicamenta vel adstrictiora vi meatus occludunt, vel humores incrassando eorum fluxum impediunt.

Omnis fluxio immodica vel ex nimia meatuum laxitate, vel humorum tenuitate, ac mobilitate dependet: hinc, meatus illos adstringendo, ac humoribus crassitiem, & lentorem conciliando facilè cohibetur.

Vterum expurgantia ex menses mouentibus desumuntur, ea præsertim seligendo quæ sunt detergendi facultate donata.

Horum omnium materia talis est.

CONCEPTVM IVVANTIA.

SIMPLICIA.

Radices, calami aromatici, bistortæ galangæ, cyperi.

Folia, betonicæ, saluiæ, rorismarini, maioranæ.

Fructus, nux moschata, caryophylli.

Flores, saluiæ, rorismarini, betonicæ, macis, spica nardi.

Gummi, styrax, benzoinum, thus, mastix.

Animalia, moschus, zibetum.

Mineralia, succinum, coralium, ambra.

COMPOSITA.

Aquæ, saluiæ, betonicæ, maioranæ.

Conseruæ, florum betonicæ, saluiæ, anthos; acorus conditus, nuces iuglandes conditę, nuces moschatæ conditæ, myrobolani conditæ, radix satyrionis condita.

Confectiones, theriaca, mithridatum.

Electuaria, diamoschi, diambræ, de gemmis, diagalangæ, aromatici rosani.

Trochisci, galliæ moschatæ, aliptæ moschatæ.

EXTERNA.

Olea, nardinum, myrtinum.

PARTVM, ET SECVNDINAS Excludentia.

Quæ menses mouent, etiam fœtum, & secundinas educunt peculiariter autem hæc.

Dictamnus creticus, arthemisia, aristolochia, crocus, aqua cinamomi. Confectio alkermes, borax officinarum, sabina, opopanax, sagapenum, myrrha, testiculi equorum, hepar anguillæ, castoreum, assa fœtida.

Posteriora duo secundinis tantùm conueniunt, quia graui odore fœtum enecarent.

MENSES MOVENTIA

SIMPLICIA.

Radices, aristolochiæ vtriusque, rubiæ tinctorum, valerianæ, cyperi, ireos, gentianæ.

Cortices, cinamomum.

Folia, arthemisiæ, mercuriali, matricariæ, nepetæ, saluiæ, calamenti, pulegij, origani, rutæ, abrotani, prassij, dictamni cretici.

Semina, seseleos, anisi, dauci, fęniculi, rutæ, carui.

Flores, chamomilæ matricariæ, crocus.

Gummi,

Gummi, myrrha, assa fœtida, opopanax, sagapenum, galbanum.
Animalia, castoreum.
Mineralia, borax officinalis.

COMPOSITA.

Aquæ arthemisiæ cinamomi.
Syrupi de arthemisia, de hyssopo.
Conseruæ, *& electuaria*, repetenda ex diureticis.
Trochisci de myrrha.

EXTERNA.

Olea, & vnguenta repetenda ex emollientibus, quæ in *secunda sectione* tradentur.

MENSES SISTENTIA SIMPLICIA.

Radices, symphyti, bistortæ, tormentillæ.
Folia, plantaginis lentisci, equiseti, rubi, portulacæ, myrti, centinodiæ, menthæ.
Semina, plantaginis, acetosæ.
Fructus, myrtilli.
Flores, rosarum, balaustiorum.
Gummi, mastiches sanguis draconis.
Animalia, coagulum hædi, leporis, cornu cerui, vstum, ebur, spodium.
Mineralia, bolus armena, terra sigillata, corralium.

COMPOSITA.

Aquæ, plantaginis, rosarum, nympheæ, portulacæ, menthæ.
Syrupi, myrtinus, de mentha, cydoniorum, rosarum siccarum.
Conseruæ, rosarum, cydonia condita.
Confectiones, philonium Romanum.
Trochisci, de spodio, de terra sigillata.

EXTERNA.

Olea, myrtinum, rosaceum, cydoniorum.
Vnguenta, Comitissæ.
Emplastra, de mastichæ, contra rupturam.

VTERVM EXPVRGANTIA.

Eadem, quæ menses mouentia, & præcipuè.
Bryonia, aristolochia vtraque gentiana, mercurialis, arthemisia, matricaria, marrubium, chamædrys, &c.

CAPUT XXVII.

De Arthriticis Medicamentis.

Articuli ex neruosis partibus maximè componuntur. Cùm verò neruorum, ac cerebri eadem sit proportio, quæ supra proposita sunt cephalica, interiùs vsurpanda, eadem arthritica censebuntur.

QVando humor, in articulis contentus, apozematæ, aut aliquo alio interno medicamento præparandus est, eadem omninò præscribenda remedia, quæ in affectibus capitis conueniunt, ex quibus tamen ea seligenda erunt, quæ magis specificè articulis conuenire creditit antiquitas.

Quia verò articulorum affectus topicis remedijs maximè curari solent; ea hic proponenda sunt, quæ illis peculiariter conueniunt, atque ita distinguenda, vt alia statim initio ardorem si quis inest, compescant, & fluxiones arceant, nec tamen humores in partem inflammatam altius impingant: alia dolorem, qui, citra inflammationem fuerit, compescant, alia denique dolore sedato humorem impactum digerant: quæ omnia sigillatim sunt proponenda.

FLVXIONEM INHIBENTIA.

Folia, hyoscyami, cicutæ, solani, mandragoræ, semper viui.
Succi hyoscyami, solani, lactucæ, acetum, opium.
Gummi, caphura.
Mucilagines, seminis psyllij, cydoniorum.
Aquæ, rosarum, plantaginis, solani.
Olea rosaceum.

DOLOREM SEDANTIA.

Radix althææ, lac vaccinum, stercus vacinum, *æsipus*, thus oui albumine subactum, vitellus oui, flos chamæmeli; meliloti, crocus, *& quamplurima alia ex practicis repetenda.*

DIGERENTIA.

Radices, enulæ campanæ hermodactyli.
Folia, verbasci, chamæpityos, vrticæ, ebuli, saluiæ centaurij minoris.
Semina, vrticæ, nasturtij.
Gummi, opopanax, bdelium, ammoniacum, sagapenum, galbanum, euphorbium.
Animalia, castoreum, caruli viui admoti.
Liquores, vinum, aqua vitæ, aqua marina, aqua thermarum sulphurearum.
Olea chymica, vitrioli, ceræ, de lateribus.
Emplastra, de mucilaginibus, de meliloto, oxycroceum, diapalma, diaphoreticum.

CAPUT XXVIII.

De Medicamentis lac generantibus, idemque minuentibus.

Medicamenta lacti generando idonea, ex Gal. 5. de simpl. fac. c. 22. modicè calefaciunt, & non exsiccant, quia calefaciendo sanguinem attenuant, vt facilius ad mammas ferri possit, neque exsiccando illius copiam minuunt, quæ magna esse debet ad lactis generationem.

LAc. generantia ijsdem qualitatibus videntur esse prædita, quibus menses mouentia; cum tamen hæc illis maximè videantur esse contraria quoad effectus. Quoties enim mensium fluxus proritatur, toties lactis generatio impeditur. In eo tamen differunt, quod menses mouentia calidiora sunt lac generantibus, & magis attenuent: nam in lactis generatione fit expulsio sanguinis ad mammas, & attractio ab ijsdem: at in mensium vacuatione fit tantùm expulsio ad vterum: vnde oportet sanguinem magis attenuari, & remedia esse calidiora, siccioraque. Sic Galen. *cap. 21. l. 5. de med. fac.* vult, anethum, fœniculum, & erucam illas, inquam, herbas virentes, & humidas lacti generando conuenire: siccas verò, menses mouere, quia tunc temporis magis calefaciunt, & exsiccant.

Lactis copiam minuunt, quæ exsiccando sanguinem absumunt, vel eundem refrigerando & incrassando ineptum efficiunt, vt ad mammas deferatur.

Horùm omnium materia talis est.

LAC GENERANTIA.

Fœniculum viride, semen eiusdem, anethum viride, apium, Amaranthus, lac Lunæ, crystalli puluis, brassicæ decoctum, butyrum cum lacte, & fœniculo sumptum.

LAC MINVENTIA.

Mentha, chelidonium maius, calamentum, coriandrum, ocymum, omphacium, acetum, oxymel, camphora.

CAPVT XXIX.

De Medicamentis semen generantibus, idemque extinguentibus.

SEmen generant, & ad libidinem prouocant medicamenta, quæ calida sunt, & flatuosa sine exsiccatione.

Minuunt verò semen, & veneris stimulos obtundunt, quæ, vel impensè refrigerant, vel admodum exsiccando, materiam seminalem absumunt.

Horum materia talis est.

SEMEN GENERANTIA.

Semina, erucæ, napi, vrticæ, sinapi, piper.
Fructus, pistacia, nuclei pinei.
Animalia, schincus, cerebella passerum, testiculi galli.

SEMEN EXTINGVENTIA.

Lactucæ, portulaca, camphora, mentha, ruta, semen agni casti, anethi.

CAPVT XXX.

De Medicamentis flatus discutientibus.

MEdicamenta flatus discutientia calefaciunt, & attenuant, vaporesque à materia frigida productos per diaphoresin resoluunt.

Hæc ab ijs, quæ pituitam calefacium, & attenuant, ferè non distinguuntur: ideò hic non erunt repetenda.

CA-

CAPVT XXXI.

De Adstringentibus Medicamentis.

Adstringentia medicamenta frigida sunt, & sicca substantiæque terrestris, vndè partes contrahunt, constipant, & condensant.

HOc theorema verissimum quidem est de simpliciter adstringentibus, quæ illas qualitates præ se ferunt: attamen datur alia medicamenta, quæ cum alijs facultatibus habent etiam adstringendi vim ob variam substantiæ conditionem. Seu dantur multa adstringentia, quæ calida sunt, vt *absynthium*, *mastiche*, *vitriolum*, & alia huiusmodi.

Quæcumque ad menses sistendos supra fuerunt proposita, eadem sunt adstringentia: quare inde illa erunt repetenda.

CAPVT XXXII.

De Medicamentis lumbricos enecantibus.

Quæcumque medicamenta amara sunt, acria, acida, adstringentia, oleosa, lumbricos enecare valent.

AMara, acria, & acida, tenuitate sua lumbricorum substantiam penetrant, eamque dissoluunt. Adstringentia, lumbricos constipando: oleosa, eorundem poros obturando, transpirationem impediunt, qua sola viuunt, sicque eos suffocant. Certum tamen est, nonnulla dari medicamenta, quæ non solum qualitatibus manifestis; sed specifica proprietate lumbricos enecant. Exemplo sit Mercurius, qui ventri tantùm admotus cum vnguentis lumbricos in intestinis contentos potenter enecat, at interiùs assumptus, conuenienter administratus, ac debitè præparatus, miranda præstat. Imò verò Mercurius crudus cum aqua simplici aliquandiu agitatus virtutem suam ei aliquatenus communicat, vt purissima illa aqua, nulla sensibili qualitate prædita, pro potu ordinario exhibita lumbricos etiam efficaciter enecet.

Horum autem lumbricos enecantium materia talis est.

SIMPLICIA.

Radices, graminis, primulæ veris, zedoariæ, dictamni albi, gentianæ, angelicæ, mori, rhabarbarum.

Folia, portulacæ, cichorij, acetosæ, absynthij, Corallinæ, scordij, hyperici, centaurij minoris, verbenæ, marrubij, dictammi cretici.

Semina, citri, tanaceti, brassicæ, lupini, semen contra vermes (seu) Cinæ amygdalæ amaræ.

Succi, limonum, granatorum, portulacæ, aloes.

Animalia, rasura eboris, cornu cerui.

COMPOSITA.

Puluis contra vermes, hiera picra.

Chymica spiritus sulphuris, vitrioli, Mercurius dulcis.

CAPVT XXXIII.

De Vulnerarijs Medicamentis.

Vulneraria medicamenta ea sunt, quæ leuiter adstringendo & exsiccando vulnerum conglutinationem promouent.

NOn solùm externis, & topicis medicamentis vulnera curari solent; sed etiam internis, quæ conglutinationem assumpta promouent, ex ijsque potiones vulnerariæ frequenter componi solent.

Horum materia talis est.

Radices, symphyti, aristolochiæ rotundæ, zedoariæ, tormentillæ.

Folia, vincæ peruincæ, pimpinellæ, saniculæ, bugulæ, pilosellæ, veronicæ, agrimoniæ, centaurij minorijs.

Semina, cardui benedicti.

Animalia, cancri fluuiatiles.

LIBER QVINTVS

PARTIS SECVNDÆ.

SECTIONIS SECVNDE.

PARTICULA SECVNDA

De Materia Medica externa.

CAPUT PRIMUM.

De refrigerantibus, & repellentibus Medicamentis.

IN partibus externis sæpè contingunt inflammationes, erysipelata, herpetes, carbunculi & similes affectus caliditores, quos refrigerantium admotione compescere necesse est, potissimum in eorum principio.

Et quandoquidem hi affectus, vt plurimum a fluxionibus ducunt originem; ideò illa medicamenta in principio repellentia esse debent, vt humorum fluxum impediant, eosque à parte affecta eliminent.

Repellunt autem medicamenta, quatenus prædita sunt adstringendi vi, quæ suprà fuit explicata, cùm de adstringentibus internis ageretur.

Quia verò refrigerantia, & repellentia externa ab internis maximè differunt, ideò illorum series hic exponenda est.

REFRIGERANTIA.
Medicamenta.

SIMPLICIA.

Cortices, radicis solani, mandragoræ.

Folia, lactucæ, intybi genera quatuor, hyoscyami, lenticulæ palustris, vmbilici veneris.

Prædicta simpliciter refrigerant. Sequentia verò refrigerando leniter adstringunt.

Portulacæ, polygonum, plantago, ligustrum, solanum, semper viuum mandragora.

Semina, psyllij, hyoscyami albi, papaueris albi, frigida maiora, & minora.

Flores, rosarum, violarum, nymphææ.

Succi, granatorum, lactucę, portulacæ, semper viui, solani, plantaginis, limonum, acetum, omphacium.

Animalia, albumen oui.

COMPOSITA.

Aquæ, solani, nymphææ, rosarum, plantaginis, polygoni.

Olea, rosaceum violatum, nymphææ, papaueris, hyoscyami mandragoræ.

Vnguenta, rosaceum, ceratum santalinum, refrigerans Galeni, populeum.

REPELLENTIA, ET
Adstringentia.

SIMPLICIA

Radice, bistortæ, symphiti, tormentillæ, rhapontici.

Cortices, medianus sumach, granatorum, iuglandium viridium, calices glandium.

Folia, vitis, & capreoli eiusdem, myrthi, cupressi quercus, oleastri, sumac, centinodiæ, bursæ pastoris, æquiseti, plantaginis, absynthii, menthæ, verbasci summitates rubi.

Semina, portulacæ plantaginis, bursæ pastoris, grana tinctorum, acini vuarum.

Flores, rosæ rubræ, sex rosarum stillatarum, balaustia.

Fructus, myrtilli, nuces cupressi, gallæ immaturæ, mespila, sorba, cydonia.

Succi, plantaginis, & herbarum prædictarum, acaciæ, hypocistidis.

Gummi, mastiche, sanguinis draconis, thus, sandaracha, tragacanthum, sarcocolla gummi arabicum.

Mineralia, bolus armena; terra sigillata, alumen, corallium.

COMPOSITA.

Aquæ, Rosarum, plantaginis, solani, rosarum, corticis nucum ferrata.

Olea, rosarum, omphacinum, myrthinum, mastichinum, lentiscinum, de absynthio, da mentha.

Vnguenta, Comitissæ.

Emplastra, contra rupturam, de crusta panis.

CA-

CAPVT II.

De Emplasticis Medicamentis.

REpellentibus, & adstringentibus emplastica sunt finitima, & in fluxionum principijs, ac sanguinis eruptionibus, ex quacumque etiam parte conueniunt. Sunt enim glutinosa, & pingui substantia prædita, qua parti renaciter adhærent, illiusque poros implent, & obstruunt, ne humor influens eas peruadere possit: tum etiam partem comprimendo humorem illum alio impellunt.

Ex his quædam simpliciter talia sunt, nec vlla alia qualitate insigni prædita; quædam vero simul exsiccant, aut etiam adstringunt: imò maxima eorum pars duas hasce qualitates solet habere coniunctas.

Horum autem materia talis est.

SIMPLICIA.

Farinæ, tritici, fabarum.
Succi, amylum.
Gummi mastiche, sanguis draconis.
Animalia, albumen oui, mumia.
Mineralia, lapis hæmatices, corallium, terra sigillata, bolus armena, gypsum, lithargyrus, ceruſa, pompholyx, cadmia, lapis calaminaris, antimonium, alumen, plumbum.

COMPOSITA.

Vnguenta, album Rhasis de lythargyro, nutritum, diachalcitheos, diapompholygos, desiccatiuum rubrum.

CAPVT III.

De Anodynis Medicamentis.

DOlor corporis partes affligens tribus modis sedari solet: vel causam dolorem efficientem auferendo; vel sensum stupefaciendo narcoticis medicamentis; vel ijs medicamentis, qu anodyna propriè appellantur.

Illa autem anodyna, seu categorica, dicuntur, quæ, causa & morbo remanentibus, dolorem mitigant.

Hique præstant blando, & moderato calore, quo pars affecta fouetur, & ad quandam æqualitatem reducitur, cutis relaxatur, eiusque pori aperiuntur, vt per eam quædam materiæ portio resoluatur.

Horum autem materia talis est.

SIMPLICIA.

Radices, altheæ, maluæ, liliorum.
Folia, maluæ, altheæ, brancæ vrsinæ.
Semina, lini, fœnugreci, altheæ.
Flores liliorum, chamomillæ, meliloti.
Farinæ, seminis lini, fœnugræci.

COMPOSITA.

Olea commune amygdalarum dulcium, liliorum, chamæmelinum, anethinum, irinum, ex vitellis ouorum.
Vnguenta, dialthea, resumptiuum.

CAPVT IV.

De Narcoticis Medicamentis.

NArcotica dolorem sedant, stupefaciendo partem, eique sensum auferendo, vel somnum conciliando, quo sensus toti corpori adimitur.

Hunc effectum producere creduntur summa frigiditate, quam habent in quarto gradu. Hæc est antiqua Galeni doctrina. Recentiores tamen non pauci existimant, non frigiditate simpliciter; sed peculiari facultate, & proprietate specifica, quam vim narcoticam appellant, ea sensum adimere, & somnum conciliare.

Horum vsus non admittitur, nisi post anodyna frustra tentata.

SIMPLICIA.

Radices, mandragoræ, hyoscyami.
Folia hyoscyami cicutæ, mandragoræ, papaueris albi.
Semina, hyoscyami, papaueris albi.
Succi, lactucæ, cicutæ, hyoscyami, opium.

COMPOSITA.

Opiatæ, philonium Romanum, Requies Nicolai.
Olea, mandragoræ, hyoscyami, papaueris albi.
Chymica, laudanum opiatum.

CAPVT V.

De Emollientibus Medicamentis.

Durities omnis à tribus causis preduci solet, siccitate, tensione, concretione.

QUæ exsiccantur, duriora euadunt: quæ verò repleta sunt, distenduntur, & renitentia fiunt, ita vt contactui resistant, & dura appelluntur: illa etiam, quæ à frigore concrescunt, duritiem acquirunt, vt in glacie apparet. Omnes istæ duritiei species corpori nostro contingunt. Humores enim siccitatem contrahunt, diuturna caloris, aut resolutionum medicamentorum actione, quia tenuiores humidioresque partes dissipantur, crassiores, siccioresque remanent. Ab humorum multitudine partes replentur, & distenduntur: ac denique humores natura frigidi, proprio calore destituti, vel in parte, intemperie frigida laborante, residentes, sponte concrescunt, & indurantur.

Quæ à siccitate oritur durities, humectatione curatur, quæ a repletione, & humorum multitudine, vacuatione soluitur, quæ à concretione, propriè dictis emollientibus auferitur.

Sunt autem verè emollientia anodynis finitima, moderato calore, & siccitate prædita, secundum Galen. 5. de simpl. medic. fac. c. 8. omni acrimonia, & excedente qualitate destituta: vnde concretum frigore humorem fundunt, & colliquant, sicque illius duritiem auferunt.

Horum autem materia talis est.

SIMPLICIA.

Radices, maluæ, altheæ, liliorum, iridis, bryoniæ, ebuli, cucumeris agrestis.
Folia, violariæ parietariæ, acanthi, maluæ, altheæ, atriplicis, ebuli.
Semina, lini, fœnugræci, maluæ, altheæ.
Flores, chamæmeli, meliloti, liliorum.
Fructus, ficus pingues.
Gummi, terebinthina, ammoniacum, bdellium, styrax, galbanum, opopanax.
Animalia, butyrum adeps suillus, gallinaceus, anserinus, œsypus, medulla ceruina, vitulina.

COMPOSITA.

Olea, commune, liliorum, violaceum, lumbricorum chamæmelinum, lini, irinum catulorum.
Vnguenta, de althea, resumptiuum.
Emplastra, diachylum magnum, de mucilaginibus, de melilloto, filij Zachariæ, ceroneum, oxycroceum, de ranis.

CAPVT VI.

De Resoluentibus Medicamentis.

REsoluentia medicamenta emollientibus sunt calidiora, nec non tenuem habent substantiam, vnde facilè penetrant, cutis poros dilatant, humores attenuant, & in vapores conuertunt, vt per insensibilem transpirationem, seu diaphoresin vacuentur.

Eorum materia talis est.

SIMPLICIA.

Radices, enulæ campanæ, ireos, dauci, aristolochiæ, galangæ.
Folia, maioranæ, absynthii, hyssopi, calamenti, pulegii origani, lauri, rutæ, satureiæ, saluiæ, rorismarini.
Semina, dauci, cumini, anethi, fœnugræci, lini, nigellæ, anisi, fœniculi.
Fructus, baccæ lauri, iuniperi, piper.
Flores, stœchados, hyssopi, lauendulæ, anethi, chamomiliæ, meliloti.

COMPOSITA.

Olea, anethinum, rutaceum, amygdalarum, amarum, de capparibus, scorpionum, nardinum, hyperici, vulpinum, terebinthinæ, de spica.
Vnguenta, Agrippæ, Aregon, martiarum.
Emplastra, de sulphure, de baccis lauri, diachylum, ireatum.

CA-

CAPUT VII.

De Epispasticis, seu attrahentibus Medicamentis.

ATtrahentia medicamenta resoluentibus sunt calidiora, & humores, in profundo corporis contentos, cuti admota, foras euocant, eosque discutiunt.

Licèt autem, vt plurimùm à caliditate, & partium tenuitate vim illam obtineat; nonnulla tamen proprietate insita id præstat, quem admodum dictamnus infixa corpori spicula traere creditur: alia similitudine substantiæ, vt scorpius, vulneri à se inflicto impositus, venenum ad se trahit.

Attrahentium autem medicamentorum materia talis est.

SIMPLICIA.

Radices, aristolochiæ vtriusque pyrethri, thapsiæ, hormodiactyli, iridis, hellebori, cyclaminis, anacardij.

Folia, anagallidis, calamintæ, iberidis, saponariæ, vrticæ, zedoariæ.

Semina, thlaspi, sinapi, nasturtij, vrticæ.

Fructus, colocynthis.

Succi, elaterium.

Gummi, pix, euphorbium, ammoniacum.

Animalia, castoreum, fimus columbinus, gallinaceus, stercus caprillum.

Mineralia, sulphur.

COMPOSITA.

Olea, balalinum, sinapinum.

Emplastra, de meliloto, de baccis lauri, de sulphuræ, oxycroceum.

CAPUT VIII.

De Suppurantibus Medicamentis.

Suppurantia medicamenta moderato calore, & humiditate prædita sunt, ac partis, cui admouentur, temperaturæ simillima, sicq; natiuum illius calorem augent, quo sanguis putrescens concoquitur, & in verum pus commutatur.

IN corporibus nostris tres omnino fieri solent alterationes, secundum Gal. 5. *de simpl. medic. fac. c. 6. Prima* planè secundum naturam est; cùm videlicet in ventriculo, hepate, & singulis partibus alimentum concoquitur ad nutritionem. *Secunda* est omnino præter naturam, cùm substantiæ in corpore contentæ putredinem contrahunt. *Tertia* denique media existit; partim naturalis, partim vero præternaturalis, & *Suppuratio* appellatur. Cùm enim sanguis, in parte contentus putredinem contrahens, calorem præternaturalem acquisiuit, à partis calore natiuo alteratur, & concoquitur, ita vt calore vtroque simul operante, nec perfecta concoctio, nec putredo absoluta producatur; sed media quædam operatio, *Suppuratio* dicta, qua humor non quidem nutritioni idoneus redditur, sed ad quandam substantiæ, & qualitatum moderationem, naturæ magis consentaneam, reducitur. Iam verò medicamenta, suppurationem promouentia, ea sunt, quæ calorem natiuum augent, vt melius vires suas possit exserere. Talia sunt, quæ calorem habent partis, cui imponuntur, calori consimilem, sicque eum fouent, & vegetiorem efficiunt.

Illa verò emollientibus medicamentis sunt valdè similia; in eo tamen distinguuntur, Galeno teste, quod emollientia calidiora sint, & sicciora atque adeo nonnihil humoris in parte contenti absumant; suppurantia verò magis temperata totam humiditatem seruent.

Porro suppurantia exactè talia, emplastica esse debent; vt enim calor in parte retineatur, pori illius obstrui debent; ne per eosdem fiat dissipatio; emplasticis verò medicamentis proprium est, poros partium occludere.

Suppurantium autem medicamentorum materia talis est.

SIMPLICIA.

Radices, altheæ, liliorum, cepa *sub cineribus cocta, in tumoribus, qui ægrè suppurant, efficax.*

Folia, maluæ, altheæ, acanthi, tussilaginis, oxalidis.

Semina, altheæ, lini, fœnugræci.

Flores, chamomillæ, meliloti.

Gummi, pix liquida, terebinthina, resina, ammoniacum, bdellium.

Farinæ, tritici, lini, fœnugræci.

Animalia, butyrum, œsypus, adeps suillus, vitulinus, gallinaceus, anserinus, medulla ceruina, vitulina, vitellum oui.

COMPOSITA.

Olea, liliorum, chamæmelinum, irinum, commune, hydreleum.

Vnguenta, Basilicum, de Althea, Agrippæ, resumptiuum.

Emplastra, diachylum magnum, de mucilaginibus.

CAPVT IX.

De Medicamentis detergentibus.

Ad abscessum disruptorum, vel vlcerum sordidorum saniem, aliasque sordes expurgandas, detergentibus vtimur medicamentis; quæ asperitate sua, vel nitrosæ vi, materias illis impactas eliciant.

DEtergendi facultas à primis qualitatibus non dependet, cùm dentur calida, & frigida detergentia; sed à quadam asperitate, & nitrosa vi, quæ nihilominus calori coniuncta potentiùs operatur, propterea quod materia lenta, & parti adhærescens, calore attenuata faciliùs detergatur.

Horum autem detergentium materia talis est.

SIMPLICIA.

Radices, apij, ireos, aristolochiæ vtriusque, gentianæ.

Folia, absynthij, centaurij minoris, marrubij, apij, agrimoniæ, plantaginis, anagallidis.

Semina, apij, plantaginis.

Succi, foliorum prædictorum, vinum.

Farina, fabarum, lupinorum, fœnugræci, hordei, lini.

Gummi, terebinthina, aloes, thus, myrrha.

Animalia, mel, vrina.

Mineralia, vitriolum vstum, ærugo, salpetræ.

COMPOSITA.

Syrupi, de rosis sicci, mel rosaceum.

Olea, de myrrha, de tartaro, ex vitellis ouorum, sambucinum.

Vnguenta, aureum, enulatum, Apostolorum, Ægyptiacum, mundificatiuum de apio.

Emplastra, de ianua, gratia Dei, diuinum

CAPVT X.

De Sacorticis Medicamentis.

Sarcotica medicamenta dicuntur, quæ carnis in vulnere, aut vlcere deficientis generationem promouent.

Id præstant moderatè ex siccando, & vlcerum sordes blande detergendo. Ideo moderatè calida & siccæ esse debent, omnisque acrimoniæ expertia, si enim calidiora, & acriora forent: carnem colliquarent, si frigidiora, & astringentia; citius cicatricem inducerent, antequam vlcus carne foret repletum.

PRoprium naturæ munus est, carnem generare per alimenti assimilationem. Medicamenta verò, quæ *sarcotica* seu carnem generantia nominantur, non possunt per se id efficere; sed tantùm naturæ actionem adiuuant, impedimenta auferendo. Solent enim carnis generationem impedire sordes in vlcere contentæ, & humiditates superfluæ, in eo luxuriantes; hinc leuiter exsiccantibus, & detergentibus medicamentis vlcus purum efficitur, & actioni naturæ, carnem deficientem reparare studentis, suscipiendæ dispositum.

Sarcoticorum autem materia talis est.

SIMPLICIA.

Farinæ, fœnugræci, orobi, lupinorum.

Gummi, thus, pix vtraque, terebinthina, sarcocolla, aloe, myrrha.

Mineralia, plumbum vstum, ceruſa.

COMPOSITA.

Vnguenta, Basilicum, aureum, pompholygos, Apostolorum.

Emplastra, de ianua gratia Dei, diuinum, de betonica

CAPVT XI.

De Epuloticis, seu cicatricem inducentibus Medicamentis.

Epulotica medicamenta dicuntur, quæ vlceris carnem cuti consimilem efficiunt, eam valdè exsiccando, & adstringendo.

VT cute nudata caro cicatrice obducatur, extima illius superficies debet maximè adstringi, contrahi & exsiccaria vnde cicatricem inducentia medicamenta, exsiccantia, & adstringentia cum sint, glutinantibus finitima esse videntur, quæ ipsdem qualitatibus prædita esse, supra annotauimus. In eo tamen differunt, quòd epulotica potentiùs exsiccent, & adstringant, neque enim id solum, quod in carnem influit, & excrementitium est, humidus absumunt; sed ipsam carnis substantiam valdè exsiccant, eamque in cutis naturam ferè conuertunt.

Epuloticorum autem materia talis est.

SIMPLICIA.

Plantæ, maliciorum, plantago, myrthus, balaustia, rosæ.

Mineralia, bolus armena, terra sigillata. lithargyrus, cerusa, lapis hæmatites, calaminaris, cadmia, pompholyx, scoria ferri, plumbum vstum, squamæris, æs vstum, antimonium vstum, calx; almen vstum, vitriolum vstum. *Sex ista poriora sæpiùs lota, donec acrimoniam deposuerint, sunt vsurpanda.*

COMPOSITA.

Vnguenta, album Rhasis, desiccatiuum rubrum, diapompholygos.

Emplastra, de cerusa, de lapide calaminari, diapalmæ Paracelsi.

CAPVT XII.

De Medicamentis sanguinem sistentibus.

EA medicamenta, quæ sanguinem ex quacumque parte fluentem prohibent, trium generum esse solent. Vel enim proprietate peculiari id præstant; vel quatenus emplastica sunt, venasque apertas infarciunt, & occludunt, vel denique quatenus partem vulneratam vrunt, eamque crusta obducunt.

Præcipuorum autem materia talis est.

Radices, symphyti, pentaphylli.

Folia, centinodiæ, pimpinellæ, equiseti, plantaginis, vincæ peruincæ, virticæ.

Fructus, gallæ.

Flores, balaustria.

Succi, acetum, omphacium, acacia, hypocystis.

Gummi, mastiche, sanguis dragonis, thus, myrrha.

Animalia, gluten, mumia, albumen oui.

Mineralia, bolus armena, terra sigillata, lapis hæmatitices, jaspis, corrallium, alumen, vitriolum.

Idipsum præstant emplastica omnia: sed minùs efficaciter.

CAPVT XIII.

De Glutinantibus Medicamentis.

Κολλητικὰ seu glutitantia medicamenta sunt, quæ vulnerum labra adducta coniungunt, & ad perfectam vnionem perducunt.

Eaque omnia adstringentia, & exsiccantia esse debent.

QVando pars diuisa constringitur, vnio illius facilius perficitur, ad quam etiam necesse est, vt non id solum, quod influit, sed quod ipsa carne consistit, liquidius absumatur, atque ita magna exsiccatione opus est, quæ tamen calorem non habeat tam excedentem, vt vel partem colliquet, vel acrimonia feriat: Inde enim noua humiditas succresceret, quæ conglutinationem impediret.

Horum materia talis est.

SIMPLICIA.

Radices, syphyti, tormentillæ, pentaphylli.

Folia, arnogloßi, cynogloßi, mille folij, verbena, piloselæ, betonicæ, scabiosæ, bugulæ, sanículæ, hyperici, prunellæ.

Gummi, sarcocolla, myrrha, thus, aloe, terebinthina, pix liquida.

Animalia lumbrici: mumia, pili leporis, *minutim dissecti.*

Mineralia, lithargyrus auri.

COMPOSITA.

Olea, Myrrhæ, nicotianæ, balsama varia.

Vnguenta, aureum, desiccatiuum rubrum.

Emplastra, contra rupturam, triapharmacum, nigrum.

CAPVT XIIII.

De Vesicantibus Medicamentis.

VEsicantia medicamenta summam cutem valde calefaciunt, serosos humores ad ipsam attrahunt, ac cuticulam vrendo à subiecta cute diuellunt, vnde vesiculæ excitantur.

Sunt etiam summè calida, tenuis, & ferè igneæ substantiæ vt partem, cui admouentur, facilè inflamment, in eaque vesiculas excitent, vnde nomen sortita sunt.

Horum materia talis est.

SIMPLICIA.

Radices, thapsiæ, pyrethri.

Semina, sinapi, staphisagriæ.

Gummi, euphorbium.

Animalia, stercus columbinum, cantharides.

COMPOSITA.

Emplastrum, vesicatorium.

CAPVT XV.

De Cathareticis, seu excedentibus medicamenti.

CAthæretica medicamenta carnes superfluas in vlceribus excrescentes, polypos, & tubercula quæuis absumunt.

Calidissima sunt etiam in quarto gradu, nec non tenuis substantiæ, ac ferè adurentis, quâ omnes illas excrescentias obliterant. Vesicantibus paulò minùs vehementia, quod inde patet, quòd cathærica, cuti admota illam non alterent; sed tantùm carnem denudata, quæ mollior multò existit. At vesicantia partem, cui admouentur, facilè inflammant.

SIMPLICIA.

Pumex crematus, sal torrefactus, alum vstum, vitriolum vstum, antimonium vstum, crocus metallorum, ærugo, squama æris, mercurius præcipitatus, cinnabaris, puluis Sabinæ.

COMPOSITA.

Oleum vitrioli, & sulphuris, aqua secunda, vnguentum Apostolorum, Ægyptiacum.

CAPVT XVI.

De Causticis medicamentis.

CAustica medicamenta non solùm cuticulam; sed etiam ipsam veram cutem, & carnem subiectam vstione soluunt, in eaque escharam efficiunt, quæ à parte separatur, & decidit, in eaque profundum vlcus relinquit.

Hæc verè *pyrotica* appellantur, quia prorsus igneam obtinent naturam, crassamque substantiam, qua impensius vrunt: ignis enim indensiori materia magis vrit.

Horum materia talis est.

Calx viua æs vstum, mercurius sublimatus, arsenicum, causticum vulgare chirurgorum, liquor gummosus, qui ad mercurij vitæ confectionem elicitur, de quo vide Zapatam.

THE-

TERAPEVTICÆ

PARTIS SECVNDÆ,

SECTIO SECVNDA.

De Compositione Medicamentorum.

PROOEMIVM.

Composita Medicamenta triplicia: sunt interna, media, & externa.
Interna sunt, quæ intra corpus assumuntur.

TALIA sunt Apozemata, potiones, iulepi, syrupi, emulsiones, boli, opiatę, tabellæ, pulueres, trochisci, pilulæ, &c.

Media sunt, quæ neque intra corpus assumuntur, nec corporis superficiei admouentur; sed in certas corporis cauitates immittuntur.

Talia sunt suppositoria, clysteres, iniectiones, pessaria, errhina, gargarismata, masticatoria, collyria, &c.

Externa verò, quæ partibus exterioribus admonentur: Cuiusmodi sunt, epythemata, fomenta, balnea, olea, vnguenta, emplastra, cataplasmata, sacculi, &c.

Ideo hęc Sectio secunda tribus articulis comprehendetur. In primò, internorum medicamentorum componendorum regulæ tradentur; in secundò, mediorum: in tertiò denique externorum.

SECTIONIS SECVNDÆ

ARTICVLVS PRIMVS.

De Compositione Medicamentorum Internorum.

CAPVT PRIMVM.

De Apozemate alterante.

APOZEMA est forma medicamenti liquida, multorum simplicium decoctione conflata, saccharo, vel melle dulcorata, clarificata, & aromatizata, in tres, quatuor, aut quinque doses, ad alterandum, vel purgandum comparata.

Ideò duplex esse solet, alterans, scilicet, & purgans.

Apozema alterans componitur ex radicibus, corticibus, lignis, foliis, seminibus, fructibus, & floribus, quorum quantitas talis esse solet.

Radicum ℥. iv. vel vij.
Corticum ℥.j. vel ij.
Lignorum, eadem quantitas.
Foliorum M.v. vel viij.
Seminum ℥.j. vel ℥.j. ß.

Fructuum minorum, vt passularum, ℥.j. Interdum numero mensurantur ad paria xij. vel xvj. Maiores vero fructus tantum numero mensurantur, eoque pari, vt ficus ad paria vij. vel octo maximi vero, impari numero, vt poma.

Florum pugill. iv. vel vj.

Hæc omnia decoquuntur in liquore idoneo qui vulgò est aqua fontis, interdum etiam aqua hordei in affectibus biliosis, vel hydromel tenue in pituitosis. Nonnunquam etiam in obstructionibus sit decoctio in æquis partibus aquæ fontis, & vini albi, sub finem additi, vel duabus partibus aquæ fontis, & vna vini albi, pro arbitrio Medici.

Liquoris quantitas non definitur, sed hac præscribitur formula: *fiat decoctio in aqua fontis, verbi gratia, sufficienti quantitate.*

Decocti tamen colati quantitas determinari debet, scilicet ad ℔.j. pro tribus dosibus, ad quartaria quinque pro quatuor dosibus, ad ℔.j.ß. pro quinque dosibus hac formula: *de colatura cape* ℔.j.ß.

Postea dissoluuntur syrupi ea quantitate; vt pro vnaquaque dosi apozemati sit ℥.i. syrupi, hac formula: *in qua* (scilicet colatura) *dissolue syrupi*, v.g. violacei, & capillor. ven. ana ℥.ij.

Interdum saccharum præscribitur eadem dosi, præcipuè quando succi aliqui dissoluuntur, qui apozema reddunt efficacius.

Illi autem succi vtilissimè præscribuntur in apozemate, ad ℥.ii. hac formula: *in colatura dissolue succorum depuratorum* borraginis, verbi gratia, & acetosæ, ana ℥.i. saccharI albi ℥.iv. vt plurimùm verò sacchari quantitas non definitur, sed dicitur; sacchari albi quantitate sufficienti.

His præstitis, apozema condiri solet aliquo aromate, quo iucundius euadat. Frequentissima autem, & magis grata aromata sunt santalum citrinum, vel electuarium trium santalorum in apozemate refrigerante, cinamomum verò in calefaciente, & horum aromatum dosis est ℥.i.ß. vel ℥.ii. hac formula: *Fiat apozema clarificatum, & aromatizatum*, verbi gratia ℥. ii. cinamomi electi, pro iv. dosibus matutinis.

CAPVT II.

De Apozemate Purgante.

Apozema purgans est, quod humores non solum preparat, sed etiam vna eademque opera euacuat: purgantibus medicamentis cum alterantibus admixtis.

HOdie vsitatissimum est hoc apozematis genus, & solum ferè in vsum reuocatur: Illud enim, quod simpliciter alterat, Iulepi nomine vt plurimum vsurpari solet.

Et quadruplex esse solet, pro quadruplici cathartico-rum differentia. Cholagogum scil. phlegmagogum, melanagogum & hydragogum.

Componitur ex eadem alterantium materia, eademque forma, qua alterans apozema, ac præterea cathartica adduntur, cum suis correctiuis, & inter fructus, & flores collocantur, ea proportione, vt totidem sint cathartico-rum doses quot apozematis.

Vsitatissimum autem est in omni apozemate sennam pro basi præscribere, ferè ad ℥.ij. cui adduntur polypodium, & semen carthami, eadem quantitate, vel saltem ad ℥.j. vtriusque. Deinde alia præscribuntur cathartica pro humoris peccantis ratione, quorum alia decoqui solent, vt turbith, hermodactyli, agaricus, epithymus, helleborus niger, semen ebuli: alia verò infunduntur, vt rhabarb. agaricus, tamarindi.

Illa autem, quæ non decoquuntur, sed tantùm infunduntur, hac formula præscribi debent: Rhabarb. verb. gratia, seorsim infusi ℥.ß. ea verò, quæ decoquuntur, simpliciter enuntiari. Dosium vero computatio ita fieri debet, vt vnica sennæ dosis in decoctione, sit ℥.j. turbith. hermodactyl. & agarici ℥.ß. rhabarb. infusi etiam ℥.ß. polypody vero sem. carthami, & Epithymi nulla ferè habetur ratio, quia sunt exiguæ virtutis.

Sic quando apozema componimus in quatuor doses, possumus præscribere sennæ ℥.ii. turbith, & agarici, ana ℥.ß. Ita enim erunt quatuor doses purgantium, videlicet duæ sennæ, vna turbith, & vna agarici, quorum loco alia substituere possumus, prout indicatio exigit, eadem semper methodo obseruata.

Correctiua statim post omnium purgantium enumerationem præscribuntur, quæ vt plurimum sunt zinziber, & garyophylli, vtriusque ℥.i.

In decocto colato dissoluuntur ijdem propemodum syrupi, qui in alterantibus apozematis prescripti fuerunt. Interdùm vero, quando apozema sufficienter purgans non æstimatur, syrupi purgantes dissoluuntur, & frequentissimè syrupus rosatus solutiuus. Aliquando syrupus de cichorio compositus cum rheo, in affectibus biliosis: & syrupis de fumaria compositus cum rheo, in affectibus melancholicis.

Nonnunquam etiam veris tempore dissoluitur succus rosarum pallidarum, vel infuso earundem completa, ad ℥. iv. in affectibus biliosis, & tunc nulli præscribuntur syrupi; sed sacchari q. s.

In vsu autem omnium apozematum hoc obseruandum, vt initio humores in prima regione contenti medicamento cathartico vacuentur & in fine illius omnes humorum reliquiæ expurgentur, quod sæpissime fit ipso apozemate, si prima, & vltima illius dosis validiùs purgans efficiatur, dissoluendo in illa opiatæ, vel electuarij purgantis, ℥.iij. plus, minùs pro dispositione ęgrotantis, syrupi purgantis ℥.i. hac formula: In prima, & vltima dosi dissolue *electuarij diacarthami* v-gr. ℥.ij.

syrupi rosati solutiui ℥. j. *Misce, fiat potio, capiat æger cum regimine.*

Aliquando minorans medicamentum præscribitur ante apozema, & tunc in vltima tantùm dosi purgantia illa dissoluuntur.

Nonnunquam etiam in affectibus capitis, & partium à ventriculo valdè remotarum, pilulæ præscribuntur post apozema, & tunc nihil dissoluitur in vltima dosi.

CAPUT III.

De Potione Purgante.

POtio est medicamenti forma liquida, in vnicam dosin præscribenda, ex variarum rerum decoctione, infusione aut dissolutione, in liquore idoneo composita.

Eaque multiplex est secundum varias indicationes, in quibus vsurpatur: videlicet purgans, corroborans somnum concilians, lumbricos enecans, partum promouens, &c.

Potio purgans multis modis parari solet, & in ea tria considerantur 1. decoctio, 2. infusio, 3. dissolutio.

Decoctio magis vsitata præscribitur ex senna ad ℥. ß. vel ʒ. vj. Sem. anisi ʒ j. ad correctionem sennæ, vel sem. anisi, & garyophyll. ana ʒ. ß. herbarum affectui propriarum M. j. ß. vel manip. j. liquiritiæ rasæ & passular. mundat. ana ʒ. iij. (in omnibus ferè potionibus hæc duo præscribuntur, præterquam in nonnullis mulieribus, quæ à dulcedine abhorrent) florum appropriatorum pug. j. vel ij. & fit decoctio ad ℥. iij.

Vel sumitur decoctum commune medicinæ purgans, quod in officinis haberi solet.

Interdum etiam in affectibus pectoris præscribitur decoctum commune pectorale purgans eadem methodo.

Infusio fit ex rhab. in affectibus biliosis: agarico in pituitosis vel vtroque, in mixtis, & illorum quantitas est à ʒ. j. ad ʒ. j. ß. addito correctiuo, scilicet spica nardi, vel cinamomo vel santalo citrino, à gran. vj. ad ϑ. ß. Spica soli rhabarbaro correctiuum est cinamomum vtrique; sed in affectibus minùs calidis: santalum citrinum in febribus vehementissimis.

Liquor autem, in quo solet fieri infusio, est aqua stillatitia, affectui appropriata, vel etiam decoctum purgans prædictum.

In dissolutione præscribuntur composita purgantia, opiatæ, vel electuaria, varia dosi pro maiori, vel minori quantitate purgantium, quę in decoctione, vel infusione præscripta fuerunt, & syrupus aliquis purgans, vt rosatus solutiuus frequentissimè. Interdum syrupus de cichoreo compos. cum rheo, vel de fumaria compositos, qui minus purgant, quam prædictus. Syrupi autem quantitas perpetuò est ʒ. j. nonnunquam verò in affectibus pulmonum manna dissoluitur, ab ℥. ß. ad vnz. j. & tunc syrupi quantitas minuitur ad vnz. ß.

His variis modi potiones catharticæ componuntur: scilicet vel tribus hisce præparationibus, vel duabus tantùm, vel vnica.

Ex tribus prępparationibus variæ etiam componuntur formulæ pro varietate decoctionis, vel infusionis.

Si enim fiat decoctio magistralis, cum infusione in eadem decoctione ita præscribitur. ℞. fol. sennæ &c. *Fiat decoctio* ad vnz. iij. *in colatura infunde* rhabarb. verbi gratia ʒ. j. ß. l. pilcæ nardi gr. vj. *expressione facta dissolue*, diaprun. solut. verbi gratia ʒ. iij. syrup. rosat. solut. vnz. j. *misce, fiat potio, quæ detur cras manè, cum custodia, & regimine artis.*

Si verò fiat decoctio magistralis cum infusione in aqua stillatitia, hac formula præscribitur: ℞. &c. *fiat decoctio* ad vnz. iij. *in colatura dissolue* rhab. verbi gratia in aqua cichorij cum spica infusi, & expressi ʒ. j. electuarij de succo rosarum ʒ. iij. syr. pr. de cichoreo compos. cum rheo vnz. j. *Misce fiat potio, quæ detur, &c.*

Si fiat ex decocto officinali cum infusione in aqua stillatitia, hac formula præscribitur: ℞. verbi gratia, rhab. elect. & agarici trochiscat. ana ϑ. j. cinamomi, ϑ. ß. *Infundantur in aqua* betonicæ, *expressione facta dissolue* electuarij diacarthami, & diaphœnic. ana ʒ. j. ß. syrup. rosar. solut. ʒ. j. decocti communis med. purgantis ℥. iij. vel decocti comm. pectoral. purgant ℥ iij. *Misce fiat potio, quæ detur, &c.*

Nota, interdum nulla electuaria præscribi, quando scilicet benignius est purgandum, sed tantum decoctum commune, & syrupum.

Ex duabus tantùm præparationibus conflatæ potiones, duplices sunt vel scilicet ex decoctione, & dissolutione; vel ex infusione, & dissolutione.

Ex decoctione, & dissolutione fiunt potiones hac formula ℞. &c. *fiat decoctio* ad ℥. iij. *in colatura dissolue* electuarij, &c. syrupi, &c. *Misce, fiat potio.*

Ex infusione, & dissolutione fiunt potiones hac formula: ℞. Rhab. &c. *Infundantur, &c. expressione facta dissolue electuarij, &c. syrupi, &c. Misce, fiat potio.*

Ex vnica tantùm præparatione fiunt potiones, quæ simplici dissolutione constat, quod sit in casibus valde vrgentibus, vbi decoctionibus, vel infusionibus tempus non suppetit: & tunc electuaria purgantia dissoluuntur cum iusculo, vel aqua appropriata, ad ʒ. vj. aut ℥. j. hac formula ℞. *Electuarij* verbi gratia diacarthami ℥. j. *detur cum iusculo vel* ℞. *elect. &c. syrupi* rosar. solut. ℥. j. *aquæ*, verbi gratia, betonicæ, q. s. *Misce, fiat potio.*

Interdum dissoluitur rhab. puluerat. cum iusculo, in diarrhæa, vel dysenteria, hac formula. ℞. Rhab. puluerat. ℥. j. *detur cras manè, cum iusculo.* Datur etiam Rhab. cum iusculo ad ϑ. ß. puerulis, qui ferè nequeunt vehementiora cathartica.

Pueris etiam exhibetur manna cum iusculo dissoluta, ad ℥. j. & grandioribus, in affectibus pulmonum, ad ℥. ij. & vnz. ij. ß.

CAPUT IV.

De Potione corroborante, somnum conciliante, lumbricos enecante, & similibus.

POtiones istæ, quia vnica tantùm dosi, præscribuntur, sub potionum titulo exponuntur; licet hodie vsu inualuerit in Medicina facienda, vt frequenter vocentur Iulepi pro vnica dosi, ad differentiam vulgarium Iuleporum, qui tribus dosibus vt plurimum præscribuntur.

Fiunt autem potiones cardiacæ ex aquæ cardiacæ ℥. ij. syrupi cardiaci vnz. j. confectionis cardiacæ ʒ. j. puluerum cardiacorum ϑ. j. hac formula. ℞. &c. *Misce fiat potio* (vel fiat iulep. pro vnica dosi) *quam capiat* tali hora: omnis enim hora apta quidem est huic remedio propinando: sed potissimùm mane, & sero vsurpatur.

Somnifera potio fit ex syrupis de papauere ℥. j. aquæ cardiacæ ℥. iij. confect. alkermes ʒ. ß. vel j. hac formula. ℞. &c. *Misce, fiat potio quæ detur hac nocte, hora somni.*

Potus contra vermes fit ex aqua portulacæ, vel graminis ℥. iij. syrupi de limonibus ℥. j. confect. de hiacyntho ʒ. j. puluer. contra vermes ϑ. j. vel alio modo consimili.

Ad reliquas indicationes adimplendas, eadem ingredientium proportio perpetuò erit obseruanda, vt sint aquarum vnz. iij. syrupi vnz. j. confect. ʒ. j. puluer. ϑ. j. ʒ. ß. vel ϑ. ij. ad summum.

CAPUT V.

De Iulepis.

IVlepus duobus modis componi solet, nimirum vel ex aquis stillatitijs, vel ex simplicium decoctione, aut aqua fontana.

Præscribitur autem vt plurimum pro tribus, vel quatuor dosibus, ea proportione, vt pro vnaquaq; dosi sint aquarum ℥. iij. vel iv. syruporum vnz. j hac formula. ℞. *Aquarum*, &c. *Misce, fiat Iulep. pro tribus dosibus manè, & sero sumendis.*

Interdum succi aquis admiscentur, ea proportione, vt pro vnaquaque dosi sint succorum vnz. ß. ʒ. vj.

Nonnunquam etiam in iulepis refrigerantibus præscribuntur spiritus vitrioli guttæ aliquot quæ non definiuntur sed hac formula vsurpantur, *spiritus vitrioli q. s. ad gratam aciditatem.*

Ex decoctione iulepi componuntur eadem methodo, qua apozemata alterantia, minori paulò simplicium dosi. In eo tamen differunt, quòd in fine non præscribuntur clarificatio & aromatizatio, sed talis eorum fit formula: ℞. *Radic.* &c. *fiat decoctio ad* lb j. *In colatura dissolue* syruporum ℥. iij. *Misce fiat Iulep. pro tribus dosibus, manè, & sero sumendis.*

CA-

CAPVT VI.

De Syrupis, ac primum de alterante.

SYruporum duo sunt genera, alterantium scilicet, & purgantium.

Alterantes syrupi ratò componuntur à Medicis, quia quam plurimi habentur in officinis, ad omnes indicationes adimplendas idonei.

Ideò nunquam, aut rarissimè syrupi magistrales alterantes præscribuntur; sed soli officinales vsurpantur, idque dupliciter: vel in alijs liquoribus dissoluuntur, vel soli per se exhibentur.

Quomodo in liquoribus dissoluantur, supra mònstratum est in apozemate, potione, & iulepo.

Sed præterea dissolui solent nonnulli syrupi cum aqua communi, vel ptisana, ad restinguendam sitim. Tales sunt syrupus cappill. ven. de limonibus, cydoniorum in alui fluxu, & hac formula præscribi solent. ℞. *Syrupi*, verbi gratia capill. ven. ℥. iv. *vtatur cum aqua potabili, sitis tempore, extra pastum.*

Soli, & per se exhibentur in affectibus ventriculi, & pulmonum, potissimum in imbecillitate ventriculi frequentissimus est syrupus de absinthio, qui manè per se exhibetur hac formula ℞. *syrupi de absynthio* ℥.j. *capiat manè duabus horis ante pastum continuando per triduum.*

In affectibus pulmonum bechici syrupi præscribuntur hac formula. ℞. *syrupi de tussilag.* v. gr. vnz. iv. *vtatur frequenter ex cochleari, sensim lambendo.*

CAPVT VII.

De Syrupo Purgante Magistrali.

SYruporum magistralis eodem modo componitur, quo apozema purgans, & ex eadè materia, parique simplicium alterantium dosi. Purgantia verò dupla ferè apozematis quantitate præscribuntur cum suis correctiuis, dupla etiam dosi.

Interdum efficacissimi componuntur syrupi ex succis herbarum, & fructuum depuratis, quibus purgantia infunduntur, & decoquuntur, & illi succi ad ℔. iv. v. vel vj. præscribi debent, quod decoctione, & infusione catharticorum plurimum absumantur.

Decoctio fieri solet ad ℔. j. vel ℔. j. ß.

Et in ea dissoluitur saccharum, quantitate circiter decocto pari.

Interdum syrupi dissoluuntur purgantes, vel alterantes, ad ℥. v. vj. & tunc sacchari quantitas minuta præscribitur, ad syrupi quantitatem proportionata, quia syrupus pro saccharo habetur.

Aliquando succi dissoluuntur ad ℥. vj. vel vij. quando ex aqua simplici facta fuit decoctio, & tunc nulli syrupi dissolui debent, sed solum saccharum.

Nonnunquam in affectibus pulmonum frigidis mellis portio saccharo coniungitur, sed valdè ratò. Postea coquitur in syrupum, qui in vsum asseruatur.

Dosis est ab ℥. j. ß. ad ij. pro maiore, vel minore syrupi efficacia, idque semel, aut bis in mense.

Sumitur tandem cum iusculo, herbis conuenientibus alterato, vel in melancholicis cum serò lactis, aut decocto florum, & fructuum cordialium.

Quæ omnia hac formula præscribi solent: ℞. &c. *fiat decoctio* ℔. j. *in qua dissolue* sacchari albissimi ℔. j. *fiat syrupus perfectè coctus, clarificatus, & aromatizatus cùm* ℥ ij. verbi gratia, cinamomi, *qui seruetur in vase vitreo, de quo capiat* ℥ j. ß. vel ij. *bis in mense, cum Iusculo*, folijs, verbi gratia, borraginis, buglossi, capill. ven. & scabiosæ alterato.

Si ex succis fiat syrupus, hac formula præscribitur. ℞. *Succorum depuratorum*, &c. *quibus decoque* folia sennæ, &c.

CAPVT VIII.

De Vomitorijs.

VOmitorium compositio tam varia, & multiplex est, vt vis certas eorum componendorum regulas proponere valeamus; sed variæ eorum formulæ ex variis authoribus sint mutuandæ. Præcipuæ tamen sequentes esse solent, quæ ex triplici vomitoriorum genere, scilicet mitiorum, mediocrium, & vehementiorum desumuntur.

Mitiora fieri solent ex aquæ tepidæ ℥. viij. cum olei, vel butyri ℥. iij. vel ex aquæ hordei tepidæ, aut iusculi valdè pinguis bono haustu.

Vel ex radicæ peponis ℥. ij. contusa, & infusa in ℥. viij. aquæ hordei, vel hydromelitis.

Vel ex decoctione sem. atriplic. ℥. ß. florum anethi p. j. ad ℥. viij. dissoluendo oxymel simpl. vel syrupi acetosæ ℥. ij.

Vsum horum omnium hac formula præscribitur. ℞. &c. *Fiat vomitarium, quod sumatur tepide, deinde post paucam deambulationem indatur digitus in fauces, aut penna oleo intincta vomitus provitetur.*

Mediocria fieri possunt ex radicis raphani ℥. j. agarici ℥. ß. coctis in ℥. x. aquæ hordei, addendo oxymel: scylit. ℥. ij. si crassa pituita luxuriet, vel syrupi acetosi simpl. si bilis exuperet.

Vel ex radicis asari ℥. ij. sem. vrticæ ℥. ß. flor. genistæ p. ß. coctis in vnz. viij. hydromelitis.

Vel ex radicis asari puluerati ℥. ß. in aqua hyssopi, aut menthæ dissoluta, vel ex folijs Asari infusis.

Vehementia fiunt ex vitrioli albi præparati ℥. ß. aut ℈. ij. in iusculo dissolutis: vel ex croco metallorum, (quod *hepar antimonij* appellant quidam) infuso in vini albi, vel aquæ cardui benedicti vnz. iij. cum pauco cinamomo.

CAPVT IX.

De Emulsione.

EMulsio fit ex amygdalis dulcibus exorticatis, ad ℥. j. ℥. j. ß. quatuor seminum frigidorum maiorum ℥. ß. vel ℥. j. seminum lactucæ, & papaueris albi, vbi adsunt vigiliæ, ℥. ß. contunduntur omnia, & dissoluuntur cum aquæ hordei ℔. j. ß. pro iij. dosibus, & dulcorantur vel saccharo solo ad ℥. iij. vel iv. aut syrupis gratioribus, vt violaceo, & capillorum veneris.

Formula autem præscribendi talis est. ℞. &c. *contundantur in mortario marmoreo, sensim affundendo* aquę hordei ℔. ß. *in colatura dissolue* syrupi violacei, & capillorum Veneris ana ℥. ij. *fiat emulsio pro iii.* dosibus: *mane, & sero sumendis.*

Interdum nuclei pinei prædictis adduntur in affectibus thoracis.

Aliquando decocto hordei additur aquæ rosarum ℥. j. quæ suauiorem reddit emulsionem.

CAPVT X.

De Lacte.

LAc exhibetur phthisicis, & febre hectica consumptis: reliquis præstat asininum, vbi refrigerandum, & detergendum; caprillum verò, vbi nutriendum, & reficiendum.

Præscribitur illius vsus per mensem integrum, mense Maio præsertim, corpore prius purgato, & exhibetur prima die ad ℥. iv. cum sacchari rosacei ℥. j. augendo singulis diebus ℥. j. donec ad ℥. viij. peruenerit, sacchari quantitatem proportionaliter augendo ad ℥. ij. in eadem quantitate post modum persistendo.

Hora assumendi est matutina, quatuor horis ante cibum, quibus neque dormiat, nec sese vehementiùs commoueat æger.

Formula autem, quæ præscribitur, talis esse potest: *Vtatur lacte asinino, recenter ab vbere extracto per mensem integrum: sumendo prima die* ℥. iv. sacchari ℥j. *augendo singulis diebus lactis quantitatem ad* ℥ j. *donec peruenerit ad* ℥. viii. *vbi postmodum subsistat, eandemque assumat quantitatem quotidie mane* quatuor *horis ante cibum, quibus neque dormiat, nec sese vehementiùs commoueat.*

CAPVT XI.

De Sero Lactis.

SErum lactis præscribitur etiam verno tempore, per quindecim dies, aut mensem integrum.

In eo macerantur per noctè herbæ refrigerantes, vtpu-

ria, cichoreum, acetosa, ad M. j. ℈. vel frequenter epithymum in melancholicis, ad ʒ. ß. in quo casu etiam dissoluitur interdum succus pomorum redolentium, ad ʒ. j.

Dosis est ʒ. viij. vel ℔. j. mane, quatuor horis ante pastum.

Talis autem formula præscribitur ℣. *Seris lactis* q. s. *bulliat leuiter, & coletur, & in eius libra vna macerentur per noctem sal.* &c. *coletur manè, addendo* sacchari albi ʒ. j. *capiat manè quatuor horis ante pastum singulis diebus, continuando per mensem integrum.* Vid. Rod. Castrensis.

CAVT XII.

De Decoctis Sudorificis.

DEcocta sudorifica vulgò componi solent ex quatuor illis præcipuis sudorificis, ligno guaiaco, sassafras, radicibus Chinæ, & salsæ parillæ: ex quibus diætæ tam sudorificæ, quam simplices instituuntur.

Quantitas sudoriferorum præscribitur ad ʒ. iv. vel vj. eaque vnius tantùm, vel duorum Mensium, pro varia ægrotantis dispositione, hac perpetuo obseruatione, vt guaiacum in frigidioribus naturis; radix chinæ in calidioribus magis conueniat.

Postea infunduntur in ea aquæ fontis quantitate, vt pro singulis vncijs sudorifici, sint totidem aquæ libræ. Infusio autem fit, per viginti quatuor horas supra cineres calidos, ac tandem decoquuntur ad mediæ partis consumptionem.

Dosis decocti est ʒ. viij. manè, corpus tegendo plus solito, vt facilius sudores eliciantur.

Formula vero præscribendi talis esse potest. ℣. verbi gratia, *Rasuræ ligni guaiaci* ʒ. iv. *corticis eiusdem* ʒ. ij. *Infundantur per horas viginti quatuor in* ℔. vj. *aquæ fontis supra cineres calidos, coquantur in vase duplici, lento igne; & sine fumo, ad mediæ partis consumptionem: colentur per manicam Hippocratis, colatura seruetur in vase vitreo: de qua capiat* ʒ. viij. *singulis diebus manè, corpus tegendo plus solito, vt excitentur sudores, continuando per viginti, aut triginta dierum spatio.*

Aliquando in delicatioribus dulcoratur sacchari ʒ. iij. vel iv. cinamomi dr. ij.

Totum illud tempus, quo æger decocto sudorifico vtitur, *Diæta* appellatur: propterea quòd victus obseruetur valdè exquisitus, attenuans, & exsiccans, & pro potu ordinario præscribatur *decoctum secundarium*, ex prioris residentia paratum, quod etiam *Bochetum* appellatur.

Illa autem residentia vel sumitur sola; vt efficacior decoctio euadat, additur sudorifici tetentis ʒ. j. Infunditur per horas octo in ℔. xij aquæ fontis, concoquitur ad quartæ partis consumptionem, dulcoratur, & aromatizatur hac formula, ℣. *Residentiam prædictæ decotionis, infundatur in* ℔. xij. *aquæ fontis supra cineres calidos per octo horarum spatium: coquatur ad quartæ partis consumptionem, coletur per manicam Hippocratis, addendo sachari, & cinamomi* q. s. *ad saporis gratiam, Fiat Bochetum, quo vtatur pro potu ordinario toto diætæ tempore, vtendo interea pane biscocto, & aniſato, carnibus assis, non elixis, auiculis montanis, caryophyllis, aut cinamomo transfixis; passulis, amygdalis torrefactis, nucleis pineis,* &c.

Si diæta simplex instituēda sit, in qua potiones sudorificæ non exhibentur; sed victus tantùm exsiccans, cum vsu bocheti præscribitur, componitur bochetum ex ʒ ij. sudorifici, infusi, & decocti in ℔. xij. aquæ fontis, & reliqua eodem modo præstando, vt in decocto ex residentia, hac formula. ℣. verbi gratia, *Radicis Chinæ in tabellas diuisæ* ʒ. *ij. infundantur per horas xij. in* ℔. *xij. &c. fiat bochetum, qui vtatur pro potu ordinario æger per spatium viginti, vel triginta dierum, vtendo interea pane biscocto.*

Interdum etiam decoctum secundarium eodem modo paratur ex recentis sudorifici ʒ. ij. reiecta residentia prioris decoctionis, cuius virtus est ferè deperdita.

In omni diæta sudorifica hoc *obseruandum*, Aluum perpetuo ferè esse adstrictam, quæ laxanda est quarto quoq; die, iniecto clystere emolliente. Ac præterea, quia per sudores tenuior tantùm materia vacuatur, crassior verò remanet, ideo consultissimum erit, octauo quoque die purgans medicamentum exhibere, abstinendo tunc temporis ab vsu potionis sudorificæ.

CAPVT XIII.

De Decocto galli veteris.

VSurpatum non ratò huiusmodi decoctum in morbis chronicis, vt melancholia hypochondriaca, asthmate obstructionibus diuturnis.

Et duplex parari solet, alterans scilicet, & purgans.

Alterans componitur ex materia eadem, quę fuit proposita in apozemate alterante, & præterea adduntur sudorifica, ad ʒ ii.

Maximè tamen differunt præscribendi modo; nam in hoc decocto sudorifica, semina, & fructus priùs præscribendum ijsque venter galli veteris impletur; postea verò radices, folia, & flores in decocto adduntur, hac formula ℣. *Radices chynæ*, verbi gratia, ʒ. ij. *seminum*, &c. *contundenda contundantur, & misceantur omnia simul, ijsque impleatur venter galli veteris viscerati, & antequam iuguletur, cursu, & verberibus fatigati, fiat decoctio in sufficienti quantitate aquæ fontis*, (vel quando sunt obstructiones, *in tribus aquæ partibus, & in vna vini albi,*) *addendo radicum*, &c. *florū*, &c. *Coquantur, donec galli caro ab ossibus separetur, coletur decoctum, & fortiter exprimatur, seruetur; in vase vitreo in loco frigido, omni pinguedine detracta; de quo capiat* ʒ. *viij. omni manè per multos dies.*

Purgans eodem modo præscribitur, addendo prædictis purgantia simplicia, eadem dosi, qua in apozemate purgante, & illa miscentur ijs, quibus venter galli impletur. Vulgo autem in hoc decocto præscribi solent senna, polypodium, carthamum, epithymum, agaricus, turbith.

Formula huius decocti talis est: ℣. &c. *coquantur, donec galli caro ossibus separetur: de colatura capę* ℔. *ij. quæ seruentur in vase vitreo in loco frigido, omni pinguedine detracta; de quibus capiat* ℔. ß. *manè per quatriduum, singulis mensibus repetendo.*

CAPVT XIV.

De Iusculis.

IVscula duplicia sunt, & alterantia, & purgantia.

Alterantia fiunt ex herbis conuenientibus, cum pullo gallinaceo, vel iusculo communi; ita vt herbarum sint manipuli iij. vel iv.

Omnium vulgatissima sunt iuscula refrigerantia in febribus bilioſis, & calidis hepatis intemperiebus, hac formula. ℣. *fol.* &c. *coquantur cum pullo gallinaceo, & fiat iusculum, quod capiat manè, continuando per octo, vel nouem dies.*

Fiunt etiam interdum in affectibus calidis pectoris, ex thoracicis simplicibus, cum pullo decoctis, quarta tantum parte, apozemata thoracis, quibus additur rad. Chynæ ad ʒ. j. ante alia simplicia præscribenda. Sæpè etiam vsurpantur iuscula aperientia ex radicibus, herbis, & sem. aperientibus, dicta quantitate cum iusculo communi semiconfecto decoctis.

Iuscula *Restaurantia* conficiuntur ex capone pingui exenterato, & in frustula conciso, qui ponitur sine vllo liquore in ollam vitream accuratè clausam, lutatam, ne quid expiret; idem coquitur in balneo Mariæ ad putrilaginem. Exprimitur succus, à quo pinguedo separatur, seruaturque in vase vitreo, & loco frigido ad vsum.

Nonnunquam iusculi singulis libris adduntur succi cardiaci ʒ. ij. vel iij. sacchari tantundem. Eo vtitur æger per se, vel cum iusculo.

Iusculi huius restaurantis formula peculiaris non proponitur, quòd ab ijs, qui ægro ministrant, parari soleat, & Medici illius componendi modum verbo tenus tantùm docere sint assueti.

CAPVT XV.

De Bolo.

BOlus duplex est, *purgans, & corroborans.*

Purgans fit interdum ex cassia sola ab ʒ. j. qui lenitiuus tantùm est.

Vel ex cassiæ ʒ. ß. cum alterius opiatæ purgantis ʒ. ij. ij. j. vel ʒ. ß.

Vel ex opiatis purgantibus, vna, vel pluribus, ad ʒ. ß. ℥ vj. ℈ j.

Vel

Uel ex opiatis,& electuarijs purgantibus,ea proportione, perpetuò maior opiatæ quantitas, quàm electuarij, & omnia simul ℥.j. quantitatem nunquam excedant.

Formula omnium illorum talis est: ℞.v.g. *Cassiæ recenter extractæ, &c. cum saccharo fiat bolus, quem cap. manè cum syrupo capill. ven.* vel alio conuenienti, & palato grato.

Interdum fiunt boli ex terebinthina ad ℥.ß. ʒ.vj. ad renes detergendos. Ea verò abluitur vino albo, aut aqua aliqua aperiente. Formula talis est: ℞. *Terebinth. Venetæ lotæ, &c. fiant boli, qui nebulis inuoluatur, & in cochleari cum syrupo capill. Ven. deuorentur manè 4. aut 5. horis ante prandium, continuando per triduum.*

Bolus *corroborans* fit ex conserua alicuis ℥. iij. vel ℥.ß. confect. ℥.ß. vel ℈.ij. pulueris ℈.j. hac formula. ℞. &c. *cùm saccharo fiat bolus, quē capiat manè, duabus horis ante pastum.*

Præscribi solet passim bolus corroborans, postridie purgationis, ad ventriculum, aliasque partes roborandas, quæ purgatione molestiam subierunt.

CAPVT XVI.

De Opiata.

OPiata duplex est, *purgans*, & *corroborans*.

Purgans componitur ex opiatis purgantibus officinalibus, electuarijs purgantibus, pulueribus simplicium purgantium, & syrupo purgante idoneo hac proportione, vt pro singulis opiatæ ℥.ij. fiant electuarij ℥ ij. vel iij. pulueris simplicis purgantis ʒ.j.

Interdum fit tantum ex opiatis, & electuarijs, pulueribus simplicibus omissis.

Aliàs ex opiatis, & pulueribus simplicibus tantùm; electuarijs omissis.

Aliàs ex opiatis solis.

Frequenter etiam, vbi benignior efficienda est opiata, cassiæ portio opiatis permiscetur, vel solis; vel etiam electuarijs, & pulueribus permixtis.

Quantitas verò opiatæ totius ℥. iv. non excedat.

Dosis vero ab ℥.ß. ad ℥.j. per se in forma boli, vel cum decocto herbarum appropriatarum semel in hebdom. vel bis in mense.

Formula autem præscribendi talis est. ℞. &c. *cum syrupo* rosato solut. v.g. *fiat opiata, de qua capiat ℥.ß. v.g. per se vel dissoluenda in decocto* borraginis fumariæ, & cichoreij, *semel in septimicum custod. & regimine artis.*

Roborans opiata componitur ex conseruis ad ℥. j. ℥.j.ß. condituris ad ℥.ß. ℥.j. confectionibus ad ʒ. ij. ℥.ß. pulueribus ad ʒ.iij. ℥.ß. ʒ.vj. cum syrupo idoneo.

Interdum ad ornatum permiscentur foliola auri N. ij. vel iij. post pulueres præscribuntur. Dosis ʒ.ij. vel iij. aut quod frequentiùs, ad magnitudinem castaneæ, superbibendo liquorem conuenientem, vt aquam stillatitiam appropriatam, vel vinum album, vel vinum rubrum dilutum.

Quę omnia hac formula præscribi solent: ℞. &c. *cum syrupo, &c. fiat opiata de qua capiat magnitudinem castaneæ singulis diebus mane, duabus horis ante prandium, superhausto vini diluti momento: vel superbibendo parum aquæ* borraginis, v. g.

Interdum præscribi solet assumenda duobus horis ante cœnam, si horis matutinis aliquod aliud remedium sit assumptum.

CAPVT XVII.

De Conditis.

COnditum eodem modo fit, quo Opiata corroborans, eadem scil. conseruarum, confectionum, & puluerum quantitate, addendo saccharo albi, vel rosacei ad pondus omnium, hac formula, ℞. *Conseruarum, &c. saccharo rosacei, ad pondus omnium. Fiat conditum auro coopertum, quo vtatur frequenter, per se, ex cochleari,* vel dissoluendo in iusculis, vel cum aqua potabili, sitis tempore, extra pastum.

In hoc tamen differt conditum ab opiata, quod hæc ab omnes partes præcipuas corroborandas, vel etiam alterandas præscribatur; illud verò ad cordis, & pulmonum affectus tantùm vsurpetur.

CAPVT XVIII.

De Eclegmate, seu Looch.

ECclegmata solis affectibus Thoracis conueniunt, ad humorem in pulmone contentum expectorandum, asperitates leniendas, & hæmoptysin compescendam.

Fiunt passim ex pulueribus bechicis ad ʒ. iij. ℥.ß. sacchari candi, vel penidiati, vel rosati tabulati ad ʒ. vj. ℥. j. syrupi conuenientis, q. s.

Vel prædictis addi solent frequenter pulpæ fructuum, scil. Passularum, ficuum, vel iuiubarum, ad ℥.ß.

Multis etiam alijs modis eclegmata parari solent; sed minùs vsitatè, quæ tamen apud authores varios videri possunt. Sequenti verò formula præscribuntur. ℞. &c. *cum syrupo, &c. fiat looch, quo vtatur frequenter cum baculo liquiritia, sensim lambendo.*

CAPVT XIX.

De Tabellis.

TAbellæ duplices sunt, *purgantes*, & *corroborantes*.

Purgantes in officinis habentur, & nunquam, aut rarissimè magistrales præscribuntur.

Roborantes fiunt ex pulueris simplicis, aut compositi ℥ß-ʒ.vj. sacchari in aqua appropriata dissoluti ℥.iv. vel vj. hac formula ℞. &c. *Fiant tabellæ ponderis* ʒ.ij. *quarum vnam capiat singulis diebus, duabus horis ante pastum superbibendo*, &c. eodem modo, ac in opiata coroborante.

Fiunt etiam frequenter tabellæ ad affectus pulmon. ex puluer. appropriatis, eadem methodo.

CAPVT XX.

De Pilulis.

PIlulæ duplices sunt. *Officinales*, & *Magistrales*.

Officinales passim præscribuntur in affectibus frigidis præsertim, & hyemis tempore, ad partes à ventriculo remotas vacuandas.

Formula eas præscribendi talis est. ℞. *massæ pilular. &c. malaxentur cum.* &c. (aqua, vel syrupo idoneo) *formentur pilulæ vj. vel vij. deauratæ, quas capiat post primum somnum.*

Si pilulæ infirmiores videantur, adduntur dagridij, vel trochisc. alhandal, gr. iv. vel v.

Magistrales, quæ à Medicis ad varias indicationes frequenter componi solent, vsuales etiam vulgò nuncupantur qui earum vsus frequens esse debet, nempè semel in septimana, vel bis in mense.

Componuntur ex varijs purgantibus, nempè agarico, turbith. hermod. rhab. diagridio, trochisci alhandal, cum correctiuis, omnibus in puluerem redactis, & syrupo conuenienti exceptis.

Omnium harum pilularum perpetuo ferè aloe basis esse solet: & præscribitur ferè ad ʒ.iij. vel ℥.ß. reliqua verò purgantia simul sumpta ℥.ß. quantitatem non excedunt: correctiua verò ad ʒ j.ß. syrupi quantitas non definitur. Dosis pilularum metienda est pro purgantium efficacia, ita vt non admodum vehementer purgent à ʒ.ß. sed ℈.ij. non excedant.

Interdum ad obstructiones purgantibus admiscetur gummi ammoniacum, vel bdellium, aceto dissoluta, ad ʒ.ij. vel ʒ. iij.

Hanc autem formula præscribi solent. ℞. *aloes hepaticæ, &c. fiat omnium puluis, & cum syrupo*, v. gr. Rosar. solut. *fiat massa pilularum, ex cuius ʒ. j. formentur pilulæ vj. deauratæ: capiat num. iij. vel iv. mane duabus horis ante prandium, semel in septimana.* Præstant maximè Marocostinæ, & Francofurt. ℈.ß. pondere.

CAPVT XXI.

De Trochiscis.

TRochisci rarò præscribuntur à Medicis, quia officinalibus sunt contenti. Si quis tamen componere voluerit, id facilè præstabit, sumendo pulueres, suæ intentionis

aptos, ad vnz. j. vel ij. eosque excipiendo liquore conuenienti aut mucilagine, ex quibus permistis fiat pasta, & ex illa orbiculi, in vmbra exsiccandi v. gr. Trochisci Gordonij in Gonnorrhæa.

CAPUT XXII.

De Pulueribus.

PUlueres ad expurgandum, corroborandum, & aliàs intentiones præscribi solent.

Purgantes ex simplicibus gratioribus, gustui cum correctiuis, & saccharo in delicatioribus; quorum dosis erit metienda pro purgantium efficacia.

Sumuntur verò illi pulueres cum iusculo, vel alio liquore dissoluti manè cum custodia, & regimine.

Inter pulueres roborantes frequentissimi sunt stomachici, qui vulgò *digestiui* appellantur. Fiuntque ex stomachicis suauioribus vt coriandro, anisо, fœniculo, cinamomo, & similibus ad vnz. ij. cum sacchari æquali, vel dupla quantitate, hac formula: ℞. &c. *ad pondus omnium duplum: Misce fiat pulvis, de quo capiat cochlear vnum post singulos pastus, nihil insuper edendo, vel bibendo.*

SECTIONIS SECUNDÆ

ARTICULUS SECUNDUS.

De Compositione Medicamentorum Mediorum.

CAPUT PRIMUM.

De Suppositorijs.

SVPPOSITORIA ad aluum laxandam vulgò vsurpantur: interdum verò licet valdè rarò, ad quosdam ani, & recti intestini affectus.

Aluum laxantia componi solent ex melle ad vnz. j. cocto, & indurato, additis pulueribus idoneis ad dr. j. vel scr. iv. Pulueres autem illi sunt sal commune, hiera picra, vel vbi fortiùs est agendum, sal gemmeum, ammoniacum, hiera diacolocynth. helleborus pulueratus.

Formula eorum talis est. ℞. &c. *Fiat suppositoria, quorum vnum oleo, vel butyro illitum, immittatur in anum, quoties opus videbitur.* His add. Globuli sachar.

CAPUT II.

De Clystere.

CLysteres alij sunt mollientes, & laxantes, alij detergentes, alij adstringentes, alij anodyni, & alias intentiones parati.

Mollientes, & laxantes fiunt ex decocto herbarum emollientium ad lib. j. opiatis laxantibus, ad vnz. j. vnz. j. med. interdum melle, melle mercuriali, rosaceo, aut violaceo, ad vnz. ij. oleo liliorum communi, aut violaceo, ad vnz. iij. sale communi, aut gemmeo, ad dr. ij.

Quia decoctum emolliens in officinis paratum haberi solet, ideo nunquam ferè præscribitur, sed absolutè enuntiatur. Huius ergo clysteris formula talis erit. ℞. *Decocti, communis emollientis clysteris, lib. j. in quo dissolue,* &c. *Misce fiat clyster, qui mittatur hora commoda.*

Detergens clyster componitur ex decoctione hordei, furfuris macri, & rosar. rubr. singullor. pugillo vno. Si simul leniendum sit, flores chamomillæ, & meliloti præscribuntur, ad p. j. vel ij. Si verò lumbrici sint eliciendi in pueris; adduntur passulæ, & liquiritia, ad vnz. j. singulorum.

Quantitas decoctionis clysteris non excedat lib. j. & in ea dissoluatur saccharum rubrum S. Thomæ, ad vnz. ij. vel cum eo mel rosaceum, diminuta sacchari dosi. Dissoluatur etiam vitellus oui N. j. pro pueris, duo verò pro adultis.

Pueris etiam decocti quantitas minuitur ad lib. med. ad quartaria ij.

Adstringentes clysteres fiunt ex decoctione simplicium adstringentium dosi apozematis paulò minori, & in decocti lib. j. dissoluuntur saccharum, mel rosaceum, & vitelli ouorum dosi prædicta.

Anodyni clysteres fiunt ex lacte caprillo, aut ouillo, vel decocto capitis, & intestinorum veruecis ad lib. j. dissoluendo saccharum, & vitellos ouorum dicta quantitate.

Interdum in grauissimis doloribus intestinorum, aut partium adiacentium, renum v. gr. etiam dissoluitur Philonium Romanum ad dr. j. vel ij. aut laudanum opiatum ad gr. viij. vel scr. med. (*nimis grandis dosis.*)

Fiunt etiam aliquando clysteres nutrientes ex iusculo, sacchаro, & vitellis ouorum: quibus interdum ad corroborandum dissoluitur confect. Alkerm. aut de hyacinth. ad dr. ij.

Ad collicum dolorem præscribuntur clysteres carminantes, ex decocto simplicium flatus discutientium: qualia sunt quæ pituitam attenuant, eodem modo, vt diximus in adstringente; dissoluendo in decocto oleum rutaceum, laurinum, ad vnz. iv. Vel fiunt clysteres ad eundem scopum ex vini generosi, & olei nucum vtriusque lib. med.

Ad calculum renum expellendum fiunt clysteres ex decocto simplicium aperientium, dissoluendo olea aperientia ad ℥. iij. vel iv. quorum præcipuum est oleum scorpionum additur etiam terebinthina, vitello oui dissoluta ad ℥ j.

CAPUT III.

De Iniectionibus.

INiectiones in varias partes fieri solent, vterum, vesicam, aures, & alias partium cauitates natura, vel morbo factas, vt fistulas, & similes.

In vterum fiunt iniectiones ad menses mouendos, sordes, detergendas, dolorem, & inflammationem sedandam, & multas alias intentiones.

Fiunt autem huiusmodi iniectiones decocto simplicium idoneorum, dosi apozematis paulò minore. Fit decoctio ad lib. j. quæ frequenter in vterum injicienda per syringam, quam *metrenchytem* vulgò appellant.

Vel fiunt tales iniectiones ex succis herbarum depuratis, vel ex aquis stillatitijs.

Et non rarò prædictis liquoribus quædam dissoluuntur, vt syrupi electuaria, trochisci, pulueres, & similia.

Reliquæ verò iniectiones eadem fere methodo præscribuntur: quæ tamen, sicut & prædictæ, quia sunt particularia remedia, ex praxi particulari erunt mutuandæ.

CAPUT IV.

De Pessarijs.

PEssaria ad varios vteris affectus in illius ceruicem immittuntur & incrassioris, longioriſque digiti figuram efformantur: nonnunquam tamen instar globuli effinguntur pro virginibus, vt facilius ab ijs admittantur, & *nascalta* appellantur. Fiant autem pessaria, *primò* vel ex vnguentis, aut opiatis solis, ad ℥. j. med. ℥. ij. ſtupis mollioribus excepti, & panno serico, vel lieno inuolutis. *Secundo*, vel ex pulueribus idoneis ad ℥. j. ℥. j. med. melle cocto exceptis, instar suppositorij, vnde pessarium efformatur. *Tertio*, vel ex succis herbarum, cotonæ exceptis, quibus puluere pro arbitrio possunt admiscerи ad ℥. med. dr. vj.

Hac denique formula præscribi solent. ℞. &c. *Fiat pessarium magnitudine digiti crassioris, quod panno serico inuolutum, & filo alligatum in vteri ceruicem immittatur.*

CAPVT V.

De Errhinis.

ERrhinum est medicamentum liquidum, quod naribus attractum humores è cerebro, pituitam potissimum, euacuat, & ad multos etiam narium affectus vsurpatur.

Componitur ex succis herbarum errhinarum, qui extrahuntur ex fol. contusorum M. iv. cum vini albi vnz. iv. vi. vel viij. His ad correctionem folia cephalica adduntur, ac aquæ vitæ nonnunquam ad penetrandum, vnz. j.

Vel ex decocto simplicium idoneorum, dosi dimidia apozematis, ad vnz. viij. In quo dissoluuntur interdum succi ad vnz. ij. vel iij. mel, aut syrupus ad vnz. j. vel ij. pulueres ad dr. med. dr. j. Hac verò formula præscribi solet, ℞. &c. *Fiat errhinum, quo vtatur tepidè manè, duabus horis ante pastum, ore prius aqua repleto.*

C A-

CAPVT VI.

De Sternutatorijs.

Fit etiam ſternutatorium ad pituitam è cerebro eliciendam, & cerebri ſopitam facultatem expultricem irritandam in affectibus comatoſis.

Componitur ex pulueribus rerum acrium quales ſunt piper, pyrethrum, ſemen ſinapi, ſtaphiſagriæ ſemen, radix ellebori albi, euphorbium, tabacum.

Quantitas horum omnium ʒ ij. non excedat, quibus addere poteris ad cerebri defenſionem maioranæ ſiccæ ℈ j.

Aduerte, euphorbium eſſe vehementiſſimum, nec vltra gran. iij. iv. eſſe præſcribendum, aceto correctum.

Formula præſcribendi talis eſt. ℞. &c. *Miſce, fiat puluis tenuiſſimus, qui penulà inſuffletur in nares.*

CAPVT VII.

De Gargariſmate.

GArgariſma fit ad varios oris, & partium ei adiacentium affectus.

Componitur ex decoctione ſimplicium, doſi apozematis, ad ℔. i. in qua diſſoluuntur ſyrupi conuenientes: ad vnc. iij. vel iv. Quia verò frequentiſſimè parantur gargariſmata adſtringentia ad fluxiones reppellendas, ideò vſitatiſſimè in eis diſſoluuntur diamorum, dianucum, ſyrupus myrthinus, & de roſis ſiccis: non rarò etiam mel roſaceum, vbi detergendum.

Fit etiam interdum ex aquis ſtillatitiis ab lib. i. diſſoluendo in iis ſyrupos prædictos.

Hac denique formula præſcribitur: ℞. &c. *Fiat gargariſma, quo vtatur omni hora.*

CAPVT VIII.

De Maſticatorijs.

MMaſticatoriis etiam pituita è cerebro copiosè attrahitur.

Fiunt autem ex rad. pyrethyri ſola, in fruſtula inciſa, & in aceto macerata.

Vel ex multorum ſimplicium pulueribus, cera exceptis, vt inde globuli conficiantur. Illa autem ſimplicia magis vſitata ſunt Catecheu, rad. pyrethri, zinziberis, iridis ſem. ſinapi, ſtaphiſagriæ, piper longum, maſtiche, quibus adduntur cephalica, garyophylli, nux moſchata.

Pulueris quantitas non excedat vnc. med. ceræ quantitas non definitur.

Formula præſcribendi talis eſt ℞. &c. *fiat omnium puluis* qui *cera alba excipiatur, fiantque plures globuli, maſticetur vnus mane prono capite, frequenter ſpuendo.*

CAPVT IX.

De Collyrijs.

COllyria pluribus formis componi ſolent: ſcil. vel liquoris forma, vel linimenti, vel cataplaſmatis.

Vſitatiſſima tamen ſunt liquida, quæ verè, & propriè collyria appellantur.

Componuntur ex aqua ſtillatitia ad vnc. iij. vel iv. cui admiſcetur puluis conueniens, v. g. tutia præparata, trochiſci albi Rhaſis, antimonium lotum, ſarcocolla in lacte mulicbri nutrita, &c. ad ʒ j. vel ʒ j. med.

Interdum ſucci permiſcentur, vel albumen oui agitatum, ad vnc. j. vel i j.

Formula præſcribendi talis eſt ℞. &c. *Fiat collyrium, quod inſtilletur oculis mane, & ſerò.*

Reliquæ collyriorum formulæ ex praxi peculiari ſunt deſumendæ: propterea quòd exquiſitum remediorum delectum, & exactam præparationem, ac doſin deſiderent ob eximium partis ſenſum.

SECTIONIS SECVNDÆ

ARTICVLUS TERTIVS,

De Compoſitione Medicamentorum Externorum.

CAPVT PRIMVM.

De Epithemate.

EPITHEMA cordi, & hepati potiſſimum admoueri ſolet, ad partes illas alterandas, & corroborandas.

Et duplex eſt, liquidum, & ſolidum.

Liquidum fit ex aquis ſtillatitijs, ad onz. viij. vel lib. i. ſuccis fructum, v. g. limonum, granatorum, pomor. redolet. ad vnz. ij. vel iij. aceti roſacei ad vnz. i. aut onz. j. ʒ. puluerū cardiacorum, ad dr. ii. vel iii. *Nota*, quando præſcribuntur ſucci acidi limonum, vel granatorum, non eſſe opus aceto.

Nota etiam, in epithemate cordis, ſi pulmones ſint peculiariter affecti, acida non eſſe præſcribenda, quia ſunt pectori noxia.

Item in epithemate hepatis maiorem quantitatem ſuccorum acidorum, vel aceti eſſe præſcribendam, quàm in epithemate cordis.

Interdum præter pulueres cardiacos permiſcentur confectiones cardiacæ, alchermes, vel de hyacintho, ad dr. i. vel ii. & trochiſci de caphura, in epithemate refrigerante, ad ℈. med. Crocus in calefaciente, ad gr. v.

Formula præſcribendi talis eſt. ℞ &c. *Fiat Epithema liquidum, applicandum regioni cordis tepidè, frequenter cum pannis ſcarlatinis hoc liquore imbutis, & expreſſis.*

Solidum cordi tantùm admouetur, & componitur ex confectis cardiacis, ad vnz. iii. confectionibus, ad vnz. med. pulueribus, ad dr. i. med. aut dr. ii. cū aqua cardiaca conuenienti.

Formula illius talis eſt. ℞. &c. *cum aqua* roſarum v. g. *Fiat Epithema ſolidum, applicandum regioni cordis cum panno ſcarlatino.*

Solidum hoc Epithema ſolum non rarò præſcribitur, vbi maior roborandi, quàm alterandi neceſſitas apparet. At verò liquidum nunquam vſurpatur, quin poſt vſum illius ſolidum ſtatim admoueatur: ideo ſolent Medici in illo caſu liquidum; & ſolidum conſequenter præſcribere & in fine formulæ addere. *Fiat epithema ſolidum, applicandum regioni cordis ſtatim poſt liquidum.*

Ad epithemata referuntur iuniora animalia per medium ſecta, puluere cardiaco conſperſa, & cordis regioni admota. Illa autem animalia ſunt pullus columbinus, vel catellus. Horum verò præſcribendorum formula talis eſt, *Admoueatur regioni cordis pullus columbinus per medium ſectus, & puluere electuarij diamarg. frigidi ſinapizatus.*

Uel ℞ *pulu. electuarij diamarg. frigidi dr. ij. ſinapizetur pullus columbinus per medium ſectus, regioni cordis applicandus.*

Interdum ea animalia ſincipiti raſo admouentur, puluere cephalico conſperſa, ad cerebrum corroborandum, v. g. Gallina in Phrenitide.

CAPVT II.

De Fomento.

FOtus fit in varijs partibus: ſed frequentiùs in latere, ad dolores pleuriticos, in ventriculo, ad corroborandum; in hypochondijs, ſoluendas obſtructiones.

Pro latere fiunt decocta ex ſimplicibus emollientibus, additis anodynis, & reſoluentibus, quę omnia doſi apozematis ferè præſcribuntur, hac formula. ℞. &c. *fiat omnium decoctio, quæ foueatur latus dolens calidè, frequenter, cum veſica ſuilla hoc decocto ſemiplena.*

Pro ventriculo præſcribuntur ſimplicia ſtomachica, doſi apozematis minori, quibus adduntur aromata, vel garyophylli, nux moſcata, ſpica nardi ſatis magna doſi nempè ſingulorum dr. ii. iii. vel vnz. med. *fiat decoctio in æquis partibus aquæ fontis, & vini rubri adſtringentis, ſub finem additi.* Vel vbi magis adſtringendum; loco aquæ fontis aqua ferrata præſcribenda.

Formula huius talis eſt. ℞. &c. *fiat decoctio in æquis partibus, &c. qua foueatur regio ventriculi calidè, ſorgè à paſtu:*

duobus sacculis, prædictis simplicibus semiplenis.

Pro hypochondrijs fiat decoctio ex simplicibus aperientibus in dosi dicta, admistis quibusdam emollientibus, in æquis partibus aquæ fontis, & vini albi sub finem additi, dummodo calidâ intemperies non impediat.

Formula huius talis est. ℞. &c. *fiat decoctio*, &c. *qua fuecantur hypochondria calidè frequenter cum filtris imbutis, & expressis*, Si alterum tantùm hypochondrium laboret, præscribendum est, vt foueatur regio hepatis, vel lienis, prout hæc vel illa pars fuerit affecta, admixtis in decoctione ijs simplicibus, quæ partes illas peculiariter respiciunt.

CAPVT III.

De Balneo.

BAlnea parari solent ad multas intentiones, scil. ad refrigerandum & humectandum, menses mouendos, conceptum iuuandum, & ad externos affectus, scabiem, & elephantiasin.

Componuntur ex radicibus tribus, quatuor, aut quinque, an. lib. j. lib. j. ß. herbis ʒ. 6. vel 7. singulorum fasc. j. seminibus à lib. med. ad lib. j. fructibus à lib. j. med. floribus ad M. iii, vel iv.

Formula præscribendi est. ℞. &c. *Fiat decoctio pro balneo, quod ingrediatur tepidè, sine sudore, bis in die, per biduum, aut triduum.*

CAPVT IV.

De Semicupio.

SEmicupium nihil aliud est, quàm dimidium balneum, quo immergitur æger vmbilico tenus.

Componitur ex iisdem balnei simplicibus, dimidia tantum dosi & sequenti formula præscribitur. ℞. &c. *Fiat decoctio pro semicupio cui æger insideat a genibus vsque ad vmbilicum mane, & vesperi, longe à pastu per biduum, aut triduum*, vel *vrgente necessitate*, si ad dolores sedandos præscribatur.

CAPVT V.

De Oleis.

OLea rarissimè componuntur à Medicis, quia in officinis ad omnes ferè intentiones parata habentur. Si quis tamen olea componendi rationem desideret, ita progrediatur.

Præscribatur primo olei vel communis, vel officinalis vnius, vel plurium. v. g. l. med. simplicium puluerat. ʒ. j. succi, vini, vel alterius liquoris, ad scupum facientis ʒ. ij. vel iii. coquantur ad succorum consumptionem, fortiter exprimantur, fiatque oleum vsui reseruandum.

Si olea officinalia sola, (vt frequenter fit) præscribantur siue à Medico seorsim componantur; talis erit formula. ℞. &c. *Misce, inungatur talis pars calide, vel tepide admotis lenteis tepidiusculis.*

Vel ℞. &c. *Misce fiat embrocatio supra talem partem, admotis*, &c.

CAPVT VI.

De Linimentis.

LInimenta vulgò fiunt ex oleis officinalibus, cum axungijs, butyro, medullis, aut mucilaginibus, ea proporne vt sit oleorum quantitas ad reliqua dupla: vnde linimenti consistentia emergit, quæ est media inter oleum, & vnguentum.

Uel loco butyri, aut axungiarum, cera præscribitur ea quantitate vt pro olei vnz. i. sit ceræ ʒ. i. Passim tamen ceræ quantitas non definitur, sed præscribitur in fine, ceræ q. s. Interdum puluercs admiscentur ad ʒ. ß. pro olei vnz. i.

Vel denique fit linimentum ex vnguentis officinalibus cum oleis, dupla quantitate, additis etiam pulueribus, si lubet, proportione dicta.

Quantitas linimenti præscribitur pro partis affectæ magnitudine, passim tamen ad vnz. iv. vel vi.

Formula illius talis est. ℞. &c. *Fiat linimentum, quo illinatur pars affecta calidè, admotis linteis calidiusculis.*

CAPVT VII.

De Vnguentis.

COmponuntur vulgò Vnguenta ex oleis, pulueribus & cera, ea proportione, vt pro olei vnc. i. sit puluer. ʒ i. vel ʒ i. ß. cera ʒ ii. vt plurimùm tamen ceræ quantitas non definitur, sed dicitur q. s.

Quantitas totius massæ pro partis inungendæ magnitudine, & temporis diuturnitate præscribenda est; ad vnc. v. vi. vii. Formula verò talis est. ℞. &c. *Fiat Vnguentum, quo inungatur pars affecta.*

Frequenter etiam fiunt Vnguenta efficacissima ex oleis, ad vnc. iv. v. vel vi. pulueribus ad vnc. ß. ʒ vi. sucis, dimidia oleorum quantitate, vel maiore: ita vt bulliant ad succorum consumptionem, addendo postea ceræ q. s. vel aliquando Vnguenti officinalis ad onc. i. ß. onc. ii. q. s.

Huius formula talis est. ℞. &c. *bulliant ad succorum consumptionem: expressione facta dissolue ceræ, &c. fiat Vnguentum* &c. *Nota*: prædictis vnguentis sæpissimè misceri pinguedines, medullas, butyrum, & mucilagines, loco olei: gummata verò, vt ammoniacum, bdelium, &c. ceræ locum obtinere.

Fiunt etiam vnguenta ex vnguentis officinalibus, ad vnc. ii. oleis, eadem plus minùs quantitate: pulueribus, ad ʒ ii. vel iii. ceræ, q. s.

Uel interdum vnguentum officinale solum sine vlla additione præscribitur.

CAPVT VIII.

De Emplastris.

EMplastra vulgò componuntur ex oleo, pulueribus; & cera: aut iis, quæ olei consistentiam fere habent, vt sunt axungie, medullæ butyrum, mucilagines, aut iis, quæ cerę naturam referunt, vt gummata, pix, resina.

Horum talis est proportio, vt pro olei vnc. i. sint puluer. ʒ vi. ceræ vnc. i. ß. Quantitas totius massæ eadem, quæ vnguenti.

Fiunt etiam emplastra ex emplastris officinalibus ad vnc. i. aut vnc. i. ß. pulueribus, ad vn. ß. vel ʒ. vi. oleo, ad vnc. i. cera, q. s. addendo terebinthinæ parum.

Vel ex solis emplastris officinalibus quantitate parti affectæ proportionata.

Formula præscribendi talis est, &c. ℞. *Fiat emplastrum quod extendatur super alutam, & parti applicetur.*

Nota, figuram emplastri in multis partibus designari, vt in sincipite, ad formam litteræ T. vel etiam ouatis figuræ; in ventriculi regione in formam scuti; lienis, ad formam linguæ bouis: vteri rotundum; renum, quadratum. In alijs partibus non definitur, sed dicitur: *Fiat emplastrum magnitudinis debitæ.*

CAPVT IX.

De Cataplasmate.

CAtaplasma vulgò fit ex radicibus, foliis, seminibus, fructibus, dosi totus. Hæc decoquuntur in liquore idoneo, postea contunduntur, & trajciuntur per setaceum, addendo puluerum, vel farinarum vnc. ij. iij. vel iv. oleorum, vel axungiarum vnc. iij. vel iv.

Hac autem formula præscribi solet. ℞. &c. *decoquantur omnia, pistentur in mortario marmoreo, & per setaceum trayciantur, addendo*, &c. *fiat cataplasma, applicetur parti affectæ.*

Sæpissimè post vsum fomenti cataplasma admouetur, & ex illius residentia paratur, quando scilicet intentio est emolliendi, resoluendi, &c. hac formula, ℞. *Residentiam prædicti fomenti, contundantur in mortario &c.*

Interdum fit ex fructibus sub cineribus coctis, vt in alui fluxu, & dysenteria ex cydoniis coctis sub cineribus, N. iii. vel iv. pro eorum magnitudine, vel certiùs ad ℔. i. ℔. i. med. contusis, & traiectis, addendo puluercs adstringentes dosi dicta, & tantillum vini rubri, si lubet.

Fit etiam in alui fluxu ex crusta panis in vino macerata ad ℔. med. aut quartar. iii. cui adduntur puluercs roborantes, & adstringentes ad ʒ i. vel ii.

Vel ad dolorem sedandum in inflammationibus fit cata-

plasma

plasma *de mica panis*, vulgò dictum, ex mica panis albi in lacte macerata ad lib. med. Vitellis ouorum duobus, & croci ℈.j. nonnunquam olei rosacei q.s.

CAPVT X.

De Vesicatorio.

VEsicatorium duplex est, officinale, & magistrale.

In officinis habetur emplastrum vesicatorium, quod frequentissimè præscribitur à Medicis hac formula. ℞. *Massæ emplastri vesicatorij* ʒ j. vel ʒ i ß. *extendatur supra alutã, fiat emplastrum magnitudinis volæ manus applicandum* posteriori parti ceruicis, vel alteri parti, si opus videbitur.

Magistrale præscribitur ex fermenti acriori ʒ i. cantharidum pulueratarum ʒ.iij. cum aceto rosaceo fit cataplasma vesicatorium,

Interdum ad affectus oculorum, vel dentium applicantur vesicatoria ponè aures in formam Semilunæ, hæc formula, ℞. *Massæ emplastri vesicatorij* ʒ i. *formentur duo emplastra ad formam semilunæ, applicanda pone vtramque aurem.*

CAPVT XI.

De Saculis.

SAcculi duabus potissimùm intentionibus præscribi solent: vel scilicet ad humorem frigidum, crassum, & impactum in aliqua parte resoluendum, vt in capite frequenter per diætas sudorificas tales sacculi admouentur, post assumptam sudorificam potionem; vel ad roborandum cor præsertim, & ventriculum.

Resoluentes sacculli fiunt vt plurimùm ex milio ad lib. j. sale communi ad lib. med. seminibus descutientibus, vt anisi, fœniculi, fœnugræci, baccis lauri ad lib. med. ʒ. iij.

Illi autem hac formula præscribuntur: ℞. &c. *torrefiant in sartagine, sensim affundendo vini generosi, q.s. includantur duobus saculis, qui vicissim applicentur, aquę vitæ prius irrorati.*

Roborantes fiunt ex pulueribus radicum, lignorum, corticum, & aromatum, ad ℥ ij. ʒ ij. ß. quibus aliquando puluis cyprius, aut violaceus adiungitur, ad ʒ. ß. item moschus, ambra ad grana iv. ℈. ß.

Hanc autem formula præscribi solent. ℞. &c. *Fiat omnium puluis, qui excipiatur cotone moschato, & cum panno sericeo rubro interpuncto fiat sacculus, qui collo appensus gestetur supra regionem cordis, vel stomachi.*

CAPVT XII.

De Cucupha.

SAculos roborantes æmulatur cucupha, cerebro roborando, & calefaciendo dicata.

Fit ex cephalicis magis odoratis, radicibus, ad ʒ. j. folij ad M. ij. vel iij. floribus ad P. ij. vel iij. aromaticis ad ʒ. ß. quibus addi possunt puluis violaceus, & cyprius, ad vnc. ß. storax, benzoinum ad ʒ. i. vel ij. mochatus ad ℈. ß.

Formula autem talis est ℞. &c. *Fiat puluis, qui excipiatur cotone moschato & cum panno serico interpuncto fiat cucupha, suprà caput gestanda, vel pileo assuenda.*

Interdum duæ præscribuntur cucuphæ, vna interdiu, altera de nocte gestanda. Et tunc pulueris quantitas est duplicanda, atque ita præscribuntur: *Fiant duæ cucuphæ, quarum vnum pileo assuat, alterum de nocte gestet.*

CAPVT XIII.

De Frontali.

ADmouetur frequenter frontale ad capitis dolorem sedandum. & somnum conciliandum, ex seminibus quatuor frig. maior. lactuc. & papau. albi, ad vn. ß. aut ʒ. vij. floribus rosar. violar. & nymphææ ad p. iij. adduntur sæpè ad robur grana chermes ad vnc. ß. vel puluis trium santalor. ad ʒ. j. interdum florum chamom. & meliloti ana p. ß. qui dolorem sedant, nec valdè calefaciunt.

Formula horum talis est: ℞. &c. *Fiat omnium puluis crassior, qui includatur duobus pannis lineis, & vapore aceti irrotantus fronti applicetur hora somnis.*

Fit etiam frontale forma humida, quod ad oxyrrhodini naturam accedit, & intentiùs refrigerat, ac somnum conciliat in phrenitide, & febribus ardentibus, aut diuturnis vigilijs.

Componitur ex vnguento populeone ad vnc. j. oleo rosac ad vnz. med. parte dimidia albuminis vnius oui, addendo parum aceti rosacei, hac formula ℞. &c. *agitentur omnia simul, excipiantur stupis cannabinis, ac fronti applicetur, duobus linteis inclusa.*

Aliquando adduntur conseruæ rosarum, violarum, &c. ad vnz. med. aut dr. vj.

Finis Tomi Primi.

LE-

LECTORI BENEVOLO, ET MEDICINÆ STVDIOSO,

Anonymus. S.

PRæfari necesum est mihi, & veluti colloqui cum Lectore, vt præmonitus nisi probare velit, æquiori saltem animo in Animaduersiones hasce meas animaduertat, & recto iudicio æstimet supplementa. Moneo itaque me Tyronibus, Alumnisque meis hæc qualiacunque scripsisse, vt cum, quorum gratia scripserim, intellexerit, intelligat quoque causam, qua eiusmodi scribendi rationem inierim. Hi enim, quibus est indoles, & ingenium ad bonas artes, & me dicam præsertim effictum, illudque præterea excollunt studio, & sese exercentes medendo, cum hoc opus Riuerij, quòd tanquam probatum omnibus diurna, nocturnaque manu peruoluunt, nouis typis excudaretur, coegerunt me multis precibus, vt vellem pro eo, quo sum in eorum studia propensus ardore, quæ se se in eodem authore desiderare, sufficerem, falsò verò dicta, si quæ sint, detergerem, & emendarem: & quæ tandem obscura viderentur, exponerem Hæc quidem sunt bono animo, & sine ambitione quæsita: at quod ad me attinet, imparia valdè homini occupatissimo. Accedit præterea esse nimiæ fiduciæ, & libertatis, in aliena scripta manum immittere, & receptum ab omnibus, grauemque authorem ad examen reuocare. Longè tamen mei nominis curam, ac dignitatem post habeo profectui discipulorum, eorumque multitudine, & consuetudine me defendo, quibus licuit semper, nec iniuria, aliorum opera examinare. Cum enim nemo tanti sit, vt simul valeat inuenire, & perficere; nec ita adamussim singula scribere, in re potissimùm medica, in abdito posita, & tot, tantisque difficultatibus implicata, quin aliquis, vel inscio Authore, irrepat interdum error, iure licet, ne latiùs serpat, & teneris adhuc discentium animis inhæresat, expungere, & vnius authoris offense (quæ tamen nulla esse potest) præferre posterorum vtilitatem. Hoc nobili studio, & inter cætera per quam vtili vsi sunt hactenus omnes, & cæteri deinceps vtentur, ex quo magnum prouenit scientijs, & artibus incrementum. Nisi Hippocrates antiquorum scripta acri iudicio recensuisset, nisi item addidisset plurima; nisi Galenus, & alij Hippocratem elimassent; nisi denique cæteri succedentium temporum, & in primis neoterici Galenum ipsum, & quæ ante se repererunt edita, seueriori limæ subijcerent, quot nobis adhuc imponerentur falsa, & immania, quot careremus bonis, nisi reiectis antecedentium erroribus, plurima, & longè potiora sustituerent? Propterea dolanda sunt merito rudia antiquitatis inuenta, & quemadmodum sculpentes efficiunt, qua detrahendo, qua addendo in bonam iusti operis speciem reformanda, Ita ergo ab aliorum censura tutus vtor stylo consueto, & ea quam suamet exemplo docuit Hippocrates 1. de dicæto moderatione. Non enim ego, vt nec ille, quæ non rectè dicta sunt, & cognita redarguere instituì, sed qualia esse debeant ostendere. Ideò in Precognitis multùm immoratus sum, & fusiùs plura, quæ Alumni desiderabant, adieci. Et si enim quæ de natura medicinæ dicuntur, proue ctioribus forte videantur leuia; ad instituendos tamen maximè pertinent, qui artem suam debent noisse prius, quam eam familiariter tractantes exerceant, rectèque instituti operis ratio postulat, vt ea, quæ de re, quam agimus, dicenda sunt, quam optimè etiam dicamus. Laxiori autem, molliorique oratione conscripsi, quia delicatulis, nec dùm validis coquendo solidiorem, cibus ideo offerendus benè tritus, & fermentatus. Post hæc autem in cæteros institutionum libros paulò altiùs inquisiui: cum vt Alumni, qui pluribus medicorum hactenus herent, errores agnoscerent: tum etiam vt mentem ad sublimiores contemplationes paulatim assuescant attollere, eorum quodammodo ingenia acrioribus stimulis vrgeo, præbendo materiam contemplandi. Eo verò potissimùm consilio nonnullas sententias fortius exagitaui, non quòd tantummodò videantur falsæ, sed quia adeò situm contraxerint, vt nulla amplius superfit detergendi spes: & quod maximè dolendum, incuria, & negligentia Professorum discentibus affiguntur. Velim denique, vt Lector intelligat, quare aliquot duntaxat institutionum capita, eaque veluti punctim attigerim, cum antea circa Præcognita latiùs euagatus sim: nimirùm delectum habui grauiorum, in quibus ingenium sese potest exercere cum laude: stupiditatem verò professorum ostendi, & medelam simul adhibui, qua se se excitent à lethargo, si velint deinceps vltra corticem sapere: atque adeò Animaduersiones, non iustum opus, quòd alias polliceor me editurum esse, confeci, Lector ergo non nescius consilij mei hæc qualiacunque modò liberè iudicet, dum ego post tabulam positus iudicia, vtcunque fuerint, libens excipiam: interim vt ex bonis me doctum, ita ex malis nequicquam offensum iri, profesus.

ANI-

ANIMADVERSIONES

In Præcognita

IN VNIVERSAM MEDICINAM.

LAPSVS videtur author in constituendo iuxtà & probando genere medicinæ. Dicit enim, medicinam esse scientiam, & multis probat: deindè, ne videatur nimius suæ opinionis assertor: concludit. *Attamen, ne nimis rigidè sententiam nostram tueri videamur dicimus, medicinam scientiam appellari latiori paululùm significatione, quæ proponitur ad Arist. 1. Metaph. cap. 2. prout scientias speculatiuas, & factiuas comprehendit.* Tùm hic ego, ergo fallitur; quia si medicina latiori significatione est scientia, propriè est ars: atque adeò primùm ars dicenda est; deinde verò analogicè scientia, quemadmodum docet Arist. loco citato. Ibi enim nonnullas artium actiuarum quodammodò scientias appellat, quia instar scientiarum operis faciendi causam, rationemque cognoscunt; ideòque architectonicæ sunt, quæ docendo præsident ijs, qui, vt inquit idem, *nescientes manibus operantur*, quales sunt vulgò manuales appellati, & merè empirici.

Lapsus est etiam in probando, dum, inquit. *At verò cum sua habeat principia, axiomata, & demonstrationes ex naturæ demonstratione petitas: imò nonnullas ipsius physicæ demonstrationibus certiores, vt potè a sensuum fide deductas: cùm vnicum habeat subiectum reale, per se existens, ac præstantissimum: nempè corpus humanum illiusque proprietates doceat, inter scientiarum numerũ videtur potius referenda.* Lapsus inquàm est, quia nondùm certò constant huiusmodi principia, & axiomata medicinæ. Etenim si talia forent, non esset ars in tot sectas diducta, nec tot difficultatibus obnoxia, & si aliqua axiomata fortè videntur in culpata, & certa: ea tamen practica sunt, & artificem ad opus ducentia: cuiusmodi circumferuntur illa, *contraria contrarijs curantur, morbos quos repletio facit curat euacuatio, & è contrà.* Quibus etiam vel artes mechanicæ minimè carent. Sed esto talia sint, qualia Riuerius admittit: non ideò tamen medicina ab ijs obtinet nomen scientiæ; à fine enim, vt docet idem Arist. artes, & scientiæ constituuntur; quippè scientiæ finis est veritas, seu mera subiectæ materiæ contemplatio: artium verò est opus. Medicina ergò, quantùmcunque suorum principiorum, & axiomatum certa foret, nihilominùs ars dicenda est, quia non in contemplatione, sed in efficiendo opere tandem versatur, & quiescit.

Hinc, quòd de demonstrationibus addit, nec omninò constat, & si constaret; adhuc tamen minimè probat: vel enim demonstrationes vniuersales sunt, vel particulare concludunt: si vniuersales, omninò physicæ habentur, & ideò nec certiores physicis: si particulares, quales medicinæ conueniunt, (omnis enim ars, quæ ratiocinio de agendo deliberat, vtitur maiori propositione vniuersali, & minori particulari, vndè particulare concludit) minor huiusmodi demonstrationum semper errore periclitatur, quia singulare tantummodo cognoscitur experientia: propterea non est omninò libera à suspicione falsitatis: tale potissimùm sunt demonstrationes, quibus vel quantitatem remedij, vel tempus adhibendi concludimus: quę duo in arte quàm difficilima cognitu sint, & ferè incomprehensa, nemo non nouit, vt iure dicat Hipp. 1. aph. 1. *experimentum fallax, & iudicium esse difficile.* Hæc ergo cùm ità sint, quis audeat vnquam asserere eiusmodi demonstrationes medicinam ad scientiæ fastigium euehere? tantò magis, quòd ad operationem, non ad contemplationem facta sunt.

Nec minùs improbabilis est altera, quam subijcit, ratio, inquiens. *Cui opinioni nos magis assentimur; artes enim ex frequenti tantùm operatione comparantur, & totæ in operatione versantur; at medicinę habitus comparatur ex frequẽti librorum inspectione, & doctorum institutione, quemadmodum veræ scientiæ.* Falsum est enim, medicinam hac ratione fuisse acquisitam, & nunc etiam acquiri; ea enim fit, quemadmodùm cæteræ artes, experienta: experientia verò cum in singularibus occupetur, in exercitatione tota est: ideò qui ex libris euadunt medici, nec singularia norunt, nec hilum queunt agere. Hinc docto medico in agendo longè præstat expertus, & Celsus appositè dicit, *nec agricolam quidem, aut gubernatorem disputatione, sed vsu fieri*, & de medicina speciatim scribens ait, *sapientiæ studiosos maximos medicos esse si ratiocinatio hos faceret: nunc illis verba superesse deesse medendi scientiam.* Et infrà clariùs, *ne interimitia quidem ab istis quæstionibus deductam esse medicinam, sed ab experimentis.* Hac de re plura dicta sunt ab Hipp. & Gal. & dicentur etiam à posteris, dicentque præterea ij, quicũque medici futuri sunt. Quòd si medicina ideò scientia est, quia ex libris, & doctore potest addisci; eodem prorsus modo quæcunque artes scientiæ forent; quia & tradi possunt à docente, & qui valet ingenio, per se potest ex aliorum scriptis addiscere. Idcircò hæc ratio inanis est, futilis, & nihili omninò facienda. Quęcumque enim, vel scripta sunt, vel à magistris traduntur, ortum habent ab experientia, & in eam pariter resoluuntur, vt inferiùs ostendam ex Hipp. *lib. præceptionum, & de arte veteri, & de diæta.* vbi inquit, *magis credere oportet oculis, quam opinioni,* & tandem *lib. de elegantia.*

Item falsum est, corpus humanum esse subiectum, cuius passiones, & proprietates considerat: hæc enim consideratio vniuersim accepta physica est, non medica: deinde medica est magis contracta, & medicus non quascunque causas, & passiones corporis humani cognoscit, sed tot, & tales, à quibus scilicet vel sanum est, vel ægrum, quod in supplementis ex Hipp. luculenter exponam.

Hinc patet non corpus humanum, sed hominem esse medicinæ subiectum; præterea enim animi passiones medicus contemplatur, amorem, iram, timorem, & cętera huiusmodi, quæ influunt in corpus, illudque vi sua à naturali statu sæpè deijciunt. Cùm ergò eiusmodi passiones non solius corporis, nec animi, sed coniuncti, vt inquit Arist. communes sint, non corpus humanum, sed homo iure medicinæ subiectus est, hinc medici in potentiarum animalium, quatenus ad rem suam facit, cognitio euertantur.

Nec minùs abest à verò, quod postremò dicit his verbis. *Finis denique, ad quem dirigitur ab illius doctrina, & tractationis modo distinguitur, & vt certè adnotauit Alexander Aphrodisæus. Medicina enim dupliciter considerari potest, vel primariò, quatenus docetur ex certis, firmis, & indubitatis principijs &c.* Abest inquam à vero, quia Aphrodisæus eò loci annotat discrimen inter facultates coniecturales, & eas, quas ipse definitas appellat; quippè indefinitis idem est finis, & opus: in coniecturalibus verò opus à fine distinguitur, & ostendit ex exemplo Rethoricæ; opus enim rhetoris quod dicitur etiam officium, est aptè dicere ad persuadendum: finis verò est persuasio; at quia non semper Rethor aptè dicendo persuadet; ideò hæc duo ab inuicem distinguuntur. Idem accidit medicinæ. Opus, siue officium medici est omnia facere appositè ad sanandum; at quia medicus etiam benè medendo aliquando minimè sanat; *rectè enim*, inquit Aristotel.; *curamus etiam insanabiles*, ideò aliud est officium medici, aliud finis. Hinc tamen non deducit Aphrodisæus, medicinam esse scientiam, si consideretur primariò, quemadmodum Riuerius affirmat, eo enim pacto factiua est; neque secundariò, vt idem falsò putat ad vsus hominum reuocatur; sed ex natura sua humanæ sanitatis causa comparata est, & inuenta, vt egregiè Hippoc. notat lib. de veteri medicina, inquiens. *Porro huic inuento quodnam iustius, magisque aptum nomen quis imposuerit* (loquitur de humanæ dietæ, & victus institutione) *quam medicinæ? quandoquem gratia sanitatis humanæ, nutricatusque ac salutis inuentum est.* Imo ex eodem authore hactenus dicat confirmantur: ille enim oblitus sui, suæque sententiæ

sententiæ, asserit, *sanitatem esse finem medicinæ, ad quam omnia medici opera diriguntur quaue adepta medicus conquiescit* : ergo si sanitas est eiusmodi, medicina primariò, non secundariò ad vsum hominum comparatur; siquidem omnia opera hùc dirigit, factiua est, non actiua, ac contemplatiua; atque adeò tandem est ars, non scientia; sed de his in supplementis.

SVPPLEMENTA.

EX dictis constat, medicinam non esse scientiam, modò paucis, esse artem, ostendo. Facilè autem demonstratur, si recolantur ea, quæ docet Aristot. 3. ethic. vbi discrimen, quod artem, & scientiam intercedit, optimè tradit. Differunt ergo ars, & scientia fine, materia, modo, & agendi principio. Materia differunt, quia scientia circa vniuersalia, & necessaria versatur: ars verò circa singularia & contingentia. Fine, quoniam ars efficiendo aliquid, quærit bonum extra se, & in externo subiecto: scientia verò contendit ad bonum eius, qui sciens est, siue ad perfectionem intellectus scientis; ideòque sibi tanquam finem proponit contemplationem, & veritatem: è contra ars effectionem, & opus: ac tandem ars non est in eo, quod efficitur, sed in efficiente. Hinc patet, quod superiùs probandum suscepi, medicinam, scilicet esse artem, quæ versatur circa materiam contingentem, & singularem; non enim sanat hominem, sed Socratem, & Calliam; contenditque ad bonum eius, quem sanat: est in medico curante, dum vtitur regulis, & instrumentis, vt opus rectè fiat, ijsque malè vsa aliquandò non rectè facit: at vbi alia rectè, alia non rectè fiunt, vt inquit Hipp. lib. de arte, ibi ars est: quocirca antiquiores omnes Hipp. Arist.; & Galen. medicinam artem semper appellant. Et hæc satis dicta sint tanquam de re nota, & ab omnibus ferè recepta.

Cùm superiùs in animaduersionibus iudicauerim ex Arist. 1. Topic. artes bifariam dici, scilicet, alias esse definitas, alias verò appellari facultates; præstat hic intelligere, cuius generis sit medicina. Artes definitæ dicuntur, quorum ita sunt certa, ac determinata media, vt, ijs positis, sequatur opus, quod propterea idem est etiam finis: nec pendet à fortuna, & à casu, v.g. Architecturæ ita certæ sunt regulæ, ita media determinata, vt, ijs positis, domus fiat semper, & eodem modo; ideòque non distinguitur opus à fine, sed eadem domus opus est, & finis architecti. Facultates verò duobus etiam modis dicuntur: vel enim Facultas eiusmodi est, quia contraria possit, & faciat: v. gr. orator potest defendere Milonem, & accusare: medicus sanare, & occidere: vel dicitur etiam facultas, quia cùm sconiecturalis sit, nec in aliquo determinato posita, opus habent consilio, & ratione, & de agendi modo de instrumentis & tempore ratiocinando decernat. Propterea, quemadmodum in artibus definitis, quia media certa sunt, non distinguitur opus a fine: è contra in huiusmodi artium genere, quia peractis omnibus quæ ex artis instituto facienda erant finis tamen non consequitur aliquando: aliud est opus artificis, aliud finis. Medicina igitur non dicitur facultas primò modo, quia scilicet contraria possit, & faciat, sicuti dialecticus & orator, sed altero, quia vtitur consilio, & ratione eruestigandi causas, & media & tempus, & modum vtendi, &c. vt peregregiè notat Aphordisæus con. 1. Topic. cuius ideò verba refert hùc adducere, at ita loquentem audire. *His duabus artibus* (scilicet dialecticæ, & oratoriæ) *commune est simili modo potentijs suis vti ad vtraque contrarium. At qui inscientijs versantur, licet habeant contrariorum cognitionem, tamen scopus, quem illa scientia sibi proposuerunt, est vt alteram partem contrariorū quæ melior est, definitè consequantur: medicus vt sanet aliptes, vt firmum corporis constitutionem tueatur. & cæteri alterum contrariorum, quod melius est propositum habent, in quo se exerceant. Nam cognitio contrariorum, quam assequuntur, non est apud eas principalis, sed ex cognitione vnius sequitur alterius cognitio; quēadmodum ex scientia eorū; quæ sanitatē inducunt sequitur etiam cognitio eorū quæ morbos gignunt.* Quibus ostendit Aphrodisæus, medicinam nō esse facultatē priori modo superiùs proposito. Pergit deinde ostendere, quo pacto medicina facultas dicenda sit: nimirū quia, cùm sit coniecturalis, *non est in aliquo determinato sed opus habet propria intelligentia ad coaptanda accidētia, & ordinanda ea, quæ fiunt, vt ita ordinata vtilia sint*: quare cum medicina talis facultas sit, indicat quale etiam sit eius opus inquiens: *ideò medici opus est, omnia facere, quæ ad corpus pertinent, non sanare. Quod si hoc ad medicam spectaret, certè, & non medicus erit medicus, & medicus non erit medicus, quia, & illi, qui medici non sunt, plerumque ægrotans sanant, cùm aliquid salutare adhibent: & medici plerùmque non sanant, quod faciunt, quandò malum maius est, quàm auxilium medicum*; ideò qui non medici sunt, & sanant, faciunt opus, medicum non medicè, seu non ex habitu medicinæ, quo carent, sed casu, vel aliorum consilio, &c. qui autem medici sunt, faciunt opus medicum medicè, ex arte nimirùm, non fortuitò, vel aliena ope; quæ duo valde differunt, & medicum à non medico apprimè distinguunt; quemadmodùm dicebat Arist. 3. eth. de iustis, *quod aliud est facere opus iustum iustè, aliud opus iustum non iustè*.

Cæterum, ne videatur hoc discrimen nullius esse vtus, & allatum frustrà, ac vt explicentur vberius, quæ antea indicata sunt, addo etiam, quæ hac de re scribit Aphrodisæus, nimirum ex his sequi, *in huiusmodi artibus non fieri iudicium ab aduenientibus finibus, vt fit in arte domus ædificandæ, aut telæ texendæ, & in alijs artibus factiuis, in quibus per quasdam vias definitas, & ordinatas procedit ur, & actio fit in omnibus pari modo, & eorum opus non potest fieri a fortuna. In his autem finis est, propositum opus sequi ex ijs quæ eius causa facta sunt. Quocirca cum benè, & artificiosè fiant, quę ante ipsa sunt opus ipsam declarant. In artibus autem coniecturalibus non omnino cum ijs, quæ arte fiunt, conueniunt ea, quorum causa illa fiunt. Causa est, quia in his aliqua fiunt à fortuna, & non sunt determinata ea, ex quibus fiunt illa, quæ sunt eis subiecta. Quamobrem id, quod fit ab ijs artibus, non est illarum artium finis, vt fit in ijs, in quibus, cùm sint aliquæ definita, aliquid efficitur, & sine illis, nihil fieret: at in his opus est finis & signum, omnia ex arte esse facta; neque enim aliter esset factum. In coniecturalibus verò opus non est finis; quia non semper sequitur finis ex ijs, quæ gratia eius fiunt*: ideò Aphrodisæus rectè distinguit finem ab officio medici, inquiens, *medici officium est vt omnia agat, quæ possit, quo ægroti corpus sanet; finis verò sanatio, cuius gratia illa facit, eò quod indiget alijs quibusdam præter ea, quæ facta sunt, vt secundum medicinam sit. In definitis enim similimodo se habet, finis in ipsis, vt facere secundùm artem: in coniecturalibus non est finis in artifice, vt neque beari in probis hominibus, si non solùm bonum, & honestum sit*. Sic in medico non est sanare, & ideò curare secundum artem, & sanare distincta sunt.

Discriminis modò, quanti sit hæc nosse, quantùm referat medicum, quantum ægros. Medicum quidem, quia antea monitus, officium à fine esse distinctam, nec idem esse mederi, & sanare, polliceatur, tantummodo suum se præstiturum officium quàm diligenter, non sanitatem, quæ in eo non est, & ab alijs etiam extrinsecus pendet, refert etiam ægrum, quia operam medici, quæ ab eo solùm est, non sanitatem debet exigere, nec propterea artem, & artificem calumniari, quoties euentus improspere cadit, dummodò non defuerit officio suo.

Non videtur absre hic amplius examinare sententiam quorundam magni nominis medicorum, dicentium, medicinam, vel esse prudentiam, vel non sine prudentia. Legi iamdiù apud Hofmannum dictum à Scherbio: audiui etiam Patauij ex primo suggectu professorem theoricæ medicinæ affirmantem, medicinam esse prudentiam: ac denique ea est omnium vox, medico opus esse prudentia: idcircò accuratè discutiendum est, an simpliciter, vel quadantenùs eiusmodi sententia recipienda sit, hinc enim nonnulla ab Hipp. præclarè dicta intelligimus: aliaque medicinæ tribuimus, quæ integrè, & luculenter eiusdem naturam omninò circumscribunt.

Vt itur, quæ proposita sunt, facilè absoluam, adnoto prudentiam bifariam accipi, nimirùm simpliciter, & secundum quid. Prudentia simpliciter est vnus ex habitibus intellectus, quos in eth. enumerat Arist. à cæteris longè diuersus, cuius propterea materia subiecta distincta est, & finis pariter alius. Materia prudentiæ sunt actiones humanæ, & quæcunque agi possūt ab homine: finis verò est felicitas hominis in quantum homo est. Medicina non est prudētia hac ratione, & simpliciter explicata, versatur enim circa hominem, quatenùs, à causis externis, & internis à sanitate ad morbum, & à morbo ad sanitatem mutatur. Hinc finis medicinę non est bonum principalissimum hominis, vt homo est, sed particulare, ideò sanitas. Hinc etiam prudentia, & medicina circa eundem hominem diuerso modo versantur; prudentia

enim

enim versatur agendo, medicina faciendo : actio autem, & factio differunt ; quòd facio tendit ad finem, & bonum rei factæ, & principium faciendi est in eo, quod facit, non in eo, quod sit, vt dixi etiam superiùs: v. g. principium artificiale sanandi est in medico, non in eo, qui sanatur, & sanitas quoque est in homine sano, non in medico sanante. Actio è contra non est semper à fine distincta, sed ipsa plerumque est finis: & principium actionis est in eo, qui agit, quemadmodùm contemplatio veritatis est finis contemplantis, & principium contemplationis est in eo, qui contemplatur.

Prudentia secundùm quid ea est, quæ circa aliquam singularem materiam alicuius facultatis occupata, bonum eius particulare, quoad fieri potest, acquirendum sibi proponis ; & hoc pacto medicina apte dicitur prudentia secundum quid, quòd tota est in facienda sanitate, quæ est bonum hominis particulare. Si prudentiam ergo secundum quid citati doctores accommodent medicinæ, admittendi sunt, eorumque sententiam sic emendatè recipio: qua ratione Arist. etiam errorem Socratis, dicentis, *virtutes morales esse prudentiam*, emendauit inquiens, *eas non esse prudentiam*, hoc est simpliciter, *sed non sine prudentia*, siue secundùm quid. Cùm igitur medicina aliquam prudentiæ speciem perfecerat; ea etiam quæ prudentiæ propria sunt, quodammodo sibi vendicat. Quocirca non est ab hac tractatione remotum, medicinam cum prudentia comparando, eiusmodi similitudinem latè prosequi : hoc enim plurimùm facit ad naturam eius, ac dignitatem illustrandam, ac ostendendum etiam, quanti sit verum esse medicum; hoc est quot, & qualia sint ea, quibus futurum medicum oportet esse instructum.

Quemadmodùm ergò prudentia consultat de ijs, quæ felicitatis gratia agenda sunt, quoniam agibilia habere se aliter possunt : sic medicina consultat circà factibilia contingentia ; quoniam sanitatis instrumenta non sunt definita, ac certa : sicuti prudentia ex pluribus medijs eligit consultando, quæ efficaciora sunt, & citò, ac tutò ad finem perducunt : ità medicina per consultationem eligit, ex remedijs, quæ facilia sunt, tutiora, & minùs molesta comparandæ causa sanitatis; atque adeò in vtraque facultate eadem est ratio consultandi. *Consultatio enim est quædam rectitudo consilij per media congrua fini, & tempore conuenienti* : in prudentia quidem gratia boni simpliciter ; in medicina verò causa boni particulari, idest sanitatis.

Amplius sicuti de materia prudentiæ non est cuiuslibet consultare, sed viri longo rerum vsu periti, qui mores hominum multorum vidit, & vrbes, quod de Vlysse canebat Homerus ; quique ex memoria præteritorum, & cognitione præsentium futuris prospiciat : sic etiam in medicina non est cuiuslibet consultando deliberare, ac senioris, plurima rerum experientia à multo tempore instructi, qui præterita cum præsentibus componendo, non solùm quid hic, & nunc fieri opus sit, sed quoque quid faciendum in posterum rectè decernat.

Tandem similitudo inter prudentiam, & medicinam maximè cognoscitur ex virtutibus, quæ prudentiæ coniunctæ sunt, eædem enim etiam medicinæ conueniunt, vt clarè patet singulas recensenti. Virtutes ergò annexæ prudentiæ sunt, Synesis græcè, latinè Sagacitas vel Perspicacia ; altera verò, quæ græcè dicitur Gnome, latinè Sententia vocatur.

Synesis seu perspicacia est vis quædam benè iudicandi quid rectè, & opportunè fieri possit ad finem comparandum; ideò huiusmodi virtute præditi perspicaces appellari solent, & perspicaciæ contraria est hebetudo ; quia mente hebetes nequeunt benè iudicare facienda.

Gnome, vel sententia est vis quædam cognoscitiua ; qua quis rectè iudicat, quę præter ordinem causarum inferiorum eueniunt, & quid agere conueniat, dum casus aliqui insueti contingunt, vel vbi consueta media non conferunt; quod exemplo singulari facilè declaratur. Sicuti præter iustitiam legalem, qua quid faciendum, & nõ faciendum constitutum est, datur æquitas, per quam in quibusdam casibus, & circumstantijs, vel facimus aduersus legem, vel corrigimus, si non expediat, & congruat, vel addimus, si deficiat : vndè definitur iudicium æqui, ac boni viri, quo iudicat quid sit faciendum, & addit vbi lex deficit, aut corrigit, vel benignè interpretatur, vbi non congruit tempori, & circumstantijs : sic Gnome vtitur prudens qua iudicat quid hic, & nunc agere conueniat, vel in casibus non antea visis, vel vbi non eædem circumstantiæ, & accidentia concurrunt. Hinc nemo est, qui non videat, vel ex sola eiusmodi virtutum explicatione, quo iure eas quoque medicinæ tribuam, & proinde quanta sit inter vtramque facultatem analogia. Primò itaque medico necessaria est perspicacia, qua iudicet, & cognoscat non facienda tantùm modo, sed etiam opportunitatem faciendi. Secundò solertia quædam, qua citò non solum quidquid sensibus occurrit apprehendit, sed ex sensibilibus obscura coniectat, vnum ex alio colligit, & hinc festinè conuolat ad inuentionem remedij. Solerta enim, vt benè definit Arist. *est inuentio, in non perfecto tempore medy*. Tertiò necessaria est Gnome, vel sententia; nisi enim medicus benè sentiat de rebus suis, si quid accidit, præter consuetudinem, nec amplius visum, de quo nulla extet lex medica, vel si adest, non sit tamen apta tempori, & circumstantijs; nec ex tempore consulere, nec remedium inuenire, nec ad causas effectus reuocare subitò valet, sed rei faciendæ, ac deliberandę inscius est, & incertus, nisi mente valeat, & iudicio. Quamobrem tunc medico maximè conuenit æquitas, qua sicuti iures prudentes in iustitia ciuili, sic in re sua aliquando secus, ac præceptum est, medetur, vel præceptis addit, vel corrigit, vel moderatur; nulla enim lex, nullumque præceptum adeò commune est, vt omnia singularia comprehendat, quæ cùm infinita sint, & multiplicium accidentium concursu varia, nec à legis conditore, nec ab omnibus simul acceptis hactenus cognita sunt. Ideò quò magis hoc arduum est, sic opus est medico perspicaci, benè sentiente, & boni, æquique iudicij, qui rem præsentem intimè cognoscat, & quantùm, & quomodo differat, vel conueniat cum ijs, quæ ipsæ, & alij obseruarunt, & olim, prudenter æstimet, & quod maximum est, ex tempore valeat decernere, quæ circa hoc singulare, hic, & nunc facere magis expediat. Hanc ob causam Arist. 3. Polit. improbat egyptios, qui rata, stataque lege præcipiebant medico, *ne moueret ante tertiam diem*; siquidem ex vario accidentium concursu sæpè fit, vt aliquando antè, aliquandò multò post tertiam diem, nonnuquam etiam nulla mouere medico liceat; vndè diuus Tho. in commento scitè dicit, *non esse semper tutum, & certum ex scripto mederi*.

Cæterum eiusmodi virtutes maximè pendent ab imaginatione, quàm Arist. ideò appellat intellectum singularium; quemadmodum enim est intellectus, qui fingit, & componit vniuersalia, ita etiam in facultatibus practicis est intellectus, qui singularia cognoscit, inuicem comparat, & distinguit, de quo egregie Arist. multa tradit 3. *de hic*. Necessitatis autem ratio ea est, quia facultates practicæ vtuntur syllogismo, qui constat duplici propositione, prima vniuersali, & altera particulari. Vniuersale cognoscitur intellectu, particulare verò imaginatione, seu intellecto practico particulari, vt idem eodem loco fusè.

Ex dictis nonnulla Hipp. loca modò facilè intelliguntur. Primò cum lib. de lege ait, *ad artem medicam comparandam maximè omnium opus esse natura ; cùm enim natura ad optima viam demonstrat, artis doctrina facile contingit*: & lib. de elegentia, *principalissimum omnium esse naturam ; nam si hæc affuerit ijs, qui animum applicant, per omnia penetrare poterunt*. Et tandem lib. de arte eos medicos posse morbos in profundo corporis latentes cognoscere, *quibus natura non infelix liberaliter accessit*: cum hęc, inquam, dicit Hipp. contat, nomine naturæ non intelligere partem illam hominis, quæ circà alimenta occupatur, & vel dormientibus nobis, semper in actu est : sed alteram longè superiore, nimirum cognoscitiuam, qua apprehendimus primò res, quales sunt in se, deindè inuicem comparando, an conueniant, vel differant sine errore discernimus, & ex similibus vniuersale componimus. Denique ex cognitis ad ignota, & obscura discurrimus; atque adeò ea est huiusmodi natura, qua medicus sagax, perspicax, solers, & iustus rerum æstimator euadit. Hinc fit, vt huiusmodi facultates dicantur esse à natura quia, vt docet Arist. non comparatur vsu, sed ex naturali organorum institutione resultant, deinde exercitatione perficiuntur.

Superest, vt aliqua amplius, quæ spectant naturam medicinæ, dicamus, vt huiusmodi supplementa omninò sint absoluta, nimirum de officio, & fine medicinæ, quandoquidem hæc duo ab inuicem antea seiunximus : de subiecto, de partibus, seu diuisione, de ordine, & instrumentis & alia addamus etiam, quæ ad rem nostram facere videbuntur.

De officio medici, & medicinæ cum plurima superiùs dicta sint, pauca hic, repetendo potiùs, dicemus. Officium ergo medici primùm est, morbum, quoad licet, cognoscere ; ex hac cognitione deinde procedere ad inuentionem remedij,

inuen-

inuentio autem, quæ methodo, & ratione perficitur, vt inquit Gal. 1. meth. med. constat qualitate, quantitate remedij, & vtendi opportunitate; vbi hæc inuenerit, fecit satis officio suo, & remedia, alioquin per se indifferentia, medici industria salutaria fiunt. Hac de re extat aurea Gal. doctrina com. in 6. epid. quam propterea huc afferre non dedecet: docet ergò ibi, aliud esse materiam medicam, aliud præsidium. Materia medica est v. g. venæ sectio, cucurbitulæ, frictiones, purgantia, clysteres, &c. huiusmodi. Auxilia medica sunt hæc eadem, non absolutè, & qualia, sed auxilia fiunt à medico, cùm ijsdem vtitur opportunè, inquit enim *quæ est igitur causa generationis auxilij; qui tempus reperit.* Quòd verè maximè est officium medici, & medicinæ: Sanitas deindè sita extrà medici potestatem.

Officio succedit finis, quem facilè statuo, esse sanitatem, & eadem facilitate quoque demonstro; nam, acquisita sanitate, cessat actio medentis, supposita verò impossibili, nemo de agendis cogitat; at in hoc posita est ratio finis, ergò sanitas est finis. Amplius ex præcognita sanitate, quæ facienda sunt medicus inuestigat: vndè tota medicinæ institutio ab hac cognitione pendet; & Arist. 7. metaph. disertè ait, *ex sanitate fieri sanitatem*, seu ex sanitate à medico præcognita fieri sanitatem in ægris; & in eth. finem esse mensuram, & regulam cæterorum ideòque; eiusmodi sententia sancita est, præeunte Hipp. lib. præcept. vbi apertè dicit, *recte autem, & conuenienter ggrorum cura suscipitur sanitatis causa: at sanorum, vt sine morbis viuant: quin etiam elegantia ergò.* Quibus indicat non solùm communissimum medicinæ finem, sed etiam medicinæ partes, quæ ad eundem, non eadem tamen via perueniunt; nimirum conseruatricem, quæ, tuendo naturalem partium constitutionem, sanitatem conseruat: curatricem, quæ depellendo morbos, recuperat: & Cosmeticen, quæ ornatum corporis naturalem, vel redintegrat, vel tuetur.

Hosmanus, quia timet, ne vnicus sit finis, atque adeò ne periclitetur vnitas medicinæ, si diuersa procedamus via, asserit sanitatem vn cum esse finem, quia ad illam eodem modò contendimus. Siue enim sanos tueamur, siuè curemus ægros, semper procedimus corrigendo, emendando, & detrahendo, ijsdemq; propterea vtimur instrumentis, venæ sectione, purgatione &c. verùm insanis corrigimus leuiores lapsus, in ægris ero graciores; qui pè ea est latitudo sanitatis, vt corpus adhuc sanum sit, quamuis deflectat ab integra, & omnino perfecta corporis constitutione; tunc autem ægrotat, cùm ille recessus sic intenditur, vt erectum stare, & agere quæ sani aguni, minimè possit. Hæc quidem vera sunt & docte, ac subtiliter dicta, quia verè semper etiam conseruando adhibemus contraria, licet minora, & vacuamus pariter, vel purgando, vel mittendo sanguinem, quemadmodum facere, ægros curando, solemus. Nihilominùs, etsi diuersa verè sit ratio medendi in vtraque parte cõseruatrice, & curatrice: finis tamen semper est idem; sanitas enim siue conseruata, siue recuperata, semper est eadem, vt patet; ideoque ars in vniuersum est vna, licet ex diuersis partibus conflata: quemadmodum corpus est vnum, quamuis partes diuersæ sint, quæ diuersis funguntur officijs, quoniam agunt gratia totius, & à communi principio mouentur.

Hic quæret aliquis, quid nomine sanitatis intelligatur, an forma illa, quæ ex optima partium, & corporis constitutione resultat, vel ipsamet corporis constitutio. Breui dico, sanitatem hic non intelligi formam illam superinductam corpori benè constituto, sed eandemmet constitutionem: siquidem finis ille verè dicitur, qui egendo acquiritur; at ad sanitatem, vt inquit Arist. in phys. non est motus, nec à sanitate, vt relatio est, accipimus rationem agendi: è contrà à corporis constitutione deducimus inuentionem remedij, & per eadem remedia, vel corporis constitutionem seruamus, vel restituimus quò, vbi ventum est, ab agendo cessamus. Hinc reijcimus eorum sententiam, qui putant integritatem, & robur actionum esse finem; hæc enim resultant; cùm enim corpus benè constitutum est, integra, & perfecta vis agẽdi consequitur, & propterea nullam nobis præbent vtilem indicationem medendi, sed tota ab ea, quæ physicè, & verè sanitas est, corporis constitutione dependet.

Sanitati ergò rectè subiectum coniungitur, de quo aliqua dicit Riuerius, sed communia nimirum, *esse reale, per se existens, cuius passiones, & proprietates medicina considerat*: sed omittit potiora, & magis necessaria. Vere enim corpus humanum reale est, & per se existens, passionibus & proprietatibus præditum: at cùm sit alijs etiam facultatibus subiectum, præsertim vtrique philosophiæ, naturali, & morali, erat ampliùs explicandum, qua ratione spectet ad medicinam: vt enim dixi superiùs ex Arist. medicatus non simpliciter oculum, sed vsque ad aliquid contemplatur. Nobis ergò supplendam sunt, quæ Riuerius inconsultò prætermittit. Quocirca, vt quæ à me dicenda sunt, clarè, & facilè percipiantur.

Dico, vnamquamque artium mutuari subiectum suum à natura: statuarius ex. g. accipit marmor, faber ferrum, & æs, architectus ligna, lapides, & cæmenta; illi tamen non considerant ea, vt omninò cognoscibilia sunt, sed quatenùs aptanata ad susciendam formam artificialem, & ideò cognoscunt, vt agant; & quamuis subiecta realia sint, & per se existant, &c. nunquam tamen eas nomine scientiæ donamus. Ità medicina circà corpus humanum versatur, quatenus sanabile est, seu quatenus capax sanitatis ope sua inducendæ, & conseruandæ. Quare afferenda est particularis ea cognoscendi corporis ratio, quæ apprimè pertinet ad medicinã, quęque insinuet intentiones medendi.

Multi hac de re multa dixerunt, sed nemo, nisi me ipsum fallo, corporis humani considerationem attingit; nam qui dicunt corpus, vt sanabile, vel vt subiectum sanitatis, & ægritudinis tradi medicinę considerandum, afferunt physicam considerationem, non medicam: physicus enim contemplatur etiam sanitatem, & morbum, quæ sunt passiones corporis naturalis, vt naturale est. Ideò missis, quæ dicuntur ab illis. Hip. optimè omnium, & clarissimè docet quousque sit homo à medico cognoscendus; inquit enim lib. de vet. med. refellens primo nonnullos eius temporis medicos; *cæterum & medici & sophistæ quidam aiunt, quod non potis sit medicinam cognoscere eum, cui exploratum non sit, quid sit homo, & quomodo primùm factus, & consociatus sit. Ego verò hæc, quæ ita de natura dicuntur, aut scribuntur, siue è sophista, siue à medico, minus consentanea medicæ arti existimo, quam pictoriæ.* Verè enim nihil interest, medicum scire ex quibus principijs, athomis ne, aut alia quapiam materia compositus sit; vndè Gal. in lib. meth. ait inanem esse huiusmodi peruesligationem, quia ex athomis nulla nobis indicatur ad medendum via. Item neque refert cognoscere, qui sit opifex corporis, qua arte lineamenta ducat, & partium formam effingat, & alia huiusmodi, quæ merè physica sunt, & nulli sunt vsui medenti. His refutatis, pergit Hipp. definiendo legem, ac modum, quo medicum oportet hominem nosse, inquiens. *Verùm mihi maximè, remedici esse videtur, vt is in naturæ rebus exercitatus sit* (in ijs scilicet, qua hominem afficiendo ab vno ad alterum statum sanitatis, vel ægritudinis mutant) *vtque omni studio annitatur (si quid, quod facto opus est, præstabit) vt percipiat, quid sit homo, collatione facta ad ea, quę eduntur, & bibuntur, & quid à singulis cuique euenturum sit; nec ita absolutè putare, quod malum edulium sit caseus; verum etiam explorandum, quodnam incommodum afferat, & quamobrem, & cui humani corporis parti incommodus habeatur;* & post multa in eundem sensum scripta addit etiam. *Cæterum præter hæc necesse fuerit, vt rectè dignoscat quænam passiones dimanent ex succorum exsuperantibus qualitatibus, & viribus: quæ item ex figuris eueniant.* Preclarè quidem his verbis nobis Hipp. indicat medicam hominis, quæ differt à physica, considerationem: quippè physicus in vniuersùm tantùmmodo cognoscit hominem, vt sanabilem, & ægrotabilem hanc ob causam, quia ab insito principio mobilis est ad vtrumque at medicus cognoscit hominem à causis singularibus internis, & externis sanari, & ægrotari: item cognoscit singularem morbi speciem, & partem quoque cui talis morbus infligitur; vt patet exemplis ab eodem propositis. Vnde physicus hominem absolutè, medicus verò comparatè ad particulares causas afficientes, & alterantes cognoscit. Hinc intelligimus, cur medicus crassus, & sensatus artifex appelletur; quia nimirùm non in abstractis, & à sensibus longè remotis, at in sensibilibus, & materialibus, totus esse debet; & propterea nimia subtilitas, qua ab illis distrahimur, vel inanis est, vel obest.

Illud notatu dignum superest, quod de huiusmodi subiecto dicamus, nimirum quo differat à subiectis artium cæterarum. Discrimen itaque est huiusmodi quod aliarum artium subiecta merè passiuè se habent ad operationem artificis: at homo non tantùmmodo passiuus est, sed coagit: imò principaliter agit. Sanatio enim est naturalis affectio, quæ per se, & primum est à natura, à medico vero per accidens; vt inquit Arist. 2. phys. Hic dicta egregiè multa sunt ab Hip.

scilicet

scilicet *naturæ morborum medici*, quia propria cuiusque natura, non autem communis aliqua singulis medetur. Item *naturæ sibi ipsi vias inuenit, non ex intellectu; cùm enim à nemine docta sit nec quidquam didicerit, tamen facit, quod debet*, aliaque præterea à Gal. & ab alijs dicuntur, quæ tædio foret singula recensere. Cæterùm, quæ sit ista natura, variè explicatur: aliqui enim temperamentum, alij calidum innatum intelligunt; mihi verò alia mens est, quam fusè alio in opere patefaciam.

Hic etiam multa intelliguntur, primò cur medicus sit imitator, 2. contemplator, & 3. auxiliator naturæ. Est enim imitator, quia natura est primum agens, quod per se sanat, medicus verò per accidens, ergò sequi debet nutus eius, & motum, & attentè obseruare, quò it natura cùm sui iuris est, & dominetur morbo, non autem vel immatura medicina exasperare, vel aliorsùm impellere; destinatæ enim sunt naturæ viæ, & tempus alterationum fatale. Quare nec ab ijs declinare licet, nec intempestiuè mouere, & excitare. Hac de causa Hipp. propositis exemplis docet, quando naturam debet medicus imitari; inquit enim 1. aphor. 2. *In perturbationibus ventris & vomitibus spontaneis*, &c. (quid est naturæ rectè operantis) deindè deducit imitationem, addens. *Sic & vasorum inanitio sitalis fiat* (hoc est à medico) *confert*, &c. eadem etiam sectione aphor. 21. *Quod natura vergit, eò ducere oportet* &c. simul enim proponitur exemplum, & imitatio; & aphor. sequenti ait, *concocta medicari atque mouere cruda*, &c. sic enim agere natura solet, quæ ex Arist. vbique seruat ordinem constantissimum; nimirùm primùm coquit humores, deinde præcipitando separat excrementa, & tandem excernit; ideò sic etiam medicus, & peracta coctione vacuare debet. Hinc intelligitur etiam dictum Hip. lib. de flatibus *medicinam maxime esse secundum naturam*; quoniam obseruat leges naturæ, & illud facit, quod per se, si posset natura faceret; quod alias rectè, & non impedita facit. Et iure quidem medicus naturam sequitur, ac imitatur, cùm enim sanatio sit motus naturalis, sanandi ratio accipienda est à natura, quæ per se sanat. Quo loco monendi sunt ijs, qui nouas excogitant medelas, & insolentem curendi modum longè diuersum ab eo, quem dogmatica medicina, præmonstrante natura, confecit. Et hæc spectant ad medicum imitantem.

Spectator amplius medicus est, cùm natura per se rectè operatur, & integrè sanat: tunc enim non est opus medico, cùm per se sufficit agens principale. Huc spectat aphor. 20. eiusdem sectionis. *Quæ indicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare sed sinere*, &c. ne tamen sit medicus vel eo tempore spectator otiosus; spectare enim debet naturæ motus, vt discat imitari aliquando, cum nequit eos per se impedita peragere.

Postremò medicus est auxiliator naturæ, cùm ab insolentijs materiæ vel oppressa, vel exagitata, vel quod mouendum est minimè mouet, vel secùs mouet, ac expediat mouere. In hanc rem optimè cadit aphor. 29. secundæ sectionis, *incipientibus morbis si quid mouendum videatur, move*; in quo multa attentè perpendenda sunt.

Primò Hipp. non absolutè pronunciat, sed hypotheticè, quòd scilicet versetur medicus circa materiam contingentem, & singularibus circumstantijs personæ, loci, temporis: ætatis, sexus, aliorumque symptomatum circumscriptam, quæ prorsùs comprehendi non possunt, quod benè idem significauit lib. de eleg. inquiens, *vsus* seu particularis exercitatio; *non docetur*: & ideo quacumque deliberationem medici prudentiæ relinquit, ita scribens, *si quid videtur mouendum, move*, &c. & propterea superiùs dixi præter cæteras virtutes prudentiæ coniunctas, opus esse æquitate, seu boni, æquique viri iudicio, qui hic, & nunc æstimet, an, deinde quid, quomodo, & quantum mouendum.

Secundò dicit, *in principijs*, quia tunc temporis natura ab humorum copia laborans, velut onere pressa, nequit peragere motu, suos, vel humor irregulariter motus naturam extimulat, & admouendum, quò non decet impellit: ideò à principio naturæ laboranti sarcina detrahenda, & aberrans reducenda est in viam, antequàm materia commota in aliquam partem decumbat, cui iam affixa, nulla arte, vel difficillimè euocatur. Quamobrem Hipp. 1. aphor. humores turgentes purgare iubet; & lib. de rat. vic. in ac monet, vt vacuemus sanguinē in pleuritide, *antequam fixa sint omnia, quæ contristant*, & paulò inferiùs *donec eleuati fuerint spiritus*, quia vbi ille nixus est, & omnino impeditus, nequit ducere humores, quantùmcunque impulsus, & excitatus.

Postremò inquit, *augescentibus morbis, & in vigore quiescere melius est*; quoniam eò tempore natura mollitur coctionem: coctio autem quiete fit, & à medicamento, vel quacunque alia operatione, commotis humoribus, impeditur. Et hæc spectant ad medicum auxiliantem naturæ.

Alia etiam sequuntur ex eo, quod natura primum sit sanitatis efficiens; quando enim à morbo victa est, non sunt admouenda remedia, quæ illa, vel repugnante, vel minimè agente, irrita fiunt: deinde neque vulgus exigat à medico, vt citò curet, ne criminetur, si lentè, & tardè curatio contingat; in morbis enim iam factis, naturæ ductum sequi oportet; ordinemque quo illa procedere solet, imitari. Hac de causa Celsus lib. 3. de re med. non admittit sententiam Asclipiadis asserentis, officium esse medici, *vt tuto, vt celeriter, vt iucundè curet; ferè enim periculosa esse* (subdit ille) *nimia & festinatio, & voluptas solet*. In alijs autem artibus quarum subiecta passiua sunt, spectatur tarditas artificis, vt celeritas, ex quibus prout opus cesserit, laudem sibi comparat, vel calumniam, quoniam in eiusdem potestate situm est, vt tarde, vel festinanter, benè, vel malè rem suam ipse conficiat: in medico verò quidquid solùm opportunè fit, commendatur; huiusmodi autem opportunitas cum celeritate, vt in acutis, aliquandò cum tarditate, vt in chronicis iuncta est. Quare nec illos lentè, nec istos celeriter curare oportet.

De medicinæ diuisione non est hic quidquam dicendum; illa enim, quam affert auctor, vulgatissima est, & recepta communiter: tantummodo adnoto, partem Semioticam non videri ab alijs distinctam. Physiologia enim, & Pathologia cùm nequeant in materiam propriam tutò penetrare, nisi præeuntibus signis, non videtur aptè alia pars, quæ de signis agit, distinctim ab illis esse ponenda. Dicendum tamen, signa particularia rerum secundùm naturam, & præter naturam propria ad easdem medicinæ partes spectare, quibus ipsæmet res, de quibus agunt, subiectæ sunt. Ars autem inueniendi signa distincta est, & à cæteris separatim, tractanda: eam propterea appello topicam medicam, quia nimirùm ostendit locos, & fontes, vndè hauriuntur signa diagnostica, & prognostica, singularibus deinde subiectis, vtriusque partis theoricæ, & therapeuticæ tandem applicanda. Et eodem prorsùs modo se habet hæ pars Semiotica, quemadmodum methodus medendi. Sicut enim alia est methodus vniuersalis, quæ generatim docet rectam medendi per indicationes viam: alia particularis, quæ propriam cuiusque morbi curationem instituit: ita quoque præter singulares morborum notas, & rerum naturalium signa, alia est ars, quæ docet in vniuersum inueniendi modum, eaque in diagnostica, & prognostica distinguit, & rursus diuidit in propria, & communia, aliasque differentias tradit, quas Riuerius infra luculenter enumerat. Itaque ars inueniendi signa, siuè topica medica, est pars medicinæ distincta, quā multò ante informandus est medicus, ne cum ab singulares materia accedit, eadem repetere sæpè cogatur, quod accidit ijs, vt monet Arist. qui prætermissis communibus, à singularibus primum ordiuntur.

De ordine, quo inuenta est, quo traditur, & quo exercetur medicina dicamus; nimirum an sit resolutiuus, vel compositiuus: at quid vterque sit, primò dicendum.

Ordo compositiuus definitus ab Arist. *à primis*, *seù principijs*: quoniam ab ijs capientes initium ad principia proxime componentia, ac tandem contendimus ad vltimas species compositas, vel quod idem est, à causis ad effectus, & à simplicibus ad composita. Eiusmodi ordine ab Aristot. tradita est philosophia naturalis, quæ à communissimis principijs ad minus communia, & per hæc ad proxima, & postremò ad vltimas corporum naturalium species accedit.

Resolutiuus è contrà definitur, *ad prima*; vel quia compositum primum confusè cognoscitur, deinde in partes diuiditur, donec perueniamus ad prima, siuè principia simplicia: vndè quemadmodum compositiuus est à simplicibus ad composita; ita resolutiuus est à compositis ad simplicia. Vel dicitur, *ad prima*, quia incipit ab eo, quod primò quæritur, & desinit in idem probatum, & cognitum, quemadmodum mathematici solent. Quarè eiusmodi resolutiui ordinis rationem libentiùs accipio, accomodo medicinæ. Siquidem, vt inquit Blancanus, vera resolutionis ratio ex penitiori mathematicorum eruditione petenda est, penes quos resolutio est via à quæsito, tanquam concesso, per ea, quæ ex ipso consequuntur, ad aliquod certum,

tum, & conceſſum : quòd ſic ab eodem authore optimè declaratur. In reſolutione id, quod quærimus, tanquam verum primò ſupponimus : deinde quid ex hoc ſequitur, conſideramus, donec incidamus in aliquid iam cognitum, quod priùs erat ignotum ; ideircò mathematici huiuſmodi proceſſum appellant reſolutiuum : & hic etiam medicinæ, tum conſtituendæ, tum exercendæ mihi videtur eſſe maximè accomodatus, quemadmodum duplici exemplo demonſtrato.

Exemplum ordinis reſolutiui in medicina conſtituenda eſto huiuſmodi. Primò ſupponimus, ſanitatem eſſe corporis affectionem, qua homo benè valens ritè obit munia ſibi à natura conceſſa : tùm conſideramus conſequenter bonum quid eſſe : ex hac cognitione ſequitur deſiderium conſeruandi, cùm adeſt, & quando abeſt, recuperandi, & ideò conſtituendi artem, quæ vtrumque faciat. Cùm verò neutrum poſſit vnquam fieri, ſi ignoremus, quid illa ſit primùm naturam ſanitatis inueſtigamus : ab hac ad morborum inueſtigationem procedimus: & ex vtraque cognitione ſanitatis, & morbi inuenimus remedia : tandem, inuentis remedijs, redimus ad eandem ſanitatem, vel conſeruandam, vel recuperandam. Quocirca eiuſmodi ordo reſolutiuus eſt ab eodem in idem, ab eodem ſuppoſito in idem, vel demonſtratum, vel factum : demonſtratum in ſcientijs, factum verò in artibus : in medicina enim à ſanitate ad ſanitatem procedimus, à ſanitate primùm ſuppoſita, deinde cognita, ad ſanitatem conſeruatam, vel recuperatam.

Hinc patet ex ordine reſolutiuo, neceſſariò ſequi compoſitiuum. Poſtquam enim per reſolutionem inuenimus, quæ facienda ſunt, & quibus, aut quomodò faciendum, medijs ipſis inuentis, veluti componendo, facimus, quod primùm inquirebamus : in ſcientijs autem ſpeculatiuis, principijs per reſolutionem inuentis, oſtendimus concluſionem, componendo demonſtrationem. Quare mathematici inueſtigationem principij, & medij appellant reſolutionem, compoſitionem vero diſcurſum, ſiuè concluſionis demonſtrationem.

Alterum methodi reſolutiuæ exemplum in exercendo medicinam, tale ſit. Laboret quis febre, v. gr. febris verò, quia mala eſt, ſtatim excitat intentionem curandi, & expellendi : cùm autem expulſio fiat per contraria, accedit altera, ſcilicet inueniendi remedia : remedia verò quia inueniri non poſſunt, niſi præcognita febris natura ; ideò in huius primùm inquiſitione medicus occupatur ; & à ſymptomatis, ac forma dignoſcit, febrem eſſe paſſionem calidam : deinde verò, quoniam hic calor ex ſanguine ab aliquo ſucco turbato, & commoto reſultat, qualis ſit hic humor, & in vbi nam hoſpitetur, ſedulus inueſtigat. His igitur primò cognitis, ſtatim occurrit remedium, & quid agendum ſit, inuenitur : & hic eſt terminus methodi reſolutiuæ, nimirùm inuentio remedij per reſolutionem ; ideò conſultatio, quę reſolutione huiuſmodi vti ſolet, definitur ab Ariſt. 3. eth. *medij idonei ad finem in rebus agendis inquiſitio*. Tandem applicando remedium ad id, quod primò propoſitum fuit, ordine compoſitiuo procedimus.

Cùm ex dictis manifeſtè pateat, præcipuum medentis officium in veſtigatione poſitum eſſe, par eſt, vt inſtrumenta quoque critica, ſiue iudicatoria, quibus medicus inquirendo vtitur; proponamus, & explicemus. In primis itaque ſtatuo quandoquidem medicinam dogmaticam profitemur, eſſe duo, rationem, & experientiam, quibus longo interuallo diſtamus ab empiricis, qui ſola experientia nituntur. Verùm cum experientia ratione ſit natura prior, de ea primò multa dicenda ſunt : primùm ſcilicet oſtendenda experientiæ neceſſitas. 2. modus, quo fit 3. quàm difficilis, & vnde oritur difficultas. 4. quid ſit. 5. quomodò ſola experientia conferat ad agendum : quo loco comparabo breuiter empiricum cum dogmatico, & experientiam cùm arte.

Quod primùm ſpectat, experientiæ neceſſitas conſtat ex eo, quod ſicuti nec imaginari, nec intelligere quidquam poſſumus, niſi ſenſibus primum ſenſibilia exteriora cognoſcimus ; ita nec artes, nec ſcientias condimus, niſi præeunte experientia, artes enim, & ſcientiæ, vt inquit Ariſt. 1. metaph. 1. *fiunt, cum ex multis experimentalibus conceptionibus vna de ſimilibus opinio fit*. Hinc natura ea arte organa ſenſuum externorum compoſuit, vt, vel inuitis nobis à ſenſibilibus pulſentur, & afficiantur : ideircò Hipp. lib. præcept. ſcitè ait, *ſtatuendum eſt, naturam à plurimis, ac omnigenis rebus moueri, & doceri neceſſitate quadam*; ſenſibilia enim præſentia non poſſunt nō mouere, & afficere ſenſus hi autem moti, & affecti docentur quodammodo, dum ſpecies ab obiectis impreſſas ad interiores potentias tanquam ſemina futurarum cognitionum tranſmittunt.

Hinc ſequitur modus, quo experientia fit, clarè traditus & explicatus ad Hipp. primùm, deinde ab Ariſt. 2. poſter. & 1. metaph. 1. qui propterea viſus eſt Franciſco Patritio ab eodem Hipp. ſuppreſſo tamen nomine accepiſſe. Docet ergo Hipp. loco citato, rationem, ſiue iudicium ſimplex, aut diſcurſiuum, memoriam quandam eſſe, non formaliter ; eſt enim ratio quiddam maius, & memoria ſuperiùs : ſed quia ex memoria ſummit materiam indicandi, & diſcurrendi : ideircò addit, *componere ea, quæ ſenſu fuere percepta*. Memoria autem fit, cùm ab imaginatione ſuſcipit rerum ſpecies ; imaginatio verò à ſenſibus externis ; vnde hic eſt eiuſmodi cognitionum ordo. Senſus externus *primam perpeſſionem externam ſuſtinet*, ſeu primum à ſenſibilibus afficitur. *Deinde vero veluti delegator ſpecies rerum, quæ ſenſui ſubijciuntur ad immaginationem traducit : hæc vero receptas ſpecies diu retinens, & conſeruans euadit memoria : quatandem vtitur intellectus* : tunc enim, vt inquit idem, *ſi ex iiſdem ſenſibilibus ratiocinatio*, vel *intellectus initium duxerit, in eiuſdem poteſtate eſt, diſcurrere, & iudicare, & ad veritatem perducere, recte diſcurrendo, & iudicando*. Verùm minimè ſufficit ſemel, & bis eadem ſenſibilia percipere, vt veram experientiam aſſequamur : ſed ampliùs neceſſe eſt eadem ſæpiſſimè cognouiſſe, & omninò ſimilia ſecundum ſpeciem, & circumſtantias temporis, modi, & alias huiuſmodi ; obſeruareque diligenter inter ſe comparando, vt ſimilia à diſſimilibus ſegregemus, quibus deniq; in penu memoriæ propoſitis, & aſſeruatis, fit experientia, quæ ſuggerit intellectui materiam iudicandi & diſcurrendi. Idem fere, compendio, tamen repetit Ariſt. 2. poſter. & 1. metaph. citato, vbi ait ; ex *plurimus eiuſdem rei memorijs experientiam vnam confici* ; cùm enim intellectus per experientiam conficiat vniuerſale, quod eſt vnum, & omnibus ſingularibus commune ; neceſſe eſt priùs ab iiſdem ſingularibus ſimilibus fuiſſe deductum ; cum ipſa ſimilitudo ſit cauſa vnitatis, & communitatis.

Hinc coſtat veram rationem, cum ortum habeat ab experientia, experientiæ quoque iungendam eſſe ; *ſi enim non ex ſenſibus comperta obſeruatione*, inquit Hipp. *ſed ſolum ex probabili rationis figmento proficiſcatur, frequenter grauem, & triſtem dietheſin affert, quoniam viam inuiam ingrediuntur* : (loquitur enim de medicis imperitis ;) ideòque lib. de eleg. in eundem ſenſum rectiſſimè ſcribit, *pulchra, ac decora eſt ex opere, quòd quis vſu*, hoc eſt experientia, *didicit, manans oratio ; quidquid enim artificioſè actum eſt, ex ratione perfectum eſt : quod verò artificioſè dictum eſt : at non ita factum, methodi ab arte alienæ ſymbolum exiſtit* ; *nam putare quidem non autem facere, ignorantiæ, & imperitię argumentum eſt*. Cum enim ratio ab experientia ſeiungitur, *opinio quadam eſt : quæ maximè in medicina in crimen vertitur iis, qui ea vtuntur : in calamitatem verò iis, qui eius opera fruuntur*. Hinc fit, vt ratio deſinat quoque in experientiam, hoc eſt, vt diſcurſus, & iudicia rationis eo ipſo probentur vera, quod experientiæ congruant, & ſingularibus conueniant ; quocirca pergit Hippoc. & pulcherrimo exemplo demonſtrat, *nam cum ob ſcientiam ſermonum vniuerſalium ſibi ipſis perſuadeant ſe ſe ipſum etiam artis opus ſingulare nouiſſe, non aliter, ac aurum adulterinum ab igne examinatur ; ita eorum ignorantię hac profeſſione arguitur*. Concludamus itaque rationem per experientiam ſua ſibi conficere vniuerſalia, eademque ad experientiam collata probare. Idem etiam ſentit Gal. 5. meth. inquiens, *experientia rationi atteſtatur*; quod idem ſonat, ac experientiam rationi iungendam eſſe ; niſi enim quod ratio dictat, ac docet experimento verùm eſſe deprehendimus, ratio ipſa falſa eſt, ac nulla.

Tertium ex propoſitis facilè declaratur : nimirùm difficillimum eſſe perfectam experientiam conficere ex qua ſubindè intellectus componat vniuerſale.

Experientia pendet à tribus ab homine, à tempore, & à rebus, quorum vnum ſi deſit, vel alterum, experientia nulla compararatur. Homo quidem requiritur, qui per ſenſus externos, & internos ſenſibilia cognoſcens, eſt cauſa efficiens, & veluti experientiæ architectus. Verùm quia experientia eſt plurimarum ſimilium cognitionum collectio, hinc vnus homo non ſufficit ; imò nec plures, ſed omnes ſimul conſentire debent ; at impoſſibile eſt, vt omnes ſimul conſentiant ; ideò

diffi-

difficillimum quoque est, vt perfectam habeamus ab hominibus experientiam. Ad cognoscendum enim necessaria est quædam proportio, & dispositio cognoscentis ad cognoscibile, sed omnes homines non sunt æquè dispositi, vel natura sua, vel ob consuetudinem: natura quidem sua, quia non est eadem in singulis hominibus organorum aptitudo; hinc non fit eadem in singulis obiecti impressio, nec propterea idem omnium iudicium; ea enim ratione homines de rebus iudicant, qua primum organa affecta sunt. Patet exemplo visus, & gustus: prout enim oculus affectus est, ita de visibilibus sentimus, & sæpè fit, vt plures homines circa idem visibile, non idem tamen sentiant, & iudicent. Idem accidit in gustu; sicut enim lingua affecta est, ita iudicamus sapores; vnde sæpè accidit, vt qui vni dulcis est, alijs videatur amarus, & è contra. Hinc Arist. optimè 2. metaph. dicebat, *difficultatis cognoscendi causam in rebus aliquando, aliquando verò in nobis ipsis inesse. Quemadmodum enim vespertilionum oculi ad lumen diei se habent; ita, & intellectus animæ nostræ ad ea quæ manifestissima omnium sunt.*

Consuetudine etiam homines non sunt æquè affecti ad idem eodem modo iudicandum; *quemadmodum enim*, inquit Arist. *consueuimus, ita iudicamus dici debere, & quæ præter hæc nobis accidunt, non apparent similia, sed quia non consueuimus, ignotiora, & magis peregrina videntur esse; quantam verò vim consuetudo habeat*, subdit idem *leges declarant, in quibus fabulosa, ac puerilia plus possunt propter consuetudinem, quàm si cognoscceremus ea*: ex quibus conflatur ratio; quia vnusquisque iudicet magis verum, quod est sibi magis proportionatum; eo nempè pacto, quo propter variam affectionem gustuum, quibus proportionati sunt varij sapores, vnusquisque saporem indicat, eodem modo, & vnum admittit, cæteros respuit.

Hinc patet homines alicui sectæ addictos, & præoccupatos ineptos prorsùs esse ad veritatem ab alijs, vel etiam per se ipsos addiscendam; & propterea qui sunt bonarum artium, & scientiarum cupidi, huiusmodi præiudicijs mentem exuant, necesse est.

Ex his patet experientiam à tempore etiam pendere; cum enim experientia vera ex sensibilium, quæ nobis occurrunt, obseruatione tota sit; nec res omnes, effectusque sensibiles vno, eodemque tempore nobis se se offerant, opus est longa die, annisque feris, quibus non semel, sed iterum, iterumque noscantur. Hinc dicitur tempus sapientissimum, & iuuenes inexpertos esse: experientiam verò senum esse propriam, qui multa quidem viderunt, multa item audierunt; vnde Euripides scribit, *non omnia adesse senectuti mala, sed hoc præcipuo bono frui, quod ob experientiam senes sapientiùs iuuenibus loqui possunt*: & eadem ex causa, cum de agibilibus, & contingentibus deliberandum est, senes, non iuuenes consuluntur.

Postremò difficultas pendet etiam à rebus ipsis; quippè experientia cum sit multarum, ne dicam omnium, similium notionum per sensus exteriores in phantasia, & memoria collectio; necesse est, vt res eadem omninò nobis occurrant: at non semper eadem omninò nobis occurrant: at non est semper eadem omnium species, & facies; quòd non est, quoque semper idem concursus temporis, loci, subiecti, circumstantiarum, & accidentium; adeò vt, si vnum, vel alterum ex his mutetur, accidat, vt effectus, qui sæpè visus est, aliquando tamen non respondeat. Imò quæ quandoque videntur similia, à causa tamen contraria proueniunt; vnde Hippocr. scitè dixit, *similitudinem esse errorum causam*, & Galen. *similitudines, vel peritos decipere*. Quamobrem vbi, vel similia occurrunt, non ideò statim fides habenda est, sed si illa, vel à contraria causa prouenire soleant], causa ipsa introspicienda: tùm verò, an verè similia sint, iudicandum, ex. g. Colicus dolor, & à calidis, & à frigidis excitatur; propterea si aliquod remedium vni profuit, vel etiam plures, vbi nouus accidat dolor, non est protinùs ad simile remedium confugiendum: sed despiciendum primò diligenter, an à simili quoque causa nascatur. Quare constat empiricam veram non sine aliquo rationis vsu constare; atque adeò arduum esse, experientiam componere, quæ tandem viam muniat intellectui ad scientias, & artes constituendas.

Quartò, experientiæ definitio, quæ superiùs quarto loco proposita est, planè conficitur. Ea verò mihi videtur aptissimè allata à Sexto Empirico his verbis. *Experientia est diuturnus quidam vsus, & operans absque arte, & ratione positus in sola obseruatione, & exercitatione*; licet enim non sit verè vsus, qui tranfit: attamen est habitus quidam permanens vsu diuturno comparatus; quoniam vt inquit Gal. 3. meth. *Experientiæ longe vsu opus est*, Ideòque additur, *positus in sola obseruatione, & exercitatione*. Hinc enim gignitur experientia, cum circa singularia versantes, & pluries, ac pluries obseruantes similia eorum tandem omnium meminimus: ex memoria autem stabili, ac firma demum resultat habitus experientiæ, qui propterea inest imaginationi, non intellectui. Dicitur autem *operans*, quia experientia, vt inferius ostendam, maximè facit ad agendum: Additur, *absque arte & ratione* quia, vt verè docuit Gal. 1. meth. *nec arte vlla, nec ratione nititur experientia: imò vnius fortunæ fauorem ad ea, quæ quærit, inuenienda, requirit*. Ars autem, & ratio ab vniuersalibus ad minus vniuersalia, & vsque ad particularia discurrit, nec quod sit res, sed propter quid sit, causasque demonstrat.

Potest etiam ex his ita definiri. *Experientia est habitus imaginationis relictus ex plurimis memorijs singularium similium, quorum dum recordamur, procedimus ad iudicandum, quid hic, & nunc sit agendum*. Vnde constat, qui verè expertus est, plurimum valere memoria. Deinde experientiam non esse sine discursu à singulari ad singulare, qui vocatur ratio particularis, quotiescunque enim facimus aliquid, sola experientia freti, à singularibus ad singulare discurrimus, dicendo, hoc hic, & nunc facimus: quoniam in simili occursu alias eodem modo fecimus.

Postremò constat, quanti sit vsus experientiæ. Primò enim facit ad condendas scientias, & artes, quatenus intellectus per experientiam efformat vniuersale, quod artis est, sicuti singulare est experientiæ. *Ex. g. quod ex bile laboranti huic homini profit rhabarbarum, quod similiter alteri, & alijs singillatim, experientiæ est: quando verò dicimus, quod omnibus confert, hoc est artis proprium.*

Confert etiam experientia ad agendum, vt enim agamus optimè, opus est cognoscere subiectum particulare circa quod, & præterea instrumentum, quo agimus; actiones enim sunt circa singularia, hæc verò sola experientia noscuntur. Hinc fit, vt experientiam cum arte, & empiricum cum dogmatico comparemus.

Ars, vt docet Arist. 1. metaph. citato, excellentior est experientia, sit tantummodo cognitionem spectemus, & modum, quo ad agendum illa procedit: *quippè* inquit ille, *& cognoscere magis inest arti, quam experientiæ. Ideo qui arte præditi sunt, sapientiores putamus ijs, qui solum experientiam habent. Artifices enim propter quid, & causam cognoscunt; experti verò sciunt quidem quod est, propter quid autem ignorant*. Ratione etiam modi ars differt ab experientia; quoniam hæc à singulari simili ad simile, illa verò à principio vniuersali, & causa ad agendum discurrit.

Verùm si referamus experientiam ad operationem, non differt ab arte, vt indicat idem philosophus: imò magis valet experientia, quam ars. Ideò fit vt medicus practicus, & empiricus aptior sit ad medendum, quàm merè theoricus, & dogmaticus; siquidem huic ille præstat, quia singularia, circa quæ actiones versantur, magis cognoscit empiricus, quàm dogmaticus; adeo vt tandem constet empiricam multi esse faciendam, tanquam primam, ac magnam rationalis medicinæ partem. Dico, *primam*, quia, vt paulò ante explicaui, scientijs, & artibus vniuersalium principiorum materiam suppeditat. Dixi etiam, *magnam*, quia multò plura sunt experientia cognita, quàm ratione; & sæpè sæpius nobis ad medendum viam magis aperit experientia, quàm ratio. Verumque est ex Celso, *ad ipsam curandi rationem nihil plus conferre, quam experientiam*. Propterea Hipp. multa de empiricis præclare dicit lib. præcept. quæ huc afferre operis pretium duco: inquit enim, non esse cum empiricis ineundum de medendi ratione consilium, quia vere non vtuntur ratione in medendo: sed solùm confidenter petendum, vt remedia sua proferant. Huius autem dicti causam quam pulcherrimam subijcit ipse his verbis. *Inquisitionis enim elegantis scientia apud hos dispersa reperitur. Et quamuis hi necessario sint indocti: affirmo tamen, exercitationem horum vtilem esse posse aquã præceptorum cognitione fraudantur. Quis enim præceptorum multifidam varietatem se indagare posse speret, citrà exercitationis constantiam?* Quibus planè demonstrat, quòusque nobis vtilis sit empirica, qualis pariter esse debeat exercitatio, quæ ad vsum artis traducenda est, & qua

demum ratione agendum nobis sit cum Empiricis. Vtilis ergo est Empirica, quia dispersas nobis offert singularium obseruationes, ex quibus nobis est ampla ad comparandam artem via; cùm è singularibus vniuersales præceptiones, & axiomata elicere valeamus; quibus carent empirici, qui minimè vtuntur ratione, sed experientia: ideò Hipp. prudenter adnotat, huiusmodi obseruationes, per quas ad vniuersalia conscendimus, necessariò esse constantes, seu pluries factas, & equales; hoc est oportet, quæ dispersæ sunt apud empiricos ad vniuersale reuocare, similia à dissimilibus segregando, quod nequeunt facere empirici, qui solis singularibus hærent. Propterea concludit. *Quare hoc moneo dicentibus quidem istis auscultandum esse: at operantibus resistendum*: hoc est accipiendæ sunt ab ipsis obseruationes, non autem permittendum, vt agant, quia nec ex obseruationibus ipsi suis præcepta constituunt, & methodo, ijsdem vtendo, carent.

Galen. verò non tantùmmodo fatetur experientiam vtilem esse, & empiricos aliquid conferre, quod medicinam locupletet, & iuuet, quemadmodum superiori sententia docuit Hipp. sed amplius tanti facit, vt hortetur eos, qui minùs ingenio pollent, vt sola experientia contenti sint, per quam possunt euadere in bonos medicos: ait enim 2. meth. c. 6. *licere ex empiricorum institutione bonis esse medicis; & si enim ratio semper quærenda sit, eaque experientiam ornet, vel corrumpat; cùm tamen eam semper assequi nequeamus*, (concludit) *consulo igitur his omnibus experientiæ animum intendant: cùm non leue instet periculum ijs, qui suprà vires aliquid moliuntur, ne, & id non consequantur, & quæ intelligere alias possent, omninò amittant*. Et hæc de experientia, & empirica scripta satis. Qui plura desiderat Galen. aderat ex antiquis, & ex recentioribus Verulamium, & Boyle, qui de experientia, & experiendi ratione quam præclarè multa, & subtiliter docent.

Alterum cognoscendi, & iudicandi instrumentum est ratio: hæc autem ex Hipp. 1. aph. 1. difficilis est: ideò ante omnia, cùm sit opus mentis, & intellectus; quænam illa sit, deinde quænam sit causa difficultatis, ostendam, vt eam tandem discamus euincere, & euodare.

Cùm ergo triplex sit mentis operatio, simplex nimirum apprehensio: secunda iudicium simplex, quo res apprehensas, vel coniungimus affirmando, vel negando seiungimus: tertia discursus, quo vnum ex alio ratiocinando deducimus: Ratio magis in secunda, maximè verò in tertia consistit, hac enim potissimum, & effectuum sensibilium causas, & medendi rationem inuestigamus: quippè ex præcognitis morborum, & symptomatum causis, remedia, & methodum vtendi cognoscimus, vnde intelligitur illud Hipp. lib. de art. pronunciatum: *medicus siquidem sufficerit ad cognoscendum, sufficiet ad sanandum*. Verùm non est eadem semper in omnibus cognoscendi difficultas: imò aliqua facilè; & certò, alia difficulter, aliqua nullo vnquam modo capiuntur: propterea Hippoc. optimè diuidit morbos in eos, qui in superficie, & alios qui in profundo corporis latent. Qui in superficie sunt, se se manifestè produnt, quoniam sensibus, maximè verò tactu, & visu deprehenduntur: quales præsertim à chirurgis tractari solent: ideò lib. de medio idem ait, *turpe est non contingere à chirurgia, quod velis*: quippè cum tales existant, curatio facilis, ac tuta contingit. E contrà se habent alij, cùm enim sint à sensibus longè remoti, vix, & rarò longa inuestigatione, & ratiocinio attinguntur, Quocirca Hipp. præterea, quæ lib. de art. dicit, lib. de flat. etiam addit, *de non apparentibus, & difficillimis ægritudinibus opinio magis, quàm ars iudicat*. Causam autem difficultatis affert idem lib. de arte citato; quoniam morbi intrinsecùs latentes signis tantùmmodo deprehenduntur. Signa autem hæc non sunt propria, quæ per se se primò rem manifestent, sed plerumque communia, vel extranea: cum alijs item confusa, nec eadem perpetuò facie occurrentia: vnde aliquando cum ad diuersa comparata, diuersa etiam demonstrent, serò ad morborum cognitionem peruenimus, & interim per longas inuestigationis moras tempus ad medendum opportunum elabitur: quod Hipp. his verbis complexus est. *Alia itaque ad alia, & alia per alia sunt, tum quæ corpus peruadunt, tum quæ indicanti, vt proinde non mirum sit, & cognitioni multum temporis impendi, & actioni multum temporis decedere; quandoquidem tam peregrinis, & obliquis probationibus ad medendi scientiam medici perueniunt.*

Cæterum vt aduersùs hæc impedimenta aliquod sibi auxilium medicus paret, nonnulla hic adnoto breuiter, & quæ maximè tyronibus vsui futura esse cognosco.

Primùm ergo multùm se se exerceant oportet: exercitatio autem vtilis est cum attentione perpetua, obseruatione attenta, & reflexione continua, qua præsertim comparent effectus sensibiles, qui sæpè viderunt, & obseruarunt, non solùm inter se, se etiam cum subiectis ipsis, in quibus apparent, & occasionibus, à quibus proueniunt, & referant tandem ad ea, quæ ex his consequuntur; quando enim vel in diuersis subiectis, ab eadem tamen occasione producti, idem semper afferunt, habebimus loco signi genui: at è contrà, si vel in eodem subiecto sæpè appareant, vel in diuersis, & ab eadem etiam occasione sint, non tamen idem semper sequatur malum, signa prorsus communia censentur: ideò sicuti ex proprijs certò nobis ratiocinari; ita minimè ex communibus licet. Quamobrem communia cum alijs iungenda sunt, & ex plurium concursu facta syndrome, vt sæpè medentibus accidit, poterunt, aut verum, aut verosimile saltem attingere. Ideò in duo genera ex Hipp. diuiduntur signa; alia enim dicuntur Τεκμήρια, siue indicia: alia σημεῖα, siue simpliciter signa.

Τεκμήρια, certa sunt, & per se idem perpetuò significant; aliqua autem ex his sunt bona, alia mala: quæ bona, semper & vbique bona sunt: quæ verò mala, semper, & vbique mala, vt inquit Hippoc. in prognost. Semper bona sunt signa coctionis: semper autem mala sunt signa cruditatis. Alia sunt signa communia, quæ quandoque bonis, quandoque malis iunguntur. E. g. rigor aliquando malignus est: aliquando criticus: malignus est lethalis; ægro existente iam debili, vt ait Hippocrat. in aphoris. criticus ex eodem febrem ardentem soluit. Itaque ex primis solis tutò; ex alijs non nisi coniunctim, & in syndromem collectis probabiliter ratiocinamur. Itaque Tyro, vel quicunque sit, diligenter obseruet quid in quo, quid ex quo, & quid cum quo appareat, & consequatur. Verùm, quoniam aliquando vnum magis; vel minùs significat, vel plures intercidunt aliquando eiusdem effectus causæ, vt cum v. g. in eodem morbo vel plura apparent indicia, vel multa adhibentur remedia (quorum, dicebant empirici interpretantes Hipp. ex Galeno 1. aphor. 1. iudicium esse difficile) vt certò internoscamus quodnam ex illis morbum euicerit, & ex signis quale nam magis significet, vtendum hac arte: nimirùm obseruanda attentè sunt separatim eadem remedia, & signa; hinc enim eorum vis clariùs apparet, eaque quanti valeant certius cognoscimus. At quia nemo sibi satis est, vt antea dixi cum de experientia tractarem, legat amplius oportet probatos authores, qui experimenta multa, & obseruationes suas redegerunt in comentarios perpetuò tamen, siue per se obseruando, siue aliorum obseruationes legendo recogitet, & vtatur comparatione. Hoc enim potissimum est quod iudicium in rebus medicis sæpè fallit, ac reddit incertum; cum nihil eorum quæ agimus absolutum sit, sed ad aliquid, Hippocr. lib. de alim. scilicet euariat respectu corporum, ætatum, sexus, &c. & præsertim Idiosyncrisiæ. Sic etiam Auicen. lib. 1. can. fen. 1. &c. docet alimentum, & medicamentum esse ad aliquid, quod idem Hippocr. etiam singulari exemplo indicauit lib. de ver. med. inquiens, *non esse absolutè putandum quòd malum edulium sit caseus, quia non omnibus hominibus iniurius est, sed sunt, qui eo pleni nihil, & ne tantillum quidem incommodi sentiunt, imò tenuibus mirum in modum conferre animaduersum est; sunt iterum alij, qui ægrè eius defunguntur molestijs*: & hinc propterea fit, vt nonnisi multo labore, & tempore ad qualemcumque rei medicæ cognitionem perueniamus, & nemo tam validæ mentis sit, & fortis iudicij, vt in tanta varietate, semel, & bis, ne dicam pluries deceptus, alios etiam malè iudicando non fallat.

Alterum rationis aduersùs impedimenta, & difficultates auxilium est Analogia; quotiescumque enim, vel in physicis insolens aliquod phænomenon, vel in medicis incidit nouum aliquod morbi genus, tunc ratio incerta iudicij ad analogiam se se recipit, seu à simili ad simile transitum. Eam in primis in vsu habuit Hippocr. & docuit amplius lib. de diæta, quam apta sit ad cognoscendum. In ea Democritus plurimus fuit, Arist. etiam passus vsus est in physicis, eth. & prolit. Neoterici tandem nihil potius habent analogia; cui propterea Keplerus nobilis mathematicus multa se debere vtrò professus est. De eius vsu in rebus medicis aliqua non contemnenda tradidit Dominicus Sala pro-

professor olim medicinæ theoricæ Parauinus libr. de arte med. Hic ergo, & ego indico tantùm methodum, qua bene potest institui, & qua quisque per se commodè vtatur in praxi.

Primò medicus obseruet attentè effectus, & passiones, quæ ex morbo accidunt corpori humano, occasionem, vnde, & modum, quo fiunt, sæpè enim effectuum, occasionis, & modi similitudo, causæ quoque similitudinem arguit. Item consideret exitum, & rationem, qua morbus, vel soluitur, vel occidit; hinc enim non tantummodò causa mali, sed remedium etiam apparere solet.

Secundò operationes artium mechanicarum, & modum, quo illæ operantur, spectare oportet, ex quorum similitudine sæpe quoque opera naturæ cognoscimus, ideo sæpè Aristot. & neoterici frequentissimè exemplo artificialium, quæ à natura, sunt & fiunt, minimè inconcinnè, & ineptè declarant: ea autem est huiusmodi analogiæ ratio, quia ars, vt inquit philosoph. 2. physicor. imitatur naturam. Quid ni ergo ex operibus artis, quæ imitando naturam fiunt, licet de naturalibus etiam ratiocinari? Lege Hippocr. lib. de diæta, ex quo habebis primùm elegantissimam huius analogiæ causam, & plurima artium exempla quibus medicas operationes demonstrat.

Postremùm, & omnium maximè ab experimentali philosophia analogia petenda est, quæ lucem plurimam medico, & ad cognoscendum, & ad agendum accendit, vt infra latè monstrabo. Verùm quia similitudines sæpè decipiunt, vt superiùs indicaui; ideò non est cuiusque analogia, & similitudine vti: sed opus est viro perito, & exercitato qui præsertim combinationem, & comparationem calleat, quibus si fortè caret, nunquam se posse speret ex analogia tutò, ac certò ratiocinari; non enim perpetuò securus est vsus analogiæ: nec tamen semper inanis, vt optimè Celsus, loco citato in præmio inquiens: *neque semper similitudo aliquid confert, & si quando confert, tamen idipsum rationabile est inter multa similia genera, & morborum, & remediorum cogitare, quo potissimùm medicamento sit vtendum.*

DE CERTITUDINE MEDICINÆ.

ARist. 1. eth. dicit non posse perpetuò exquisitam omnino in singulis facultatibus certitudinem expetendam, solùm modo eam; qualem patitur subiecta materia; ideò 2. metaph. docet diuersos esse gradus certitudinis, & vnamquamque facultatem habere suum, non autem eundem, & omninò æqualem; propterea non est abs re hic diligenter æstimare, & veluti ponderando metiri certitudinem medicinæ. At quærenti fortè, quorsùm hæc inquisitio? Respondeo, gratia Tyronum, quibus hæc potissimùm scribo, vt antea commoniti, quanti debeant rem medicam æstimare, ne plùs, quàm par est confidentes omnia arti tribuant, & suprà vires moliantur: nec vanis pollicitationibus spem erigant ægrotantis: vel è contra ne omnia pro incertis habentes omninò desperent. Est enim sua medicinæ vis, & sæpè mirabiles successus habet, quibus suam hominibus facultatem ostentat: ideò seduli studijs incumbant multo labore, & diligentia continua, vt difficillimam alioquin artem, quoad licet, adipiscantur.

Primùm ergo, vt rem propositam absoluamus, distinguendus est triplex gradus certitudinis: alia enim est certitudo moralis: alia physica: alia mathematica. Certitudo moralis omnium minima est, vt egregiè docet, & explicat Arist. 1. eth. 3. cum enim primum ostenderit, non esse exactam in singulis disciplinis certitudinem, se propterea moralem minimè exquisitè tractaturum, indicat his verbis. *Contenti igitur erimus, si nos, cum de talibus, & ex talibus differamus pingui quadam minerua, atque adumbrata figuratione verum ostendamus; cumque de ijs, quæ plerumque eueniunt, atque ex ijs ratiocinemur similia etiam concluserimus*: quod idem est, ac si diceret, materia moralis solùm capax est certitudinis imperfectæ; quia res morales variantur secundum circumstantias particulares; illæ enim actiones, quæ in aliquibus circumstantijs sunt honestæ, ac iustæ, in alijs sunt inhonestæ, atque iniustæ; adeo vt de honestis, ac iustis, de bonis, ac malis apud varias sectas, & nationes tanta sit opinionum diuersitas, vt quidam putauerint, nihil esse honestum, vel inhonestum, iustum, vel iniustum ex natura rei, sed solùm ex lege, per quam quædam fuerunt prohibita, alia verò præcepta. Physica maior est, sed mathematica minor: res enim physicæ non perpetuò, sed plerùmque certæ sunt. Mathematica tandem omnium maxima est: ideò explicemus vtramque vt noscamus tandem, vtri certitudo medica accedat.

Aristot. loco citato docet, res physicas non esse perpetuò veras, & certas, quia sunt in materia: mathematicas verò, quia abstrahunt à materia, semper esse easdem omninò. Ratio discriminis est, quia materia variè afficitur, & mutatur; vnde non respondet semper agenti eodem modo dispositа, ac parata, vt ex ea perpetuò similem producat effectum. Amplius, cum efficiens versetur inter contraria, aliquando à fortiori ita impeditur, vt nequeat, in materia, quantùmcunque benè disposita, similiter agere. Hinc fit vt aliquando aliter, & præter naturam eueniat, ac sæpè soleat accidere. E. g. ex instituto naturæ nascitur homo, quoties semen virile in vterum proiectum recipitur, & fouetur: aliquando tamen oritur monstrum, vel quia malè vterus sit affectus, aut sanguis maternus inquinatus: vel tandem quoniam, his etiam benè se habentibus, spiritus gignitiuus aliqua ex causa impotens fiat, adeò vt non sit perpetuò verum, ex semine virili, materno sanguine permixtis in vtero hominem nasci. Idem dicendum de reliquis, quoniam commune est omnibus corporibus naturalibus, vt passiones non competant eis præcisè ratione essentiæ, sed ampliùs pendeant à materia, & mouentibus, ac efficientibus causis. Secus autem se res habet in mathematicis; passiones enim subiectis mathematicis conueniunt ratione essentiæ, & independenter à motu; ideò necessariò, & perpetuò conueniunt.

Modò constat ex his, medicinam, cum sit genus quoddam physicæ, eandem quoque certitudinem habere communem; nullumque propterea cuiusuis authoris, vel etiam Hipp. pronunciatum adeò firmum, ac sanctum esse, vt aliquando successu non careat suo. Medicus enim (quos superiùs etiam de physico diximus) versatur circa materiam, vtiturque materialibus instrumentis; pendet ampliùs à tempore, & à circumstantijs loci, tempestatum anni, ætatis, & sexus, quæ omnia ita mutantur, & varia sunt, vt nequeat idem semper, & eodem modo de singularibus subiectis sentire, & prædicere, ac etiam agere: nec eadem remedia vbique sunt in singulis æquè salutaria, & efficacia: quoniam efficiens sanitatis, siue principale, cuiusmodi est natura, siue artificiale, qualis est medicina sæpè impedita non idem, quod alioquin facerent, semper, & similiter faciunt.

Quod hactenus, & in vniuersum, sumptis ab ipsa rei natura argumentis, & de certitudine medica disseruimus. Hippoc. mirum in modum confirmat inquiens libr. de locis in homine. *Medicina citò, addisci nequit, propterea quod stata, ac certa doctrina in ipsa tradi non potest v.g. qui scribere didicit eodem modo quo omnes docent, omnia nouit, & qui sciunt omnes, similiter nouerunt.* Addit rationem elegantissimam; *propterea quod idem est, & similiter fit, & nunc, & non nunc: neque contrarium fieri potest, sed semper, & iure quid simile est, neque indiget occasione: medicina vero, & nunc, & paulo post non idem facit, & in eodem contraria facit, & hæc etiam sibi ipsi contraria. Primùm aluum subducentia non semper hoc faciunt, & aluum subducentia vtrumque faciunt &c.* Ratiocinatio itaque Hipp. est huiusmodi. In aliis artibus, vt in scriptoria v. g. doctrina certa est, ac firma, quia subiectum, nempe papyrus, vel id genus alia materia semper eadem est, & ratio quoque scribendi eadem: nec ad scribendum expectamus tempus idoneum. Quamobrem qui semel didicit artem scribendi, semper, & eodem modo scribit. At secùs se res habet in medicina, cuius subiectum, siue corpus humanum non est semper idem, ac agendi etiam ratio non est absoluta, sed cum exerceatur in singularibus, & pendeat à tempore, est alligata occasioni: occasio autem quàm breuissima est, vt ait idem loco citato: *& qui hoc nouit, illi stata, ac certa est ars; scit enim quæ similia sint, quæ dissimilia, in quibus cognoscendus occasio medica consistit*: at hæc nosse, subijcio ego, semel, aut bis, ac ne vix quidem exactè, nulli ferè concessum.

Inquiet verò aliquis. Idem Hipp. loco citato ait, *medicina mihi iam tota inuenta esse videtur ita sese habens, vt doceat singulas, & consuetudines, & occasiones, &c.* & lib. de vet. med. *medicinæ autem iam cuncta ab antiquo insunt, & eius principium, & via inuenta est, per quam, & multa, & vitæ vtilissima longa die deprehensa sunt, & reli-*

qua deinceps inuenientur, si modo quis aptus fuerit, & inuentorum gnarus. hinc ad reliqua peruestiganda prosiliat. Quicumque verò omnibus his reiectis, ac reprobatis, alia via aliaque forma inuestigare conatur, & quid inuenisse se gloriatur, fallit, & fallitur; fieri enim nequit &c.

Respondeo hæc quidem esse verissima : ijs tamen non probari vnquam medicinam esse omninò certam Hippocr. enim tantùm demonstrat, medicinam ratione, & experientia, quæ sunt duo comparandarum artium instrumenta, fuisse constructam, quia ex singularibus obseruationibus sæpè sæpiùs factis vniuersalia principia, & axiomata composita sunt : propterea addit, quicumque aliam viam ineuntes, se artem composituros esse præsumunt, & fallere, & faili : quemadmodum imperitè satis nonnulli eius tempestatis sophistæ putabant, hypotheses malas sibi proponentes, quibus medicinam inædificabant, vt eo loci videre est. Hinc tamen non sequitur : ergo medicina perpetuò certa est : solùm modo eius est certitudinis, qualem dare potest subiecta eidem materia. Eodem quoque modo moralis, & prudentia habitus quidam est, è suis ipse principijs compositus, & formatus, non ideò tamen omninò certus. Recole dicta superiùs, quæ præsentia plenè, ac planè confirmant.

Replicabit fortè etiam, Aphor. Hipp. quibus innixa est medicina, certissimi sunt, & nemine contradicente, veluti oracula admittimus : ideòque eorum author tanti habitus, & habetur ab omnibus, vt eis repugnare nullus vnquam audeat. Quòd si Hippoc. authoritas suspecta est, & incerta doctrina, de arte medica actum esse videtur, cum authore careat suo, & principijs parùm tutis, & nutantibus innitatur.

Hoc argumentum imperitorum est, qui nequeunt res medicas & physicas æstimare ignorantque. Intellectus, humani naturam, qui cum sit imbecillimus, nec semper certus, sui non possunt non eius etiam opera, cuiusmodi sunt artes, & scientiæ, aliquo vitio laborare. Ideò paulò fusiùs respondebo, vt anteà moniti deinceps meliùs sentiant, & qui, bonique rerum medicarum iudices fiant. Aphorismi itaque vt de ijs primò dicam, certi quidem sunt; ac certitudine physica, eosque propterà plerumque vt inquit Scaliger ad assensionem nostram admittimus, quòd aliquando frustantur voto suo. Ne verò gratis à me dictum esse videatur, vno, & altero exemplo confirmo. *Mulier grauida*, inquit Hipp. *vena secta abortit* 4. aphor. attamen pluries detrahimus sanguinem grauidis, non modo laborantibus morbo, sed etiam abortum impediendi causa; verùm præcauetur abortus, & grauidæ calamitatibus liberantur. Item *mulier, ni menstrua defecerint, & eunuchi quoque podagra non capiuntur* : nihilo tamen minùs, & mulieres, & eunuchos podagra correptos vidi, & ex ijs vnum podagra tandem obijsse conuulsum. Idem de singulis omninò dicendum; quoniam aphorismi sunt propositiones physicæ, quarum veritas, cùm non pendeat omninò, & præcisè ab essentia rei, quemadmodum mathematicæ, sed ab efficiente, & materia, suo sæpè destituuntur euentu.

Quod spectat authoritatem, dico, eam duplicem esse diuinam, & humanam. Diuina infalibilis prorsùs est, quia Deus nec falli potest, nec fallit : è contrà autem humana, quoniam est ab homine, *cuius oculi*, vt dicebat Arist. *instar vespertilionum, vel ad manifestissima naturæ se habent*: propterea, & fallit, & fallitur. Hinc argumentum ab authoritate humana ductum probabile tantum est, & omnium probabilium infirmissimum: Hippoc. ergo authoritas cum humana sit, non est semper expers erroris, & ideò, & ipse se deceptum fuisse ingenuè professus est, alijsque; eiusdem authoris errata notarunt, correxerunt, aut interpretamentis suis, gratia tanti viri, ad bonum sensum reuocare conati sunt. Parui ne igitur, dicet aliquis, faciemus Hippoc. minimè ego, sed magni, imò maximi, & vbi non repugnat ratio, vel experientia omnibus anteferendus; vt enim inquit Arist. 3. eth. *in practicis non minùs habenda est ratio de opinionibus prudentum, & expertorum, quam de demonstrationibus; quia prudentes, & experti adepti sunt firmam de principijs agibilibus cognitionem, adeoque de agendis.* Hippocr. verò eiusmodi fuit, qualem nobis. Uetulamus libr. hist. vitæ, ac mortis præclarè commendat : nimirùm *meditus insignis, qui artem suam tam longa vita comprobauit, & honestauit Vir cum prudentia quadam doctus : in experientia, & obseruatione multus : non verba aut methodo : captans, sed nec nos tantùm scientiæ separans, & proponens.* Cæterum quantùmcumque hæc vera sit, non præstat tamen ad eius semper authoritatem nosmet recipere, quamvis enim medicinæ veram inueniendæ, confirmandæ, & perficiendę methodum scitissimè nobis tradiderit, plura item inuenerit; non omnia tamen ipse nouit, nec potuit ex naturæ obscuritate veritatem omnem eruere, sed plurima posteris inuenienda reliquit; dummodò methodi à se traditæ gnari sint; & obseruatores egregij, loco citato de vet. med. imò non solùm modo multa ignorauit, sed etiam (quod commune hominum vitium est) errauit aliquando, & declinauit à vero. Hic ergo velim, homines intelligere, qui fieri non possit vnum, & inuenire, & perficere, atque adeò vouisse enim omnia eius facultatis, cuius author habetur. Eorum omnium, quæ sunt, alia à natura sunt, alia verò ab arte : quæ sunt à natura ea tota semel, & perfectè fiunt; quoniam author est Deus, vt inquit Galen. 1. de vsu part. optimus, sapientissimus, & potentissimus: quę verò ab arte sunt, imperfectè primùm ab vno, deindè paulatim, accedentibus studijs, augentur, donec progressibus multis tandem perficiantur, non tamen omninò; nulla enim ars adeò suis numeris absoluta est, vt nihil addi, nihilvè vnquam detrahi possit. Ideò non tanti facere debemus eos, qui nos præcesserint, vt nihil nobis relictum esse putemus ideòque velimus vltrò amittere potestatem iudicij : at cum homines pariter simus nemini seruiamus, sed vtamur eadem intellectus facultate, & libertate, nam, vt ad hanc rem apositè Seneca epist. 27. *non sumus sub rege, sibique sese vindicat.* Huius autem sententiæ ea est potissima ratio, quod artes, & scientiæ duobus maximè instrumentis fiunt, experientia, & iudicio; experientia verò fallax est, & iudicium difficile; quare vt eis inuenimus, ita ijsdem quoque & fallimur, & fallimus: propterea opus est tempora nec vno, sed pluribus, qui experiantur, & iudicent, & vt suprà latè probaui, & ideò disciplinæ omnes filiæ temporis appellantur; cum enim, vt idem Senec. *natura nobis semina scientiæ dederit, scientiam non dederit*, semina hæc multo tempore fœta feros postremò partus emittunt. Quæ hactenus dicta sunt eleganter ostendit. Arist. 2. metaph. 1. qui probat à signo speculationem de veritate esse difficilem, quia *neque satis eam aliquis consequitur, neque aberrant omnes ab ea, sed quisque aliquid de naturæ dicit, & singuli quidem nil, aut parùm ei addunt : ex omnibus vero collectis aliqua magnitudo fit.* Itaque nemo per se solum potest veritatem rerum inuestigare, sed parum de suo addere scientijs, & artibus, vt tandem ex omnibus simul magnum prouenial incrementum. Propterea idem Aristot. paulò infrà dicit, *non solùm illis agendas esse gratias; quorum opinionibus quis acquiescet, sed illis, qui superficie tenues dixerunt, conferunt enim aliquid etiam isti, habitum namque nostrum exercuerunt, & fuerunt in causa, vt quam ipsi non potuerunt assequi, posteriores veritatem assequerentur.* Vt ergo eò redeamus, quod superiùs demonstrandum suscepimus, Hippoc. non tamquàm dominium, sed ducem sequamur, veneremurque vt inquit, Gal. tamquàm authorem bonorum omnium, non absolutè, sed eorum quæ ab antiquitate profecta sunt. Ipse enim primus, vt inquit Celsus in prœmio de re medica, *ex omnibus memoria dignis abstudio sapientiæ disciplinam hanc separauit vir, & arte, & facundia insignis.* Vel ex Plinio lib. 29. *medicinam reuocauit in lucem, cum multo antea in nocte densissima latuisset;* vt iure plurimùm illa, & nos quoque debeamus Hippoc. qui omnium optimè viam, qua ad medicinam eundum est, præmonstrauit; solidissimaque superstruendæ arti fundamenta iecit. Nihilo tamen minùs pro ea, quæ præditi sumus ingenij vi, & libertate exercere licet studia nostra, addendo si fieri potest, quæ adhuc inter desiderata sunt; & si quos errores offendimus, corrigendo, & emendando.

Instabit tandem Gal. 1. meth. cap. 4. docet medicinam instar mathematicarum scientiarum procedere, *& in his omnibus, quæ in eadem monstrantur, ad primas, & indemonstrabiles propositiones, & quæ ex se fidem faciant, omnia esse perducenda.* Ergo, nisi Gal. nos fallit, non solùm medicina certa est, sed plus, quàm physica, certa.

Resp. Galen. medicinam cùm mathematicis comparare, non quoad certitudinem subiectæ materiæ, sed quoad ordinem procedendi. Debet enim medicus suas conclusiones vsque ad primas propositiones, per alias medias inter positas, probatas, & demonstratas reuocare : alioquin, nisi aliquid sit primum quoquo modo certum, & firmum, non est, quo medica conclusio nitetur. Cæterum hæc nunquàm

quàm demoſtratur ea certitudne, & euidentia, ac mathematicæ demonſtrari ſolent: nec primæ propoſitiones medicæ, multò minùs intermediæ, adeò certæ ſunt, & inconcuſæ, quemadmodum mathematicæ.

Etenim ſi forent huiuſmodi; eędem reciperentur ab omnibus, nec adhuc nobis illud inculcarent ex Celſo in proemio; nimirùm, *incomprenſibilem eſſe naturam. Non poſſe vero comprehendi patere ex eorum, qui de his diſputarunt, diſcordia: cum de iſta re neque inter ſapientiæ profeſſores, neque inter ipſos medicos conueniat. Cur enim potius aliquis Hipp. credat, quam Erophilo? cur huic potius, quam Aſclipiadi? ſi rationes ſequi velit, omnium poſſe videri non improbabiles: ſi curationes, ab omnibus his ægros perductos eſſe ad ſanitatem. Itaque neque authoritati cuiuſquam fidem derogari oportuiſſe &c.*

Hinc licet oſtendere, medicinam eſſe coniecturalem; cur enim res medica non omninò certa ſit, id potiſſimum euenit, quòd eam non certa ſcientia, ſed coniectura comprehendimus. Ideò quotupliciter coniecturalis euadat, dicamus.

Primùm ergo coniecturalis eſt circà morbos, eorum cauſas internas, quorum cum medicina inſpectione ſenſata priuata ſit, vt docet Hipp. lib. de art. (*quod ipſum apud omnes inconfeſſo eſt*) *alias tamen facultates coadiutrices inuenit*, ni mirùm ſyllogiſticam ex ſignis: ſigna autem ſunt peregrina, & obliqua; ideòque non certam nobis pariunt ſcientiam, ſed coniecturam.

Secundò coniecturalis eſt circa particularia remedia, quæ ſunt inſtrumenta medendi; nemo enim vnquàm medicamentorum vires perfectè cognouit, quorum cum ſępè obſeruemus effectus, cauſam nihilominus ignoramus.

Tertiò quantitas etiam remedij efficit artem coniecturalem; hæc enim bifariam æſtimanda eſt, & quæ morbo v. gr. conueniat, & quam vires ægri perferre queant: ac tandem etiam quanta moles medicamenti eſſe debeat, ex qua exquiſita eiuſdem quantitas virtutis habetur. Singula autem ſcitu impoſſibilia ſunt; vndè Gal. dicere ſolebat, ſi exactam quantitatem remedij noſſe poſſet, ſe talem futurum eſſe, qualem fuiſſe ferunt Æſculapium. De huiuſmodi etiam quantitate egregiè nonnulla tradit Hipp., quæ vt referam è re noſtra maximè eſſe videtur. Inquit ergo lib. de vet. med. cum duo præcipua ſint medendi remedia, nimirum repletio, & vacuatio, addit tamen adeò eſſe difficilè exactam cognitionem habere; quin medicus in neutram partem, magis, vel minùs replendo, aut vacuando, declinet; propterea huius menſuræ regulam ſenſum corporis, ſeù bonam ægrotantis tolerantia conſtituit; eumque medicum laudat, non qui minimè peccet, ſed qui minus: vndè ait, *decet enim dimenſionem aliquam (intellige repletionis, & vacuationis) collineare; dimenſionem autem nullam aliam reperies, neque pondus, neque menſuram, cuius intuitu exacta diætæ inſtituendæ ſcientia haberi queat, quam corporis ſenſum. Qua propter negotioſum eſt, id ita accurratè cognoſcere, vt tantum tenuiter in alterutram partem delinquas. Certè eum ego medicum vehementer laudarim, qui leuiter delinquat. Quod enim exactè abſolutum eſt, raro videre contingit.*

Quartò coniecturalis eſt ob occaſionem, ſeu tempus medendi opportunum, quoniam hoc fluens eſt, & breue, ideoque vix, ac ne vix quidem comprehenditur, & opus eſt medico, inquit Gal. lib. ad Glauc. perito, & in arte plurimum exercitato.

Poſtremò Idioſyncriſia, ſeu ſingularis cuiuſque indiuidui natura omnium maximè coniecturalem, & incertam efficit medicinam, cuius quidem affectus varijs, & mirabiles nobis occurrunt: origo tamen in abdito ſemper eſt. Quis enim vnquam nouit, cur huic v.g. vinum infenſum ſit, & vel oltactum ſyncopem afferat, quo ferè vniuerſum genus hominum oblectatur? cur alius abhorreat à caſeo, quod plurimis cedit in alimentum? Idcircò Hipp., & Gal. cum præceperint, vt vtramque naturam vniuerſalem, & particularem cognoſceremus, huius difficultate perterriti communis tantummodo cognitione contenti ſunt. Et hęc de ratione coniecturæ medicinalis ſatis dicta ſint, quę nihil artis dignitati, & neceſſitati, nec medentibus, nec egentibus medicina fidem, & ſpem vllo modo detrahunt. Audiant propterea Celſum lib. 2. de re med. hac de re diſertè, & verè loquentem; nimirum, *coniecturale martem eſſe medicinam, rationemque coniecturæ talem eſſe, vt cùm ſæpius aliquando reſponderit, interdum tamen fallat. Non itaque ſi quid vix milleſimo in corpore aliquem decipit, id fidem non habet, cum per innumerabiles homines reſpondeat. Idque non in his tantum, quæ peſtifera ſunt dico: ſed in his quoque, quæ ſalutaria. Siquidem etiam interdum fruſtratur, & moritur aliquis, de quo medicus ſecurus primo fuit. Quæque medendi cauſa reperta ſunt, nonnumquam in peius aliquibus vertunt. Neque id euitare humana imbecillitas in tanta varietate corporum poteſt. Sed eſt tamen medicinæ fides, quæ multo ſæpius, perque multò plures ægros prodeſt.*

Hæc ſunt, quæ adijcienda videbantur PRÆCOGNITIS RIVERII, vt planè conſtaret Alumnis Medicinæ natura. Cætera verò, quæ promiſsa ſunt, deſiderantur; Quam primùm tamen edentur, longè fortè locupletiores, & elegantiores, quàm excogitaueram priùs, & ipſe ex promiſsis meis præconceperas.

OPER. MEDICORVM

LAZARI RIVERIJ

TOMVS II.

Exhibens.

PRAXIN.

Contesto Verde.

PRAXEOS MEDICAE
LIBER PRIMVS.
DE AFFECTIBVS CAPITIS.

PRÆFATIO.

IN capitis affectum serie illo tantum comprehendimus, qui cerebri substantiam, aut meninges occupant. Licet enim oculi, aures, lingua, dentes, gingiuæ, fauces, & columella, capitis constitutionem ingrediantur; aerum tamen partium affectus clarioris doctrinæ gratia, seperatis libris exponere visum est, & cerebri, ac meningum morbos capitis affectum nomine per excellentiam insignire. Illi autem affectus ex cerebri actionum læsionibus erunt desumendi quæ quidem actiones sensum, & morum respiciunt tum etiam actiones naturales, quę ad illius nutritionem spectant. Sensus verò diuiduntur in internos, & externos. Interni principes actiones comprehendunt, imaginationem, ratiocinationem, & memoriam: tùm etiam somnum, & vigiliam. Ad quarum functionum symptomata referuntur phrenitis, mania, melancholia, coma, lethargus, carus, apoplexia, catoche, & coma vigil. Sensus verò externi quinque vulgò statuuntur, visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus. Quia tamen quatuor prioribus partes peculiares, tamquam propria eorum organa, destinatæ sunt, quæ varios patiuntur morbos, in proprijs libris explicandos; ideò in hoc libro symptomata tantum exponemus, quæ sensum tactus respiciunt; quandoquidem illa à cerebro affecto, vel illius membranis immediatè procedunt: & vel paralysin in sensu tactus abolito, aut imminuto: vel dolorem capitis in deprauato respiciunt. Motus autem voluntarij læsiones reperiuntur in conuulsiones, epilepsia, paralysia, apoplexia, vertigine, tremore. Denique affectus ad actiones cerebri naturales spectantes, vel in intemperie consistunt, vel in excrementorum vitio, quo catarrhus generatur. Nos omnes illos affectus ad propria capita reducimus eò tamen ordine, qui ad theraperam instituendam magis conueniens est. Atque ita primum frigidam cerebri intemperiem, mox omnes affectus, qui ab illa oriuntur, subiungimus, quia eorum curationis fundamentum ab illius curatione desumi debet. Postmodum verò affectus a calida intemperie, & callidis humoribus oriundos exponimus. Quę omnia in singulorum capitum perlustratione clarius apparebunt.

CAPVT I.

De frigida cerebri intemperie.

OMnes intemperies vulgò diuiduntur in pathologia in simplices, & compositas, materiales & immateriales. Simplices rarò inueniuntur; tum etiam immateriales; nec nisi à causis procatarcticis producuntur: & vel sponte, vel leuissimis remedijs euanescunt. Materiales verò omnes capitis affectu producunt; illarum ideò tractationi sedulò incumbendum est; quod tamen seorsim pauciſſimi auctores præstiterunt, propterea quod in expositione affectum, qui ab illis intemperiebus producuntur, earum etiam explicatio sufficienter proponatur. Nos itaque eorum vestigiis inhærentes, calidę cerebri intemperiei, tùm etiam humidę, & siccę theoriam ad affectuum, qui ab ij producuntur, tractationes remittimus. Sed quia maximus capitis affectuum numerus à frigida, & pituitosa cerebri intemperie dependet; operę pretium censuimus, illius theoriam in huius tractationis limine seorsim proponere, vt postmodum illius curatio fit veluti basis curationum omnium, quę dictis affectibus erunt adscribendę, & remedia, quę eorum causę debebuntur, ex hoc capite depromi valeant: atque ita inanis eorum repetitio, (qua omnes propemodum practicę Medicinę scriptores laborare solent, & inde sua volumina inutiliter augere, artemque difficiliorem, ac magis tyronibus laboriosam, atque tędiosam reddere,) à nobis euitetur.

Frigida igitur cerebri intemperies composita, & cùm materia coniuncta vt plurimum pituitosa est: quia cerebrum est metropolis pituitę, & frigiditas diu durans sibi accersit humiditatem. Quamuis enim interdum humori melancholico copulata sit raro tamen ille humor in cerebro gignitur, quemadmodum pituita, sed in hypochondrijs vt plurimum cumulatur, & ad cerebrum transmittitur, in eoque grauissima symptomata producit.

Causę frigidę, ac pituitosę, cerebri intemperaturę sunt.

Alimenta frigida, & humida quę facilè in pituitam abeunt, tum etiam, dum concoquuntur, ventriculum, & hepar refrigerando, faciunt, vt multam pituitam producant, quę postmodum magna copia ad cerebrum transmittitur.

Non alimentorum, non solum frigidorum, sed etiam laudabilium quantitas, quę calorem natiuum obruit, & crudates gignit.

Cibi assumpti statim à somno, vel ante somnum, vel antequam priores sint concocti: ex ijs enim crudates plurimę oriuntur, quę materiam pituitosam cerebro suppeditant.

Omissa naturalis consuetudo pituitam euacuandi per vomitum, aut secessum; vel artificiales per medicamenta purgantia, diuretica, sudorifica, vel frequentes exercitationes.

Ortus ex parentibus, frigida cerebri intemperie laborantibus.

Ætas senilis, quę propter caloris inopiam multam generat pituitam, tum quoque puerilis propter ingluuiem, & incautam victus rationem.

Regio frigida, & humida, quales sunt, quę stagnis, paludibus, aut maioribus flum inibus sunt vicinę, ac boreę, niuibus, imbribusque expositę, & quę sunt magis septentrionales.

Somni longi, & profundi prę sertim à cibo.

Vita sedentaria, otiosa, sine curis, studio, mœrore, aut cum

his

his valdè excedentibus, quia calorem natiuum dissipando, præcipuè in cerebro, illud refrigerant.

Ad has causas etiam referri potest hepar calidum, & humidum, quod multos vapores transmittit ad cerebrum, qui in eo concrescunt, & in materiam pituitosam abeunt.

Signa frigidæ intemperaturæ cerebri desumuntur tum à causis suprà propositis, quarum præsentia intemperiei huius magnam coniecturam faciet; tùm præcipuè ab effectibus, qui, vt sigillatim examinari queant, à suis fontibus illos mutuabimur, nempè ab actionibus, passionibus, excrementis, & habitu corporis.

Actiones animales, frigidam cerebri intemperiem indicantes, sunt mens torpida, & hebes, ingenium tardum, & obtusum, infelix memoria, maxima ad somnum propensio, & somni longiores, ac profundiores, nisi catharrhus, dolor capitis, aut animi pathemata obstiterint.

Insomnia frigoris, aquarum nempe, pluuiarum, niuium, fluminum, stagnorum, marium, & rerum albarum.

Sensuum omnium inertia, & hebetudo.

Motus tarditas, sed in eo duratio, qua spiritus crassiores minùs dissoluuntur.

Passiones, frigidam cerebri intemperiem indicantes, sunt morbi frigidi, vt paralysis, lethargus, catarrhus, & alij quamplurimi: quibus si æger antea obnoxius fuerit, cum hac intemperie laborare conijciendum est

Idipsum confirmabit, si æger cœlo sereno, & in calida, & sicca aeris constitutione melius habeat: in frigida verò, & humida, hyemali nempe, pluuiosa, & austrina, peius.

Excrementa pituitosa, per os, & nares frequenter, & copiosè reiecta, manifestissimè humoris pituitosi redundantiam in cerebro ostendunt.

Ea habitu corporis desumuntur signa tàm generalia, quàm specialia huius intemperiei.

Generalia ex toto habitu corporis desumuntur. Si enim totus corporis habitus frigidus sit, & humidus cerebrum proculdubio, omnium corporis partium frigidissimum, & humidissimum, tale futurum est.

Cutis ergò ad tactum frigida, mollis, læuis, & alba, totus corporis habitus mollis, & obesus, non autem carnosus, & venarum angustia, frigidam temperiem significant.

Signa specialia, frigidam cerebri intemperiem indicantia, in capite considerantur: vt sunt Faciei pallor, venarum carentia in oculis; capilli molles, læues, ac tenues ab initio, tardè orientes, deinde rufi, ac minimè crispi, ac tota vita sine canitie perseuerantes, à frigore externo capitis facilis læsio, à calefacientibus, iuuamentum.

Quod ad prognosin attinet; hęc intemperies curatu difficilis est, & sępè grauissimos capitis affectus producit. Quæ à longo tempore contracta est, difficiliùs curatur: quę à natiuitate, nunquam: tum etiam quę est hęreditaria, & quæ in corpore senili reperitur, si per longum tempus illud obsederit. Tempus hybernum huic curationi idoneum non est: æstate verò melius curatio succedit.

Curatio duabus indicationibus perficitur: nimirùm pituitæ redundantis euacuatione, & ipsius intemperiei per contraria correctione. Quibus indicationibus debet satisfieri triplici instrumento; dietetico chirurgico, & pharmaceutico.

Diæta calefaciens, & exsiccans instituenda est. Ac primum eligatur aer purus, ad calidum, & siccum vergens, qui tamen in caliditate non multùm excedat; humores enim, in capite contentos, fundere, ac liquare potest, sicque catarrhos, alioſque affectus producere; quod sępe contingit ijs, qui sub Solis radijs morantur, vel caput ad ignem calefaciunt. In siccitate vero non potest nimium excedere, modo in actiuis qualitatibus sit temperatus; ad calidum magis tamen, quàm ad frigidum deflectat. Cubiculum, in quo ęger degere consueuit, non angustum sit, nec depressum, nec humescens, aut aliquo situ obductum; sed peruium, & perflatum, siccioribus ventis expositum. Temporibus humidis, nebulosis, ac frigidis, alterari interdum poterit aer cubiculi herbis calidis, ac odoratis, pauimento stratis: vt saluia, maiorana, iauendula, roremarino, thymo, serpillo, vel etiam ijsdem in ignem coniectis, aut etiam lignis siccioribus accensis, ac præcipuè iuniperino. Ignis autem sit luculentus, qui acrem conclauis sufficienter exsiccet. Suffitus in ędibus excitati, nisi admodum graues sint, siccando, absumendoque humiditatem non parum conferre possunt. In eorum tamen vsu cautio magna adhibenda est, tùm vt moderatissimi excitentur. Si enim nimij sint, quoscumque homines offendunt, & humores fundendo, graues catarrhos excitant. Tum etiam, vt patientis constitutio aduertatur; nonnullorum enim capita tàm facilè replentur, & à suffitibus alterantur, vt quilibet odor capitis dolorem inducat. Suffitus temperatus, & vtilis parabitur ex succino puriore, cuius tenuia armenta carbonibus erunt injcienda. Minus grauis est, & optimè siccat, roboratque cerebrum suffitus ex Indico succino, quod *gummi animæ* nominatur, vel magis compositus ita præscribi poterit.

℞. Ligni aloes, & benzoini, ana ʒ ij. styracis calamitæ ʒ. j. ß. thuris, & sandarachę, an. ϑ. ij. gummi animæ, & garyophyllor. an. ʒ ß. Fiat puluis crassiori, supra prunas injciendus.

Vitetur aer austrinus, & pluuiosus, tum quoque nocturnus, & in primis caput non exponatur radijs lunaribus, qui cerebro mirum in modum sunt insensi. Vitandus est quoque aer valdè frigidus, & aquilonaris, præcipuè, quando subitò ad eum ab austrino fit mutatio. Is enim cerebrum humidis excrementis refertum, non minùs quàm manus comprehensam madentem spongiam exprimit, & in partes subiectas deturbat.

Secundò alimentorum ratio maximè adhibenda est: quandoquidem (vt docet. *Hipp. lib. de natura humana*) morbi fiunt partim à victu, partim à spiritu, cuius attractione viuimus. Itaque cibi sint boni succi, facilis coctionis, nec frigidi, nec excrementitij. Atque adeò in frequenti vsu erunt carnes veruecinæ, hœdinæ, vitulinæ. His verò præcedunt pulli collumbini, gallinacei, capones, gallinæ, perdices, turdi, omne genus auicularum montanarum, & ouorum recentium vitelli. Prædictæ carnes magis assæ, quam elixæ vsurpentur. Uitentur autem carnes durę, & concoctu difficiles, vt bouinę, porcinæ, ceruinæ, leporinæ, anserum, anatum, aliarumque auium aquatilium. Ad hoc genus referuntur capita, intestina, extrema, & interanea animalium. Piscium vsus sit rarissimus, ijque eligendi, qui carnem habent solidam, & friabilem, in riuis rapide fluentibus, aut iuxta saxa viuentes, saxatiles ideò dicti, in vino præcipuè decocti, addendo acetum, butyrum, & aromata, quorum vsus etiam in aliis cibis concedendus est, nisi calida hepatis intemperies contra indicet. Ex his precipue sunt nux mosch. Macis garyophylli, cinamomum. Herbarum refrigerantium, & humectantium, vt Lactucę portulacę, spinacię, nullus aut rarissimus sit vsus. Æstiuo tamen tempore earum, quæ mediocriter refrigerando siccare aliquantulum, & membris robur addere, massæque sanguinis, quo minùs euaporet, firmitudinem qualemcunque conciliare valent, mediocris vsus concedi potest. Tales sunt endiuia, cichorium, acetosa, quę tamen cocte: non crudę vsurpandę sunt. Conueniunt autem radices petroselini; dauci, seseli, & pastinacæ; folia menthę, hyssopi, nasturtij. Vitanda quoque omnia, quę facilè caput tentant, illudque replent. Ea verò duorum sunt genera: Vnum eorum, quæ acrimonia sua humores fundunt; vt cepe, allium, sinapi, eruca raphanus. Alterum eorum, quæ crassis vaporibus caput replere solent, vt lac, & lacticinia omnia, & legumina. Ex quibus tamen minùs nocent cicera rubra, propter eximiam aperiendi, & detergendi vim, qua prædita sunt. Ideò concedunturę, precipue iuscula eorum. Fructus omnes recentes, & precipue fugaces, multa aquea humiditate præditi, vt frequens cruditatum materia vitandi. In bellarijs fructus ficiores vsurpari poterunt, vt passulę, amygdalæ, nuclei pinei, dactyli, & similes: quorum tamen vsus parcus esse decet, quia maiori ex parte difficilè concoquuntur. Pyra cocta saccharo confecta, vel conditura corticis citri, limonis, arantij in fine mensę vsurpari poterunt. Sed multo vtilius erit pulueris digestiui cochlear vnum sumere post pastum, cuius vapor aromaticus, & cerebro amicus, cum alimentorum vaporibus sursum eleuatur, sicque, cerebrum roborat, & exsiccat. Parabitur ex coriandro, fœniculo, anisо, cinnamomo, nuce moschata, cum dupla quantitate sacchari rosacei. Panis ex optima tritici farina conflatus sit, bene coctus, & fermentatus, cui, etiam aliquid salis, & anisi aut Carui vtiliter addi poterit. In maiori intemperie biscoctus erit vtilior. Potus sit vinum tenue, ac oligophorum, quod caput vaporibus non repleat, & aqua multa dilutum. Tum etiam valdè conferet, per horam ante pastum vinum aqua miscere: vt illius vapores infringantur; nec non coriandri tantillum in aqua decoquere, quo vis roborandi cerebrum, &

ven-

ventriculum ipsi conciliabitur. In grauiori affectu, si vinum etiam, cum prædictis cautionibus vsurpatum, suspectum esse videatur; illius loco hydromel tenue subrogari poterit.

Hoc autem in omni cibatione semper obseruandum; vt cibi moderata quantitate sumantur, & cœna sit leuior prandio. Sobrietas, vt in omnium morborum curatione, & præcautione magni momenti est; sic præcipuè in omnibus capitis affectibus maximè commendatur. A plurimo enim ingesto alimento caput vaporibus, & humoribus repletur, & contra ab eiusdem penuria plurimum inanitur.

Tertiò, corporis exercitatio moderata esse debet, & singulis diebus, quantum fieri poteri continuari. Otium enim, & quies corporis nimia, calorem natiuum debilitant, ac torpidum reddunt: ita vt coctiones suas non ritè peragat, & corpus excrementis repleat. Contra verò motus, & exercitatio calorem natiuum suscitant, concoctiones adiuuant, excrementa discutiunt, spiritus purificant, & exhilarant. Debet autem fieri exercitatio ante singulos pastus: & vtilius est, à pastu per aliquot horas quiescere, aut saltem non valdè concitato motu corpus mouere.

Quarto in somno, & vigilia modus adhibendus est. Vt enim somno mediocri reficiuntur vires: ita longiore torpescit corpus, refrigeratur, & oneratur excrementitijs humoribus, præcipuè verò cerebrum. Nimia verò vigilia corpus extenuat, spiritus absumit, & quod in corpore sanum est, depascitur. Somnus itaque longior non sit, is tamen metiendus pro consuetudine, & rebus incidentibus. Vulgò septem horis determinatur. Quod spatium produci, vel abbreuiari potest, pro ægrotantis ætate, vel consuetudine. Si in alterutro peccetur, præstat in vigilia immodica, quàm in superfluo somno delinquere. Non statim à cœna somno indulgendum est: sed duabus saltem horis interiectis, in quibus leuis deambulatio prodest. Capite altiore, & in alterutrum latus dormiendum. Supinus decubitus improbatur.

Quintò, omnium corporis partium excrementa suis temporibus sunt euacuanda cerebri potissimum. Atq; adeò quotidie mane screando e palato, emungendo è naribus, pectinando, & linteo aspero, vel spongia caput confricando, e futuris cerebri superfluitates euocandę. Aluus libera, & mollis seruanda est: & si sponte non obediat, glande, vel enemate sollicitanda, vel etiam interdum leuia medicamenta purgantia pes os exhibenda, v. g. pilulę francof. aut Maracost. ad ʒ.ß. Non solum enim alui excrementa istis auxilijs euocantur; sed etiam paulatim, & successiue reuellitur aliquid à capite: aut saltem retinetur, deriuaturque quod eò, tanquam ad partem imbecilliorem, amandabatur.

Denique animi affectum maxima ratio habenda est: vt pote à quibus corpus nostrũ mirum in modum alteratur, & de fede sua deicitur. Inter cæteros maxime cauendæ sunt tristitia, & ira. Illa calorem natiuum imminuit, & spiritus conterit; vnde concoctiones infeliciter obeuntur, & multus fit excrementorum prouentus: hæc verò magnam sanguinis ebullitionem, & spirituum agitationem efficit, vnde humores funduntur, liquantur, commouentur, & si quæ pituitosa excrementa in cerebro fuerint, affatim in partes debiles, infirmasque præcipitantur, quæ grauissimos affectus parere consueuerunt.

Reliqua duo instrumenta medica, nempe chirurgia, & pharmacia, huius affectus curationi in sequentem modum aptari poterunt.

Generalis euacuatio, in omnibus fere morbis humoralibus, fieri solet venæ sectione, & purgatione.

Sanguinis euacuatio ratione pituitæ consentanea non est. Si tamen in reliquo corpore sanguis abundet, hepar sit calidius, ætas florens, aut consistens, eum detrahere conuenit. Sic enim vaporum ad caput effumatio impeditur, & superfluum alimentum demitur, vt natura postea, quidquid crudum, & pituitosum in sanguine est, facilius concoquat, & purgantia medicamenta tutius posteà vsurpari valeant.

At verò nisi plethora vehementer vrgeat; melius erit venæ sectioni præmittere potionem phlegmagogam, bolum, pilulas, aut puluerem. Quorum formulæ tales esse poterunt.

℞. Sennæ mundat. ʒ. ß. sem. anisi, & caryophill. an. ʒ. ß. fol. menthæ, & betonicæ, ana M. ß. summitatum thymi P. ß. Coquantur ad ʒ. iv. In colat. infunde agarici recenter trochiscati ʒ. ij. cinamomi ʒ. ß. In expresso dissolue diaph. ʒ. iij. syrupi rosat. ʒ. j. Fiat potio, quæ detur cum regimine. Vel

℞. Catholici duplicati, & diaphœn. ana ʒ. ß. Cum saccharo fiat bolus. Cui potest etiam addi electuar. diacarth. ad ʒ. j. vel ij. detrahendo parem diaphœn. quantitatem; tum etiam catholicum pro arbitrio detrahi, & bolus ex diacarthamo, & diaphœnicone componi poterit. Vel

M. Massæ pilular. cochlar. min. ʒ. ij. Malaxentur cum aqua betonicæ. Formentur pilulæ v. vel vj. deauratæ, quas capiat summo mane, præcedente leui cœna.

Pilulæ de agarico, & cocchiæ maiores, huic etiam vsui accommodari poterunt. Vel

℞. Sennæ mundat. turbith. hermodactyl. ana ʒ. j. diagrydij ʒ. ß. caryophyll. n. j. Fiat puluis, qui detur cum iusculo.

Post venæ sectionem, siquidem necessaria fuerit; aut ea omissa, si minus vtilis videatur; statim ad humoris præparationem, & purgationem vniendum est, quo fiet apozemate sequenti.

℞. Rad. cyperi, ireos Florent. Angelicæ, zedoariæ, & enulæ campanæ, ana ʒ. j. fol. beton. maioran. melissæ, pulegij, origani, calamenthi, ana M. j. summitatum thymi, & saluiæ ana M. ß. sem. anisi, seseleos, & fœniculi, ana ʒ iij. liquiritiæ rasæ, & passularum mundat. ana ʒ. j. sennæ mundatæ, aqua vitæ irroratæ ʒ. jj. sem. carthami contusi, & polypod. querc. recentis, ana ʒ. j. agarici recenter trochiscati, turbith, hermodactyl. ana ʒ. iij. zinziberis & caryophyll. ana ʒ. j. flor. stœchados, anthos, saluiæ, & lauendulæ, ana P. j. Coquantur ad quartaria quinque. In colatura dissolue saccharo albi ʒ. iv. Fiat apozema clarif. & aromatiza ʒ ij. cinam. electi pro iv. dosibus matutinis.

In prima, & vlt. dosi dissolue electuarij diacarthami, vel diaphœnici ʒ. iij. Capiat cum regimine.

Vel si nihil addatur vltimæ dosi postridie illius pilulæ purgante exhiberi poterunt, quales supra descriptæ sunt.

Post purgationem, vt cerebrum alteretur, & roboretur, & purgantium noxa corrigatur, capiat æger bolum sequentem.

℞. Theriacæ veter. ʒ. j. conseruæ anthos, & rosarum, ana ʒ. ij. Cum saccharo fiat bolus, quem capiat manè duabus horis ante pastum, superhausto vini diluti momento.

Quia verò malum hoc sæpe pertinax est, & generosis etiam remedijs non semper cedit; ad potentiora præsidia confugere necesse est. Ac primum, corpore purgato, diæta sudorifica instituenda est, quæ cerebrum, & totum corpus calefacit, & exsiccat, crudos humores concoquit, crassos attenuat, viscidos incidit, lentos abstergit, & quidquid aquosum est, per vrinam educit, ac per sudores, aut insensilem transpirationem discutit. Ad quæ omnia multum etiam facit tenuior illa victus ratio, quæ tempore diætæ adhiberi solet.

Illa autem diæta componi poterit, vel ex decocto guaiaci solius, vel addendo lignum sassafras, aut radicem salsæ parillæ, aut etiam cephalica specifica: prout videbitur Medico prudenti, varias corporum dispositiones, variaque temperamenta sedulò contemplanti. Quorum etiam respectu longiorem, aut breuiorem illius vsum imperat, ver. gr. xv. xx. vel xxx. dierum spatium.

Decoctum vero sudorificum in hunc, aut similem modum componi poterit.

℞. Raturæ ligni guaiaci, & radic. salsæ parillæ, ana ʒ. ij. Infundantur per 24. horas in ℔. iv. aquæ fontis, supra cineres callidos. Bulliant lento igne, & sine fumo, ad mediæ partis consumptionem Colentur per manicam Hippocratis Colatura seruetur in vase vitreo; de qua capiat ℔. ß. calide manè, corpus tegendo plus solito, vt excitentur sudores.

℞. Radic. salsæ parillæ ʒ. ij. infundantur per horas xij. in ℔. xij. aquæ fontis. Bulliant ad quartæ partis consumptionem. Colentur per manicam Hippocratis, addendo coriandri, & liquiritiæ, vel sacchari & cinamomi, quantum satis, ad saporis gratiam. Fiat bochetum, quo vtatur pro potu ordinario, toto diæte tempore; vtendo interea pane biscocto, & anisato, carnibus assis & non elixis, amygdalis torrefactis, passullis, nucleis pineis, prunis cum saccharo coctis & similibus.

In vsu decocti sudorifici hoc perpetuò obseruandum est, vt semel in septimana purgans aliquod medicamentum propinetur, omissa ea die potione sudorifica. Quandoquidem per sudores tenuior humorum portio tantum educitur, remanente crassiore, quæ per aluum expurganda est. Præterea, quia, vt plurimum in vsu diætæ aluus constringitur, clyster tertio, aut quarto quoque die injiciendus est.

Si adhuc pluribus machinis morbus iste oppugnandus vi-

dea-

deatur; durante dieta, sacculi sequentes capiti admoueri poterunt.

℞. Sem. anisi, fœniculi, & baccarum lauri contus. ana ʒiij. milij ℔.j. salis communis ℔.ß. Torrefiant omnia in sartagine, sensim affundendo vini generosi quantum satis. Ipsique impleantur duo sacculi, qui applicentur sinciputi raso, calidè, per vices, post assumptam potionem sudorificam.

Detersо sudore; emplastrum caput roborans capitis admoueatur, in sequentem modum compositum.

℞. Succini pellucidi, thuris, mastiches, ana ʒ. j. ß. galbani, opopanacis, an. ℈. j. visci quercini ʒ. ij. sem. pęonię maris ʒ.ß. olei nucis moschat q.s. Fiat ex omnibus massa emplastri, quæ extendatur super alutam in formam oualem, & applicetur sinciputi raso, post detersum sudorem.

Vel admoueri potest emplastrum caput roborans, quod in officinis Monspel Pharmacopœorum habetur, licet in dispensorijs non reperiatur; cuius descriptio talis est.

℞. Storacis, benzoini, ladani, ana ʒ.iv. radic. pœonię, ireos. Flor. visci quercini, mastiches ana ʒ j. styracis liquid. q. s. Fiat emplastri massa, de cuius ʒ. j. fiat emplastrum oualis figurę, applicandum suturæ coronali.

Si verò emplastrum magis attrahens, & resoluens habere cupias, quod epispasticum vulgò nominatur, in hunc modum parari poterit.

℞. Massæ emplastri de mucilag. ʒ. ij. radic. ireos. Florent. hermodactyl. pyrethri, sem. staphisagriæ, cubebarum, stercoris columbini, sem. sinapi, ana ʒ j. nucis moschat. caryophyllor cinamom. piperis longi, & nigri, ana ℈. ß. styracis liquidę q. s. Fiat massa emplastri, cuius portio extendatur super alutam in formam oualem, & sinciputi applicetur.

Post vniuersales euacuationes, particulares etiam commodè vsurpari poterunt: quę sunt per errhina, sternutatoria, & apophlegmatismos, quorum formulæ in hunc modum componi poterunt.

℞. Fol. maioranę saluię, & betonicę, ana M.j. Terantur in mortario marmoreo, sensim affundendo aquę betonicę, & vini albi, ana ʒ. ij. Exprimatur succus, & fiat errihinum, quod paulò acrius efficietur, si radic. ireos ʒ ß. prędictis adijciatur.

Vsus hodie inualuit, folia nicotianę sicca, & digitis contrita in nares immittere, vel puluere eorum naribus attrahere, sicque paratu facile errhinum habetur, quo magna humoris copia è cerebro elicitur.

Sternutatoria verò sic parari poterunt.

℞. Fol. maioranę, saluię, rorismarini siccorum, ana ʒ.ß. radic. pyrethri, & hellebori albi, ana ℈. j. moschi grana iij. Fiat puluis, qui pennę tubulo insuffletur in nares. Vel

℞. Radic. zinziberis, & ireos Florent. ana ℈. j. castorei ℈.ß. euphorbij gr. vj. Fiat sternutatorium: Præstantissimum sternutatorium fit ex helleboro nigro, cum parte æquali sacchari candi in subtilissimum puluerem redacto. Quod etiam ad catarrhi curationem plurimum confert.

Apophlegmatismi componuntur in formam masticatorij, vel gargarismatis. Masticatorium ita parari poterit.

℞. Rad pyrethri ʒ ij. sem. sinapi, staphisagriæ ana ʒ.j. Excipiantur cera alba, & formentur globoli, quorum vnus masticetur prono capite manè, continuò spnendo.

In vulgari vsu habetur radix ireos Florentinę masticata, quæ in leuioribus affectibus potest sufficere. Mitior adhuc est mastiche sola, quę humorem attrahit ad os, citra illius calefactionem; quod reliqua non præstant.

Gargarisma verò in hunc modum erit præscribendum.

℞. Sem. staphisag. vnz.ß. sem. sinapi ʒ.iij. rad. pyrethri ʒ j. Coquantur in hydromelite ad ʒ. iij. in quibus dissolue oxymell. scill. vnz.ij. Fiat gargarisma.

In vsu tamen horum remediorum hoc obseruandum est, eam euacuationem, quæ per palatum fit, esse commodiorem, quandoquidem illa à natura cerebri expurgationi simpliciter destinata est. At nasus odoratus, & respirationis gratia factus est, eoque natura abutitur, quando humores, in cerebro maiori copia redundantes, per hanc viam expurgat. Prętera per palatum via securior est neque ea excretionè tantoperè cerebrum concutitur, quemadmodum illa quæ fit per nares. Attamen errhina humores potentiùs educunt, quia non solum medicamenti qualitas, aut vapor, vt in apophlegmatismis; sed & ipsa eius substantia cerebrum stimulat.

Obseruandum etiam, errhinorum vsum esse suspectum, dum oculi sunt affecti, vel nares vlceribus obnoxiæ, vel ęger in hemorrhagiam facilè incidit, aut etiam vertiginem, quam sternutatoria in primis excitare valent, cerebrum vehementiùs concutiendo.

Errhina liquida nares ex vola manus attrahuntur, vel supino corpore naribus infunduntur: ore tamen priùs aqua, vel vino repleto, ne liquor per palatum in os fluat; quanquam quod sic influit, etiam humores efficaciter per fauces educit.

Apophlegmatismi cautè vsurpandi sunt ijs, qui fluxioni in pectus, & tabi sunt obnoxij.

Ad particularem etiam capitis euacuationem vtiliter adhibentur vesicatoria posteriori parti ceruicis, in formam emplastri, quod a Pharmacopœis Monspelienśibus compositum habetur, licet in ordinarijs dispensatorijs non habeatur. Illius autem formula talis est.

℞. Galbani ammoniac. ana. ʒ.v. puluerisca cantharid. ℔. j.ß. sinapi, piperis, an. ℔.ß. viridis æris, pyrethri. an. ʒ.ij.ß. euphorbij. ʒ. j. ß. ceræ ℔. j. picis, resinę terebinth. ana quartaria iij. olei parum. Fiat massa emplastri cuius ʒ. j. vel ij. extenditur super alutam, & posteriori parti ceruicis admouetur.

Exteriùs capiti admouentur pulueres & cucufæ, quibus cerebrum roboratur, eiusque calor intenditur, ac humoris reliquæ discutiuntur.

℞. Puluеris ireos Florent. ℔. ß. storacis, & benjoini, ana ʒ. ij. Fiat puluis tenuissimus, capillis inspergendus in lecti introitu, & manè pectine decutiendus.

Hic puluis est odore gratissimus, cerebrum roborat, & capillos valdè exsiccat, ita vt delicatioribus in vsum vocari valeat. Si tamen illius efficaciam intendere volueris: caryophyllos, nucem moschatam, & cinamomum addere licebit.

℞. Flor. stœchados, anthos, & rosar. rub. ana P.ß. betonicę siccę ℈. ij. sem. coriandri, ligni rhodij, thuris, mastiches, nucis moschatę, ireos Florent. ana ℈. j. benioini, vernicis, macis & caryophyll. ana. ℈.ß. Fiat omnium puluis, qui excipiatur rasura scarlatæ, vel cotone moschato, & cum panno serico rubro fiat cucuta interpuncta, pileo affuenda, vel in formam calanticę perpetuò gestanda.

Sequenti etiam suffumigio caput non parum exsiccarij poterit.

℞. Ligni aloes, thuris, mastiches, succini pellucidi, santali citrini, rosar. rubr. & fol. betonicæ siccorum ana ʒ. j. cinamomi, macis, caryophyll. styracis calamitę ana ℈. j. Fiat ex omnibus puluis crassior, aspergatur super prunas, & fumum huriat manè, ieiuno stomacho, ore, & naribus apertis, capite linteo circumuoluto, ne fumus tam facilè exhalet, eoque vtatur bis, aut ter in septimana.

Vel si à suffumigio dolor capitis excitetur, eo saltem suffumigentur singulis noctibus operimenta capitis. In quem vsum potest etiam prędcribi sequens paratu facilius.

℞. Thuris, mastiches, styracis calamitę, benzoini, & sandaracæ, ana ʒ. ß. macis, & caryophyll. ana. ʒ. ij. Fiat puluis crassior pro tuitu.

Quia verò huiusmodi intemperies contumacissima est, nonnunque pituitæ prouentum, etiam post vniuersales & particulares euacuatione, solet efficere, vtualia etiam remedia præscribenda sunt, quibus per interualla humor educatur, & in cerebro melior illa dispositio, quæ prædictis remedijs inducta est, diutius conseruetur. In hunc finem syrupus magistralis componi poterit, ex materia, in apozematis suprà propositis, triplicata purgantium dosi, quo vtetur bis, aut ter in mense ad ʒ. ij. vel iij. cum decocto betonicæ, & maioranæ.

Vel in locum syrupi, sequentibus pilulis vsualibus assuescere poterit.

℞. Aloes optimæ ʒ. ß. turbith. gummosi, hermodactyl. & agarici recenter trochiscati. ana ʒ. ij. diagrydij ʒ. j. zinziberis & caryophyll. ana ℈. ß. croci, & salis gemmei. ana gr. vij. Puluerentur omnia, & pertundantur succo maioranæ, ac denuò exsiccentur in vmbra. Postea excipiantur oxymelite scyllitico, & fiet massa pilularum, de qua capiat ʒ. vel ℈. ij. semel in septimana, duabus horis ante prandium.

Postridie syrupi, aut pilularum, etiam bis, aut ter in sepi-

mana

mana capiat dosin opiatæ sequentis.

℞. Conserv. radic. acori, aut zinziber. & cortic. citri condit. ana ʒ j. conserv. flor. saluiæ & roris m. ana ʒ. vj. nucis moschatæ condit. ʒ. ß. myrobal. condit. n. j. theriacæ veteris, & confectionis alKermes, ana dr. iij. puluerislectuarij diambræ, & diamoschi dulcis, ana dr. j. Cum syrupo condituræ corticis citri fiat opiata, de qua capiat ad magnitudinem castaneæ, manè, duabus horis ante pastum, superbibendo parum vini generosi, mediocriter diluti.

Potentiùs cerebrum roborabit balsamum sequens, cuius guttæ iij. vel iv. per interualla sumi poterunt, cum vino vel iusculo.

℞. Ol. nucis moschatæ dr. iv. pulu. maioranæ, anthos, & carabes an. dr. ß. moschi, ambræ gryseæ, an. ϑ. j. Cum sufficiet in quantitate olei cranij humani reducantur ad balsami consistentiam.

Oleum cranij humani huic vsui idoneum parabitur ponendo rasuram cranii non humati in retorta cum vini albi q. s. & digerantur in B. M. per aliquot dies postea distillentur in arena ad siccitatem, prodibit oleum aquæ supernatans.

Hoc balsamo possunt etiam inungi nares interiores hora somni ad cerebrum efficaciter roborandum. Aliud tamen balsamum paratu facilius ad nares saltem interius inungendas, & valde efficax, componi poterit in hunc modum.

℞. Ol. è flor. arantiorum dr. iij. ceræ albæ dr. i. Liquentur leuissimo calore. Deinde adde ol. succini purissimi dr. ß. olei stillatitii saluiæ, & rorismarini, ana gut. xv. oli. spicæ gut. v. Fiat balsamum.

Utilissimum etiam erit causticum inurere posteriori parti ceruicis, vt materia, quæ in cerebro sensim colligitur, per hanc etiam viam sensim euacuetur.

Denique ad cerebrum exsiccandum, atq; roborandum efficacissimæ sunt aquæ thermales sulphureæ, nitrosæ ac bituminosæ, quales sunt nostræ Belilucanæ, & German. Vvisbadenses potissimum. Ex quibus fiunt embrocationes seu irrigationes capitis per aliquot dies, præmissis vacuationibus vniuersalibus. Harum enim vsu grauissimo capitis affectus discuti quotidiana docet experientia.

Vtilissimæ etiam erunt aquæ thermales, maximè Emsenses, & Aquenses, in potu vsurpatæ, ad roborandum stomachum, qui cerebro maximè compatitur. Ad eundem finem præscribendus erit puluis digestiùs in hunc modum.

℞. Coriandri præpar. ʒ. i. sem. anisi, & fœniculi dulc. ana dr. iii. cinam. & nuc. mosch. ana. dr. ii. corall. præparat. rasuræ eboris, & marg. præp. ana ϑ. i. sacchari rosat. ad pondus omnium, vel pro delicatioribus, pondus omnium duplum, fiat puluis, de quo capiat cochl. i. post singulos pastus, nihil desuper comedendo, vel bibendo.

CAPVT II.

De affectibus soporosis, comate, lethargo, caro, & apoplexia.

SOmni præternaturalis quatuor præcipuæ proponuntur differentiæ, coma, lethargus, carus, & apoplexia. Quæ cum plurimum ab iisdem causis oriantur, eandem curationem postulant: Ideo vnico hoc capite comprehendi possunt.

Differunt autem inter se quatuor isti affectus, quod in comate, seu cataphora, seu subeta Auicenna, est quidem somnus profundus, sed à quo æger excitatur, & oculos aperit, & respondet, moxque iterum profundè dormit: in lethargo sit somnus comati similis, sed cum febre, & delirio: in caro æger febre caret, vt in comate, sed in eo somnus fit profundior: ita vt æger excitatus oculos vix aperiat, non respondeat, sicuti in prædictis? attamen vellicatus sentiat, & integra maneat respiratio. In apoplexia somnus sit profundissimus, & omnimoda sensus, & motus priuatio, excepta respiratione; atque ita ægri neque oculos aperiant, neque respondeant, neque sentiant, & respirationem habeant difficilem.

Causæ horum affectuum plurimæ assignari possunt.

Prima & potissima est humor pituitosus, vel aquosus in cerebro præternaturaliter contentus, qui in minori copia cumulatur, & cerebri substantiam irrorans, ac refrigerans, eiusque meatus insensibiles obturans, coma generare solet. Si verò in eadem copia collectus putredinem concipiat; siue in tumorem collectus sit, siue per totam substantiam dispersus, lethargum producit. Quando verò maiori copia collectus est sine putredine, & totius propemodum cerebri substantiæ imibibitus earum efficere consueuit. Ac denique sit, copia adhuc maiori affluens, non solum cerebri substantiam, sed etiam ventriculos oppleat, aut saltem molle cerebri concidente comprimat, & angustet, nec non principium neruorum, in basi caluariæ à cerebro prodiens premat, & spiritui animali transitum præcludat, apoplexiam facit. Consulantur Recentiores hac de re, maximè Sneiderus de Catarrhis.

Secundo, à sanguine etiam redundante in cerebro soporosi affectus generari solent. Si nimirum nimia copia in illius vasis contentus, crucior serosior, ac frigidior fuerit, spiritus animales condensat, & motui ineptos efficit, tùm copia cerebrum grauando, liberum eorum commeatum impedit, ac pro maiori, vel minori copia, maiori, vel minori frigiditate grauiorem aut leuiorem affectum producit. Sicque tum coma tum carus, tum apoplexia ab hac causa generari possunt.

A sanguine etiam extrauasato, & cerebri ventriculos oppletne, vel comprimente affectus soporosi, præsertim apoplexia, generari solent. Id autem contingit, rupta vena in cerebro, vel ob plethoram ad vasa, vel od contusionem capitis insignem, vel etiam ob vulnus, punctim, aut cæsim factum, quo venæ in cerebro diuidi, multumque sanguinem profundere consueuerunt. Sola etiam cranij fractura, cerebrum comprimendo, stuporum accomatosum affectum producere potest.

Tertio, à tumore in cerebro genito, & pondere suo grauante, comatosum affectum generari posse, dubium non est. Et huius rei exemplum refertur è Palatero, in Barone quodam obseruatum qui longo tempore attonitus, & somnolentus, nihil secundum rationem agebat, cibum nec petebat, nec nisi per vim intrusum capiebat, nec lectum nisi coactus accedebat; sed ad mensam tota die, brachio innixus, oculisque clausis, veluti dormiens sedebat, nec nisi interrogatus, sæpiusque admonitus quicquam, & hoc quoque ad rem minimè pertinens, respondebat. At post obitum illius, aperta caluaria inuenta est in cerebro glandula magna, dura, supra collosum corpus genita, cuius causa esse potuit ictus, quem in capite longe ante, morbi principium acceperat.

Quarto, vapores immodici, ad cerebrum delati, comatosi affectus sympathici causa esse possunt. Si enim copiosi & halituosi sint, spiritus animales aggrauant, & veluti caligine suffundunt: quemadmodum nubes in maiori mundo Solis radios obtenebrant. Si verò crudiores fuerint, cerebrum adeò humectant, vt languidum ad actiones obeundas fiat. Si ebrij sopore, profundissimo à vaporum ex vino, & crudis alimentis eleuatorum copia detinentur. Sic pueri, lumbricis laborantes, comatosis affectibus corripiuntur à crassis, & copiosis, vaporibus ex crudorum, & pituitosorum humorum copia eleuatis. Sic in febribus nonnullis intermittentibus sopor inexpugnabilis accessionis initio contingit, ob crudorum & putrescentium in venis humorum præsertim mesaraicis, contentorum copiam, qui à calore febrili paroxysmi attenuati multos vapores ad caput transmittunt, talemque soporem inducunt qui interdum, cessante frigore, vel rigore, cessat; interdum verò vsque ad finem paroxysmi permanet prout vapores crassiores, aut tenuiores, magis, aut minus copiosi, facilius, aut difficiliùs discutiuntur.

Quintò, à medicamentis narcoticis nimia copia assumptis, somnus, tam profundis excitatur, vt multi ex imprudenti opij vsu in somnum perpetuum demersi fuerint. Talis etiam vis narcotica in quibusdam animalibus reperitur, vt in torpedine. Sic etiam ex morsu Aspidis soporem lethalem induci, refert Plutarchus in Cleopatræ interitu. In humanis etiam corporibus qualitas hac narcotica generatur ex maligna humorum putredine, quæ in malignis, ac pestilentibus febribus reperitur, vnde comatosus affectus in huiusmodi febribus sæpissimè, contingit, qui malignitatis certissimus est index, & futuræ mortis non rarò prænuncius.

Signa diagnostica varias soporosorum affectum differentias indicantia, in eorum distinctione, in principio huius capitis fuere proposita. At signa causarum hos affectus producentium ita se habent.

A pituitosis humoribus, in cerebro restagnantibus affectus soporosus produci, testantur habitus pituitosus, ætas

seni

senilis, aut puerilis, regio, & tempestas frigida, & humida, consuetę per os, & nares pituitosę excretionis suppressio, & quod ægerante inuasionem capitis grauitate, oculorum obtenebratione, & totius corporis segnitie affectus fuerit, quodque non raro in ipso morbo pituita per os, & nares effluat, aut in gulam defluens ab ægro frequenter deglutiatur.

A sanguine verò soporosum affectum generari, significant plethorica dispositio, rubor faciei, & capitis dolor affectum præcedens.

Tumor in cerebro genitus vix vllis indicijs internosci potest sed sola caluariæ apertione post obitum ægrotantis detegitur, vt in casu supra proposito ostenditur.

Sympathicum affectum, & à vaporibus ad cerebrum eleuatis oriundum ostendunt, primò, absentia eorum signorum quę idiopathicum affectum significant. Secundò, signa indicantia peculiarem affectum partium, à quibus vapores ad cerebrum transmittuntur. Sic à ventriculo vapores huiusmodi eleuari testantur crapula præcedens, ructus acidi, aut nidorosi, aliaque crudorum humorum, in ventriculo, alijsq; partibus ventris inferioris redundantium, indicia. Si verò à lumbricis oriantur, propria eorum signa apparebunt, proprio capite descripta.

Quod ad prognosin attinet, omnis soporosus affectus periculosus est; sed quo maior, & profundior est somnus, à quo æger difficiliùs expergiscitur, eo maius portendit vitæ periculum. Atque ita carus comate, & lethargo periculosior est, apoplesia caro; quæ si fortis fuerit, omnino incurabilis censetur ab Hipp. *Aphor. 42. sect. 2.* qui sic habet. *Apoplexiam fortem soluere, est impossibile; debilem verò non facile.* Fortis verò dicitur apoplexia, in qua respiratio inæqualis, inordinata, & interdum intermittens est. Si verò ita se habens respiratio magna, vi exerceatur, fortior censenda est: si autem respiratio penitus prohibeatur, fortissima est. Contra verò, vbi respiratio aliquem seruat ordinem, debilior existit, quæ doctrina proponitur à Gal *Comment. Aphor. prædicti.*

Valdè periculosus est comatosus affectus, qui acutissimo morbo superuenit. Vel enim caloris natiui extinctionem significat; vel malignam, & venenatam qualitatem, quæ in febribus malignis cerebrum plerumq; solet impetere. Qui per consensum partium inferiorum fit comatosus affectus, & à vaporibus ex iis eleuatis, minus infert periculum.

Lethargo affecti septem diebus moriuntur: si verò hos effugerint; sani euadunt. Hipp. *Secundo de morbis.*

Affectus comatosi in senibus vt plurimum lethales esse consueuerunt. Cum enim propter caloris natiui inopiam debilem habeant facultatem concoctricem & expultricem, fit, vt materiam morbificam superare, & expellere nequeant eam in primis, quæ in cerebro redundat. Siquidem cerebrum, cum sit pars corporis frigidissima, aduentante senio, caloris imminutionem, & tandem extinctionem, citiùs quàm reliquæ, pati consueuit.

In lethargo parotides superuenientes, vel pus ex auribus effluens, cum imminutione symptomatum, salutare. Significat enim dominium naturę supra causam morbificam, quàm vel expellit ad emunctoria nondum perfectè concoctam, vel in pus conuersam per ductus naturales euacuat.

Qui ex lethargo seruantur, empyici fiunt, ex Hipp. *in Coac. & 3. de morbis.* Hæc sententia, vt sonat, & vt pleriq; eā interpretantur, experientię non respondet. Vix enim verum empyema, ex lethargo genitum, vili videre contingit. Sed veritati est consentanea Mercurialis interpretatio, quæ empyicos, seu suppuratos hoc loco intelligit, quibus per aures, vel nares materia purulenta euacuetur. Docuit enim Gal. *com. Aph. 7. sect. 5. & Aphor. 44. sect. 7.* per empyema Hippocratem non solum quæ in thorace: sed quæ etiam in singulis partibus fit, suppurationem intelligere.

Soporoso affectui à causa frigida oriundo, phrenitidem succedere bonum: quandoquidem à calore intensiore phrenitidem efficiente, materia pituitosa affectum soporosum producens concoquitur.

Apoplectici in septem diebus, pereunt, nisi febris apprehenderit Hipp. *2. de morbis, & Aphor. 51. sect. 6.* Illa autē febris acuta esse debet, & essentialis, ab humorum & spiritum effervescentia oriunda, vt possit materiam, morbificam discutere. Si autem remissior fuerit, & symptomatica, qualis apparere consueuit in apoplexia quæ à dispositione inflammatoria cerebri, & nimia sanguis copia, in venis illius contenta, exoritur morbum non imminuit; quin potius phrenitica, quædam symptomata accersit, quæ facultates animales debilitant. Et in hac causa phrenitis, soporoso affectui superueniens non est bona: vt in superiori prognostico dicebatur. Præterea febris morbum solutura, alia conditione indiget, vt nimirum à principo morbi accidat, dum natura, adhuc in suo robore consistens, validos conatus exercere potest. Quæ enim progressio morbo superuenit, salutaris non est, vt docuit Hipp. in Coacis. *Apoplecticæ, inquit, affectiones, de repente exolutorio modo fientes, febre temporis progressu accidente, perniciosæ.*

Apoplecticis ἐπιφορὰς superueniens malas; illa enim sudatiuncula summam naturæ oppressionem significat.

Ad horum affectuum curationem, sicut & reliquorum omnium, tria instrumenta medica necessaria sunt diæta, chirurgia, & pharmacia.

Diæta in horum affectuum principio tenuissima est imperanda, quia morbi sunt acutissimi. Ideò solis iusculis ægri nutriendi sunt, per dilucida interualla vsurpatis. In declinatione vero, & in curatione prophylactica eadem diæta conuenit, quæ in frigida cerebri intemperie descripta est.

Reliqua duo instrumenta sequenti methodo sunt vsurpanda.

Quandoquidem huiusmodi affectus soporosi præcipites sunt, & periculo pleni, sedulam Medici diligentiam postulant, & in talibus casibus remedia festinanter administranda sunt.

Primò igitur Medicus ad affectum aliquem soporosum vocatus ægrum confestim à graui illo somno excitare conabitur, omnibus sensibus obiecta vehementia offerendo. Atque adeò oculi radijs solaribus, & luci splendidæ obijciendi.

Aures clamoribus, stre pitu, & sonitu concutiendę: & in primis æger proprio nomine magna voce sæpè appellandus est.

Naribus acria, vt ruta, castoreum, acetum obijcienda. In os, & palatum itidem acria injcienda.

Tactus frictionibus, vellicationibus, pilorum euulsionibus, ligaturis, digitorum complicationibus, & alus huiusmodi irritandus.

Clyster laxans præscribatur, primùm ex decocto communi vt citiùs paretur in hunc modum.

℞. Decocti communis clysteris ℔. i. hieræ picræ, & diaphœn. ana. ℥. i. ol. lilior. & ruta ana. ℥. i. ß. mellis anthosati ℥. ii. salis dr. i. Fiat clyster iniciendus statim.

Dum hæc fiunt, serió apud se meditari debet Medicus, an venæ sectio celebranda sit: quandoquidem in hisce affectibus, quod dixit Celsus de apoplexia, sanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Conuenit autem venę sectio, si sanguis causæ principalis vel adiuuantis, vel sine qua non rationem habeat, viresque ferant.

Vires autem non actionum animalium ablatione estimandæ sunt; sed quales ante morbi inuasionem fuerant. Si enim tùm satis fortes fuerunt; etiam nunc permittunt, nisi plan fortis sit apoplexia. Neque vires sunt debiles per resolutionem, sed per oppressionem.

Si vero nullo modo sanguis peccet, aut vires sint vere dejectæ, aut æger admodum senex, venæ sectio omittenda.

Statim verò, & sine omni mora, siue noctu, siue interdiu, affectu quis corripiatur, venæ sectio instituatur, & quidem ante clysterem, si quàm primùm injectus non fuerit. Fricetur tamen priùs corpus, & aperiatur vena in brachio.

Hoc etiam aduertendum est, vtilius, ac totius esse, non vna vice mittere, quantum opus est sanguinis, sed per vices, intra tamen paucarum horarum spatium. Nam per iteratam illā sanguinis missionem, & materia facilius mouetur, & vires non dejciuntur. Inspiciatur post primam venæ sectionem ægri facies, & pulsus exploretur. Et si color faciei viuidior reddatur, & respiratio facilior, ac pulsus benè habeat, optimè spirandum, & confidentius venæ sectio repetenda.

Vulnus in venæ sectione fiat ampliori foramine: alias enim sanguis, qui crassior est, statim subsistit.

Quo magis abundat sanguis, eò liberalius detrahi debeat. Si verò pituita magis luxuriet, particiori manu mittendus est: ne calor natiuus, ad hunc affectum discutiendum tantoperè necessarius, quadam tenus infringatur.

Copiosę & frequentis sanguinis detractionis in apoplexia exemplum singulare proponitur à Zacuto Lusitano, *lib. 1. historiæ Medicorum principum, hist. 33.* his verbis.

Nobi-

Nobilis quædam fœmina iuuencula in omnium rerum obliuionem deinde in veram apoplexiam cum menstrui effluui incidit. Cui cum plurima, tàm in superioribus, quam in inferioribus partibus essent celebrata auxilia, per ligaturas, acres clysteres, scarificatas cucurbitas dorso applicatas, neglecta indicatione, quæ à menstruo actu fluente desumitur, ob vrgens ex procrastinatione periculum, cum viribus esset valentibus, factis frictionibus crurum, & cucurbitulis fœmoribus appositis, octo horarum spatio, quater è cephalica copiosè sanguinem mitto, à quo præsidio loqui cæpit, & conualuit.

Quidam practici recentiores audent in apoplecticis iugulares venas aperire, sicque omnes propemodum liberari affirmant: in eaque apertione hac methodo progrediuntur. Primò collum leuiter constringunt linteo, apertione facta statim laxant. Sanguis sponte fluit sine ligatura, quæ posset sanguinem ad caput attrahere. Vulnus postea occludunt emplastro glutinante, sine ligatura, eoque facilè sanguinem cohiberi asserunt. Quod confirmat Zacutus Lusitanus, qui tamen ligaturam adhibet, *obseruat. 79. lib. 1. Praxis Medicæ admirandæ*; vbi refert historiam anginæ acutissimæ, in qua peritissimorum Medicorum consilio venæ iugulares apertæ fuerunt, vnde sequutus est irreparabilis, (vt ipse loquitur,) sanguinis fluxus, quo æger in omnimodam virium iacturam lapsus est. Vocatus Zacutus accurrit, emplastrum Galenicum superimposuit, quo ipse *lib. 5. meth. c. 4.* ad arteriarum, & iugularium hæmorrhagias feliciter vtitur, sicque collo commodè ligato æger iam exhaustus reficitur, & morbo liberatur. Emplastrum verò componitur ex thure, aloe & pilis leporinis albumine oui subactis, dupla thurris ad aloen quantitate, vt docet Gal. *loco citato*, aliquando verò æquali vtriusque quantitate, in durioribus scilicet corporibus. Superiorem operationem Gal. comprobat, cùm dicit, hoc emplastrum venarum iugularium profluuium citra vinculum sistere. Hoc etiam animaduerti velim, in apoplexia sanguinem ex vena aperta tanto impetu non profluere quem admodum in angina, quia in illa sanguis est refrigeratus, ac veluti congelatus, vt docuit Hipp. 2. *de morbis*, & ea ratione creditur venas, & arterias carotides obstruere; in hac verò feruidus est, ac tenuis, cum anginosi febre acutissima laborare soleant.

Purgatio instituatur paucis horis post venæ sectionem, neglecta temporum electione. Neque enim in purgando cunctabundus nimis, aut timidus esse debet Medicus: cùm morbus valdè vrgeat, & breui sua percurrat tempora. Et illa purgatio sorti medicamento debet fieri, quia humor contumax est, & obruta facultas, nec nisi vehementioribus irritatur.

Illud autem medicamentum vulgò fieri solet ex ʒ. j. electuarj diacarthami, dissoluta cum aqua betonicæ, addendo castore ϑ. ß. Vel

℞. Turbith. electi. ϑ. iv. agarici recenter trochisc. ʒ. ij. zinzib. ϑ. ij. fem. fœniculi ϑ. j. castor. gr. vi. Infundantur in sufficienti quantitate aquæ betonicæ. In colat. ʒ. ij. dissolue electuari diacarthami ʒ iij. syrupi ros. ʒ. j. fiat potio. Vel.

℞. Massæ pilul. coch. min. ʒ. j. castorei gr. iij. Malaxentur cum aqua betonicæ, formentur pilulæ septem, & si æger non possit glutire, dissoluantur in aqua saluiæ, lauendulæ, vel betonicæ. Vel

℞. Massæ pilul. coch. mai. & de agarico. ana ʒ ß. trochisc. alhandal, diagrydij, & castorei, ana gr. iij. Fiat massa cum melle anthosato, quæ dissoluatur in aqua saluiæ. Vel fiat talis potio.

℞. Fol. sennæ ʒ. ß. agar. albi. ʒ. j. ß. turbith. elect. ʒ. j. zinzib. & galangæ, ana dr. j. ß. Coquantur in aqua saluiæ & rorismar. Colat. ʒ. ij. ß. adde electuarij diacarthami dr. ij. castorei ϑ. ß. oxymelitis simpl. ʒ. ß. Fiat potio.

In lethargo purgatio ab initio mitior esse debet, propter febrem continuam coniunctam, ex agarico; cui aliquid rhab. addi potest, vel scammonij, aut pilulis de hiera cum agarico, cum bilis plerumque humorum ad caput vehiculum sit. In morbi tamen progressu, cum iam materia ad caput fluxit, & in eo hæret, purgantibus etiam prædictis vtendum est.

Trallianus scammonij ϑ. j. cum castorei ϑ. ij. in oxymelite exhibet, quo multos lethargicos deploratos se restituisse refert. Et Oribasius ex Rufo Ephensio refert, nullum aliud esse lethargo correptis æque vtile, atque efficax medicamentum ad purgandam pituitam, quam bilis admixta in caput detulit, ac scammonium, cum castoreo exhibitum.

Sæpè verò acidit, facultates tam esse oppressæ, vt medicamenta in actu minimè deducantur, atque adeò etiam nihil operentur: quod mali omnis est, & ita affecti vt plurimum pereunt. Attamen, vt inquit Celsus, quando huiusmodi tempestates ingruunt, remedia etiam cum aliqua temeritate rapienda sunt, & omninò periculum in hoc morbo aliquid tentare permittit. Nam vt Serenus habet, *Medici hæc potiora putant, quam dulci morte perire* Et, vt idem Celsus, *multa in præcipiti periculo rectè fiunt, quæ alias essent omittenda*. Ideò propositis remedijs non proficientibus, ad ea, quæ ex antimonio parantur, licet transcendere, præsertim minus vehementia: qualis est aqua benedicta, ex croco metallorum composita, quæ per superiora & inferiora potenter expurgans, tantam pituitæ copiam non solum è ventriculo, partibusque inferioribus: sed etiam è cerebro educit, vt hac euacuatione interdùm ægri liberentur. Et bona fide testari possum, me virum nobilem ex primoribus huius ciuitatis vidisse, ter intra biennium ab apoplexia hoc solo remedio liberatum. Quamuis autem nonnulli etiam viri doctissimi vomitorium vsum in hisce effectibus improbent; tamen experientiæ magis credendum est, quæ etiam nos docet quotidianis experimentis, pueros comate affectos, sale vitrioli vomitiuo promptiùs & tutiùs, quàm vllo alio remedio liberari.

Tinctura nicotianæ in aqua vitæ extracta, & ad ʒ. ij. cum melle excepta, & infusa; potenter educit.

Interim medicamento purgante exhibito, antequam operari incipiat & dum etiam operatur, reuellentia omnium generum in vsum reuocanda sunt: non solum frictiones, & ligaturæ anteà propositæ; sed etiam cucurbitulæ, dorso, scapulis, brachijs, & fœmoribus affixæ, sine scarificatione; si sanguinis missio sufficiens celebrata sit, cum scarificatione, saltem earum aliquæ; si phlebotomia fuerit omissa.

In apoplexia non admoueantur cucurbitulæ posteriori thoracis parti, aut hypochonchrijs, ne contractis thoracis & abdominis musculis, respiratio magis impediatur.

Summum & vnicum remedium habentur, præsertim in apoplexia, cucurbitulæ capiti impositæ. Quod remedij genus insignis ille Medicus Fracastorius, apoplexia correptus, nutibus suis indicasse fertur; sed non intellectus perijt.

Zacutus Lusitanus *hist. 31. lib. 1. de Medicorum principum historijs*, refert desperatam apoplexiam, cucurbitula bis occipiti admota cum profundis scarificationibus, à se curatam fuisse.

Vesicatorium posteriori parti ceruicis, & scapulis admoueatur.

Clysteres acres injiciantur, duo vel tres, eadem die.

℞. Fol. parietar. hyssopi, calamenthi, origani, saluiæ, rutæ, & centaurij minoris, ana M. j. fem. carthami ʒ. ß. fem. fœniculi, & cumini, ana ʒ iij. agarici albi in nodulo inclusi ʒ. ij. pulpæ coloncinth. in eodem nodulo inclusæ ʒ. j. ß. Coquantur ad ℔ j. In colat. dissol. hieræ picræ ʒ. ß. diaphœnici ʒ. j. olei rutacei ʒ. ij. Fiat clyster.

Chymici clysteribus admiscent aquæ benedictæ ʒ. ij. vel iij. & sic potenter purgant.

Aquæ autem huius dosis augeri potest ad ʒ. iv. & ʒ. vj. Imò verò, antequam è phiala educatur, aliquantulum agitari debet, vt nonnihil pulueris infundo residentis admisceatur, vnde vires efficaciores euadunt. Ideò vt plurimum clysteres ex aqua benedicta, seu vino Emetico, hac formula præscribere soleo, qui in multis affectibus, præsertim collicis doloribus, miranda præstant.

℞. Decocti emollientis ℔ j. diaphœnici ʒ. j. aquæ benedictæ turbidæ ʒ. iv. Fiat clyster.

Si clyster debito tempore non reddatur: glande aluus proritetur.

℞. Pulu. hieræ picræ Gal. ʒ. ij. pulpæ colocynthidos; agarici albi, ana ʒ. ß. diagrydij ϑ. j. salis gemmei. ʒ. ij. mellis ad debitam consistentiam cocti quantum satis, fiant suppositoria.

Sæpè tamen accidit, vt sphincter ani resoluatur, vnde anus planè pateat, ac clysteres sine fructu injiciantur, cùm retineri non possunt, qui casus plerumque desperatus est.

Natibus admoueatur castoreum cum aceto, quæ specifica

fica proprietate somnum excutere creduntur.

Efficax etiam remedium est, si acetum acerrimum supra laminam candentem effundatur, & vapor ab ægro naribus excipiatur. Adhuc efficacius erit, si aceto addatur semen nigellæ, rutæ, & castoreum. Ipsum etiam acetum modicè calefactum, & naribus adhibitum excitat potenter, si acerrimum sit, & adhuc potentiùs, si ei piper, & castoreum admisceantur. Excitat etiam à somno suffitus sulphuris.

Pili capræ vsti, & cornu cerui, & capræ vstum, & naribus admotum, potentissima sunt ad excitandum altissimè dormientem.

Succini albi fumus ad apoplecticos excitandos præstantissimus est: item si illius oleo tempora, & nares sæpè illinantur.

Fiant etiam frictiones in plantis pedum cum sale, & aceto, manibus inunctis oleo rutaceo, & de castoreo, lingua & palatum inungatur theriaca veteri, in aqua cælesti, aut apoplectica dissoluta. Sed aduertendum est, ne theriaca recens adhuc sit. Nam ratione opij somnum inducit. Ad eundem usum reuocari poterit aurea Alexandrina, & confectio anacardina. Sinapi etiam potest coqui in vino forti, & eo palatum inungi. Pyrethri radices in oxymelite coctæ idem præstant. Omnibus verò hisce castoreum vtiliter admisceatur.

Vniuersali euacuatione peracta, & purgato corpore, caput euacuandum est tàm sensibiliter, quam insensibiliter.

Sensibiliter per nares & palatum, errhinis, & sternutatorijs, in curatione frigidæ intemperiei cerebri pro positis, & inunctionibus alati supra descriptis. Hisce omnibus addentur ruta castoreum, acetum.

At de sternutatorijs hoc aduertendum, si affectus perseueret & æger difficulter excitetur, eorum vsum commodissimum esse. Non tamen diutius ijs insistendum, ne caput repleant, humores commoueant ac fundant. Sed initio morbi ab intempestiuo sternutatorium vsu abstinendum, cum magis ab ijs tum materia fundatur & partibus impingatur; vnde morbus fit contumax, vel interdum leuior affectus in apoplexiam degenerat.

Tandem insensibiliter resoluentia applicanda, quæ in sequentem modum componi poterunt.

℞. Baccarum lauri, & iuniperi, ana ℥ j. ß radic. angelicæ, zedoariæ, imperatoriæ, ana ℥ j. fol. beton. saluiæ, rorismar. ana M. j. rutæ satureiæ, maioranæ, flor. lauendulæ, ana M. ß. Coquantur in aceti sufficienti quantitate. Hoc decocto spongia, aut linteum, aut stupa imbuta capiti calidè applicentur. Mirum quantum auxilij soporosis affectibus hoc remedium afferat. Brachia quoque, & manus eo abstergantur, eoque crura, & pedes fricentur.

℞. Castorei ℥ ß. capill. hominis vstorum dr. iij. succi rutæ, aceti, & olei communis, ana ℥ ij. Coquantur ad vnguenti consistentiam, quo illinatur caput calida post fotum. Vel.

℞. Olei costini castorei, & de euphorbio, ana ℥ j. pulu. sinapi euphorbij ana dr. j. aceti cochleat. j. ceræ quantum satis. Misce, fiat vnguentum.

Si prædictis remedijs non cesserit affectus, vesicatorium magnum vertici, & sinciputi erit applicandum.

Efficacius multò euadet vesicatorium; si euphorbium ei addatur, quod è profundioribus capitis partibus humores attrahit ad superficiem.

Nonnulli etiam, cùm morbis vis maxima est, audent cauterium actuale occipiti inter primam, & secundam vertebram applicare.

Zacutus Lusitanus plura eodem tempore applicuit cum felicis successu vt testatur *lib. 1. praxis admirandæ, obseruat. 14.* his verbis *Vocatus vt inuiserem ægrum, qui post dies triginta inexpugnabili dormiendi necessitate correptus cum febricula lenta, ægre palpebras attollere poterat, profundo somno immersus. Hic varia reuellentia & vacuantia erat expertus, quibus cum non leuaretur ad cauterium accessi, cū vtilitate summa. Quare candenti ferramento crustas in vertice capitis excitaui, in occipitis vnam, & circumcirca multas ex quibus cum excitaretur æger, & ichores effluerent expergefactus ad mentem redijt. Hoc auxilio, præter omnium, spem omnibus tentatis, memini me bis caroticos persanasse. Hi enim ignis ope, liquata pituita, & per multos dies per os & nares excreta, conualuere.*

Alij, ex antiquorum præscripto, sartaginem candentem capiti admouent, ea distantia, vt pilos, non cutim capitis possit comburere.

Commodè quoque in huiusmodi affectibus, aliquid aquæ cœlestis, vel apoplecticæ ægro infunditur. Aquæ enim hę ob summam penetrandi vim, præstantissimum sępè afferunt auxilium, & (multos ab imminente apoplexia, vel etiam iam præsente liberarunt,) modo sanguis non valdè abundet, qui aquarum istarum vsu posset fundi.

Aquarum autem apoplecticarum multæ descriptiones habentur apud Langium, Vvecherum. Quercetanum, Crollium, & alios. Una tantum exempli gratia, ex selectioribus simplicibus, à nobis compositam hic afferre subet.

℞. Radic. pœoniæ, visci quercini an ℥ ii. calami aromat. galangæ, cyperi, ana ℥ i. fol. beton. saluię, maioranę, ana M. j. sem. pœoniæ anisi, tæniculi carui, ana ʒ. iii. flor. lauendulæ, stechados, & rorismar. ana P. i. nuci moschat. macis caryophyll. cububar. granor. paradisi, cardamomi, ana ℥ ß. cinamomi ℥ ii. croci ʒ. i. ß. specierum diambræ, & diamoschi, ana ʒ. ii. Contundantur & incidantur, vt artis est, & reponantur in alembico vitreo, desuper affundendo spiritus vini optimè rectificati q. s. vt tribus digitis materiæ superemineat. Digerantur in B. M. per octo dierum spatium, postea distillentur, & aqua seruetur in vase vitreo bene clauso.

Si tandem morbus ad declinationem translatus esse videatur, somnusque ille profundus iam discussus fuerit, omissis prædictis remedijs, soli roborationi cerebri incumbendum est. Quod satis commodè fiet vsu quotidiano opiatæ cephalicæ, pro frigida intemperie cerebri descriptæ. Vel si potentius agendum est, aqua apoplectica vsurpari poterit.

In primis verò castorei vsus continuetur, si malum protrahatur, & manè per aliquot dies eius grana iii. vel iv. cum oxymelite simplici, vel scil. exhibeantur. Testatur Trallianus, multos isto morbo victos, hoc solo remedio mortem euasisse.

Exteriùs etiam vtiliter admouentur balsama apoplectica, quorum variæ extant formulæ apud Chymiatros. Nos vnicam, e. g. hic tantùm subiiciemus.

℞. Olei nucis moschat. per expressionē parati ʒ. ß. ambræ, griseæ moschi optimi, & zibetæ an ℈. j. ol. destillati lauendulæ, succini, cinamomi, rorismar. caryophyll. ana ℈. ß. Misce, fiat balsamum, quod naribus, & auribus instilletur, palatoque illinatur singulis diebus manè. Ad hanc rem etiam valdè commendatur oleum nucis moschatæ destillatum, eodem modo vsurpatum.

Denique in horum affectuum generali curatione diligenter aduertendum est: in ijs, qui fiunt à sanguine, minus calefacientia medicamenta esse adhibenda, at phlebotomiam largiori manu celebrandam, postea venam fontis aperiendam: tum etiam purgantibus phlegmagogis chalogoga esse admiscenda.

Qui hisce affectibus semel affecti, ab ijsque liberati sunt, in eos vt plurimum solent recidere. Quod vt præcaueatur, frigidior cerebri intemperies corrigenda est, eademque illius cura instituenda; quæ supra fuit proposita: Eademque via, & methodo imminens apoplexia, vel carus, vel lethargus, vel coma præcauebitur. Et si cerebrum valdè refrigeratum est, post vniuersales vacuationes, aqua apoplectica in vsu frequenti esse poterit. Vel etiam vti poterit æger tabellis, in sequentem modum compositis.

℞. Ambræ griseæ ℈. ß. olei destillat. anisi cinamomi, nucis moschat. ana guttulas iij. olei caryophyll. gutt. i. sacchari in aqua flor. arantiorum dissoluti ʒ. iv. Fiant tabellæ, capiat ʒ. i. vel duas manè.

Pilulæ caput roborantes etiam vsurpari poterunt, in hunc modum compositæ.

℞. Cubeb. masticches, nucis moschat. caryophyl. ana ʒ. i. ambræ griseæ ʒ. ß. moschi gran. vi. Cum succo maioranæ formentur pilulæ, capiat ℈. i. hora somni, bis in septimana.

Commendatur etiam, & apud multos in vsu est hic pulvis.

℞. Succini albi ʒ. ß. pulu. electar. diarrhod. abbatis ʒ ii. radic. pœoniæ ʒ. i. ß. Fiat pulvis, de quo capiat ʒ. i. in aqua conueniente ante nouilunium.

Vule quoque est nucem moschatam sæpè ore detinere, & masticare.

Tum etiam odoramenta sæpè naribus admouenda, sunt, in primis balsama apoplectica.

Aroma-

Aromata in cibis vsurpentur, post pastus pulvis digestiuus, in curatione frigidæ intemperiei cerebri descriptus.

Si à sanguinis copia affectus soporosus metuitur, illius in primis quantitas imminuenda est, dandaque sedulò opera, vt hæmorrhoides profluant, quo nihil vtilius esse potest.

His etiam purgationes instituendæ sunt ex senna, & rhabarbaro: eaque remedia eligenda, quæ minùs calefaciunt.

Si denique ab humore melancholico metuatur apoplexia; luxus hæmorrhoidum etiam vtilissimus est. Purgatio iterata humoris melancholici, & medicamenta proposita ad roborandum cerebrum, præcipuè verò pulvis ex succino, diarrhodone, & pœonia supra descriptus, etiam conducunt.

CAPVT III.

De Comate Vigili.

Licet coma ἄγρυπνον seu vigil ad soporosos affectus referri soleat; tamen quia longè diuersam à cæteris conditionem obtinet, seorsim in hoc capite explicandum est.

Est autem coma vigil affectus, in quo ægri clausis oculis decumbunt, vt dormire videantur, cum tamen vigilent, & deliret: ac si eos tetigeris, statim oculos aperiunt, & torvè aspiciant, & iterum delabuntur in somnum, quia varijs imaginibus, & deliramentis impediuntur, ita vt vigilare cogantur. Hunc affectum Galen. medium constituit inter phrenitidem, & lethargum, & typhomaniam appellat.

Causa huius affectus vulgatissima est bilis, pituitæ permista, à quibus humoribus cerebrum vel tantum irrigatur, vel tumorem, atque inflammationem concipit, vnde erysipelas œdematosum, vel œdema erysipelatosum exoritur. Cùm autem ea humorum miscella varijs modis, & proportionibus fieri valeat; varij in diuersis ægrotantibus isti etiam affectus apparent. Si enim bilis in mixtione prævaleat, delirium maius est, & ægri licet clausos habeant oculos, minùs dormiunt. Si verò pituita prædominetur, ægri magis dormiunt, minùs delirant, & expergefacti minùs vociferantur, ac desipiunt.

Fit etiam coma vigil per sympathiam à vaporibus biliosis, & pituitosis simul mixtis, in cerebrum translatis; quod non rarò solet contingere in febribus, ex humorum miscella oriundis, præcipue hemitritæis, ex tertiana, & quotidiana compositis. Non est, tamen inconueniens asserere, vapores simpliciter calidos, & humidos in febribus satis intensis hunc affectum producere, quia ab humiditate sit somnus, à calore autem vigilia.

Diagnosis huius affectus ex ijs, quæ antea dicta sunt satis eluceseit. In eo enim laborantes clausis oculis permanent, & somnum capere videntur: attamen dormire nequeunt, & se varijs modis exagitant, sese subitò erigunt, è lecto surgere nituntur, & iterum in somnum relabuntur. Causarum varietas ex prædictis etiam facilè dignoscitur.

Periculosus affectus maximè censendus est. Siue enim tumore, & inflammatione cerebrum afficiatur graue malum esse, consueuit: siue alio quouis morbo à prædictis humoribus obsideatur, siue à vaporibus ex febrium malignarum materia oriundis afficiatur.

Deliria vehementiora in comate vigili conuulsionem efficiunt. Fiunt enim ab humore, vel vapore accerrimo, qui partes neruosas feriendo, conuulsionem facilè concitare potest.

Curatio comatis vigilis idiopathici ijsdem instrumentis perficitur, quibus phrenitis, & lethargus curari consueuit. Quod si magis ad phrenitidem deflectat; illius remedia magis adhibentur. Si verò magis ad lethargum inclinet, eiusdem remedia magis vsurpantur. Sympathici verò comatis curatio à febris malignæ curatione dependet, à qua sumit originem. Peculiariter tamen remedia vapores illos à cerebro reuellentia & repellentia, vsurpanda sunt in principio: vt phlebotomia ex brachio, & malleolo, & oxyrrhodina frontì, & sinciputi admota; quibus accedent clysteres frequenter iniecti, cucurbitulæ tum ficæ, tum humidæ, scapulis, dorso, naribus, & cruribus affixæ, vesicatoria cruici, brachijs, & femoribus admota: & si quid cerebro infixum videatur, derivatio per apertionem venæ frontis, aut hirudines pone aures, & temporibus affixas, molienda erit, simulque resolutio procuranda animalibus tenellis calentibus, eorumve sanguine, capiti admotis.

CAPVT IV.

De Catoche, seu catalepsi.

QVædam apud authores confusio reperitur circa catochi nomen, quod alij pro comate vigili; alij pro catalepsi vsurpant. Illius autem occasionem dedit Paulus, qui *lib. 3. cap. 8.* de duplici catoche agit, & primùm sub illius nomine de comate vigili tractat: in fine verò sub eodem nomine catalepsin explicat. Vsus tamen inualuit, vt catochus, & catalepsis pro vno, & eodem morbo apud omnes propemodum authores habeantur. Latini vulgò congelationem appellant.

Rarissimus est affectus, & admiratione dignissimus, & quicunque ex authoribus aliquem eius casum viderunt, obseruatione dignissimum censuerunt, eiusque historiam descripserunt. Primus omnium Gal. *comment. in 1. prorrhet. sect. 2. partic. 56.* cuiusdam condiscipuli sui historiam proponit, qui cùm assiduò studiosè fatigaret, catalepsi correptus est. *Iacebat*, inquit, *veluti lignum, prorsus inflexus, rigidusque, atque extensus. Videbatur que oculis apertis ita nos intueri, vt ne conniueret quidem, nihil tamen loquebatur. Is quoque eodem tempore quo loqueremur, audire se dixit quamquam non euidenter, clareque. Nonnulla autem & memoria tenens referebat præsentesque omnes se conspicere dixit; ita vt quorundam actiones recordatus exponeret; sed neque post loqui poterat, neque membrum vllum mouere.* Fernelius verò *libr. 3. de morborum partibus cap. 2.* duas refert historias quæ sic habent. *Vnus, dum litteris, & chartis sedulò inuigilaret, repente hoc vitio percussus, ita quidem obriguit, vt sedens, calamumque digitis premens, oculis in libro defixis, putaretur in eadem studia incumbere, donec vocatus, ac impulsus deprehensus est, omni sensu, atque motu carere. Aderum motui vitui iacenti [illegible] qui neque cernebat, neque audiebat, neque comprehendebat quicquam. Facilis tamen inerat respiratio, quicquid in os ingerebatur prompte vorabat, è lecto nisi latus solus insistebat, impulsusque incidebat. & quocumque vel manus, vel brachium, vel crus inflecteretur, illic quasi fixum vel stabile permanebat. Expressam quamdam dixisses statuam.*

Similes historias videre est apud SchenKium, Marcellum Donatum, Rondoletium, Iacotium, Tulpium, & alios. Ex quibus colligitur, in hoc affectu sensuum internorum, & externorum abolitionem cum membrorum rigiditate vt plurimum reperiri; interdum tamen sensus non esse prorsus abolitos, ita vt ægri collequentes audiant, interdum etiam membra non esse rigida, sed ab adstantibus flecti posse, & in varios situs moueri.

Causæ huius affectus variæ assignari possunt. Gal. *comment. Aphor. 3. sect. 2.* frigidæ, & siccæ cerebri intemperiei catalepsi generationem tribuit, quæ quidem intemperies partem cerebri posteriorem præcipuè occupat constipat, & condensat; vnde nerui ab ea oriundi etiam condensantur, & tensi, ac rigidi euadunt. Talis etiam intemperies totum neruosum genus occupare potest, ab externa, vel interna causa producta. Hanc tamen causam nonnulli in dubium reuocant; existimantes, talem frigiditatem in viuente corpore reperiri non posse, quæ talem neruis congelationem inferat. Verùm hoc tacite redarguit Galen. *lib. de diff. morb. cap. 5.* ratione ab experientia desumpta, his verbis. *Nam qui, quos in itinere vsque ad mortem frigus oppressit, talibus rigoribus corripiuntur, quales Græci emprosthotonos opisthonos, tetanosque appellant: nonnulli verò his passionibus, quas congelationes nominant, affliguntur.* Docet igitur Galen. à frigore extremo catalepsin generari posse. Et ratio facilè persuadet in iis, qui in itinere ex intenso frigore rigescunt, & intereunt, rigiditatem mortem præcedere, atque adeò minorem frigiditatem eam posse inducere, quam sit illa, quæ mortem inducit. Sicque congelatio neruorum, seu catalepsis à frigida intemperie produci poterit quæ citiùs talem affectum pariet, si siccitatem comitem habuerit.

Frequentius tamen generatur hic affectus ab intem-

perie frigida, & ſicca cum materia coniuncta. Illa autem materia eſt humor, aut vapor melancholicus, à quibus conſtipatio partis cerebri poſterioris, & neruorum tenſio, atque frigiditas inducitur, non ſolùm qualitate ſua frigida & ſicca; ſed etiam quantitate, quæ replendo diſtentionem facit.

Aetius *lib. 6. cap. 4.* è ſanguine etiam fieri poſſe catalepſin aſſeruit, cui ſubſcribit Rondoletius, dicens, illud contingere, quando venæ, & arteriæ cerebri opplentur, vnde rigeſcit corpus, & diſtentum in modum corporum à frigore congelatorum conſpicitur. Hanc ſententiam confirmat hiſtoria nobilis mulieris febre ſynocho laborantis, quæ 9. die catalepſi correpta eſt, ſed largo tandem fluente è naribus ſanguine, liberata.

Sennertus nouam excogitauit cauſam, quam dicit eſſe ſpiritum quemdam congelantem, à quo ſpiritus animales figuntur: & immobiles redduntur, illam autem vim congelatiuam, & fixatiuam ab intemperie frigida, & ſicca dependere negat; ſed à qualitate quadam occulta exoriri aſſerit, cuiuſmodi ſpiritus congelantes in Macrocoſmo reperiuntur; vt in fulmine, à quo interdum homines rigidi, & veluti congelati redduntur quemadmodum refert Card. octo meſſores ſub quercu cœnantes fulmine percuſſos fuiſſe, & eandem figuram corporis ſeruaſſe, vt vnus comedere videretur, & alter manuum poculo admouere, alius bibere, licet omnes eſſent exanimati. Vulgò etiam aſſeritur, vinum in dolio à fulminis ſpiritu interdum congelari: in terræ motibus aliquando ſpiritus quoſdam è terra erumpere, à quibus homines, & reliqua animalia repentè conſiſtunt, & rigida manent. Addit Sennertus, vim congelandi in nitro, & pluribus mineralibus inſignem reperiri. Exempla eorum non affert. Nos vnum pro omnibus ex plumbo deſumptum, cuius vapor mercurium ita figit, & congelat, vt malleabilis euadat. Hoc Sennerti inuentum non eſſet prorſus reijciendum; niſi ille, hanc vnicam catalepſeos cauſam ſtatuens reliquas omnes expungeret. Quæ enim à Galen. alijſque præſtantiſſimis Medicis ſtabilita ſunt, temerè non ſunt reijcienda. Neque vlla neceſſitas cogit ad cauſas occultas confugiendi, quando manifeſtæ habentur, talem effectum producendi capaces, vt in earum enumeratione ſatis demonſtratum eſt. Et cum Sennertus huiuſmodi ſpiritum congelantem ab humore melancholico excitari dicit, illius ſententia à communi parum diſtat, quæ humori, aut vapori frigido, & ſicco, atque adò melancholico; catalepſis generationem tribuit.

Diagnoſis huius affectus ſatis manifeſta eſt ex hiſtorijs ſuprà ex Gal. & Fernel. propoſitis. Malum enim ſubitò hominem inuadit, eumque in ſtatu detinet, in quo primo eum offendit; ſicque immotum ſeruat, ac ſi congelatus eſſet. Diuerſitas verò ſymptomatum, in differentijs propoſita, ſenſibus ipſis diſcernitur.

Prognoſis huius affectus eadem propemodum inſtituenda eſt; qualis in ſoporoſis affectibus fuit propoſita. Nempè affectum eſſe periculoſum & pro maiori, aut minori intenſione ſymptomatum, maius, aut minus portendere periculum.

Curatio autem duplex inſtituenda eſt: vna in paroxyſmo altera extra paroxyſmum. In paroxyſmo ad ægrum excitandum conueniunt ea remedia quæ in ſoporoſis affectibus deſcripta ſunt. Extra paroxyſmum curatio melancholiæ hic omnino conueniet, ſi catochus ab humore, aut vapore melancholico generetur: quæ quidem cauſa frequentiſſima eſt. Si autem frigida intemperies ſola, à cauſa externa, vel interna producta, huic malo originem dederit; quæ illam emendant remedia è capite primo huius libri erunt depromenda. Ac denique ſi copia ſanguinis hunc affectum generet vel foueat; illius imminutio per venæ ſectionem erit conſentanea.

Victus ratio calefaciens, & humectans præſcribenda erit, ſicut in affectibus ab humore melancholico oriundis.

CAPUT V.

De Paralyſi.

PAralyſis eſt priuatio motus, & ſenſus in quibuſdam partibus ob impeditum influxum ſpirituum animalium.

Variæ ſunt illius differentiæ. Vel enim omnes, quæ ſub eapite ſunt, partes occupat, & καθολικὴ λυσις dicitur, vel dimidiam tantùm corporis partem, & ἡμιπληγία nominatur, vel vnicam tantùm particulam obſidet, & paralyſis particularis appellari ſolet. Quamuis nonnulli authores paralyſin, hemiplegiam, paraplegiam, pareſin, & reſolutionem, pro vna & eadem motus, & ſenſus priuatione, quæ dimidiam corporis partem occupat, indiſcriminatim vſurpent.

Duplex iterum paralyſis conſtituitur. Una perfecta, in qua ſenſus, & motus omninò abolentur. Altera imperfecta, in qua functiones iſtæ tantùm imminuuntur. Et ſi leuis ſit earum imminutio, nondum paralyſis; ſed torporis, vel ſtuporis nomen obtinet, quia via eſt ad veram paralyſin, & prodromus illius.

Alia eſt ſpecies imperfectæ paralyſis, quando motus læditur illæſo ſenſu; vel vice verſa.

Cauſæ paralyſis in genere ſunt omnes, quia ſpirituum animalium influxum in neruos, & muſculos impedire poſſunt.

Omnium frequentiſſima eſt humor pituitoſus, qui neruos obſtruendo, comprimendo, denſando, vel refrigerando, dictum ſpirituum animalium influxum prohibere ſolet.

Humor ille pituitoſus influit à cerebro in neruos, & medullam ſpinalem. Sic apoplexia leuis degenerat in paralyſin, quia humor, illam efficiens, è cerebro excutitur in medullam & principium neruorum, ſicque vel in eorum ſubſtantiam ſe inſinuat, meatuſque inſenſiles, per quos ſpiritus influunt, occludit; vel per cauitatem vertebrarum dorſi deſcendens, & ſpinalis medullæ ac neruorum ductus ſequens, eo comprimit, & anguſtat, ſicque ſpirituum animalium commeatum etiam impedit. Poteſt etiam idem humor frigiditate ſua nerui ſubſtantiam denſare, vt deinceps ſpiritibus animalibus peruia non ſit. Ac denique ſimplici intemperie frigidiori, humidioriue ſpirituum influxum impedire poteſt, quandoquidem, dum natiuum nerui temperamentum, & calor illius inſitus, à nimia refrigeratione deſtruuntur, ſpiritus animalis officio ſuo fungi non poteſt. Calor enim illius influens cum partis calore inſito coniugi debet, ad propriam illius actionem obeundam.

De alijs humoribus controuertitur, num paralyſis cauſæ eſſe poſſint? Attamen licet infrequentiores ſint, non ſunt omninò abdicandæ.

Trallianus *lib. 1. cap. 6* refert, quemdam in paralyſin ex mœrore incidiſſe: deinde ſumpta hiera adeò laſum: vt totus immobilis fieret, & propemodum interiret, niſi in contrarium mutatus fuiſſet, & humectantibus omnibus, tum potibus, tum cibis, & alijs, quæ temperatum ipſum redderent, vſus fuiſſet: maxime verò balneis compluribus, & vnctionibus ex hydrelæo.

Paulus *lib. 3. cap. 28. & 43.* paralyſin proponit ex colica biliosa, cui refrigerantia maximè conferunt. Et noſtro ſæculo notiſſima eſt colica Pictonum, quæ in paralyſin vt plurimum degenerat, eamque ab humore bilioſo produci, apud omnes in confeſſo eſt, de qua fuſiùs agetur in colici doloris theoria.

Eiuſdem rei exemplum proponitur à Foreſto *obſerv. lib. 10.* cuiuſdam adoleſcentis; cum earumdem partium extenuatione, & atrophia. Qui cum calefacientium, & exſiccantium medicamentorum vſu ab alijs Medicis præſcriptorum, in peius continuo rueret; tandem ſolis humectantibus aſſumptis, & admotis, ab eo reſtitutus eſt.

Ratio idipſum conuincit. Bilis enim, & melancholia, & quiuis alius humor, in neruos influens, meatus eorum inſenſiles occludere poteſt, ſi eorum interioram petat; vel eoſdem comprimere, ſi intrinſecus ambiat.

Neque rationes Rondelitij, contrarium ſentientis, vllo modo conuincunt: dum ait, bilem, & melancholiam ſiccare potius, quàm emollire neruos bilem ad conuulſionem magis, mordendo, & vellicando; quàm ad paralyſin faciendam eſſe idoneam, ſiquidem emollitio neruorum, vt in paralyſi à pituita concedi poteſt, in omni tamen paralyſi neceſſaria non eſt; licet vulgò paralyſis neruorum reſolutio, nominetur, cum illius eſſentia à ſola priuatione influxus ſpirituum animalium dependeat, quæ dum à compreſſione neruorum, alijſque cauſis producitur, eorumdem emollitio ad illius generationem minimè concurrit. Huius autem relaxationis, & emollitionis neruorum opinio inde exorta eſt, quod partes paralyticæ, tenſino deſtitutæ, emolitæ videantur. Motus enim membrorum fit per ten-

tensionem musculorum, & contractionem versus suam originem qua tensione cessante, resoluta dicuntur, licet nulla humectatio, aut emollitio extraordinaria illis acciderit. Deinde tum bilis variæ sint species, varijque gradus: non est necesse, vt omnis talem habeat acrimoniam, quæ conuulsionem efficere valeat. Adde quod varia sit humorum permixtio, & pituita, aut serosus humor bili, paralysin producenti misceri possit, quæ illius acrimoniam contemperet. Talis permixtio in febribus tertianis nothis præcipuè contingit, quales esse credibile est eas; quas dicit Fernelius in paralysin migrare.

Denique res manifesta euadit ex paralysi scorbutica, quæ conuulsionem sepè habet comitem, vt docet Eugalenus multis in locis, & Sennertus *lib. de scorbuto cap.* 5. Et licet verus scorbutus Gallis penè ignotus sit, non rarò tamen scorbuticas quasdam affectiones nobis videre contigit, in quibus nonnulla huius morbi symptomata elucebant. Vnde duo exempla paralysis scorbuticæ, cui conuulsiones frequenter superueniebant, recensuimus in obseruationibus nostris nempè obseruatione 74. cent. 1. & obseruatione 98. cent. 2.

Aliæ causæ paralyseos, minus frequentes, variæ esse possunt. Ac primum, frigida & humida intemperies nuda, & sine materia, tum spiritus congelando eorum influxum impedire potest: tum nerui temperiem destruendo, eum reddere potest ineptum ad spiritum animalem recipiendum. Eaque excitari potest ab aere ambiente frigidiore, & cuiusuis rei frigidæ contactu, quemadmodum docet Galen. 4 *de locis aff. cap.* 4. quendam tempore frigido, ac pluuioso, cum madidum pallium collo diutius obuoluisset, in manus paralysin incidisse, neruis nimirum, qui à spinali medulla ad manum feruntur, refrigeratis, & humectatis.

A vi etiam narcotica, medicamentis, venenis, & ipsis interdum humoribus insita paralysin generari posse, Neoterici nonnulli censuerunt: & ab hac causa produci paralysin existimant, quæ ex contactu torpedinis exoritur, quamuis ab hoc animali stupor quidam potius, quam vera paralysis excitari soleat. Eiusdem generis est, quæ à contactu hydrargyri contingit auri fabris, & ijs artificibus, qui specula parare solent, quod Venetijs frequenter conspicitur. Vinum etiam virtute narcotica censetur à Platero stuporem, & paralysin inducere, licet alij aliter sentiant. Fernelius tamen huic sententiæ fauere videtur, asserens loco supra citato, se vidisse aliquando vniuersam corporis cutem, ex crapula, & vinolentia stupore affectam. Et Petrus Salius Diuersus *in notis in Altimarum cap.* 14. refert historiam cuiusdam tonsoris, qui cum vino & gulæ nimium indulsisset, nocte media expergefactus incidit subitò in paralysin omnium corporis partim infra faciem existentium: in qua adeo motus, & sensus erant deperditi, vt nec acu profundè perforatus, nec gladiolo scarificatus quicquam sentiret. Hic tamen solitus in totum ebrietate, & crapula, intra tertium diem omnino sanatus est, factis tantummodo nonnullis reuulsionibus ac inunctionibus quibusdam resoluentibus ad spinam. Attamen hic author non virtuti narcoticæ; sed vaporibus crassis, ex crapula oriundis, & neruos obstruentibus paralysis huius generationem adscribit. Quam causam supra propositis addere, non est ratione alienum. In humoribus etiam corruptis, & malignam qualitatem adeptis vim narcoticam residere, in soporosorum affectuum expositione ostensum est: qui humores, si ad neruos deferantur actionem eorum labefactare possunt. Et cum humores, scorbutum producentes, malignam qualitatem adepti sint, vis illius narcoticæ possunt esse participes, quæ etiam ad paralysin scorbuticam efficiendam concurrere potest: quamuis sola obstructio, vel compressio ad eum affectum producendum sufficiat, vt antea monuimus.

Tumores etiam, iuxta spinam, aut neruos concreti, eos comprimendo, paralysin sine dubio efficere possunt.

Sic etiam præcisio neruorum, & quæcunque continuitatis solutio eundem affectum parit.

Luxatio vertebræ, aliorumque articulorum spinam, & neruos comprimendo, idem præstat.

Ac denique condensatio neruorum spirituum influxum impedire potest; eaque fit, vel exsiccatione nimia; vel ab humore crassiori terrestriori, eorum substantiæ imbibito. Sic in elephanticis perit sensus multarum partium propter earum densitatem nimiam, quæ inducitur ab alimento crasso, & terrestri, quo illæ nutriuntur.

Causæ differentiarum ita se habent. In perfecta paralysin quæ integram motus, & sensus priuationem supponit, materiæ morbificæ copia maior est, quæ integram nerui obstructionem, vel adstrictionem producit: in imperfecta verò minor, quæ spirituum animalium influxum penitus non impedit, sed aliquam eorum portiunculam commeare sinit.

Motus læditur interdum illæso sensu: quia ad motum efficiendum maior virtus requiritur, quàm ad sensum. Sentire, quippe est quoddam pati, motus verò in actione omninò consistit. Sensus autem læditur, illæso motu, quia in aliquibus partibus nerui, aut eorum ramuli, sensui inseruientes motui non inseruiunt, quemadmodum illi qui ad cutem feruntur. Si igitur illi nerui tantum afficiantur; solus sensus læditur. Quod tantum contingit in paralysi particulari, quæ vnicam particulam occupat. Si enim afficiantur nerui insigniores, qui ad musculos feruntur: non potest lædi sensus, illæso motu.

Diagnosis huius affectus ad tria dirigenda est, affectus speciem, partem affectam & causam, affectum producentem. Affectus species per se notissima est, cum motus impotentia, & sensus priuatio, aut imminutio, oculis ipsis pateant.

Partis affectæ dignotio difficilior est: ea tamen vniuersa ex anatome desumitur, in qua neruorum origines, & insertiones docentur.

Si enim pars faciei dextra, vel sinistra resoluatur, reliquis partibus illæsis; cerebrum tantum afficitur secundum eam partem, à qua nerui ad partes eas deferuntur. Si verò partes capiti subiectæ vna cum facie lædantur; spina dorsi, & cerebrum afficiuntur. Et si partes subiectæ lædantur facie illæsa, in sola spina vitium consistit. Et quidem in principio illius; si omnes simul lædantur. Si verò dimidia pars corporis paralytica sit; dimidia tantum spinæ portio obsideretur. Cruribus resolutis; affectio est circa finem spinalis medullæ iuxta vertebras ossis sacri. Sic in cæteris inquirendus est locus, quo nerui exoriuntur, qui ad partem paralyticam deferuntur.

Aliquando etiam causæ externæ inquisitio ad loci affecti dignotionem plurimum confert, cuius rei exempla duo a ud Galenum inueniuntur quorum vnum supra propositum est *ex 4. de loc affect. cap.* 4. cuiusdam hominis, qui cum tempore frigido, ac pluuioso madidum pallium collo diutius obuoluisset. in manus paralysim incidit. Alterum habetur *1. de loc. aff. cap.* 5. de Pausania Syro, qui in tribus digitis sensum amiserat. Quem cum Galenus è vehiculo in dorsum prolapsum cognosceret, coniecturam fecit in primo exortu nerui post septimam vertebram prodeuntis, partem quamdam ab ictu fuisse læsam. Ideoque medicamentum, digitis frustra admotum, huic parti apposuit, & curatio subsequuta est.

Causarum diagnosis ex causis procatarcticis morbis prægressis, & temperamento ægrotantis eruitur. Atque adeò causæ externæ refrigerantes & humectantes prægressæ, ætas senilis, aut temperamentum pituitosum, tempus hyemale, victus frigidus, & humidus, apoplexia præcedens à frigida intemperie, & humore pituitoso morbum exoriri significant.

Paralysin verò à bilioso humore, aut melancholico exoriri, testantur febres prægressæ, & interdum præsentes; temperamentum bilosum, aut melancholicum, tempus æstiuum, vel autumnale, vsus aromatum, salsorum, aliorumque ciborum calidiorum; animi pathemata grauia & diuturna; humorum biliosorum aut melancholicorum, vel seri acidi, aut acris excretio. Fluxiones acres in varias partes decumbentes, & dolores in ijs concitantes; ac denique commotus, & sensus imminutione adsunt dolor, & conuulsio; & laborantes à calefacientibus, & exsiccantibus remedijs lædiuntur: à frigidis & humidis iuuantur. Tumores, luxationes, & solutiones continui, paralysin efficientes, per se satis innotescunt.

Quod ad prognosin attinet: paralysis ab humore pituitoso neruorum substantiæ impacto genita curatu difficilis est: quia ægerrimè discutitur, propter frigiditatem partis, eiusque debilem expultricem, quæ remedijs cooperari debet; & situm spinæ, neruorumque profundum ita vt ad eas partes vis remediorum integra peruenire non possit. Et cum diuturnus eorum vsus necessarius sit; ægri vt plurimum, tædio affecti, curationi adeò protractæ se subijcere nolunt.

Paralysis apoplexiæ succedanea rarissimè curatur, &

plerumque in apoplexiam iterum degenerat ex nouo eiusdem materiæ ad cerebrum affluxu, quod ex priori morbo debilitatum est.

Tremor paralysi superueniens, salutaris. Significat enim meatus nernorum aliquo modo aperiri, per quos aliquid spiritus animalis ad musculorum motum efficiendum, transire incipit.

Si pars paralytica calore actuali prædita sit, sanitatis spes est; si vero actu frigida continuò sentiatur, difficillimè curatur.

Atrophia, aut insignis extenuatio, parti paralyticæ aduenies & pallor ingens curationis spem adimit. Non solùm enim spiritus animalis defectum, sed & calorem naturalem propemodum extinctum arguit.

Si resoluti lateris oculus imminuatur, exigua curationis spes est: summam enim spirituum penuriam in ea corporis parte significat.

Crurum, & pedum resolutio faciliùs curatur, quàm partium superiorum; quia illi nerui duriores, ac robustiores sunt.

In senibus paralysis incurabilis est, ob caloris natiui inopiam.

Hyemis tempore paralysis curari nequit, vere autem & æstate curatio obtineri potest, si cætera consentiant.

Paralysi febris valida superueniens, bona: materiam enim morbificam absumere potest.

Paralysi debili, & recenti diarrhœa superueniens, bona, dicit enim Rhasis 1. *contin.* se multos paralyticos ex diarrhœa superueniente, curatos vidisse.

Curatio paralysis iuxta varietatem causarum varianda est. Et cum vt plurimum fiat à pituita, & frigida intemperie; huius causæ ablationi præcipuè incumbendum est. Hæc autem ab vniuersali totius corporis euacuatione inchoanda est.

Et quidem quod ad venæ sectionem attinet, vix ea conferre potest cùm sanguis non peccet; sed pituita: & plerumque hoc malum senibus, pituitosis, ac natura frigidis accidere soleat: Si tamen crudi sanguinis copia humorem pituitosum producere videatur, eumque fouere, venam in brachio partis sanæ aperire licet; attamen parca manu, ne languidus calor exinguatur.

Prætermissa igitur phlebotomia, aut parca manu, vt dictum est celebrata: reliqua curatio inchoanda est à sublatione causæ antecedentis, quæ est frigida cerebri intemperies. Cuius curatio eadem omninò instituenda est, quæ antea fuit proposita, per apozema, pilulas, diætam sudorificam, sacculos, emplastra, errhina, sternutatoria; apophlegmatismos, vesicatoria, puluerem cephalicum cucufam, suffimigium, syrupum magistralem, pilulas vsuales, opiatam roborantem, causticum, puluerem digestiuum, & aquas thermales.

Diæta ad hunc affectum parari debet ex decocto, guaiaci solius, & corticis eiusdem. Post cuius haustum admouendi partibus paralyticis lateres igniti, extincti in decocto cephalico facto in vino albo cum pauco aceto, & inuoluti linteo, vt partium calor languidus excitetur. Et quarto, aut quinto quoque die purgatio repetenda. Melius tamen erit, si decocto sudorifico purgans præmittatur ad xv. dies, vt tota humorum crudorum saburra meliùs educatur, ac postmodum illorum reliquiæ per habitum corporis discutiantur. Illud autem ita parari poterit.

℞. Rasuræ ligni guaiaci ʒ.iij. cort. eiusdem ʒ.j. aquæ fontis ℔.iv. Infundatur per xxiv. horas. Deinde ebulliant ad mediæ partis consumptionem addendo sub finem, sennæ mund. ʒ.j. turbith. hermodactyli ana ʒ.ij. Colaturæ capiat ℔ ß. manè, sine sudore per xv. dies.

Causticum applicetur occipiti, vel brachio sano, si alterum sit affectum: vtrique, si tibiæ tantum laborent.

Post diætam vtatur pro potu ordinario bocheto ex guaiaco, vel hydromelite; in quo tantillum rorismar. bullierit, à vino abstinendo, quod in hoc affectu valdè nociuum est. Si tamen ægrum vini cupiditas teneat; betonica, & saluia in eo infundantur. Et longè efficacius erit, si tempore vindemiarum prædictæ herbæ in dolium vino recenti plenum conijciantur.

Si affectus sit contumax; post diætæ vsum, omissis syrupo magistrali, & pilulis vsualibus prædictis, fortiores vsurpandæ sunt, in hunc modum compositæ.

℞. Massæ pilul. fœtid. maior. & cochiar. min. an. ʒ. ß. trochisc. alhandal. gr. iv. Capiat semel in septimana.

Sed quia humor ante quamlibet purgationem præparatione indiget; ideò per biduum aut triduum, ante singulas dosas pilul. capita ʒ.iij. vel iv. aquæ sequentis, manè duabus horis ante pastum.

℞. Rasur. ligni guaiaci ʒ iv. croticis eiusdem ʒ.j. radic. salsæ paril. ʒ j. ß. rad. chinæ ʒ j. ligni sassafras ʒ. vj. ligni aloes galang. an. dr. j. ß. rad. angel. pœoniæ, fœniculi, an. dr. iij. sem. pœoniæ dr. ij. Infundantur per 24. horas in aquæ fontis ℔.vj. vini albi ℔.iv. Postea adde fol. betonicæ, ruæ arth. saluiæ an. M. j. flor. tiliæ, primulæ veris ſtœchad. & anthos. an. P. ij. lauendulæ P. j. theriacæ vet. ʒ. ß. sem. & cortic. citri. an. dr. ij. ß. polypod. ʒ. ß. cinamomi ʒ. vj. Fiat secundum artem destillatio in B. M. Pro ℔ ij. ß. liquoris, distillati, adde manus Christi cum oleo cinam. paratæ ʒ iv. Vel loco illius aquæ opiata caput roborans, in frigida cerebri intemperie descripta, vsurpari poterit. Sed multò efficaciùs, & cum maiori fructu opiata Montagnanæ in epilepsiæ curatione descripta.

Cæteris purgantibus parum proficientibus, haud erit inutile ad vomitoria chymica transcendere si ager satis robustus sit, qualia, in soporosis affectibus fuere proposita. Illa enim humores contumaces ex alto trahunt, & morborum interdum, qui vulgaribus remedijs extirpari nequiuerunt, curationem absoluunt.

Diebus vacuis ab vsu aliorum remediorum, vtatur opiata cephalica, descripta in curatione frigidæ intemperiei cerebri; vel aqua apoplectica, vel tabellis prosoporosis affectibus propositis.

Post vniuersales euacuationes ad topica veniendum est, quæ & parti resolutæ applicanda, ad calorem, & spiritus reuocandos, & spinali medullæ, vbi vt plurimum mali causa hæret, ad eam exsiccandam, & discutienda.

Pars ergo affecta pannis calentibus quotidie fricetur, sed leniter: ne quod de naturali calore, & spiritibus attractum est, iterum dissipetur.

Cucurbitulæ etiam applicentur capitibus musculorum partis affectæ, eæque sint angustioris orificij, & cum multa flamma adhibeatur: ne tamen diu affixa maneant, vel quod attractum est, dissipetur. Postea emplastri ex pice, & resina pini applicetur vt quod attractum est, ibi conseruetur. Vel membrum resolutum vrticis viridibus leniter percutiatur, aut ip. sinapismi imponantur, donec pars rubescere incipiat: ea tamen non sunt tamdiu in parte relinquenda, vt vesicas excitent, sic enim spiritus, & sanguis dissiparentur; sed tamdiu solùm, donec pars rubicunda digito pressa non albescat, sed rubicunda permaneat.

Postea inunctiones fiant, & parti affectæ, & spinali medullæ oleis, vnguentis, & balsamis, quorum descriptiones apud Autores numerosæ habentur. Ad hanc rem peculiaris est efficaciæ balsamum Guidonis, quod apud Pharmacopæos nostros perpetuò paratum inuenitur. Hoc vel solo vtimur; vel cum alijs permixto in hunc modum.

℞. Ol. vulpini, lumbricorum, & de castoreo, an. ʒ j. balsami Guidonis ʒ iij. aquæ vitæ ʒ. ß. olei rorismar. destill. ʒ. j. ß. Misce, fiat linimentum, quo inungatur tota spina dorsi, & partes resolutæ calidissimè, supertegendo eas linteis calidiusculis. Sequens etiam vnguentum à Valeriola in observationibus plurimum laudatur.

℞. Fol. saluiæ, maioranæ, betonicæ, lauri, rorism. & primulæ veris, an. M. j. radic. acori veri, & ireos recentis, an. ʒ. iij. ol. vulpini, de nuce Indica, & rutacei an. ℔ j. ol. terebinthinæ ℔ ß. vini potentissimi ℔ j. aquæ vitæ ℔ ß. Coquantur simul ad vini consumptionem, & colentur. Colaturæ adde serapini, opopanac. bdellij, an. ʒ. ij. castorei ʒ. ß. macis, nucis moschat. styracis calamitæ, benzoini, an. ʒ iij. piperis longi, pyrethri, an. ʒ i. axungiæ cati pinguiotis, axungiæ serpentis, & anseris an. ʒ i. medullæ cruris bouis ʒ ii. succorum ebuli, saluiæ, & Melissæ, an. ʒ. iv. ceræ propoleos ʒ ii. Misce, & cum ceræ q. s. in prædictis oleis liquatæ, reducantur omnia ad formam vnguenti mediocris consistentiæ, quo vniuersa dorsi spina calidè inungatur, desuper admotis lanis mollibus, vel linteis calidis.

Maioris etiam efficaciæ, & minoris operæ vnguentum parari potest in hunc modum.

℞. Succi scillæ ʒ iv. succi cucumeris syluestris, succi rutæ, an. ʒ. i. euphorbii, castorei, sagapeni, ammoniaci bdellii in aceto solutorum an. ʒ. i. ß. myrrhæ, thyris, pyrethri, nitri an. ʒ i. olei sambuci, terebinthinæ, & de euphorbio, an. vnc. ß. ceræ q. s. Fiat vnguentum secundum artem.

Huius-

Huiusmodi linimentis præcipuè vtendum est tempore diætæ, post detersum sudorem, & in vsu thermarum etiam post sudorem: quia tunc temporis pori cutis, & partium referati vnguenti penetrationem facilius admittunt.

Lintea post inunctiones applicanda suffumigentur, & incalescant suffitu sequenti.

℞. Succini, mastiches, myrrhę, an. ʒ. j. thuris ℈. ij. caryophyl. nucis mosch. cinnam. macis, an. ʒ. ß. ligni aloes ℈. ß. Puluerisata irrorentur spiritu vini, postea exsiccentur, & iterum irrorentur quinquies, & exsiccentur. Et fiat puluis, qui injciatur prunis pro suffumigio.

Si his malum non cedat, cerata, & emplastra supra spinam dorsi erunt applicanda.

℞. Massæ empl. de beton. de melilot. & de baccis lauri, an. ʒ. j. & thuris ʒ. ß. castorei, euphorbij, an. ʒ. j. semin. nigell. nasturtij, sinapi, radic. pyrethri, salis nitri, ana ʒ. ß. Cum oleo de lateribus redigantur in formam emplastri, quod super alutam extensum applicetur. Longè maioris erit efficaciæ emplastrum in hunc modum compositum.

℞. Picis nauallis, galbani, sagapeni, & gummi ammoniaci, an. ʒ. j. radic. pyrethri, & sem. sinapi, an. ʒ. ß. euphorbij ʒ. ij. ceræ flauæ ʒ. iij. olei terebinth. q. s. Fiat massa emplastri.

Sudores quoque in parte prouocare vtile fuerit, per euaporationes ex decocto herbarum, & radicum cephalicarum cum vino albo ita parato, vt halitus partem affectam attingant. Si nimirum decoctum calens in vas aliquod infundatur, in quo æger ieiunus ita sedeat contectus, ne decoctum attingat, sed vaporem tantùm excipiat. Vel in balneo sicco, quod stupham vulgò appellant, vapor ex decocto prædicto, silicibus candentibus insperso excipiatur.

Ad sudores huiusmodi mouendos valdè commendatur decoctum rad. bardanæ, seu lappę maioris. At nostrates mulieres ad hos affectus, & dolores artuum diuturnos vtuntur decocto ebuli, quo sudores copiosi eliciuntur. Vbi æger satis sudarit, in lecto componatur, exhibita theriacæ. ʒ j. cum aqua conueniente. Eiusmodi autem balneis bis, aut ter in septimana vtendum est. Autumni quoque tempore vinaceis efferuescentibus membra per horam vnam, aut longius spatium immergere, & postea linimento conuenienti inungere, toto vindemiarum tempore, summè vtile fuerit.

Denique thermæ sulphureæ, nitrosæ, & bituminosæ, supra recensitæ maximè conueniunt, & reliquorum remediorum vires pletumque superare solent, si ijs æger vtatur per aliquot dies in potu balneo, & lotione capitis, & post sudores vngatur linimentis prædictis.

Chymici commendant multa remedia ad huius morbi curationem. Ex quibus non infimum locum obtinent elixir proprietatis, spiritus tartari, & balsamum galbani.

Toto morbi decursu partes resolutę probè muniantur pelibus vulpinis, leporinis, agninis, & similibus.

Paralysis verò, quæ à bilioso humore, aut melancholico producitur, eandem curationem postulat, quæ ad melancholiam hypochondriacam præscripta est: ita tamen, vt in affectu magis bilioso, remedia magis ad frigiditatem inclinantia eligantur.

CAPVT VI.

De Conuulsione.

SPasmus, seu conuulsio, est neruorum, musculorumque versùs suam originem inuoluntaria, & perpetua retractio.

Duplex autem est conuulsio. Altera propriè dicta, cui iam proposita definitio competit. Altera impropriè, quæ potius motus conuulsiuus dici debet. Et ita distinguuntur; quod in vera conuulsione retractio musculorum sit perpetua, seu continua, & indesinens, in motu verò conuulsio interpolata. Præterea in vera conuulsione membrum est immobile, in motu conuulsiuo variè agitatur, vt in epilepsia, quæ inter motus conuulsiuos principem locum obtinet.

Differunt etiam inter se ratione causarum. Vera enim conuulsio fit à replerione, & inanitione, motus verò conuulsiuus ab irritatione. Denique in eo distinguuntur, quòd conuulsio à solo morbo fit; motus verò conuulsiuus à sola facultate. Quæ vt rectè à iunioribus intelligantur, sciendum est ex Gal. 2. *de sympt. caus. c.* 1. deprauati motus symptomata ita inter se distingui, quod alia solius naturæ sint opera, quæ tamen à morbosa quapiam causa violenter moueri sit coacta: alia morbosos comitentur affectus, natura ad eorum generationem suppetias minimè ferente: alia denique concurrente simul natura, & morbo fiant. Naturæ autem nomine Gal. facultatem intelligit. Facultatis ergo opera sunt sternutatio, tussis, oscitatio, pandiculatio, & singultus. Unius autem morbi opera sunt palpitatio, & conuulsio. Vtriusque verò, morbi scilicet, & facultatis opera sunt, tremor, & imperfecta resolutio.

Ex Galen. dictis supra positis grauis difficultas emergit, cùm ille singultum recenset inter opera, quæ à facultate fiunt. Fit enim perpetuò ab irritatione, & est motus conuulsiuus: conuulsionem verò inter opera, quæ à solo morbo fiunt, Gal. recenset. Attamen Hipp. *Aph. 39. sect. 6.* conuulsionem, & singultum à repletione, & inanitione fieri affirmat; cùm tamen repletio, & inanitio veram tantùm conuulsionem efficiant. Ad cuius difficultatis resolutionem dicendum est; repletionis nomen latè sumptum irritationem etiam comprehendere iuxtà multorum authorum sententiam; quia causæ irritantes materiales sunt, atque adeò replent aliquo modo partes, in quibus continentur. Sed hoc modo repletio non est causa proxima singultus, sed tantùm mediata, quatenus partem, in qua est, quantitate, vel qualitate sua irritat ad expulsionem.

Denique sciendum est, & diligenter annotandum, Hipp. & Galenum motum conuulsiuum communi, & generico conuulsionis nomine simpliciter enuntiare, ita vt nonnisi per supra positas differentias inuicem distingui possint.

Vera autem conuulsio rursùm diuiditur in vniuersalem, qua totum ferè corpus contrahitur; & particularem, qua certum aliquod membrum conuellitur.

Vniuersalis vel causam habet in cerebro, quando nimirum cum vniuerso corpore musculi etiam faciei conuelluntur: vel in exortu spinalis medullæ, cum musculi caput, & spinam mouentes, vel anteriores, vel posteriores, vel vtrique conuelluntur: vnde tres exurgunt conuulsionis differentiæ. Prima Emprosthotonos dicitur, quando corpus cum ceruice, & capite violenter ad anteriora contrahitur, vt mentum pectori annectatur, & corpus carinam nauis referre videatur: imò verò interdum in arcum contorqueatur, & quandoque in orbem, ægrique caput genibus annexum habeant. In hac differentia duo musculi, caput ad anteriora flectentes, præcipuè afficiuntur. Secunda Opisthotonos nominatur, quando corpus ad posteriora conuellitur, & in ea musculi duodecim caput extendentes, aut eorum nonnulli conuelluntur. Tertia Tetanos dicitur, quando musculi, & nerui, tam anteriores, quàm posteriores contrahuntur æqualiter, partesque ab oppositis musculis attractæ, velut in æquilibrio positæ, rigidæ, & erectæ permanent, & ille motus Tonicus appellatur, qui omnium violentissimus est, cùm ex omnium musculorum contentione oriatur.

Particularis conuulsio fit ex contractione musculi partis alicuius à neruo illius motioni destinato malè affecto, & interdum ab effectu, vel symptomate peculiare nomen sortitur. Sic conuulsio musculorum oculos mouentium strabismus nominatur: mandibularum, & musculorum temporum, τρισμὸς, dicitur, oris conuulsio ex contractione lati musculi, ex vna tantum parte oriunda spasmus cynicus, conuulsio canina, & oris tortura nominatur: si verò in vtraque parte contractio fiat, & risus sardonycus appellatur. Interim tamen oris tortura sine conuulsione contingit; nempe ex paralysi alterius musculi, quo relaxato, eius antagonista os ad partem sanam contrahit, & distortio in ea apparet, quæ conuulsio, impropriè nominatur. Musculorum penis conuulsio satyriasis, vel priapismus dicitur. Reliquæ verò conuulsiones proprijs nominibus destituuntur.

Causæ verò conuulsionis immediatæ iuxta Hippoc. & Gal. placita ad repletionem, & inanitionem referuntur, vt antea dictum est. Et confirmatur hæc Doctrina exemplo chordarum, quæ in lyris, & citharis tendi consueuerunt, quod sæpè, & elegantissimè inculcatur à Gal. nempè *lib. de tremore, palpit. & conuuls. cap. 8. tertio de locis affectis cap. 6. secundo de symptom. caus. capit. 2. & com-*

ment. Aph. 39. sect. 6. Dum enim chordæ ab humore replentur, quod in austrinis constitutionibus solet contingere, tenduntur, & distrumpuntur. Si verò præter modum arescant; vt in constitutione Aquilonia fit, contrahi, & distrumpi etiam contingit. Eodem modo lora prope ignem siccescentia tenduntur, & contrahuntur. Idem neruis omninò solet contingere, qui vel ab humore repleti, vel nimiùm rarefacti tenduntur; & contrahuntur, & musculos simul, ad quos inseruntur, retrahunt ad suum principium, vnde totum membrum conuellitur.

Causæ mediatæ conuulsionis, quæ repletionem, aut inanitionem efficere possunt, variæ sunt. Ac primum causæ repletionis referuntur à Galeno, *lib. de tremore capite vltimo*, ad humoris pituitosi affluxum, & inflammationem. Humor pituitosus ad neruos influens eos distendere censetur secundum latitudinem, vnde secundum longitudinem contrahi necesse est.

Verum hic grauissima sese offert difficultas, quænam scilicet differentia sit constituenda inter causam paralysis, & conuulsionis? Et quando vtraque fit ab humore pituitoso in neruos influente: cur materia paralysin efficiens, neruos ita replendo, vt omnes illius meatus occludantur, vnde spirituum animalium transitus impeditur, non faciat nerui distensionem in latitudinem, atque adeò conuulsionem? Et cur materia, conuulsionem efficiens, neruos replendo, meatus illorum non obstruat, vt paralysin efficiat, cum tamen in conuulsione sensus integer maneat, & pars affecta vt plurimum grauissimo dolore torqueatur? In hoc dubio resoluendo auctores variè se torquent, & qui inter subtilissimos principem locum obtinent, ingenij sui captum superare fatentur, Acutissimus Auerroes *tertio colliget* in hæc verba erumpit. *Vtinam scirem, cur distendantur in latum nerui, & non in longum.* Mox subijcit. *Scias, Medicorum verba in hoc symptomate vniuersè propiora esse verbis musicorũ, seu fabeatus canentium, quam demonstratorum.* Et subtilissimus Argenterius *comm. Aph. 26. sect. 2.* sic loquitur *Non est facilè profecto reddere omnium rationem, & præsertim, cur pituita quæ resolutionis neruorum, & conuulsionis causa dicitur, nunc vnum, nunc aliud ex ijs malis inferat, dum enim eadem materia sit, & eadem pars affecta, nempè nerus cur idem non semper sit affectus?* Hæc Argenterius. Summa rei difficultas in variis sententias Auctores distraxit, ita vt nonnulli ab ipsis & reliqui doctrina omninò descciuerint, inter quos recenseri possunt Auerroes, Erastus, Platerus, Cęsalpinus, Sennertus, aliique quorum varias cogitationes, & prolixas hac de re disputationes recensere, instituti nostri ratio non patitur, qui summam breuitatem in hoc opere affectamus, & omnes controuersias ablegamus, ijs tantùm inhærentes, quæ ad medicinam faciendam maximè necessaria sunt. Saniorum decisio, à Galeni dictis recedere nolentium, eò reuoluitur, conuulsionem fieri ab humore crassiori, qui neruos secundam latitudinem extendit, & secundum longitudinem coarctat, paralysin verò ab humore tenui, qui per nerui substantiam decurrit, eamque emollit, poros autem illius non extendit. Hæc tamen animum veritatis auidum omninò non explent. Si enim humor crassus, neruum replendo, eum in latitudinem extendit, cur poros illius, & meatus insensiles non implet, & spirituum animalium influxum non impedit, atque adeò paralysin inducit? Et cur paralysi, saltem successu temporis, non succedit conuulsio, cùm humor tenuis, in parte diu hærens necessario crassescat, ita vt etiam serosa materia, arthritidem efficiens, longa mora in parte torpentem materiam aquirat. Alij dicunt, in conuulsione partem tantùm nerui exteriorem, & membranosam ab humore obsideri, in paralysi verò medullarem. Sed hoc multo minùs satisfacit. Cum enim nerui maiori parte exiles admodum sint; non est facile concipere, quomodo humor partem tantum nerui exteriorem occuper, illæsa interiori, aut vice versa. Vel saltem, si hoc ita posset contingere, paralysi vt plurimum conuulsio succederet, & conuulsioni paralysis, multiplicata materia morbifica, & quæ exteriorem partem solùm, vel interiorem tantùm ab initio occupabat, successu temporis totum neruum inuaderet.

Nos igitur licet in tanta difficultate nobis ipsis satisfacere nequeamus, donec certiora ab alijs proponantur, existimamus, prædictas obiectiones dilui posse, dicendo conuulsionem, & paralysin in eo differre, quòd paralysis ab humore pituitoso puro, & impermixto generetur, qui quidem humor tensionem non efficit in partibus, sed eas potius relaxat, vt in œdemate videre est: conuulsio verò ab eodem humore fiat, non quidem sincero, sed plurimis flatibus permixto, à quibus flatibus præsertim tenduntur nerui, ac musculi, & versùs suam originem contrahuntur. Nulla enim causa excogitari potest aptior, ad tam vehementem contractionem efficiendam, quàm spiritus flatuosus, quam etiam agnouit Galenus *2. de sympt caus. c. 2.* & docet experientia; maximas distensiones à flatibus præsertim fieri, vt videre est in hydrope, tympanite, & colico dolore. Adde, quod in conuulsione vt plurimum grauissimi dolores reperiantur, quos à flatibus distendentibus fieri credibile est. Hac decisione dilui possunt omnes obiectiones supra propositæ. Si enim quæratur: cur pituita, conuulsionem efficiens, paralysin non afferat, spiritus animalis influxum impediendo? dicere poterimus, eam esse in perexigua quantitate, vt meatus nerui insensiles occludere non possit, & multis flatibus permixtam ita attenuari, vt obstructionem parere non valeat. Vel certè dicamus, spiritum flatuosum præcipuam esse causam conuulsionis, quam Galenus *loco citato*, Et *lib. 6. de loc. aff. cap. vlt.* priapismi (qui à membri virilis conuulsione fit) causam vnicam proposuit spiritum flatuosum.

Altera causa conuulsionis à repletione factæ, quam proponit Galen. *loco citato*, est inflammatio partium neruosarum, præcipuè in neruorum principio, aut prope ipsum, qua nerui tenduntur, & contrahuntur. Et excitatur illa inflammatio, vel à causa interna sola, nempè à fluxu sanguinis in partem, vel à causis externis, vt vulnere contusione, & punctura nerui.

Causæ conuulsionis ab inanitione sunt omnes immodicæ euacuationes per hæmorrhagiam, vomitum, alui fluxum sudores; tum etiam maximæ humidi primigenij consumptiones, quæ contingunt in febribus ardentibus, & colliquantibus, laboribus immodicis, vigilijs, sollicitudinibus, venere immodica, fame, & siti, & vsu diuturno alimentorum, & medicamentorum calefacientium, & exsiccantium.

Hæc etiam conuulsio ab inanitione à non paucis reijcitur, existimantibus, tantam siccitatem in corpore viuente periri non posse, vt inde nerui contrahi valeant; illa quippe in febre hectica, & marasmo præcipuè contingeret. Quibus tamen abundè satisfieri potest, dicendo non omnem inanitionem, aut siccitatem idoneam esse conuulsionem efficere; sed eam tantum, quæ confertim, & inæqualiter fit. Quandoquidem subita interni humidi facta inanitione, partes conuiuent, & in se concidunt, vacuum fugientes. Si verò æqualiter vndique & sensim exhauriatur humiditas, nulla fit contractio, quia inanitæ partes ingressu aeris occupantur.

Motus conuulsiuus fit à materia pungente, vellicante, & irritante partes neruosas: estque vt plurimum humor, vel vapor, acrimonia, aut alia quauis maligna qualitate præditus, qualis in febribus malignis sæpissimè contingit. Fiunt autem isti motus conuulsiui plerumque, cerebro, & neruis per sympathiam affectis, & conuulsio sympathica nominatur. Compatiuntur autem vel per nudam condolentiam, & generis, officij, aut viciniæ societatem; vel à praua qualitate, aut aura venenata ad initium neruorum transmissa. Sæpissimè autem fit, per consensum oris ventriculi à bile æruginosa, vermibus, veneno, aut alia materia acri, & vellicante; tum etiam per consensum vteri, sicut in hystericis affectibus contingit.

Diagnosis conuulsionis ex ijs, quæ in principio huius capitis proposita sunt, facilè elicitur. In vera enim conuulsione pars contrahitur, ac rigida, & immota manet, vt flecti, aut moueri pro arbitrio non valeat. In motu verò conuulsiuo pars variè concutitur, & agitatur.

Quod ad prognosim attinet, conuulsiuo, quæ multas partes, & præsertim cerebro vicinas occupat, periculosior est. Tum etiam, quæ musculos thoracis obsidet. Metus enim est, ne, ob difficilem respirationem æger suffocetur.

A copioso sanguinis fluxu, vel hypercatharsi conuulsio lethalis, ex Hippocr. in Aphorismis, quia, vt docet Galenus in commentarijs, talis conuulsio ab inanitione fit. Attamen fieri potest vt talis conuulsio interdum ab irritatione fiat, commotis humoribus acribus, biliosisque. & ad partes neruosas translatis: vel à qualitate maligna venenati medicamenti, vt ex assumptione hellebori contingit.

A po-

A phrenitide conuulsio lethalis. Aetius affirmat se neminem ex ijs, qui ita conuulsi sunt, seruatum vidisse; neque qui vidisset, audiuisse.

Febrem conuulsioni superuenire, melius est, quàm febri conuulsionem. *Aph. 5. sect. 2.* Febris enim conuulsioni superueniens illius causam absumit. Conuulsio autem febri superueniens à materia maligna oritur, quæ vitæ periculum minatur.

Quicumque tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: si verò hos effugerint, sani fiunt. *Aph. 6. sect. 5.* Maxima enim tensio omnium musculorum respirationem impedit, ita vt ægri suffocati moriantur. Et notanda est causa interitus in conuulsione, quæ non viderut alioqui periculosæ ratione causæ neruos obsidentis, quemadmodum paralysis à simili ferè causa oriunda, ad multos annos producitur: Sed lethalis euadit conuulsio ex eo solùm, quod suffocationem inducat, conuulsis musculis respiratione dicatis.

Curatio huius affectus varia est pro varietate causarum. Quæ ab inanitione fit, rarissimè contingit, & incurabilis est, ideò illius therapiæ non immorandum. Authores humectantia omnis generis præscribunt, & inunctiones ex oleis chalasticis. Ea verò, quæ fit ab irritatione, ab alijs morbis dependet, & illorum curationi subijcitur. Superest igitur, vt conuulsionis à repletione curationem proponamus, quæ cùm à pituita, & flatu potissimum dependeat, ad illorum sublationem dirigenda est. Eaque primum à venæ sectione auspicanda, si sanguis abundet, & vires sint validæ. In qua tamen euacuatione satius est peccare in defectu, quàm in excessu; cùm illæ causæ principali, quæ pituita est, contraria sit.

Post venæ sectionem, aut ea omissa, si conueniens non sit purgatio instituenda est per pilulas, quæ satis potenter euacuant, (habita tamen virium ratione,) iuxta formulas in frigida cerebri intemperie descriptas. His verò adiungenda sunt castorei gr. iij.

Si pilulas fastidiat æger potionis, puluerís, aut alterius medicamenti forma vsurpari poterit, prout dicto capite habentur.

Post purgationem admoueantur cucurbitulæ cum sacrificatione, si sanguis non fuerit detractus, alioqui sicæ: primò quidem partibus remotioribus, postea affectæ parti vicinis. At si crura sint conuulsa, naribus, & lumbis applicentur: si brachia, collo, & scapulis. Hoc in omnibus obseruando, vt fluxio versùs originem retrahatur.

Vesicatorium etiam partibus affectæ oppositis vtiliter admouebitur.

Interim post primam purgationem materiam præparanda est apozemate descripto in curatione intemperiei frigidæ: Purgante quidem, si vires, & reliqua consentiunt: sin, minus detractis purgantibus.

Finito apozemate, iterum pilulæ exhibendæ, castoreum illis, & omnibus purgantibus adijciendo.

Si apozema tantum alterans vsurpetur, durante illius vsu, clysteres aeres frequenter injiciendi, & quales in soporosis affectibus fuerunt propositi.

Fiant etiam inunctiones supra partem affectam linimento conuenienti.

℞. Vnguenti de althæa ℥ vj. ol. terebinth. & chamæmel. ana ℥. j. ol. lauendulæ ℥. iij. ol. vlpini ℥. ß. styracis liquidæ ℥. ij. Fiat linimentum, quo inungatur pars affecta calide frequenter, & spina dorsi. Vel

℞. Ol. anethini, & chamæm. an. ℥. j. vnguenti martiati, ℥. ß. ol. petrolei, & de spica, an. ℥. j. spiritus vini ℥. iij. Misce.

Maximè laudatur axungia anseris, aut anatis, in sequentem modum parata.

℞. Anatem, aut Anserem pinguem deplumatum, & exenteratum, quem reple materia sequenti.

℞. Fol. saluiæ, maioranæ, & stæchad. ana M. j. gummi ammoniaci, & bdellij, ana ℥. j. calami aromat. nucis mosch. macis, caryophyl. ana ℥. ß. Contundantur in mortario, & malaxentur cum ol. lumbicorum, postea includantur ventri anseris, qui benè consuatur, ne quid effluat, & in veru assetur. Pinguendo extillans excipiatur vase aceto semipleno, eaque illinatur partes affectæ.

Efficaciùs operabitur, si vsurpetur in sequentem modum.

℞. Pinguedinis prædictæ ℥. vj. ol. ceræ, nucis mosch. at, & saluiæ arte chymica extractorum, ana ℥. ij. Misce, fiat linimentum.

Post inunctiones partes conuulsæ conregantur pelle arietis adhuc calente: & cum refrixerit, si nouarum non sit copia, recalescat oleo anethino, aut simili valde calente.

Vtiliter etiam parti conuulsæ adhibentur pulmones veruecini calentes, tùm etiam pulli columbini, catuli, galli, gallinæ per medium sectæ.

Pars etiam affecta in intima bouis, aut veruecis, aut maioris alius animalis, recens cæsi, immittitur: Et ibi tandiu detinetur, quamdiu animal calet.

Balnea ex decocto herbarum cephalicarum etiam conueniunt addita olei tertia parte, vel inunctis mox à balneo partibus conuulsis.

Alij hoc emplastrum commendant.

℞. Colophoniæ ℥. ij. resinæ; picis nauali, an. ℥. j. thuris mastiches, cerusæ, ana ℥. ß. sanguinis Draconis, salis communis, salis ammoniaci, terebinth. ana ℥. ij. ceræ nouæ ℥. ij. vitrioli albi ℥. ij. matris perlarum ℥. ij. lapidis magnetis ℥. ß. succini flaui ℥. j. ß. ol. ouor. rosac. an. ℥. ij Fiat secundum artem emplastrum, quod alutæ inductum imponatur.

Præstantissima verò sunt balnea sulphurea in diuturnis præcipuè conuulsionibus. Conueniunt etiam balnea sicca, seu vaporosa ex decocto saluiæ, rorismar. stæchados, chamæp. origani, & similium cum vino albo, lapidibus ignitis, cupro, aut scorijs ferri ignitis infuso.

Optimum etiam est fouere occiput, & ceruicem aqua vitæ calente.

Penotus sequens linimentum mirè prædicat ad conuulsionem breui tempore dissoluendam.

℞. Ol. terebinth. ℥. ß. ol. caryophyl. gutt. vj. mucilaginis bryoniæ q. s. ad consistentiam linimenti. Misce, inunge locum affectum cum radice sui nerui.

Alij oleum, seu spiritum salis cum oleo terebinthinæ, ceræ, chamæmelli, & similium commixtum membra conuulsa citò restituere asserunt.

Linimentum sequens eximiæ est efficaciæ.

℞. Butyri rancidi, & lardi veteris; an. quart. j. bdellij ammoniaci. an. ℥. j. myrrhæ, castorei, an. ℥. ij. flor. stœchad. & anthos, an. P. j. nucis mosch. & caryophyl. an. ℥ j. catum paruum exenteratum, excoriatum, & in frusta diuisum. His inferciatur anser & consuatur, ac torreatur in veru. Primus, qui stillabit succus magis aqueus, abijciatur: secundus verò pinguior, colligatur in vase aceto semipleno, eoque illinantur partes conuulsæ, & tota dorsi spina.

Interdum verò dolor tàm intolerabilis sentitur, vt ad eum priùs cura dirigenda sit. Illi igitur conuenit sequens linimentum.

℞. Olei violacei lilior. & chamæmeli, an. ℥. j. ß. ol. amygdalarum dulcium, mastiches, & rosac. an. ℥. j. Misce, inungatur pars affecta. Si potentiùs agendum sit paretur sequens balneum.

℞. Rad. althææ, & liliorum, an. ℔. ß fol. malvæ, violariæ, origani, saluiæ, absinthij, ana M. ij. sem. lini, & fœnugr. anæ ℔. j. Decoquantur pro balneo, in quo diu non immoretur æger, sed dolore sedato confestim egrediatur. Sufficiet autem partes conuulsas tantùm immergere.

Alij parant balneum ex oleo puro, & si æger sit dives, in eo decoquunt vulpem vnam, aut alteram.

Dum hæc fiunt, cerebri expurgationi incumbendum est, apophlegmatismis, & errhinis, suis capitibus descriptis.

Tum etiam eadem pars roboranda est opiata cephalica, aqua apoplectica, theriacali, aut alia earumdem virium.

Rondoletus de aqua sua hirundinum hæc habet. *Aqua ex hirundinibus, & castoreo parata exhibita conuulsionem à repletione subitò cessare facit.* Eius descriptio est in cap. de epilepsia apud Auctorem dictum.

CAPVT VII.

De Epilepsia.

EPilepsia est conuulsio totius corporis, non perpetua, sed interpolata, cum mentis, & sensuum læsione.

Conuulsionis nomen hic propriè, & strictè non sumitur pro vera conuulsione; sed impropriè pro motu conuulsio.

Sed conuulsionis nomen retinere voluimus, imitatione Gal. qui eam passim conuulsionem appellat.

Hac autem definitione ex Gal. desumpta 3. *de loc. aff. c. 7. & lib. de diff. sympt. c. 3.* perfectam, & integram Epilepsiam proponimus; in qua totum corpus conuellitur, & omnes sensus tum interni, tum externi abolentur. Dantur tamen imperfectæ Epilepsiæ, in quibus caput tantum, vel brachium, vel tibia, & fœmur, vel dimidia corporis pars conuellitur. Datur etiam epilepsia, in qua integra mens remanet, sensus etiam exteriores vigent, nec non quarundam partium motus voluntarius. Vidi Monialem, quæ in paroxysmis Epilepticis contractiones varias patiebatur, nunc brachiorum, nunc crurum, nunc capitis, nunc trunci totius corporis: videbat tamen adstantes, & loquebatur: imo verò contra motum partium, quæ conuellebantur, motu voluntario obtinebatur, ita vt motum inuoluntarium quodammodo minueret. In paroxysmo leuiori interdum stabat, & in cubiculo ambulabat, sed motu admodum inordinato, saltando scilicet, & motus præposteros edendo instar histrionum: quibus reliquis Monialibus risum concitabat, & cum illis etiam ridebat, & pro arbitrio loquebatur.

Omnis motus conuulsiuus, vt superiori capite dictum est, fit ab irritatione. Irritatio autem fit à materia quantitate, vel qualitate. Quantitas materiæ morbificæ naturam grauans, eam irritat ad expulsionem eius, quod sibi molestum est. Vnde stabilitur, me iudice, Galeni doctrina, à quamplurimis neotericis variè exagitata, quam sanctum est, ab obstructione imperfecta ventriculorum cerebri Epilepsiam generari. Si enim humor obstruens naturæ molestus est, quidni cerebrum insurgere poterit ad illius exclusionem? De qualitate nulla est difficultas. Omnes enim in eo consentiunt, facultatem expultricem singularum partium irritari ab acrimonia, & praua quauis qualitate naturæ infensa.

Causæ irritantes, vel in ipso cerebro continentur, & epilepsiam idiopathicam efficiunt; vel aliunde ad cerebrum transmittuntur, & sympathicam epilepsiam generant. Illa autem irritatio Epilepsiam facit, quandoquidem cerebrum, dum rem noxiam exuellere conatur, seipsum concutit, & consequenter neruos sibi adnexos.

Triplex à Galen. constituitur Epilepsiæ differentia, & ab omnibus propemodum auctoribus recipitur. Prima, qua cerebrum afficitur, consistente in ipso affectu. Secunda, in qua cerebrum per ventriculi consensum afficitur. Tertia, cum ab alijs corporis partibus ad cerebrum affectus transmittitur. Et propria etiam nomina apud nonnullos sortitæ sunt istæ differentiæ. Prima enim tamquam præcipua, generis nomine, Epilepsia nominatur; secunda, analepsia, tertia, catalepsia. Verum (pace Galeni, aliorumque dixerim,) superflua est illa diuisio, & frustrà separatur Epilepsia à ventriculo genita, ab alijs, quæ per aliarum partium sympatiam oriuntur: cùm omnes vno sympathicæ Epilepsiæ nomine comprehendi debeant: Neque satisfacit, dicere: Epilepsiam à ventriculo seorsim enuntiari, tanquam frequentissimam: siquidem ea, quæ ex vteri, aut lienis consensu oritur, non minùs frequens, aut certè frequentior esse consueuit.

Diuidatur ergo Epilepsia in idiopathicam, & sympathicam. Sympathica rursum iuxta varias partes, à quibus vapores acres, aut maligni ad cerebrum transmitti possunt. Nulla autem propemodum pars in toto corpore reperitur, à qua malignus vapor ad cerebrum transmitti nequeat. Harum historiæ duæ proponuntur à Galen. *loc. cit.* Vna de puero decimum tertium ætatis annum agente, in quo paroxysmus à tibia initium capiebat, mox illinc recta ascendebat per fœmur, & superposita illa, ac per latera ad ceruicem, donec ad caput perueniret, quod cum primum tangeret, ipse haud quaquam sibi constabat. Altera est de adolescente, qui inuadentis paroxysmi initio, veluti frigidam auram ascendere sentiebat.

A ventriculo autem, intestinis, & materia verminosa, tùm etiam ab vtero, alijsque partibus, Epilepsiam plerumque generari notissimum est, & variorum auctorum historijs confirmatum.

Constat igitur ex prædictis, quomodo defendi possit Galen. doctrina, ab imperfecta ventriculorum cerebri obstructione idiopathicam Epilepsiam generari asserentis, quam tamen causam perpetuam esse defendere non possumus, vt Galen. innuere videtur, nullam aliam proponens; quin potius, eam cæteris infrequentiorem esse, confiteri cogimur.

Neque tamen argumenta aduersus Galenum proposita, vllo modo conuincunt: quorum præcipua hæc sunt.

Primo enim, inquit Fernelius, si Epilepsia ab humoris copia fieret, in sopore ea maximè contingeret, in quo magna humoris copia reperitur. Respondeo, humorem, à quo sopor excitatur, esse in substantia cerebri, non in ventriculis; & ideò facultatem expultricem non irritare, quæ in ventriculis magis residet.

Secundò, ex eodem Fernelio cum Epilepsia citò soluatur, desineret in paralysin, vt apoplexia, excusso in neruos humore. Respondeo, in apoplexia humores excuti ad partes viciniores propter debilitatem expultricis à copia humoris oppressæ; quæ cum liberior sit in Epilepsia, ad vias naturales expurgationi dicatas humores amandat. Falsum tamen est, quod asserit Fernelius, nunquam Epilepsiam desinere in paralysin; nos enim paralysin Epilepsiæ succedaneam vidimus. Et non rarò apoplectici in prima inuasione conuulsionibus Epilepticis corripiuntur, nondum perfecta obstructione ventriculorum cerebri; tum etiam multi Epileptici tandem apoplexia pereunt; quando dimidiata obstructioin integram degenerat.

Tertiò, contra Gal. nonnulli ita argumentantur. Sicut completa ventriculorum obstructio functiones penitus tollit in apoplexia, ita incompleta eas tantum imminueret, non depraueret, neque motus illos conuulsiuos ederet, sanis plerumque validiores. Respondeo, naturam omninò oppressam ab integra obstructione non excitari ad expulsionem: in dimidiata verò obstructione satis habere virium, vt cerebrum commoueat, & exagitet ad expulsionem. Confirmatur doctrina exemplo catarrhi in pulmonem delabentis, qui si totum pulmonem repleat, summam spirandi difficultatem efficit sine vlla tussi, vt in asthmate contingit: Si verò minor fluentis humoris copia extiterit, pulmo irritatur ad expulsionem, vnde tussis excitatur.

Signa Epilepsiæ diagnostica in tres ordines distribuenda sunt; quæ scilicet imminentem Epilepsiam significant, quæ præsentem demonstrant, & quæ illius differentias patefaciunt.

Imminentis Epilepsiæ signa duplicitur considerari possunt, vel prout primam morbi inuasionem præsagiunt; vel prout imminentem paroxysmum significant. Eadem autem signa vtrique indicio inseruiunt, sed multò certius in ijs, qui ab Epilepsia actu possidentur, imminentem insultum indicant. In ijs enim, qui nunquam hactenus morbo affecti sunt, æquiuoca maiori ex parte sunt huiusmodi signa, & multos alios capitis affectus prænunciare possunt. Integra tamen eorum congeries aliquam certitudinem afferre potest.

Omnia igitur imminentis Epilepsiæ signa proponenda sunt: hac præmissa admonitione, non omnia in omnibus Epilepticis concurrere; sed nonnulla in his, alia in illis, pro varia causarum, & corporum dispositione. Vt autem ea debito ordine proponantur, fontes signorum percurrendi sunt, qui ab actionibus animalibus, vitalibus, & naturalibus excrementis, qualitatibus immutatis, & proprijs accidentibus scaturiunt.

Ratione functionum animalium, Epilepsiam minantur animi, & corporis insueta conturbatio, capitis grauitas, cephalalgia, vertigo, vigiliæ, aut plurimus somnus, à quo nullum leuamen emergit, insomnia turbulenta, mentis torpor, vel anxietas, obliuio, mœstitia, pauor, formido, segnities, artuum grauitas. Saltus, & tremores membrorum, sensuum hebetudines, obtutus defixus, scintillæ oculis obseruantes, & interdum nubeculæ, aut marmarygas. Aurium tinnitus, fœdi odoris perceptio, lingua inflexibilis, eiusque inordinata motio, oscitatio, sternutatio.

Ratione functionum vitalium, Epilepsiam minantur cum aliorum signorum concursu, Iracundia, cordis palpitatio, pectoris constrictio, anhelitus mutatio.

Ratione functionum naturalium Epilepsiæ prodromi sunt cibi fastidium, aut appetitus immodicus, nausea molesta, cardiogmos seu oris ventriculi morsus.

Ratione excretorum, Epilepsiam portendunt, saliuæ per os effluuium, vrinæ tenues, & crudæ, pollutio nocturna frequentior.

Ratione qualitatis mutatæ, & propriorum acidentium, Epilepsiam portendunt faciei pallor, & præcordiorum inflatio.

Præ-

Præsens epilepsia etiam vulgo notissima est, si omnibus suis numeris absoluta sit. Multas tamen habet differentias, quæ difficilem interdum faciunt diagnosin, vt ex sequentibus videre est.

In paroxysmo Epileptico integro, & absoluto sensus omnes, tum interni, tum externi intercipiuntur. Æger subito in terram concidit, & totum corpus, aut partes tantum nonnullæ variis motibus concutiuntur: adest prætereà oculorum prominentia, stridor dentium, respiratio soffocatoria, velut in ijs, qui laqueo strangulantur, semen, stercus, & vrina inuoluntariè aliquando profunduntur; & circa finem accessionis spuma per os, & nares efluit: quæ non nisi in vehementi epilepsia contingunt, & finita accessione, rerum omnium, quæ in paroxysmo actæ sunt, obluio remanet.

Antiquorum nonnulli tres Epilepsiæ differentias faciunt, vnam, quæ somno similis altissimo videtur, aliam quæ variis motibus corpus exagitat; tertiam denique, ex vtriusque commixtione conflatam. Primam speciem recentiores quidam admittere nolunt, dicentes, illam comatam potius, aut carum esse, quàm epilepsiam: & non alia ratione distingui inter se hos duos affectus, quàm ex eo, quòd in comate sit somnus profundus sine conuulsione, conuulsio autem sit signum pathognomonicum Epilepsiæ. Verum aliter docet Auicenna dicens, sæpè euenire epilepsiam sine spasmo sensato, id est, nulla conuulsione apparente. Et docet experientia, multos Epilepticos habere paroxysmos comati persimiles. Esse autem Epilepsiam, non comata, vel carum; ex eo tantùm cognoscitur, quòd sopor ille per interualla, & periodicè recurrat, cùm coma semel tantùm inuadat, neque periodico recursui obnoxium sit.

Idiopathica epilepsia à sympathica distinguitur, quòd in idiopathica multa appareant cerebri affecti indicia, Mentis torpor, vel tarditas, memoriæ imminutio, in somnia turbulenta, sensuum hebetudo, corporis grauitas, & segnities, capitis dolor, aliaque: prætereà æger venientem paroxysmum non percipit; sed ab eo incautus subitò opprimitur. Tum paroxysmus in coitu Solis, & Lunæ vt plurimum contingit. Hanc diagnosin confirmat bona partium inferiorum diathesis, & nullum vitium in ijs apparens.

Dextram verò, aut sinistram capitis partem magis affici, & mali mineram continere, ex eo dignoscitur, quod visio alterius oculi obtusior sit, vel auditus in altera aure hebetior, aut tinnitus eam afficiat, & partes dextræ, vel sinistræ ad motum, aliasque actiones ignauiores, sint.

A quo verò humore præsertim Epilepsia generetur, ex signis pituitam, bilem, aut melancholiam in toto corpore, & capite præsertim redundantem indicantibus dignoscere poterimus.

Sympathica verò Epilepsia inde dignoscitur, quòd nulla appareant cerebri affecti signa; æger venientem paroxysmum percipiat, & interdum veluti auram quandam à partibus inferioribus ad cerebrum ascendentem, aut pars aliqua inferior peculiari quodam vitio labefactata est, aut tempore inuasionis graui aliquo symptomate affecta.

Sic à ventriculo communicari Epilepsiæ causam ostendunt cibi fastidium, difficilis inediæ tolerantia, nausea, vomitus, ventriculi dolor, erosio, compunctio, vel distensio, vel etiam interdum cordis palpitatio, ventriculo cordis affectum communicante.

Ab hepate, vel liene malum oriri, significant flatuum frequens, & copiosa excretio, ventris inflatio, rugitus, borborygmi, ructus acidus, præcordiorum molesta coarctatio, eorumque dolor ad dorsum vsque interdum procedens. Quibus addere licet vitia peculiarem ventris inferioris partem obsidentia.

Ab vtero affectum procedere indicat hysterica passio, conuulsionibus epilepticis implicita, tùm si mensium, aut seminis retentio præcesserit.

Sic à parte aliqua externa epilepsia oriunda sit, aura quædam percipitur à parte illa eleuari, & minera morbi in ea delitescens vellicat interdum, aut titillat, quod imminentem paroxysmum prænuntiat. Et si pars illa constringatur vinculo impeditur paroxysmus.

Denique è lumbricis procedere affectum ostendunt signa, lumbricos indicantia, vt anhelitus fœtor acidus, narium pruritus, ventris dolor, fæces cineritiæ, stridor dentium, sopor, & similia, tùm præcipuè si lumbrici per aluum interdum excernantur.

Rariores verò causæ, & extraordinariæ, vt absessus, ossis caries, vrinæ, suppressio, anadrome, & similia, ex proprijs signis mutuari poterunt.

Quod ad prognosin attinet, Epilepsia morbus est diuturnus, & contumacissimus, & infantibus vt plurimum lethalis.

Epilepsia hæreditaria incurabilis est, quæ verò è causis externis, & praua victus ratione ducit originem, curationem admittit.

Epilepsia ante pubertatem eueniens, curabilis est; eadem verò post 25. annum curationem non admittit, ex Hipp. *aph. 7. sect. 5.* Si quidem in pubertate magna fit caloris natiui eclampsis, quæ causas morbificas discutere potenter valet. Adde quòd tunc temporis in fœminis menstrua erumpere incipiant, per quæ impuritates corporis expurgari solent. Licet autem post 25. annum incurabilis dicatur Epilepsia ab Hipp. hoc tamen non est perpetuæ veritatis. Multos enim ætate prouectos ab hoc morbo liberatos fuisse, plurimis obseruationibus relatum est; quamuis tamen hoc rarò contingat, sicque Aphorismum prædictum vt plurimum, & ferè semper verum esse suadendum est.

Vehemens Epilepsia sæpè in paroxysmo ægrotantem abripit, & de medio tollit, vel etiam in apoplexiam degenerat, vel propter prauitatem symptomatum, & violentam cerebri concussionem tota illius œconomia euertitur, vt interdum particulæ illius diffringantur; contigerit aliquando, processuum mamillarium particulas per nares explosas fuisse.

Epilepsia à melancholico humore oriunda, in melancholicam insaniam nonunquam degenerat: quando videlicet ille humor à ventriculis cerebri in substantiam eiusdem transmittitur. Idem etiam humor, dum cerebrum afficit, vt partem instrumentalem, ventriculos illius obstruendo, aut tunicas eorum diuellendo, Epilepsiam efficit. Dum verò ipsam cerebri substantiam, quæ functionum principum sedes est, vt similarem partem offendit naturale ipsius temperamentum vitiando & animales spiritus corrumpendo atque obtenebrando, delirium melancholicum inducit. Vnde apud Hipp. *6. epid. sect. 8. textu 40.* melancholici plerumque fiunt epileptici, & epileptici fiunt melancholici. Degenerant autem isti affectus in se inuicem dupliciter: vel per materiæ morbificæ transpirationem, sede derelicta, & sic vno exoriente alter desinit: vel per materiæ propagationem, & tunc vterque affectus permanet.

Epilepsia pituitosa in apoplexiam, vel paralysin degenerat.

Quartana febris Epilepsiæ superueniens, & diu perseuerans eam soluit: quandoquidem à calore febrilis materia morbifica sensim absumitur, si pituitosa sit; vel si melancholica fuerit, à parte affecta trasmittitur in locum, vbi minera morbi residet, vt nouis paroxysmis materiam suppeditet.

Curatio Epilepsiæ duplex instituitur, alia in paroxysmo, alia extra paroxysmum.

Ad paroxysmi curationem rarò vocantur Medici, nisi ipse interdum longiùs protrahatur, quo in casu conueniunt eadem remedia, quæ pro soporosis affectibus fuere proposita. Præsertim vero aqua apoplectica, cinomami, aqua vitæ, & aliæ multum spirituosæ, ad paroxysmi materiam discutiendam efficacissimæ.

Extra paroxysmum curatio varianda est pro varietate causarum. Ac primum epilepsiæ idiopathicę curatio proponenda est, quæ in totius corporis euacuatione, materiæ morbificæ discussione, prauæque illius qualitatis emendatione, & cerebri roboratione consistit. Cùm autem materia peccans in idiopathica epilepsia, vt plurimum pituitosa sit: nos ad illius oppugnationem curationem vniuersam dirigemus, tyrones alioqui admonentes, vt si humores bilioſi, aut melancholici in vitio esse videantur, medicamenta illos præparantia, & expurgantia substituantur. Specifica verò remedia, à quacunque causa morbus oriatur, eadem perpetuo vsurpanda sunt.

Ad integram ergo curationem sequenti via procedendum est. Primò potio phlegmagoga erit propinanda, aut aliud medicamentum, ægrotantis naturæ accommodum, ex ijs, quę in frigida cerebri intemperie fuerunt proposita, iniecto prius clystere, si aluus non sit libera.

Postea si plenitudinis notæ appareant, aut æger sit sanguineo temperamento præditus, phlebotomia erit celebranda: sin minus, omittenda.

Mox cura vniuersalis frigidæ intemperiei cerebri supra propo-

propositæ sigillatim celebranda erit, hoc obseruando, vt decoctis, apozematis, diætæ sudorificæ, & syrupo magistrali, tum etiam masticatorijs, & pulueribus cephalicis addantur radix, & semen pœoniæ, & viscus quercinus, quę proprietate specifica epilepsiam curare, tota credidit antiquitas.

In diæta verò ex sudorificis guaiacum præferant, cuius vsu se multos epilepticos curasse refert Iachinus. Continuetur autem per triginta, vel quadraginta dies.

Singulis dosibus decocti sudorifici aliquot guttæ spiritus vitrioli addantur, qui etiam specificus creditur ad epilepsiam.

Notandum est, purgantia vsualia, nimirum pilulas, aut syrupum magistralem, in frequenti vsu habenda nempè semel aut bis in septimana, prout vires ægrotantis ferre poterunt, & per plures menses purgationes esse continuandas: imò ad fortiora interdum purgantia esse transeundum iuxta præceptum Massariæ, qui hinc fieri dicit, quod epilepsia rarò curetur, quòd Medici semper leuioribus inhæreant.

Hac ratione Chymici purgantia mineralia vsurpare solent, quæ à remotissimis partibus humores attrahunt: at non sine periculo, præsertim si à peritissimo artifice præparata non fuerit. Si tamen in hoc casu felix euentus ex huiusmodi remedijs aliquando contingat, ille in primis sperandus est ex mercurio per se, vel cum auro calcinato in furno arenæ, longo ignis regimine: probè cauendo, ne qua illius portio cruda adhuc, & volatilis maneat, quæ summam vehementiam medicamento conciliaret, aloqui satis blandè purganti, si cum pilulis cochijs, aut quod melius erit, cum extracto aliquo phlegmagogo, vel panchymagogo, pondere gr. iv. vel v. vsurperur.

Recens autem epilepsia sale vitrioli aliquando curatur, quemadmodum refert Angelus Sala, ex hoc remedio, quarto quoque die exhibito, se epilepsiam tertia exhibitione curasse. Posterius verò *curat.* 77. *cent.* 2. gloriatur se stibio calcinato ter exhibito puellam vndecim annorum ab epilepsia hereditaria liberasse.

Syrupus de peto Quercet. maximam vim habet ad curandam epilepsiam sed nonnisi à prudenti Medico vsurpandus, quia vehementissimum est medicamentum.

Loco opiatæ, dicto loco propositæ, sequens magis huic affectui specifica erit subroganda.

℞. Conseruæ flor. anthos. pœoniæ, bugloss. ana ℥ ß. corticis citri saccharo conditi ʒ ij. pul. visci quercini, sem. pœoniæ, decrescente Luna collecti, & vngulæ alci, ana ʒ ß. cranij humani non humati, ad albedinem calcinati ʒ. j. ß. corall. prep margarit. prep. & cornu cerui prep. ana ϑ. iv. lapid. bezoart. veri ϑ. j. diamoschi dulcis diatriasant. ana ϑ. ij. theriac. vet. & confect. de hyacinth. ana ʒ j. spiritus vitrioli gutt. xv. Cum syrupo condituræ corticis citri fiat opiata, de qua capiat ad magnitudinem auellanæ, superbibendo aquæ cinamomi parùm.

Sequens verò efficatissima est ad morbum radicitùs collendum post diligentem corporis purgationem.

℞. Conseruæ flor. betonicæ, & rorism. ana ʒ ij. ß. rad. eryngij conditæ, & mithridatij, ana ʒ j. pulu. ligni sassafràs ʒ vj. castorei ʒ ij. cranij humani non humati, vngulæ alcis ana ʒ ij. rad. & sem. pœoniæ: sem. nigellæ, rutæ sylvestris, & rad. pyrethri, ana ʒ j. oxymel q. s. Fiat opiata, de qua capiat ʒ ij. & iij. Reliquas omnes efficacia superat opiata Montagnanæ, cuius beneficio multi epileptici liberantur. Illius descriptio talis est,

℞. Rad. pœoniæ maris, stœchados, costi an. ʒ. x. agarici ʒ v. pyrethri, carui sem. anethi assæ fœtidæ, & aristol. rot. ana ʒ ij. ß. succi scillæ, & mellis electi, an. ℔. j. & ʒ ij. Scilla & mel simul coquantur lento igne, vsque ad bonam consistentiam; deinde superadditis speciebus fiat electuarium, de quo capiat æger ʒ ij. vel iij. pro ætatis ratione, continuando per 20. aut 30. dies.

Post vsum emplastri epispastici vesicatorium etiam syncipiti erit admouendum, & cauterium posteriori parti ceruicis.

At setaceum multò efficaciùs humores extrahit à cerebro; refertque Fabricius Hildanus se iuuenem, quotidie epilepsia laborantem, & cui frustra alia remedia adhibita fuerant, & puellam 18. annorum ab ipsa infantia epilepticam solo setaceo restituisse.

Si coniectura sit, vapores ad cerebrum exhalantes à partibus inferioribus affectum producere, vel fouere; vtilissimum erit, causticum sincipiti admouere, vitatis futuris: refert enim Carolus Piso, duos epilepticos hoc cauterio fuisse curatos. Tum etiam, si à partibus inferioribus affectus producatur, aquæ acidulæ mirabiles sæpè effectus producuntur, & morbum interdum radicitùs tollunt, si priùs euacuationes vniuersales, & venarum inferiorum sectiones celebrentur.

Peculiariter verò ab vtero procedens epilepsia, curationem sortitur, puluere granorum actes à Quercet. descripto in Pharmacop. restit. per triduum exibito ad ʒ j. cum aqua quandam hysterica.

Si cætera non profuerint, extremum remedium erit syncipiut terebello persodere, vitatis futuris, vt hoc veluti spiraculo aura maligna exhalare possit. Hoc remedio aliquando desperatæ epilepsię curatę sunt. Et sine periculo celebrari potest, si periti Chirurgi manus adhibeatur.

Vtatur æger pro potu ordinario hydromelite, vel bocheto ex guaiaco, & rad. pœoniæ.

Sacculus de collo suspensus continuò gestabitur, in sequentem modum paratus.

℞. Rad. pœoniæ visci quer. ana ʒ. j. vngulæ alcis ʒ ij. nucis mosch. caryopyll. macis ana ʒ ij. fol. rutæ, & hyssopi, ana ʒ j. ß. Puluerizentur, & rubro sindone excipiantur. Fiat iaculus, deferat appensum collo, sæpè illum odorando.

Post vniuersales euacuationes inter aliorum remediorum vsum specifica præsertim morbus oppugnandus est, quorum infinitus ferè numerus reperitur apud Authores. Nos ex selectioribus nonnulla proponemus, præter opiatas supra descriptas, quæ ad hunc morbum expugnandum non infimum locum obtinent.

Rondeletius maximè commendat aquam hirundinum, quam etiam ab eo mutuatus est. Quercetanus in pharmacopœa. Non minoris est pretij aqua theriacalis cephalica, & syrupus antepilepticus, ab eodem Quercetano dicto loco descriptus.

Radix valerianæ sylvestris à Fabio Columna tantopere celebratur, vt semel, aut bis exhibitam ab epilepsia liberare affirmet. Refertque se hanc multis amicis dono dedisse, qui deinde diuino priùs numine, & fautore glorificato puluere huius radicis sibi restitutam sanitatem affirmarunt. Dosis autem est cochleare semis cum vino, aqua, lacte, aut quouis liquore appropriato. Pueris verò in minore dosi cum lacte datur.

Chymici valdè commendant mixturam spiritalem, quà in epilepsia nullum medicamentum præstantius exoptari posse asserunt. Illius autem compositio talis est.

℞. Spiritus vitrioli partem vnam, spiritus tartari partes tres aquæ theriacalis camphoratæ partes quatuor. Misceantur, & vitro bene clauso, per tres, aut quatuor septimanas digerantur. Dosis est ʒ j. in conuenienti vehiculo.

Rulandus oleum ligni heraclei (quod corylinum esse affirmant Chymiatri.) in frequenti vsu habebat, & nonnullas historias refert in centurijs eorum qui huius medicamenti vsu ab eo morbo liberati sunt. Dosis autem est trium, vel quatuor guttarum cum liquore idoneo per quinque dies.

Huic nullo modo cedit, aut fortè multò præstantius est oleum succini albi, à perito artefice extractum, quod nullum empyreuma redolet, imò verò fragrantissimum expirat odorem. Dosis ϑ ß. ad ϑ. j.

Oleum buxi ad gutt. iv. cum pari quantitate spiritus sulphuris, & aquæ flor. tiliæ arboris ʒ iv. per aliquot dies exhibitum insignis est efficaciæ, & à multis creditur verum ligni heraclei oleum, & per descensum elicitur.

Crato cinnabarim natiuam epilepsiæ magnetem vocat, ex eaque talem puluerem parat.

℞. Cinabaris natiuæ pellucidæ limatæ, & in tenuissimum puluerem tritæ ʒ ß. coralli rubri, & margarit. præparat. ana ϑ. ij. croci orientalis ϑ. j. fol. auri n. xv. Terantur omnia subtilissimè super lapidem. Dosis in ipsa accessione à granis vj. ad ϑ j. in aquis appropriatis.

At non minoris virtutis censetur à non paucis Chymiatris cinabaris antimonij, quæ post mercurij vitæ extractionem elicitur. Si enim æquali pondere iungatur cum magisterijs perlarum, corallorum, & cranij humani, specificum esse aiunt in epilepsia etiam inueterata. Dosis à granis x. ad xv. in liquore idoneo.

Sympathicæ epilepsiæ curatio ad partem primariò affectam dirigenda, eaque remedijs conuenientibus, è proprijs capitibus desumendis, euacuanda, & roboranda est: non omissis specificis, & antepilepticis, quæ in omni epilepsia perpetuò vsurpanda sunt. Attamen, si à parte aliqua externa

conci-

concitetur epilepsia, præter curationem vniuersalem ad eam peculiariter respiciendum est, & materia maligna in ea contenta educenda cucurbitulis scarificatis vesicatorijs, & cauterijs admotis. Et si malum perseueret, supra cauterium post escharæ casum cucurbitula frequenter admoueatur: ac tandem, vrgente, necessitate, ad cauterium actuale confugiendum est. Si à cranij carie malum oriatur trepano, & vstione illa auferenda est.

CAPUT VIII.

De Epilepsia Puerorum.

QVia iste morbus pueris familiaris, in ijsque plerunque acutus, & valdè periculosus esse consueuit; ideò peculiaris illius curatio hic seorsim subnectenda est, vtpote ab adultiorum curatione valdè diuersa.

Primò igitur suppositorio, vel clystere aluus soluenda est.

Posteà, & ferè eodem tempore, purgans medicamentum exhibendum satis validum, pro ætatis robore, ita, vt non dubitemus in puerulis vnius anni electuarium diacarthami ad dr. ij. exhibere, si sit affectus ex lacte corrupto, vel

℞. Hieræ picræ ℈. ß. vel ℈. j. pulu. de gutt. ℈. ß. Cum liquore specifico, vel cum melle rosato; fiant pilulæ, dentur.

Cucurbitulæ scapulis & lumbis admoueantur, & cum scarificatione, si puer sit grandior.

Vesicatorium applicetur posteriori parti ceruicis.

Si purgatio non rectè processerit, aut parum profecerit; vomitus prouocandus est vitriolo albo præparato, vel etiam sale vitrioli, quod bis, ter, aut quater exhiberi potest si affectus protrahatur. Pulvis epilepticus, *de gutteta* vulgò nominatus, frequenter exhibeatur cum lacte, iusculo, & panatelis à ℈. ß. ad ℈. j.

Ille autem pulvis de gutteta in vulgaribus Pharmacopœis descriptus non habetur; sed in Mospelienſibus officinis vulgò componitur ex traditiua descriptione, quæ talis est.

℞. Rad. pœoniæ sem. eiusdem, dictamni albi, visci querc. ana ℥. ß. sem. atriplicis ℈. ij. cranij humani ℥. iij. corall. rubr. præparati, hyacinthorum præpar. ℈. j. ß. vngulæ alcis præpar. ℈. ß. moschi ℈. j. tol. auri ʒ. Misce, fiat pulvis.

Exhibeatur etiam aquæ alicuius antepilepticæ cochlear. exiguum, vel eius defectu aqua cinam. vel imperialis: vel guttuæ aliquot mixturæ spiritalis cum liquore idoneo.

Occipiti admoueatur emplastrum de ammoniaco derasso capillitio, fluxionem enim impedit à capite in spinam ruentem per partes exteriores.

Sinciput verò sequenti pulvere sinapizetur.

℞. Nucis mosch. ℈ ß. granor. pœoniæ ʒ j. flor. lauendulæ p. j. succini ℈. ij. Fiat pulvis.

Vel roborans emplastrum applicetur, in curatione frigidæ intemperiei cerebri descriptum.

Olei succini guttæ ij. vel iij. cum pari quantitate spiritus vitrioli, in aqua betonicæ exhibitæ, puerulos à paroxysmo epileptico statim plerumque liberant. Idem oleum naribus illitum multum confert. Loco olei succini oleum buxi per descensum paratum vtiliter exhibetur; tum etiam aqua flor. tiliæ arboris aqua betonicæ vtilior in hoc casu censetur.

Fumus tabaci pueros ab insultu epileptico liberat, si minister eum, tubulo attractum, in os pueri apertum frequenter sufflauerit.

Spina dorsi, & membra, quæ contrahuntur, inunguntur sequenti linimento.

℞. Ol. rutacei, lumbricorum ana ℥ ij. ol. de castoreo ℥ j. aquæ vitæ parum. Fiat linimentum.

℞. Theriacæ, vel ʒ j. confect. alKermes, & de hyacintho, ana ℈. j. aquarum betonica, saluiæ, maioranæ, & cinnamom. ana ℥ ß. Misce, foueantur nares, tempora, & aures.

Eiusdem aquæ cochlear. j. per os poterit exhiberi.

Maiori tamen efficacia inunguntur nares, tempora, & vertex capitis balsamo apoplectico ad soporosos affectus descripto.

Interim etiam os, & palatum, vrgente necessitate, eodem balsamo inungi possunt.

SchencKius exotericorum experimentorum cent. 5. n. 85. ex Georgio Kufnero hæc habet. *De epilepsia puerorum expertum Medicamentum. Detur de mosscho fino ex mero subtili, bis, vel ter in die parum, & sic perfectè curantur.*

Dum hæc omnia fiunt, clysteres semel, aut bis in die injiciendi sunt, in hunc modum compositi.

℞ Rad. aristol. rotundæ, polypodij quercini sem. cattnami, ana ℥ ß. sem. pœonia, cucumi ana ʒ. iij. flor. chamomel. & anthos, ana P. j. Coquantur ad ℔. j. De colat. capc ℔ ß. hieræ picræ dr. iij. mellis antosati ℥. j. olei rutacei & liliorum, ana ℥. iij. Fiat clyster.

Inter specifica duo sunt maximè laudata, quæ ideò merentur ad experimentum reuocari.

Vnum est radix valerianæ syluestris, supra à Columna commendata, quam ipse asserit in puluerem redactam, & cum lacte exhibitam, multos puerulos liberasse.

Alterum est felcatelli lactentis, quod ab Vntzero hisce verbis prædicatur. *Sume catellum parum nigrum, adhuc sugentem (profœmella verò epilepticâ sume catellam) eumque strangula, ac interfice. Exinterfecti, & per sectionem aperti corpore extrahe totam cystim felleam vix iij. vel iv. guttas sincere bilis in se habentem. Illum biliosum sucum omnem puerulo in paroxysmo epileptico cum pauxillo aquæ flor. tiliæ profusa, & miraculi instar videbis illum ab hoc morbo è vestigio sanari, & curari.*

Si puer epilepticus adhuc lac sugat, habenda est cura nutricis, illiusque lac diligenter examinandum, ne vitio aliquo laboret. Victu nihilominùs attenuante vtatur, & laudabili. Vino interdicatur, bibat aquam, vel hydromel, vel bochetum salsæ parillæ.

Pueri denique nonnulli adeò huic morbo obnoxij sunt vt semel curati tamen soleant recidere. imo verò in quibusdam familijs omnes liberi hoc morbo solent interfici. Ideò tum ijs, qui nuper in lucem editi sunt, tum qui a morbo conualuerunt, debetur prophylaxis.

Primò igitur recens natis, antequam lactari incipiant, detur pulueris de gutteta ℈. j cum pauco lacte, eadem dosi, ter repetatur intra duos dies.

Ijsdem verò post aliquot dies à partu, tum etiam ijs, qui semel epilepsia correpti sunt, causticum occipitio inurere vtilissimum est. At multo vtilius cauterium actuale, quod apud nostrates neutiquam vsurpatur, à vehementioribus remedijs, vt terrorem aliquem in cutem illos, achorrentes Rondeletius tamen huiusmodi cauterium, actuale Florentiæ tam vsitatum esse affirmat, vt ipsa mulieres illud, vt torrem ignitum, plerumque applicare soleant. Idipsum testatur Aquapendens in operatic nibus chirurgicis & modum applicandi docet cap. proprio de exustione occipitij infantibus, & puerulis.

Purgetur puer bis in mense cum manna, syrupo rosaceo, aut de cichorio cum rhabarbaro.

Singulis interlunijs capiat dosin pulueris epileptici, de gutteta dicti.

Paretur cucurpha cerebrum roborans, & suffumigium pro tegumentis capitis, iuxta descriptiones in curatione frigidæ intemperiei cerebri propositas. Tum etiam poterit inspergi capillis puluis, ad curationem huius affectus supra descriptus.

Nonnulli denique ad præseruationem hoc remedium commendant.

℞. Spiritus vini ℔. iv. castorei ℥. j. rad. pœoniæ ℥. iij. Macerentur, & colentur. Colatura totum corpus infantuli abluatur calidiusculè.

CAPVT IX.

De Vertigine.

VErtigo est falsa imaginatio; in qua omnia obiecta, & caput ipsum rotari, ac circun agi videntur, vt ager sæpè in terram decidat; nisi propinquis adminiculis nitatur.

Obijci potest, in vertigine non læsam imaginationem; quia si hoc esset, vertiginosi putarent obiecta vere in gyrum verti, quemadmodum phrenitici & melancholici verè putant illud esse, quod imaginantur. Respondemus in vertigine rationem manere integram quæ cognoscit imaginationis errorem: in phrenitide verò, & melancholia rationem cum imaginatione affici.

Duæ illius proponuntur differentiæ. Vna vertigo simpliciter δινος Græcis nominatur, in qua visio illesa permanet. Altera σκοτωμα tenebricosa vertigo nominatur, in qua oculi simul obtenebrantur, ijsque veluti fumus, aut nubes quædam offertur.

In vtraque vertiginis specie visio aliquantulum læditur, quia

quia spiritus, qui ad oculos tendere rectà solent, per neruos visorios transuersim mouentur, vnde oculos illis non adeò commodè fruitur. Sed in vertigine tenebricosa vehementior est spirituum commotio, ita, vt minùs ad oculos ferantur, vnde visio obtenebrantur.

Causa proxima vertiginis est circumuolutio spirituum, producta à materia vaporosa, vel flatulenta quæ in cerebri ventriculos, ac plexum choroidem irruens spiritus animales exagitat & in gyrum commouet, vnde species obiectorum, per spiritus illos delatæ, pari motu cientur: atque ita obiecta ipsa eodem motu fieri videntur.

Verùm hic dubitare licet, cùm vertigo sit symptoma actionis læsæ, & omnis actio læsa ab aliquo morbo immediatè dependeat, quomodo circumuolutio spirituum possit esse causa proxima vertiginis, cum illa ad nullum morbi genus referri valeat? Cui dubitationi respondendum est, circumuolutionem spirituum esse morbum in situ, tunc enim spiritus non seruant eum situm, quem debet naturaliter obtinere, sed perperam, & præternaturaliter mouentur.

Hæc tamen responsio grauem patitur instantiam. Morbus enim est affectus veræ partis, spiritus autem non sunt veræ partes. Respondemus, axioma illud verum esse vt plurimùm, non autem perpetuò. Et vt consistere possit Galeni doctrina, qua sancitum est, illud quod primò, & per se actionem lædit, esse verum morbum: dicendum est, nomen partis latiùs paulo vsurpari debere, vt ea omnia comprehendat quæ ad corporis constitutionem concurrunt, & quæcumque alicuius partis actionem lædunt, morbi nomine esse afficienda. Sic color flauus in oculo visionem lædit immediatè, & ideò dicitur esse morbus in numero. Sic sapor amarus in lingua, & sonitus aurium sunt morbi in numero excedente, quatenus in iis partibus est aliquod præter illa ex quibus naturaliter constituuntur, quod actionibus officit. Eodem modo circumuolutio spirituum in ventriculis cerebri est morbus in situ propter rationem dictam.

Vapores autem illi ex prauis humoribus eleuantur non continenter & assiduò; sed per circuitus, & interualla, quoties à causa aliqua externa excitantur. Illi autem humores sunt, quicunque vapores, vel flatus emittere nati sunt: sanguis nimirùm bilis, pituita, melancholia, & humor serosus; cùm tam calidus, quàm frigidus vapor vertiginem excitare possit, vt docet Galen. *de loc. affect. cap. 8. & comment. Aph. 23. sect. 3.*

Humores illi praui vel continentur in cerebro, vel in partibus inferioribus. Hinc duplex emergit vertiginis differentia, idiopathica scilicet, & sympathica.

Humores aquei; & pituitosi in cerebro cumulati, flatus, & vapores emittunt ad ventriculos eiusdem, qui in ijs rotantur, & vertiginem excitat. Atque adeò vertigo idiopathica plerumque est epilepsiæ, aut apoplexiæ prænuntia.

In partibus verò inferioribus, ventriculo præsertim, & liene, humores contenti facilè ad cerebrum vapores transmittunt, qui si ventriculos, & arterias subeant, vertiginem efficiunt.

Causæ externæ sunt, quæcunque humores subito fundere, & in vapores dissoluere, vel flatibus illis, & spiritibus motum inordinatum conciliare possunt. Inter illas recensetur ab Hipp. *Aphor. 17. sect. 2.* austrina constitutio, & subita aeris mutatio. His addantur Solis ardor, cibi vaporosi, & flatulenti, allium, sinapi, raphanus, legumina; tum etiam ebrietas, ingluuies exercitia immodica, & intempestiua, euacuatio solita suppressa, ira, balneum, inedia, maximè in picrocholis: frequens, ac diuturna corporis circumgyratio, diuturnus rotarum, & rerum in circulum motarum intuitus, & aquarum, præcipiti cursu labentium, prospectus ex loco altissimo in profundum, casus, ictus, & percussio capitis vehemens, fractura, vel depressio cranij cerebri compressionem inducens.

Diagnosis huius affectus in genere nulla proponenda est; quandoquidem affectus per se satis patet. Attamen in specie signa partem affectam, & morbi mineram continentem, tùm etiam humorem peccantem indicantia proponenda sunt.

Idiopathicam vertiginem ex cerebri affectione ortam ostendunt capitis dolor, & grauitas, alicuius sensus oblæsio, vt visus caligo, seu hebetudo, aurium tinitus, & grauis auditus, olfactus, gustusque imminutio, Arteriarum capitis pulsatio, & aliarum partium incolumitas.

Materiam peccantem signa indicantia hæc sunt. Pituitam exhuberantem significant sensuum interiorum, & exteriorum hebetudo, capitis grauitas, ad motum pigrities, somnolentia, spuitio multa, inappetentia, sitis carentia, vrina alba, & cruda, & reliqua pituitæ redundantis indicia.

Biliosam verò materiam peccare ostendunt vigiliæ, iracundia, actionum promptitudo, sitis, oris amaror, pulsus celeritas, vrina tenuis, & flaua, & similia.

Atrabilarium humorem significant timor, mœstitia, cogitationes turbulentæ, vigiliæ importunæ, insomnia horrenda, ructus acidi, & similia.

Sanguinem verò redundare ostendunt venarum tensio, & tumor, faciei rubor, & calor, pulsatio temporum, capitis grauitas, actensio, somni longiores, insomnia rerum rubrarum, lassitudo, pandiculatio, vrina rubra, & crassa, aliquando tenuis, & perspicua, ex translatione sanguinis ad caput.

Vertigo sympathica dignoscitur ex absentia symptomatum à capite manantium, & quòd nullum vitium in cerebro appareat, qui in aliqua pars inferior sensibilem noxam patiatur.

A ventriculo procedere vertiginem, ostendunt inappetentia, nausea, ructus acidi, vel nidorosi, dolor ventriculi, aut inflatio.

Iecoris lienis, aut vteri consensu fieri vertiginem, ostendunt eadem signa; quę pro Epilepsia sympathica, ab ijsdem partibus oriunda, superiore capite fuere proposita.

Prognosis huius morbi in hunc modum instituenda est.

Vertigo recens, & raro inuadens, quæ non nisi à causis externis excitatur, leuior est, ac curatu facilior: contra verò, quæ grauior est, frequentior, & antiqua, Epilepsiam, aut in apoplexiam plerumque degenerat.

Vertigo in senibus magis periculosa; quia ipsorum cerebrum frigidus, ac debilius est, pituitaque abundans.

Vertigo, in qua non solùm res externæ; sed etiam caput & totum corpus circumagi videntur, & quæ cum visus læsione accidit, periculosior: maiorem enim causæ vehementiam significat. Et si æger in terram concidat, imminentem Epilepsiam, aut apoplexiam prænuntiat.

Vertigo à calidis humoribus oriunda citiùs soluitur, quàm quę à frigidis, quia humores calidi faciliùs discutiuntur.

Curatio vertiginis cum epilepsiæ curatione multum conuenit, cùm ab ijsdem propemodùm causis vterque affectus oriatur. Vnde fit vt vertigo sæpè in epilepsiam degeneret. Attamen cùm vertigo sit leuior affectus, non tanto indiget remediorum apparatu, vt Epilepsia; sed ea sufficient, quæ nos hic summati indicabimus, vbi simul, quid hic morbus peculiater desideret, breuiter exponemus.

Primò itaque si sanguis in toto corpore, vel in capite, abundet; phlebothomia celebranda est, & sanguis per interualla educendus, clystere præmisso aliquantùm acriori.

Deinde purgatio solemnis instituatur apozemate propositio in curatione frigidæ intemperiei cerebri.

Posteà ad particulares cerebri euacuationes veniendum est per errhina, sternutatoria, & apoplematismos dicto loco propositos.

Cucurbitulæ tum siccæ, tum scarificatæ, frictiones partium extremarum, & apertio hæmorrhoidum celebrentur reuulsionis gratia.

Uesicatoria, & cauteria ad deriuationem applicentur, tandem adhibenda, quæ cerebrum roborant, vapores, & humores discutiunt tam interna, quàm externa, vt opiata puluis, & cucupha, secundùm formulas loco dicto descriptas.

Neque omittatur puluis digestiuus, quia ventriculi imbecillitas etiam idiopathica ad huius morbi generationem sæpissimè concurrit.

Ac denique vsurpanda ea remedia, quæ proprietate specifica vertiginem curare æstimantur, qualia sunt pro epilesia curanda fuerunt proposita. Nimirum aquæ antepilepticæ, balsamum pro inunctione narium, temporum, & verticis capitis, oleum succini, puluis ex cinabari, & alia per multa.

Laudatur etiam à Quercetano in Pharmacopœa *cap. 20.* remedium ex stercore pauonis, cuius præparationem, & vtendi modum apud Authorem videre est.

Si morbus pertinaciter obsistat remedijs propositis, ad diætam ex guaiaco veniendum est.

Con-

Conserua florum calendulæ à nonnullis tanquam specificum vertiginis maximè commendatur.

Cauterium syncipiti admotum maximè laudatur à Zacuto Lusitano *lib. 1. Praxis admirandæ obs 28.* his verbis *Vir quidam tenebricosa vertigine adeò vexabatur, vt illi cerebrum ferè continuò in gyrum ageretur. Cumq; plura expertus esset auxilia, & de futura apoplexia timor esset, nullo alio præsidio (præter vacuationes vniuersales, & particulares, celebratasque in variis partibus fontanellas, setonemque nuchæ affixum,) quam cauterio bregmati impositio, potuit persanari. Quo solo plurimos cerebri morbis exitialibus correptos præter Medicorum votum, ad sanitatem, vlceribus diu fluidis permanentibus, perduxit.*

CAPUT X.

De Tremore.

TRemor, Græcis τρόμος dictus, est motus inuoluntarius, deprauatus, quo membrum per vices eleuatur, & deprimitur ex mutua facultatis, & grauitatis membri contentione.

Dicitur motus deprauatus à Gal. 2. *de sympt. caus. cap. 1.* idemque reperit *lib. de sympt. different c. 3.* Sibi tamen videtur contradicere, dum *lib. de tremore, c. 4.* tremorem recenset inter motus diminutos. Verum conciliari potest illa contradictio; dicendo, motum dupliciter considerari posse; vel secundum seipsum, vel ratione facultatis. Si consideretur secundum seipsum, est deprauatus: quia non fit eo pacto, quo deberet. Si secundum facultatem; est motus diminutus: quia fit à facultate debili, qua satis fortes motus edere non potest.

Instabit aliquis, à facultate debili semper imminutam actionem fieri, non autem deprauatam. Respondeo, id verum esse, si tota actio à sola facultate dependeat. Sed tremor fit partim à facultate, partim à grauitate partis, ideò est motus deprauatus.

Facultas motrix membrum attollere, & in eo situ continere nititur; grauitas verò membri illud deorsum deprimit, vnde motus ille tremulus contingit.

Causa proxima tremoris est imbecillitas facultatis motricis, seu potius instrumenti proximi illius, nempè spiritus animalis, qui non sufficit ad motum voluntarium perfectè exercendum.

Debiliores fiunt spiritus, vel ob vitium proprium ipsorum, vel ob neruorum defectum, qui sunt canales, per quos illi deferuntur, & actiones suas exercent.

In spiritibus vitium residet, vel quando sufficienti copia non generantur; vel geniti dissipantur.

Non generantur insufficienti copia, vel ob frigidam cerebri intemperiem, vt senibus plerumque contingit: vel ob inopiam vitalium spirituum, qui sunt materia animaliū.

Dissipantur verò spirituus à multis causis externis, vt immodicis euacuationibus, venere immoderata, & intempestiua, dolore magno, diuturno tetunio, mœrore, & in morbis vehementioribus diuturnis.

Neruorum defectu vitiantur spiritus, ac debiliores fiunt, cum illi, vel frigida intemperie laborant, vel maligna quadam qualitate inficiuntur, vel obstruuntur, vel comprimuntur.

Frigida intemperie afficiuntur ab aere valde frigido, vsu alimentorum frigidorum, & largo frigidæ potu, natatione frequenti in aqua frigida, & alijs huiusmodi.

Maligna qualitate afficiuntur ab vsu opij, hyosciami, papaueris, vel ab hydrargyri vapore, vt in auri fabris contingit, vel lue venerea affectis, qui per cinnabaris suffitum curati sunt. Sic in febribus malignis tremores ab eadem causa sæpè contingunt; qui tamen ad motus conuulsiuos potiùs referendi, & ab irritatione partium neruosarum frequenter oriuntur.

Obstruuntur non totaliter, vt in paralysi, sed multò leuiùs, ab eadem tamen causa, humore nempè pituitoso neruos leuiter irrigante, qui à crapula, vinolentia, alijsque causis produci solet.

Denique à neruorum compressione potest interdum fieri tremor, quando humores excrementitij, in toto ambitu redundantes, neruos comprimunt, & liberum spirituum animalium influxum impediunt.

Hercules Saxonia, præter causas propositas, à Gal. mutuatas, alium tremorem agnoscit à flatibus excitatum, & Cardanus alium, qui à vellicatione partium neruosarum fiat. Verum in eo decipiuntur, quod motus ab illis causis oriundi ad palpitationem, aut motum conuulsiuum referri debeant.

Diagnosis huius affectus nulla alia necessaria est, siquidem tremor per seipsum patet. Causæ vero illum producentes, ex proprijs signis dignoscendæ sunt; tum causa externæ, quæ præcesserunt, diligenter inuestigandæ.

Quod ad prognosin attinet, tremor per se periculosus non est; sed inclinante ætate aduenies ad mortem vsque ægrum comitatur. Per accidens tamen lethalis esse potest, quatenus paralysin, aut apoplexiam sæpè præcedere solet.

Curatio tremoris eadem instituenda est, quæ pro paralysis curatione fuit proposita; vt eam hic frustra repetere non opus sit.

CAPVT XI.

De Phrenitide.

PHrenitis est inflammatio cerebri, & membranarum eius cum delirio perpetuo, & febre acuta continua.

Inflammationis nomine verum tumorem intelligimus, qui vulgò systrophica inflammatio nominatur, ex sanguine extrauersato, & in partis substantiam effuso, oriunda. Ille autem sanguis calidus, atque biliosus est, & in cerebri membranis, ipsaque substantia erysipelas exquisitum, vel erysipelas phlegmonodes, vel phlegmonem erysipellatodem inducit.

Per delirium autem ratiocinationis errorem præcipuè intelligimus. Nam imaginationis solius errorem sine vitio ratiocinatricis in phrenitide contingere non posse censemus, quidquid alij sentiant, Gal. authoritate persuasi, qui *lib. de sympt. differ. c. 3.* exemplum proponit Theophili Medici, qui tibicines quosdam angulum domus, vbi decumbebat, occupasse, assidueque sonare putabat; atque illos se intueri rebatur partim stantes, partim verò sedentes, & continuò exclamabat, vt foras ejicerentur. In eoque dicit Gal. imaginationem fuisse læsam, illæsa ratiocinatione. Primò enim dicere possumus, Theophilum illum phrenitide non fuisse affectum. Gal. enim hunc morbum ipsi non adscribit, cuius verba hæc sunt, de delirio verba faciens, *quod genus Theophilo Medico ægrotanti contigit*; sed eum potius melancholiæ morbo affectum fuisse: quandoquidem melancholici non rarò errant tantùm circa vnum obiectum, & in reliquis constant, & benè habent. Sic de Teophilo dicit Gal. quod in reliquis illi prudentia surperfuerit, & disputandi, & præsentes exactè noscendi. Verum vlteriùs dicimus, in Theophilo non solum imaginationem; sed etiam ratiocinationem fuisse læsam. Quia verè putabat tibicines adesse, eosque ejici cupiebat. Nam quando sola imaginatio læditur, ratio illæsa illum imaginationis errorem agnoscit, vt in vertigine contingit, in qua ægris videntur omnia circumuolui. Attamen ratio agnoscit, non reuera ita fieri, sed in eo imaginationem errare.

Neque tamen recipienda est in hoc casu Eustachij Rudij sententia, qui statuit nunquam fieri posse, vt imagnatio laedatur, ratiocinatione illæsa; quia ratiocinatio circa phantasma operatur ab imaginatione decepta. Atque adeò, si ratiocinationi absurda phantasmata afferantur; necesse esse putat, vt intellectus praua illa phantasmata speculando, praue quoque & absurde speculetur. Et hinc colligit Eustachius Rudius, in vertigine non esse imaginationem deprauatam, sed meram fieri, & simplicem visionis hallucinationem. Dicimus enim intellectum ab vno ad alium discurrere, & circa species memoria retentas etiam occupari. Atque adeò licet phantasia aliquid absurdi menti offerat; attamen si species antea perceptæ in memoria adhuc retineantur, & rationi offerantur, errorem illum phantasiæ cognoscere, & corrigere potest: si nempe iudicet absurda illa phantasmata, quæ illi ab imaginatione deprauata offeruntur, neque loco neque tempori, neque alijs circumstantijs, quæ adhuc in memoria habentur, & vera esse scit, conuenire. Sic in vertigine ratio se bene habens rerum omnium externarum, quæ visui offeruntur, vt parietum, laquearium, & pauimentorum circumuolutionem impossibilem esse iudicat, atque adeò falsò imaginationi repræsentari. Sic Philosophus ille, qui à cane rabido demorsus fuerat, dum illi imaginatio lædi incipiebat balneum ingressurus, falsam canis imaginem in balneo percipiebat, quem tamen imaginationis errorem ratio adhuc in-

integra redarguens, hæc illi verba suppeditauit, *quid cæni cum balneo?* Et statim balneum seconiecit, cuius ope à morbi imminentis, nempè hydrophobiæ periculo liberatus est.

Phrenitidis species duæ sunt præcipuæ. Vera nempè, & legitima, quæ proposita definitione exprimitur: Alia non vera, sed spuria, quæ paraphrenitis appellatur. Vera phrenitis alia est in dispositione, quæ frequentissima est: alia verò in habitu, quæ hectica nominatur, in hac bilioſi humores altius cerebro infiguntur, & plures illius partes occupant, ac tincturæ instar adhærent. Paraphrenitis verò fit, dum calida intemperies cerebro communicatur, vel à toto corpore, vt in febribus ardentibus contingit; vel ex cuiusdam partis inflammatione, ventriculi v. g. hepatis, pulmonis, & potissimum diaphragmatis; quod inflammatione delirium, verę phrenitidis æmulum, scilicet perpetuum excitare solet. Quod fit ex magno consensu, qui inter cerebrum, & diaphragma intercedit, propter neruos insignes, qui ad illud feruntur, & ex motu perpetuo diaphragmatis, cuius ratione perpetuos vapores ad cerebrum transmittit.

Causa verò phrenitidis est sanguis bilioſus, cui etiam bilis excrementitia vt plurimùm admixti est; & pro varijs illius gradibus, maiori scilicet, vel minori feruore, aut adustione, grauiorem, aut leuiorem phrenitidem producit. Sic bilis pallida omnium mitissimam; adusta verò ferinam excitat phrenitidem.

Vt verò fiat inflammatio cerebri, & membranarum; oportet sanguinem illum bilioſum extrauasari, & in dictarum partium substantiam effundi; quod duobus præcipuè modis fieri consueuit, vel cerebro primariò affecto, vel secundariò.

Primariò afficitur cerebrum, quando immediatè à causa aliqua externa incalescit, vt radiis solaribus, meri potu, ira, & similibus, vt sanguis in venis cerebri commotus extra vasa feratur; quod etiam à vulnere, percussione, contusione capitis fieri potest. Et phrenitis hoc modo genita primaria phrenitis dici potest.

Secundaria verò phrenitis illa est, quæ febribus ardentibus, vel malignis succedit, quando humoris morbifici portio ad cerebrum detruditur.

Fiat enim plerumque in huiusmodi febribus, vt naturaà causæ morbificæ malitia perturbata illius portionem ad viscus aliquod deponat. Vnde videmus pleuritides, peripneumonias, anginas, hepatitides, aliarumque partium inflammationes illis febribus superuenire. Ita si humores illi ad cerebrum transmittantur, veram phrenitidem efficiunt: & tunc febris delirium præcedit: in primarijs verò delirium ab initio cum febre apparet.

Signa phrenitidem imminentem indicantia sunt vigiliæ, somni turbulenti, sermo immodicus, vrina primùm crassa, mox tenus, & diaphana, calor capitis. Hæc enim indicant materiam calidam ad caput ferri. Oculi immutantur, quia, læso cerebro, spiritu animali destituuntur. Dolor circa occiput persentitur, quia venæ iugulares ad eam partem feruntur & sanguinem bilioſum refundunt.

Præsentem verò phrenitidem indicant delirium assiduum, quia cerebrum indesinenter afficitur; vigiliæ turbulentæ, ab intemperie calida cerebri productæ, respiratio magna, & rara, quia phrenitici respirare obliuiscuntur. Cum enim per obliuionem, aut maximam mentis occupationem ab infinitis phantasmatis, quæ in imaginatione delira repræsentantur, & spiritus animales auocant, rara fiat respiratio, magitudine raritas compensatur. In phrenitide etiam sitis nulla est, aut saltem perexigua: quamuis præsentes sint intensæ sitis causæ, quia mens ægrotat, & quia animales spiritus ob læsum cerebrum non mittunt radios sufficientes ad os ventriculi superius, ad quod sitis pertinet. Pulsus paruus est, quia cor compatitur, durus, ob membranam inflammatam, celer, & frequens, propter magnam necessitatem, nonnihil vndosus, quia cerebrum afficitur. Febris etiam est continua; quia inflammatio cerebri necessariò febrem accersit. Lingua denique aspera & admodum nigra, vel citrina, propter vapores bilioſos, illius humiditates absumentes.

Hectica phrenitis ex eo dignoscitur, iuxta Hipp. præceptum 1. *prorrhet. text.* 33. quòd in ea delirium sit mite & obscurum, ægri non loquantur, sed quieti maneant, atque dormire videantur.

Phrenitis vera à paraphrenitide distinguitur, ex eo, quòd affectus, qui hanc producit, multò citius manifestetur, quàm delirium; & eo ingrauescente, vel mitescente, delirium intendatur, vel minuatur, imò per vices intermittit, & non est continuum. At verò paraphrenitis ex septi transuersi inflammatione orta, in qua delirium est continuum, alijs signis distinguitur. Quod nimirùm in vera phrenitide respiratio sic magna, & rara, in ista verò parua, & frequens. Parua quidem, quod diaphragma inflammatione obsessum, non possit facilè extendi, & dilatari: frequens verò, propter necessitatem, vt frequentia paruitas compensetur. Deinde in vera phrenitide vox est grauis, & in ea ægrotantes admodum vociferantur: in hac vero vox acuta, quia respirationis organum est impeditum. Ac denique in septi transuersi inflammatione hypochondria sunt sursum reuulsa secundum Hipp. *in Coacis*. Et ratio est, quia diaphragma inferiori parte tegitur membrana, à peritoneo mutuata: atque ita, dum inflammatur, peritonæum retrahit, & cum peritonæo hypochondria.

Causarum denique signa ex humoris in toto corpore prædominio, tum etiam ex modo delirij mutuari poterunt. Pallida etiam bilis phrenitidem efficit mitiorem, flaua ferociorem adusta, ferocissimam. Sanguis verò bilioſus omnium mitissimam, & cum risu coniunctam.

Prognosis huius affectus, vt plurimum lethalis est, pauci enim euadunt, quia pars nobilis grauissimè afficitur.

Maximam tamen solutionis spem præbent delirium cum risu, omnium symptomatum vehementia minor, virium constantia: tum si post summum morbi vigorem insignis aliqua euacuatio contingat, per sudores, hæmorrhagiam, aut alui fluxum.

Lethalem verò affectum ostendunt, lingua, & manus tremulæ, stridor dentium, conuulsio, rigor in principio morbi apparens, & quando ægri floccos, & sarcinas colligunt, & festucas carpunt. Eiusdem efficaciæ sunt ad prognosin lethalem efficiendam, stilla sanguinis nigri è naribus emanans, albę, deiectiones, vrinæ albæ, & pellucidę. Hęc enim omnia significant magnam cerebri oppressionem, vel bilis à toto corpore in partem affectam translationem.

Ad huius affectus curationem sanguis ad caput affluens euacuandus reuellendus, deriuandus, repellendus, intercipiendus: qui iam affluxit euacuandus, & discutiendus est. Partis intemperies corrigenda, robur illius, & totius corporis conseruandam.

Hæc omnia præstari poterunt sequentibus remedijs.

Ante omnia mox ab initio, & quacumque diei hora, quia morbus est acutissimus, venæ sectio instituenda est, præmisso clystere, ex cephalica: vel si magna adsit sanguinis copia, ex basilica: vel mediana primùm, & post aliquot horas ex cephalica.

Si ex mensium, vel lochiorum, vel hæmorrhoidum suppressione malum oriatur; saphena in pede aperienda. Postea ad cephalicam veniendum, vt quot in capite receptum, est, vel proximè in id mouetur educi valeat.

Vnica phlebotomia ad huius affectus curationem vt plurimùm non sufficit, sed bis, ter, & ampliùs, in principio, vel augmento morbi, pro humoris copia, & conditione, ægrotantis ætate, temperie, viribus reperenda.

Si febre continua laboranti phrenitis superuenerit, (vt non rarò fit in earum febrium augmento, vel statu, quibus naturam errantem, & materiæ morbificæ malignitate perturbatam, bilioſos humores ad caput transmittere, vidimus,) licet anteà ratione febris sanguis detractus fuerit, repetenda est venæ sectio. Sed quia vires à febre, & prægressa euacuatione debilitatæ sunt, parciùs sanguis detrahendus est; Ideò tunc temporis vena cephalica aperiatur, vel si vires id non ferant saphena in alterutro pede, vel vtroque cuius venæ in talibus morbis apertio plurimum vtilitatis affert. Neque minoris tamen est efficaciæ hæmorrhoidum apertio per hirundines.

In omni autem venæ sectione, quæ præsente delirio fit, hoc obseruandum, vt foramen non amplum fiat. Sic enim vulnus citò coalescit; quod etiam accuratè obligandum est, ne ab ægro dissoluatur. Tum ad promptiorem coalitum vtile erit emplastrum ex aloe, albumine oui, & pilis leporinis paratum applicare.

Post venæ sectionem prouocetur somnus. Nam si à sanguine euacuato procedant vigiliæ, de nouo accensis humoribus, ægri ferocior euadit. Conciliatur verò somnus tùm repellentibus remedijs, syncipiti admotis, tùm etiam refrigerantibus, & hypnoticis, quorum seriem infrà proponemus.

Cum venæ sectioni non est locus, cucurbitulæ cum scarificatio-

ficatione profunda applicentur, primò partibus inferioribus, postea superioribus. Tum etiam cucurbitulę non scarificatę cruribus, & alijs partibus applicetur.

Frictiones in ijsdem partibus, ligaturæ in tibijs celebrentur reuulsionis gratia. Vesicatoria etiam scapulis, & brachijs vtiliter admoueri poterunt.

Clysteres singulis diebus injiciantur, ex refrigerantibus, & humectantibus parati. His enim humorum acrimonia temperatur eorumque motus ad inferiora promouetur. Eorum autem formula talis esse poterit.

℥. Radicum althææ ʒ j. foliorum maluę, violarum lactucæ, parietariæ, betæ, an. M. j. florum nymphææ, & summit. anethi, an. P. j. prunorum par. vj. Coquantur in aqua hord. in colaturę ℔. j. dissolue cassiæ recenter extractæ, & diaprunsimpl. ana ʒ. vj. sacchari rubri. (Thomæ) ʒ j. Fiat clyster.

Huiusmodi clysteribus ne misceantur olea, quia facilè inflammantur.

Purgatio in phrenitide primaria, quæ scilicet alteri morbo non succedit, nullo modo conuenit. In ea verò, qua febri continuæ superuenit, aliquando confert. Si enim magna sit cacochymia, & phrenitis incipiens; tunc enim materia est errabunda, & pro turgente habetur, atque adeò ex consilio Hipp. *Aph.* 22. *sect.* 1 per initia statim euacuanda est.

Purgatio autem debet institui ex decocto refrigerante cum purgantibus benignioribus, vt senna, rhab cassia, tamarindis, catholicone, & syrupo rosaceo.

Statim verò post venæ sectionem ad repellentia veniendum est, quæ humorum ascensum impediunt caputque refrigerant. In hunc finem oxyrrhodina vsurpantur, quæ ex oleo rosaceo, & aceto, ab antiquis componebantur, Recentiores verò aquas stillatitias, & succos herbarum adijciunt, & magis, vel minùs refrigerantia ac reppellentia fiat, prout magis, vel minùs fluxio, & inflammatio vrget, cui rei diligenter attendendum est. Ideò plures eorum formulas hic describemus, vt casibus particularibus aptiores eligi possint.

℥. Ol. rosac. ʒ iij. aceti rosac. ʒ j. aquæ rosar. & plantaginis ana ʒ ij. Admoueantur sinciputi raso, & temporibus cum pannis quadruplicatis. Vel

℥ Aquæ rosar. ʒ iv. olei rosac. ʒ ij. aceti rosac. ʒ. ß. albumina ouorum n. ij. Conquassata misceantur. Vel

℥ Ol. violar. rosar. nymphæę, an. vnz. ß. aquę rosar. lactucæ, sy mperuini, ana vnz. ij. aceti vnz. ß. Misce. Vel,

℥. Succi lactucæ, portulacæ, solani, vmbilici Vener. ana vnz. ij. ol. rosac. vnz. iij. aceti rosac. vnz. ß. Misce. Vel,

℥. Ol. rosac omphac. vnz. i ß. vnguenti popularecentis, (nã vetus calefacit) vnz. j. aceti rosac. vnz. ß. albumen oui n. j. Agitentur omnia simul, excipiantur stupis canabinis, & applicentur.

Lac mulieris, quę puellam peperit, cum succo lactucæ, & oleo, rosaceo subactum, instar oxyrrhodini ad motum, mirè delirium sedat.

Circa huiusmodi refrigerantia hoc obseruandum, vt cautè, & cum iudicio vsurpentur, cum cerebrum suapte natura frigidum sit, & membrum princeps: ac metus sit ne diuturniori horum remediorum vsu æger in contrarium affectum, scilicet comatosum inducatur, præsertim si senex fuerit, aut admodum debilis. Ac licet nunc longiori, nunc breuiori tempore eorum vsus continuandus sit; tamen circiter ad dies tres potest extendi.

Vt verò ista medicamenta haud facilè diffluant, neque oculos, & faciem, aliasque partes inquinent corona ex panno lineo, vel lana conuoluta, anteriori capitis parti imponatur, vt caput circumdet parte anteriore, in media fronte, ex lateribus supra aures. Parte posteriore, versùs occiput, & in medio coronæ remedia applicentur. Ista verò remedia iuxta Gal. præceptũ 2. *de compos. med. cap.* 2. hyeme actu calida, vel tepida; æstate frigida applicanda sunt. In sene tamen, aut debilis melius est actu frigida non admouere.

Si inflammatio ad cutem, & partes exteriores vergere videatur, quod nonnunquam accidit, tunc temporis à reppellentibus, præsertim fortioribus, abstinendum est ne materia ad cerebrum repulsa, grauius malum efficiat.

Ad humoris quoque ad caput fluentis impetum intercipiendum, fasciæ aqua rosar. & aceto madidæ inter initia collo circum ijciendæ.

Causticа, & vesicatoria tibijs admota humorum reuulsionem ad inferiora plurimùm adiuuant.

Interim dum hæc fiunt, quæ totum corpus, & præcipuas partes refrigerant, tum interna, tum externa in vsum reuocanda sunt.

Interius vsurpari poterunt iulepi, emulsiones, & electuaria.

℥. Aquar. lactucæ, portulac. rosar. & parau rhœados, ana vnz. iii. syrupi violac. & granat. ana vnz. j. ß. salis prunellæ ʒ iij. fiat iulep. pro iij. dosibus, bis, aut ter in die sumendis. Vel

℥. Fol. lactucæ, portulacæ, plantag. ana M. ij. flor. nymphææ, & violar. ana P. j. Coquantur in aqua hord. ad ℔. j. In colat. dissolue syrupi violac. ʒ iij. salis prunellæ ʒ ij. Fiat iulep. pro iij. dosibus.

Iulepis perpetuò, præter salem prunellæ, optimum erit spiritum sulphuris, aut vitrioli admiscere; his enim bilis feruor optimè temperatur.

℥. Quatuor seminum frigidorum mai. mundat. ʒ. vj. sem. papau albi ʒ. ij. aquæ hord. ℔. ß. aquar. lact. & nymphææ, ana ʒ ij. aquæ rosar. ʒ. j. Fiat emulsio secundum artem, pro duabus dosibus, addendo syrup. violac. ʒ ij.

℥. Conserue violar. & rosar. ana ʒ j. conserue flor. nymphęę & caulium lactucę condit. ana ʒ ß. pulu. electuarij diamarg. frig. ʒ ß. Cum syrupo violaceo fiat electuarium.

Parari etiam potest electuarium ex sem. papau. albi in mortario marmor. contuso, & cum saccharo permixto quod diacodium album potest nominari. Humores enim calidos, & aeres temperat, & somnum conciliat. Fit ex sem. papau. ʒ j. contuso cum tantillo aquæ rosac. deindè adde sacchari ʒ ij. vel vtriusque partes æquales.

Exteritus verò admouentur epithemata refrigerantia cordi, & hepati.

℥. Aqua rosar. ʒ iv. aquar. borrag. bugloss. & acetos. ana ʒ ij. aceti vini albi ʒ ß. pul. trium santa. ʒ. j. ß. spodij ʒ ß. ligni aloes ϑ j. croci gr. viij. camphoræ gr. vj. Fiat epithema cordi.

℥. Aquar. lactuc. & rosar. ana ʒ iij. aquarum endiuiæ, & portulac. ana ʒ ij. aceti rosac. ʒ j. santali albi, rubri, spodij ana ϑ j. camphoræ, spicæ nard. ana gr. vj. pulu. electuarij diarhod. abbat. ʒ j. Fiat epithema hepati.

Item hepatis, & lumborum regio inungatur sequenti linimento

℥. Vnguenti rosac. ʒ ij. ß. cerati santal. ʒ j. succi lactuc. & olei rosac. ana ʒ ß. Fiat linimentum.

Pectus etiam oleis relaxantibus, vt violaceo, inungatur.

Testes linteis oxycrato madidis inuoluantur, vel quod erit præstantius, aqua rosatum cum tantillo aceti vsurpetur.

Lotio pedum ex decocto refrigerante actu calido commendatur: nam calore humido eas partes relaxat, & humorum motum ad inferiora promouet. Frigiditas verò illius potentialis per neruos toti corpori, & cerebro in primis communicatur, somnusque conciliatur. Illius autem formula talis est.

℥. Fol. violar. maluæ, salicis, vitis nymphęę, an. M. ij. flor. nymphęę, rosar. ana M. j. cap. papauerum n. x. fiat decoctio ad vsum dictum.

Aqua pura ad lotiones pedum sufficere potest, in qua subfrigida si pedes ægrotantis mergantur per tres, quatuor horas, a delirio liberatur, somnusque conciliatur.

Similem effectum præstat sedum maius contusum instar cataplasmatis, & plantis, pedum admorum: tum etiam cucurbita contusa, & eodem modo apposita.

Odoramenta etiam naribus frequenter admota cerebrum refrigerant, in sequentem modum parata.

℥. Florum violarum nymphææ ana P. i. rosar. ii. santali citrini ϑ. i. Ligentur in modulo raro, qui aqua rosar. adspersus naribus offeratur. Vel

℥. Santali citrini, flor. rosar. nymphææ, ana ʒ. i. camphoræ ϑ. ß. Includantur in vase augusti orificii cum aqua rosat & supra ignem ebulliant, vaporque naribus excipiatur.

Quia verò in hoc affectu vigiliæ maximè vrgent, omni arte somnus conciliandus est, ab ipso morbi initio. Cui vsui non parum conferunt repellentia medicamenta anteà proposita. Præsertim, si ante oxyrrhodini admotionem caput oleo violaceo frigido perfundatur, quod in vigilijs maximè proficuum est, tum etiam conuulsionibus, ex hoc morbo oriundis, Idipsum tamen efficaciùs sequentia præstare poterunt.

℥. Capit. papau. albi cum sem. n. vi. florum nymphææ

P. ij. Contundantur omnia, & cùm aqua rosar. & lactucæ q. s. Fiat instar cataplasmatis, quod fronti applicetur duobus linteis inclusum.

Nota, medicamentis somnum conciliantibus acetum non esse permiscendum, nisi quantitate pauciſſima, quia vigilias excitat. Vel

Flor. lact. M. j. ß. ros. M. ß. sem. papau. albi ʒ. ß. Coquantur in aqua ad mollitiem. Contusis adde farinæ hordei, lactis muliebris, an. ʒ. ß. ol. violac. q. s. Misceantur pro frontali. Uel

℞. Ol. violac. nymphææ, vnguenti popul. recent. an. ʒ iij. opii. olei nuc. mosch. an. gr. iii. Misc. Fiat linimentum, quo frons, & tempora inungantur.

Sedum maius contus. & cum lacte muliebri mixtum, sincipiti admotum mirè sedat phrenitidem, & somnum conciliat. Sed statim ac dormire cœperit æger, detrahendum, ne in coma præcipitetur. Ramenta cucurbitæ recentis idem præstant, & minori periculo.

Penotus sequens epithema miris laudibus effert, quod sic habet.

℞. Moschi gr. xii. camphoræ gr. xx. aquæ rosar. rubrarum, tinctura santalorum rubror. imprægnate ʒ. xx. Misce. Capite deraso madefiant lintea duplicata in hoc liquore, & tepida per omnes capitis suturas applicentur. Ubi resiccata fuerint, iterùm imbibe, & per 24. horas applicationem continua, & somno conciliato, cerebroque confirmato, ægrum mirificè conualescentem prospicies, nisi ipsamet cerebri substantia fuerit corrupta.

Interiùs verò cum iulepis, aut emulsionibus interdum exhiberi poterit syrup. de papau. simpl. ʒ. j.

Vel ladani opiati gr. ij. iv. aut v. exiberi poterunt quod. etiamnùm in clysteribus vsurpatum satis potenter, & tutiùs somnum conciliat.

Attamen in narcoticorum vsu cautus esse debet Medicus. Exhiberi enim non debent, si vires sint valdè debiles, ne spiritus, & calor ab iis extinguatur.

Celebratis sufficienter prædictis materiæ fluentis euacuationibus, reuulsionibus derivationibus, & interceptionibus ad materiæ fluxæ eductionem veniendum est. Ac primùm vena frontis aperienda, si manifesta sit, & secari possit, fascia collum non adstringendo, vt vulgò solet fieri; sic enim sanguis sursùm impellitur.

Vtiliſſimè etiam aperientur venæ narium, & si vllo modo morbus est sanabilis, hoc præcipuè curabitur: sanguisque satis copiosè per eas emittendus, idque satis maturè, & statim post vniuersales euacuationes faciendum est. Aperiuntur autem huiusmodi venæ, nares interiùs satis, aliisque asperis frequenter pungendo, atque lancinando. Vel adhibitis post aures, naribus, fronti, podici, hirudinibus, sanguis exsugendus est.

Capitis verò applicentur resoluentia simul cum repellentibus ea proportione, vt primò parum addatur de resoluentibus; quò verò morbus magis ad declinationem vergit, eorum quantitas augeatur, vt tandem sola resoluentia vsurpentur ad materiæ morbificæ reliquias discutiendas In hunc finem vsurpari poterit oleum chamæm. vel anethinum cum oleo rosac. permixtum.

Sed inter resoluentia primas obtinet animalia tenella mactata, capiti statim admota, vel eorum partes, vt Gallinæ pulli columbini, & gallinacci, catelli per spinam secti, & pulmo veruecinus: suo enim calore naturali partem roborant, humorem discutiunt, illiusque acrimoniam contemperant.

Quibus vno, aut altero die tentatis, si nihil commodi consequaris, docet Mercatus summo capiti cucurbitulam affigere, vt per suturas aliquid expiret, euoceturque ad cutem: ac si rubor comparcat, ac tumor subitus cucurbitulam ipsam sacrificare. Quo auxilio asserit Medicum consequi posse, quod reliquis omnibus non valuerit, maximè si mox adhibeatur lauacrum aquæ dulcis, in quo aliquid ex discutientibus coctum sit. Hoc tamen monet, in ea solùm inflammatione faciendum esse, quæ per se incæperit, non aliis autem febribus superuenerit.

Hoc remedium confirmat Zacutus Lusitanus, referens, se desperatam phrenitidem curasse, admota sincipiti cucurbitula cum scarificatione.

Quidnam maiori audacia vesicatorium sincipiti admouent, quod aliquando succesisse aiunt; sed maxima indiget præmeditatione.

Pro potu vtatur æger decocto hordei, vel rad. acetosæ, cum syrupo granatorum, berberis, aut limonum. Vel sequens infusum propinetur.

℞. Aquæ fontis ℔. ii. fol. acetosæ, & papau. rhœados an. M. ß. flor. borrag. nymphææ, violar. an. P. ß. spiritus vitrioli ʒ j. santali rubri limati ℈ ii. Stent in infusione per aliquot horas frigidè. Colentur per chartam emporeticam, addendo sacchari albi q. s. ad saporis gratiam.

Vrina in hoc modo vt plurimum supprimitur, quia ægri eam emittere negligunt, vnde partes illæ distenduntur, ac tandem inflammationem concipiunt, quæ vel sola interitum ægro afferre potest. Itaque ægri ad vrinam reddendam sæpiùs incitandi sunt. Mox vesicæ regio fouenda aqua tepida. De in manu comprimendo vrina propellenda, aut ea elicienda penem contrectando. Et si leuioribus hisce symptoma non cedat, ad sequentia veniendum erit.

℞. Fol. parietariæ M. ii. petrosel. cum rad. M. i. Fiat decoctio. In colatura dissolue olei scorpionum ʒ. iii. Fiat fotus supra pectinem.

Huius decocti residentia frigatur infartagine cum oleo scorpionum & post fotum applicetur.

Si decoctum efficacius desideretur, adde sem. apii petroselini, milii solis, seseleos, an. ʒ ii.

Vtiliter etiam post fotum, sequens vnguentum potest applicari.

℞. Pinguedinis cuniculi, olei scorpionum. an. ʒ. ii. sem. apii, petros. asari, & seseleos subtilis. puluerat. an. ʒ. ß. Fiat vnguentum.

CAPVT XII.

De cerebri abscessu, & sphacelo.

CErebri abscessus, & sphacelus à pauciſſimis Autoribus describitur, licet ab Hipp. annotatus fuerit 3. *de morbis*, & in vsu practico interdum occurrat, minusque exercitatos Medicos alterius morbi specie deludat.

Est autem cerebri sphacelus substantiæ cerebri suppuratio, vel corruptio, quæ gangræna, vel syderatio etiam nominatur.

Causa illius immediata est cerebri substantiæ inflammatio, quæ tamen à phrenitide distinguitur ex eo quòd in ea membranæ potiſſimùm inflammentur, & ab iis inflammatio parti tantùm exteriori, & contiguæ communicetur. In hac verò inflammatio partes cerebri interiores, ac totam propemodum illius substantiam occupet. Magna autem illa inflammatio in parte molliſſima, & humidiſſima breui sphacelum accersit.

Huius inflammationis causa est sanguis supercalefactus, vel admodum biliosus, in cerebri corpus, & partes eius internas affatim irruens.

Causæ procatarcticæ sunt illæ omnes, quæ sanguinem calidum copiosum in toto corpore cumulare, & ad caput transferre valent, vt exercitatio vehemens insolatus, vel capitis ad ignem calefactio, ira, & similia. Sed frequentiùs hunc affectum inducere solent vulnera capitis grauia, & contusiones. Abhac tamen causa oriundus abscessus, vel sphacelus, à dicto diuersus aliquo modo est. Quia ex contusione factus abscessus, tot cerebri partes vt plurimum non occupat; sed vni præcipuè adhæret. Vnde symptomata leuiora, saltem ab initio esse solent, & affectus ad plures dies prorogatur.

Signa abscessus, & sphaceli, qui sine vulnere, aut contusione producitur, ita se habent.

Inuadente affectu ingens capitis dolor ægrotantem adoritur, qui per occiput collo, & vniuersæ spinæ communicatur. Cui mox succedit sensum omnium, tum internorum, tum externorum abolitio; sicut in apoplexia contingit; à qua tamen signis infra describendis distinguitur.

Variis motibus, & inordinatis sese ægri exagitant, vt vix vno loco contineri valeant. Manibus interdum partes superiores inuadunt, easque diuellere, ac laniare conantur, faciem vnguibus dilacerant, crines auellunt. At procedente morbo corpus languescit, & ad motum impotens efficitur.

Febris acutiſſima, & intenſiſſima hunc perpetuò comitetur affectum, quæ ab ingenti cerebri inflammatione procedit.

Denique in hoc affectu ægrotantes neque cibum, neque potum admittunt, vixque aliquid stomacho illorum quocunque artificio ingeri potest: vnde cita aduenit virium exolutio.

Absces-

Abscessus ex vulnere aut contusione genitus sequentibus signis dignoscitur. Post acceptam contusionem capitis torpor quidam, & mœstitia apparet, animalibus spiritibus à materia extrauasata labefactari incipientibus. Morbo inualescente, febricula exoritur, materia putrescere incipiente. His capitis dolor succedit, & somnolentia. Mox aucta putredine omnia symptomata ingrauescunt. Febris intensior euadit, æger è profundiori somno emergens subitò vociferatur, surgit è lecto, statimque iterum decumbit. Frequenter manum ad caput adducit. Ex his plerique ante obitum purulentam materiam, & virescentem ore, aut naribus reijciunt.

Quod ad prognosim spectat, affectus iste periculosissimus est, & vt plurimùm lethalis, imò intra triduum ægrotantes interemit, vt docet Hipp. *Aphor. 31. sect. 7. Quibus*, inquit, *cerebrum sphacelatum est in tribus diebus pereunt: si verò hos euaserint, sani fiunt*. Galenus *in comment.* docet, per sphacelum hic non esse intelligendam factam, & completam partis corruptionem, quoniam hæc sanationem non admittit; sed quæ est in fieri, imminetque ob inflammationis magnitudinem.

Inijs, qui conualescunt, (quod rarissimè contingit,) nulla est præteritorum memoria: ægri enim nec morbi, nec alterius rei, ad morbum pertinentis, meminerunt.

Ad curationem huius affectus magna festinatione opus est. Nisi enim in principio illius remedia statim adhibeantur, nullus amplius supereſt curationi locus.

In prima igitur morbi inuasione statim sanguis detrahendus est magna copia, & iteratis vicibus, bis, ter quater eadem die, quantum vires ferre possunt. In hoc enim vnico remedio tota curationis spes residet. Cùm enim magna sanguinis copia cerebri substantiam occupet, (quæ magna est, mollis, & humidissima,) ab ea sufficienter reuelli, ac deriuari nequit; nisi totus fere sanguis in venis contentus educatur. Et in hoc casu locum habet vulgaris illa Celsi sententia; multa in præcipiti periculo rectè fiunt, quæ alias essent omittenda.

Post venæ sectiones clysteres acriores injiciendi sunt; vt humores superiora petentes, ad inferiora reuellantur, ijque singulis diebus iterijt.

Eodem tempore oxyrrhodina admouenda sunt syncipiti, & fronti, qualia in phrenitidi descripta sunt.

Ad maiorem reuulsionem, & deriuationem cucurbitulæ scapulis, & dorso cum profundis scarificationibus admouendæ sunt, frictiones, & ligaturæ extremorum celebrandæ, venæ primùm malleoli postea frontis, & arteriæ temporum aperiendæ; hirudines pone aures, & hæmorrhoidibus applicandæ; vesicatoria cruici, & brachijs admouenda, & reliqua remedia vsurpanda, quæ in phrenitidis curatione à nobis proposita sunt.

Ac tandem si morbus ad declinationem vergat, leniter resoluentia capiti admouenda sunt, inter quæ pulmones vitulini, ex animali ex tempore mactato calentes, principem locum obtinent.

CAPVT XIII.

De Mania.

MAnia est delirium sine febre, cum furore, & audacia.

A phrenitide distinguitur, quia in ea febris acuta viget, à cerebri, & membranarum eius inflammatione oriunda. Mania verò febre caret, saltem ratione propriæ essentiæ; nihil enim impedit, quin febris cum mania complicari possit; sed ab alia causa oriunda, non autem ab ea, quæ maniam producit. Atque ideò in phrenitide febris est symptomatica; in mania essentialis, & primigenia, ab alia causa procedens, & sic Galen. *cap. 3. de loc. affect. cap. 7.* explicandus est. *Quemadmodum*, inquit *alter atrabilis succus, qui expræassata flaua bile nascitur ferina deliramenta inducit, modò sine febre, modò cum febre.*

A melancholia distinguitur per symptomata pathognomica; si quidem mania est cum furore, & audacia, melancholia verò cum timore, & mœstitia.

Causa maniæ proxima, & immediata, iuxta Gal. mentem, est calida, & sicca intemperies, ab humore atrabilario oriunda; quæ tamen grauissimis vrgetur difficultatibus.

Si enim tanta esset intemperies in cerebro, vt mentem de sua sede dejcere valeret, febrem deberet parere: cùm calor remissior, delirium efficere non valens, febrem pariat qualis est, quæ ab insolatu exoritur.

Ad hoc dubium varij varia respondent. Solidiorum responsio est, calorem, qui febrem excitat, debere esse fuliginosum, vt ad cor delatæ fuligines febrem efficiant; calorem fuliginosum autem in materia humida consistere debere, qualis est materia febrium putridarum: in mania verò humores esse adustos, & incineratos, ita vt ab ijs nullæ eleuentur fuligines. Vno verbo aiunt, calor in mania est velut in pruna in febribus verò, vt in flamma.

Quæ tamen responsio fortissima vrgetur instantia: Quod nimirum in febre hectica maior sit humidatum consumptio, quàm in mania. Attamen febris vsque ad integram, absolutam omnium humiditatum, & ipsius humidi primigenij consumptionem, ægrique interitum perseueret.

Platerus hac ratione, alijsque nonnullis persuasus, existimat, præter calidam, & siccam intemperiem adesse quoque malignam, & venenatam quandam qualitatem, quæ sit præcipua causa delirij. Magna huius sententiæ probabilitas inde elici potest, quòd furor vterinus à semine corrupto, & malignam, ac venenatam qualitatem adepto exoriatur. Quod hydrophobia, quæ est species maniæ à morsu venenato canis rabidi, in quocumque temperamento sine atræbilis concursu inducatur, quod morbus, qui à morsu Tarantulæ exoritur, quædam etiam maniæ species appellatur, ac denique venena quædam maniam inferre possint, vt de cerebro mustelæ, & solano maniaco referunt. Ideò verissimile est, peculiare quoddam venenum, in corpore humano genitum, maniæ causam esse præcipuam: cùm etiam febres malignæ, quæ non rarò mitissimæ sunt, vt in ijs pulsus, ac vrinæ sanis simillimæ appareant, deliria producere soleant potius, quàm febres ardentes, malignitatis expertes. Et docet experientia, maniam contingere frequenter, non tantùm atrabilario temperamento præditis, sed etiam omnibus naturis, & ætatibus, præsertim si hæreditario iure contigerit: ac denique illam calidioribus medicamentis, specifica virtute præditis, non rarò curari. Et si differi minimè oporteat, in melancholicis, & atrabilarijs hunc morbum frequentiùs, & vt plurimùm produci, quia ille humor tali veneno suspiciendo magis idoneus est. Et Galenus ipse malignitatem istam, humori atrabilario aduenientem, agnoscere videtur *comment. Aphor. 56. sect. 6.* vbi dicit: maniæ causam esse melancholicum humorem, non semper sed cùm supra modum exultus, aut putrefactus malignam induxerit acrimoniam.

Sed manet adhuc difficultas ex eo desumpta, quòd maniaci frigus externum etiam hyemis tempore nudato corpore innoxiè patiantur, & præterea ad tactum calidi sentiantur, quod indicat calorem intensissimum in ijs vigere.

Verum respondemus, hoc in omnibus maniacis minimè contingere & multos hybernum frigus auersari, vestibusque plurimis gaudere. Alios verò ab aere externo non affici propter consuetudinem, quia ab assuetis non fit passio. Sic videmus puellas delicatulas hyemis tempore pectus denudatum habere, quod tactu calidum sentitur, quamvis ex Hippocrate frigus sit pectori valdè inimicum.

Materia, hunc affectum producens, in venis, & arterijs continetur, vel totius corporis, vel cerebro propioribus, vel ipsis cerebri vasis: vnde ex locorum varietate varia symptomata, eaque grauiora, vel leuiora emergunt. Non rarò etiam in vteri vasis ex sanguine, vel semine corrupto materia morbifica continetur, ex qua furor vterinus generatur.

Si materia peccans est in omnibus venis, aut cerebro vicinis, insania fit perpetua, & indesinens. Si vero in parte tantum aliqua concluditur, delirium quasdam habet intermissiones, & per interualla recurrit.

Signa diagnostica alia imminentem, alia presentem maniam significant.

Ad imminentem, vel futuram maniam dignoscendam primò consideranda est ægrotantis natiua dispositio, quæ scilicet ad bilosam, seu atrabilariam temperiem accedit.

Sic apud Hipp. 2. *epid.* 5. *Cui vena in cubito pulsat, furibundus est, & ad iracundiam præceps: cui verò sensim mouetur, torpens est, ac stupidus.* Arterias nomine venarum Hippocrates affecit. Non autem simplicem pulsationem intelligit; sed vehementem, cui opponit illud, *quando sensim mouetur*, vt sensus huius sententiæ ita se habeat. Qui habent pulsum magnum, velocem, & vehementem, natiua constitutione, ad iram, & furorem maximè procliues sunt, qui verò tardum habent pulsum, torbidi sunt, & stupidi.

Secundò, sextus ratio habenda est. Viri enim frequentiùs furore exagitantur, quàm mulieres. Quod intelligendum est de affectu primigenio: ex vtero enim mulieres non rarò in furorem aguntur.

Tertiò, ætas consideranda est. Iuuenibus enim frequentiùs mania contingit, quàm pueris, & senibus.

Quartò, anni tempus aduertendum. Sæpè enim verno tempore contingit hic affectus, sæpiùs æstate, sæpissimè autumno, ex Hipp. & Gal. *sententijs Aph.* 20. 21. *& 22. sect.* 3. Verè humores, alijs temporibus geniti, & per hyemem asseruati, acquiescentes, commouentur, & exagitantur, morbosque analogos pariunt. Æstate multa bilis non solùm flaua; sed etiam atra in dispositis gignitur, quæ maniam efficit eodem tempore, vel ad autumnum vsque maiori copia cumulata morbum producit.

Hæc signa remotiora sunt, & in genere tantùm dispositionem ad hunc morbum significant. Proximè verò imminentem affectum ostendunt, dolor capitis assiduus, vigiliæ contumaces, somni leuissimi, atque breuissimi, insomnia turbulenta, curæ, & sollicitudines molestæ, terrores ex leui causa, præceps, & frequens iracundia ex minima, vel nulla occasione, splendores oculis obseruantes, aurium sonitus, procliuitas ad venerem insueta, pollutio nocturna frequentior; risus præter assuetudinem, & rationem, loquacitas insueta, & ferè assidua, & interdum taciturnitas meditabunda. Posteriora hęc incipientem maniam significat.

Factam verò, & præsentem maniam ostendunt ea, quæ in definitione prolata sunt: nempe delirium sine febre cum furore, & audacia. Varia tamen sunt huiusmodi deliria in variis ægrotantibus, tum etiam in ijsdem, diuersis temporibus, pro maiori, vel minori causæ vehementia. Alij enim feroci iracundia rapiuntur, & obuios quosque inuadunt, proprias vestes proscindunt, & sibi interdum violentas manus inferunt sibique vitam eripere conantur. Alij verò mitiores, & pacatiores sunt, nullamque adstantibus noxam inferunt, sed tantùm varios sermones, & ridiculos proferunt, interdùm canunt, & rident, & varijs deliramentis afficiuntur, ac symptomata patiuntur, ijs aliquo modo similia, quæ in melancholia, & stultitia solent contingere.

Ex illa autem varietate symptomatum causarum varietas dignoscitur. Risus enim immodicus, hilaritas, & cantillatio materiam peccantem multo sanguine dilui significant. Iracundia verò, inquietudo, clamor, percussio, pallidus, & flauescens faciei color, bilem flauam in vitio esse ostendunt: Insania verò admodum furiosa, vt ægri obuios imperant, & aliquando interficiant, à flaua bile exusta, quæ atra bilis dicitur, ducit originem. Si verò atra bilis non ex flaua bile, sed à melancholia, exusta, & præassata generetur, ægri truculento vultu præditi sunt, manet interdum in diuturno silentio, quod nonnunquam in sermonem importunum erumpit, immites sunt, pertinaces ingenti mœrore interdùm, ac luctibus afficiuntur.

Prognosis huius affectus in hunc modum instituenda est.

Mania grauissimus est affectus, & non solùm per menses; sed per annos aliquando, & vsque ad mortem perseuerat, præsertim si hæreditaria sit. Cùm omnes morbi ab atra bile sint curatu difficillimi, iste præ cęteris, difficilior est: quòd ægri medici non obtemperent, & necessaria remedia vsurpare minimè velint.

Facilius curatur mania, quæ cùm risu, & mitioribus symptomatis copulata est; quàm quæ cum studio, ac furore.

Breui succedaneam morbi curationem ostendunt quæcumque euacuationes, ex motu naturæ contingentes, per sudores alui fluxum, hæmorrhagiam, per nares, aut hæmorrhoides, aut si varices superuenerint: vnde Hippoc. *Aphor.* 21 *sect.* 6 *Si insanis varices, aut hæmorrhoides contigerint, morb. solutio fit.*

Dysenteria, aut hydrops, aut febris tertiana, vel quartana maniæ superueniens eam tollit: fit enim metastasis humorum à cerebro ad partes inferiores, in quibus nouum morbum producunt.

Ad huius morbi curationem materia peccans euacuanda, reuellenda, & repellenda est; calida intemperies corrigenda, cerebrum, aliæque partes principes roboranda, quæ omnia sequentibus præsidijs adimpleri poterunt.

Primò sanguinis missio celebranda est, præmisso clystere, ex vena brachij insigniori: postridie verò iteranda ex altero brachio, idemque remedium frequenter vsurpandum. Asserit enim Platerus, innumeros hac ratione curatos fuisse à Chirurgis, & alijs, qui ex professo hisce morbis curandis operam dabant, qui vigesies, imò sexagies venas aperiebant. Non solùm enim venæ brachij vtriusque sed etiam malleoli, frontis, narium, hæmorrhoidum, etiam varices si appareant & saluatellæ: idque per interualla, interiectis clysteribus, & medicamentis purgantibus infrà describendis. Cucurbitulæ etiam, scapulis, & dorso cum scarificatione, admotæ, post multas venæ sectiones: tum etiam hirudines temporibus, & ponè aures vtilissimæ sunt.

At frequentibus illis phlebotomijs materiæ peccantis præparationes, & purgationes interijciendæ sunt: æque diù multùmque continuandæ. Cui vsui conferent omnia, quæ ad bilis, & melancholiæ præparationem, & expurgationem vsurpari solent, quibus, & sequentia, vtpote selectiora, adijcere possumus.

℞. Lapid. Lazuli ʒ. j. ß. diagrid. ʒ ß. turbith. ʒ. j. sennæ ʒ. ß. epithymi, cremor. tartari, an. ʒ. ij. cinam. & cort. citri, ana ℈. j. croci ℈. ß. Fiat pulus, cuius dosis erit ʒ. j. vel ℈. iv. cum iusculo, vel liquore appropriato.

℞. Rament. helleb. nigri ʒ. j. Infundantur per triduum in aqua pluuiæ, ʒ. iv. Decoquantur lento igne ad tertias. Colaturæ adde mellis optimè despumati ʒ. ij. Misce, capiat cochlear j. cum iusculo pingui. Vel

℞. Extract. hellebori nigri ℈. ß. syrupi violac. ʒ. j. Misce pro vna dosi.

Omnia medicamenta ex helleboro confecta, vt vinum, syrupus, & oxymel, ad huius affectus curationem plurimùm conferunt. Vnde olim ferunt Melampum Amythaonis Medici filium, vino helleborato, Prœti Argiuorum regis filias, quæ se boues existimabant, liberasse.

Antimonium in hoc morbo non solùm à Chymiatris, sed etiam Galenicis omnibus commendantur: tùm quòd humorem atrabilarium è toto corpore euacuet; tum, quia eo ægrotantes commodè falli possunt, remedia alioqui insuauia renuentes. Dosis varia est pro varijs illius præparationibus.

Balnea aquæ tepidæ frequenter, & post singulas purgationes vsurpanda sunt.

Ordo medicamentorum purgantium in hoc morbo talis est, vt primò apozema alterans, & purgans per tres, aut quatuor dies exhibeatur, post venæ sectionem, in vtroque brachio celebratam. Deinde purgantia mediocria ex potionibus, pulueribus, aut syrupo magistrali bis in septimana exhibeantur, Vehementia verò bis in mense, interiectis continuò venæ sectionibus, vt antea dictum est.

Diebus verò intermedijs balnea, iulepi præparantes, aut iuscula alterantia, tum etiam opiatæ roborantes exhibeantur.

Præter iulepos vulgares, sequens ex succis paratus erit vtilissimus.

℞. Succorum borrag. bugloss. & promor. redol. ana ʒ. iij. aquar. fumariæ, & cichor. an. ʒ. iv. sacchari albi ʒ. vj. Coquantur, depurentur, & aromatisentur santalo citrino, Capiat ʒ. vj. manè, & serò.

Opiata etiam in sequentem modum concinnari poterit.

℞. Conseruæ rosar. violar. & bugloss. an. ʒ. j. conseruæ flor. tamarisci, caryophyl. hortensis, caulium lactuc. condit. & cortic. citri condit. an. ʒ. ß. myrobal. emblic. condit. n. j. confect. alkerm. & de hyacint. an. ʒ. iij. pulu. elect. diamarg. frig. & lætif. Galen. an. ʒ. j. coral. præpar. & margar. præpar. an. ʒ. ß. Cùm syrupo de pomis redol. fiat opiata, de qua capiat magnitudinem castaneæ, superbibendo parùm iulepi, aut aquæ cuiusdam appropriatæ.

Tabellæ etiam vsurpari poterunt in hunc modum compositæ.

℞. Confect. alKerm. ʒ. ij. pulu. electuar. de gemmis, & diamarg. frig. an. ʒ. ß. sacchari in succo pomorum dissoluti ʒ. iv. Fiant tabellæ pond. ʒ. ij. Capiat vnam pro dosi.

In-

Interdùm etiam tentati poterunt specifica, & amuleta, quorum non exiguum numerum collegit Sennertus. Nos verò vnum adijciemus, quod in illustri quadam familia Monspelienſi, pro secreto gentilitio, & hæreditatio habetur, illiusque descriptio talis est.

℞ Fol. melissæ M. j Incidantur minutim, & infundantur in spiritus vini ʒ. iv. Deinde adde margarit. præp. ʒ. ß. Misc. Dosis est cochlear. ij.

Interim dum hæc fiunt, somnus omni arte conciliandus est, & somnifera per interualla vsurpanda. Quæ non alia esse debent, quàm quæ in phrenitidis curatione proposita sunt, tàm interna, quàm externa.

Ac præter somnifera externa admouenda quoque capiti sunt topica medicamenta, quæ æstum, ac furorem vehementem temperent, ac demulceant. Illa verò non solùm refrigerantia; sed multò magis humectantia sint, & in principio morbi nonnihil repellentia.

Ideò in principio morbi oleum rosac. conueniet, cum violac. anethino, & chamæmelino, posteà verò eadem olea detracto rosac. Vbi verò magis refrigerandum est; olea ex semine cucurbitæ, & papau. addenda erunt. Ac denique vt in formam linimenti reduci queant, mucilagines sem. lini, fœnugr. & butyrum addi poterunt.

Plurimùm etiam confert epithema in sequentem modum compositum.

℣. Aquæ nymphææ ℥. j. salis prunellæ ʒ. j. camphoræ ℈. j. Misce, & cùm linteis complicatis admoueantur tepidè syncipiti.

Epithema ex sale Saturni, & aqua rosarum vtilissimum est.

Vtilissimum quoque erit epithema ex aqua rosarum, santali rubri tinctura imprægnata, cum mosco, & camphora composita, quæ superiori capite descripta est

Chymici verò balsamo Saturni palmam tribuunt, eoque caput inungunt instar linimenti.

Maximè etiam conueniunt in summo furore animalia renella per medium secta, vel eorum partes, ac præsertim pulmo veruecinus. Vbi semel refrixerit, iterùm potest calefieri in aqua feruente

In declinatione nonnulli discutientia validiora adhibent. Imò verò in ipso vigore morbi, post euacuationes sufficientes fomentum sequens admiranda creditur efficacia.

℣. Herbarum cephalicarum cùm floribus q. f. Decoquantur in aqua fontana. Deinde ℣. baccarum lauri, & rad. hellebori nigri veri an. q. s. Contundantur crassiuscule, & insuantur sacculo oblongo interbastato. Sacculus parum bulliat in prædicto decocto.

Tandem per nouem dies continuos ℣. istius decocti ℥. ij. Eoque calefacto foueatur caput rasum per integram horam, cùm linteis duplicatis. Postea sacculum istum applica suturæ coronali cùm bona ligatura linteis calidis inuoluendo. Patiens decumbat in lecto, & si fieri potest, quiescat. Tùm mitè expurgatur per omnia capitis emunctoria, & aluus simul aliquantulùm fluit. Sic enim fuligines inhærentes cranio & cerebro mirabiliter dissoluuntur, quod vix alia remedia præstare poterunt.

Denique cauterium suturæ coronali applicatum maximè probatur à Gordonio, eiusque vtilitatem confirmat historia cuiusdam maniaci, cui cùm esset vulnus apertum, tamdiù benè habuit; vulnere sanato, reuersa est mania.

Quamuis autem cerebrum in hoc affectu præcipuè laboret: tamen aliæ etiam partes alterandæ, præcipuè cor, & hepar, epithematis, & linimentis in phrenitidis curatione propositis.

CAPVT XIV.

De Melancholia.

MElancholia est delirium sine febre, cùm timore, & mœstitia.

A phrenitide distinguitur per carentiam febris; & à mania, per timorem, & mœstitiam; quia hæc est cùm furore, & audacia.

Dicimus autem febrem abesse ab hoc affectu, quod intelligendum est ex propria natura, & per se; attamen ex accidenti febris cum illa copulari potest. Nihil enim impedit, quin febris continua, vel intermittens, melancholia laboranti contingat; sed illa febris, non erit de essentia melancholiæ, quemadmodum in phrenitide febris est de essentia illius.

Dubitare licet, quomodo timor, & mœstitiæ dicantur esse de essentia melancholiæ; cùm in multis melancholicis gaudium, & lætitia maximè vigere videantur. Alij enim continuò rident, alij canunt, alij se ditissimos, alij Reges, & Monarchas esse putant.

Respondemus, varios esse melancholiæ gradus, & varias humoris melancholici cum alijs humoribus permixtiones, indeque maximam deliriorum varietatem emergere. Ita vt qui multum sanguinis, aut pituitæ cum humore melancholico permixtum habent, gaudio, & lætitia affici possint. Ast ille affectus tunc temporis non est vera, & legitima melancholia; sed potius ad stultitiam, & fatuitatem accedit.

Ex varia autem humoris melancholici dispositione maxima deliriorum varietas emergit: vnde alij se Reges, Principes, vates, alij vitreos, testas fragiles, grana tritici à gallinis deuoranda; alij ceram igne liquabilem; alij se canes, feles, lupos, cuculos, luscinas, gallos esse putant, horumque, aut aliorum animalium voces imitantur. Alij se mortuos, nec quicquam edendum, aut bibendum esse imaginantur. Alij mingere non audent, ne diluuium inde oriatur. Alij se capite, vel membris truncatos esse, vel orbem digito sustinere, vel passeres in capite, serpentes, ranas, mures, aliaque animalia in ventre habere arbitrantur.

Causa melancholiæ proxima, & immediata est spiritus tenebricosus, & vt Galeni verbis vtar, nigro colore infectus. Cùm enim spiritus animales natura sua puri, tenues & perspicui, esse debeant, ad actiones cerebri alacriter exercendas; & alacritatem, ac lætitiam inducendam; si ab ea constitutione dejiciantur, & opaci, ac tenebricosi euadant, mœstitiam, & timorem inducunt. Vnde Galenus 2. *de symptom. caus. cap. 6.* à tenebris exterioribus mutuato exemplo rem explicat. *Eorum*, inquit, *quæ extra corpus sunt, nihil videmus quod nos perinde terreat, ac tenebræ ergò cùm tenebræ rationalis animæ parti sunt circumfusæ: necesse est hominem timere, qui semper vnà cum corpore sui timoris causam circumferat.*

Causa verò prauæ huius spiritum dispositionis est humor melancholicus: qui crassitie, opacitate & colore nigro præditus, spiritus animales inficit, & tenebricosos reddit. Et cum humor melancholicus frigida, & sicca temperie donatus sit, ad fingendos, & densandos spiritus maximè conducit, quæ quidem densatio, & fixatio spirituum ad mœrorem, & tristitiam necessaria est. Si enim humor tenuis sit, & calidus, qualis est atrabilis, à qua mania reducitur, furorem potius, & audaciam excitat. Ergo causa proxima melancholiæ est opacitas, & tenebrositas spirituum animalium. Conditio verò necessaria, & sine qua non, est frigida, & sicca intemperies.

Si quis verò instet, in melancholia hypochondriaca, ex Galeno 3. *de loc. affect. cap. 7.* esse inflammationem in hypochondrijs, atque ideò calidam intemperiem præualere.

Respondebimus illam inflammationem seu potius phlogosin hypochondriorum fieri ex eo, quòd sanguis melancholicus in liene, & venis mesaraicis diutiùs retentus propter obstructiones incalescat, vnde multi vapores eleuantur ad cerebrum, qui licet calidi sint, vincuntur tamen à frigiditate cerebri, & facilè ad temperiem humori melancholico propriam, nempe frigidam, & ficcam reducuntur. Si verò tantus sit illorum vaporum calor, vt cerebri temperiem inuertat, & in calidam, & ficcam permutet; tunc mania non melancholia generatur. Ita vt mania, & melancholia in eo præsertim differant, quòd in illa sit calida, & sicca intemperies; in hac verò frigida, & sicca.

Prædicta spirituum tenebrositas à Galeno sancita reijcitur ab Auerroe, ex eo quòd tenebræ spiritibus animalibus inductæ, & color niger humoris melancholici non possint afficere sensus internos, iuxta vulgatum illud axioma: *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*; atque adeò cùm color ille niger, aut tenebræ interiores oculis non offerantur, à sensibus externis percipi non possint.

Respondemus, colorem nigrum humoris melancholici, aut spirituum tenebrositatem, non afficere sensus internos sub ratione coloris: sed quatenùs aliquid præter naturam existens in cerebro, quo actiones illius lædat. Quia nimirum spiritus animales ad actiones cerebri perfectè obeundas debent esse puri, tenues, & perspicui. Si contra impuri, crassi, & tenebrosi extiterint; actiones cerebri vitiant, quatenus species à censorijs transmissus inficiunt veluti & inquinant;

quinant; sicut vitrum coloratum aut aliter infectum species obiectorum eodem modo infectas oculis repræsentat.

Frigida etiam, & sicca intemperies, quę tanquam conditio necessaria proposita est ad melancholiam efficiendam, hoc argumento impugnari potest ab Auicennæ authoritate desumpto, qui *fen. 1. lib. 3. tract. 4. c. 18. Balbi*, inquit, *sunt plurimum dispositi ad melancholiam*: Sed balbi sunt valdè humido temperamento donati: quod probatur ex Gal. *comment. Aph. 32. sect. 6.* vbi Hippocrates sic habet. *Balbi ab alui profluuio maxime capiuntur*. Galenus verò dicit, Balbos habere humidiorem temperaturam, quemadmodum, & pueros, ratione cuius alui profluuio sunt maximè obnoxij.

Respondemus, contextum Auicennæ non verè balbis esse intelligendum, qui literam R. pronunciare non possunt, de quibus loquuti sunt Hippoc. & Galenus *Aphor. prædicto*, & illi quidem humidiori temperie prædíti sunt, sed de illis, qui trauli nominantur, qui scilicet eandem syllabam sæpius repetunt, antequam verbum integrum pronunciare valeant. Quod fit ex præcipitationem mentis, cum celeriùs loqui contendunt; tunc enim lingua sese implicat, & in verborum prolatione hæsitare cogitur. Et illi trauli sunt melancholico temperamento donati.

Denique dubitare licet, quomodo tenebrositas spirituum sit causa immediata delirij melancholici, cùm omnis actio læsa dependeat immediatè ab aliquo morbo hæc autem tenebrositas ad nullum morbi genus referri valeat.

Respondemus, tenebrositatem illam esse morbum in numero, quatenus illius accessu augetur numerus eorum, qua necessaria sunt in cerebro ad actiones animales obeundas. Instantia verò, quæ contra hanc responsionem afferri potest, quòd scilicet morbus sit affectus veræ partis, in vertiginis explicationem resoluta est.

Signa melãcholiæ pathognomonica in definitione proposita sunt, timor nempè, & tristitia sine causa manifesta, quæ in omni melancholiæ specie reperiuntur. At verò singulæ melancholię species propris signis innotescunt. Sicque primariam in solo capite residentem melancholiam significant cerebri vitiosa constitutio, aut morbi calidi prægressi, quibus sanguis in venis illius contentus, exustus, & tot refactus est, tandemque in humorem melancholicum conuersus. Somni breues, & interrupti, insomnia turbulenta, vertigines, aurium tinnitus, & symptomatum in reliquo corpore, ac præsertim ventre inferiori absentia.

A toto corpore prouenire hunc affectum, ostendunt habitus totius corporis melancholicus, vel naturalis; qui ex colore nigro, hirsutie macilentia, alijsque dignoscitur vel ascititius, ex curis, laboribus, vigilijs, victu crasso, & similibus contractus.

Ab hypochondrijs procedere hunc affectum, testantur æstus in præcordijs sine siti, sputatio frequens, ructus acidi, flatus per superiora, vel inferiora frequenter emissi, ventris rugitus, compressio interdum diaphragmatis, anxietas, nausea, appetitus interdùm insatiabilis, cordis palpitatio, tumor aliquando, & retinentia in hypochondrijs. Et reliqua, quæ fusiùs in affectione hypochondriata exponentur.

Ab vtero affectum procedere, indicant ea signa, quæ hystericas affectiones præcedere in loco dicentur.

Prognosis huius affectus in hunc modum instituenda est. Chronicus est iste morbus, & contumacissimus, si semel altas in corpore radices egerit. Humor enim melancholicus, præcipuè qui per adustionem genitus est, & ad atre bilis naturam accedit, vim remediorum eludit, mitiora contemnit, & à fortioribus efferatur. Unde humor melancholicus flagellum Medicorum, crux, seu opprobrium Medicorum, vulgò nominari consueuit.

Recens tamen melancholia, & à causis procatarcticis oriunda, facilè curatur. Refert enim Galen. *3. de loc. affect. cap. 7.* se melancoliam incipientem solo aquæ dulcis balneo frequenter curasse.

Melancholicis hæmorroides, aut varices superuenientes, curationem interdùm afferunt si criticè à natura humores ad illas partes inferiores detrudantur: interdum enim symptomaticè contingunt, & per epigenesia, multiplicata materia morbifica, indeque ad plures partes diffusa.

Soluitur etiam interdùm melancholia per fluxum hæmorrhoidum, & per scabiem, alioſque cutaneos affectus.

Quoad curationem spectat, vndecunque morbus primam traxerit originem, duo perpetuò aduertenda sunt. Primum, vt totum corpus ab humore melancholico, omnique aliorum humorum illuuie liberetur. Rarissimè enim contingit, vt vnica pars hoc humore obsideatur. Secundum, vt ad hypochondria curatio præcipua semper dirigatur: quandoquidem in hepate, & liene prima humoris melancholici generatio, & in ijsdem partibus, totaque hypochondriaca regione, illius collectio fieri consueuit: Ideo curatio, pro affectione hypochondriaca proposita, ad reliquarum melancholiæ specierum curationem sufficere poterit. Vix enim hypochondria ab illius humoris redundantia, & noua eiusdem generatione liberari possunt, quin totum corpus consequenter ab eodem immune fiat.

Pro omnium igitur melancholiæ specierum curatione sufficient remedia, quæ in affectionis hypochondriacæ curatione proposita sunt.

CAPVT XV.

De Catarrho.

Catarrhus est humoris excrementitij è capite in subiectas partes præternaturalis effluxus.

Est ergo symptoma tertij generis, nẽpè vitium in excretis.

Cerebri substantia, eximia mole prædita, multo indiget alimento, ex quo necessariò copiosa generantur excrementa, concurrente potissimum frigida, humidaque partis temperie: quæ si naturalem, & modicam quantitatem seruauerint, in prioribus cerebri ventriculis excipiuntur, & per choanã, seu infundibulum ad glandem pituitariam trãsmittuntur, ac per palatum quotidiè excernuntur. Si verò paulò vberiùs redundauerint, in statu tamen naturali constituta, circa cerebrum, & meninges dispergunturcommodè tamen non solum per palatum, sed etiam per nares expurgantur.

Cùm verò cerebrum intemperie, atque imbecillitate affectum est, vel alimentum copiosius, & improportionatum reciperere cogitur, quod sufficienter concoquere nequeat: magnus fit excrementorum prouentus. Adde, quod cerebrum (vt inquit Hipp.) tanquam cucurbitula corpori imposita humores, & vapores à partibus inferioribus attrahere non desinat: hinc non parum adaugetur excrementorum cumulus, quæ quantitate, & qualitate sua facultatem expultricem stimulantia & retentricem superantia, qua data porta, ruunt immodicè, & inordinatè per vias, & loca non conferentia, magna cum corporis afflictione.

Cùm igitur fluxio sit motus materiæ ab vna parte in aliam; in ea perpetuò, (vt in omni motu) quinque consideranda sunt. Terminus à quo, terminus ad quem mouens, mobile, & viæ per quas ipsum mouetur. Terminus à quo est cerebrum; terminus ad quem partes cerebro subiectæ; mouens est facultas expultrix irritata, vel retentrix debilitata mobile est humor excrementitius; viæ, per quas mouetur sunt ductus patentes, nempè palatum, nares, oculi, aures, & meatus insensiles, tùm etiam venæ, arteriæ, & nerui:

In termino à quo, seu parte mandante, duo causarum genera consideranda sunt. Vnum est earum, quæ humoris pituitosi copiam in corpore gignunt, & cumulant: alterum earum, quæ fluxum eiusdem excitant, & promouent. Illa generantes, hæ impellentes dici possunt.

Generantes consistunt infrustratione facultatis concoctricis, quæ contingit, vel vitio ipsius facultatis, vel alimenti.

Concoctrix cerebri facultas læditur potissimùm ab intemperie, eaque frigida, vel calida.

Frigida intemperies efficit, vt alimentum ad cerebrum delatum male concoquatur, & in pituitam commutetur: tum etiam, vt vapores, à partibus inferioribus translati, sufficienter non discutiantur; sed in aqueum humorem condensentur.

Calida verò intemperies copiosius alimentum, & copiosiores vapores allicit, non possint à natura sufficienter discuti, ac resolui.

Vitio alimenti concoctrix cerebri frustatur; cum illud, vel nimia copia cerebro suppeditatus, vel alienis qualitatibus infectum difficiliùs concoquitur. Sic frigida, crassa, & viscida alimenta, immoderatiùs ingesta, nerfectè concoqui nequeunt, sed crudum alimentum Cerebro suppeditant. Sic alimenta acria, & vaporosa multos vapores ad cerebrum transmittunt.

His adiungendæ sunt causæ externæ, quæ superflua humiditate caput replere solent, vt austrina constitutio, somnus longus, præcipuè meridianus, vita desses, & otiosa, & alia huiusmodi.

Licet autem cerebrum pars mandans præcipuè dici soleat:

leat; non est tamen perpetuò causa fluxionis præcipua; sed plerumque fluxionis materia aliunde ad cerebrum transmittitur. Postquam enim vitiosi humores, vel in toto venoso genere, vel in aliqua parte peculiari ventriculo nimirum, hepate, liene, mesenterio, vtero aliisque collecti sunt: non solum ab iis ad caput vapores multi ascendunt; sed etiam ipsi humores vitiosi ad caput feruntur, & inde rursùm ad subiectas partes descendunt. Istorum autem viscerum vitia præcipua ad catarrhos generandos idonea, sunt intemperies variæ, & obstructiones.

Calida viscerum intemperies copiosam facit anathymiasin, ex qua velut in alembico destillationes generantur. Frigida verò, propter concoctionis defectum, humores crudos generat, qui data occasione ad caput transferuntur.

Obstructiones verò partium infimi ventris liberam excrementorum expurgationem impediunt: vnde fit, vt illa sensim cumulata, cùm liberum exitium non inueniant per vias naturales, & ordinarias, ad superiora refluant, & ad cerebrum transferantur. Ad hoc autem opus eo modo perficiendum concurrere necessariò debet cerebri imbecillitas, horum excrementorum receptioni idonea: quandoquidem, (vt antea dictum est,) partes robustiores ad debiliores sese exonerant. Frequentissimè autem contingit, vt cerebrum sit debilius reliquis partibus, propter substantiam suam mollem, & laxam, quæ compactis, & solidioribus minorem habet resistentiam.

Causæ impellantes sunt nimia cerebri calefactio, vel refrigeratio, aut alia quæuis humorum commotio. Nimia cerebri calefactio humores in eo contentos attenuat, & fundit, meatusque referat, per quos illi fluere consueuere. Talis est capitis calefactio à sole, igne, nimio capitis tegumento, olfactu aromatum calidiorum, ira, alioque animi pathemate excedente.

Refrigeratio verò cerebrum comprimit, & humores in eo contentos exprimit, vt in spongia, aqua repleta, & manu compressa contingit. Talis alteratio hyeme frequens est; sed præcipuè contingit in subiti aeris mutationibus: quando scilicet constitutio, austrina calida, & humida in aquiloniam frigidam, & siccam conuertitur, vel quando aliquis à loco calido egrediens aeri frigido subitò se exponit. His annumeranda est pedum refrigeratio, quæ sympathicè per neruos cerebro communicatur.

Prædictam cerebri compressionem à frigore factam, multi negant, quia frigus humores densat, & incrassat, minusque fluidos reddit. Neque quadrare videtur exemplum spongiæ aqua repletæ, quæ aeri exposita nullo modo comprimitur.

Verùm hæc sententia ab Hip. tradita. *lib. de locis in homine*, veritati consentanea est. *Fluxiones* inquit, *propter frigus fiunt, cum caro in capite, & venæ tensæ fuerint: hæ enim, horrente carne, & ad angustias perueniente, ad strictaque ac excludente, humiditatem exprimunt. Et simul carnes ipsæ contra exprimunt ad angustias prouenientes, & capilli sursum erecti fiunt, vtpote simul vndiquaque fortiter compressi. Quidquid igitur inde expressum fuerit, id ipsum, quocumque contigerit, fluit.*

Ex quibus coarctationem, & compressionem partium à frigore fieri, indeque humorem exprimi, manifestum est.

Neque obstat densatio humorum, & incrassatio à frigore supra proposita; si quidem hæc locum habere potest, quando totum corpus sensim, & æqualiter refrigeratur. At cum à frigore subito irruentes partes externæ offenduntur, tunc illæ subitò coarctantur, & humores intùs coercitos exprimunt.

Multò minoris est efficaciæ, quod de spongia dicebatur, eam nimirum à frigore aeris non exprimi. Alia enim est ratio partium viuentium, quarum calor, & spiritus ad frigoris sensum refugiunt, vnde partes ijs destitutæ consequenter coarctantur, quod in spongia, aqua repleta fieri nequit.

Attamen confiteri oportet, non hunc vnicum esse modum, quo fluxio à frigore excitatur. Etenim refrigeratio pedum catarrhum inducit, intemperie frigida cerebro communicata per neruos insignes, qui ab eo ad pedes deferuntur per spinæ medullam. Illa autem refrigeratio intimas cerebri partes petit, non verò externas, vt frigiditas aeris, caput immediatè afficiens, facere consueuit. Ideo potiùs existimandum est: in hoc causa retentricem cerebri facultatem debilitari, quæ ex refrigeratione non potest humores superfluos in eo contentos (si quidem illi copia luxurient,) amplius retinere; sed eosdem effluere paritur.

Est & alius modus admodum efficax, & frequens, quo catarrhus à frigore generari consueuit, nempè pororum externorum constipatio, eo præsertim tempore facta, quo maxima fieri solet per corporis habitum diaphoresis. Hinc fit, vt ex calefacti, frigidum aerem subitò incurrentes, catarrhis maximè efficiantur. Sic in primis autumni frigoribus catarrhi maximè fiunt, quia per æstatis decursum habitu corporis rarefacto, & poris valdè apertis, multa fit per transpirationem insensilem excrementorum dissipatio: quæ si de repentè constrictio corporis habitu, cohibeatur, vapores, & humores in centrum cerebri, & corporis repercussi fluxionibus materiam suppeditant: ita vt circa autumni initia non solùm catarrhi contingant; sed etiam copiosa fiat in omnibus ferè hominibus serosæ materiæ per vrinas excretio, & in nonnullis per aluum, vnde alui fluxus dictis temporibus frequentes esse consueuerunt.

Si quis verò quæsierit, cur totum hyemis decursum catarrhi non perseuerent, cùm perpetua fiat à frigore ambientis pororum externorum constrictio? Respondebimus, naturam per alias vias superfluitates expurgare hyemis tempore magis, quàm per diaphoresin, nempe per aluum; vrinas, & sputa.

Quàm copiosa autem sit euacuatio illa, quæ per insensilem transpirationem fieri consueuit, luculenter docetur à Sanctorio *libello de Statica Medicina*, vbi dicit, perspirationem insensilem esse longè pleniorem omnibus euacuationibus sensilibus simul vnitis, ita vt si cibus, & potus vnius diei sit ponderis octo librarum, transpiratio insensibilis ad quinque circiter libras ascendat. Curiosa, & laboriosa isthæc circa transpirationis mensuram speculatio quantam lucem in morborum causis introspiciendis eorumque curationibus instituendis afferre valeat, peritioribus & solertioribus quibusque iudicandum relinquo.

In parte recipiente consideranda est imbecillitas, vel aliæ quæuis dispositio, fluxioni recipiendæ, vel attrahendæ idonea. Ratione imbecillitatis vulgatissimum est Medicorum axiomæ partes robustiores in debiliores perpetuò, onus superfluum deponere, sicut in Republica Magnates, & potentiores in debiliorem plebem grauia onera deponunt.

Imbecillitates verò partium, vel intrò est, & naturæ, vel aduentitia. Insita pendet à mollitie, & laxitate partium: vnde grandulæ, & pulmo fluxiones facilè recipiunt. Aduentitia verò fit ab intemperie, vel solutione continui.

Frigida intemperies calorem natiuum debilitatem facit, vt pars minorem habet resistentiam, sicque facilius humorem influentem recipiat.

Solutio continui partem etiam debilitando fluxioni recipiendæ magis reddit idoneam. Hinc ortus est cauterium vsus: qui in partem vlcere debilitatam humores ab alijs partibus decurrunt. Sic etiam pulmo in phthisi vlceratus humores à cerebro, & toto corpore influentes recipit.

Inter alias verò dispositiones fluxioni attrahendæ idoneas calor præcipuè annumerandus est. Vnde videmus partes inflammatas copiosos humores attrahere. Sic etiam in phthisi non solùm propter vlcus; sed etiam propter calidam humores copiosi à capite proliciuntur. Vnde Hippoc. *de morbis*, agens de phthisi, sic loquitur: *Pulmo à calore ad se trahit pituitam ex toto corpore, & maxime ex capite. Caput verò calefactam ex corpore hanc putrescentem suberosam expuit.*

Viæ per quas humores feruntur à capite in partes subiectas, duplices statuuntur, internæ, & externæ. Internæ sunt cum è partibus sub caluaria contentis potissimum è ventriculis cerebri; humor defluit per vias interiores, & pro natura partium, ad quas defertur, varios morbos, variaque symptomata producit, quorum nonnulla propria nomina sortiti sunt, iuxta vulgares illos versiculos scholæ Salernitanæ.

Si fluat ad pectus, dicatur rheuma: catarrhus.
Si ad fauces, bronchus; si ad nares, esto coryza;

In pectus defluente humore, affectus generis nomen retinet ad fauces verò, & asperam arteriam; bronchus, seu raucedo generatur: si verò ad nares defluat, non solùm coryzam; sed etiam ozænam, & polypum efficit, si humor insignior est, malignus.

In alijs etiam partibus varios producit affectus: in neruis torporem, paralysin, conuulsionem, tremorem: in auribus surditatem, tumorem; in oculis ophtalmiam, lachrymas,

chrymas, cœcitatem : in vulua tumorem, laxitatem, vlcus; in gutture anginam; in pectore, & pulmone pleuritidem, peripneumoniam, tussin, asthma, hæmoptoen phthisin; in ventriculo vomitum, inappetentiam; in intestinis diarrhœam, & dysenteriam, ita vt maxima morborum, corpus, humanum infestantium pars à capite oreum ducere iure merito censeatur.

In venas etiam cum sanguine humor à cerebro defluit, vnde febris catarrhalis generatur, quando scilicet natura ad humoris superflui expulsionem acriùs commouetur, vnde commoti vehementer spiritus accenduntur, & febrem Ephemeram efficiunt: hinc catarrhus inter febris Ephemere causas recensetur. Sic ante inuasionem arthritidis, aut Erysipelatis eruptionem talis sæpissimè contingunt.

Externæ autem viæ, per quas humor à capite defluit, sunt illæ, quæ caluariæ adiacent, & sub cute continentur. Unde censuit Fernelius, inter carnem, & cutem humores vt plurimum deferri; quamuis etiam per continuitatem musculorum, membranarum, & neruorum, tum etiam per venas, & arterias defluere soleant in oculos, dentes, maxillas, ceruicem, scapulas, brachia, articulos, & alias partes externas.

Differentiæ catarrhi nonnullæ ab auctoribus proponuntur, quarum præcipuæ sunt, quòd alius dicatur ferinus, alius suffocans, alius epidemicus.

Catarrhus ferinus est, qui sua acrimonia pulmonum exulcerat, & tabem inducit: fitque ab humore acri, & falso, in hepate feruido genito, & in cerebrum translato, vnde in pulmones propellitur. Suffocans verò catarrhus fit, quando fluxio in bronchia pulmonis confertim irruit, ac subinde renouatur, vnde suffocationis impendet periculum. Catarrhus denique epidemicus maligna qualitate præditus est, & popularitèr grassatur, à vitio aeris dependens.

Diagnosis huius affectus ad tria dirigitur; subiectum, morbum, & causam.

Subiectum, vel corpus catarrhis obnoxium indicant rara corporis, & capitis textura, facilem aeri frigido, vel calido penetrationem præbens: tum etiam eadem textura nimis densa, liberam transpirationem impediens cerebrum frigidum, & debiles vapores ad se transmissos discutere non valens, vel proprium alimentum sufficienter non concoquens: cerebrum item calidum, vapores copiosos attrahens ventriculi, & hepatis ἀντιπαθῶ, vt vnum sit calidum alterum verò frigidum.

Signa morbum indicantia, vel imminentem prænuntiant, vel præsentem ostendunt.

Imminentem catarrhum prænuntiant causæ prædictæ, sed magis præcisè capitis grauitas, sensuum hebetudo, & torpor somni longiores, sternutatio frequens emunctio narium, & expuitio solito copiosior, alui segnities, & flatuum copia.

Præsentis verò catarrhi indicia manifesta sunt. Humor enim, à cerebro defluens, vel manifestè percipitur, vel tumoribus, ac doloribus in partibus, quas inuadit, satis manifestatur.

Signa causarum satis etiam conspicua sunt. Si enim ab humore frigido catarrhus excitetur, aderit sensus frigoris faciei pallor, sapor pituitæ dulcis, ructus acidus, materia viscosa, vel aquosa, & vniuersum temperamentum corporis pituitosum.

Callidum verò humorem distillantem ostendunt rubor faciei, sitis salsedinis, vel acrimoniæ sensus in ore inflammationes, dolores, & vlcera in partibus affectis, & temperamentum totius corporis biliosum.

Fluxio verò externa ab interna dignoscitur, quòd in illa dolor magis externus sit, imprimis sub cute verticis vbi interdùm tumor mollis percipitur; sæpiùs verò pilorum inuersio dolorifica est; sæpè etiam ægri humorum descensum per partes exteriores cum dolore, calore, aut frigore persentiunt.

Prognosis huius affectus à Cornelio Celso eleganter proponitur his verbis: *Si ex capite in nares destillat humor leue est: si in fauces petus: si verò in pulmonem, pessimum est.* Hippocrates verò in valdè senibus catarrhum difficillimè concoqui asseruit.

Vbi magna humorum copia redundat, siue ea à plethora sit, siue à cacochymia, periculosus inducitur catarrhus. Metuendum enim est, ne affatim irruens copiosus humor suffocationem, aut graue aliquod aliud malum inducat.

Huius affectus curatio duplex instituenda est: vna, quę frigidum catarrhum, alia, quæ calidum respiciat.

Tota catarrhi frigidi curatio in eo consistit, vt materia peccans præparetur, & euacuetur, & si ad pectus, aliàmve partem influat, reuellatur, illiusque motus inhibeatur; tandemque intemperies cerebri corrigatur.

Primò itaque si materia copiosa sit, aut nimio impetu ruat, & metus sit, ne à reliquo etiam corpore affluat, præsertim si hepar sit calidum; contingit enim non rarò, vt catarrhis obnoxij habeant cerebrum frigidum, & hepar calidum, sanguis mittendus est; sed parciori manu. Si verò materia sit pauca, & lentè moueatur, ætas verò senilis, aut temperamentum hepatis minimè calidum; vnde nulla fit suspicio, humorem aliunde cerebro suppeditari, venæ sectio omittenda est.

Materia verò peccans primùm imminuenda est potione, aut pilulis, vel alio quouis medicamento purgante, ex his, quæ in frigida cerebri intemperie fuerunt proposita.

Mox reliquiæ humoris præparandæ apozemati, dicto loco descripto, aut si nimia humoris exagitatio non metuatur apozema purgans poterit instituì.

Ac tandem pilulis fortioribus, aut alio cathartico, integra purgatio erit absoluenda.

Si catarrhus admodum contumax fuerit, ad vomitoria confugiendum est, quæ illius materiam potenter eradicant.

Colocynthis ad cerebrum potenter expurgandum efficacissima est, sed summo amatore infensa est, vehemensque illius est operatio. Corrigitur vtrumque infusione, in vrina, sic enim amaritudinem deponit, & ferè insipidum remedium euadit; tùm vehementia illius infringitur, vt ad ʒ.j. tutò exhiberi valeat: fitque excellens ad omnes capitis morbos à causa frigida oriundos remedium.

Interdùm verò contingit, vt humores excrementitij, à partibus inferioribus ad cerebrum sublati, catarrhum efficiant. Motum autem illum præternaturalem nanciscuntur, obstructis meatibus ordinarijs, per quos humores illi expurgari solebant. Et tunc remporis opportunissimè curatur catarrhus apertione viarum, tum etiam blanda, miti, & continua purgatione; quia humores κχκπύστρ ad partes inferiores deturbantur, ijsque motus contrarius sensim conciliatur.

Huiusmodi autem purgationes blandæ fieri possunt per decocta, vel iuscula, ad multos dies vsurpata. Interim tamen roborantia medicamenta non erunt omittenda.

Ad reuulsionem verò admouebuntur cucurbitulæ, & vesicatorium scapulis, & ceruici; tum etiam cauteria occipiti, vel brachio, Zacutus Lusitanus *lib. 2. Praxis admirandę obseruat. 160.* Cauterium retrò aures, tanquam præstantissimum ad omnes distillationes à capite manantes remedium plurimùm commendat. Et nos fluxionibus oculorum, presertim, laudabiles effectus vidimus. Errhina, sternutatoria, apophlegmatismi, & masticatoria erunt vsurpanda; ea tamen adhibita cautione, vt quando catarrhus in fauces, pulmones, aut ventriculum decumbit, errhina, & sternutatoria tantum vsurpentur; quando verò in oculos, & nares influit, masticatoria, & apophlegmatismi.

Horum omnium formulæ capite prædicto fuerunt propositæ. In his tamen aduertendum, quando materia tenuitatis cuiusdam particeps est, ne fortius resoluentia vsurpentur: his enim humoris impetus ad pectus, & pulmonem, aliasque partes adaugeri potest. Sed nonnulla incrassantia, aut humoris impetum cohibentia erunt admiscenda: vt rosæ rubræ mastiche, coriandrum, nux moschata, aliaque in catarrho calido fusiùs proponenda. In hunc sensum errhinum insequentem modum componi poterit.

℞. Aqua maioranæ ʒ.iv. succi betonicæ ʒ.j. sem. nigellę puluerat. ʒ.ß. nuc. moschat. ℈.j. Fiat errhinum. Prodi tioribus addi poterunt moschi, & ambræ grisęæ an. gr. ij. Vel

℞. Ligni guaiaci limati ʒ.j. aquæ purę ℔.j. infundantur per noctem supra cineres calidos, deinde coquantur ad mediæ partis consumpt. addendo sub finem maioran. & rosarum rub. an. P. ij.

Sic etiam masticatorium, & subtenui existente materia, vel fiet ex mastiche sola; vel in hunc modum:

℞. Nucis moschat. 3.j. mastiches, gummi arabici, an. ʒ.ß. Redigantur in puluerem, & cum aqua rosar. fiant trochisci masticatorij.

Præstans sternutatorium componitur ex hellebori nigri, & sacchari partibus æqualibus, quod cerebrum potenter expurgat.

Extractum nicotianę, cum aqua vitæ paratum, linguę impositum ad pisi magnitudinem, magnam pituitæ copiam instat apophlegmatismi per os educit. Verùm si nimia

copia

copia vsurpetur, aut si in ventriculum effluere sinatur, vomitum excitat etiam vehementem.

Suprà dictum est, cauteria brachiis, occipiti, & ponè aures inusta plurimùm conferre; quod etiam efficaciter præstant posteriori parti ceruicis, & inter scapulas admota; quæ hodie in maximo vsu sunt, & à practicis nostris passim vsurpatur. Nouus etiam locus à quibusdam inuentus est; nempè in ceruice prope venas iugulares, in musculorum interstitio: & huius cauterii beneficio catarrhus inueteratus raucedinem efficiens, in duobus curatus est.

Tandem post conuenientes euacuationes cerebrum roborantia, & exsiccantia, tam interna, quàm externa, erunt vtilissima: vt opiate: pulueres cucufę, suffitus; prout in curatione frigidæ intemperiei cerebri descripta fuerunt.

Notandum autem est opiatæ prædictæ, aut aliis similibus in catarrhi curatione conseruam rosarum, nucem moschatam, & thus albiss. vtiliter admiscere.

Deductum ligni lentiscini, in modum decocti sudorifici vsurpatum, cerebrum exsiccat & fluxionem cohibet.

Præterea sequentes morsuli ad hunc vsum vtilissimi sunt.

℞. Sem. coriandri præparati ʒ ß. nucis mosch. thuris an. ʒ iij. glycyrrhizæ, masticbes, an. ʒ ij. cubebar. ʒ j. conseru. rosar. rub. ʒ j. sacchari albi in aqua rosar. dissoluti ʒ x. Fiat confectio in rotulis, pond. dr. iij. Capiat vnam manè, & vesperi.

Trochisci sequentes valdè commendantur à Solenandro, *conf.* 10. *sect.* 4. quos ab antiquis, tum Græcis, tum Arabibus mutuatur.

℞. Thuris masculi, succi liquiritiæ, an. ʒ. j. opij, croci myrrhæ, an. ℈ j. Cum syrupo papau. forma trochiscos vel pilulas vrgente catarrho exhibendas, per interualla. Dosis erit ℈ ij. vel ʒ ß.

Tabellæ sequentes etiamnum vsui esse poterunt.

℞. Puluer. electuar. diambr. & diamoschi dulcis an. ʒ j. succini albi ℈ j. ol. anisi gutt. iii. saccari in aqua lauendulæ dissoluti ʒ iv. Fiat Tabellę pond. ʒ ii. Capiat vnam manè, & serò.

Inter remedia interna, capite de intemperie frigida cerebri descripta, summæ est efficaciæ ad catarrhi inueterati curationem balsamum cephalicum ibidem post opiatam descriptum, quod intùs assumi poterit, & in narium cauitates immitti.

Lac sulphuris, & flores eiusdem, ad catarrhum exsiccandum maximè laudantur à Chymiatris tum etiam Galenici in Tabellis flores sæpissimè vsurpant.

Recentem catarrhum aqua nucum cum hydromelite exhibita hora somni per triduum valdè imminuit.

Ad cohibendum catarrhum vtiliter admouetur sincipiti raso cataplasma ex fermenti ʒ ii. & carabes ʒ ij. compositum. Si verò æger caput radere noluerit, supra ipsum capillitium aliqua ex parte detonsam, sacculus ex chamæpit. & carabe conflatus apponi poterit.

Præter suffitus prædictos qui ex gummi Tacamahaca fit, summæ est efficaciæ: catarrhum enim exsiccat, eiusque motum cohibet, neque vehemens est illius odor, ita vt conclaue ægrotantis eo sine molestia perfundi valeat.

Commodissimum est etiam caput exsiccare sacculis ex furfure, milio, sale, folijs saluiæ, betonicę, stœchados, sem. fœniculi, anisi, & similibus.

Denique si affectus sit contumax, omnia conuenient remedia, quæ pro frigidę cerebri intemperiei curatione fuerunt proposita.

Calidus catarrhus curatur remediis, materiam peccantem euacuantibus, incrassantibus, & reuellentibus tùm etiam partium mandantium, & recipientium intemperiem corrigentibus.

In hunc finem primò phlebotomia instituenda est, si cętera consentiant, qua humor fluens reuellitur, eiusdem acrimonia temperatur.

Deinde humoris eiusdem portio educenda est blando cathartico, quod humores nullo modo commoueat, in hunc, aut similem modum.

℞. Rhab. elect. ℈ iv. myrobalan. citrin. ol. amygdal. dulc. confricat. ʒ ß. santali citrini ℈ ß. Infundantur in aqua lactucæ, & portulacæ. In expressione dissolue mannæ granat. & syrup. rosar. solut. an. ʒ j. Fiat potio.

Vel loco aquarum prædictarum potest fieri decoctio ex herbis refrigerantibus, & tamarindis, cui purgantia prædicta permisceantur.

Deinde humor alterandus, & incrassandus est iulepis conuenientibus.

℞. Fol. lactuc. portulac. & plantag. an. M. j. sem. quatuor frig. ma. & papaueris albi, an. ʒ ij. flor. violar. nymphææ, & papaueris rhœados, an. P. j. Coquantur ad ℔ j. In colat. dissolue syrupi violac. & rosac. sicca, ana ʒ j. ʃ. Fiat iulep. pro tribus dosibus, bis in die sumendis.

Vel loco decocti aquæ stillatitiæ prædictarum herbarum, vel emulsiones quatuor sem. frigidorum maj. substitui poterunt.

Deinde purgatio paulò fortior vsurpanda, addendo purgantibus prædictis sennam, catholicum, diaprunum, & similia.

Leue ac blandum remedium incrassans, humorisque acrimoniam demulcens desumitur ex vitellis ouorum recentium quorum duo in vncijs quinque, vel sex aquæ fontis dissoluantur, binario numero, addendo sacchari albi ʒ j. Coquantur parùm sine ebullitione, semper mouendo, & capiat calidè quantum ferre poterit, mane, et sero per triduum.

Ac tandem maiori humorum incrassationi, & fluxus cohibitioni incumbendum est: quod fiet syrupo sequenti.

℞. Syrupi violac. & de ros. siccis, ana ʒ j. syrupi de papauere ʒ ʃ. Detur ex cochleari ʒ j. hora somni.

In eundem finem vsurpari poterit opiata sequens.

℞. Conseruæ rosar. antiquæ ʒ vj. pulueris electuar. diatrag. frig. ʒ ij. boli armeni loti in aqua rosar. ℈ ij Cum syrupo rosar. siccarum fiat opiata; capiat ad magnitudinem auellanæ hora somni.

Hordeatum sequens vtilissimum etiam est.

℞. Hord. mundat q. s. Maceretur per hora vj. posteà coquatur perfectè, & traijciatur. Deinde accipe amyg. dulc. excort. ʒ iij. Sem. cucurbitæ mund. ʒ j. ʃ. sem. melon. ʒ j. papau. albi lactuc. ana ʒ ß Contusis omnibus cum aqua hord. eliciatur lac quod cum ℔ ij. pulpæ hord. permixtum coquatur parum, addendo sacchari portionem Bibat ʒ x. aliquot matutinis super dormiendo, & nonnunquam in introitu lecti. Tum etiam trochisci sequentes in ore frequenter erunt detinendi.

℞. Gummi tragacanthi, & arabici, an. ʒ ij. boli armen. terræ sigillat. lotor. in aqua rosac. ana ʒ. ij. Sem. papau. albi, succi liquiritiæ, ana ʒ. sacchari penidiat. ʒ j. Cum mucilag. sem. cydon. extract. cum aqua rosar. fiant orbiculi parui, quos diu, noctuque in ore detineat.

Spiritus sulphuris, & vitrioli ad gutt. iij. vel iv. exhibitos manè & serò, cum liquore idoneo, contra omnes fluxiones magnas vires habet, præsertim verò eas, quæ à calida viscerum intemperie ducunt originem. Potest etiam in minori dosi potui permisceri, quia cum eo venas omnes peruadit; & motum humorum cohibet.

Crystallum etiam minerale ad eundem vsum iulepis, alijsque remediis admisceri potest.

His nihil proficientibus, necessitas cogit vti narcoticis. Inter quæ principatum obtinet laudanum opiatum, ab gr. i. ab ii. & iii. hora somni exhibendum. Vel syrupi de papau. ʒ. ß. vel ʒ. i. exhiberi poterit. Hæc ab initio morbi vsurpata, miranda præstant. Eandem habet vim theriaca recens, ad ℈ j. vel ʒ ß. noctu exhibita.

Benedictus Eauentinus sequentibus pilulis vsus est in catarrho salso, feliciſſimo cum successu.

℞. Succi glycyrrhizæ ʒ ij. aloes lotæ ʒ i. pilul. de cynoglosso ʒ ß. Cum syrup. violac. fiat massa pilularum, de qua capiat ℈ ß. hora somni. Trochisci Solenandri, suprà descripti erunt etiam vtilissimi.

Huic vsui etiam maximè conferre potest diacodium album, in curatione phrenit. descriptum.

Interim reuellenda est materia fluens per clysteres, cucurb. frictiones, & ligaturas extremorum, omniumque potentissimè per vesicatoria, posteriori ceruicis parti admota: denique cauterium occipitio, vel brachio, si catarrhus sit diuturnus.

Ad caput etiam roborandum, fluxionem retinendam, eiusque reliquas absumendas, conueniunt pulueres, cucufæ, & emplastra.

℞. Succini albi, sandarac. Arab. (*Gumm. iuniper.*) masticbes, benioni, nucis moschatæ, an. ʒ i. thuris gran. Kermes, & rosar. rubrar. ana ʒ. ʃ. santalor. omnium myrtill. & balaust. ana ʒ ii Fiat puluis qui inspergatur capiti, hora somni, mane pectine decutiendus.

℞. Gummi iuniperi ℈ ii. rosar. rubrar. P. ij. myrtill. ʒ. i. macis, nucis moschat. ana ℈ i. thuris sem. pœoniæ, cortic. papau.

ana ℥.ij. nuc. cupr. ℥.ß. Puluerisentur, & cum floccis panni coccinei, ac sindone rubra, fiat cucusa inter puncta, perpetuò gestanda.

℞. Mastiches, cortic. thuris, ana ʒ.ß. sandaracæ; coralli, rubr. rosar. rubrar. myrtyll. balaust. cortic. granat. ana ʒ.j. ladani ʒ ij. ceræ, & olei rosacei q.s. Fiat emplastrum. applic. suturæ coronali.

Quia verò hniusmodi catarrhus à calida plerumque hepatis intemperie ducit originem; ideò remedia, quæ illius intemperiem emendat, erunt etiam vsurpanda.

Denique hoc imprimis notatu digniſſimum est, quod etiamnum suprà in catarrhi frigidi curatione propositum est; nimirum, non rarò humores excrementitios, à partibus inferioribus ad cerebrum sublatos, catarrhos efficere, & motum acquirere præternaturalem, obstructis meatibus ordinarijs, per quos expurgari solebant. Et tunc temporis opportunè curatur catarrhus apertione per iuscula, aut alia decocta ad multos dies instituta. His omnibus iungenda sunt, quę tradit Sneiderus de Catarrhis.

CAPVT XVI.

De Dolore Capitis.

CEphalalgiæ nomen pro omni dolore capitis generaliter vsurpatur: Sed in specie & magis stricte recentem capitis dolorem significat; cephalæa verò, inueteratum, & hemicrania eum, qui dimidiam tantùm capitis partes occupat.

Sunt & aliæ doloris capitis differentiæ, quibus diuiditur in internum, & externum, sympathicum, & idiopathicum, & ex his denuò alius pungitiuus, alius tensiuus, alius grauatiuus, alius pulsatorius.

Dolor capitis internus in meningibus locum habet, qui profundus est, & ad radices oculorum pertingit, externus verò, in pericranio situs, pilorum radices inuerti non sinit & ad capitis compressionem exacerbatur. Hæc est Galeni doctrina, quam proponit ʒ. *de loc. aff. c. 1. & l. 1. de com. med. secundum locos cap.* 3. vbi disertè asserit, dolorem capitis internum hoc peculiari signo distingui ab externo, quòd internus ad radices oculorum pertingat, externus verò minimè. Et rationem reddit, quia tunicæ oculorum à cerebri meningibus prodeunt, vnde dolor eo vsque facilè propagetur.

Attamen Fernelius huic doctrinæ contradicit *lib.* 5. *suæ Pathologiæ cap.* 1. asseritque, externos etiam dolores ad radices oculorum pertingere quòd pericranium, cui insident, ad oculorum cauum pertingat.

Huic respondet Rondeletius *lib.* 1 *meth. med. cap.* 5. ad dolorem pericranij oculi cauum non dolere, licet illud eò vsque pertingat; quod pericranij dolor à frigore externo vt plurimùm oriatur, quia pars frigida à simili facillimè patitur qualitate. Illud autem frigus ad oculi cauum non potest peruenire, quia à calore oculorum, spiritibus, & sanguine conseruatur. Si verò interdum ab æstu, aut simili causa dolor capitis externus excitetur; tunc cutem capitis tantùm affici affirmat, non autem pericranium, in profundiori loco situm.

Verum hæc Rondeletij doctrina non omnem omninò tollit difficultatem; licet enim omnia, quæ ille adstruit, ipsi concederentur; tamen si dolor excitetur ab aliquo tumore, iuxta pericranium collecto, aut ab alia causa, continuum soluente; nulla ratio erit, cur dolor ad oculi cauum non feratur.

Dicere possumus ad Galeni defensionem, duplici ratione hoc signum fuisse à Galeno propositum. Primò, quia membrana, quæ à pericranio ad oculi cauum fertur, est hebetioris sensus, atque ita non compatitur dolori pericranij, nisi admodum obtusè, tunicę verò oculi, quę prodeunt à meningibus, sunt exquisitissimi sensus, atque adeò insigniter dolent. Deinde membrana illa, quæ à pericranio oritur, non adeò intrinsecè, & profundè attingi oculum versùs neruos opticos, sicut tunicæ, quæ à meningibus procedunt. Vnde dolor ille externus non potest sese extendere ad fundamenta oculorum, vt loquitur Galenus.

Idiopathicus dolor stabilis, & permanens est nec aliarum partium sequitur affectus, Sympathicus verò ab alterius partis affectu dependet: ita vt, dum affectus ille suscipit incrementum, dolor capitis intendatur; dum verò remittitur, conquiescat. Ille autem sympathicus dolor fit, vel ex consensu totius corporis, sicut in febribus contingit, vel determinatæ partis, putà ventriculi, hepatis, lienis, vel vteri.

Quænam verò sit illa pars, quæ dolorem capiti communicet ex cuiusque partis affectæ proprijs indicijs facilè innotescet.

Dolor pungitiuus ab acri, & bilioso humore, vel vapore, membranas feriente excitatur. Grauatiuus à copioso humore, crasso frigido; pituita scilicet, vel melancholia, partes sensiles comprimente. Tensiuus fit à flatibus, aut humoribus mitioribus intramembranas sese insinuantibus, easque distendentibus. Pulsatorius, denique fit à tenui, bilioſque sanguine, vel spiritu redundante quo turgentes, ac distentę arteriæ vehementiùs pulsant, membranasque concutiunt: sicque partes vicinas percutiendo sensum pulsationis in ijs efficiunt, vt fusius docetur à Galeno, 2. *de loc. aff. c.* 3.

Ex suprà propositis causſæ præcipuæ doloris capitis satis declarantur, quæ in vniuersum ad solutionem continui, tanquam ad causam proximã & immediatam referuntur. Quęcunque igitur continui solutionem manifestam, vel occultam inferre possunt, ea capitis dolorem etiam inducere apta nata sunt.

Signa etiam diagnostica tùm specierum doloris capitis, tum causarum eas producentium, ex superioribus desumi possunt, vt prognostica tantùm exponenda superſint.

Dolor capitis externus perpetuò minùs periculosus, & curatu facilior est interno.

Dolor capitis in febre acuta, cum vrina tenui, & alba periculosus. Significat enim raptum materiæ bilioſæ ad cerebrum, vnde phrenitidis periculum impendet.

Dolor capitis fortis, subitò delitescens, nulla subsequente euacuatione, aut morbi imminutione, lethalis. Significat enim facultatis animalis abolitionem quæ obiectum dolorificum ampliùs non sentiat.

In vehementi capitis dolore extrema frigescere, malum, ex doloris enim vehementia magna fit caloris retractio ad partem affectam, vnde periculum imminet inflamationis.

Quibus ex morbo partium inferiorum conualescentibus dolor capitis vehemens superuenerit, si non præcedat excretio manifesta ijs in cerebro futurus est abscessus, materiæ enim morbificæ translationem ad cerebrum significat.

Qui in doloribus capitis æruginosa vomunt, & cum surditate vigilant, ij citò vehementer insaniunt 1. *Prorrh.* Significat enim bilis adusta in cerebro collectionem, quę ventriculum in consensum trahat.

Capitis dolores, & sonitus aurium sine febre, aut vertigo, aut surditas, aut manum torpor imminentem apoplexiam, aut epilepsiam significat. Hipp. *in Coacis*, Fiunt etiam ista symptomata è pituitæ crassæ copia in cerebro cumulata.

Vtero gerentibus capitis dolores soporosi cum grauitate sientes, mali, 1. *Prorrh.* Significant enim humorum transfluxum ad cerebrum, qui cum multi, & copiosi sint in muliere grauida ob purgationis menstruæ defectum, hinc grauius malum metuendum est.

Dolor capitis, qui à morbi principio non apparuit, agitato, & perturbato corpore obortus, imminentem crisin per hæmorragiam, aut vomitum significat.

Cùm igitur capitis dolor tum à frigida causa, tum à calida dependeat, ad vtriusque ablationem curatio dirigenda est.

Ad prioris curationem materia pituitosa primùm euacuanda est, conuenienti præparatione adhibita, vt superiori capite dictum est. Deinde intemperies cerebri frigida corrigenda, ac reliquiæ humoris discutiendæ sacculis, superiori etiam capite propositis, vel ijs, qui in frigida cerebri intemperie descripti sunt. Quibus calentibus confricetur caput derasum manè per sesqui horam, singulis diebus, dum doloris causa fuerit exhausta.

Post frictionem capitis per sacculos, inspergatur puluis sequens, corone aut lana superposita.

℞. Nuc. mosch. at. caryophyll. piperis, pyrethri ana ℥ß. fol. saluiæ, baccarum lauri, ana ʒ ij. sem. sinapi nasturtij contus. an. ʒ. vj. Fiat puluis, capiti inspergatur, vt dictum est, & manè pecta tur ante vsum saculorum, vt puluis pridie insperſus excidat.

Utilia etiam erunt errhina, sternutatoria, & apophlegmatismi, quorum descriptiones suprà fuerunt propositæ.

Vtilis etiam erit syrupus magistralis, in hunc modum compositus.

℞. Raſ.

℞. Raſ. ligni guaiaci, & rad. chinæ in raleolas diuiſæ, ana ʒ.i.ß. Infundantur per horas xii. in ℔.iv. aquæ fontis Bulliant ad mediæ partis conſumptionem, addendo ſub finem fol. verbenæ M. flor. ſtœchados, & maior. ana P. i. In colatura diſſolue ſacchari albi ℔. 6. Coquantur in ſyrupum, & antequam ſit perfectè coctus, in eum coniice in nodulo ſennæ mundat. ʒ.iii. agarici recenter trochiſati ʒ.ii. rhab. opt. ʒ.iii. Capiat ʒ. ii. vel iii. ſemel in ſeptimana.

Conferent etiam plurimùm pilulæ ſequentes, quæ in Italia olim magno in pretio habitæ ſunt tempore Euſtachii Rudii, in Academia Patauina profeſſoris Practicæ primarii, qui earum auctor prædicabatur, & pro magno ſecreto habebat; ideoque vni dumtaxat Pharmacopœo conficiendas dederat, ne aliis innoteſceret earum deſcriptio, quam tamen mutuatus fuerat à Vvekero, qui ea proponit ex Andernaco. Illa autem talis eſt.

℞. Colocynth. ʒ.vi. agarici troch. diagrydii, hellebor. nigri, turbith. ana ʒ.ß. aloes ʒ. i. ſpecier. diarrhod. abbatis ʒ.ß. Contundantur purgantia, & ponantur in vaſe vitreo cum ſpiritu vini, vt octo digitos ſuperemineat, & digerantur per octo dies in loco calido, poſtea adiiciatur pulus diarrhod. Et infundantur adhuc per quatuor dies. Mox colentur omnia, & fortiter exprimantur. Liquor expreſſus diſtilletur in balneo, donec in fundo alembici extractum redeat ad eam craſſitiem, quæ pilulis efformandis idonea ſit: quarum doſis eſt ℈. i.

Sequentes verò pilulæ Fernelio tribuuntur, quarum ſe tantam vim experiendo cognouiſſe affirmabat, vt nullam cephalalgiam, aut hemicraniam offenderit, quam non curauerit.

℞. Aloes opt. ʒ.ß. pulu. electuar. de gemmis, trium ſantal. roſar. rubrar. ana gran. iii. Cum ſyrupo abſinthii, & violar. fiat maſſa. Detur ʒ. i. bis in hebdomada, hora i. vel ii. ante cœnam.

Ac denique contumaci dolore, & inueterato omnia conuenient remedia, quæ procuratione frigidæ intemperiei cerebri fuerunt propoſita. Inter quæ non infimum locum obtinent emplaſtra epiſpaſtica. Quibus etiam non conferentibus, nonnulli auſi ſunt capiti admouere emplaſtrum de Vigo cum mercurio, quo multi pituitoſis humoribus per ſputa euacuatis, inueteratos capitis dolores interdum ceſſaſſe aſſerunt.

Thermæ ſulphureæ, ac bituminoſæ in hoc caſu efficaciſſimæ ſunt, tum balneo, tum lotione capitis.

Plurimùm etiam conferunt in dolore inueterato decocta ſudorifica, quibus multos fuiſſe liberatos, apud celeberrimos Auctores legere eſt.

Quibus non conferentibus Mercatus ad ſtibij vſum audet confugere, eumque cum elogio commendat *l. 1. de intern. morb. curatione cap. 8.* In dolore autem diuturno plus præſtat caput frequentiùs roborare, quam pertinaciter vacuationibus inſiſtere. Ideò conferent pulueres, & cucufæ, aliaque topica, in frigidæ intemperiei cerebri curatione propoſita.

Magis tamen probantur pulueres: quia virtus pilei non ita cerebro communicatur, & ex eiuſdem ſordities dolor excitari poteſt.

Præterea fieri poterit inunctio ex ol. amygd. in quo ſerpillum, lauri folia, maſtiche, ſpica, mentha, maiorana, thymus, pulegium, nux moſchata, caryophylli, & cinnamomum, aut horum nonnulla bullierint, addendo dum fit ebullitio, vini rubri parum.

Vel ſequens oleum arte chymica paratum componi poterit.

℞. Terebinth. ℔.i. maſtiches, nucis moſchatæ, cinamomi, ana ʒ.i. caryophyll. zedoar. galangæ, ladani ana ʒ. i.ß. ſucci ebuli, & cucum. agreſt. ana ʒ.i. ol. chamom. & liliorum, an. ℔.ß. vini rubri ℔.i.ß. ſerpilli virid. M. i. Pulueranda pulueretur, & coniciantur in retortam vitream, extrahaturque oleum, quo deraſum caput illinatur.

Oleum ſuccini ad idem eſt efficax, eoque tempora inungere ſufficit. Efficacior Balſ. vitæ Bilgens.

Dum prædicta remedia adminiſtrantur, ab ipſo etiam curationis initio ſpecifica remedia vſurpari poterunt, quale eſt hoc epithema.

℞. Pulu. zedoar. ʒ.i. aquæ betonicæ, verbenæ, ſambuci ana ʒ.i. Miſce, applicentur calidè parti dolenti cum pannis ſcarlatinis.

Inter ſpecifica doloris capitis, à quacumque cauſa oriantur, principem locum obtinet verbena, cuius qua deſtillata, & capiti admouetur, & intùs aſſumitur ad ʒ.iv. cum ſpiritus ſalis gutt. iij. Imò verò ipſa verbena viridis de collo tantum ſuſpenſa, duos ægros ſanauit apud Foreſtum, cum multa remedia fruſtra vſurpata fuiſſent.

Zacutus Luſitanus *lib. 1. Praxis Med. mirab. obſerv. 7. 8. & 10.* quatuor proponit remedia, experimentis ibidem enarratis confirmata: nempè fonticulum in ſumma manu, hirudines temporibus affixas, apertionem venæ frontis, & iuxta canthum oculis, quorum hiſtorias dictis locis videre eſt.

Circa illas obſeruationes hæc notanda. Primò, fonticulus inter pollicem, & indicem admotus, alijs experimentis comprobatus eſt, & rebellem capitis dolorem curauit.

Secundò, in curatione, quæ per hirudines fit, Zacutum non eſſe contentum duas, vel tres admouere, vt vulgò ſolet fieri; ſed decem, aut duodecim circulariter temporibus affigere: vnde maxima ſequitur ſanguinis attractio, quę totam materiam morbificam exhaurire poteſt.

Tertiò, in curatione, quæ fit ſecta vena frontis, notandum eſt, eam venam bis ſectam fuiſſe, vnde innuitur primam ſectionem ſatis non profuiſſe; cum tamen practici noſtri rarò eam operationem reperant, ſi prima vice non ſucceſſerit.

Cauſa calida, dolorem capitis primarium, & eſſentialem efficiens, eſt ſanguis, aut bilis. Eademque vtrique conueniunt remedia, ſed magis minuſuè potentia, pro maiori cauſæ efficacia.

Primò igitur à phlebetomia incipiendum eſt, præmiſſo clyſtere. Maior tamen ſanguinis copia educenda eſt, cum dolor fit à ſanguine minor, bile redundante.

Deinde medicamentum purgans bilem exhibendum eſt: non ſolum quando bilis cauſæ principalis rationem obtinet, ſed etiam quando ſanguis luxuriat, cuius portio tenuior facilem in bilem vertitur.

Si vnica euacuatione materia peccans ſufficienter educta non videatur, repetenda erit purgatio per debitæ interualla.

Poſtea admoueantur capiti repellentia, & oxyrrhodina; qualia in curatione phrenitidis fuerunt propoſita, mitiora eligendo.

Ac conſequenter animalia recenter mactata, aut eorum partes, ad materiæ morbificæ reliquias, diſſoluendas, & dolorem demulcendum, erunt vtiliſſima.

In dolore capitis, qui per febres continuas affligit, pulmo veruecinus ex recenter mactato animali extractus, & calidè admotus dolorem potenter demulcet.

Ad idem valet cataplaſma ex cucurbita contuſa, vel ſemperuiuo maiore, plantis pedum admotum.

Apertio ſaphenæ, præmiſſa ſufficienti phlebetomia in brachio, capitis dolorem in febribus ſæpè in momento fugat.

Interim reuulſiones per cucurbitulas tam ſiccas, quàm ſcarificatas, & frictiones extremorum erunt celebranda.

Ac toto morbi decurſu, ſi aluus non ſit fluida, clyſteres emollientes, refrigerantes, & leniter purgantes alternis diebus erunt injciendi.

Tum enim deriuatio rectè, & vtiliter celebratur poſt generales euacuationes, & reuulſiones, ſecta vena frontis, aut eidem admotis hirudinibus, & veſicatorijs ceruici applicatis.

Dum hæc fiunt, tota humorum maſſa erit temperanda iulepis, emulſionibus, & iuſculis, in curatione phrenitidis propoſitis.

Si denique dolor valdè vrgeat, ad narcotica veniendum eſt, tam externa, quam interna: prout in dicta curatione phrenitidis vſurpata ſunt.

Apertio venarum frontis, & hirudines temporibus ex Zacuto Luſitano ſupra commendatæ, hic etiam conferre poterunt.

Paræus *lib. 16. cap. 4.* hemicraniam deſperatam arteriotomia in temporibus celebrata curatam eſſe refert. nullumque in ea periculum eſſe teſtatur. Aperitur arteria in phlebotomia, & ſanguinis impetu, ac ſaltu proſilientis ʒ. vj. detrahendæ. Mox appoſitis, vt decet, plagulis deligatio facienda, & per quatriduum detinenda.

Eandem, dicit Botallus, in veteſtis capitis doloribus, quaſi miraculo conferre. Nos etiam illius vſu atrociſſimam hemicraniam curauimus, & nullum in ea arteria-

rum

sum apertione periculum esse, aduertimus.

Vulneri emplastrum admouendum est, ex thure mastiche, bolo armeno, & pilis leporinis, albumine oui subactis. Deinde fascia admouenda, qualis in vulneribus capitis concinnari solet.

In omni dolore capitis, à quacumque causa fiat, si alijs remedijs non cesserit, & doloris atrocitas ad extrema confugere cogat, vesicatorium toti capiti admotum, deraso capillatio, curationem absoluere poterit.

Cauterium fturæ coronali admotum dolorem capitis contumacem aliquando radicitùs abstulit.

Multò maioris est efficaciæ, si temporibus admoueatur, de quo vide Poterium *obseruationum centur. 3. c. 8.* & obseruationes nostras publico communicatas.

PRAXEOS MEDICAE

LIBER SECUNDUS.

DE AFFECTIBVS OCVLORVM.

PRÆFATIO.

OCVLORVM *affectus tam varij sunt atque multiplices, vt difficillimum sit, eos perspicuè, ac dilucidè enarrare, ab inuicemque distinguere. Quod tamen vt nos, (quantum fieri poterit,) assequi nitamur, & tractationem istam praxeos vsui maximè accommodemus, eos ita partiemur, vt morbi, à quibus visio immediatè læditur, primùm exponantur; postmodum verò reliqui morbi explicentur, qui partibus, oculum componentibus, aut illi adiacentibus, citra vllam aut saltem perexiguam visionis læsionem contingunt. Læditur autem visio imminutè, abolitè, & deprauatè. Abolita visio τύφλοτης Græcis, Cæcitas Latinis nominatur. Imminuta verò, pro varijs imminutionis gradibus, & modis, varia nomina sortita est, quorum præcipua sunt, Amblyopia, Myopya, Nyctalopia, & acies, siue acuties vespertina.*

Cæcitas vel à neruorum opticorum obstructione absoluta, (& tunc Amaurosis nominatur) vel a suffusione integra, vel alijs humorum, & tunicarum vitijs grauioribus exoritur. Amblyopia, quæ Latinis visus obscuritas, hebetudo, vel caligo nominatur, in qua obiecta non satis clare, & perspicue cernuntur in quacunque distantia posita, ab ijsdem cæcitatis causis producitur, sed leuioribus, & imperfectis, vt neruorum opticorum obstructione imperfecta, suffussione leui, spirituum inopia, vel crassitie, & alijs huiusmodi. Myopia, Latinis luscitas dicitur, in qua obiecta non nisi propinqua, & fere oculis admota cernuntur, dissita verò minime, vel saltem imperfectè; vt ita affecti notos, & amicos prætereuntes non agnoscant. Fitque secundum Galeni, & omnium fere recentiorum doctrinam, a paucitate, & tenuitate spiritus visorij, qui non eget medij illuminati copia ad perfectè visionem efficiendam; sed ab ea dissipatur. Contra verò, qui spiritus habent crassos remota melius vident, quia spiritus ille crassus maiori indiget, colluſtratione, quæ in maiori medij illuminati copia reperitur. Verùm hæc doctrina falsissima ex Opticę ignorantia oriunda: cuius theorematis aperte demonstratur, ex humoris crystallini situ diuerso has visionum diuersitates emergere. Cùm enim species obiectorum per pyramidem recipiantur in crystallino humore, ad quem conus pyramidis protenditur; si crystallinus ad anteriora, & versùs pupillam magis vergat, obiecta remotiora melius videntur, quia vt conus pyramidis ad crystallinum perueniat, & in eo terminetur, obiecta remotiora esse, necesse est. Si enim ad oculum magis accedant, conus pyramidis cristallinum transgreditur, & obiecta magis confusa percipiuntur: contrà verò si crystallinus in profundo oculi magis situs sit, & ab vuea tunica magis remotus, obiecta habent oculis esse viciniora, vt conu pyramidis ad eum accedere valeat. Vnde patet myopiam non aliter fieri, quam ex situ crystallini profundiori, atque ita affectum hunc esse connaturalem, neque remedijs superabilem. Affectus verò myopiæ contrarius, in quo nimirum obiecta remotiora melius videntur, senibus plerumque solet contingere, in quibus humoris aquei portio consumpta est, vt crystallinus ad pupillam accedat. Adde, quod à longa capitis inclinatione, quæ vitæ decursu fit; vel in legendo, scribendo, vel alia negotia tractando, humor crystallinus sensim ad anteriora vergit. Hæc demonstrantur vsu specillorum; siquidem myopia laborantes iuuantur specillis concauis, a quibus radij specierum visibilium disperguntur, sicque efficiunt, vt conus pyramidis longiùs protendatur, atque adeò, res quæ ob distantiam maiorem a myopicis percipi non poterat, postmodum percipiatur; protenso nimirum pyramidis cono vsque ad crystallinum, qui antea in pupilla, vel humore aqueo, seu albugineo desinebat. Sedes contrà iuuantur specillis conuexis, quibus radijs vniuntur, & conus pyramidis abbreuiatur, atque ita, res propinquæ melius cernuntur, quarum conus antea crystallinum pupillæ propiorem transgrediebatur.

Nyctalopia, seu nocturna cæcitas fit, quando interdiu quidem satis vident; occidente sole obscuriùs: noctu vero nihil. Fitque à spiritibus, humoribus, aut tunicis crassioribus, vel pupilla angustiore. In ijs enim omnibus maius lumen necessarium est ad rectè videndum, quo deficiente, sub Soli occasu, vel noctu ad lacernam parum, aut nihil vident.

Vespertina acies sine acuties est, quando obscuriùs interdiu, noctu vero melius vident. Hæc etiam aliquando nyctalopia nominata est, vt videre est apud Hippoc. 2. prorrh. Vsus tamen retinuit apud recentiores Græcos, vt nyctalopia pro nocturna tantum cæcitate vsurpetur. Fitque à tenuitate nimia spirituum, qui multo splendore disgregantur: vel à pupillæ dilatatione, in qua nimium luminis interdiu oculo ingreditur, & visionem lædit, noctu vero exiguum lumen magis illustrat, quam in eis, qui minùs dilatatam pupillam sortiti sunt.

Quomodo imminutè, & abolitè, & deprauatè visio lædatur, diligentiùs exponemus, dum omnium oculi partium morbos sigillatim explicabimus. Cum enim omnes particulæ, oculum constituentes ad actionem illius, puta visionem, conferant; ijsdem partibus vitiatis, visionem etiam malè affici necesse est.

Componitur autem oculus ex tunicis, humoribus, & neruo optico, ad quarum partium actionem spiritus animalis, tamquam agens principale, & vniuersale concurrit. Atque, vt earum partium morbos percurramus, à nerui optici vitiata constitutione ordiemur mox ad humorum, & tunicarum affectus progrediemur.

Spirituum autem vitia, vel à cerebro malè affecto dependent, & tunc alij sensus quoque læduntur, vel ab ipsius oculi vitij: quibus curatis, pristinam, atque debitam constitutionem spiritus recipiunt, vt peculiaris eorum tractatio necessaria non sit, sed in oculorum affectibus curandis, quibus visio læditur, ea quæ spiritus visiuos reficiunt, & visum confortare dicuntur, reliquis remedijs perpetuò admiscenda sunt. (Conf. Melet. I. 40. II. 105.)

CA-

CAPVT I.

De Gutta serena.

QVando visio aboletur, nullo sensibili vitio in oculis apparente, Amaurosis, seu Gutta serena, affectus ille nominatur. Fitque, dum spiritus animales à cerebro ad oculum transmeare nequeunt. Cùm autem spiritus animales à cerebro per neruos opticos in oculos influant, influxus illius impedimentum in neruis opticis quærendum est. Multis autem modis affici possunt nerui optici, potissimùm verò obstructione, adstrictione, & solutione continui.

Obstructio communissima est, & maximè ordinaria guttæ serenæ causa, quæ ab humore pituitoso generatur, à cerebro in neruos illabente, non secus alij nerui in paralysi ab eodem humore obstruuntur, ita vt consimiles affectus ratione illius obstructionis dici possunt.

Certum tamen est, ab adstrictione, & compressione neruorum opticorum hunc affectum etiam generari; quæ quidem compressio fieri potest tum ab humore pituitoso circa neruos opticos collecto, eosque comprimente, tùm etiam à sanguine, pure, alia vè materia, in eodem loco cumulata. Vnde tumores quilibet in ijs partibus geniti similem affectum possunt producere. Docet enim experientia, cerebri inflammationi, tum etiam phrenitidi, in febribus malignis, cæcitatem interdum in vno oculo, interdum in vtroque superuenire. Et refert Platerus *lib. 1. obseruationum*, cæcitatem à se visam, quæ à tumore globoso, in cerebro enato, & neruos opticos comprimente, ortum duxerat; quod per dissectionem cadaueris post ægri obitum innotuit.

Denique vulnera, capiti inflicta, in quibus nerui optici præsciduntur, sine controuersia efficiunt, quod spiritus animales ad oculos amplius influere nequeant.

Dignoscitur hic affectus, quòd oculi in statu naturali constitui videantur, nullumque vitium in ijs conspiciatur, nisi quòd pupilla nigrior, & ampliora appareat. Verum in causarum differentijs distinguendis maxima difficultas est. Licet enim à sanguine, aut pure genitus affectus, ex inflammatione, abscessu, aut vulnere prægresso dignoscatur; nullum tamen signum certum dari potest, per quod compressionem ab humore pituitoso factam, ab obstructione distinguere possimus. Coniectura tamen id quodammodo assequi possumus, quandoquidem in obstructione sola nerui optici, solus oculus afficitur. Si verò eiusdem nerui compressio fiat ab humoribus pituitosis, circa oculorum radices, & processus mammillare collectis, vel illa materia alias etiam cerebri partes occupet; tunc reliqui sensus laeduntur, aut eorum nonnulli. Si verò neruos tantum opticos obsideat, materia pituitosa soluto copiosior per nares excernitur, & grauitatis sensus in anteriori capitis parte, præsertim circa supercilia percipitur.

Quod ad prognosin spectat, hic affectus, si absolutus sit, id est, si integra sit visus abolitio, ab obstructione nerui optici præsertim oriunda, plerumque incurabilis est.

Quemadmodum etiam videmus obstructionem aliorum neruorum, à quibus generatur paralysis, vix, aut nunquam curari, præcipuè in ijs qui ætate prouecti sunt. Si verò imperfecta tantùm sit obstructio, quæ visus tantùm imminutionem, non autem cæcitatem efficiat; maior salutis spes est: licet ea nonnisi magno labore, & longissimo remediorum vsu obtineri possit.

Si verò hic affectus fiat ab humoribus, in anteriore cerebri parte collectis, & neruos comprimentibus facilius curari potest. Sic refert Fabricius Hildanus *obser. 19. cent. 5.* virum quemdam, ex assumpto vomitorio vehementi visum amisisse, eumq; eiusdem medicamenti beneficio recuperasse; quandoquidem vehementi vomitorio humores nimium exagitati; & versus neruos opticos propulsi, eosdem comprimendo, spirituum ad oculos commeatum impediebant: ijsdem verò eodem medicamento euacuatis, morbus solutus est. Similis ferè historia refertur à Sennerto de quodam studioso, cui cùm medicamentum purgans fortius exhibitum fuisset, subitò obcæcatus est. Idem etiam testatur, fœminas quasdam, cùm in vtero concepissent, ex neruorum opticorum angustia obcecatus fuisse, malumque hoc post quatuor, aut quinque menses, vel tempore partus omninò desijsse. Nos etiam nonnullos vidimus, qui subitò in maximam visus imminutionem inciderant; vacuationibus vniuersalibus, & reuulsionibus quibusdam intra quindecim dies restituti os. Ex facilitate curationis coniecimus, humorem non intra nerui substantiam impactum; sed in cerebro tantum circa eosdem neruos congestum fuisse.

Ad huius morbi curationem, materia neruis impacta, vel adhærens, quæ obstructionem, vel adstrictionem efficit, euacuanda est. Quod fieri non potest, nisi priùs vniuersam corpus euacuetur, quemadmodum docuit Gal. 4. *meth.* oculum non esse sanandum ante totum caput; neque Caput ante totum corpus.

Atque vt remedia conuenienti methodo describantur, victus ratio huic morbo conueniens primum instituenda est, quæ quidem attenuans, & moderatè siccans esse debet. Ac primum aer ad calidum, & siccum inclinare debet; crassus verò, frigidus, nebulosus, ac pluuiosus omninò vitandus. Cibi laudabiles, ac boni succi vsurpentur, vitando eos, qui crassum succum generant; quales sunt caro porcina, anserina, pisces, legumina, caseus, & similia; tum etiam, quæ vaporosa cum sint, caput replent, vt lacticinia, & aromata calidiora, piper nimirum, zinziber, &c. Panis conficiatur cum aqua fœniculi, aut eiusdem semen permisceatur, sedulò cauendo ne tritico, ex quo panis conficitur, lolium admistum sit, quod visui maximè obesse, tota credidit antiquitas. Vnde apud Comicum ille, qui alteri visus defectum exprobat, *lolio*, (inquit) *credo victitaret*. In ciborum condimentis, & iusculis vtatur ijs, quæ extenuandi vim habent. vt hyssopo, fœniculo, maiorana, betonica, saluia euphrasia, ac præsertim nuc. mosch. quæ cerebrum roborat, visumque clarificat. Raparum vsum frequens esse debet, quia oculus acutiores reddere creduntur. Idem etiã præstant passeres, & columbæ frequenter vsitatæ. Vitandæ herbæ frigidiores, ac imprimis lactuca, quæ oculis infensa est.

Ciborum quantitas moderata sit, neque vnquam æger ijs se immodicè repleat. Cœna sit parcior prandio; & semel, aut bis in septimana à cœna abstinere vtilissimum est. In pastu loco salis conferet vti puluere sequenti.

℞. Salis communis ʒ. ij. euphrasiæ sicc. ʒ. ij. nuc. mosch. ʒ. j. cinamom. ℈. ij. M. fiat puluis. Post singulos pastus capiat æger pulueris sequentis cochl. j.

℞. Sem. coriand. præparati ʒ. ß. semin. anisi, fœniculi, an. ʒ. ij. cinamom. nuc. mosch. an. ʒ. j. euphrasiæ sicc. ʒ. iij. facchari rosac. duplum pondus omnium, fiat puluis.

Vinum in hoc affectu non conuenit, quia vaporosum est, & caput replet, fluxionibusque promouendis maximè idoneum. Ideò decoctum falsæ parillæ, liquiritia dulcoratum, & coriandro aromatizatum erit vtilissimum. Sed quia diuturnus admodum est affectus, & omnes tam longam vini abstinentiam ferre nequeunt, si illi vsus concedendus sit, eligatur oligophorum, quodque minus generosum, minusque potens est. Multoque vtilius erit, si euphrasia sicca in eo ante animaduertit. Atque vi ad longum vsum paretur vinum euphrasiatum, doliolo musto repleto, vindemiarum tempore, euphrasia immittatur, eoque vino vtatur æger pro potu ordinario.

Somnus consueto breuior sit, & decubitus supinus quatum fieri potest, somnusque fugiatur meridianus, tanquam maximè noxius. Exercitia moderata sint, eorumque loco frictiones inferiorum partium celebrentur. Aluus laxa, perpetuò seruetur; & grauia animi pathemata fugiantur.

Instituta hoc modo victus ratione, curatio ab vniuersali euacuatione incipienda est. Ac primum purgatio instituenda est sequenti medicamento.

℞. Sennæ mundi ʒ. ß. semin. fœnic. ʒ j. folior. beton. euphras. & verben. an. M. ß. liquiritiæ ʒ. iij. Conquantur ad ʒ. iij. In colatura dissolue diaphœnici ʒ. iij. syrup. rorac. ʒ. i. Fiat potio, quæ detur manè cum regimine.

Post primam illam purgationem seriò apud se cogitare debet Medicus, an phlebotomia vsurpanda sit. Quando quidem ea ab omnibus ferè practicis in hoc casu reijcitur, cum affectus sit chronicus, à frigida intemperie, & materia pituitosa oriundus. Vnde metuunt, ne per sanguinis euacuationem cerebrum magis refrigeretur, sicque maiorem pituitæ copiam generet, & ne causa morbi coniuncta magis incrassetur, atque ita difficiliùs discuti, ac dissipari valeat. Verum, vt eorum sententia in senibus, & pituitoso temperamento, præditis locum habere debet in ijs tamen, qui aut iuuenili ætate constituti, aut calido temperamento præditi sunt, admittenda non est præsertim si sanguinis redundantis notæ manifestæ apparcant: tunc dubium non est, quin phlebo-

tomia

tomia maturè vsurpata plurimum conferre valeat. Imò verò, vbi sanguinis mittendi indicationes prædictæ reperiuntur, vtile erit ex Pauli, & Actij sententia, post venæ sectionem, in brachio celebratam, venas capitis particulare, & oculis vicinas aperire, nempe venam frontis, temporum, & eas quæ sunt in angulis oculorum iuxta nasi radicem. Temporibus tamen commodius hirudines applicabuntur, quæ etiam pone aures admotæ non parum conferre poterunt. Referunt practici nonnulli, ob frontis vulnera, nonnullos à cæcitate fuisse liberatos. In quibus cœcitatis causam verisimile est fuisse neruorum opticorum compressionem à venis, & arterijs vicinis sanguine turgentibus, quas dicta vulnera depleuere. Vnde Spigelius, referente Plempio *in ophthalmographia*, in gutta serena nõ sine fructu mediam frontis venam pertundere solebat, sanguinemque tamdiu euacuabat, donec sua sponte erumpere desineret.

Si verò mensium suppressio hunc affectum præcesserit, ex venis inferioribus sanguis detrahendus est, aut hirudines hæmorrhoidibus affigendæ, si æger earum fluxum antea passus fuerit, qui tunc temporis suppressus sit, vel si hepate calidiori, aut melancholico temperamento donatus sit.

Post modum verò totum corpus exactiùs vacuandum est apozemate sequenti.

℞. Rad. fœnic. salsæ paril. ireos Florent. & enulæ camp. an. ℥.j. fol. beton. maior. melissæ, euphras. fœnic. verben. & chelidon. maior. an. M. j. liquiritiæ, rasæ, & passular. mund. an. ℥ j. semen. anisi, & fœnic. an. ʒ. iij. sennæ mund. ʒ. ij. turbith. gummosi, & agarici recenter trochisc. an. ʒ. ij. zinzib. & caryophyll. an ℈.j. flor. stœchad. anthos, & lauendulæ, an. P.j. Coquantur ad quartar. 5. In colatura dissolue sacchari albi ℥. iv. Fiat apozema clarificat, & aromatizat. ʒ.ij. cinamomi electi, pro iv. dosib. matutinis. Finitis apozematis exhibeantur pilulæ sequentes.

℞. Massæ pilular. lucis mai. & cochiar. min. an. ʒ. ß. Malaxentur cum aqua betonicæ, formentur pilulæ sex (xij.) deaurentur, quas capiat summo mane.

Præmissa hac vniuersali euacuatione, causa antecedens rebellenda est, coniuncta verò deriuanda, ac discutienda.

In hunc finem frictiones partium extremarum, & præcipuè inferiorum, matutinis horis celebrandæ sunt.

Cucurbitulæ scapulis, & dorso sine scarificatione admouendæ. Ac præsertim cucurbitula occipitio cum scarificatione admota tanta efficacia humores à partibus anterioribus, & neruorum principio detrahit, vt nonnulli, post illius applicationem, quasi momento visum recuperauerint.

Eodem tempore vesicatorium posteriori parti ceruicis admoueatur, & vesiculæ excitatæ seruentur diù apertæ, betæ, aut brassicæ foliis frequenter admotis.

Exsiccato vesicatorio, admoueatur causticum occipiti, inter primam, & secundam vertebram; (quod iam apud nos in frequenti vsu est) duo caustica applicentur posteriori parti ceruicis, iuxta quartam, & quintam colli vertebram ita vt linea dorsi vtrique cauterio intermedia sit, & vtrumque eodem emplastro curari valeat.

Loco cauteriorum setaceum eidem parti ad motum efficacissimum est; sed nostrorum hominum mollities illius vsum penè aboleuit.

Si prædicta cauteria non profuerint, futuræ coronali admoueri potest causticum potentiale, quod aliquando profuit: reliquis non conferentibus.

Dum hæc fiunt, statim post purgationem vniuersalem diæta sudorifica instituenda est ex decocto ligni guaiaci, sassafr. & rad. salsæ paril. iuxta methodum, quæ in frigidæ cerebri intemperiei curatione à nobis proposita est. Hoc tamen aduertendo, vt decocto sudorifico, & circa finem illius addantur ea, quæ oculos peculiariter respiciunt, vt verbena, fœniculum, euphrasia, & chelidonia maior.

Et ad cerebrum potentiùs exsiccandum facculi loco prædicto descripti tempore sudoris capiti admouendi sunt, si nimia illius calefactio non metuatur.

Imò verò post diætam sudorificam, vsus thermarum sulphurearum, & bituminosarum, tum balneo, tum capitis irrigatione erit conuenientissimus: cùm huiusmodi aquæ ad frigidam, & humidam intemperiem corrigendam, pituitam absumendam, & cerebrum roborandum efficacissimæ sint.

Præter vniuersales totius corporis, & capitis euacuationes, peculiares etiam institui possunt per apophlegmatismos, quibus pituita per palatum è cerebro elicitur: qui quidem forma gargarismatis aut masticatorij præscribi possunt, iuxta formulas in cerebri frigidæ intemperiei curatione descriptas.

Errhina, & sternutatoria ab omnibus propemodum practicis damnantur in hoc affectu, quia humores ad oculos attrahunt. Si tamen post exactam totius corporis, & capitis ipsius euacuationem mitiora, & benigniora per aliquot dies vsurpentur, vtilia esse poterunt: siquidem materiam morbificam, neruis opticis impactam sensim educere, ac deriuare poterunt, neque ex profundioribus cerebri partibus quicquam elicient ad partes anteriores. Alioquin in omni deriuatione, quæ est euacuatio per partem affectam, aut ipsi vicinam, perpetuò metuendum esset, ne ad ipsam partem affectam fieret attractio, quæ tamen ab vniuersalibus euacuationibus, quæ ipsam debet præcedere, facilè impeditur. Illa autem errhina componi poterunt ex succo betæ, & maioranæ cum vino albo extracto, in quo manna dissoluta fuerit.

Potentiùs autem, & nihilominus tutum errhinum parari potest ex puluere nicotianæ, præcipuis cephalicis, & oxydorcicis correcto. Ab eo enim per palatum magis, quàm per nares pituita educitur, & cerebrum ita roboratur, vt non adeò facilè humorum influxum ab alijs partibus recipiat. Illius igitur compositio talis.

℞. Nicotianæ siccæ ℥. j. fol. saluiæ; maioran. beton. euphras. Flor. caryophyllatæ nostratis, rosar. rub. an. ʒ.j. Fat puluis, qui naribus attrahatur mane per aliquot dies.

Neque sufficit purgatione vniuersali totum corpus ab humoribus excrementitijs semel liberare, sed in eo statu conseruandum est toto curationis decursu: atque adeo purgationibus interpolatis, quæ in dies congeruntur excrementa, educenda sunt. Quod fiet pilulis vsualibus in hunc modum compositis.

℞. Aloes optimæ ℥. ß. sennæ mund. turbith. hermodactyl. & agaric. recenter trochisc. an. ʒ. ij. dagrydij ʒ. j, macis, charyophyll. & croci Orientalis an. gr. vij. Irrorentur succo maioranæ, & chelidoniæ mai. Deinde iterum exsiccentur in vmbra, & cum oxymelite scillit. fiat massa pilularum, de qua capiat ʒ. ß. vel ℈. ij. bis aut ter in mense.

Dum hæc fiunt, cerebri, & oculorum roborationi perpetuò insistendum est, & varia medicamenta per vices vsurpanda: ne æger, vnum, & idem continuò sumendo, nimiùm fastidiat: nèue natura eidem remedio assuescat: Inter ea verò, quæ hac dote prædita sunt, recensetur theriaca vetus, quæ ʒ. j. pondere sumi potest hora somni, cum aqua fœniculi, euphras. & chelidoniæ, bis, aut ter in septimana.

Commendatur eti am nux moschata manè, ieiuno stomacho comesta, & dentibus diu attrita, vt vapor illius ad oculos deferatur. Si illius deglutitio metuatur, propter viscerum calorem, expui potest post comestionem.

Myrobalani conditæ, manè assumptæ, visum maximè clarificare existimantur.

Opiata etiam vsualis, ita componi poterit.

℞. Conseruæ flor. beton. & anthos. ana ℥. ij. mirobalanos conditu num. ij. theriacæ veter. ʒ. ij. pulueris folior. euphras. ʒ. iij. sem. fœn. ʒ. ii. nucis moschat. cinam. & caryophyll. ana ℈. j. Cum syrupo, ex succis fœnic. rutæ, chelidon. cum melle confecto, fiat opiata; de quo capiat æger ad magnitudinem castaneæ, superhausto vini aqua fœniculi diluti momento.

Neque omittenda sunt externa remedia, quæ caput roborant, calefaciunt, & exsiccant: qualia sunt puluis cephalicus, capillis inspergendus, cucupha, & suffitus, quæ in frigidæ cerebri intemperiei curatione à nobis tradita sunt.

Denique topica roborantia oculis admouenda, ab Autoribus passim proponi consueuerunt, quæ tamen nullius, aut exiguæ sunt efficaciæ: quòd eorum vis ad neruos opticos penetrare non possit. Si quis tamen eorum nonnulla vsurpare desideret, ex suffusionis curatione (vbi ingens copia) desumere poterit.

In casu desperato, postquam omnia remedia frustra vsurpata sunt, vesicatorium toti capiti raso instar cucuphæ admotum multùm aliquando profuit, etiam bis aut ter admotum, vbi priores vesiculæ, & excoriationes exsiccatæ fuerint.

C A-

CAPUT II.

De Humoris vitrei affectibus.

HVmor vitreus cryſtallino ſubiectus eſt, & ideo diaphanus à natura factus, vt ſpecies puræ, ac limpidæ ad neruum opticum deferri poſsint. Si igitur perſpicuitas illius, humoris cuiuſuis admixtione turbetur, eique opacitas inducatur, pro maiori, vel minori illius gradu vſum imminui, aut aboleri neceſſe eſt.

Præterea iſte humor laborare poteſt ſitu vitiato: ſi nimirum quædam illius portio per ictum, & contuſionem ante cryſtallinum transferatur; tunc; tunc enim viſio obtenebratur, quandoquidem humor vitreus aqueo craſsior eſt, atque ita ſpecies obiectorum puræ, & ſinceræ ad cryſtallinum deferri nequeunt.

Prior affectus nullis ſignis cognoſcitur, ſed ſola ratione fieri poſſe iudicatur. Vitreus enim humor introſpici non poteſt, neque illius diſpoſitio internoſci; coguntur que praxin medicam exercentes, cùm nullum vitium in oculis appareat, eum cum gutta ſerena confundere, idque ſine vllo ægrotantium damno: cùm humores extranei, in vitreum effuſi, ijſdem remedijs diſcuti debeant, quibus gutta ſerena curari conſueuit.

Situs verò vitrei vitiatus ex eo cognoſci poteſt, quòd ſub pupilla albuminis inſtar appareat. A ſuffuſione tamen non facilè diſtinguitur, niſi cauſæ antecedentes, & procatarcticæ diligenter aduertantur. Fit enim ſuffuſio à ſimplici humorum influxu: hæc verò vitrei humoris tranſpoſitio ab ictu, & vulnere ſolet generare.

Incurabilis eſt iſte affectus, neque artis opera vitreus humor ad priſtinum locum reduci poteſt. Id tamen à natura fieri contingit, atque adeò totum negotium illi eſt committendum.

CAPVT III.

De Humoris cryſtallini affectibus.

CRyſtallinus humor, præcipuum viſionis inſtrumentum, præ cæteris oculi humoribus ſuam puritatem, & perſpicuitatem retinere debet, vt viſio perfectè exerceri valet. Et ſi ab ea puritate deflectat, viſio plurimùm læditur.

Præcipuus autem cryſtallini affectus, quo illius puritas turbatur, eſt glancoma, ſeu humoris chryſtallini in glaucum colorem mutatio. Fitque hic affectus, quando humor cryſtallinus condeſatur per exſiccatiouem, quæ in ſenectute contingit, concurrente tamen cauſa aliqua exſiccante, & condenſante.

Cognoſcitur hic affectus, quòd circa pupillam inſignis, & profunda appareat albedo, & omnia tanquam per fumum, & nebulam videantur. Difficilè tamen à ſuffuſione diſtinguitur, quæ talem albedinem in pupilla repræſentat. Vnde factum eſt, vt autores quam plurimi glaucoma cum ſuffuſione confundant. Verum diligenrer introſpicientibus ex eo diſtingui poſſunt iſti duo affectus, quòd in ſuffuſione albedo in ipſa pupilla, & ferè iuxta corneam; in glaucomate verò profundior appareat.

Incurabilis eſt hic affectus, præcipuè in ſenibus, in quibus ſiccitas partium emendari non poteſt. Si tamen non ſatis conſtet, in criſtallino affectum reſidere; ſed ſuffuſionis quædam coniectura ſit, illius remedia in vſum reuocari poterunt.

Præterea laborare poteſt humor cryſtallinus ſitu vitiato, cùm nimirum latiori ſua parte, quæ lentis inſtar compreſſa eſt, pupillæ foramini non recta opponitur: ſed vel ſurſum declinat, vel deorſum, tumque res geminæ ſolent apparere, ſi vnus tantum oculus hoc vitium patiatur; quia amittitur parallelus, qui in vtroque oculo idem eſſe debet, vt res à duobus oculis percepta eadem appareat. Et ſi in eadem planitie conſtituti non ſint, res geminæ apparent, quod facilè expetitur, quicumque alterum oculum digito deprimit, vel attollit: tunc enim, amiſſo parallelo, res duplices apparent. Hæc tamen viſionis deprauatio, qua obiecta duplicia apparent, non ſolùm ex cauſa propoſita exoritur; ſed etiam à vaporibus, aut tenui pituita, cryſtallinum inficientibus, à quibus ſpiritus viſorij diſcinduntur. Unde fit, quòd eiuſdem rei ſpecies in duobus locis recipiatur: quòd etiam in ebrijs ſæpè ſolet contingere.

Secundò, ſitus cryſtallini vitiatur, quando versùs anteriora, aut poſteriora inclinat. Si versùs anteriora, & pupillam, tunc res propinquæ nõ rectè percipiuntur, meliùs verò diſsitæ, quod in ſenibus plerumque contingit. Si verò versùs poſteriora, & neruum opticum magis ſitus ſit, propinqua rectè videntur, diſſita verò minimè, & tunc fit Myopia, quæ in præfatione explicata eſt, dictumque eſt ibidem, hos affectus ſolis ſpecillis eſſe reparabiles.

Tertiò ſitus cryſtallini vitiatur, quando ad dextra, vel ad ſiniſtra nimium inclinat. Hic affectus Strabiſmus nominatur: cùm pupilla rebus videndis non directe, ſed obliquè opponitur, neque ipſa in medio oculi apparet, ſed ab eo declinat: ita vt in vna oculi parte plus albi appareat, quàm in alia.

Fit tamen hic affectus non ſolùm à cryſtallini ſitu vitiato, ſed etiam ex praua muſculorum oculos mouentium diſpoſitione, quæ vel naturalis eſt, vel à dictorum muſculorum paralyſi, aut conuulſione oriunda.

Verùm à quacunque cauſa producatur, ſi connaturalis eſt, incurabilis cenſendus. Si verò à prædictorum muſculorum paralyſi, aut conuulſione fiat; eorum morborum curatio à capitis affectuum curationibus deſumenda eſt.

Denique ex maiori, vel minori inuerſione cryſtallini aliæ vitſus deprauationes poſſunt contingere; quando nimirum, quæ recta ſunt, curua apparent; vel quando obiecta quaſi inuerſa videntur. Hoc contigit Medico cuidam, vt refert Sennertus, qui cum ſcalam librum aliquem è forulis petiturus aſcenderet, & oculos fortiùs ſurſum conuerteret, accidit, vt omnia ei poſtea inuerſa apparerent, & homines in platea capite ambulare viderentur, quod ex ſitu cryſtallini mutato contingit, ſiquidem poſt anni quadrantem, cùm fortè iterum oculos ſurſum conuerteret, naturalis viſio redijt, & omnia in recto ſitu vidit. Vnde patet, violento oculi motu cryſtallinum è ſua ſede deiectum, ſimili poſtmodum motu ad eandem iterum tranſmiſſum fuiſſe. Eam autem cryſtallini mutationem ita contigiſſe exiſtimo, vt cryſtallinus humor ſic fuerit inuerſus, vt pars illius anterior, quæ reliquis depreſſior eſt, pupillæ directè oppoſita non fuerit; ſed potiùs pars illius lateralis, quæ cùm gibboſior, & magis conuexa ſit, ſpecies obiectorum inuerſas repreſentare potuit, quemadmodum videmus in ſpeculis rotundis obiecta inuerſa apparere, Idque ratione contingere, ex Opticæ præceptis docetur, quòd in medio conuexo, & denſiori radij ſpecierum viſibilium ita refranguntur, vt ſeſe cruciatim interſecent, quià parte obiecti ſuperiori feruntur, eam tanquam inferiorem repraſentent, & vice verſa.

Si verò minor fuit humoris cryſtallini inuerſio, ita vt, tum pars cryſtallini depreſſa, tum eiuſdem conuexa, pupillæ aliquatenus opponatur, obiecta incurua apparere poſſunt. Quamuis etiam alia ratione fieri poſſit illa viſus deprauatio, qua obiecta incurua apparent: nempe ſi portio humoris cryſtallini pituitoſo humore ſuffundatur. Tunc enim propter diuerſam cryſtallini tenuitatem, & craſsitiem diuerſæ fiunt refractiones: quæ cauſæ ſunt illius viſus deprauationis, qua obiecta incurua apparent. Hoc dilucido exemplo demonſtrari poteſt, ſcilicet baculi, cuius media pars in aquam demerſa ſit; tunc enim curuus apparet, ex eo, quòd portionis in aquam demerſæ ſpecies, quando ex aqua in aerem defertur, vtpotè à medio denſiori ad tenuius, refrangatur à perpendiculari: portio verò, quæ eſt in aere, non refrangatur, quia non tranſit per diuerſa media, quemadmodum, ea, quæ eſt in aqua, inde fit, vt baculus incuruus appareat. Eodem modo ſpecies obiecti, quæ fertur in portionem cryſtallini denſiorem, magis refrangitur, quàm dum fertur ad portionem illius, tenuiore, quæ ſcilicet in ſtatu naturali conſtituta eſt, pituitoſo humore minimè ſuffuſa: atque ita, propter varias refractiones obiecta incurua apparent.

Cùm autem in horum affectuum curationibus remedia non conferant, in ijs in inquirendis fruſtra laborandum non eſt.

CA-

CAPUT IV.

De humoris aquei affectibus, ac præcipuè de suffusione.

HVmor aqueus à sua naturali constitutione dejcitur, cùm quantitate, vel qualitate peccat. Dum quantitate peccat, augetur, vel imminuitur præter modum, & pupillæ dilatationem, aut constrictionem efficit, qui affectus suo loco erunt exponendi. Dum verò qualitate peccat, crassior euadit; quod fit ab humore extraneo in eum effuso, & Suffusio nominatur, quæ hic explicanda est. Licet Galenus 1. *de symp. caus. cap.* 2. ab ipsius humoris aquei condensatione fieri interdum suffusionem doceat, sine humoris excrementitij affluxu: tamen quia rarissimè id contingit, & imaginatione potiùs, quàm artis vsu dignoscitur; & si talis affectio detur, prorsùs incurabilis est illa omissa, de ea, quæ fit ab humoris excrementitij affluxu, tantùm agemus. Hæc autem ὑπόχυσις Græcis, Latinis suffusio. Arabibus aqua, vulgò *cataracta* nominatur. Auctores, quidam hæc nomina inter se distinguenda esse volunt, vt varios huius morbi gradus significent. Incipiens enim affectus, in quo leuis quædam visus obtenebratio contingit, suffusio ab ijs nominatur. Cùm verò vlteriùs progressus est morbus, & aliquid in pupilla collectum aquæ instar apparet, aquam peculiariter nominant cùm denique materia in pupilla omnimodè concreta est, visionemque prorsus aufert, cataracta ab ijs nominatur. Fit igitur suffusio ex serosi, vel pituitosi humoris in illud spatium, quod inter corneam, & crystallinum est affusione. Cum autem in illo spatio humor aqueus contineatur, iure merito inter aquei humoris affectus recensetur.

Hæc quidem veræ suffusionis causa est. Alia tamen datur suffusio spuria quæ fit à vaporibus à ventriculo alijsque partibus in oculos translatis. A capite etiam vapores ad oculos transmitti, & suffusionem spuriam efficere posse, docuit Gal. 4. *de loc. aff. cap.* 2. Quamuis autem duæ suffusionis differentiæ inter se distinctæ ab Auctoribus proponantur; vt plurimùm tamen complicatæ sunt. Saltem legitimæ suffusioni spuria complicari solet: quia vapores à partibus inferioribus ab crebrum translati, facilè deferuntur ad eas capitis partes, quæ à morbo aliquo debilitatæ sunt. Id quidem ex eo docetur, quòd omnes suffusione laborantes, minùs lædantur, ac perspicacius videant matutinis horis, quàm meridianis, & vespertinis; quia nimirum à prandio, & cœna multi vapores à ventriculo ad oculos eleuantur, & visum conturbant. Imò docet experientia, in dictis laborantibus visum esse hebetiorem & caliginosiorem statim à pastu quam paucis post horis ab ipso. Præterea omnes suffusione laborantes referunt, sibi videri in aere corpuscula quædam volitantia, velut culices, muscas, pilos, tales aranearum, & similia, quæ non fiunt, nisi à vaporibus crassis ad oculum translatis, & in eo sese commouentibus. Licet enim Auctores existiment, huiusmodi repræsentationes dependere à particulis crassioribus humoris pituitosi in oculo contenti, & suffusionem efficientis, hoc tamen credibile non est, quia oportet humorem illum pituitosum, suffusionem efficientem perpetuò mouere in oculo, vt species illas corpusculorum in aere volitantium repræsentare posset, quod quidem rationi penitus aduersatur. Quin potiùs haud dubium est, vapores esse in perpetuo motu, atque adeò phantasmata illa volitantia repræsentare posse.

Humor quidem pituitosus præcipua est, ac magis ordinaria suffusionis causa: alij tamen humores exigua saltem portione ei commisceri possunt, & si bilis misceatur, citrina; si melancholia, nigricans suffusio apparet.

Humores autem isti ad oculos confluere solent, quando aliqua debilitate affecti sunt, seu natiua, seu adscititia.

Ad natiuam debilitatem pertinent oculorum prominentia. Qui enim tales oculos habent, suffusioni obnoxij sunt. Oculi siquidem prominentes magni esse solent, atque adeò virtus diffusa in ijs debilior est, tum etiam magni, & prominentes oculi humores, & vapores facilè suscipiunt. Debilitatem verò adscititiam faciunt causæ externę, vt ictus, contusio, balneum, anstrina, & pluuiosa constitutio, insolatio, fumus, lectio, assidua, præsertim ad lucernam, & alia huiusmodi. Quæ etiam causæ humorum fluxionem ad oculos commouere possunt.

Fluunt autem humore; à cerebro ad oculos per venas, vueam tunicam, & neruum opticum. Venę, per quas humores deferri possunt ad eas partes, multiplices sunt; quæ scilicet vel feruntur à pericranio ad coniunctiuam tunicam, inde ad corneam, & vueam; vel à meningibus cerebri, à quibus rami ad oculi membranas deriuantur. A quibus membranis, præcipuè verò vuea tunica, ad humorem aqueum sibi contiguum excrementij humores facilè instillari possunt.

Denique per neruos opticos facile deferri possunt humores à cerebro, & per tunicam retiformem, & araneam ad humorem crystallinum, tumque materia suffusionis crystallini superficiei adhæret. Licet autem vt plurimùm suffusio per fluxionem fiat; potest tamen aliquando per congestionem fieri: quando nimirum oculi nutrimentum probè non immutatur, & facultas expultrix debilis illius residua excrementa sufficienter non expurgat, ita vt sensim congesta circa pupillam ea excrementa suffusionem efficiant. In quo casu alij etiam humores plerumque labefactantur, & difficillimi affectus producuntur.

Suffusionis differentiæ desumuntur ex humoris eam efficientis crassitie, quantitate, & loco, in quo humor ille residet.

Ratione crassitiei maioris, vel minoris, maior vel minor visionis læsio efficitur. Si enim tenuis, & serosus humor existat, à quo suffusionem fieri, & punctione euacuari docuit Gal. 14. *meth. c. vltimo* visio parùm minuitur & suffusio incipiens nominatur. Si crassior paulò fuerit; visionis obscuritas maior. Si vero crassissima, cæcitas omnimoda emergit.

Ratione quantitatis, & loci, vel humor totam pupillam occupat, & tunc vitio æqualiter læditur, quocumque modo ad obiecta dirigatur, vel vnam partem pupillæ magis, quàm aliam occupat, & obiecta directo intuitu integra non cernuntur, nec vno tempore multa. Si vero humor perexiguus sit, & medium pupillæ occupat obiecta feneſtrata apparent. Si verò materia diuulsa fuerit, & in varia corpuscula, varias pupillæ partes occupantia, distincta; culicum species ante oculos versari videbuntur, quæ omnes differentiæ exactè distinguntur à Gal. 1. *de sympt causis cap.* 2.

Ratione loci etiam, vel situs materiæ, aliæ possunt desumi differentiæ: quòd scilicet aliquando materiam in ipso vueę foramine iuxta corneam tunicam sita sit; aliquando iuxtæ vueam, & inter hanc, & humorem aqueum, aliquando ipsi humori aqueo permista; ac denique interdum inter crystallinum, & aqueum.

Possunt, & quædam differentiæ à figura materiæ desumi, quas recenset Gal. 2. *de sympt. causis c.* 2. & 4. & *de loc. affect. cap.* 2. Prout enim varia est humoris pupillæ adiacentis figura, ægris repræsentantur in aere volitantes culices, pili, telæ aranearum, circuli circa candelam, & alia quam plurima.

Diagnosis huius affectus primò dirigenda est ad legitimam suffusionem, à spuria distinguendam; postea verò variæ legitimæ suffusionis differentiæ internoscendæ sunt.

Vera suffusio alterum tantum oculum plerumque occupare solet; aut si vtrumque, non tamen simul, nec similiter, quod in spuria accidit.

Secundò, in legitima suffusione tenebrosum quidam in pupilla apparet, quod in spuria non contingit. Hoc tamen signum perpetuum non est. Si enim à tenui, & seroso humore suffusio generetur, cùm ille humor aqueo ferè crassior non sit, nulla oculo immutatio apparet. Quo decepti plerumque Medici, eam suffusionem non agnoscentes, guttam serenam esse existimant, cùm nempe nullam in pupilla mutationem percipiant. Sed facilè distinguitur hæc suffusio à gutta serena. Primò quòd in gutta serena visio, vel abolita, aut valde imminuta sit, nulla in oculo læsione apparente. Contra verò in suffusione, quæ sensui non patet, est leuis tantùm visus immutatio, quia humor serosus, à quo illa producitur, tenuis est, & diaphanus, ita vt à speciebus obiectorum, vitri instar penetrari possit. Secundò ex eo, quod vt plurimum in suffusione visio in omnibus pupillæ partibus æqualiter non lædatur; sed obiecta aliquando directè oculis opposita, aliquando versus angulum collocata, meliùs videantur: quia nimirùm maior est vt plurimum humoris crassities, vel tenuitas in vna pupillæ parte, quàm in alia.

Tertiò, in vera suffusione symptomata sunt continua, nec vlla habent interualla. In spuria verò per interualla augentur, & remittuntur, prout vaporum anathymiasis maior, vel minor ad cerebrum effertur. Sicque, ieiuno stomacho, multò minora sunt; quàm eo cibis repleto, præcipuè paulò post pastus; tunc enim plus vaporum sursum attollitur. Qui vapores ad oculos translati muscas, culices, aranearum tales, & alia huiusmodi corpuscula visui quidem repræsentant,

non

continuò; sed tantum per interualla quædam. Quæ quidem exigua corpuscula, in aere repræsentata, à vaporibus dependent, vt antea dictum est; attamen, quia dum oculi à vera suffusione debilitati sunt, continua ferè fit ad eos, vaporum transmissio, ideo continua est propemodum huiusmodi corpusculorum in aere volitantium apparitio. Præterea in vera suffusione, visus obtenebratio, qua omnia obiecta, veluti per nebulam, aut vitrum densum conspiciuntur, (quod est proprium symptoma, & pathognomonicum huius affectus,) continua est, & semper eodem modo se habet: in spuria verò suffusione, nunc maior, nunc minor, & aliquando fere nulla est visus obscuritas prout vapores vel maiori copia, vel minori, vel nullo modo transferuntur ad oculos.

Denique vera suffusio breui tempore incrementum suscipit, & plerumque intra sex menses confirmata euadit. Interdum etiam paucis diebus crescit, & refert Fernelius 5. *pathol. cap.* 5. consummatam suffusionem vno die subortam quod nobis etiam non semel videre contingit. Spuria autem per multos annos sine incremento perseuerat.

Veræ autem suffusionis differentiæ sequentibus signis erunt distinguendæ.

In suffusione incipiente corpuscula quædam, vt pili, culices, muscæ volitantes, lanarum, aut aranearum fragmenta oculis obuersantur.

Dum verò incrementum sumit, aer nebulosus apparet, & obiecta veluti per vitrum densius conspiciuntur: color pupillæ immutatus est eaque vel turbida, vel nebulosa, aut vitro contaminato similis, aut colore cæruleo infecta apparet. Quando suffusio perfecta est, visio omninò perit, pupillæ color albus apparet, aut alio colore infectus.

Ex colore etiam quædam signa desumuntur. Color enim margaritæ similis pituitam adhuc fluidam, & diaphanam significat, gypseus, crassam, & compactam, citrinus, pituitam cum bile mixtam niger, cum humore melancholico.

Locus suffusionis dignoscitur ex eo, quòd materia inter vueam, & corneam sita sit, & pupilla magis obtenebrata cõspiciatur, quia materia oculis intuentis propinquior est. Deinde pupilla dilatata apparet; ab humore enim contento distenditur. Et in affectu confirmato albæ, & virides fibræ, aut striæ supra iridem protensæ conspiciuntur, aut puncta quædam albicantia circa pupillam apparent.

Si materia inter crystallinum & vueam contineatur; contraria prædictis apparebunt symptomata, tum etiam pupilla angusta apparebit, si profundior materia sit, amplior verò, si minus profunda.

Prognosi huius affectus, pro varijs illius temporibus, variè statuenda est. Incipiens enim suffusio, in qua ægri obiecta possunt discernere, eaque per nebulam conspicere dicuntur, curabilis est, iuxta Gal. sententiam 14. *meth. cap. vlt.* & Celsi *lib. 6. cap. 6.* Quæ tamen sententia restrictione indiget, modo scilicet ægri, ætate florenti sit constitutus; in segnibus enim hi affectus incurabiles sunt; & si oculi ex natiua constitutione debiles non fuerint. Nos enim nonnullos in suffusionis principio, etiam quinquagesimum annum præter gressos sola euacuatione vniuersali, diæta sudorifica, & vesicatorio, sine vlla topicorum applicatione, intra quindecim dies curatos vidimus.

Curatio autem feliciùs succedit in aere calido, & tempore æstiuo, quia pori aperiuntur, materia morbifica mobilior, & obsequentior redditur, ita vt sponte sua sæpè ad aluum deferatur. Qui motus quantum momenti habeat ad huius morbi solutionem, docuit Hipp. *Aphor. 17. sect. 9.* his verbis, *lippientem alui profluuio corripi, bonum.*

Si ex febre acuta, peripneumonia, phrenitide, aut dolore capitis intenso suffusio proueniat, difficillimè curatur.

Suffusio confirmata, in qua materia iam concreta est, discuti medicamentis non potest, & sola compunctione curabilis.

Hæc tamen operatio, quæ compunctione perficitur, & acù in oculum immissa ad inferiores oculi partes suffusio deprimitur, tuta non est, & sæpè malè succedit. Vel enim vueatunica laceratur; vel ex dolore, & inflammatione noua fluxio in oculum iamdiu debilitatum influit, & alia contingunt incommoda quibus visio in perpetuum affertur. Cùm tamen aliquando succedat hæc operatio; tentari potest ab ijs, quibus nulla alia curationis spes supereſt. Satius enim est, vt docet Celsus, anceps experiri remedium, quàm nullum.

In confirmata suffusione, si alterõ oculo clauso pupilla dilatetur, curatio per acus immissionem sperabilis est: si verò non dilatetur, visus nunquam recipitur, docente Galeno 1. *de sympt. causis cap.* 2. quia neruus opticus obstruitur, & spiritus ad pupillam, licet aperta foret, peruenire nequit.

Licet autem altero oculo clauso pupilla dilatetur; æger acu immissa visum non recipiet, si lumen non percipiat, quia spiritus visiuus turbidus; & obscurus redditus est, atque adeò visioni ineptus.

Suffusio nigra, & omni splendore orbata, neque medicamentis, neque chirurgia curari potest, quia spiritus visorij destructi sunt. Pellucida verò, & splendorem aliquem ostentans, curabilis est.

Curationem etiam plerumque non admittit viridis, obscura, & multum citrina, dura, & quæ hydrargyrum colore, & mobilitate repræsentat.

Suffusio quæ obiecta feneſtrata repræsentat, tentanda non est. Cùm enim materia in centro pupillæ consistat, periculum est ne acu immissa, tota pupilla impleatur, & integra visionis iactura fiat.

Operatio, quæ per acus immissionem fit, feliciùs succedit in oculo pleniore, & naturalem magnitudinem seruante. Si verò oculus minor, & marcidus euaserit; succedere non potest.

In ætate senili prædicta operatio tentanda non est, neque in puerili. In illa morbus est incurabilis; in hac verò humor mollior est, & non satis maturus. Curationi aptissima ætas est iuuenilis, & consistens.

Si operatio exerceatur, quando oculo digito compresso suffusio nonnihil diffluit, & latior aliquantulum apparet: postmodum verò ad pristinam magnitudinem, & figuram reuertitur, non succedit: quia suffusio nondum matura est, sed adhuc tenuis, & cruda. Si verò digito compressa nullam patiatur figuræ mutationem: matura est, acu decuti potest.

Notandum tamen, istam suffusionis, quam vocant, maturitatem seu concretionem, moderatam esse debere, vt deponi facilè possit. Debet enim esse instar pelliculæ quæ acu circumuoluitur, & ad inferiora oculi deponitur. Si enim crassior, & solidior sit, discussi non potest: quod inde dignoscitur, quando gypsi, aut grandinis speciem colore præ se fert. Contra verò, quæ mediocrem maturitatem nacta est, colorem cœli aut maris, ferri, aut plumbi non admodum nigri repræsentare solet.

Suffusionis curatio non solùm ad causam coniunctam; sed etiam antecedentem dirigenda est. Atque ita, primò totum corpus, & præcipuè cerebrum exactè euacuandum est. Mox humor pupillam obstruens discutiendus, aut alio quo vis modo amoliendus est.

Quæ indicationes, cùm eædem fermè sint, quæ ad guttæ serenæ curationem fuerunt propositæ, eadem remedia, quæ victus rationem, totius corporis euacuationem, humoris peccantis reuulsionem, & capitis, atque oculorum roborationem respiciunt, hic etiam aptari poterunt, vt non opus sit eadem hic frustra repetere.

Præmissa igitur tota illa curatione, quæ pro gutta serena instituta est, ad ea remedia veniendum est quæ peculiarem materiæ iuxta pupillam contentæ eductionem respiciunt. Et quamvis topica remedia non multum conferre existimentur, iuxta Gal. sententiam. 2. κατ' ἀντοχὴν, qui dicit ea plus promittere, quam præstare: attamen legitimus eorum vsus reijciendus non est. Et docuit experientia, probatissimorum auctorum fide confirmata, suffusiones incipientes, præmissis vniuersalibus, vsu topicorum fuisse dissipata.

Primò igitur à mitioribus resoluentibus incipiendum est quæ non valdè exsiccent, ne materia suffusionis indureturet resolutioni inepta euadat. Tum resoluentibus emollientia admiscenda sunt, vt prædicta induratio impediatur, & resolutio faciliùs perficiatur. In hunc finem fotus sequens ab initio vsurpari poterit.

℞. Fol. rutæ fœnic. euphras. chelidon maior. ana M. j. sem. fœnugr. ℥. j. flor. chamom. & melilot. ana P. j. Coquantur in tribus partibus aquæ font. & vna vini albi, sub finem addit. Colatura foueantur oculi manè, & serò, cum spongia molli.

Ex eodem decocto suffitus parari poterit, fumum illius excipiendo oculis, vndique capite contecto.

In ipso morbi principio, dum fluxio fieri incipit, dumque reuellentia remedia vsurpantur, vtile est fouere oculos

los simpliciter vino rubrō austerō, quod adstrictione sua fluxionem impedit, parte verò spirituosa discutit, ac resoluit.

In progressu morbi, focus ex vino albo, cui crocus metallorum infusus fuerit, vtilissimus est.

Non parum etiam vtilis est pueri halitus manè oculis exceptus, si priùs aliquandiu puer semen fœnicoli masticauerit.

Neque minus conducibile est, oculos lingere per longum tempus, matutinis horis, lingua pueri, aut catelli.

Ad suffitum etiam referri potest panis cum semine fœniculi contuso subactus, & dum calens è furno extrahitur per medium sectus, si eius vapor oculis recipiatur; panem scilicet ita oculis admouendo, vt fixo intuitu in panem, oculi vapore illius madescant.

Remedia prædicta matutinis horis præcipuè vsurpanda sunt. Noctu verò sequens cataplasma admoueri poterit.

℞. Farinæ fœnugr. ℥j. aleos ℥ß. croci ℥ j. Fiat puluis subtilissimus, excipiatur vino albo, in quo crocus metallorum infuxus fuerit, & fiat cataplasma applicandum calidè hora somni.

Multi laudant sanguinem columbinum, in oculum calide instillatum. Eo enim calore natiuo animalis refecta pars valdè corroboratur, & materia excrementitia dissoluitur. Sed quia in illo sanguine calor citò euanescit, multò conducibilius foret pullum columbinum iuniorem, & nondum plumis contectum, ac per spinam sectum oculo applicare.

Prædictis remedijs præsertim materię coniunctæ dissipatio obtineri potest, si illa sperabilis est. Topica enim variat quæ oculis instillantur, collyria vulgo dicta, exiguæ sunt efficaciæ, & illa sunt, de quibus dixit Galenus, ea plus promittere, quàm præstare. Tota enim eorum virtus in cornea tunica ferè absumitur, neque potest ad interiores partes penetrare, nisi ea insigni acrimonia prædita sint, quę dolores in oculis excitantur, & fluxio ad illos magis promouetur: vnde non pauci immodico eorum vsu, ex leuiori affectu in omnimodam cæcitatem perducti sunt. Quia tamen multæ reperiuntur apud authores collyriorum descriptiones, quibus præstantissimi effectus ab ijs tribuuntur ne hic aliquid deficere videatur, nos selectissimas nonnullas proponemus, vt vnusquisque eorum effectus explorare valeat.

℞. Mellis optimi ℔. ij. rad. fœnicul. aristoloch long. & rotund. ana ℔ j. fol. rutæ euphras. chelidon. maior. & summit. fœnic. ana M. vj. centaur. min. M. iij. rosar. recent. P. iij. vrinæ pueri impubis ℔. ij. Misceantur omnia simul in vase vitreo, & destillentur in balneo Mariæ. Hæc aqua instilletur oculis frequenter.

Vel parari potest panis ex tota farina, cùm rutæ, chelidon. euphras. betonic. & fœnic. pulueribus, addito melle, qui recenter ex furno extractus, in partesque dissectus, intra vasa duo stannea, vel argentea concluditur, inde aqua quædam colligitur, quam guttatim in oculos instillatam mirificè conducere Zechius affirmat. Sequens etiam collyrium ab eodem autore miris effertur laudibus.

℞. Fol. viol. alb. seu leucoij. M. sem. raphani hortensis ℥j. ammoniaci ℥ß. Misceantur, & puluerata macerentur per horas 24. in aquæ fœnic. ℔. j. Deinde bulliant vnica ebullitione leui. Posteà collaturæ adde succi fœniculi depurati ℥ j. balsami Peruuiani ℥ij. Fiat collyrium, quod manè, & vesperi instillatum (inquit Zechius) corpore (vt decet) prius euacuato, antiquitas oculorum ægritudines ita detergit, ac dissipat, vt cataractam, etiam citra ferrum, mirabiliter auferat.

Hollerius aquam describit, quam dicit restituisse visum cœco nouem annorum, quæ talis est.

℞. Succi apij, fœnic. verben. chamædr. pimpinellæ caryophyllatæ, saluiæ, chelidon rutæ, centinod. morsus gallinæ, caryophyllorum, farinæ volatilis, ana ℥j. piperis crassiusculè triti, nucis moschat. ligni aloes, an. ℥iij. Omnia immergantur vrinæ pueri incorrupti, & sextæ parti vini maluatici. Bulliant breui tempore. Tum exprime, percola, & repone in vase vitreo obturato: hora somni singulas guttas singulis oculis instilla.

Succus anagallidis aquaticæ solus in oculos per aliquos dies instillatus curauit aliquando suffusionem incipientem, cui tamen plurimùm adiumenti attulit cauterium suturæ coronali inustum.

Non minoris sunt efficaciæ succi chelidoniæ, & caleatripæ simul mixti.

Quercetanus in Pharmacopœa aquam ex infusione croci metallorum paratam valdè commendat, quæ in hunc modum componitur.

℞. Aquar. chelidon. mai. ℥ v. croci metallor. ℥ j. Infundantur simul. Et huius aquæ tepidæ guttas tres, vel quatuor infunde intra oculos ter, aut quater in die per longum tempus. Hanc aquam se expertum esse dicit Fonseca visionem restituisse cuidam, qui eam offuscatam habebat per plures menses. Habet autem hoc egregij, vt sine morsu validissimè abstergat, quod vix in alio medicamento reperitur.

Idem Fonseca aquam sequentem tanquam mirabilem prædicat.

℞. Plures hirundines. Contundantur integræ cum suis pennis in mortario, illarum cuilibet libræ adde medullæ panis ℥ iv. vini albi maturi ℔. iv. Infundatur per sex dies, & destillentur per balneum vsque ad siccitatem. Deinde expone illam aquam in vase vitreo ad solem per dies viginti, & instilla in oculos mane, & serò.

Ex floribus rorismar. liquor. elicitur, nebulis discutiendis admodum idoneus, qui in hunc modum paratur.

℞. Flor. rorismar. q. s. Impleatur ampulla vitrea, quæ probe obturetur, & soli meridiano exponatur ad pariete. Inde liquescit oleosus quidam humor, quo oculi penna illinantur.

Auctores fella animalium commendant, quod potentissimè abstergant, & discutiant. Sed acrimonia sua dolorem excitant, ideo rarò in vsum reuocantur.

Foreſtus *obs.* 53. *lib.* 11. piscículum quendam patriæ suę familiarem commendat, ex cuius iecore succus quidam elicitur, quo suffusiones quasi momento, & miraculo curari testatur: eius historiam, & vtendi modum vide loco citato. Guillemus Lozellus se plures curasse refert, nulla lucis vsura fruentes, aqua sequenti post vniuersalia remedia vsurpata.

℞. Hepatis hirci sani, & recenti ℔. ij. calami aromat. & mellis, ana ℥ ß. succi rutæ ʒ iij. Aquæ chelidoniæ, verbenæ, fœnic. euphrasiæ, ana ℥ iv. piperis longi, nucis mosch. caryophyllor. ana ʒ ij. croci ℈ j. flor. rorismarini aliquantulum contritor. M. ß. sarcocollæ, aloes hepaticæ, ana ʒ iij. fellis anium rapacium, vel caponum, aut perdicum ℥ j. Incidenda incidantur, terenda terantur, deinde omnia simul misceantur, addendo sacchari albissi ℥ ij. mellis ros. ʒ. vj. ponantur in alembico vitreo. Distillentur in B. M. igne lento. Hæc aqua seruetur in vase vitreo benè obturato, tanquam pretiosa, quæ in oculum laborantem instilletur bis, aut ter in die.

Zacutus Lusitanus aquam sequentem maximè commendat his verbis. *Ophthalmiæ diuturnæ, noctisque oculorum affectionibus quæ ex nimia humiditate crassisque humoribus, & caliginosis scaturiunt, vt densitati, albugini, vngui & suffusioni. Et hanc aquam principatum obtinere diutino experimento compertum habeo, si corpore exquisite vacuato noctu solùm tribus horis post pastum iuxta oculum sex guttas eius instilles, actu frigidas. Post duas horas tamquam e fonte perenni manabunt ichores in copia multa.*

℞. Aloes ʒ iij. rutæ, fœniculi, betonicæ, ana M. ij. verbenæ, tormentillæ, ana M. j. sarcocollæ ʒ iij. spumæ nitri ʒ ij. ß. saccar. candi ℥ iij. syrupi ros. ℥ iv. vrinæ pueri impubis ℔. ß. stercoris lacerti ʒ iij. marrubij, M. iij. euphrasiæ M. j. ß. zinzib. spicæ nardi, piperis longi, caryophyll. tuthiæ, an. ʒ ij. balsami ʒ iij. mellis rosati ℥. j. viridis æris ʒ j. licij ℈ ij. fol. raphani M. j. Puluerandæ puluerentur, misceantur omnia, & infundantur in vino albo generoso, in vase destillatorio, addita quarta parte mellis optimi, decem dierum spatio, dummodo quotidie agitentur, & deinde distillentur, & aqua, quæ exierit, reseruetur.

Idem Zacutus sequens vnguentum maximè commendat his verbis. *Ad siccandas humiditates ad oculos à capite confluentes, simulque valentissimè per canthos expurgandas, vnguentum fit magistrale nulli secundum, applicitum post totius corporis, capitis, & oculorum vacuationem vniuersalem. Eo bis in die, mane, & noctu, tribus horis post cœnam, palpebræ superiores leuiter illinantur. Post horam humoris serosi riuuli per anglum præsertim maiorem effluunt vbertim.*

℞. Ol. rosac. ʒ iij. aquæ ros. ℥ ix. camphoræ ʒ j. tuthiæ ℈ j. mel-

mellis ʒ. ij. fellis hirci ʒ. ß. farinæ lupinorum ʒ ß. aloes soccotrinæ ʒ j. sacchari candi ʒ ß. succi marrubij fœniculi, rutæ, an. ʒ. ß. myrrhæ ϑ j. ammoniaci ʒ ß. sarcocollæ ʒ j. ß. Pulverata pulveranda misce, & lento igne coque modicè; & cum pinguedine hircina, & arietina, & momento cieræ fiat secundum artem vngentum.

Denique reliquis remedijs non conferentibus morbo propemodum ad desperationem verso, ad experimentum reduci mereretur inunctio ex hydrargyro, quàm à se excogitatam ait Fonseca, non tamen in vsum reuocatam. *Consultationem* enim 19. *lib.* 1. sic loquitur. *Aliquando cogitaui inunctionem argenti viui, ea ratione, quæ adhibetur in morbo Gallico, magna efficacia posse extirpare cataractas incipientes, & increscentes, quod visum est in ophthalmijs gallicis, vbi humorum residua visionem impediunt; sed etiam in non gallicis. Isto remedio caput ita expurgari poterit, vt dissoluantur vestigia cataractæ, & aliquando experiri decreui.* Hinc suæ cogitationi maximè applausisset Fonseca, si Schenckij obseruationem 309. *lib.* 1. vidisset, quæ ex Alexandri Traiani Petroni *lib.* 5. *de morbo Gallico cap.* 1. desumpta est. *Quidam*, inquit, *qui antequam morbo Gallico afficeretur, altero oculo cæcus erat, suffusionem densissima (vulgus cataractam vocat) oculum occupante. Hydrargyri inunctione, & à morbo Gallico, & à suffusione quod maximè mirum est, euasit. Neque à ratione alienum est inunctione illa cataractas posse dissolui, cùm frequens experientia doceat, præduros tumores ex pituita crassa, & concreta genitos, illitu hydrargyri potenter dissolui.*

Cùm nullis medicamentis dissolui potest cataracta vltimum remedium est Chirurgica operatio, quà acu in oculum immissa materia pituitosa, suffusionem efficiens, condensata, & in pelliculam conuersa, ad inferiores oculi partes decutitur, & aperta veluti fenestra visus recuperatur. Quæ operatio aliquando succedit feliciter, pluries verò infeliciter, ita vt ex ea non pauci visum in perpetuum amiserint. Quando tamen res eò deuenit, vt nulla alia supersit visionis recuperandæ spes; satius est, iuxta Celsi sententiam priùs laudatam anceps experiri remedium, quàm nullum. Hæc autem operatio propter incertum euentum à Chirurgis ordinarijs non solet exerceri; sed ab Operatoribus vulgo dictis, qui per varias vrbes vagantes frequentiùs sese in operationibus exercent: atque ita operandi tempus, & modus illis prorsùs committuntur. Quæ tamen à Medico ignorari non debent, apud Practicos non paucos exactè descripta inueniri poterunt.

Curata suffusione, siue resoluentibus medicamentis, siue operatione Chirurgica, prophylaxi per longum tempus incumbendum est, quia recidiuæ maximum est periculum: oculi enim, ex longo affectu debilitati, admodum dispositi sunt ad fluxiones è cerebro denuò excipiendas. Idcircò purgationibus vsualibus incumbendum est, fonticuli ad fluxionis auersionem continuò gestandi, & oculos roborantia frequenter vsurpanda, qualia in guttæ serenæ curatione proposita sunt. Quibus addi potest ablutio oculorum, quæ singulis diebus manè vsurpanda est in hunc modum. Ab exitu lecti masticetur semen fœniculi aliquandiu, deinde os vino repleatur, eoque vino, tantillum in ore calefacto, abluantur oculi donec acrimonia sua eos vellicet, & dolorem aliquem inferat, qui cessante ablutione statim etiam cessare consueuit.

Præterea visus conseruationi plurimùm conferunt specilla, quæ obiecta, prout naturaliter se habent, nempè neque maiora neque minora repræsentant. Nec non vtile est, per vices specilis viridibus, aut ceruleis visum recreare.

Ac denique ea omnia vitanda, quæ visui nocent; & vsurpanda, quæ ipsi conferunt, prout in victus ratione pro gutta serenæ curatione instituta, annotata sunt.

CAPUT V.

De Dilatatione Pupillæ.

VVea tunica ex Gal. 1. *de sympt. causis*, *cap.* 2. varijs morbis obnoxia est, ac præcipuè ruptionem, distorsionem, dilatationem, & constrictionem pati consueuit.

Ruptio fieri potest, tum à causa externa, vt percussione, & contusione: tum ab interna, humore scilicet copioso tunicam vueam distendente, & rumpente. Cum autem ea arte reparabilis non sit, medicam tractationem non postulat.

Distortio vueæ tunicæ non potest contingere, nisi à prima conformatione, cùm illa corneæ tunicæ vndique adhæreat. Ideò Gal. ipse *loc. cit.* nudam illius enumerationem facit inter differentias symptomatum vueæ tunicæ: in ea autem explicanda non immoratur, quia nullus est vsus in praxi medica. Nos etiam prioribus duabus differentijs prætermissis, dilatationis, & constrictionis pupillæ explicationi tantùm incumbemus.

Dilatatio igitur pupillæ, quæ est vueæ tunicæ foramen per quod species obiectorum oculum ingrediuntur, Mydriasis Græcis appellata, visionem lædit, quòd lumen nimia copia oculum ingrediatur: vnde fit, vt ea laborantes in obscuriori loco magis videant, quàm in lucidiori. Quod ostendunt naturales, & ordinariæ pupillæ mutationes, quæ in locis splendidis, & obscuris contingunt. Dum enim visio fit in loco spendidiori, & multum illuminato pupilla constringitur, vt minori copia lumen oculum ingrediatur, & ne maiori copia visionem lædat, spiritus dissipando, ac disgregando. Et hinc fit, vt qui è loco valdè lucido obscuriorem ingrediuntur, primò ingressu nihil ferè videant: quando quidem pupilla constricta in loco lucido, non satis luminis recipit ad visionem integrè perficiendam. Posteà verò cùm aliquandiu in loco obscuro morati fuerint, pupilla sensim dilatatur, vt maiorem luminis copiam recipiat, quæque primò ingressu non videbantur, clarè percipiantur. Contrà verò, quia loco obscuro in valdè lucidum transeunt, lumen ferre non possunt ab initio, & eorum oculi grauiter perstringuntur. Quia cùm pupilla magis dilatata fuerit in loco obscuro, vt sufficiens luminis copia oculum ingrediatur, si hoc modo dilatata, subitò magno lumini obijcitur, nimiaque copia lumen oculum ingrediatur; eum perstringit, ac visionem turbat. Vnde patet, lumen visioni necessarium, copia mediocri oculos ingredi debere, & ad illius receptionem, pupillæ latitudinem moderatam esse necessarium.

Fit autem dilatatio pupillæ præternaturalis, vel à primò ortu, quæ immedicabilis est; vel post ortum à causis præternaturalibus, & aduentitijs, quæ vel internæ sunt, vel externæ.

Internarum proxima est, & immediata, tensio vueæ tunicæ: illa autem tensio, vel à siccitate fit, vel à repletione.

Siccitas vueam tendit, & foramen pupillæ amplius efficit; quemadmodum coria perforata cùm exsiccantur, patentiora foramina efficiunt. Fit autem sicca illa intemperies à vigilijs diuturnis, febribus, alijsque causis exsiccantibus.

Repletio vueæ tunicæ, dum eam omni ex parti distendit, ampliorem pupillam efficit, eaque producitur, vel à flatibus, & vaporibus in oculum transmissis; vel ab humoribus in eumdem confluxis, vel ab aqueo humore supra modum aucto, vel denique è tunicæ ipsius vueæ tumore. His causis addere possumus conuulsionem vueæ tunicæ, quæ in paroxysmis epilepticis præcipuè apparet. Cùm enim tunc omnes partes neruosæ, & membranosæ distendantur; vuea etiam tunica suam distensionem patitur. Et hæc præcipuè, ac manifestè apparet in puerorum conuulsionibus epilepticis, in quibus tanta fit pupillæ dilatatio vt totam ferè iridem occupet, & illius ratione visio prorsùs aboleatur.

Causæ externæ sunt percussio, vel casus ab alto, vel spiritus retentio, vt in parturientibus, & tibicinibus. Percussio, & casus fluxionem ad oculos promouent, vnde distensio pupillæ. Spiritus retentio flatus, & humores ad oculos impellit, à quibus etiam distensio producitur.

Diagnosis huius affectus difficilis non est. Siquidem pupillæ dilatatio oculis est conspicua, præsertim si ante morbosam constitutionem pupillæ amplitudo naturalis Medico innotuerit: tum etiam si cum latitudine, pupillæ mediocritatem excedente, visionis læsio adfuerit.

Præterea naturalis amplitudo pupillæ dignoscitur ex eo, quod clauso vno oculo, alterius pupilla magis dilatatur: quod non fit in dilatatione morbosa, quia tunica vuea à causa præternaturali distenta ampliùs distendi nequit.

Si denique dilatatio pupillæ in vno tantùm oculo appareat: & præternaturalis est, & vnicum tantùm oculum affici significat.

Quod ad prognosin spectat; pupillæ dilatatio abortu contracta incurabilis est: quæ verò post ortum accidit, difficilè curatur, maximè verò, quæ à siccitate producitur.

Quæ verò ab alijs causis fit, si adhuc recens fuerit, curabilis est, cùm affectus oculorum recentes, iuxta Gal. doctrinam, curationem recipiant; inueterati verò nunquam, aut saltem difficilimè tollantur.

Curatio pro varietate causarum varianda est. Si à siccitate fiat, cùm vix illud valeat contingere à causa interna, quin totum etiam corpus eadem intemperie afficiatur; Ideò remedijs, atq; alimentis humectantibus,& analepticis totum corpus reficiendum est, qualia in febre hectica vsurpari consueuerunt. Peculiariter verò corpus humectandum est balneo aquæ tepidæ,& lactis recenter mulcti,quod etiam in oculos frequenter instillabitur, præsertim muliebre.

Si fiat ab humore oculum replente, cùm ille à capite defluat, etiam caput, & totum corpus erit euacuandum, mox humor oculis impactus discutiendus. Quæ quidem, cum sufficienter perfici valeant remedijs pro suffusionis curatione propositis; ea hic frustra repetenda non sunt; sed è curatione prædicta desumenda.

Quæ etiam ea remedia suppeditabit, quæ humori in oculo contento discutiendo, ac dissipando idonea sunt. Ijs tamen succedere possunt quædam adstringentia, quæ pupillam nimis dilatam angustiorem efficiant. In hunc finem collyrium sequens vsurpari poterit.

℞. Rosar. rubr. siccar. ℈ ij. croci, spicæ nardi, corticis thuris, an ℈ ß. tutiæ præparatæ, spodij. acaciæ, an. ℈ j. In puluerem redacta includantur panno lineo raro, & fiat nodulus, qui infundatur in aquæ rosar. ℥. iij. & illa aqua instilletur in oculum frequenter, toties nodulum exprimendo, quoties aqua vsurpabitur.

Si fiat à flatibus; post vniuersales euacuationes, ea medicamenta erunt vsurpanda, quæ flatus discutiunt in toto corpore,& ipsis oculis. Atque ita illi foueri poterunt decocto fœniculi, rutæ,aneth. rosar. rubr. myrtillorum,facto in aqua peculi rosar. cùm quarta parte vini albi.

Si denique à percussione fiat, pro contusionis magnitudine varianda curatio est; & si adsit inflammatio instar ophthalmiæ curanda est. Si verò inflammatio non sit; admonebitur in principio cataplasma ex farina fabarum, folijs plantaginis,& rosis rubris, cum aqua rosar. paratum. Posteà verò sanguis columbinus ex pennis expressus frequenter instillabitur, qui in omnibus oculorum vulneribus,ac contusionibus excellens est remedium.

CAPVT VI.

De Pupillæ angustia.

PVpillæ angustia visui etiam officit, quemadmodum dilatatio, vt dictum est capite superiori, quandoquidem moderata pupillæ amplitudo necessaria est ad species visibiles perfectè recipiendas. Sic quando in statu naturali, oculo in loco splendidiori posito, pupilla constringitur, ne lumen nimium recipiat; si subitò in obscuriorem locum transferatur, res in eo contentæ primò ingressu vix, aut parum videntur, propter dictam angustiam. Postea verò quando pupilla dilatata est, omnia ritè percipiuntur. Igitur in loco, mediocri lumine affecto, pupillæ latitudo mediocris esse debet, vt mediocre lumen recipiat, ad visionem rectè efficiendam. Si verò pupilla debito angustior sit; sufficiens lumen non recipit. Ideò in ijs, qui hoc vitio laborant, visio imminuta est. Illi tamen in loco valdè lucido rectè visionem exercent,quia sufficiens lumen tunc temporis per angustum foramen ingreditur, nisi alij oculorum morbi cum hoc affectu coniungatur.

Fit autem pupillæ angustia, vel ab ortu, & prima formatione, & tunc parum nocet. Si enim ea affecti minùs videant in loco obscuro, aut mediocriter lucido, quàm mediocri pupillæ latitudine prædíti; in loco tamen lucido meliùs, & perspicaciùs vident. Vnde dixit Galen. *de sympt. causis cap.* 2. eos, qui à natiuitate pupillam angustam habent, acutiùs videre.

Vel fit angustia pupillæ à causis præternaturalibus, nempè nimia humiditate, siccitate, defectu humoris aquei, & spiritum inopia.

Ab humiditate fit angustia pupillæ, quando ab eadem tunica vuea relaxatur, & relaxata foramen angustius efficit. Licet enim ab eadem humiditate fiat pupillæ dilatatio; non tamen contrarij effectus ab eadem causa fiunt: quia vt causa eadem dici possit, debet eodem modo se habere ad suum effectum: at non eodem modo se habet humiditas, quando facit dilatationem. Eam siquidem efficit replendo, & distendendo membranam; angustiam verò efficit relaxando. Distendit, quando in illius capacitate continetur: relaxat, quando substantiæ illius imbibitur.

De siccitate eadem est difficultas, quandoquidem illa inter causas dilatationis pupillæ recensita est. Hæc autem est differentia. Quando vuea tunica exsiccatur, humoribus in debita quantitate permanentibus, tunc facit pupillæ dilatationem; quandoquidem tensionem suam, quam antea habebat, non amittit, quemadmodum, (vt superiori capite dictum est) coria tensa, quæ exsiccantur, foramina sua ampliora reddunt. Si verò vuea tunica dum exsiccatur,corrugetur & concidat, tensionemque priorem amittat, propter defectum, aut imminutionem humorum oculi; tunc pupillæ foramen angustius efficitur.

Et sic constrictio pupillæ à siccitate eadem fermè erit, quæ à defectu humoris aquei contingit, quamuis etiam possit fieri sine exsiccatione, dum humore aqueo effuso tunica vuea concidit.

Denique ex spirituum defectu, vel paucitate fit angustia pupillæ, quando propter obstructionem nerui optici, aut aliam causam, spiritus visiuus non potest confluere ad oculum, qui eo repletus tunicarum suarum tensionem conseruat,eoque deficiente, illæ laxantur,& concidunt; vnde pupillæ constrictio euenire solet. Hoc apparet in valdè senibus, in quibus pupilla angustior efficitur propter spirituum defectum.

Hic affectus ex se facilè dignoscitur, & sensui patet. Si enim vnus tantum oculus afficiatur, alteriùs comparatione angustia pupillæ dignoscitur. Si verò vterque oculus laboret, aliorum hominum rectè se habentium oculos inspiciendo, laborantis pupillæ angustiores comperiuntur.

Quoad prognosin spectat, pupillæ angustia, quæ ab humoris aquei factura procedit incurabilis est: quandoquidem ille semel effusus regenerari nequit, præcipuè in grandioribus. In pueris tamen aliquando per vulnus effusus humor aqueus reparatus, atque regeneratus est. A siccitate etiam producta pupillæ constrictio vix aut difficillimè saltem curari potest. Illa verò, quæ ab humiditate fit, in suo principio adhuc recens facilè curari potest: inueterata verò difficillimè.

Curatio huius affectus à præcedente non variat, quandoquidem ab ijsdem causis producuntur, nimirùm siccitate, vel humiditate: quæ in temperies, quam vis contrarios effectus pariant, modo ante explicatio, ijsdem tamen remedijs auferendæ sunt.

CAPVT VII.

De Albugine, seu macula, & alijs corneæ coloribus mutatis.

NAturalis corneæ constituto euertitur, quando perspicuitatem suam amittit, vel colore alieno inficitur.

Perspicuitatem suam amittit, quando crassior euadit. Crassescit autem cornea tunica, vel per exsiccationem, vt in senibus, quæ affectio irreparabilis est; vel ab humoribus crassis in eam impactis, quod contingit frequenter in ophthalmia, quando, vel à nimio resoluentium medicamentorum vsu tenuiores humoris partes discutiuntur, crassiæ verò remanent; vel cùm importuno refrigerantium vsu humores incrassantur. Et non solùm crassior euadit cornea tunica in ea parte, cui humor ille impactus est; sed etiam album colorem contrahit, vnde Leucoma, seu Albugo nominatur. Fit etiam talis affectus à cicatrice ex vlcere relicta, in qua cornea densior redditur, & diaphaneitatem suam amittit.

Variæ sunt illius differentiæ, prout alia magis, alia minùs crassa est. Alia corneæ superficiem tantùm occupat; alia non profundo consistit, & totam corneam penetrati; alia maior est, & totam pupillam obsidet, vel maximam illius partem; aliam minor, & exiguum pupillæ spatium comprehendit, tuncque propriè macula nominatur.

Colore etiam alieno inficitur cornea, quando sanguis in eam effunditur, qui affectus Sugillatio nominatur, & tunc omnia obiecta rubra apparent; vel quando bilis se se in eam insinuat, quod in ictericis contingit, & tunc obiecta flaua apparere solent iuxta Gal. doctrinam. Quod tamen intelligendum est de magna bilis effusione in corneam. Si enim leuiter tantum tincta fuerit cornea, quod plerumque

que contingit, (maior enim bilis receptio in tunica adnata fit quàm in cornea;) tunc obiecta colore flauo minimè infecta sed prout naturaliter se habent conspiciuntur.

Hi effectus peculiari non indigent diagnosi, quia sensibus conspicui sunt. Speciatim verò albugo, quæ crassior est magis albicat, & magis visum ostendit. Sic etiam, quæ magis superficiaria est magis albicat, quæ autem profundior ad nigredinem declinat, vt pote vueæ tunicæ propior. Quæ cum nigra sit, aliquid sui coloris illi communicat. Causæ eam producentes, ex ijs, quæ præcesserunt, facilè dignoscuntur si nempè ophthalmiam vulnus, aut vlcus præcesserit.

Quod ad prognosim spectat, albugo, quæ à pituita fit humoreue crasso ex ophthalmia relicto, satis facilè curatur, præsertim si inueterata non sit. Quæ verò à cicatrice relicta, difficillimè: quandoquidem in parte; exquisitio sensu donata, remedia acriora, exterendæ cicatrici idonea, vix tolerari possunt.

Curatio albuginis, ab humore pituitoso in cornea concreto productæ, emollientibus, attenuantibus, & discutientibus remedijs perficitur, præmissis tamen vniuersalibus, quæ causæ antecedentis sublationem respiciunt, & nouum humorum influxum ad oculos prohibent, qui facilè proritari posset à topicis remedijs, præcipuè ijs, quæ acrimonia quadam, aut calefaciendi vi prædita sunt, nisi illius materia prius submoueretur.

Itaque primum vniuersales euacuationes vsurpandæ sunt tum etiam reuulsiones, & deriuationes, quæ in cura suffusionis, & guttæ serenæ traditæ sunt.

Postmodum verò ad materiam concretam emolliendam, fotus admouendus est, cum spongijs mollioribus, ex decocto fœnugræci, meliloti, chelidoniæ, & fœniculi paratus.

Vel eiusdem decocti vapor oculis excipiatur, & in hunc finem sequens enim decoctum parari poterit.

℞. Rad. alth. ℥. j. fol. malu æ, euphras. chelid. mai. an. M. j. semin. lini, & fœnugr. ana ℥. iij. flor. melilot. P. j. Fiat decoctio in aqua fontis, cuius vapor recipiatur in oculum mane, & sero.

Mox discutientia remedia vsurpanda sunt, qualia in suffusionis curatione descripta fuerunt. Illa enim hic etiam plurimum conferre poterunt, atque ita collyria attenuantia, & humorem oculo impactum resoluentia inde erunt desumenda, & præcipuè ea, quæ ex melle cum oxydorcicis remedijs destillato componuntur. Aqua enim mellis destillata, etiam sola vsurpata, multum præstat ad omnes oculorum maculas extergendas, si illius vsus diu continuetur.

Ad idem præstat saccharum candum, in aqua euphrasiæ, chelidoniæ, aut fœniculi dissolutum.

Tum etiam valdè conferet si oculus lingua pueri vel puellæ, quæ fœniculum masticauerit frequenter lambatur.

Amatus Lusitanus nubeculas crassas in puella duodecim annos nata se curasse, refert, post decocti falsæ parillæ exhibitionem per viginti dies sequenti collyrio.

℞. Mellis in ipso fauo ℔. ij. summitatum fœniculi, flor. sambuci, euphras. ana P. ij. sacchari candi ℥. iv. destillentur in B. M. & aqua instilletur in oculos.

Semen homini oculo impositum hora somni purgat oculum à sordibus, eumque absterget, sicque albuginis curationi conducit.

Potenter etiam albuginem discutit succus fœniculi recenter extractus, cui balsami Peruuiani, gutta vna admista sit.

Idem præstat oleum ex linteis combustis, cum saliua pueri mixtum, & penna illitum. Elicitur hoc oleum linteo accedendo, & inter duas patinas suffocando, materia refrigerata, guttæ illius olei patinæ adhærentes inueniuntur.

Albugo verò seu macula à cicatrice producta, curatur ijs remedijs, quæ cicatricem emollire, attenuare, ac dissoluere possunt. Cùm autem ea, quæ cicatricem conterunt, acrimonia non careant; maiori cura vniuersales euacuationes ac reuulsiones præmittendæ sunt, ne fluxio humorum attrahatur ad partem. Illis igitur, vt supra dictum est, vsurpatis, primùm fotus emollientes, aut suffumigia adhibere conuenit, quæ supra proposita sunt. Deinde abstergentia, & discutientia remedia admouenda sunt: Primò leniora, qualia sunt supra proposita, præsertim aqua mellis composita: postea verò ad fortiora veniendum est, qualia sunt fella piscium, vt vranoscopi, pastinacæ, lucij; tùm etiam aliorum animalium, vt perdicis, galli, anseris, bouis, & aliorum. Eodem modo vsurpari poterunt succi chelidon. mai. centaur. minor. anagallidis, & similium, quæ melli permiscenda sunt, tùm quòd mel abstergendi, & discutiendi vi præditum est; tùm quia liquores in oculum infusi diffluunt ad canthos, nec in pupilla morantur, in qua eorum actio desideratur, sed cum melle inspissato facilè pupillæ adherent. Si tamen eorum mordacitas tolerari nequeat; dicti succi, aut falsa inspissari poterunt mucilagine gummi tragacanthi, psyllij, aut cydoniorum, extracta cum aqua fœniculi, euphras. aut alia ophthalmica. Formula collyrij ex succis talis esse poterit.

℞. Succi fœniculi, chelidon. & anagallidis, an. ℥. iij. succi centaur. min. ℥. ß. mellis albi ℥. j. M. instar linimenti. Si cum albugine adsit oculorum rubor, vtile erit collyrium ex vino albo sale, & tritico paratum, in ophthalmia descriptum. Vel sequens.

℞. Aloes, & agarici, an. ℈. j. puluerentur, & includantur nodulo, qui maceretur in aqua euphrasiæ, vel fœniculi, & confricentur oculi manè, & serò Aloe abstergit, roborat, & fluxionem sistit, agaricus potenter abstergit.

Sugillatio, seu color oculi rubeus, ex sanguine in eum effuso productus, si recens adhuc fuerit, optimè curatur sanguine columbino in eum instillato. In illius verò defectu lac muliebre instillari poterit cum pauco thure, & croco, vel oui vitellus cum vino admouebitur, quod remedium à Gal. laudatur 4. *de comp. med sec. loc. cap.* 8. Si verò contumax fuerit affectus, fouendus erit oculus decocto fœnugr. altheæ, fœniculi, rutæ, chelidon. vel illius decocti fumus oculo excipiendus est. Ac denique ea omnia quæ pro suffusione descripta sunt, ad huius affectus curationem poterunt esse idonea. Speciatim verò, in malò inueterato, quando rubor ad nigredinem declinat, à Gal. commendatur hyssopi coma trita, linteo inclusa, in aquam feruentem demersa, & oculo admota. Et docet experientia, hoc remedium tantæ esse efficaciæ, vt cruor sensibiliter attrahatur & linteo adhæreat.

Ac denique color flauus ictericorum, qui in oculis maxime apparet, curato morbo, sponte discutitur. Si tamen illius dissipationem accelerare lubeat, suffitu, aceti, oculis excepto, id præstari poterit.

CAPVT VIII.

De Ophthalmia.

TVnica adnata ita corneæ coniuncta est, vt quamplurimi affectus vtramque tunicam occupent. Sicque oculorum inflammatio, licèt tunicæ adnatæ propria sit; ad corneam tamen non rarò extenditur, in eaque varios affectus producit, vlcera nimirum, hypopyon albuginem, & alia. Sic etiam pustulæ, alijque tumores, vulnera, & vlcera, vtrinque tunicæ communia sunt. Ita vt, omnes harum tunicarum affectus seorsim tractari nequeant. Ideò nos adnatæ tunicæ affectus aggredi cogimur, priusquam corneæ morbos vlteriùs persequamur.

Ab Ophthalmia igitur incipientes dicimus, illam, quæ, vt verbum sonat, nihil aliud est, quàm oculi inflammatio, ab omnibus auctoribus pro tunicæ adnatæ, seu coniunctiuæ inflammatione vsurpari. Lippitudo à Latinis post Cornelium Celsum nominatur.

Hæc autem inflammatio, prout maior, vel minor est, triplicem differentiam sortita est. Prima παράκλησις, Græcè, Latinis conturbatio dicitur, quia iuxta Pauli sententiam, à causa extrinseca oritur, nempè sole, fumo, puluere, oleo, & similibus. Sed nihil impedit fieri etiam à causa interna, vitio scilicet ventriculi post vini potationem, vel alios errores; estque leuis inflammatio, seu phlogosis, cum exiguo rubore, & dolore mitiori, quæ tamen in veram ophthalmiam non rarò degenerat, & est illius principium.

Vera autem ophthalmia à causa interna perpetuò producitur, estque vera inflammatio, cum tumore, rubore, & dolore. Lippitudo à Celso nominatur; quia in ea crassum excrementum, quod lippa vocatur, oculis adhæret.

Tertia χύμωσις Græcè, Latinè, etiam chemosis appellata, est, quando inflammatio ita ingraueſcit, vt magna sit cum dolore vehementi, & vtraque palpebra inuersa sit, vt vix ab eis oculi contegantur, & album oculi sublimius euaserit, rubrumque magna ex parte iridem occupet. In pueris

oculos prominentes habentibus, sæpiùs contingit, fitque à magna plethora, & pituitosis humoribus.

Alia desumitur differentia ophthalmiæ ex Hippoc. *Aph. 14. sect. 3.* qua nimirùm ophthalmia diuiditur in humidam, & siccam. Humida illa est, quæ iam fuit proposita, & lacrymarum effusionem secum habet coniunctam. Sicca verò, quæ ex eodem Hipp. ξηροφθαλμία nominatur, & in sicciori ætate, & autumno contingit. Fit à bile, aut melancholia exassata, cuius pars humida, & aquosa absumpta est, ideò nullas humiditates, aut lachrymas emittit. Alias etiam patitur subdiuisiones ab adiunctis. Si enim fit cum pruritu, ψυροφθαλμία dicitur, si cum duritie palpebræ, σκληροφθαλμία nominatur.

Alia etiam desumi potest differentiæ ophthalmiæ ex Gal. 1. *de diff. feb. cap. 11.* vbi quandam dicit ophthalmiam esse periodicam, quæ scilicet per interualla repetit in ijs, qui illi valdè obnoxij sunt, & qui caput habent calidum & humidum, oculosque debiles, fluxioni recipiendæ idoneos. In ijs autem postquam frequenter per multos annos ophthalmia affecti sunt, oculi tandem contabescunt, & visus prorsus amittitur, vnde tabida ophthalmia in oculi tabem degenerat.

Alia denique desumitur differentia à causa proxima, & immediata, qua est fluxio, vel congestio. Per fluxionem vt plurimùm fieri solet ophthalmia. Aliquando tamen per congestionem generatur si nimirùm aliqua intemperies, seu imbecillitas coniunctiuæ acciderit, ex qua θρεπτικὴ in parte rectè non exercetur; sed multa excrementa in ea congeruntur, à quibus pars sese eximere sufficienter non potest, vnde inflammatio succedit.

Causa ophthalmiæ coniuncta est sanguis biliosus, pituitosus, aut melancholicus, in oculos defluens, vel in ijs per congestionem cumulatus.

Fluxionis causæ sunt multiplices tùm externæ, tùm internæ, etiam vulgò notissimæ.

Congestionis verò causæ sunt illæ omnes, quæ oculos intemperie, aut imbecillitate afficiunt; ita vt, quæ à fola fluxione initium duxerat, successu temporis partem debilitans illius coctionem vitiet, & ophthalmia partim à fluxione partim à congestione fiat, quod in chronica ophthalmia plerumque solet contingere.

Cum autem ophthalmia per vim fluxionis generatur, à capite vt plurimùm fluxionem eam deriuari certum est, & omnes propemodum auctores hanc vnicam fluxionis originem agnoscunt. Verùm docet experientia, contumaces ophthalmias ab hepate non rarò exoriri, & humoribus ab eo in oculos confluentibus; ita vt tunc temporis cauteria occipitio admota morbum fouent, quæ alioqui fluxioni à capite oriundæ maximè conducunt: tunc enim humorum motum ad partes superiores magis promouent. Et vidimus sæpè veteres ophthalmias, nullisque cedentes remedijs, clauso fonticulo, qui diu in occipitio gestatus fuerat, breui, & sponte desisse, cessante nimirum humorum motu a partibus inferioribus ad superiores, qui à cauterio continuò fouebatur, natura humores amandante ad illud emissarium, quorum portio ad oculos tanquam partes vicinas, & à longo affectu debilitatas ferebatur.

Quæ à capite fit fluxio, vel à partibus interioribus ad oculos defertur, per venas scilicet, quæ sub cranio existunt; vel per partes externas, quod frequentius est, per venas scilicet, & arterias, quæ à pericranio per frontem, & tempora ad coniunctiuam deferuntur.

Diagnosis ophthalmiæ facillima est, quandoquidem sanguis in coniunctiuam effusus oculi obijcitur. Et si rubor sine tumore appareat, atque ab externa causa genitus fuerit παρέξις seu conturbatio dicetur. Si verò præter rubo rem, tumor, & calor cùm lachrymis adfuerint, vera erit ophthalmia. Ac tandem, si adeò ingraueſcat, vt nigrum oculi occupet, & palpebræ inuertantur, χέμωσις erit appellanda.

Signa causarum inde repetenda erunt: quod si fiat a plethora, & sanguine prorumpente dicto, non solum in adnata tunica; sed etiam in tota facie rubor apparebit: tum etiam venarum latitudo, sensuum grauitas, & totius corporis tumor erit insignis.

Si à sanguine biliofo oriatur, aderit lachrymarum acrimonia, vt non solùm oculorum anguli, sed etiam genæ ipsæ erodantur, dolor aderit pungitiuus, & intolerabilis, tumor paruus cùm rubore ad citrinitatem vergent, exercitationes immodicæ insolatus, ita, & acrium esus præcesserint, temperamentum erit biliosum ætas florens, & tempus æstiuum.

Si fiat à pituita; aderit dolor grauans, calor exiguus, non intensa rubedo, dolor paruus, lachrymæ non acutæ, sed cum multa lippitudine, & viscositate.

Si fiat à melancholia, tumor erit exiguus, rubor ad fuscum vergens, lachrymæ paucæ, pauca viscositas, sed densa, temperamentum melancholicum, & alia melancholiam indicantia.

Si ab interioribus capitis partibus fluxio oriatur, dolor capitis apparet, ijsque magis internus, & ad radices oculorum peruenit. Si verò per vasa exteriora fluxio in oculos irruat, dolor capitis externus est, frontis venæ distenduntur, & pulsatio in temporibus persentitur.

Prognosis respicit ophthalmiam imminentem, vel præsentem.

Imminens lippitudo cognoscitur ex eo, quod pruritus quidam, aut punctura in oculis cum calore percipiantur: Illiusque præsagium auget disposito oculorum ad fluxiones recipiendas. Sic qui oculos prominentes habent, huic affectui sunt magis disposti. Malo etiam huic generando maximè conducit constitutio temporum, quemadmodum docet Hipp. *Aph 11. sect. 3. Si hyems fuerit ſicca, & aquilonia ver verò pluuioſum, & auſtrale, æſtate lippitudines fieri conſueuerunt, præcipuè in mulieribus, & viris natura humidioribus.*

Alui fluxus ophthalmiæ superueniens, bonus: ex eodem Hipp. *Aph. 17. sect. 6.* quia humorum abundantia euacuatur & ad inferiora retrahitur.

Dolor oculorum valdè diuturnus, malus est. Causæ enim contumaciam arguit, & periculum est, ne suppuratio, aut exulceratio succedat.

Ophthalmia in vno oculo incipiens, ad alterum vt plurimùm transire consueuit.

Ad ophthalmiæ curationem causæ externæ primùm submouendæ sunt; tum antecedens euacuanda, reuellanda, ac reppellenda; coniuncta deriuanda ac discutienda, & pars affecta roboranda. Quibus adimplendis indicationibus trita medica instrumenta de more aptanda sunt.

Victus itaque sit refrigerans, & humectans; ex alimentis euchymis, elixis potiùs, quàm assis, forbilibus potiùs quàm solidis quia mandendo oculi exagitantur. Vitet æger acria, salsa, & piperata; tùm etiam vaporosa, quæ caput replent: tum quæ in bilem facilè conuertuntur, vt lac, saccharum, mel, & omnia dulcia. Vinum in principio non conuenit: cuius loco ptisana ex hordeo, & liquiritia, aut alia refrigerans vsurpanda est.

Somnus valdè vtilis est, quia oculus quiescit à motu, qui dolorem, & fluxionem irritat; tum somno dolor sedatur, & materia morbifica concoquitur. Æger dormiat eleuato capite, & in latus magis sanum.

Motus omnis corporis vitandus est, & quies imperanda quæ tantopere vtilis est, vt Celsus primo die à sermone quoque abstinere iubeat, ne motu illo materia ad caput attrahatur.

Aluus fluuida seruanda est, lippientem enim (ait Hip.) alui profluuio corripi bonum.

Vitentur animi pathemata, & præ cæteris ira.

Aer sit temperatus, & purus, expers fumi, pulueris, & ventorum: obscurior etiam, & tenebricosior. Lux enim fluxiones commouet spiritus agitando. Linteolum nigrum, viride, aut cæruleum oculo obducatur, habeatque æger non solùm oculum ægrum, sed etiam sanum clausum, vel tectum: quia sanus oculus, dum ad obiecta mouetur, ægrum etiam commouet, vnde doloris incrementum. Et hæc ratio est, cur vno oculo tantum inflammato maiores fiant dolores, quam vtroque affecto.

Victus ratione hoc modo instituta, Taraxis curatio primùm exponenda est. Et cùm ea à causis externis plerumque oriatur; illæ statim submouendæ sunt, ne morbum foueant, & in ophthalmiam conuertant. Mox collyrium paretur ex aqua rosarum, plantaginis, albumine oui, & lacte mulicbri, idque instilletur in oculum pluries in die, tum pannus linteus in eo madefactus applicetur. Eodem tempore æger somno indulgeat quantum poterit: plurimum enim valet somnus ad materiam morbificam concoquendam, & discutiendam. Si his non sedetur affectus, ad veræ ophthalmiæ remedia confugiendum est, quæ hac serie vsurpanda sunt.

Statim ab initio morbi vena secanda est, præmisso clystere; eaque è directo partis affectæ aperienda, sæpeque iteranda phlebetomia, donec sufficiens euacuatio, & reuul-

sio

flo facta fuerit: docet que Auicenna in vera ophthalmia sanguinem mittendum esse vsque ad lypothymiam. Gal. verò *lib. de curatione per sanguin. miss. cap.* 17. refert historiam cuiusdam œconomi, qui à grauissima ophthalmia liberatus est sanguine detracto, primum ad ℔. iij. deinde verò post quatuor horas ad ℔. j. & *c.* 16. *eiusdem libri*, testatur ophthalmias sæpè sola phlebotomia intra vnam horam fuisse curatas: quod non potuit contingere, nisi magna sanguinis copia detracta fuerit, quemadmodum eo tempore passim fieri consueuerat. Moderanda tamen est ista sanguinis missio, iuxta temperamenti, ætatis, sexus, virium, & speciei ophthalmiæ rationem. Maior enim quantitas sanguinis detrahenda est in ophthalmia, quæ fit à sanguine, & in corpore plethorico: minor verò in ophthalmia biliosa, melancholica, aut pituitosa, alijs circumstantijs magnam sanguinis detractionem dehortantibus. Si sanguis in toto corpore redundet, primum basilica vel mediana aperienda est postea verò cephalica. Si verò minori copia sanguis mittendus esse videatur, statim cephalica erit aperienda.

In ijs autem, quibus aliqua sanguinis euacuatio consueta suppressa est per menses, aut hæmorrhoidas, venæ inferiores aperiendæ sunt, hirundines hæmorrhoidibus affigendæ.

Postquam verò sufficiens sanguinis copia per venæ sectionem detracta; est vlterius mouenda reuulsio per cucurbitulas, scapulis, & dorso affixas tum siccas, tùm scarificatas.

Ad eandem reuulsionem non parum etiam conferent frictiones, & ligaturæ, in partibus inferioribus celebratæ.

Reuulsionibus prædictis deriuationes quoque adiungendæ sunt, quæ fiunt per apertionem venarum frontis, & temporum, quibus addunt nonnulli apertiones venatum, quæ sunt in angulo oculi. Alij hirundines temporibus admouent; alij pone aures. Quæ omnia deriuationum genera post sufficientes euacationes vtilissima sunt.

Gal. 13. *meth. cap.* 22. arteriotomiam laudat in arterijs temporum celebratam, quando ophthalmia fit à sanguine valdè calido, & feruenti. Et quamuis hoc remedij genus nostris temporibus ferè absoletum sit; præstantissimum tamen, atque vtilissimum est, omnis expers periculi. Sola enim ligatura impeditur sanguinis arterioſi efluxus in minoribus illis arterijs. Neque necessarium est emplastrum à Gal. propositum *loc. cit.* ex bolo armeno, thure, mastiche, & pilis leporinis cum albumine oui compositum: quod tamen ad maiorem cautelam, qui hanc arteriarum apertionem reformidant, in vsum reuocare poterunt. Quæ de hac arteriarum apertione à nobis sunt dicta, in doloris capitis curatione videre poterunt (*p* 22.....)

Vesicatoria quoque in hoc affectu vtilissima sunt, tùm posteriori parti ceruicis, tum ponè aures admota.

Sanguine sufficienter derracto, purgatio etiam celebranda est, vt biliosi humores præsertim qui sanguini feruorem & impetum conciliant, euacuentur. Eam autem maximè conuenire, docuit Hipp. *Aph.* 17. *sect.* 6. vbi ait, *Lippientem alui profluuio sorripi bonum* Gal. 13. *meth. cap.* 11. *Et ijs*, inquit *quibus oculi tentari phlegmone cœperant, nonnullos sola purgatione per aluum vno die sanatos vidimus*. Debet autem fieri purgatio ex medicamentis blandioribus ac sanguinis feruorem cohibentibus; vitiatis dagrydiatis, quæ in sequentem aut consimilem formulam reduci poterunt.

℞. Tamarindor. ʒ. ß. sennæ mund. ʒ. iij. sem. anisi ʒ ß. fòlior. endiu. cichor. fumar. an. M. mez. Coquantur ad ʒ. iv. In colatura infunde rhabar. electi, & myrobolan. citrin. oleo amygdalar. dulcium confricatarum an. dr. j. santali citrini ℈. mez. In expressione dissolue mannæ, syrupi ros. an. ʒ. j. M. Fiat potio. Vel in forma boli.

℞ Cassiæ recenter extractæ dr. vj. cathol. dupl. dr. iij. rhabarb. puluerati dr. j. Cùm saccharo fiat bolus.

In ophthalmia pituitosa pilulæ non rarò præscribuntur, nempè locis maiores, de agarico, & aliæ huiusmodi: quæ quidem, licet in statu morbi commodissimæ sint; satius tamen est in principio ab ijs abstinere, ne vehementi medicamento humores commoti magis in partem irruat.

Neque vnica purgatio sufficit; sed ea per interualla repetenda, si morbus in longitudinem abeat; præmissis præparationibus conuenientibus per apozemata, vel iulepos, humori peccanti appropriatos. In primis verò ab initio morbi humorum feruor temperandus est iulepis refrigerantibus, & incrassantibus, vel emulsionibus semin. quatuor frig. maior. lactucæ, & papauer. albi, in decocto refrigerante, addita aqua rosacea.

Præmissis vniuersalibus euacuationibus, & reuulsionibus, ad topica veniendum est, quæ quidem ab initio repellentia esse debent. Monent tamen saniores Practici ne primis statim diebus collyria repellentia oculis admoueantur quia plerumque humorem in oculos impetu irruentem in parte retinent, & dolorem atque inflammationem augent, Galenus enim *comment. Aph.* 31. *sect.* 6. Ocularium quendam reprehendit, qui hisce remedijs ab initio inflammationis vti proposuerat. Suspecta enim esse ait ab initio quod vehementes fluxiones non reprimant, sed ne excernantur, prohibeant. Vnde, si acres humores extiterint; corneam exulcerari accidit: si verò multi: distendi, & irritari vehementer, & interdum disrupi. Auicenna verò *fen.* 3. *tract.* 1. *cap.* 9. sic loquitur: *Et oportet, quantum possibile est, vt retardatur in ophthalmia collyriorum administratio vsque ad tres dies*. Et paulò post, *Oportet*, inquit, *vt in principio non adhibeantur inspissantia fortia; & quæ sine vehementer pstytica; quoniam inspissant tunicas, & prohibent resolutionem, & augent dolorem*. Non tamen tàm exactè dierum numerus præfiniendus est cum morborum tempore in quibusdam breuiora, in alijs longiora esse soleat. Vtiliter tamen adstringentia fronti, & temporibus statim à principio admoueri poterunt; illis enim venæ, per quas humores defluunt ad oculos, comprimuntur humorque influens repellitur. Horum formula talis esse poterit.

℞. Boli armenæ, sanguin. dracon. thuris, mastiches, an. ʒ j. ros. ar. rubr. balaustior & farinę lentium, ana ℈ij. Excipiantur albumine oui, & aceto rosaceo. Fiat cataplasma, fronti, & temporibus applicandum.

Ad fluxionem etiam cohibendam, plurium valere creditur cataplasma ex succo vrticæ & farina tritici, fronti & temporibus applicatum. quando quidem vrticæ succus specifica vi omnem sanguinis fluxum cohibet, & narium hæmorrhagiam ijsdem partibus admotus potenter sistit: tum ore sumptus eandem hæmorrhagiam, aliaque sanguinis profluuia efficaciter cohibet.

Interim tamen, si dolor valde vrgeat, qui fluxionem ad oculos magis, ac magis prouenire consuevit, anodyna medicamenta ipsa oculo admouenda sunt. Inter quæ lac recens, præsertim mulieris benè sanæ, primum locum obtinet, idque ex ipso vbere in oculos emulgendum, & sæpe mutandum. Citò enim acescit, sicque oculo intensum est. In eius locum suffici poterit caseus ouillus recens, qui etiam sæpè mutandus est, ne butyrescat, sicque oculum inflammet.

Oui albumen diu agitatum, & in aquam conuersum maximè commendatur à Galeno, quia dolorem lenit, & fluxionem leniter cohibet.

Pomum sub cineribus coctum dolorem oculorum etiam valdè temperat.

Mucilagines seminum psyllij cydoniorum, fœnugr. extractæ cum aqua rosar. dolorem valde leniunt. Illæ tamen biduo quoque renouandæ, quia diutiùs seruatæ acorem contrahunt.

Ex his variæ formulæ in rem præsentem concinnari poterunt. V. g.

℞. Medullæ pomi dulcis sub cineribus cocti ʒ. j mucilagin. semin. psyllij, & cydoniorum extractæ aqua rosar. ana ʒ. vj. liquoris albuminis oui recentis, & lactis mulieris ana ʒ. j. Fiat cataplasma oculo applicando. Vel

℞. Pulpæ pomi cocti ʒ. j. micæ panis albiss. ʒ. ß. ouum n. 1. Cum lacte muliebri fiat cataplasma.

Laminæ carnis recentis, hœdinæ, vitulinæ, aut veruecinæ oculis frequenter admotæ, dolorem potenter demulcent.

Simplicius cataplasma parari potest ex medulla panis, in lacte muliebri, & aqua rosarum macerata.

Si dolor vehementissimus sit, atque intolerabilis ad narcotica confugiendum est; quibus tamen parce & cum religione vtendum quia spiritus visorios condensant, humores, & tunicas incrassant, sicque visum hebetant. Inter narcotica ocularia primas tenent trochisci albi Rhasis cum opio, qui in hunc modum præscribi possunt.

℞. Aquæ ros. ʒ. vj liquoris albuminis oui fortiter agitat ʒ i. trochiscor. alb. Rhasi cum opio ʒ i. Fiat collyrium in oculos instillandum.

Sedato aliquantulum dolore, ad repellentia veniendum est, quæ tamen mitiora esse debent, & ijs anodyna quædam perpetuò admiscenda; in hunc finem collyrium sequens præscribi solet.

℞. Aquæ Plantag. rosar. (vel ad magis repellendum) peculi rosar. ana ʒ. j. ß. liquoris albuminis oui. ʒ. i. trochis. alb. Rhasis sine opio ʒ i. Fiat collyrium, in oculos frequenter instillandum.

Si dolor sit acerbior, possunt addi collyrio lac mulierbre, & mucilagines prædictæ.

Remedium sequens inflammationum potenter sedat, & fluxionem cohibet.

℞. Albumen oui vnius. Agitetur cum frusto aluminis satis magno in patina stannea, & tamdiu moueatur, donec vnguenti consistentiam adeptum sit, quod extendatur supra linteum, & oculis tepidè applicetur. Post duas, aut tres horas auferendum est remedium, ne longiori mora, & adstringendi vi satis insigni, quam ex alumine habet, humores in oculo retineat.

Aqua etiam aluminis destillata in alembico supra cineres, & oculo cum linteis madidis admota inflammationem efficaciter temperat.

Sal Saturni in aqua rosarum, vel oxycrato dissolutum, vel cum pomata permixtum oculorum inflammationes potenter extinguit.

In augmento morbi, diligentia reppellentibus miscenda sunt; atque ita collyriis prædictis addi poterunt aquæ euphrasiæ, fœniculi chelidoniæ, & mucilagines seminum lini, altheæ, fœnugræci. Gal. 13. *meth.* decoctum fœnugræci præcipuè commendat, quòd digerit concoquit, & modicè repellit. Debet autem fœnugræcum, antequam decoquatur, vel ex eo mucilago extrahatur, excuti per cribrum, vt puluis quo abundat, auferatur, post modum verò aqua frequenter ablui. Colyrii formula talis esse poterit.

℞. Mucilagin. semin. fœnugr. & cydoniorum, extractæ aqua rosarum, & euphras. ana ʒ i. ß. trochiscor. albor. Rhasis sine opio ʒ. i. tutiæ præparatæ ʒ ß. Fiat.

Quando morbus ad statum magis vergit sarcocollæ etiam collyriis additur, quæ paulò potentiùs digerit. Sed cum siccitate sua, & acrimonia quadam oculos lædere possit, prius lacte nutrienda est macerando scilicet in lacte per dies aliquot lacte frequenter mutato. Et parua illius quantitas vna vice præparanda est; diu enim asseruata acescit, & oculis infensa est. Illius vsus talis esse poterit.

℞. Florum chamomill. melil. rosar. rubr. ana P. i. semin. fœnugr. optimè mundati ʒ. i. Coquantur in aqua plantaginis. In colaturæ ʒ iv. dissolue sarcocollæ nutrita ʒ i tutiæ præparatæ, & trochiscorum albor. Rhasis sine opio, ana ʒ. ß. Fiat collyrium.

Aquæ etiam nonnullæ ab authoribus commendantur tanquam efficaciſſimæ.

Quercetanus in Pharmacopœa laudat infusionem croci metallorum in aqua euphrasiæ, & fœniculi, quę satis efficax est, & nullo morsu oculum afficit; quemadmodum reliquæ ferè omnes.

Crollius & reliqui Chymici miris laudibus efferunt sal Saturni in aqua rosarum dissolutum, cui etiam salis ammoniaci grana aliquot addunt. Huius formula talis esse poterit.

℞. Salis Saturni gr. xii. salsis armoniaci gr. iii. aquæ rosar. ʒ. ii. instillentur in oculum manè, & serò.

Ex plumbo etiam calcinato, vel lythargyrio, aut minio, in aceto infuso paratur aqua, quæ cum panno lineo oculi admota, eorum inflammationibus citissimè medetur.

In vulgari vsu habetur aqua ex vitriolo albo, in aqua rosar. aut plantag. dissoluto, quæ inflammationes temperat, discutit, fluxionem arcet. Eorum proportio talis est.

℞. Vitrioli albi ℈. i. aquę rosar. vel plantag. ʒ. iv. Vitriolum puluerarum in aqua ad ignem dissoluatur. Colentur aqua per linteum, & in oculos instillentur. Si acrimonia sua nimiùm eos vellicet, additione aquæ rosac. vel plantag. ad libitum temperabitur. Sequens minoris acrimoniæ particeps est, & magis resoluit.

℞. Radic. iteos Flor. & rosar. rubr. ana ℈. i. aquæ rosar. & plantaginis, ana ʒ. iv. Bulliant lento igne ad tertias. Colaturæ adde vitrioli albi puluerati gr. viii. Fiat collyrium.

Vnguenta etiam quamplurima ad ophthalmiæ curationem vsurpari solent, ex quibus tria sequentia cætera longè superant, & mirabiles non rarò effectus producunt. Primùm describitur à Renodæo in Pharmacopœa, titulo vnguenti ophthalmici in hunc modum.

℞. Boli armenæ aqua rosar. lotæ ʒ i. lapidis calaminaris aqua euphrasiæ abluti, tutiæ præparatę an. ʒ ii. margaritarum teuissimè lęuigatarum ʒ ß. camphorę ℈ ß. opii. gr. v. butyri q. s. Fiat vnguentum secundum artem, ad oculorum singulos, & palpebrarum horas adhibendum.

Secundum est Ioannis Cratonis, quod proponitur in consiliis Medicis à Laurentio Scholzio collectis, consilio 6. in hunc modum.

Accipiatur butyrum, si haberi potest, mense Maio factum, aut aliud recentissimum diligenter elotum, vel loco illius medulla bouina è cruribus, vel ceruina: atque huic admisceatur lapidis calaminaris in tenuissimum puluerem triti quantum excipere poterit. Fiat vnguentum.

Tertium habetur ad Penotum in denario, in hunc modum compositum.

℞. Tutię præparatæ ʒ. i. ß. camphora ʒ i. viridis eris gr. xii. Tutiam cùm camphora simul contere in mortario, ęs seorsim, omnia verò ad puluerис impalpabilis consistentiam. Tùm ℞. Butyri recentis ʒ. i. aquę rosar. ʒ i. Bulliant leuiter simul, & ab igne remotis, primùm tutiam cùm camphora, deinde æris viride sensim immisce, agitatio optimè, & in vase vitreo reconde. Fiat vnguentum, quod per fericum transcolator. Inunge interiores palpebras, præsertim circa angulos, & breuissimè sanabitur. Probatissimum est ad oculorum inflammationes tam materiales, quàm siccas, & palpebrarum pruritus, & lachrymas singulare remedium.

Aliud vnguentum habetur magnę efficaciæ in cista medica, quod tamen acrimonię valdè particeps est, idcirco palpebris tantùm admouetur. Illius descriptio talis est. Cæteris omnibus nihil conferentibus hoc remedium profuit in rebelli ophthalmia. Quod fit ex succo nicotianæ, & butyro maiali, simul coctis ad vnguenti consistentiam, quod clausis palpebris admoueatur in loco obscuro, quamprimum patiens oculos aperit, statim mordicare incipit & feliciter curat.

In statu resoluentia remedia repellentibus præualere debent. Ideò eadem remedia, quæ pro augmento descripta fuerunt, in statu etiam conuenient; si resoluentium quantitas augeatur, repellentium verò minuatur. Præcipue verò vnguenta duo posteriora non solùm in statu; sed etiam in ipsa declinatione, & vsque ad perfectam curationem vsurpari poterunt.

Fotus in primis ad discutienda materiam morbificam, in statu idonei sunt, qui in hunc modum parari possunt.

℞. Florum chamomil. meliloti, & rosar. an. P. i. semin. fœnugr. vt supra dictum est, præparati ʒ ii. Fiat decoctio, quâ foueantur oculi cùm pannis lineis tenuibus quadruplicatis. Hic fotus in fine augmenti & principio status conueniet, & calidè applicabitur hyeme; æstate verò tepidè, aut subfrigide.

In fine status, & declinatione magis resoluens fotus efficietur; si prædictis simplicibus addantur folia euphrasiæ, maioranæ, beton. & tantillum vini albi.

Præstantissimum etiam, & paucis notum ad discutiendas ophthalmias remedium paratur ex oleo, seu liquore, qui ex linteis accensis, & inter duas patinas suffocatis elicitur; cuius liquoris gutta vna cùm saliua pueri permisceatur, & pennæ apice oculis admouetur.

In declinatione non solùm remedia prædicta; sed etiam collyria magis resoluentia vsurpari poterunt, in hunc modum.

℞. Thuris, & aloes an. ß. sarcacollæ nutritæ in lacte mulierbri ʒ i. ß. croci ℈ ß. mucilagin. fœnugr. ʒ. ß. aquæ fœniculi, & euphrasiæ an. ʒ. i. ß. Fiat collyrium. Vel si magis siccandum, & simul digerendum est.

℞. Sarcocollæ nutritæ ʒ i. mez. tutiæ præpar. ʒ i. med. aloes ℈ i. myrrhæ ℈ med. mucil. semin. fœnugr. ʒ. med. aquar. verbenæ, & chelidon. an ʒ. med. Fiat collyrium.

In fluxione pituitosa, potenter resoluentia, non solùm in declinatione, sed etiam in statu, & augmento audaciùs vsurpari possunt.

Præterea in declinatione duo insignia remedia ab auctoribus proponuntur, nempè balneum, & vini vsus quæ primùm ab Hipp. tradita sunt *Aph.* 31. *sect.* 6. his verbis, *Dolores oculorum vini potio, aut balneum, aut fomentum aut venæ sectio, aut medicamentum epotum soluit.* Gal. *in* commen-

commentario huius Aph. distinguit casus, & tempora, in quibus prædicta remedia conferunt; quæ etiam à nobis exposita sunt, quoad venæ sectionem purgationem, & fomentum spectat Balneum verò docet Galenus *dicto loco, & cap. 22. lib. 13. meth.* tunc temporis conuenire, quando ophthalmia fit ab humoribus acribus, & corpus sufficienter per phlebotomiam, & purgationem euacuatum est. Quandoquidem humorum acrimoniam temperat, eorumque motum, atque fluxionem sistit, maxima eorum parte per insensilem transpiratum excreta: si quod supereſt humoris bilioſi contemperatum faciliùs vincitur à natura. Conuenit etiam balneum ex Galeno in ophthalmia pituitosa, præmissis perpetuò euacuationibus idoneis, quandoquidem humores crassi oculi impacti per balneum attenuantur, sicque facilè discutiuntur.

Vini autem meracioris potio, ex eodem Galeno *com. prædicto*, vtilis est in quibus sanguinis copia crassioris in oculorum venulis continetur sine plethorica in toto corpore dispositione, quia sanguinem illum crassiorem liquat, fundit, ac discutit, tum etiam obstructiones aperit.

Ad ruboris, & Inflammationis reliquias auferendas, fotus sequens parari poterit.

℞. Folior. euphorb. pulegij, ana M. j. flor. chamomil. melilоti rosar. rubr. & paleæ auenæ, ana P. j. semin. fœnugr. ʒ ij. semin. fœniculi ʒ j. Fiat decoctio in q. s. aquæ, addendo sub finem parum vini albi, qua foueantur oculi, cum pannis lineis, vel sacculis prædictis simplicibus semiplenis.

Aqua fœniculi sola, vino astringenti permista, vtilitet admouetur pro fotu ad reliquias discutiendas, & oculum roborandum.

Ouum ad duritiem coctum, detracta testa, & per medium sectum, calidè oculo admodum ruboris reliquias absumit.

Fotus ex decocto hyssopi solius ruboris reliquias etiam efficaciter discutit.

Ophthalmia inueterata, & quæ per multos sæpè annos perseuerat, diuersam aliquantulum, & longiorem curandi rationem postulat & illa non rarò magnum Medico curanti facessit negotium; cùm difficilime impedire possit, quo minus pars nobilissima, & delicatissima, à longo tempore debilitata, fluxionem recipiat. Adde quòd non solùm per fluxionem foueatur hic affectus; sed etiæm sæpe numero per congestionem ex intemperie in parte contracta, quæ difficillime corrigi potest.

Ad illius curationem primò aduertendum est, num à calidiori hepatis intemperie, quod non rarò fit, affectus iste foueatur; & tunc remedia calidam illam intemperiem corrigentia, primùm administranda sunt. Et primis post phlebotomiam,, & purgationes conuenientes, maximè conferunt balnea, serum lactis, & aquæ minerales vitriolatæ, tùm etiam hirudines hæmorrhoidibus affixæ.

Si verò ophthalmiæ materia à sola cerebri intemperie oriatur, cuius ratione humores pituitosi ad oculos defluant, cum aliqua sanguinis portione permisti, tunc temporis cerebri expurgationi incumbendum est per pilulas vsuales (post euacuationes vniuersales, per apozemata, aut alia huiusmodi remedia.) bis ter, aut quater, in mense vsurpatas; quæ similes esse poterunt ijs, quæ pro frigida cerebri intemperie præscriptæ sunt.

Si purgationes prędictę cum alijs remedijs infra descriptis ad curationem non sufficiant; ad purgationes mercuriales per interualla repetitas, tanquam ad sacram anchoram confugiendum est.

Tum etiam ad humoris influentis diuersionem, cauterium occipitio admotum erit vtilissimum. Cuius loco setaceum posteriori ceruici infixum multò feliciùs operabitur in ijs, qui hoc remedij genus ferre poterunt. Vesicatorium sinciputi admotum, mirificè profuit in vetula quadam lippitudine contumaci laborante, vt refert Forestus *obs. 11. lib. 11.*

Rondoletius verò cauterium futurę coronali affixum magis prodesse asserit, quàm in alijs partibus.

Masticatoria etiam ad fluxionis deriuationem proficua futura sunt, minimè verò errhina, quæ propter partium viciniam humores ad partem affectam attrahere possunt.

Si autem cerebrum matori exsiccatione indigere videatur, ad diætam sudorificam confugiendum est ex china, salsa parilla, & alijs etiam sudorificis confectam.

His accedunt topica resoluentia, & oculos roborantia, qualia sunt in primis fotus, & vnguenta pro statu, & declinatione ophthalmiæ supra proposita, quæ etiam inueteratas ophthalmias discutere plurimùm valent.

Neque omittenda est ablutio oculorum supra memorata, ex aqua fœniculi, & vino rubro, ad ruboris reliquias discutiendas, & oculos roborandos quæ singulis diebus mane iteranda est. Ad huiusmodi etiam opthalmias inueteratas aqua sequens magnæ est efficacia.

℞. Aloes opt. & tutiæ præparatæ, ana ʒ vj. sacchari albissimi ʒ j. aquæ rosar. & vini albi non acidi, an. ʒ vj. Infundantur in ampulla vitrea bene clausa ad solem per 40. dies. Huius aquæ non colatæ instillentur guttæ aliquot in oculum.

Vel ℞. vini albi ℔. iij. aquæ ros. ℔. ß. tutiæ præparat. ʒ iij. garyophyll. puluer. ʒ j. camphoræ ʒ ß. Misceantur omnia in vase vitreo bene clauso, & agitentur per duas horas, ac soli exponantur per mensem integrum ea cautione, vt singulis diebus ante solis occasum ab aere remoueantur, nec illi vnquam, nisi à sole illuminato exponantur. Huius aquę per filtrum traiectæ guttæ duæ, vel tres in oculum instillentur hora somni, vel etiam hora vna, aut altera ante exitum è lecto, vel cubiculo. Ruborum oculorum etiam inueteratum tollit; lachrymantes oculos, & fistulosos siccat; omnem superfluam humiditatem circa membranas exteriores absumit, visum acuit.

Sequens etiam præstantissima est, ℞. Tritici M. ij. salis triti M. j. Ponantur in vase cupreo, & affundatur vinum album, vt materiæ supernatet altitudine duorum digitorum transuersorum. Tegatur vas, & simul stent in vmbra per 6. aut 7. dies, donec liquor colorem viridem acquirere incipiat, mouendo pluries in die cum spatula lignea. Liquor tandem effundatur per inclinationem, & coletur, si opus fuerit, per chartam emporeticam. Eius gutta vna instilletur in oculum. Ruborem discutit, fluxionem arcet, oculos abstergit à maculis omnibusque sordibus, & visum acuit.

Solenander plurimùm laudat decoctum foliorum citoniorum, quæ primò vere integra, & illæsa colligenda sunt, & diligenter asseruanda, ne situ, puluere, alijsque inquinamentis oblædantur, & vsus tempore, eorum manipulus incoquatur, aqua purissima, eaque sæpe numerò oculi abluantur. Mirum, (inquit) oculos præseruant, ruborem discutiunt, & influentem humorem arcent.

Aliquando cum ophthalmia pertinaci sordes quamplurimæ, puris instar, in oculis colliguntur, quę vix collyrijs, alijsque remedijs curari possunt. Attamen hoc casu maximè confert gossipium optimè carptum, aut digitis discerptum, & ad prunas diligenter exsiccatum, cuius pauca quantitate instar plumaceoli oculi contegantur, fascia superinducta. Mane gossipium auferatur dictis sordibus imbutum, hocque remedio per plures noctes continuato, morbus curatur, & alijs remedijs non cesserat. Et præcipuè succedit in pueris, & infantibus, tali morbo laborantibus.

Pro huius capitis coronide, non erit abs re Zacuti Lusitani experimentum proponere, qui ophthalmiam desperatam, & omnibus remedijs per annum integrum pertinaciter obsistentem vnguento mercuriali curauit. Quamuis enim nulla luis venereæ apparerent indicia Mercurialis admonitione persuasus, qui *lib de Morbo Gallico. Cum videritis*, inquit *morbum quempiam communibus remedijs non curari, putato esse morbum Gallicum cognominatum*, ę rotantem interrogauit, num esset passus aliquando uem veneream, aut cum fœda, obscœnaque fœmina concubuisset; omnia negauit, vnum solum confessus, se per noctem in lecto, huius contagioſi morbi suspicione non carente, decubuisse, Hac sola fretus coniectura, diætam sudorificam ex decocto salsæ parillæ per viginti dies præscripsit, attamen citra fructum: quamobrem, licet in superis partibus premeret affectio, vt timor esset, ne vacuato humore per os mercurij vi, fluxio rueret in oculos, & ingraueſceret ampliùs affectus; tamen cum esset diuturnus, & confluentis humoris impetus sedatus, vnguentum mercuriale corpore exquisitè purgato præscripsit, eoque admoto septem dierum curriculo post copiosam sputi vacuationem, dolores cessarunt, euanuit inflammatio, mitigatus pruritus, qui antea percipiebatur in palpebris cum acrimonia multa: & sic relicto solo in brachio sinistro fonticulo, vt spiraret cerebrum, & seruato victu, pristinam recuperauit sanitatem.

Idem Zacurus Lusitanus in praxi ad historias; ad ophthalmiam inueteratam, & admodum contumacem, valdè

commendat aquam, & vnguentum, quæ à nobis descripta sunt cap. de suffusione.

CAPVT IX.

De Hypopyo seu pure subcornea.

OCulorum inflammationes, quando insignes sunt, & in magnum tumorem eleuatæ, aliquando per resolutionem terminari nequeunt; sed in suppurationem abeunt, quod maximè metuendũ est, & omni ratione auertendum. Inde enim vlcera succedunt, & aliquando pus sub cornea colligitur, qui affectus ὑπόπυον dicitur. Contusionibus etiam oculorum non rarò succedit, & sugillationibus inde ortis. Interdum totam pupillam contegit, & visionem impedit. Interdum verò iridis circuitum amplectitur, & vnguis resecti figuram refert, eaque ratione ὄνυξ, seu vnguis nominatur.

Cognoscitur hic affectus non solùm ex colore albicante, puris naturam referente, sed etiam ex præcedente inflammatione, aut sugillatione. Commoto etiam oculo, pus sub cornea commoueri videtur: adest color rubeus in oculo, & dolor pulsans, aut saltem præcessit.

Ad curationem, præmissis vniuersalibus remedijs, si inflammationis reliquiæ supersint; auferendæ sunt remedijs in ophthalmia descriptis. Postmodum leuitet discutientia admouenda sunt emollientibus permista, ne tenuiori parte resoluta, crassior materia fiat: & resolutioni minime idonea. Fiant igitur fomenta ex decocto florum chamomil. melilloti, fæmin. pſylij, & fœnugr. cum pannis lineis, vel sacculis applicanda. In progressu verò addi poterunt decocto folia euphras. chelidon. & semin. fœniculi; vel sequens collyrium vsurpari poterit.

℞. Aquar. verbenæ, rutæ, chelidon. rosar. & fœniculi, ana ʒ ß. aloes opt. tuthiæ præparatæ, an. ʒ ß. sacchari candi ʒ j. Pulueriſentur, & misceantur, addendo lactis muliebris tantillum, & fiat collyrium; de quo bis, terue in die guttæ aliquo oculis instillentur.

Sequens erit valdè efficax.

℞. Croci, aloes, myrrhæ, ana ʒ j. vini ʒ iij. mellis ʒ vj. Dissoluatur crocus in vino. Deinde cum aloe, & myrrha misceantur. Tandem mel addatur. Hoc remedio oculi illinantur.

Denique ea remedia quæ in declinatione ophthalmiæ, in oculorum maculis, & suffusione præscripta sunt, hic etiam conueniunt.

Si resoluentibus medicamentis materia discuti nequeat, ad alia remedia confugiendum est Gal. 14. *meth.* refert, Ocularium quemdam sui temporis Medicum, cui Iustus nomen erat, concussione capitis multos hypopyos sanauisse. Collocans enim eos in sella rectos, ac capita eorum vtrinque à lateribus apprehendes, mox quatiebat, adeò vt manifestè descendere pus ipsi videretur.

Si neque hac ratione pus visum impediens dimoueri valeat, Galenus *loc. cit.* ad chirurgiam confugit (quem sequitur Aetius, & alij quamplurimi,) quæ oculi punctione perficitur, qualis in suffusione fieri consueuit, quæ quidem operatio vt parum nostri temporibus vsitata est; sic peritissimi Chirurgi manum desiderat, & verendum maximè est, ne aperta cornea, cum pure humor aqueus effluat.

CAPVT X.

De Phlyctænis.

IN cornea, & adnata tunica, quemadmodum in reliquis corporis partibus, generari solent vesicæ paruæ, aqua repletæ, bullis seu vesiculis similes, quæ à combustione aquæ feruentis excitantur, φλυκτάιναι Græcis, Arabibus *Bothor* nominantur: suntque tumores quidam parui instar granorum milij, ab acri quodam, aut seroso humore oriundi.

Harum pustularum cognitio facillima est, cùm sensibus pateant. Quæ in adnata oriuntur, rubrum colorem referunt, quæ autem in cornea, subnigrum, si in illius superficie consistant: album verò, si in parte corneæ profundiore sitæ sint.

Quod ad prognosin spectat, phlyctænæ in adnata minus periculosæ sunt, quàm in cornea. Superficiariæ pustulæ, minus periculosæ; profundiores verò, magis. Metuendum enim est ne tota corneæ densitas erodatur, & vel humor aqueus effluat, vel vueæ procidentia contingat.

Curatio in materiæ coniunctæ resolutione tota versator, & causæ antecedentis auersione. Et omni modo pustularum suppuratio prohibenda est, quæ in vlcus degenerat.

Uniuersales igitur euacuationes, reuulsiones, ac deriuationes quæ in ophthalmiæ curatione propositæ fuerunt, hic etiam celebrandæ sunt.

Postmodum topica administranda, quæ leuiter repellant in principio, tùm etiam discutiant; qualia in ophthalmiæ augmento proposita sunt, quæ magis conueniens, quando inflammatio pustulas comitatur, quod plerumque fieri consueuit.

In progressu verò, magis exsiccantia, & resoluentia erunt vsurpanda, qualia in statu, & declinatione ophtalmiæ descripta sunt: ac præsertim vnguenta ibidem proposita, quæ pustulis illis discutiendis, & exsicandis aptissima sunt.

CAPUT XI.

De Corneæ, & adnatæ vlceribus.

OPhthalmiæ succedere solent vlcera in cornea tunica, & adnata, quando in suppurationem versa est. Succedunt etiam phlyctænis seu pustulis in cornea oriundis, ijsque disruptis. Fierit etiam solent ab humoribus acribus & erodentibus in oculos confluentibus.

Variæ eorum differentiæ ab auctoribus proponuntur, ex varijs circumstantijs desumptæ: prout scilicet vel superficialia sunt, vel profunda, lata, vel angusta, varias figuras habentia, & alia huiusmodi. Sic vlcus cauum, angustum, & durum βαθρον, idest fossula nominatur. Latum & minùs profundum κοίλωμα dicitur. Quod in iridis circulo situm est, ἄργεμον appellatur. & à nonnullis *vlcus coronale*. Quod denique profundum, solidus, asperum, & quasi crustosum est, ἐπίκαυμα, & ἔγκαυμα, vocatur.

Cognitio vlcerum non est difficilis, cùm per se oculis pateant. Si vlcus sit in cornea, vlcusculum album apparet in nigro oculi: si in tunica adnata, punctum veluti rubicundum in albo oculi conspicitur ob illius tunicæ venas, sanguine refertas.

Vlcera oculorum curatu difficilia, & periculosa sunt: multò magis tamen in cornea, quàm in adnata. Vlcus, quod è regione pupillæ situm est, magis periculosum, quia in eo sanato relinquitur cicatrix, quæ corneæ diaphaneitatem aufert, sicque visionem lædit. Quod si tota tunica erodatur, fit efluxus humoris aquei, & vueæ procidentia.

Curatio huius affectus, quemadmodum, & reliquorum vlcerum, detergentibus, & exsiccantibus perficitur, quæ tamen mitissima esse debent propter partis emollitiem, & exquisitum sensum. Præmittenda tamen ea, quæ fluxionem ab oculis reuellunt, eamque reprimunt: qualia in ophthalmia, tum recenti, tum antiqua fuere proposita. Et si inflammatio vlcere coniuncta sit, remedia illam respicientia prædictis erunt permiscenda. Quibus etiam dolorem lenientia addere conueniet, quoties ille partem infestauerit.

Detergentia, & exsiccantia moderata sunt, saccharum, mel, crocus myrrha, thus, aloë, sarcocolla, tuthia, & ceruſa, ex quibus formulæ sequentes componi poterunt.

℞. Decocti hordei, & fœnugr. ʒ iv. mellis optimi ʒ ß. vel syrupi de rosis sicc. ʒ j. Fiat collyrium, quo oculi sæpè abluantur. Uel

℞. Aquar. verbenæ, & plantag. ana ʒ ij. sacchari candi ʒ ß. Misce pro collyrio. Vel.

℞. Aquæ mellis in B. M. destillatæ & aquæ rosar. ana partes æquales. Vel

℞. Ouum coctione induratum, & à putamine mundatum. Diuidatur in duas partes, & detracto vitello repleatur fouea saccharo cando puluerato. Optimè ligetur, & ponatur in cella vinaria. Extillabit liquor, qui detergendis vlceribus sine morsu valdè idoneus est. Et si potentius remedium desideres, myrrha puluerata saccharo cando admiscenda est.

Montanus puluerem sequentem valdè commendat.

℞. Albumna ouorum recentium num. xx. Ponantur in vase stanneo ad solem, donec exsiccentur, postea puluerentur

rentur subtilissime cum æquali pondere sacchari, & puluis immittatur in oculos, qui sine erosione plurimum adiuuat.

In progressu morbi, si potentiùs detergendum sit, & exsiccandum, adde collyrijs prædictis trochiscos albos Rhasis, thus, aloen, myrrham, sarcocollam, & alia huiusmodi, in parua tamen dosi, ne oculos exasperent, quibus etiam lac, albumen oui, mucilagines, aliaque anodyna addi poterunt.

Tuthia præ cæteris valet, quia minimè dolorifica est, & sine morsu siccat, ac cicatricem inducit, ideò collyria, & vnguenta ex ea parata, vtilissima sunt. Et præ cæteris vnguentum in ophthalmiæ curatione descriptum, quod magnam tuthiæ quantitatem recipit, erit vtilissimum.

Collyrij valde detergentis, & exsiccantis, ac cicatricem inducentis formula talis esse poterit.

℞. Sarcocollæ nutritæ in aqua rosar. cerussæ, & aloes lotæ, myrrhæ, tuthiæ præparatæ an ʒ. ß. sacchari candi ʒ. j. cum mucilagine gummi tragachanti extracta in aqua rosar. Fiat collyrium, quo palpebræ illinantur.

CAPVT XII.

De corneæ cancro.

VT singulis corporis partibus cancer solet accidere, sic etiam oculis aliquando contingit. Et cum, quæ communem cancri theoriam, & praxin respiciunt, è morborum externorum tractatibus desumenda sint; nos hic tantum ea, quæ ad oculum peculiariter tali morbo affectum pertinent paucis attingemus.

Cancer, vel occultus est, vel vlceratus. Occultus ad humorum genera refertur, & in oculo tumor cancrosus, seu cancer oculi nominatur. Vlceratus verò, vlcus cancrosum oculi dicitur.

In vtroque tamen adest duricies inæqualis, & renitentia, color plumbeus, & liuescens, dolor intensus, & pungitiuus, caput, & tempora præsertim occupans: venæ liuidæ, & varicosæ in tumore, & partibus vicinis apparent. Sanguis acerrimus, & adustus à parte affecta non ratò effluit, quando cancer vlceratus est. Ac denique à medicamentis tantillum calefacientibus dolor admodum exasperatur.

Incurabilis est affectus in oculo, quemadmodum in reliquis corporis partibus; quando iam radices egit, nisi operatione chirurgica radicitùs extirpetur.

Curatio duplex ab auctoribus proponitur, vera scilicet, & palliatiua. Vera vt dictum est, in cancro iam genito, & parti valdè radicato non potest obtineri, nisi chirurgia. Recens tamen cancer, ac ferè incipiens, curari potest frequentibus euacuationibus humoris atrabilarij, præmissa venæ sectione conuenienti, vt docet. Gal. 2. ad *Glaucon.* c. 10. vbi gloriatur se hunc morbum per initia sæpè sanasse, adiungendo remedijs prædictis optimam victus rationem.

Curatio palliatiua, quæ ad symptomatum mitigationem dirigitur, non solùm per dictas euacuationes, sed etiam topica conuenientia perficitur.

Primùm igitur victus ratio refrigerans, & humectans, qualis humori atrabilario debetur instituenda est.

Postea sanguis detrahatur è directo oculi affecti, hirudines ponè aurem eiusdem lateris applicentur: tum etiam hæmorrhoidibus, si aliquantulum tumeant. Cucurbitulæ scapulis admoueantur, & reliqua reuulsionum genera celebrentur.

Purgationes, & præparationes humoris atrabilarij fient per potiones, apozemata, iuscula medicata, syrupos magistrales, & alia huiusmodi. Sed præ cæteris multum confert, ad humorem atrabilarium euacuandum, helleborus niger ritè præparatus, eiusque extracto bis, aut ter exhibito, cancer incipiens aliquando à nobis sanatus est.

Hæc remedia humoris affluxum ad oculos, dolores, & reliqua symptomata vehementia valdè imminuunt. Ad id tamen non parum etiam conferunt topica remedia, qualia sunt in ophthalmia, ad dolorem leniendum descripta: Præcipuè autem collyria cum mucilaginibus, trochiscis albis Rhasis, & tuthia præparata, cum aqua rosar. solam, & plantaginis.

Aqua sequens pro collyrio, & oculi ablutione erit præstantissima.

℞. Rad. scrophulariæ mai. & geranij Robertiani, an. M. ij. arnoglossæ, solani, borragin. buglos. portul. euphras. bet. ana M. j. ranarum viridium, & albuminum ouorum an. num. xij. sem. fœnugr. & cydonior. ana ʒ j. radices, & semina contundantur, & folia incidantur. Denique effunde aquæ rosar. & euphras. an. ℔. j. Misceantur omnia, & destillentur in alembico plumbeo.

Pullorum caro ad doloris sedationem plurimum potest, & morbum ipsum aliquando hoc solo remedio curatum fuisse, à nonnullis creditur. Sic Mauritius Cordeus, *comment. 7. in. lib. 1. Hipp. de mobis mulierum*, refert historiam nobilis cuiusdam fœminæ, cui tota pars dextra faciei cancro, eoque vlcerosо obsessa fuit diutissimè, quæ cum varijs auxilijs, à Medicis Italis, Gallis, Germanis Hispanis, petitis vsa esset, tandem vulgari hoc barbitonsoris remedio sanata est. Pullos gallinaceos in partes tenues, & latas concidebat, quas sæpiusculè commutando interdiu admouebat parti affectæ. Alij admouent carnes pullorum columbinorum sectas, & adhuc tepidas.

Denique curatio vera cancri confirmati sola extirpatione obtineri potest, quæ fit omnimoda oculi extractione: quam tutò, & salutariter fieri posse, docet Fabricius Hildanus, & extractionis modum, omnesque illius circumstantias fusissimè describit *obs. 1. cen. 1.* vt eas hic frustra repetere non opus sit.

CAPVT XIII.

De ruptura corneæ.

COrnea tunica tantam aliquando patitur continui solutionem, vt humor aqueus interdum tunica vuea egrediatur, & illa solutio ruptura corneæ ab auctoribus nominatur.

Huius causa est vlcus, aut vulnus illius membranæ, aut magnus humorum affluxus, à quo dicta membrana ista distenditur, vt media crepet, & contenti humores effundantur; vt muliere quadam Parisienſi contigisse refert Paræus *lib. 16. cap 13.*

Incurabilis est plerumque hæc affectio, & visus priuationem relinquit, quandoquidem humores oculi effusi regenerari nequeunt. Si tamen vulnus sit exiguum, ex quo portio tantùm humoris aquei effluat; curationem suscipere potest quandoquidem aqueus humor interdum regenerari potest, vt docuit Gal. 4. *de sympt. caus. cap. 2.*

Curatio huius affectus glutinantibus remedijs tentanda est. Et præmissis vniuersalibus euacuationibus, venæ sectione scilicet, & purgatione si eæ necessariæ sint, adstringentia, & glutinantia oculo admoueantur, & in oculum instilletur albumen oui, cui trochisci albi Rhasis admisceantur.

Eadem pars foueatur decocto rosar. rubr. fol. polygoni, rubi, bursæ pastoris, & plantag. in vino adstringente parato, si non adsit inflammatio, alioqui in simplici. Vel.

℞. Carnis cydonior. ℔ ß. rosar. rubr. P. iij. acaciæ ʒ. ij. croci ϑ j. decoquantur in vino adstringente, & fiat cataplasma parti applicandum.

Ad integram consolidationem sequens collyrium adhibeatur.

℞. Aloes lotæ, tuthiæ præparatæ, & sarcocollæ nutritæ in lacte muliebri, ana ϑ ß. croci gr. v. cum mucilagine gummi tragacanthi, fiat collyrium.

CAPVT XIV.

De Vueæ Procidentia.

VUeæ procidentia corneæ, rupture non ratò succedere consueuit, quæ Græcis πρόπτωσις μηλοειδὴς nominatur. Quatuor illius differentiæ ab auctoribus, & præsertim Paulo, proponuntur: quarum prima μυοκέφαλον dicitur, quod formam capitis musceæ habeat; & contingit, quando exigua portio vueæ egreditur. Secunda σταφύλωμα dicitur: & fit, quando maior portio vueæ excidit, vt acini vueæ figuram repræsentet. Tertia vero μῆλον nominatur quando maxima est vueæ eruptio. vt ad pomi magnitudinem accedat. Quarta denique ἦλος id est, clauus dicitur, quando vueæ procidentia inueterata est, & callosa reddita.

Curatio huius effectus difficillima est, & eò difficilior, quo maior est vueæ procidentia. Si verò minor sit, vt in myocephalo, curationem admittit, quæ adstringentibus mode-

moderatis perficitur, qualia in corneæ ruptura supra fuerit proposita.

Antiqui, vt Paulus, Aetius & Celsus, procidentias inueteratas, quæ medicamentis non cedunt, chirurgia perficere tentant. Hæc tamen nostris temporibus obsoleta est, propter summam illius difficultatem, & ancipitem euentum. Si quis tamen eam tentare cupierit, exactè descriptam inueniet apud Hieron. Fabric. ab Aquapend. *cap. de staphylomate.*

CAPVT XV.

De Ægylope, & fistula lachrymali.

HActenus affectus oculorum qui in humoribus, & tunicis eorum contingunt, expositi sunt, superest iam, vt angulorum, & palpebrarum morbi explicentur.

Ac primum sese offert tumor, inter maiorem angulum & nasi radicem apparens, qui ægylops, & anchylops nominatur. Anchylops quidem, si nondum sit ruptus; ægylops verò, postquam ruptus est.

Tumor iste, seu potius tuberculum, duplici modo se habet: cum inflammatione scilicet, vel sine ea.

Quando inflammationem habet comitem, est veluti phlegmone parua furunculo similis, rubore in ambitu perfusus, cum dolore lancinante. Fitque à sanguine tenui, & bilioso, per temporum, frontis, faciei que venas in partem delato. Vnde in abscessum plerumque degenerat: qui apertus, vlcus producit, quod sinuosum breui efficitur; vnde fistula lachrymalis nominari consueuit.

Si autem fistula per annum perseueret; cariem in osse producere consueuit, iuxta Aph. Hipp. 45. *sect. 6. In vlceribus annuis os abscedere necesse est.* Et insuper caries iam facta dignoscitur ex cauitate, quæ digito comprehenditur, sanies ex vlcere manentis fœtore, & asperitate, specillo demonstrata.

Sine inflammatione etiam dictum turbeculum sese prodit, tuncque generatur ab humore crasso & viscido, pulti, aut melli per simili, & ad tumores illos accedit, qui atheromata, steatomata, & melicerides nominantur, quique doloris expertes esse consueuerunt.

Curatio ægylopis valdè difficilis est, tum quod medicamenta difficile admoueri possint propter oculi viciniam; tum quod ob partium mollitiem abscessus in vlcus sinuosum facilè degeneret, vt ante dictum est. At multò adhuc difficiliùs curatur, si abscessus ad nares rumpatur, & pus per illas effluat, quia subiectorum ossium corruptio vt plurimùm consequitur.

Aliquando verò ægylops ad cancri naturam accedit, quod dignoscitur ex dolore pungitiuo, venarum tensione, cutis duritie, atque liuiditate; tuncque satius est omninò non attingere, quia remedijs magis efferatur, doloresque acerbiores excitat.

Fistula lachrymalis recenter genita, & quæ orificium habet extrinsecum, ac manifestum, medicamentis curabilis est: quæ verò profunda, & inueterata, ac cum ossis carie coniuncta, vix sine cauterio auferri potest.

Uaria horum affectuum tempora variam remediorum administrationem desiderant. Ac primum ægylope incipiente, fluxio, quæ ad partem fit, reuellanda est phlebotomia, & purgatione: simulque repellentia fronti admouenda, quibus aliquando morbi progressus prohibetur, & suppuratio impeditur. In hunc finem ceratum sequens concinnari poterit.

℞. Cortic. malor. granator. acaciæ, balaustior. gallar. nuc. cupressi, aluminis rochæ boli armenæ, ana ʒ. j. ceræ albæ ʒ. iv. terebinthinæ ʒ. iij. Fiat ceratum.

Post vsum repercutientis remedij per aliquod tempus resoluentia parti affectæ admouenda sunt: quale est hoc decoctum.

℞. Mellis puri, aloes, ana ʒ. ij. myrrhæ ʒ. j. croci ʒ. j. ß. aquæ ℔. ij. Coquantur lento igne ad mediæ partis consumptionem. Hoc decocto imbuatur frustulum spongiæ mollioris, & mediocriter exprimatur, ac parti applicetur calidè. Postea fascia deligando, & sæpè iterando.

Amatus Lusitanus ceratum contra ægylopas describit *curatione 68. cent. 5.* & multis laudibus effert, quod ita se habet.

℞. Puluer. testar. cochlearum ʒ. ij. myrrhæ, aloes lotæ, thuris, ana ʒ. ß. sarcocollæ, sanguin. dracon. ceruſſæ, an. ʒ. iij. opopanacis aceto soluti, & lapidis hæmatitis, ana ʒ. j. ß. croci ʒ. ij. ceræ, & resinæ, ana ʒ. iij. M. simul ad ignem secundum artem, & fiat ceratum, angulo oculi applicandum.

Si prædictis remedijs tumor resolui nequeat, sed ad suppurationem tendat; illa iuuanda est emplastro diachylo simplici: aut si dolor, & inflammatio vrgeant, cataplasma de mica panis vtiliter admouebitur. Si sponte absceſſus non rumpitur, ferro aperiendus est, idque quam primum; si enim apertio differatur, pus partes vicinas erodit, & fistulam incurabilem sæpè producit. Multi cauterio aperiunt; sed ferrum non ignitum tutius est.

Aperto absceſſu vlcus detergendum est, & ad cicatricem ducendum, more aliorum absceſſum. Si verò vlcus pertinacius euadat, & in fistulam abeat; curatio sequens illi adhibenda est.

Ac primùm vacuatio vniuersalis per phlebotomiam, & purgationem repetenda est. Fluxio à capite auertenda per cucurbitulas, vesicatoria, & cauſtica idoneis locis appoſita, quibus succedere poterit decoctum chinæ, vel salsæ parillæ, per plures dies exhibitum. Eodemque tempore cerebrum exsiccandum suffumigis, pulueribus cephalicis, & alijs in catarrhi curatione propoſitis.

Cauterij loco setaceum ceruici vtiliter admouebitur; eo enim solo curatam fuisse fistulam lachrymalem refert Fabr. Hildanus. *obſ. 41. cent. 1.*

Si iecoris intemperies fluxionis causa antecedens (vt sæpè fit) esse videatur, illi peculiariter est prouidendum remedijs idoneis.

Ad topica veniendo, vlceris orificium aperiendum, & dilatandum est lentè, & paulatim, cum penicillo ex medulla sambuci, spongia præparata, vel radice gentianæ confecto. Eoque satis aperto, sequens medicamentum a Foresto commendatum, *obſer. 17. (15.) lib. 11.* apponatur.

℞. Mellis communis ʒ. ij. viridis æris ʒ. j. aquæ rutæ ʒ. iv. Æs viride puluerisetur, & cum alijs lento igne decoquatur ad tertiæ partis consumptionem; & collatura per syringam tepidè, ac suauiter imponatur. Si acrius medicamentum videatur; aqua ruta vlcus abluatur quotidie, & post lotionem exiguum vnguenti apostolorum admoueatur. Hæc remedia per vices ad tres septimanas continuanda, superponendo emplastrum conueniens, & oculum aqua rosacea defendendo.

Vlcere satis repurgato, ad incarnandum, & cicatrizandum, sequens collyrium vsurpabitur.

℞. Thur. sarcocoll. aloes, sanguin. dracon. balaustior. alumin. antimonij, an. ʒ. j. viridis æris gr. v. Subtiliter puluerisentur, cum aqua rutæ fiat collyrium, satis liquidum instillandum leuiter cum stipite rutæ, ter in die, & turunda in eo madefacta immittatur, superimposito emplastro diapalmæ. Turunda paulatim minuatur, & circa finem omninò auferatur, abluendo tantùm partem collyrio prædicto, & diapalma imponendo. Hac methodo fistulas recentes curatas fuisse, refert Forestus *loc. cit.* ab insigni quodam sui temporis chirurgo.

Si os carie affectum manifestè appareat, solo cauterio actuali curari potest, cuius adhibendi modus exactè describitur à Paræo, Fallopio, & Aquapendente *in operibus chirurgicis*: Fabric. tamen Hildanus *obseruat. 22. centur. 5.* se fistulam lachrymalem cum ossis carie, à quatuor annis infestantem, & pro deplorata habitam, in puero tredecim annorum, solis medicamentis feliciter curasse gloriatur, eam dilatando cum spongijs præparatis vsque ad ipsum os, postea euphorbium per se fistulæ inspergendo, & quidem in copia, deinde emplastrum ex solo gummi elemi applicando. His ea, quæ fieri potuit diligentia, per septimanas aliquot adhibitis remedijs, squamula ossis se obtuli, quæ exacta est, & postquam per paucos dies semiguttulam balsami lotuani, semel in die cum filamentis vlceri imposuisset; fistula breui plenissimè consolidata est.

CA-

CAPVT XVI.

De Rhyade, & Encanthide.

FIstulis lachrymalibus vt plurimum succedit alius affectus, qui Rhyas nominatur, & est caruncula anguli maioris absumptio, vel imminutio, à qua & angulus latior euadit. Fit tamen ab alijs causis, nempe ab humoribus acribus, & erodentibus in eam partem decumbentibus: vel à medicamentis cathæreticis, pro fistulæ curatione adhibitis.

Ryadi opponitur Encanthis, quæ est ipsius caruncula immodica excretio, & eminentia, eaque generatur à sanguine redundante ad partem translato, & vlcere eiusdem partis non satis maturè exsiccato.

Rhyadis curatio sarcoticis, & consolidantibus medicamentis perficitur, qualia sunt, quæ sequuntur.

℞. Rosar. rubr. P. j. nucum cupres. & myrtillor. ana ʒ ij. aloes; ʒ j. ß. vini austeri ℔. i. Coquantur ad quartæ partis consumptionem. Hoc decocto abluatur pars frequenter. Vel

℞. Aloes, thuris, ana ʒ j sanguin. dracon. ʒ ß. rosar. rubr. & granor. sumach. ana ℈ j. aquæ rosar. ℔. j. Bulliant ad quartæ partis consumptionem. Fiat instar collyrij.

Encanthis curatur ablatione carnis superfluæ, oculi angulo adnatæ, quod perficitur exedentibus medicamentis, à mitioribus ad potentiora pregrediendo. Igitur alumen vstum prius admouendum est; quod si non sufficiat ad vnguentum Apostolorum, vel ægyptiacum, vel vitriolum vstum progrediendum. Quòd sine hæc quidem sufficiant; ferro abscindenda est caruncula, vel cauterio actuali absumenda.

Antequam autem hæc fiant, corpus prius præparandum est euacuationibus conuenientibus, ne noua fluxio ad partem attrahatur.

In excisione autem, & cauterij administratione, vel etiam in absumptione caruncula, quæ medicamentis fit, hoc diligenter obseruandum, ne tota caruncula absumatur, sed illud tantùm, quod superfluum est, auferatur; alioquin in contrarium affectum, rhyadem puta, deducetur.

CAPVT XVII.

De Epiphora.

EPiphora nomen humoris fluxum generatim significat, in quamcunque partem irruat. Vsus tamen obtinuit, vt pro tenuis humoris per oculos effluxu speciatim accipiatur, vnde lachrymæ inuoluntariæ etiam nominatur, quæ per oculum angulos assiduè defluere consueuerunt.

Ad harum autem lachrymarum præternaturaliter effluentium generationem, concurrunt prauæ partis mandantis, & recipientis dispositiones. Pars mandans est cerebrum, quod frigidiori, aut calidiori intemperie præditum, serosos humores congerit, eosque ad partes inferiores & fluxioni recipiendæ idoneas transmittit. Pars recipiens est glandula, iuxta oculi angulum maiorem constituta, & caruncula eidem angulo superposita: quarum partium raritas, aut densitas, aut alia quæuis imbecillitas efficit, vt humorum influentium decubitum facilè recipiant. Ideò sæpè solet contingere epiphora in ægylope fistula lachrymali, rhyade, & encanthide, quod nimirum humores superflui ad partes laborantes facilè transmitti soleant.

Fertur huiusmodi humor à cerebro in oculorum angulos, interdum per venas internas, & interdum per externas, vt proprijs signis paulò inferiùs distinguemus.

Ille autem humor, epiphoram efficiens, aliquando frigidus est, & nullum aliud incommodum ægrotanti adfert præter fluxionis molestiam: aliquando verò acrimoniæ, & salsedinis particeps, dolorem, ardorem ruborem, tùm etiam exulcerationem palpebris afferre solet.

Signa præsentium lachrymarum nulla sunt, cum ipsa satis per se pateant. Apparet etiam ex prædictis, num lachrymæ frigiditatis, an caliditatis, & acrimoniæ sint participes. Superest tantum distinguere, an per interna vasa, an per externa efferantur. Cum per internas venas humores defluunt, dolores in intimo capitis persentiuntur, & acres sternutationes nonnunquam excitantur. Si verò per venas externas, quæ extra caluariam positæ sunt, humores defluant; vasa in fronte, & temporibus distenta apparent, & caput veluti reuinctum sentitur, & ab adstringentibus remedijs exteriùs applicatis ægri iuuantur.

Quod ad prognosin spectat, recentes epiphoræ, & à causis externis præcipuè oriundæ facilè curantur, maximè verò iuuenili ætate. Antiquæ insenibus difficillimè curationem recipiunt. Quæ verò ex aliis morbis procedunt, vt ægylope, fistula lachrymali, & similibus, ab illorum affectum curationibus omninò dependent.

Curatio huius affectus in fluxionis ablatione, & partis recipientis roboratione consistit.

Fluxio auferenda est humoris peccantis euacuatione, reuulsione, deriuatione, & partis mandantis roboratione.

Humor peccans, seu seorsus humor in cerebro redundans euacuabitur venæ sectione, & purgatione.

Venæ sectio in frigida cerebri intemperie non conuenit, nisi manifesta plethoræ signa adfuerint. In calida verò intemperie, quando humores acrimonia præditi sunt, maximè conuenit, eaque bis, aut ter, si opus videatur, iterari poterit.

Purgatio fieri potest per potiones, apozemata, pilulas, & alia huiusmodi, quæ ægrotantis naturæ aptari poterunt.

Reuulsio humoris affluentis fiet per cucurbitulas, scapulis frequenter admotas: vesicatoria, posteriori parti ceruicis apposita, & cauteria occipiti, aut brachijs inusta.

In contumaci affectu vesicatorium sincipiti admotum mirificè prodest, vt narrat Forestus *obserua.* 11. *libro* 11. de vetula quadam, quæ cum oculos haberet lippientes, lachrymantes, & sanioſos cum intenso dolore & prurigine, & nullis remedijs curari posset; admoto capiti raso emplastro ex puluere cantharidum, fermento, & melle, pertectè curata est.

Rondeletius verò cauterium, supra commissuram admotum magis conferre asserit, quàm si alijs partibus applicetur.

Ad reuulsionem conferunt hirudines ponè aures admotæ & masticatoria horis matutinis vsurpata.

Ne verò humores semel euacuati de nouo generentur, cerebrum roborandum, atque exsiccandum est. Et quidem, si frigida fuerit illius intemperies, omnia remedia quæ pro intemperiei frigidæ cerebri curatione à nobis proposita sunt, vsurpari poterunt. In calidiori verò ea, quæ in calidâ catarrhi curatione præscripta sunt, præcipuè cerebrum respicientia, hic etiam conuenient.

Dum prædicta remedia vsurpantur; parti recipienti prouidendum est topicis remediis. Ac primum si humor fluat per venas externas, adstringentia fronti, & temporibus admouenda sunt, & si fluxio fiat ab humore calido, & acri, sequens cataplasma admouendum est.

℞. Boli armen. sanguin. dracon. balaustior. & myrtillor. ana ʒ j ß. acaciæ & hypocistidos ana ʒ j. thur. mastich. anæ ℈. ij. rosar. rubr. P. j. Puluerentur, & excitentur albumine oui, & paucò aceto. Fiat cataplasma, quod lintea inductum, dictis partibus applicetur, & quoties exsiccatum fuerit, renouetur.

Si fiat ab humore frigido, ceratum sequens admoueatur.

℞. Thur. mastich. ana ʒ j. ß gummi anime, tacamahacæ, & lapidis hæmatitis ana ʒ j gummi iuni per. ℈. ij. terebinthinæ, & ceræ q. s. Fiat ceratum.

Ipsi verò parti affectæ collyria adstringentia, & exsiccantia admouenda sunt, in sequentem modum composita.

℞. Tuthiæ præparatæ ʒ ij. sarcocollæ nutritæ ʒ. ß thur. mastich. ana ℈. ß. spicæ nardi gr. vj. Fiant trochisci, qui oui albumine, vel succo cydonium excepti, cantho, oculi applicentur.

Vel tuthia præparata linteo raro excipiatur & filo alligetur, in vino austerio immergatur, eoque oculus sæpè abluatur. Vel

℞. Tuthiæ præparatæ, cortic. ouorum puluerisator. aloes optimæ ana ʒ j. Inuoluantur in panno lineo & fiat pila, quæ infundatur in aqua fœniculi suspensa cum filo, postea sæpè in die exprimatur pila in oculos.

Sola aloe puluerata, & in pilam, vt dictum est concinnata, & in aqua rosar. posita, non parum conducibilis est. Vel

℞. Aloes,

℞. Aloes, nucis cupress. mastich. myrrhæ, ana ʒ. ij. tuthiæ præparatæ, sarcocollæ nutritæ ana ʒ j. ß. sanguin. draconis berberis, sumach. rosar. rubrar. ana ℈. j. Pulverentur tenuissimè, & excipiantur aquâ fœniculi, fiatque collyrium.

In calida fluxione sequens præcipuè convenit.

℞. Trochiscorum albor. Rhasis sine opio, sarcocollæ nutritæ, lucij, acaciæ, olibani ana ʒ. j. ß. ossium myrobolanor. adustorum, coralli albi, & rubri ana dr. ß. margaritar. ℈. ß. succi mali punici, ad medietatis absumptionem cocti, quantum satis. Fiat collyrium.

Si rubor oculorum epiphoræ coniunctus sit, sequens erit vtile.

℞. Granor. sumach. contusor. ℈. j. aquæ plantag. calidę ʒ. j. Macerentur aliquandiu deinde fortiter exprimantur, addendo aquæ rosar. euphras. aquæ albumin. ouî diu concussi ana ʒ. ß. sacchari candi subtilissimè triti, & cum pauca aqua colati ℈ j. Fiat collyrium.

Denique ea collyria, quæ pro ophthalmia inueterata præscripta sunt, hic etiam aptari poterunt.

CAPVT XVIII.

De Pterygio, seu vngue oculorum.

VNguibus oculi est membranula dura, & neruosa, quæ ex angulo oculi maiore prodiens, album oculi primum contegit, mox & successu temporis ad nigrum tenditur, & pupillam tegendo visionem impedit.

Aliquando tenuis est hæc tunica, colore albicante prędita: interdum verò carnosa euadit, venis multis cruentis contexta, diciturque *pannículus*, & *sebel* ab Auicenna: quamvis nonnulli paniculum ab vngula distinguant, quòd scilicet vngula sit neruea quædam tunica, sine venarum repletione, & tunicam tantùm ad natam contingat: Sebel verò, seu panniculus totum oculum cooperiat, & rubro colore prędituś sit, ac venulis intertextus.

Oritur hic affectus ab exulceratione carnis, quæ est in angulo oculi, aut tunicæ adnatæ, vnde scabrities parti, & inęqualitas emergit, quam dum facultas nutriens adæquare, & complanare nititur, copiosiorem sanguinem affundit, eique incrementum præternaturale producit, aut quoddam veluti tegumentum ea ingenerat. Quia tamen in oculum male affectum quamplurima excrementa confluunt; ideò non ex sanguine puro, sed pluribus excrementis permixto vngis generatur. Unde variæ illius differentiæ exurgunt, quod alius durus, alius mollis, alius albo, alius citrino, alius rubro, alius fusco colore prędituś sit. Alius facilè separabilis ab adnata, & cornea alius tenaciter adhærens. Alius simplex, & prauæ qualitati expers, alius putridus, & cancrosus.

Huius affectus diagnosis ex dictis facilè intelligitur. Tum causę illum producentes, humores scilicet, ex quibus generatur, ex colore internosci poterunt: rubra enim vngula sit à sanguine puro; citrina à bile; alba pituita; fusca, ac nigricans à melancholia.

Quod ad prognosin attinet, malum hoc difficilè curatur, & non nisi longissimo tempore: si quidem remedia acria, vngulæ conterendæ necessaria; non nisi sensim, & paulatim vsurpari possunt propter exquisitum oculum sensum.

Si oculus affectus minor euaserit; malum est signum: partis enim debilitatem arguit.

Recens vngula, magnitudine mediocris pharmaceuticis remedijs curari potest. Quæ vero aucta est, ad nigrum oculi se extendens, & iam inueterata nonnisi manuali operatione curari potest.

Vngula, quæ crassa est, euersa, eminens, indurata, & nigricans curari non potest: cancrosam enim naturam obtinet.

Curatio ad causam morbi antecedentem, & coniunctam dirigenda est.

Ratione antecedentis primum victus ratio idonea præscribenda est qualis in alijs oculorum affectibus à fluxione oriundis supra proposita est.

Simulque euacuationes, ac reuulsiones, in dictorum affectuum curationibus præscriptæ etiam hic vsurpari poterunt: nempè purgationes, phlebotomię, cucurbitulę, vesicatoria, & alia huiusmodi.

Ac sufficienter corpore repurgato, ad topica veniendum est, quę vngulam absumere valeant, à minoribus inçipiendo; qualia sunt omnia, quæ pro macularum curatione suprà proposita sunt. Quæ si non sufficiant, ad fortiora veniendum est, quæ ab actoribus passim descripta inueniuntur. Forestus collyrium sequens maximè commendat.

℞. Succi fœniculi ʒ. iv. succi chelidon. ʒ. iij. succ. rutæ ʒ. ij. succi maluæ ʒ. ij. ß. aloes dr. j. vitrioli ℈. ij. æruginis æris ℈. j. zinziberis & cinamomi aua ℈. ß. fellis anguillæ ʒ ß. fellis tauri, bouis, aut porci dr. ij. sacchari candi ℈. ij. bulliant succi, addendo reliqua, & depurentur. Fiat collyrium.

Sequens etiam ab eodem commendatur.

℞. Lapid. hæmatitis drach. ij. vitrioli albi, viridis çris vstorum ana dr. iii. myrrhæ, & croci ana drach i. piperis longi drach. ß. sacchari candi ʒ. ß. Pulverisentur subtilissimè vt alcohol. Huius pulueris dr. i. Misceatur Drach. ii. aquæ raphani, & applicetur, bis, terue in die, prout æger tolerare poterit.

Ante vsum horum remediorum pars fouenda est decocto emolliente, quod etiam post eorum applicationem iterandum est, ad dolorem leniendum.

Inter remedia minùs vehementia sequens cum fructu vsurpari poterit.

℞. Ossis sępiæ ℈. i. sacchari candi Drach. i. vitrioli ℈. ß. tuthiæ præparatæ Drach. ß. M. Fiat puluis subtilissimus vngulæ inspergendus.

Si topicis hisce remediis vngula absumi nequeat ad chirurgicam operationem veniendum est, quæ sit hamulo perforando vngulam ad basim, deinde filum lineum duplicatum acu traiiciendo, vtrinque ad basim arctè deligando, atque sic apprehensam incisorio instrumento abscindendo, pro vt fusiùs docetur à Celso, Paulo, Aetio, Hieronymo ab Aquapendente in operationibus chirurgicis, aliisque quamplurimis.

Facta incisione, linteum aqua rosacea, & albumine ouî imbutum est apponendum ad dolorem sedandum, & inflammationem prohibendam. Ac denique siccantibus medicamentis, collyrijs ex tuthia, thure, aloe, trochisci albis Rhasis, aliisque siccantibus medicamentis cicatrix inducenda.

PRAXEOS MEDICAE

LIBER TERTIVS.

DE AFFECTIBVS AVRIVM.

PRÆFATIO.

AVRES pluribus morbis conflictari solent; similaribus organicis, & communibus, vt docet Galenus. 1. de sympt. caus. cap. 2. qui cum nonnisi per symptomata cognoscantur, ad symptomatum seriem eos reducere est animus. Symptomata verò, quæ auribus contingunt, ad actiones læsas, aut vitia excretorum referuntur. Actio læsa vel est auri propria, vel communis omnibus sensorijs. Actio auri propria, nimirùm auditus, læditur abolitè imminutè, & depravatè. Abolitè, in surditate: imminutè, in graui auditu: depravatè, in sonitu aurium. Actio communis omnibus sensorijs est sensus, tactus, cuius ratione doloribus obnoxia sunt. Vitia denique in excretis ea omnia continent, quæ ab auribus præternaturaliter egrediuntur. Sicque totus hic tractatus quatuor concludetur capitibus. Primum erit de surditate, & graui auditu. Secundum, de tinnituarium. Tertium, de dolore aurium. Quartum, de Exeuntibus præter naturam ex aurium cauitatibus.

CAPVT I.

De surditate, & graui auditu.

SVrditatem, & grauem auditum eodem capite complectimur, quia fiunt ab ijsdem causis secundùm magis, & minùs tantùm differentibus, ita vt valde excedentes auditum prorsus auferant remissiones verò eum tantùm imminuant. Imò verò vterque affectus vulgò surditas nominatur; qui enim alios audire nequeunt, nisi alta voce loquentes, surdi esse dicuntur.

Surditas autem propriè dicta ἀκοία Græcis nominatur cum nempe auditus omninò aboletur, adeò, vt ea affecti, vel nullum penitus sonum audiant; vel si sonum aliquem auribus excipiant, illius tamen differentias percipere nequeant. Hi etiam sæpè muti sunt, si nimirum ab ortu surdi nascantur: non solùm ex eo, quòd per auditum homines loquendi formulas addiscunt; sed etiam propter maximum consensum, qui est inter auditus, & loquelæ instrumenta, per neruũ quintæ coniugationis, cuius rami præcipui ad aures quidem feruntur, nonnulli tamen ad linguam, & laryngem protenduntur. Vnde fit, vt aurem interiorem vellicando, tussis excitetur. Et ratio euidens est. Siquidem surdi à natiuitate si loquelæ instrumenta non haberent vitiata, aliquam vocem articularam ex naturali instinctu ederent: quemadmodum reliqua animalia, etiamsi à natiuitate ab alijs eiusdem speciei animalibus segregentur, vt numquam ea audire valeant, vocem tamen sibi connaturalem proferunt. At surdi à natiuitate nullam vocem articulatam edunt; sed sonum tantùm confusum, qui partium loquelæ inseruientium læsionem manifestam arguit. Læsio autem illarum partium potissimùm est ab humiditate, quæ cum neruum illum afficiat, & qui ad aures, linguam, & laryngem protenditur; auditum, & loquelam simul affici necesse est.

Grauis auditus βραγκία Græcis appellatur, eoque affecti ægrè sonum percipiunt, nec loquentes intelligunt, nisi alta voce clamantes. Alij verò ne sic quidem audire satis possunt nec nisi colloquentes in aures ipsis loquantur, ac vociferentur.

Vterque affectus à cerebri, vel auris vitio exoritur.

Cerebri intemperies frigida, aut repletio, aut imbecillitas, aut alia quælibet læsio in ea præcipuè parte, quæ nerui auditorij exortum; aut progressum occupat, surditatem, aut grauem auditum potest efficere.

Auris affectus, vel in exteriore, vel in interiore auris parte versantur.

In exteriore cauitate auditus defectum efficit obturatio perfecta, vel impefecta, à tumore, abscessu, sanguine puro, pituita, alijsque rebus tum intrinsecus, tum extrinsecus incidentibus, Aduertendum tamen est, meatus exterioris obturationem integram, & absolutam surditatem non posse efficere; sed tantùm grauem auditum: quandoquidem per os etiam soni ad aures deferri possunt. Et enim meatus patens est ab auris interna cauitate ad palatum, per quem soni facilè ingrediuntur, & ad aures sese insinuant, qui etiam meatus aurium expurgationi dicatus est. Et sonum per os apertum excipi, multa ostendunt experimenta. Videmus enim surdastros, vt meliùs loquentes audiant, aperto ore sermones eorum excipere. Et si vtraque aure diligenter obturata, musica instrumenta baculo contingas, quem dentibus apprehenderis: exquisitiùs audiuntur. Et in via noctu alicuius procul aduenientis strepitum captamus; & è longinquo magis audimus, si baculi, aut ensis alterum extremum terræ affigamus, alterum verò dentibus apprehendamus.

In parte auris interiore, surditatem, aut grauem auditum efficiunt humores in cauitate interiori collecti, & à capite præsertim defluentes: qui plerumque pituitosi sunt, nonnunquam tamen bilioſi; vt patet *Aph.* 28. *sect.* 4. vbi Hipp. biliosas deiectiones surdis prodesse asserit; interdum etiam sanguinei, siquidem surditatem, quæ crisin comitatur, ex sanguinis fluxu per aures fieri compertum est. Illi autem humores à toto corpore interdum ad aures transmittuntur, vt in febribus continuis, & præcipuè malignis. Eundem affectum producit mala auditus organorum conformatio: qualis est, si tympanum nimis laxum et aserit à sono violento, vel humectatione. Ea ratione surdastri quamplurimi in cõstitutione australi grauiorem habent auditum; quia membrana æris humiditate relaxatur, aut nimis tẽsum exsiccatumque post morbos acutos, vigilias, aut ieiunia; aut disruptum ab ijsdem motibus ingentibus; aut erosum à pure. Egrediuntur tamen aliquando pus, ex suppurata aure, & sanguis in magnis concussionibus sine læsione auditus; quando exitus est inter os, & membranam; sic enim septum illæsum permanet. Vel si reliquæ auris particulæ ab ortu, aut aliqua causa externa, vt ictu casu alijsque à debito naturali statu deiectæ sint. Intemperies denique frigida ab aere frigidiore, vel aqua frigidissima in aurem immissa, vel narcoticorum, aliorumque medicamentorum vsu nimio, hunc affectum producere solita est.

Has omnes causas per propria signa diagnostica sigillatim distinguere difficillimum est. Arte tamen, & coniectura in hunc modum elucidari possunt.

Si à cerebri vitio surditas contingat, aut alij etiam sensus læduntur, aut aliquis affectus peculiaris in cerebro apparuit, aut dolor capitis aut grauitas, apoplexia, lethargus, aut alij huiusmodi.

Obturatio externæ aurium cauitatis, oculis ipsis dignoscitur, si ad Solem cauitatem illam introspicias; tumque apparebit; num tumor, aut materia crassa, aut alia quæpiam substantia heterogenea cauitatem illam repleat. Tum etiam, si aliquid extrinsecus in aurem illapsum sit, ex relatu ægrotantis dignoscitur.

Si verò cauitas interior aliquo humore repleatur; pituitam esse iudicabimus, si fluxio pituitosa ægrotantem prius infestauerit, aut si ille huiusmodi fluxionibus frequenter fuerit obnoxius.

Bilioſum verò humorem hunc affectum producere indicabit, febris bilioſa prægressa, aut iam ægrotantem detinens, & acutissimi doloris præsentia. A sanguine verò fieri ostendit dolor grauans, & sanguinis redundantia in toto corpore. Et hæc in perturbationibus criticis, præcipuè contingit.

Tympani laxitas, & humectatio dignoscitur ex causis præ-

gres-

greſſis humectantibus, & humida intemperie, aliquam aliã partem affligente: vix enim fieri poteſt, vt cauſæ humectantes hanc vnicam particulam affecerint.

Eiuſdem tympani tenſio, & exſiccatio nimia ex totius corporis ſiccitate, & cauſis exſiccantibus prægreſſis erit dignoſcenda.

Tympani etiam diſruptionem, aut eroſionem conijcere poterimus; ſi cauſæ vehementes, rumpenteſque, aut erodentes enumeratæ præceſſerint.

Prognoſis huius affectus in hunc modum inſtituenda eſt.

Surditas à natiuitate, & quæ longo tempore contracta eſt, eaque integra, & obſoluta, incurabilis eſt. Quæ verò non abſoluta, ſed diuturna, difficilimè, & vt plurimùm nunquam curatur.

Surditas à bile, aut ſanguine oriunda, cum in febribus continuis, & acutis tantum ſoleat contingere, cum earum febrium curatione ſolui conſueuit.

Grauis auditus, ſi breui tempore non curetur, in omnimodam ſurditatem degenerat, teſte Gal. *3. de compoſ. med. ſec. loc. cap. 3.*

Membrana tympani rupta, vel cicatrix in ea relicta incurabilem ſurditatem efficit.

Surditas per interualla creſcens, & decreſcens curabilis eſt: ab humore enim mobili, qui interdum minuitur, & augetur, eam produci ſignificat.

Surditas, quæ à vitio cerebri excitatur, faciliùs curatur quàm quæ à proprio auris affectu producitur.

Curationem quod attinet; illa ſurditas, quæ ab aliquo cerebri affectu dependet, non aliam curationem requirit, quàm quæ dictis affectibus deſtinata eſt, è proprijs capitibus repetenda. Quæ à tumore exoritur, ſi ille durus, ſit, & inueteratus curationẽ non recipit: ſi verò calidus, & inflammatorius: illius curatio in aurium doloris curatione proponetur. Si verò à pure in aure collecto producatur: ex capite vltimo huius tractatus curatio erit deſumenda, vbi de his agetur, quæ præternaturaliter ex aure egrediuntur.

Si à ſiccitate hic affectus oriatur, curandus eſt, iuxta Rhaſis præceptum, victu humectante, ſomno longiori, & capitis perfuſione cum aqua tepida: quibus addi poſſunt humectantia in aurem immiſſa, vt oleum amygdal. dulc. & ſimilia. Si ab alienare extrinſecùs in aurem illapſa ſurditas, vel grauis auditus oritur; ea protinus auferenda eſt eluendo, aut excutiendo, aut extrahendo: & ſi animalcula quædam ſint, quæ auris cauitatem ſubierint, alliciendo, aut enecando. Eluuntur infundendo, quæ viam hanc lubricam reddunt & humectant, dilatantque: vt lac, oleum amygdal. dulc. vel decoctum aliquod emolliens, & relaxans. Excutiuntur impetu quodam, vt ſternutatione mota; ſic enim ſpiritus impulſu, commotis illis partibus, quod in meatu auris latet, ſæpè, excluditur, idque citiùs, ſi prius via, vt dictum eſt, dilatata, & lubrica facta fuerit. Prodeſt etiam, inclinata aure affecta, ſupra pedem illius lateris ſaltare; quâ ratione pueri poſt natationem aquam auribus influxam excutiunt. Si hæ non ſuccedant: extractio mollienda eſt auriſcalpio, cauendo tamen, ne dum intromittitur, illud, quod adhæret, vlteriùs propellatur. Ideò auriſcalpij cochleare admodum tenue ſit, vt facilius in aure contentis poſtponi poſſit. Vel forcipe ad id accommodata, vtriuſque acuta, & aſpera, illa apprehendi, & eximi debent. Vel ſi in quæ hoc ſuccedat, eum corpora dura ſint vt nucleus, vel lapis, alio inſtrumento apprehenſa confringenda ſunt, & deinde, vt dictum, humore infuſo eluenda. Si auriſcalpium intromitti nequeat, ſpecillum cotone inuoluatur in extima ſui parte, deinde immergatur in terebinthinam, aut in aliquod aliud viſcidum, poſt immittatur in aurem, vt agglutinet id, quod obſtruit. Idem fit ex candela cerea, extrema ſui parte viſco inducta. Quod ſi aliquid viſci, aut glutinis poſt extractionem intus inhæſerit, id auriſcalpio extrahendum. Sunt qui calamum aperiunt in extremis eius partibus, vnam eius partem in aurem immittunt; alteram ore comprehendunt, vt inde frequenti ſuctu, quod intus conditum eſt, attrahant.

Animalcula ex aure alliciuntur, admotis quibuſdam, quæ illis grata ſunt, vt extrorſum repant; vt ſi lac cum ſaccharo in ſpongiola auri adhibeatur; vel leuiter intrudatur, vel ficus inuerſa, vel pulpa pomi dulcis; vel lardum quo vermiculi citiùs eliciuntur; idque præſertim, ſi aures Solis obuertantur, dum hæc continent. Peculiariter verò hirudines, caſu ingreſſæ, alliciuntur ſanguine immiſſo in aures. Pulices verò pilis caninis in aurem introductis. Si autem viua ſint animalia, enecanda ſunt: mortua enim non ampliùs auditui obſtrepunt, & facilius extrahuntur. Enecantur autem, ſi ſaliua auribus inſtilletur, aut propria vrina infundatur.

Amara autem citiùs infecta enecant, vt centauri, vel abſinthij ſuccus, aut decoctum aloes, & fella quælibet. Acria idem præſtant, vt acetum, ſuccus ceparum, & ſimilia.

At cùm frequentiſſima ſurditatis, & grauis auditus cauſa ſit frigida intemperies, & humoris pituitoſi influxus in eam partem, ad illius oppugnationem hæc præcipuè curatio dirigenda eſt.

Quia verò huiuſmodi pituitæ influxus à cerebro ducunt originem curatio ad eam partem dirigenda eſt, non abſimilis ei, quæ frigidæ cerebri intemperiei aſſignata eſt: quam prudens Medicus, pro vario intemperiei gradu, eiuſdemque contumacia moderari poterit.

Summa autem huius curationis erit, vt premiſſa victus ratione attenuante, & modicè calefaciente, atque exſiccante, qualis, in gutta ſerena præſcripta eſt; vitando in primis ventos auſtrinos, & ab ijs aures muniendo, vaporoſa alimenta, & in primis allium, & cepæ, quæ auditui nocent; tum etiam quæ humores craſſos, ac pituitoſos generant; vt inquam, primum euacuatio vniuerſalis inſtituatur per pilulas, apozema cephalicum, & purgans tum etiam per phlebotomiam, ſi illius indicationes adfuerint. Cui ſubnectatur, ſi affectus ſit contumax, diæta ſudorifica, eique ſuccedant particularia remedia, fluxionem reuellentia, vt cauteria, veſicatoria, errhina, ſternutatoria, maſticatoria, apophlegmatiſmi. Peculiariter verò maſticatoria ſunt maximi vſus in hoc morbo, propter meatum, qui ab interna aure ad palatum defertur, & aurium excrementa deponit. Ac denique morbo in longitudinem abeunte, ad pilulas vſuales, aut ſyrupum magiſtralem opiatam cephalicam, puluerem; aut cucupham caput roborantem, & alia huiuſmodi veniendum erit. Quæ omnia in frigidæ cerebri intemperiei curatione propoſita ſunt.

In vſu diætæ ſi affectus ſit contumax, conueniunt etiam ſacculi, poſt aſſumptam potionem ſudorificam capiti admouendi, quales in dicta curatione deſcripti ſunt, ijque non ſinciputi tantum, vt ibi dictum eſt; ſed etiam auribus erunt admouendi.

Peculiariter verò conducunt ad huius affectus curationem thermæ ſulphureæ, & bituminoſæ, cum balneo tum lotione capitis. Balneo ſiquidem ſudores copioſi prouocantur, & materia fluxionis antecedens educitur, Lotione verò capitis cerebrum roboratur, & exſiccatur, & humores in ipſam aurem impacti diſcutiuntur. Vtendi modus peculiaris à Penoto deſcribitur & valde commendatur his verbis.

Nihil æque conducit in ſurditate, etiam poſt centum remediorum vſum, quam vt patiens optime prius corpore mundato & deinde capite purgato, ſulphureis balneis caput madefaciat hoc modo. Et ſpongijs magnis conſutis veluti cucuphum ferat in capite, ad ſupercilia, & infra aures deſcendentem. Sedeat ſub canali balneorum, & verſo epiſtomio aquam accipiat quę abſorpta ſpongijs, caput continuo calore ſuo fouebit, atque omnes capitis futuras auriumq; commiſſuras deducens, atque aperiens, vapores tollet, vel materiam impactam neruis vijſque auditorijs reſoluet per halitum, aut adeò mutabit, vt breui ſit abitura. Bis in die ita ſedere eum conuenit ad horas duas, ac deinceps ſtatim ſudare in lecto: dietamque adhibere tenuem ex ſuccis, & iure carnium Vino niſi oligophoro, planè abſtinendum eſt.

Tandem ad topica materiam auri impactam diſcutientia veniendum eſt; quæ in hunc modum adminiſtrari poterunt.

℞. Fol. origani, abſynth. puleg. ſerpilli, ſaluiæ, menthæ, centaur. min. maiuæ, & althææ, ana M. j florum chamomel. melil. ſtœchad & anth. an. P. j. cinamomi, & charyophil an. ℥. ß. Decoquantur in aquis partibus aquæ font. & vini alb. ſub finem additi. Colatura foueatur auris affecta cum ſpongia calidè, manè, & ſerò.

Ex eodem decocto poterit fieri ſuffitus in aurem per infundibulum, quem maximè prodeſſe, certum eſt ex eo, quod vapor, ex decocto calente elatus; penitiſſimas auris partes facilè penetret.

Fomenti loco adhiberi poteſt panis cum ſemine caruî ſubactus, & calens è furno per medium ſectus.

Vel panis ordinarius ex clibano ſumptus, & inferiori cruſta ablata ſpiritui vini immergatur, & calidè quantum

æger

æger ferre poterit, ad autem applicetur, vt vapori intromittatur.

Efficacior erit panis ex farina vulgari factus, & cum semine carui, baccis lauri, iuniperi, & nuce moschata subactus, antequam coquatur: deinde post leuem coctu-ram, dum adhuc calet, disruptus, & auri laboranti impositus.

Si decoctum pro fomento, & suffitu præscriptum fortius desideres; pulpa colocynthidis, & radix hellebori albi ad ℥. j. vel ij. addi poterunt. Idem decoctum ex vino albo solo, vel ex vino, & aceto parari poterit, vt magis penetret, & potentiùs discutiat.

Pro suffitu etiam vtiliter excipi poterit in auris meatum per infundibulum fumus caryophillorum, caput muniendo linteo calidissimo, dum fumus excipitur.

Post fotum, & suffumigium liquor aliquis in aurem iniiciendus est, eaque post modum cotone moscato obturanda.

℞. Olei amygdal. amar. & rutacei ana ℥. j. M. infundantur calidè in aurem. Vel

℞. Olei de castoreo, & lilior. albor. ana ℥. j. olei anethini ℥. ß. hellebori albi ʒ. ß. aquæ vitæ ℥. j. bulliant in B. M. ad aquæ vitæ consumptionem. Colentur ad vsum dictum. Vel.

℞. Radic. cyperi, baccar. lauri, semin. anisi, & cucumi pulueratot. ana ℥. j. castorei puluerati ʒ. ß. olei rutæ quantum satis. Misceantur, ijsque impleatur cepe magnum excauatum quod postea coquatur super prunas, & exprimatur succus, in aurem instillandus.

Olea chimica efficacissimè operantur, qualia sunt oleum rorismarini, maioranæ, saluiæ, fœniculi, despica, caryophyll. Quæ tamen propter nimiam vehementiam sola non sunt vsurpanda; sed cum prædictis in parua quantitate admisceri possunt, in hunc, aut similem modum.

℞. Oleorum prædictorum ℥. ij. olei despicæ, fœniculi, aut caryophyllorum, aut alterius cuius vis ʒ. ß. vel ℥. j. Misc.

Aquæ enim nonnullæ in aurem instillantur, quæ ad surditatem maximè conferre existimantur. Sin plurimùm laudatur ab auctoribus aqua fraxini, quæ elicitur, ramos virides fraxini vna extremitate igni admouendo, & ex altera extremitate aquam stillantem vsui asseruando. Præcipuè confert quando surditas à causa valida oriunda est, & remedia valdè calefacientia suspecta sunt. Si caliditas non timeatur, pari aquæ vitæ portione admista, efficacior euadet. Matthiolus hanc aquam succis quibusdam permiscet, eamque sic compositam valde prædicat his verbis. *Fraxini spumam, quæ à viridi ligno igni exposito manat, additis succis cyclaminis, scillæ rutæ, æqualibus partibus, omnibus simul parum per feruefactis, plurimùm valere ad surditatem scimus, si in aurem sanam hic liquor calidus infundatur, cum se cubitum receperit ager: atque eum super affecta aure iacere oportet. Vbi verò vtramque aurem surditas occupauerit: in eam fundatur, quæ minus affecta fuerit, & super alteram iaceat.*

Spiritus vini, in quo helleborus albus infusus fuerit, in aurem affectam instillatus magnæ est efficaciæ.

Alij multùm commendant succum hederæ depuratum, cum vino albo potenti permistum.

Fella animalium, vt leporis, capræ, perdicis maximè laudantur, si recentiora vsurpentur, cum pari mellis portione misceantur, & in cepæ pelliculla incalescant.

Pinguedo anguillæ maximo in vsu est. Ea autem colligitur, dum anguilla magna in veru assatur, & suppositis lauri foliis excipitur, eaque tepidè in aurem instillatur.

Zechius oua formicarum prædicat his verbis. *Oua formicarum contrita, & cum succo cepæ in aurem infusa quam vetustissimam surditatem persanant.*

Sanguis lupi junioris, calens in aurem instillatus surditatem curare creditur.

Denique, si affectus contumacissimus propositis remedijs non cedat; non esse absurdum, extremum tentare remedium, quod à Fonseca proponitur *consul. 58. tom. 2.* inunctionem nempè factam ex hydrargyro: quia surditas ex lue venerea contracta ita curari solet, quare etiam hæc, licet talis non sit, fortè curari poterit. Et ratio huic sententiæ videtur suffragari, quia hydrargyrum tumores duros emollit, & discutit, ac humores concretos, & partibus impactos potentissimè dissoluit: atque ita pituitam in auris particulis concretam, & reliquis remedijs non cedentem fortè poterit dissoluere. Hoc tamen remedium, non nisi in desperato casu tentandum est; anceps enim, & dubius admodum est illius euentus. Siquidem ab inunctione hydrargyri cerebrum valdè labefactatur, & variæ fluxiones concitantur; ita vt nonnullis, ex lue venerea per hydrargyrum curatis, ipsa surditas, aut grauis auditus interdum contingat: quam vis, vt antea dictum est, ex ipsa lue venerea contingens surditas interdum curetur. Fit debitè administrata gydrargyrosis post sufficientes purgationes, si nullam in cerebro noxam relinquat.

In topicorum remediorum administratione hoc perpetuò obseruandum, vt non frigida, sed semper tepida, aut calidiuscula in aurem immittantur. Præterea nunquam medicamenta instillanda sunt; quin priora abstergantur. Instillato verò medicamento, auris perpetuò cotone moschato obturanda, ille enim solus, & per se surditati maximè conducit, quod confirmatur à Foresto *obser. 15. lib. 12.* his verbis *Mulier Delphensis, cùm ex diuturno morbo conualuisset incidit in surditatem satis diuturnam, quæ cum satis purgata esset, & deinde à medicamentis abstineret, & longo tempore adhuc surditate laboraret, vetula quædam ei consuluit, vt granum vnum vel alterum moschi optimi in bombyce misceret, & auri perpetuò imponeret. Hoc remedio præter omnem spem ab omni surditate liberata est. Ego mutos quidem, quibus auris sanie longo tempore maderet, curaui sola imposita bombyce, vel cotone, in quo moschus reseruatur, quòd, & aurem exsiccaret, & simul surditatem tolleret.*

CAPVT II.

De Sonitu Aurium.

AVditionis sensus deprauatur in sonitu aurium: Quemadmodum enim oculus debet esse omnis coloris, expers, vt colores omnes obiectorum ritè percipiat; & si aliquo colore præternaturaliter afficiatur, vt in ictero, tunc deprauari visionem necesse est; ita auris nullum in se debet habere sonum, vt omnes sonos extrinsecùs aduenientes percipere valeat. Et si in ea sonus aliquis præternaturaliter efficiatur, auditus deprauatur. Hæc autem deprauata auditio παράκουσις Græcis, Latinis Obauditio nominatur; vulgo etiam tinnitus aurium appellari consueuit, quamvis tinnitus propriè vnicam tantùm deprauati auditus differentiam constituat, vt ex sequentibus patebit.

Fit autem sonitus in aure ex commotione præternaturali aeris vernaculi, seu congeniti in auris cauitate contenti. Quamuis enim aer ille congenitus naturaliter in aure moueatur, vt docuit Aristoteles; sonus tamen ex eo motu non exauditur, nisi quando aurem manu concaua, aut alia re simili obturamus; tunc enim meliùs fit auditio in aure interna, cùm aeris externi ad aurem ingressus impeditur, vt docetur vulgari experimento. Si nimirùm testitudinis aut alterius instrumenti musici manubrium dentibus apprehendamus, aures obturando; tunc enim sonus quadruplo maior percipitur; quàm si apertis auribus excipiatur; quia sonus testudinis per continuitatem manubrij mox ingreditur, & ad auris cauitatem sese insinuat per patentem canalem, qui ab aure ad fauces exporrigitur. Motus autem ille naturalis aeris implantati fit à spiritu ἀκουστικῷ, seu auditorio qui continuò in aurem influit, & aerem illum tenuem, & mobilem leuiter exagitat. Si verò aer ille implantatus solito vehementiùs moueatur; tunc sonus intra aurem percipitur, qui præternaturalis est, & auditum vitiat.

Causæ verò, aerem vernaculum præternaturaliter commouentes quamplurimæ sunt. Præcipua tamen, & frequentissima vapor, flatus, aut spiritus, in aurem ab alijs partibus transmissus, vel in ipsa aure genitus. Si ab alijs partibus feratur; vel à toto corpore, vel ab aliqua parte peculiari ducit originem. A toto corpore promanat in febribus, vnde Hipp. *in Coacis, Bombus in acutis, & sonitus aurium lethalis.* Et ille aurium sonitus fit à spiritu flatuoso, per arterias à toto corpore ad aures transmisso. Frequentiùs tamen accidere consueuit in principio paroxysmorum, & instante crisi per hæmorrhagiam. A parte peculiari flatus eleuati ad aures transferuntur, nempè à ventriculo, hepate, liene, mesenterio, vtero, alijsque partibus. Vnde in vomitu vehementi, melancholia hypochondriaca, & hysterica suffocatione aurium tinnitus frequenter solent, contingere. A capite etiam frequentiùs spiritus flatuosus, ex frigidis pituitosis

tosis humoribus excitatus à calore debili, in aures defertur per venas, arterias, & quintam neruorum coniugationem; per quas etiam vias vapores, & flatus ab inferioribus partibus transmittuntur.

In aure ipsa generatur flatus ex materia pituitosa, in auribus contenta, vnde fit, vt grauis auditus cum tinnitu aurium sæpissimè coniunctum sit. Ab humore enim fit obstructio; à qua surditas, aut grauis auditus, dum in minori copia redundat; à flatibus verò ex eodem humore eleuatis, aurium tinnitus generatur.

Aliæ verò causæ sonitum aurium excitantes sunt, percussio capitis vehemens, sonus, vehementior, aurium vlcera calida intemperies, debilitas, & sensus exquisitior.

Percussio capitis vehemens spiritus in capitis contentos violenter commouendo facit, vt illi in aurem confertim propellantur, & sonitum edant.

Sonus vehemens, in aurem violenter impulsus, aerem implantatum maximè exagitat, vt commotio illius, diutiùs perseuerans, sonitum diutiorem efficiat.

Aurium vlcera, puris, aut saniei feruore strepitum quemdam in aure excitare solent; quod etiam fieri potest à spiritibus maiori copia in partem vlceratam translatis, & in auris cauitatem effusis, aeremque implantatum commouentibus.

Calida intemperies arteriam auris interiora subeuntem multo spiritu replet, vnde contingit, vt pulsatio fiat vehementior, & sonus pulsans in aure excitetur. Vel copiosior spiritus per arteriam illam effusus in aurem aerem vernaculum commouet, & sonitum producit. Et ab ista causa sonitus aurium diuturnus efficitur, per menses interdùm perseuerans.

Auditus debilitas sonitum aurium efficere solet, vt in conualescentibus; quia omnis sensus debilitatus ab obiecto, non solùm vehementiori, sed etiam mediocri offenditur. Sic illi, qui debilem habent visum, à lumine etiam moderato læduntur.

Ac denique sensus exquisitior: ex Gal. *lib. 3. de comp. med. sect loc. cap. 1.* tinnitum aurium efficit eadem ratione: quia scilicet obiecta, etiam moderata, illum nimirùm afficiunt. Illæ autem sensus exquisitior præternaturalis esse debet vt affectum præternaturalem efficiat. Nam sensuum perspicacitas per se actionem depraua tam nõ potest producere: quin potiùs quo exquisitior est sensus, eo minùs aberrare debet. Præternaturalis autem efficitur à calida intemperie, vlcere, aut alio consimili affectu: quemadmodum partes inflammatæ contactus moderatos deprauatè sentiunt, nempè dolorifice. Vel si exquisitus sensus in statu naturali consistat existimandum est, causam tinnitum efficientem esse præternaturalem, & excedentem, ratione illius exquisiti sensus: vapor enim v.g. tàm exiguus, vt à sensu obtusiori non percipiatur, sicque actionem non lædat ab eo, qui exquisitiori sensu præditus est, percipietur, & tinnitum efficiet: atque ita in hoc præternaturalis erit, in alio verò sanitatis limites non excedat.

Variæ dari possunt aurium sonitus differentiæ, quæ à vaporum multitudine vel paucitate, crassitie, vel tenuitate, motu cœleri aut lento oriuntur: si enim vapor, aut flatus multus sit, crassus, & celeriter moueatur: sensorio exhibebit similitudinem aquæ rapido cursu cum fragore fluentis; vel tympani, vel id genus instrumentorum musicorum; vel venti reboantis; vel id genus similia. Quod si paucus sit crassus & celeriter moueatur; arboris contractæ, vel domus collabentis, subitaque ruinæ, vel catapultæ speciem refert. Si multus sit, tenuis, & celeriter moueatur, sibilum excitare solet & torrentis cuiusdam leniotis imaginem. Si paucus sit tenuis, & celeriter moueatur, tinnitum excitat. Si multus sit, crassus, & lentè moueatur, murmura quædam excitare solet. Si paucus sit, crassus, & lentè moueatur, susurrum repræsentat. Si multus sit, tenuis, & lente moueatur, sibilum remissiorem refert. Ac denique cum gradus innumeri dari possint crassitiei, & tenuitatis, multitudinis, & paucitatis motus celeris, & tardi; pro eorum ratione innumeri propemodum sonorum modi in auribus produci poterunt, prout magis, vel minus ad hanc, vel ad illam accedere videbuntur.

Diagnosis prædictarum causarum certa haberi non potest docente Gal. 3. *de comp. med sec. loc. c. 1.* Artificialem talem coniecturam ex causis prægressis, aliisque circumstantijs elicere possumus.

A flatuoso spiritu fieri sonitum aurium, inde colligi potest, quod interdum cesset, & interuallo posito reuertatur; tum etiam si præcesserint cibi, flatibus generandis idonei.

Per consensum ab alijs partibus fieri ostendunt, si aliqua alia pars affectu peculiari laboret, & affectus per interualla repetat.

A cerebro præsertim fieri, testatur dolor capitis præcedens, aut grauitas eiusdem, & vt plurimum nocumentum alijs sensibus communicatur.

In ipsis auribus vitium esse, testatur sonitus continuus, & sine vlla intermissio ne infestans.

A materia frigida affectum produci cognoscimus, si æger à calidis medicamentis iuuetur, & si sanitatis tempore omnes strepitus facilè perferat.

A vaporibus crassis, vel tenuibus, paucis, vel copiosis affectum produci, ostendunt sonorum differentiæ, quæ in aure percipiuntur, supra propositæ.

A facultatis imbecillitate exoriri, facilè patebit ex ijs, quæ præcesserunt; vt pote morbis præcedentibus, ex quibus vix dum ægri conualescere, incipiunt.

A calida intemperie, & exquisitiori sensu inde oborto fieri coniiciamus; dum æger percipit caliditatem in capite circa aures; causæ calefacientes præcesserunt, & flatus discutientia medicamenta malum augent: tum etiam æger sanitatis tempore magnos strepitus, propter sensum exquisitum, perferre non potest.

Quod ad prognosin spectat; recens aurium tinnitus facilè curatur, chronicus verò difficile, eoque magis, si à lue venerea ortum duxerit. Qui à causa calida ortum ducit facilius curatur, qui à frigida, difficiliùs.

Diuturnus aurium tinnitus, materia pituitosa in aure contenta oriundus, in surditatem degenerat: aucta enim materiæ illius copia, meatus auditorius obstruitur, & spiritus influxus ad aures inhibetur.

Curatio huius affectus pro varietate causarum varia esse debet.

Ac primùm curatio sonitus aurium, qui per consensum aliarum partium generatur, à curatione affectuum illarum partium dependet, & ideò ex proprijs cuiusque capitibus erit desumenda.

Qui verò ab aure primariò affecta exoritur, peculiarem curationem desiderat. Et si à frigida intemperie crassiorique flatu generetur, eandem curationem desiderat quæ in graui auditu descripta est. Consimiles enim sunt affectus qui sæpè simul complicantur, aut vnus in alium degenerat: tinnitus enim non rarò grauis auditus, & surditatis prodromus esse consueuit.

Omnia igitur remedia, tùm vniuersalia, tum particularia, superiori capite ad surditatis, & grauis auditus curationem proposita huc transferri poterunt.

Si ab aurium vlcere tinnitus prouenit; non aliam postulat curationem quam quæ vlceri debetur: qualis capite sequenti proponetur.

Si à sensus debilitate procedat, vt in conualescentibus ab aliquo morbo grauiori; instauratione, ac refectione totius corporis sponte affectus euanescit. Poterunt tamen interim olea quædam temperata in aurem infundi, ad symptoma demulcendum, vt chamæmelinum, anethinum, amygdalar. dulc.

Ac denique, si à calida intemperie, vel exquisitiori sensu ducat; originem; victus tefrigerans, & humectans præscribendus est, tum etiam refrigerantia in aurem immittenda, à mitioribus ad fortiora progrediendo. Ac primum instillari poterit decoctum hordei, violarum lactucæ, nymphææ, quibus ad penetrationem aliquid melissæ, aut chamæmeli addi poterit. Quibus non conferentibus, succi lactucæ, portulacæ, hyosciami vsurpandi sunt; imò ad papaueris succum & ipsũ opium confugit Galen. quibus tamen parcè, & summa cum cautione vtendum est, ne calorem natiuum partis debilitando, auditum nimis hebetent.

CAPUT II.

De Dolore Aurium.

AVrium dolor ὀτάλγια Græcis nominatur. Estque grauissimus affectus, tum propter partem affectam, membranam puta interiorem auris cauitatem ambientem: tum propter cerebri viciniam, cuius ratione illud non rarò in consensum trahitur.

Cùm

Cùm autem omnis dolor à solutione continui oriatur; quæcumque partium illarum sensibilium auris cauitatem ambientium continuitatem soluere possunt, aurium dolorem excitare solent. Horum præcipua sunt intemperies, tum immaterialis, tum humoralis, seu cum materia coniuncta; vulnera, vlcera, & res externæ, in auris cauitatem illapsæ vel immissæ.

Frigida intemperies sæpè aurium dolorem excitat; inducitur què à ventis frigidioribus, balneo aquę frigidę, aliisque causis impensiùs refrigerantibus. Calida intemperies sine materia, ratò aut nunquam aurium dolorem producit, quemadmodum frigida. Nam frigidum partibus hisce neruosis, & membranosis inimicum est, calidum verò amicum: neque dolorem in auribus efficere potest, quin multum excedat, sicque humorum defluxum ad partem alliciat; vnde materialis intemperies producitur. Hac de causa nec Galenus, neque alius Græcorum, calidę intemperies mentionem fecerunt: quamuis Auicenna, & Arabes ferè omnes eam proposuerint.

Materia verò frigida, dolorem aurium efficiens, est pituitosa, vel serosa, in aures à cerebro diffluens: Vel flatus, ab eodem cerebro, aut partibus inferioribus transmissus.

Materia verò calida, vel biliosa est, ex venis & arterijs in prædictas partes illapsa, vel sanguinea perdictas etiam vias effusa, à qua inflammatio generatur.

Prædictæ causæ solutionem continui occultam producunt, à qua dolor excitatur. Solutiones verò manifestæ, vt vulnera, & vlcera, non est dubium, quin dolorem etiam inferre possint. Vulnera fiunt à causis externis pungentibus, incidentibus, & contundentibus; ita vt contusio ad hanc classem referatur. Vlcera verò fiunt post inflammationem, abscessu rupto; vel ab humoribus acribus partem erodentibus.

Denique res externæ in aurem immissæ, si duræ, acutæ, aut alio quouis modo mordentes, aut vellicantes sint; dolorem proculdubio efficere consueuerunt.

Diagnosis harum omnium causarum ita instituenda est. Si intemperies immaterialis sit; nulla sentitur grauitas in aure neque vlla tensio, & nullus tumor apparebit. Frigidam autem esse intẽperiem cognosces ex eo, quod causæ refrigerantes præcesserint, vt peregrinatio tempore hyberno. A frigore externo dolor intenditur, admotis calefacientibus lenitur. Calidam verò intemperiem indicabunt externæ calefacientes; vt insolatio, vel aer calidior, & noxa à remedijs calidis in aurem iniectis; leuamen verò à refrigerantibus.

Si ab humore pituitoso dolor excitetur: grauitas quædam in aure, & ipso capite percipietur: tu fluxio pituitosa interdum aliquam aliam partem infestabit. Præterea causę refrigerantes præcesserunt, vt aer frigidus, & aquilonius, alimenta frigidiora: adestque tempestas hyemalis ætas senilis, & similia.

Si à flatu oriatur, dolor erit vehemens, sine pondere aut grauitate, interpolatus, non continuus, & cum tinnitu coniunctus.

A seroso humore fieri, ostendunt alij affectus, ab eodem producti, & simul ægrum infestantes; vt fluxiones acres & tenues in dentes, oculos aures, pectus aliasque partes; & serosi humoris per vomitum, aluum, vrinas aut sudores euacuatio.

Si ab humore bilioso ducat originem; dolor erit pungẽs, & acutus, cum caloris sensu adiuncto; à refrigerantibus iuuabitur, & biliosæ quædam humiditates interdum è capite manabunt: quibus accedunt calidum, & biliosum temperamentum, ætas iuuenilis, tempus æstiuum, victus ratio calidior, aliæque causæ calefacientes, à quibus Iædi æger consueuit.

Inflammatio cognoscitur ex dolore intẽso, & pulsatili, cum calore insigni, & rubore, interdum ad malas, & tempora sese extendente: quibus febris adiuncta est continua, & intensa, nec non aliquando delirium, conuulsio, syncope, & frigiditas extremorum.

Vulnus ex sanguine ab aure profluente cognoscitur: vlcus verò à pure, vel sanie. Sed quia puris effluxus interdũ à cerebro fit per aures distinctione opus erit. Si enim procedat à cerebro; dolor capitis, aliaq; apostematis cerebri signa præcesserunt, & primò sanies magna copia effunditur, deinde sensim minuitur, donec ex toto consumpta sit. Potest quidem magna copia effundi ex abscessu auris sed inflammationis in aure conceptæ signa præcesserunt. Huic postea vlcus succedit, quod postmodum siue ab ascessu, siue à fluxione humoris acris duxerit originem, sequentibus signis innotescit.

Pauca puris, aut saniei quantitas sensim, & continuò profluit; dolor, ardor, & punctionis sensus in ipsa aure percipitur, præcipuè dum auriscalpium immittitur. Imò verò vlceris differentias coniectura quadam assequi poterimus. Si enim vlcus sit in osse cognoscitur ex sanie tenui, ad citrinum colorem vergente, & ex affectus longitudine. Si sit profundum, ex puris multitudine: si mundum sit; ex pure laudabili: si sordidum; ex crassitie, & copia eiusdem: si virulentum, ex sanie tenui: si putridum; ex fœtore puris; si corrosiuum: ex eo, quòd post sanem sanguis egrediatur: si fistulosum; ex vetustate vlceris, sanie virulenta, & carne callosa, ac duriori. Denique extrinsecus in aurem immissa, vel illapsa, aut sensibus percipiuntur in auris cauitate contenta, aut ex relatu ægrorum addiscuntur.

Prognosis doloris aurium varia est pro varietate causarum. Qui à nuda intemperie ducit originem, facilè curabilis est. Qui à materia frigida, pituitosa, serosa, vel flatuosa producitur; non est quidem valde periculosus, sed chronicus vt plurimùm esse consueuit. Qui verò à calidis humoribus, & præsertim inflammationem efficientibus exoritur; admodum periculosus est. Cerebrum enim propter vicinitatem trahitur in consensum: vnde delirium, & conuulsio subsequi solent. Iuuenes in hoc morbo magis periclitantur. Cùm enim calidiori temperie præditi sint, & sanguine calidiori; intensior sit inflammatio, quæ calorem natiuum cerebri dissoluit, prorsusque hominem extinguit: vnde fit, vt ægri plerumque intra septimum diem intereant. Senes verò, cum humores habeant frigidiores; minore inflammatione afficiuntur, sicque minùs periclitantur.

Vlcera in auribus difficilè curantur, quia cerebrum vicinum ad eas partes excrementa deponit. Ea tamen quæ abscessus consectaria sunt, facilius curantur; tum etiam, quæ pus laudabile generant. Vbi verò sanies virulenta, fœtida, aut alia praua qualitate prædita fuerit; difficillimam curationem arguit: idque magis, si vlcus fistulosum, aut cum ossis carie copulatum fuerit.

Curatio, non secus ac diagnosis, & prognosis, iuxta varietatem causarum varianda est.

Si enim à frigida intemperie nuda producatur, calefacientia remedia, auri admota, ad illius curationem sufficiunt; qualia in surditatis curatione fuere proposita, ac præcipuè potus, & soffitus, & etiam olea calefacientia ibidem descripta. Calida verò intemperies, si aliquando sine materia contingat; topicis refrigerantibus, quæ paulò inferiùs proponentur, domari poterit; ac præcipuè oui candido cum lacte muliebri subacto, & in aurem instillato.

Si à frigida intemperie, cum materia coniuncta, pituita scilicet aut flatu, aut serosa materia; eadem curatio erit administranda, quæ ad surditatis curationem fuit proposita. Vt primùm totum corpus euacuetur, cerebri intemperies corrigatur, & tunica remedia calefacientia, ac discutienda auri admoueantur, è curatione prædicta desumenda.

Si à calida intemperie, cum bilioſi humoris affluxu, aurium dolor producatur, qui chronicus sit, aut per interualla recurrat; primùm humor ad partem affluens, reuellendus erit phlebotomia, qua etiam calida intemperies totius corporis, nedum ipsius hepatis, in quo humor biliosus generatur, emendari poterit. Deinde humoris peccantis euacuatio fiet purgationibus idoneis. Dicta hepatis intemperies calidior emendabitur iulepis, aut iusculis refrigerantibus, sero lactis caprino, aquis mineralibus, & acidulis, & vitriolatis, balneis aquæ tepidæ, & similibus. Ac denique ea omnia conuenient, quæ in doloris capitis, à calida intemperie oriundi, curatione fuere proposita. Dolor verò ipse demulcebitur topicis refrigerantibus, & anodynis, pro inflammatione infrà describendis.

Inflãmatio auris curabitur, missio priùs sanguine ea quantitate, quæ tum plenitudini satisfaciat, tum humorẽ, ad aurẽ affectam, confluentem, reuellere possit, idque præmisso clystere emolliente, refrigerante, & laxante. Debet autem sanguis detrahi magna copia, iteratis saltem vicibus; id enim postulat morbi magnitudo, & acuties. Secanda est aurẽ vena cephalica, e directo auris affectæ. Si à suppressione mensiũ, aut hæmorrhoidum affectus originem duxisse videatur, venæ inferiores aperiendæ sunt: dempta prius plenitudine per venam brachij. Imò & absentibus huiusmodi causis, venarum inferiorum apertio optimam reuulsionem præstabit

ad oppoſita diſtantiſſima, cui etiam vſui conferent hirudines ano affixæ.

Reuulſiones etiam commodè fiunt per frictiones, & ligaturas brachiorum, & crurum; cucurbitulas ſcapulis, & dorſo admotas, tum ſiccas, tum ſcarificatas.

Interdum etiam ad derluandum cucurbitula ſcarificata pone aures appoſita multum iuuat; vt docetur hiſtoria luculenta à Zacuto Luſitano appoſita, *obſer. 64. lib. 1. praxis admirandæ* his verbis. *Diuinus ſenex lib. 2. epid. ſect 6. poſt medium ſic præfatur. Ad auris dolorem, cucurbitã affigito. Hæc memoranda ſententia ſummã attulit opem miſero cuidam, qui ex dolore auris atroci malè habens omnibus præſidijs deſtitutus, vigilijs debili, & amens factus, continuò febriens, & in horas moriturus ſperabatur. Hic cum ex venæ ſectione cucurbitulis coſtis, humeris, collo affixis, reuellentibus, clyſteribus, expurgantibus, cæterisque reuulſorijs auxilijs, ſicut, & anodynis intra aurem inditis, nullam ſentiret vtilitatem: cucurbitula ſcarificata, iuxta aurium glandulas applicita, leuatus eſt. Extracto enim copioſo ſanguine, inflammatione quæ reſoluta, huius auxilij beneficio omnino ſanus permanſit.*

Idem Zacutus Luſitanus, *in praxi ad hiſtorias*, laudat hirudines pœnè aures admotas, quaternario numero, quas maximum leuamen attuliſſe refert iuueni cuidam, ſæuiſſima auris inflammatione laboranti.

Mirandum etiam interdum effectum profert arteriotomia temporibus celebrata ad aurium dolorem atrociſſimum compeſcendum, ſanguinem feruidum & ſpirituoſum educendo, qui ſymptoma illud grauiſſimum producebat. Operandi modus à nobis expoſitus eſt in curatione doloris capitis à materia calida arcendi.

Purgatio etiam in hoc affectu vtiliſſima eſt, ex cholagogis compoſita; humores enim bilioſi ſanguini permixti eique fluxibilitatem, & anthirrhopiam conciliantes, ad inferiora retrahuntur, & foras educuntur.

Poſtmodùm verò iulepis refrigerantibus tota humorum maſſa cõtemperanda eſt, qui fiunt ex decocto lactucæ purtulacæ plantaginis, acetoſæ, & ſimilium, cum ſyrup. limon. granat. aut papaueris rhœados.

Interim verò, dum prædicta remedia vſurpantur, topica continuò adminiſtranda ſunt, quæ perpetuò anodyna eſſe debent, propter doloris vehementiam, cuius mitigatio reliquas indicationes ſuperat. Harum tamen ratio haberi poterit, ſi prædictis anodynis in principio, & augmento, leniter repellentia admiſceantur; in ſtatu verò, & declinatione reſoluentia quorum exempla talia eſſe poterunt.

℞. Lactis muliebris recenter mulcti ℥ ij album. oui agitati, vt liquorem abeat ℥. ß. M. inſtillentur tepide in aurem.

Uel lac ſolum, ab vbere in aurem inſtillatum, valdè dolorem lenit.

℞. Fol. plantag. & ſolani, ana M. j. flor. chamomel. & melil. ana P. j. Fiat decoctio, cuius ſummum æger excipiat in aurem per infundibulum.

℞. Ol. viol. nymphææ, & roſac. ana ℥ j M. inſtillentur in aurem tepidè per ſuffumigium.

Aſelli prædictis oleis infuſi, & expreſſi præſtantius faciunt anodynum. Hæc enim animalia eximiam habent vim dolorem ſedandi, eaque ratione in doloribus dentium, hæmorrhoidum, aliiſque vſurpantur. Vel dicti aſelli vim capiuntur, & in oleis cùm aqua decoquuntur ad aqua conſumptionem.

Si ardor ſit valdè intenſus, ſucci refrigerantes oleis prædictis admiſceri poterunt, in hunc modum.

℞. Ol. nymph. & roſac. ana ℥ i. ſucci ſolani, & plantag. ana ℥ ß. M. inſtillentur, in aurem.

Oxyrrhodinum à Practicis non paucis vſurpatur, ex olei roſacei partibus duabus, & aceti parte vna compoſitum; quod tamen ſuſpectum eſſe debet, quemadmodum omnia, quæ potenter repellunt. Periculum enim eſt, ne humor defluens in cerebrum vicinum retrocedat. Eſtque præceptum generale perpetuò obſeruandum, ne inflammationibus, quæ partibus nobilibus proximæ ſunt repellentia admoueantur. Admiſceri tamen poſſunt leuiora repellentia anodynis, & relaxantibus. Sic enim fluxionem moderatè reprimunt, nec tamen eã longiùs propellunt, cuiuſmodi ſunt ante propoſita quibus etiam ſequens commodè addi poterit.

℞. Ol. roſac. & nymph. ana ℥ i. ß. aquæ roſar. & plantag. ana ℥ ß. lactis muliebris ℥ i. mucilag. ſemin. pſyllii, & cyd. extractę cum aqua roſar. ana ℥. vi. M. inijce in aures guttulas aliquot huius liquoris tepentis, & circùm aures lintea, eo liquore macerata appone.

In dolore vehementiſſimo ad narcotica interdum confugere cogimur. Sed rarò ea vſurpanda ſunt, & maxima cautione adhibita quia cerebro infenſa ſunt. *Noui quendam* (inquit Gal. 3. *de comp. med. ſec. loco*) *ſolo vſum opio, & vocem, & ſenſum ægro ademiſſe, vt ne opobalſamo quidem, aut alijs imectis calefacientibus, homo amplius reſtitui potuerit.* Si igitur magna vrgeat neceſſitas, in hunc modum præſcribenda ſunt.

℞. Ol. de ſemin. papaueris ℥ j. ß. camphoræ, opij, ana gr. ij. M. inſtillentur in aurem.

℞. Ol. amygdal. dulc. ℥ ij. ſucci maluæ ℥ ß. myrrhæ ℥ ß. croci ℈. ß. opij gr. iij. vel iv. M. vtatur vt ſupra.

In topicorum adminiſtratione diligenter obſeruandum eſt Galeni præceptum, quod habetur *lib. de compoſ. medic. ſec. loc. c. 1.* vt ſcilicet auris inflammatione affecta non attingatur, ſed medicamenta in eam inſtillentur per auricularium ſpecillum, lana molliſſima obuolutum, & in iis intinctum; tum æger interrogetur, num medicamentum tepidum ei videatur, & num calidius ipſum ferre poſſit, & ad tantam caliditatem procedatur, vt ipſum non offendat. Tinctum itaque pharmaco ſpecillum ad principium meatus auditorij moderatè imponendum eſt, vt ex eo in altum medicamentum defluat idque toties iterandum, donec meatus impleatur; mox lana eodem medicamento imbuta tum meatus oſculo, tum auri vniuerſæ imponenda eſt.

In ſtatu morbi olea leniter reſoluentia anodynis permiſcenda ſunt, in hunc modum.

℞. Ol. chamæmel amygdal. dulc. & violac. an. ℥ i. ol. lilior ℥ ß. M.

Sed fomenta, & ſuffumigia potentiùs reſoluunt, quæ ex decocto ſequenti parari poterunt.

℞. Rad. alth. ℥ i. fol. maluæ, ſolani. hyperici, ana M. i. ſemin. lini ℥ ß. ſemin. maluæ alth. & papau. albi, ana, ℥ ii. flor. chamom. aneth. & roſar. ana P. i. Fiat decoctio in aqua, vel lacte pro potu vel ſuffitu. Aqua è ſtipitibus fraxini educta, in aurem inſtillata mirificè dolorem ſedat, eiuſque cauſam reſoluit. Stipites fraxini virides igni abmouendi, & aqua ab eorum extremitatibus ſtillans vſui reſeruanda.

Si tumor reſolui non poſſit, ſed ad ſuppurationem tendere videatur quod ex doloris incremento, pulſatione maiore, & febre intenſiore dignoſcitur naturæ motus adiuuandus erit, & cataplaſma ſequens admoueri poterit.

℞. Reſidentiam prædicti decocti, pro potu, & ſuffitu deſcripti, cui adde adipis anſeris, gallinæ, medullæ vituli, mucilagin. ſemin. pſyllij, & fœnugr. ana ℥ j. olei chamom. violac. ana ℥ j. butyri recentis ℥ i. ß. croci ℈ ß. Fiat cataplaſma.

Cataplaſma de mica panis hicerit etiam conuenientiſſimum; dolorem enim ſedat, & ſuppurationem leniter ſine calefactione iuuat, eaque ratione in omni phlegmone feliciter vſurpatur. Illius compoſitio talis eſt.

℞. Medullæ panis albiſſimi ℔. i. Coquatur in lacte caprino ad pultis conſiſtentiam; deinde adde vitellos ouor. num. ij. ol. roſac. ℥ ij. croci ℈ i. Fiat cataplaſma.

Maximè etiam commendatur cataplaſma ex cępa Victorij. Fauentini, quod in hunc modum componitur.

℞. Cœpam. num. i. butyri recentis ℥ ii. ol. chamomil. & roſac. an. ℥ i. croci ℈. i. Fiat cataplaſma, quod moderatè calidum parti applicetur.

Facta ſuppuratione abſceſſus rumpitur, & pus egreditur per auris membranam rarefactam, aut eroſam. Tumque æger in aurem affectam decumbere debet, vt pus commodè effluat, & in aurem infundenda, quæ pus eluere, & abſtergere valent.

℞. Decocti hordei ℥ iv. mellis roſac. ℥ i. M. inſtillentur tepidè in aurem.

Si à puris acrimonia vlcus generetur, peculiaris cura illi adhibenda eſt, quæ etiam conueniat vlceri, ab humorum influxu oriundo.

Ac primum quia ex ſententia Galen. *de compoſ. medi. ſecund. loc.* topica alicui membro adhiberi non debent, niſi priùs toto corpore repurgato. Euacuationes ſolemnes inſtituendæ ſunt per phlebotomiam & catharſin, ægrotantis naturæ, & temperamento appropiatam; eæque per curationis decurſum repetendæ, quoties opus videbitur. Mox topica abſtergentia, & exſiccantia vſurpanda, à mitioribus ad validiora progrediendo. Quorum exempla talia eſſe poterunt.

℞. Mellis optimi, & vini albi antiqui an. ℥ iii. Bulliant ad deſpu-

despumationem, & instillentur in aurem, cotone postmodum, eodem liquore imbuto, obturandam.

Deinde, ut medicamentum potentius efficiatur, succum marrubii, apii, absinthii, centaurii minoris, aut cyclaminis melli admisce, leviter decoq; & in aurem instilla. Vel.

℞. Succi betæ ʒ. j. marrubii ʒ. ß. mellis opt. ʒ. vj. Coque parum, postea adde syrupi absinthii ʒ ij. M.

Fortius medicamentum ita parabitur.

℞. Succi cyclaminis ʒ. j myrrhæ ʒ. j croci ℈ ß. thuris ℈ j. viridis æris ℈ ß. vini antiqui ʒ j. ß. Bulliant leviter ad vini consumptionem: liquor bis, aut ter in die infundatur.

Nota, ante quamlibet liquoris infusionem aurem esse abluendam hydromelite tepido, probeque abstergendam penicillis, ex mundis linteis confectis, vel specillo auriculario, cotone obvoluto.

Deterſum ulcus sufficienter ad cicatricem perducendum est medicamentis epuloticis, in hunc modum usurpatis.

℞. Aristolochiæ rotundæ, cortic. granat. & gallar. an. ʒ. ß. Coquantur in æquis partibus vini, & aquæ ferratæ ad ℔. ß. Colat. adde succi plantag. & polygoni, an. ʒ. j. mellis rosat. ʒ ij. M. instillentur in aurem. Vel.

℞. Thuris, myrrhæ, an. ʒ j. gummi juniperi ʒ ß. sarcocollæ, ladani an ℈ j. Fiat puluis, qui excipiatur terebinthina, & fiant pastilli, supra carbones iniiciendi, quorum fummum recipiat æger in aurem per infundibulum.

Vel puluis ille misceatur alicui succorum prædictorum, & auri instilletur. Vel alumen ustum cùm vino mixtum in aurem infundatur, potentissimam enim exsiccandi vim obtinet.

Si ulcus contumax fuerit, & vetustatem contraxerit: à fluxione foveri necesse est, cujus remotioni incumbendum est purgationibus usualibus, diæta ex guaiaco, & salsa parilla, errhinis, masticatoriis, cauteriis, aliisq; remediis, fluxionem avertentibus. Mox ulceris exsiccationi incumbendum est remediis fortioribus, quale est antea præscriptum, ex succo cyclaminis, myrrha, viridifæris aliisq; compositum. Vel sequens Valesci quo se aurium ulcere laborantem Presbyterum ab octo annis, curasse refert.

℞. Mellis ʒ x. aceti ʒ vii j. Coq; ad ignem, & despuma, deinde adde viridis æris ʒ j. M.

Hæc remedia manè, & serò in aurem infundenda sunt, & antequam instillentur, auris abluenda est sequenti decocto.

℞. Folior. ab Enth. althææ, & agrimon. an. M. j. Fiat decoctio in æquis partibus æquæ fontis, & vini albi, sub finem additi ad ℔. ß. In colatura dissolue oxymel. simpl. ʒ. j. ß. alum. puluerat. ʒ j. M. abluatur auris calidè, & postea exsiccetur specillo, cotone obvoluto.

Si dolor excitetur à remediorum acrimonia, immitratur ol. amygdal. dulc. vel amarar. cùm myrrha, aloe, & croco. Et si major sit dolor, misceatur parum opii, vel instilletur oleum ex vitellis ovorum, in mortario plumbeo subactum.

Si ulcus valdè sordidum appareat; unguentum Ægyptiacum succis prædictis dissolutum, usurpandum erit.

Deniq; plurimùm commendatur à Gal. Aetio, aliisq; tùm Græcis, tùm Arabibus, tum Neotericis scoria ferri, ad ulcus aurium potenter exsiccandum, Gal. 3. *de comp. med. sec. loc.* scoriam ferri, cùm ancero acerrimo tritam, vel decoctam usurpat Hollerius *in commentillius capitis*. Arabum præparationem magis probat, qui scoriam cùm aceto terunt, & posteà exsiccant; idque sepries reperunt posteà in pollinem redigunt, & cùm aceto acerrimo coquunt longa coctione, dum mellis crassitudinem acquisierit: atque ita siccant, in usum revocant, cùm melle, aliisque liquoribus dissolutam.

Si auris dolor excitetur ab aliquo corpusculo, in aurem immisso, ut lapillo nucleo cerasi, aut aliis hujusmodi, quæ intensum dolorem parere consueverunt, & interdum inflammationem convulsiones, ac mortem accersere: ut refert Matthæus de Gradibus: puero cuidam decem annorum, nucleum cerasi in aurem immissum & malè à chirurgo tractatum, insignem dolorem, ac mortem intulisse. Eorum corpusculorum extractio sic molienda est.

Primùm advertendum est an auriculario specillo corpuscula illa extrahi possint: quod cautè admodum agendum est, ne ab eodem specillo penitiùs immittantur quod non rarò solet contingere. Ideò si res in aurem immissa totum foramen impleat, satiùs est ab usu specilli omninò abstinere, & reliquia auxilia tentar, è quæ in hunc modum administranda sunt.

Paulus specillum lana involutum in resinam, seu terebinthinam, aut Gummi, aut aliud quoddam glutinas medicamentum demittendum esse scribit: ibiq; vertendum, donec sensim res in aure contenta extrahatur.

Si hoc modo nihil efficitur, oleum calens meatui continuò instillato, ut pars illa relaxetur, & res in aure contenta lubrica fiat; sic enim facilius excidere, aut extrahi poterit.

Adhibeantur sternutamenta naribus, narefque claudantur, & os comprimatur, ita enim à vehementi spiritus explosione, id, quod in aure continetur, expellitur.

Hæc auxilia indesinenter usurpanda sunt, donec æger liberetur. Si enim res in aurem immissa diutiùs perstiterit; inflammatio orietur; & postmodum multò difficilior erit corpusculi extractio, & grave impendebit periculum.

Arculanus *in nonum Rhasis* affert caput lacertæ auri admotum corpuscula illa extrahere, & propria experientia confirmat his verbis: *De expertis per me in extractione rerum infixarum in aurem est, ut lacerta viva, aut noviter mortua, applicetur cum capite suo auri, & ligetur sic per tres horas retenta, & cum ea amovebis, invenies rem infixam adhærentem capiti lacertæ. Et hoc valet in extractione cujuscumque rei ubicumque fixæ.*

Deniq; si oræ dicta remedia non sufficiant, ad extractionem veniendum est, quæ fit per instrumenta chirurgica; quæ fusè, & eleganter docentur à Fabricio Hildano *cent 1. obs. 4. 5. 6.* & ab Aquapendente *in operationibus chirurgicis, & capite de aurium chirurgia.*

Pulices aliquando in aurem sese insinuant, & illius cavitate sese commoventes magnam molestiam pariunt. Ad illarum extractionem globulus expilis caninis compositus in aurem demittatur, & pulex sese in eum inferet, ob sympathiam quam habent publices cum canibus. Vel ex lana molli compressa pessulum componito, & in aurem frequenter demittito. Vel dictum pessulum terebinthina illinito, & altiùs in aurem demittito.

Aqua in aurem introducta natando, aut caput irrigando, sæpissimè molesta esse consuevit, & dolorem efficere. Illa ut plurimùm facilè exeutitur, si quis alteri pedi innixus ejusdem lateris cum aure affecta, capite parumper declivi saliat. Si hoc non sufficiat, extractio molienda est exsuctione facta per fistulam aut arundinem penitissimè in aurem immissam, aut folle parvo in eandem introducto, & postea dilatato. Extremitas autem fistulæ, quæ in aurem demittitur, corone obvoluatur, ut foramini auris arctiùs uniatur, neve aer externus ingrediatur, qui attractionem impediret.

Gal. & Aetius assiduè oleum infundunt, & aurem irrigant, molitque lana fovent, deinde molli etiam lana extergunt, rursusque infundunt, idem sæpius repetendo.

Ac denique spongiæ mollissimæ, & siccissimæ frustula in aurem demittantur, donec sicca, nec ampliùs humida extrahantur.

CAPUT IV.

De exeuntibus præter naturam ex aurium cavitatibus.

EX auribus multa præter naturam egrediuntur, quæ sigillatim commemoranda sunt: iisque propria remedia sigillatim adscribenda.

Primò igitur rupto abscessu, post inflammationem genito: aut ex ulcere ab humorum acrimonia pus, aut sanies solet effluere, cujus curatio à prædictorum affectuum curatione dependet, quæ superiori capite fuit proposita.

Sanguis etiam aliquando ex auribus profluit, ut in vulneribus capitis, ac percussionibus in quibus venæ aurium rumpi, aut lacerari possunt. Si a tem modicus sit illefluxus: cohibendus non est, quia intus retentus inflammationem efficeret. Si verò is moderatus sit, aut diuturnior, cohibendus est venæ sectione, in brachio celebrata, & cucurbituli scapulis affixis cum scarificatione. Deinde adstringentia & refrigerantia in aurem instillentur, qualia sunt succus plantaginis polygoni; vel decoctum rubi, rosar. rubr. masticches, acaciæ, hypocistidis balaustiorum, sumach. & simil. in vino, & aceto, aut aqua ferrata.

Aquosus humor per aures è cerebro nonnunquam effluit, idq; pueris plerumque solet contingere; qui humor cohibendus non est: nam importunè suppressus epilepsiam, aut gravem alium cerebri affectum parit. Natura enim per hanc viam, licet minùs idoneam, excrementa deponit; nimiaq; humiditas, in capitibus puerorum luxurians, non solùm per vias ordinarias, huic usui à natura destinatas, nares scilicet, & palatum; sed etiam per aures, oculos, & totam capitis superficiem (unde ulcera, & achores capitis) expurgatur. Cùm tamen ista evacuatio symptomatica sit, & humor ad aures profluens, eas tandem exulcerare, & auditum lædere valeat; illius curationi convenienti methodo incumbendum est.

Ac primùm humores superflui, in cerebro redundantes, educendi sunt blandi, & frequenter repetitis purgationibus; tum etiam derivationibus, per vesicatoria posteriori parti cervicis admota, & causticum occipiti inustũ.

Postea meatus aurium detergendus, & exsiccandus est tali medicamento,

℞. Succi agrim. & absinth. an ℥ iv. vini albi, & mel. rosac. an. ℥. j. Bulliant parùm, & in aurem instillentur, sordibus prius absterſis; postea verò aures coronẽ obtrudentur, eodem liquore imbuto. Vel

℞. Vini albi ℥. iv. succor. agrimon. absinth. & centaur. minor. an. ℥ j. Bulliant simul & in aurem instillentur.

In adultioribus verò, si aquosus humor per aures effluat, & diu perseverat totum corpus, & ipsum cerebrum evacuandum est a pozemate cephalico, & purgante. Postmodùm humiditas superflua absumenda diæta sudorifica; derivanda vesicatoriis, cauteriis, & cucurbitulis: cæteraq; remedia administranda, quæ in frigidæ cerebri intemperiei curatione proposita sunt.

Vermes deniq; in auribus aliquando generantur ex putridis ulceribus, & exiis emanare solent; qui curatis quidem ulceribus, cessant. Quia tamen ulceris sanatio non tàm brevi tempore obtineri potest, vermium extinctio interim molienda est remediis convenientibus. Hoc unicum exempli loco haberi poterit.

℞. Ol. amygdal. amar. succi apii, centaurii min. an. ℥. ii, acet. ℥ ii. Bulliant parum, deinde adde myrrhæ, aloes, ana ℈i. M. instillentur in aurem. Si fortius desideres, colocynthidis ℈ ß. addit poterit.

PRAXEOS MEDICAE
LIBER QVARTVS.
DENARIUM AFFECTIBUS.
PRÆFATIO.

NARES varios affectus præter naturam pati consueverunt, qui ad morborum, vel symptomatum seriẽ referuntur. Ad morbos referuntur ulcus, & Ozæna, sarcoma, & polypus. Ad sympromata verò reducuntur olfactus læsio fœtor narium, coryza, sternutatio, hæmorrhagia. Ideò quartus hic liber septem absoluetur capitibus. Primùm erit de narium ulcere, & ozæna. Secundùm, de sacromate, & polypho. Tertiùm, de læso olfactu. Quartùm, de narium fœtore. Quintùm, de coryza. Sextùm, de sternutatione. Septimùm denique de hæmorrhagia narium.

CAPUT I.

De narium ulcere, & Ozæna.

VLcus narium, aut recens, & simplex est; aut vetustum, & putridum, quod Ozœna nominatur.

Recens, & simplex fit vel à causis externis, ut vulnere, aut contusione; vel ab internis humorum quippè acrimonia ad illas partes decurrentium, ac præcipuè pituitæ salsæ à cerebro profluentis.

Ozœna verò fit ab ulcere simplici, si negligatur; aut propter causæ malitiam, & majorem acrimoniam magis penetret, putridumque & sordidum efficiatur.

Diagnosis utriusq; petitur ex eo, quòd ulcus simplex nullum, aut exiguum dolorem inferat; sed tantùm aliquid sanguinis frequenter emittat, præsertim cum attingitur, aut irritatur. Alioqui crustula, sicca, eaq; nigra obducitur, quæ emunctionis impetu nonnunquam excutitur. Ozena verò majorem dolorem infligit, crusta illius sordidior est, tùm graveolens mucus ex ea profluit. Æger ipse tùm sibi graveolet, tùm adstantibus tetri odoris expiratione molestus est. & à fœdo illo odore ozœna Græcis nominata. Sæpè ulcus illud serpit; & vel narium pinoas, vel earum interstitium, vel interdùm tennella illius loci ossa exedit, ac putrefacit: exesumq; palatum aliquando perforat, idq; maximè si ad cancri naturam accedat, vel ex lue venerea (quod frequenter contingit,) aut elephantiasi originem duxerit.

Quod ad prognosin attinet; ulcera recentia, & ab humore benigno, minorisq; acrimoniæ participe gænita satis facilè curantur. Vetusta verò, sordida, putrida, difficillimè: & si in cancrum degenerent, prorsùs insanabilia sunt. Si à lue venerea, aut elephantiasi oriantur, curari non possunt, nisi affectus illi priùs auferantur.

Ad curationem, primùm victus ratio conveniens instituenda, quæ humorum acrimoniam contemperet, eorumque generationem prohibeat. Mox totum corpus evacuandum est phlebotomia, & purgatione convenienti; tùm cucurbitulæ affigendæ cùm sacrificatione. Et si fluxio humorum acrium in nares sit valdè contumax, vesicatoriis, & cauteriis, posterioribus partibus admotis, erit derivanda; tum capiti roborantia administranda,

Præmissis universalibus remedijs, ad topica veniendum est. Ac primùm advertendum; num ulcera crustosa sint, & antequam ulterius progrediaris, crusta auferenda est, eam emolliendo fotu aquæ tepidæ, butyro infuso, adipe anseris, aut galline recenti, oleo amygdalarum dulcium, & similibus. Emollita crusta vi excutienda non est, ne irritetur vlcus, & fluxio exasperetur, sed expectandum est, dum sponte decidat, nares emungendo, aut saltem leniter, & blandè summittate digiti, oleo amygdalarum dulcium inuncta detrahenda.

Ablata crusta, adstringentia, & exsiccantia remedia usurpanda sunt. In simplici ulcere sufficit, aqua hordei cum melle rosac. ulcus abluere, deinde unguento de tuthia, vel albro Rhasis, vel oleo ex vitellis ovorum illinire, quod erit efficacius, si in mortario plũbeo priùs agitetur.

Ad ozœnam verò sequentia parabuntur.

℞. Hordei integri P. j. fol. agrimon. plantag. absinthii. & centaurii min. an. M. j. rosar. rubr. P. ß. Coquantur in aqua ferrata. In colat. dissolue mellis ros. ℥. iv. fiat errhinum naribus frequenter attrahendum.

Post aliquam detersionem sequens decoctum usurpandum est.

℞. Balaustiorum, & cortic. granat. an. ℥. ii. fol. plantag. caudæ equinæ, piloselłæ, & herniariæ, an. M. j. radic. bistortæ ℥. j. aluminis crudi ℥. j. ß. Fiat decoctio.

Aqua aluminosa ad idem etiam est efficax: tum ea remedia, quæ ad polypum adstringendum, & exsiccandum capite sequenti proponentur, erunt efficacia.

Ad idem facit unguentum Ægyptiacum in aqua hordei dissolutum.

Deinde fiant unguenta, quæ adstringãt detergant, & summè exsiccent; ut unguentum pompholygos, addito alumine, chalci-

cha lcitide, & cortice mali granati. Vel sequens vnguentum præscribatur.

℞. Omphacij ʒ.ß. cortic. mali granati, balaustiorum an. ʒiij. myrrhæ, aluminis, ladani an. ʒij. chalcitidis, aloes, cortic. thuris, ana ʒ j. olei rosac. & myrtin. ʒ ij. ceræ rubræ quantum satis. Fiat vnguentum, quod applicetur vlceri: vel dissoluatur in vino, aqua plantag. peculi rosar. aut myrtillor. & frequenter naribus attrahatur ore aqua pleno.

Si hæc non sufficiant; abluatur vlcus aqua sublimata, bis, quaterue in die. Siccat enim egregie, & citra vllum morsum detergit. Illius præparatio talis est.

℞. Aquæ plantag. ʒ. iv. sublimati crudi pulu. gr. xij. Bulliant in phiala vitrea ad mediæ partis consumptionem. Potest augeri, vel minui sublimati quantitas, prout fortius, aut debilius medicamentum efficere volueris.

Vlcere probè detersо, ad illius exsiccationem veniendum est: cui rei conferet puluis rosarum rubratum insufflatus. Et si efficacius id præstare velis, pulueres vnguenti prædicti addi poterunt.

Rondoletius ad vlcera exsiccanda, post sufficientem detersionem, nihil efficacius esse testatur suffumigio, quod partes illas profundas attingit, & siccat; idque parandum esse docet ex potentissime resiccantibus, vt auripigmento, & cinnabari, quibus addenda sunt aliqua odorata, ex quibus fuligo excitatur, & vlcera siccantur, vt myrrha, thus, mastiche, benioinum, &c. quæ in hanc formã reduci possunt.

℞. Ladani puri, hypocistidos, mastich. myrrhæ, an. ʒiij. styracis rubræ, & calamitæ, cortic. thuris, sandaracæ, auri pigmenti; ana ʒij. Excipiantur omnia terebinthina, & fiant trochisci, quibus suffiatur æger serò, & mane in cubiculo.

Optimum etiam est parare candelas ex cera rubra, nam fuligo talis candelæ narium vlcera potenter exsiccat, maximè si æger contineatur in cubiculo bene clauso, & angusto. Quòd autem fuligo recipiatur idem experimur (inquit Rondeletius) cum diutiùs in Musæolo moram trahimus noctu: nam postea sputum, & excrementa narium fuligine illa denigrata redduntur. Deinde hæc addit: *Hac ratione nos vlcus curauimus, quod neque ab Italis, neque a Gallis Medicis curari potuerat.*

CAPVT II.

De Sarcomate, & Polypo.

NArium vlceribus excrescentiæ carneæ interdum superueniunt quæ aliud morbi genus, nempe tumorem præter naturam constituunt. Earum autem duplex est differentia, quarum vna Sarcoma nominatur, altera verò Polypus.

Sarcoma est excrescentia carnea in naribus genita, certa figura carens, & vlcerum, quæ partibus externis adueniunt, hypersarcosi quam simillima.

Polypus verò est excrescentia carnea, radicibus exilibus adhærens, in latum sese porrigens, & inferiores narium partes propendens, ita vt polypi pisces speciem referat, vnde nomen sortitus est. Rhasis narium hemorrhoidas appellat, quoniam hæmorrhoidibus, quæ in ano succrescunt, quodammodo similes sunt. Hæc autem caruncula mollis, est modò alba, modò rubra, ac interdum liuida; & si multum excrescat, aliquando extra nares propendet; si verò in summis narium partibus adnascatur, aliquando ad palatum propendet, & communes oris meatus obstruit, & post vuam facile conspici potest. In australina constitutione maximè inflatur, tum etiam in plenilunio. Tempore verò aquilonio, & sicciore existente, tùm etiam in nouilunio plurimùm imminuitur. In hoc etiam à sarcomate differt: quod sarcoma magis in imis narium partibus, quæ carnosiores sunt, succrescere; polypus verò in summis, ac superioribus iuxta nasi radicem soleat.

Vtriusque tumoris causa est humor crassus, viscidus, ac pituitosus è cerebro defluens, alicui sanguinis portioni admixtus. Aliquando humoris melancholici portio quædam admixta est: tuncque metus est, ne in cancrum degeneret. Ex superfluo tamen narium nutrimento, in carnem luxuriantem commutato, sarcoma sæpè generatur: Ideò curatu faciliùs est.

Horum affectuum diagnosis ex his quæ dicta sunt, facilè intelligitur, tum ipsis oculis per se patet.

Prognosis verò ita instituenda est; vt sarcòma plerumque facilem curationem incipiat, polypus verò admodum difficilem. Ille tamen qui mollis est, albus, vel ruber; vel colore ex albo, & rubro composito præditus faciliùs curatur. Purus verò, ac liuidus, difficillimè. Et periculum est, ne in cancrum degeneret. Item qui in ima, aut media narium parte residet, faciliùs curatur, qui verò in summa parte radicatur, difficilem curationem suscipit: quoniam remedia ad eam partem vix possunt pertingere.

Vterque affectus ijsdem remedijs curatur, quæ ad hunc scopum redigenda sunt, vt caro superflua auferatur. Sed prius causa antecedens tollenda est, humor scilicet pituitosus à capite defluens: quod fiet victus ratione attenuante, & exsiccante, vacuatione vniuersali, reuulsione, derivatione, & capitis exsiccatione. Quæ omnia perficientur remedijs in frigide & rebri intemperiei curatione propositis, cum Medici curantis prudẽtia vsurpandis. Quam vis enim multi authores testentur, decoctum guaiaci cũ victu exsiccante in hoc affectu plurimùm sæpe contulisse; cauendum tamen est, ne calidi humores pituitæ admixti sint; eorum enim efferatione polypus in cancrum conuerti tãdẽ posset.

Postmodum verò caro superflua absumenda est causticis medicamentis, vel ferramentis idoneis abscindenda, & vlcus relictum cicatrice obducendum. In principio tamen, dum adhuc morbus recens, solis adstringentibus, & valdè exsiccantibus interdum curatio obtineri potest, & perpetuò mitiora illa remedia priùs tentanda sunt, antequam ad vehementiora deueniatur.

Primò igitur tentandum est medicamentum, compositum ex tribus generibus malorum granatorum, à Galeno propositum *lib. 3. de comp. med. sec. loc. c. 3.* quod sic habet: Accipiantur tria mala granata, ex tribus generibus eorum, acidis scilicet, dulcibus, & mediis, eaque matura, ac recentia terantur simul in mortario. Deinde succus exprimatur, & coquatur in linimenti formam. Specillum ex lana, vel linteo confectum eo succo imbuatur, & frequenter in narem demittatur. Hoc remedium siccat, & adstringit sine morsu, & excrementitium humorem absumit.

Sequens verò aqua eundem effectum præstat efficaciter.

℞. Vuarum immaturarum ℔. iij cortic. mali granati, balaustorum, sumach. an. ℔. ij. Macerentur in aceto, & destillentur, deinde adde aluminis ℔. j. vitrioli ʒ. iij. Destillentur iterum omnia simul, & aqua illa tagantur partes internæ narium frequenter.

Si hæc non sufficiant; ad potentiora veniendum est: & aquæ prædictæ sandaracha, & auripigmentum adijcienda sunt.

Vel spiritus vitrioli, aut aqua separationis auri, quæ secunda vulgò nominatur, aqua plantaginis temperanda est, ijsque polypus frequenter attingendus.

Vel illinatur aqua mercuriali, in vlceris narium curatione descripta.

Vel immittatur turunda, succo radicis ari imbuta, & si succus acrior fuerit, aqua plantaginis etiam temperari poterit.

Inter præcipua annumerari debet Mercurius præcipitatus rubeus, qui si plurimis lotionibus dulcoretur, hypersarcosim egregiè absumit sine vllo, aut exiguo dolore. Ille puluis melli rosaceo permiscendus est, eoque intincta turunda in nares demittenda.

Emplastra etiam in hunc vsum reuocantur, quæ sine insigni dolore polypum absumere valent, quorum formula talis esse poterit.

℞. Massæ emplastri de mucilaginibus ʒ. ß. pulueris sabinæ ʒ ij. Malaxentur, & incorporentur simul. Ex hac massa fiant cereoli debitæ magnitudinis, in aures immittendi. Vel.

℞. Viridis æris, auri pigmenti, vitrioli, aluminis crudi, an. ʒ. j. ß. antim. ʒ vj. Macerentur in aceto, deinde exquisitè terantur, post siccentur, eadem tritura, & maceratione octies repetita; dein in aqua plantaginis denuò macerata siccentur. Postea ℞. olei rosacei ʒ. iv. lithargyri ʒ. ij. Nutriantur, & coquantur: addendo sub finem coctionis prædicti pulueris ʒ. ij. Coque in emplastrum satis glutinosum, ex quo formentur cereoli, vt supra.

In vsu medicamentorum causticorum primo notandum est: ante eorum admotionem nares esse muniendas vnguento refrigerante Gal. vel nutritio, vel populeo, vel oue albumine agitato cùm oleo rosaceo. & similibus.

Secundò obseruandum est: medicamenta caustica, ne nares lædant per fistulam argenteam immitti posse ita, vt fistulæ extremitas polypum ambiat, atque ita medicamenta ad eum conferri possint, naribus intactis.

Tertiò notandum est: dicta medicamenta decrescente luna esse vsurpanda. Tunc enim tumor admodum imminuitur, & ita remedia facilius ad radicem vsque immitti possunt, cum tumor eorum introitum impediat.

Denique si medicamentis polypus auferri nequeat, ad operationem chirurgicam veniendum est, quæ describitur, à Paulo Ægineta, Cornelio Celso, Hieronymo Fabricio ab Aquapendente, aliisque recentioribus.

CAPVT III.

De læso olfactu.

OLfactus, quemadmodum, & reliquæ omnes corporis actiones, tribus modis læditur, imminutè, abolitè, & deprauatè.

Imminuti, & aboliti olfactus eædem sunt causæ, secundum magis, & minus tantùm differentes: intemperies scilicet, obstructio, & adstrictio.

Intemperies frigida, & humida, cum materia pituitosa coniuncta, vt quemlibet sensum obtundere nata est: sic olfactum imprimis imminuit, aut abolet: vnde in catarrho, & coryza frequens esse solet huiusmodi olfactus lesio. Frigiditas enim sensum imminuit, aut abolet, quatenùs calorem natiuum partis, actionum omnium opificem, obtundit, ac debilitat.

Obstructio ab eodem humore pituitoso producitur, qui meatus tum sensiles, seu narium ductus; tum insensibiles, seu poros ipsius cerebri, & processuum mammillarium replet, vt odores ad eas partes peruenire nequeant. Potest etiam fieri à sarcomate, polypo, & alia quauis causa, narium meatus replente, & obturante.

Adstrictio etiam interdum potest contingere ab humore pituitoso, in anteriore cerebri parte collecto, & processus mammillares comprimente, vnde visus imminutione à neruorum opticorum adstrictione à nobis dictum est. A natiua etiam narium conformatione eadem adstrictio potest contingere si nimirùm illa ita depressæ, & angustæ fuerint, vt liber odoribus additus non pateat.

Deprauati olfactus causa est odor prauus, nares continuò feriens, qui quidem aut ex vlcere narium exhalat; aut putrida pituita circa nares, vel os ethmoides contenta. Nam quæ in ipso olfaciendi sensu, aut prope hunc intra meninges putrescunt; sensum ipsum haudquaquam ferunt, nec ea laborans, sed qui vis assidens deprehendit. Vt enim quidpiam odoratum feriat, oportet aliunde ad ipsum sensum deferri. Potest etiam tetet, ac fœtidus vapor ab alijs partibus, vt ventriculo, gingiuis, & cerebro ipso ad processus mammillares exhalare eosque ita inficere, vt omnes odores eò delati simili fœtore infecti appareant, quemadmodum lingua bile amara infecta existente, omnia, quæ gustantur, sapore amaro prædita esse videntur.

Harum causarum quælibet satis facilè dignoscitur. Frigidam intemperiem, & pituitæ redundantiam ostendunt frigida, & humida cerebri intemperies, & mucosa pituita è cerebro stillans.

Obstructio verò, si à pituita originem duxerit, ijsdem signis indicabitur. Si à sarcomate, vel polypo, ex proprijs capitibus diagnosis erit desumenda.

Locus verò, in quo materia residet, obstructionem efficiens, dignoscitur ex eo, quòd si narium meatibus hæserit, vocis oblæsio contingat, quia nares ad vocem efformandam plurimùm conferunt. Si verò anteriori cerebri parti, aut processibus mammillaribus dicta materia hæserit, vox integra permaneat.

Odor prauus, olfactus sensorium feriens, à qua parte ducat originem, ex proprio cuiusque vitio erit dignoscendum.

Quod ad prognosin attinet, olfactus læsio recens, & à simplici coryza genita facilè curatur, inueterata verò, & à confirmata intemperie proueniens, difficile: quæ ex mala narium conformatione procedit, incurabilis est.

Curatio pro diuersitate causarum diuerso modo instituenda est. Si à frigida intemperie oriatur, ea remedia illi adhibenda sunt, quæ pro frigido catarrho proposita sunt.

Ad obstructionem verò ab eadem pituita ductibus narium, aut processibus mammillaribus impacta, auferendam: partes illas expurgantia remedia vsurpanda sunt, errhina nimirùm, sternutatoria, & apophlegmatismi; quæ etiam in frigidæ cerebri intemperiei curatione à nobis proposita sunt.

Si denique à sarcomate, aut polypo nares obstruantur, ex præcedente capite eorum curatio erit desumenda.

CAPVT IV.

De Fœtore Narium.

NArium fœtor, & fœtor anhelitus valdè differunt inter se. Ille enim ex naribus tantùm prodit; hic verò ex varijs partibus, ventriculo nimirùm, pulmone, gingiuis, ac faucibus vlceratis, quæ vel sensu ipso, vel proprijs signis discerni possunt.

At narium fœtor ex putridis vaporibus, vel in naribus ipsis genitis vt in ozæna, sarcomate, aut polypo putrefactis, vel ad nares transmissis, ex humoribus putridis in ipso cerebro, & parte illius anteriore: vel circa processus mammillares, aut os cribrosum contentis producitur. Putrescunt autem humores pituitosi in dictis partibus, quando in ijs præter modum retinentur, præsertim si calida, & humida cerebri temperies accesserit. Retinentur verò propter obstructionem earum partium, aut constrictionem nimiam, vt in simis, & depressioribus contingit.

Narium affectus talem fœtorem producentes proprijs signis supra propositis dignoscentur: quorum si nullus adfuerit; ab humore putrido in ipso cerebro, aut processibus mammillaribus, aut osse cribroso contento grauem illum odorem prouenire conijciendum erit.

Prognosis fœtoris narium, qui ab vlcere, polypo, aut sarcomate promanat, ex eorum prognosi dependet.

Qui verò à corruptis humoribus in cerebri anteriori parte contentis exoritur, si recens fuerit; facilè curatur: si inueteratus incurabilis est, maximè si à mala narium conformatione, nempè simitate, & depressione nimia contingat.

Curatio perficitur causarum ablatione, & symptomatis lenitione.

Vlceris, sarcomatis, & polypi curatio suprapositа est. Humor verò putridus in cerebro, processibus mammillaribus, aut osse ethmoide contentus, vacuantibus, & abstergentibus auferendus erit.

Ac primum euacuationes vniuersales instituendæ sunt, quæ totum corpus, & ipsum cerebrum excrementis pituitosis liberent, per apozemata pilulas, & alia id genus. Quibus, si magna humorum saburra redundare videatur, dieta sudorifica addi poterit. Mox errhina abstergentia, & materiam coniunctam educentia erunt administranda.

Ac primùm manè, & vesperi, è vola manus vinum album attrahatur, cui centaurium minùs, & calamentum incoctum fuerit.

Deinde betæ succus, cum aqua maioranæ extractus, loco prædicti attrahatur. Vel.

℞. Rad. cyper. & calami arom. an. ʒ. ß. rosar. rub. P. j. myrrhæ ʒij. Coquantur cum vino albo pro errhino.

Ad potentiùs pituitam ex alto eliciendam, sequens componi poterit.

℞. Rad. ireos Flor. ʒ. ß. hellebori albi, piperis longi, an. ℈ ß. sem. anisi, & maioranæ siccæ pulu. an. ℈ j. euphorbij gr. j. ol. nardini, cheirini, & viol. an. quantum satis. Fiat vnguentum molle, quo intincta minimi digiti extremitate fricentur nares internæ: vel turunda, aut alio linamento, lentis magnitudine in nares immittatur.

Denique ad fœtidum odorem fallendum, suaueolentia naribus sæpè attrahenda sunt: vt gallia moschata, in vino odoro dissoluta, aqua angelica, & alia eiusmodi.

CAPVT V.

De Coryza.

COryza, quæ, & grauedo a Latinis nominatur, est catarrhi species, in qua fluxio cerebro in nares defluit. Illa autem defluxio est humoris crudi, in anterioribus cerebri ventriculis contenti, qui a causa plerumque externa cōcitatur, æstu Solis nimirum, vini, potu largiori balneo calidiori, & similibus, quæ pituitam in cerebro collectam fundere,

fundere, ac liquare possunt. Fit etiam à causis externis cerebrum refrigerantibus: comprimitur enim tunc temporis spongiæ instar, & humorem in se contentum ad partes subiectas amandat. Tùm etiam cerebri refrigeratione nouus fit pituitæ prouentus: illud enim caloris penuria male concoquit alimentum, unde plurimi excrementi proventus, quòd à facultate expultrice per vias patentes excluditur.

Affectus iste per se patet: in eo enim plurimus humor per nares excernitur.

Inter reliquas catarrhi species, quæ in nares fit, leviſſima, & tutiſſima est, ac citò curatur, si recens fuerit, & à causa externa concitata. Quæ verò diuturna est, à contumaci cerebri intemperie oriunda, difficilè curatur. Tùm etiam si à calida hepatis intemperie producatur, quæ non raro catarrhos calidos, & acres inuenit, à quibus nares sæpè exulcerantur, alioſq; affectus graves patiuntur.

Curatio huius affectus à catarrhi curatione desumenda est. Eaſdem enim evacuationes, & revulſiones, & derivationes postulat. Nisi quod errhina hic usurpanda non sint, ne nimiùm ad partem affectam attrahant; sed apophlegmatiſmi, & masticatoria, post universalia maximè conveniunt.

Ac præter dicta remedia, authores nonnulla commendant, quæ coryzæ compescendæ peculiariter conveniunt, ut vapor decocti majoranæ naribus exceptus; vel aqua majoranæ naribus excepta. Vapor aceti in ferream laminam candentem infusi ad idem confert: idq; efficaciùs, si in aceto rosæ rubræ priùs infundantur.

Si fluxio valdè frigida fuerit; suffitus sicci ex nigella, thure, aliſq; in prunas coniectis erunt utiliſſimi. His enim frigida cerebri intemperies corrigitur, & superflua humiditas absumitur.

CAPUT VI.

De Sternutatione.

Licet Sternutatio in statu sano sæpiſſimè contingat, & tàm levis affectio, ut plurimum esse soleat, ut symptomatis nomen non mereatur; Aliquando tamen adeò molesta efficitur, ut Medici curantis opem desideret, quemadmodum apud Forestum videre est, qui *observat. 127. lib.* 10. hiſtoriam proponit cujusdam ancillæ, quæ tam gravem, & molestam ex catarrho acri, & falso sternutationem patiebatur, ut ad plurium Medicorum opem confugiendum fuerit. Idem confirmat vetus consuetudo sternutantibus benè precandi; quam nonnulli inde ortam existimant, quòd Gregorij Magni temporibus morbus epidemicus sævierit, in quo ægrotantes sternutando moriebantur, quamvis alij antiquiorē esse illam consuetudinem asseverēt.

Est igitur sternutatio cerebri motus velox, quo per nares confertim acto spiritu molesta excernere conatur. Per cerebrum autem non solùm cerebri substantiam; sed totum aggregatum ejus cum membranis intelligimus, præcipuè anterioribus, quæ in primis in hoc affectu contrahuntur. Quòd ex eo licet colligere: quòd, dum caput attollimus, faciliùs sternutemus, tunc enim materia irritans, quæ ut plurimùm vaporosa est, & sursum sua natura fertur, faciliùs ad illam partem defertur.

Ille autem motus, qui sternutatione contingit, ad cerebri, & membranarum facultatem expultricem naturalem spectat, iuxta Gal. doctrinam 2. *de sympt. causis c.* 1. ubi distinguens sternutamentum à tremore, & palpitatione, dicit palpitationem à solo morbo fieri: tremorem verò à natura, & morbo: sternutationem deniq; à sola natura.

Sibi tamen prima fronte contradicere videtur Gal. qui *c.* 4. *eiusdem libri*, tussim, & sternutationem voluntarias facultatis symptomata esse dicit. Nulla tamen contradictio est, seq; ab ea disertè liberat Gal. innuens: facultatem animalem in sternutamento concurrere tantùm secundariò, quod videlicet in sternutamento è capite, & à pulmone spiritus emittatur; attamen caput pectori principium motus tradere. Cùm enim quæ in naso offendunt, persequi properat, utriusq; emittendi spiritus vijs simul utitur: altera quidem, quam ipsum per se facit; altera, quam per nervos, ueluti per quædam longa bracchia, quæ in pectus descendant: unde idem Galenus *comm. Aph.* 51. *sect.* 7. docet antecedente inspiratione sternutamentum fieri natura aggregante aeris copiam ad sternutationem. Tùm enim aer, qui è pectore egreditur, coniunctus ei, qui per nares ad cerebrum attrahitur, quidquid narium membranis, exquisito sensu donatis, molestum est, cum impetu, & sono explodit.

Ex hoc etiam Gal. loco colligitur, irritationem sternutationem excitantem in naso potiſſimùm fieri, Quod etiam confirmatur alia sententia, quæ habetur in *comment. Aph.* 51. *lib.* 7. ubi, *soli*, inquit, *ex his ita affectis illi sternutant, quibus mordax est ea quæ à capite fluit humiditas; seu, & si quid mordax naribus imponas. Sicut enim tussis motus quidem naturalis est, ad expurgandas eas, quæ sunt in pulmone, asperas arterias: sic, & sternutamentum manifestè videtur expurgare narium meatus.*

Verùm objici potest: quòd multi caput nudantes, aut alio quovis modo aeri frigido exponentes, sternutamentum illicò patiantur, ut videatur tunc temporis cerebrum immediatè irritari. Respondendum est, aerem frigidum esse causam sternutationis, non dum in cerebrum immediatè agit; sed quia, cerebrum eiusq; membranas exprimendo, in causa est, ut acris materia ad nares descendat. Quamvis igitur in hoc symptomate cerebri membranæ possint etiam irritari; non priùs tamen sternutatio promovetur, quàm noxa ad narium membranam, quæ exquisitiſsimo sensu prædita est, pervenerit.

Causæ sternutamenti ex dictis colligi possunt, quæcunque nimirùm tunicam narium internam irritare possunt, quales sunt humores, aut vapores acres, vel à cerebro delabentes; vel à partibus inferioribus transmiſſi. Vnde in febribus interdum sternutationes contingunt, ut ait Avicenna, quia vapores acres à toto in caput transferuntur; vel exteriùs in nares acria immittuntur, quemadmodum medicamentis acrimonia præditis, quæ pharmica nominatur, sternutamentum excitamus. Hæ quidem causæ externæ sternutationem immediatè producunt. Dantur tamen aliæ quam plurimæ, eandem mediatè efficientes, internas scilicet generando, vel commovendo, quales sunt omnes aeris alterationes, ut de frigido aere supra dictum est. Gal. *lib. de instrum. odorat. cap.* 6. dicit: à Solis aspectu sternutationem excitari, quia cerebri spiritus, vapori similes, à Sole funduntur.

Diagnosis ipsius affectus per se manifesta est. Causæ externæ ex ægri relatione patent; internæ verò ex signis partium affectarum, à quibus materia irritans ad nares, & anteriorem cerebri partem transmittitur.

Quod ad prognosin attinet; hic affectus ex se omni vacat periculo in principio tamen catarrhi, & coryzæ valdè nocet quia humor concoquendus quiete indiget. Interdum autem in febribus adeo viget, ut vires deijciat, & fluxum sanguinis è naribus interdum excitet. Sæpè tamen nullo modo nocet, & in sanis cerebri superfluitates expellit. In ægris verò pro bono signo habetur. In febribus præcipuè malignis, etiam rebus omnibus desperatis, salutem promittit. Hystericæ mulieri, aut difficulter parienti si sternutatio accidat, bonum. *Aph.* 35. *sect.* 5. Medicamentis pharmicis provocata sternutatio, apoplexiæ, aliſq; gravioribus cerebri affectibus prodest. At si provocata non adveniat, signum lethale est: natura enim succumbere significat.

In morbis pulmonum pleuritide præsertim, & peripneumonia, sternutatio mala est, ex Hipp. 2. *progn.* quia ex concussione illa sternutantis cerebri lacerantur, & violenter divelluntur partes thoracicæ, unde inflammatio valde augetur, & nulla præterea fit materiæ morbificæ vacuatio. Ad pituitam verò in bronchijs pulmonum contentam, potenter expellandam, quæ tussi rejci non potuerat, sternutamentum conferre docet Gal. 2. *de sympt. caus. c.* 5. & 6.

Curatio, quando necessaria est, dum scilicet sternutatio alia infert incommoda, perficitur primò causarum externarum amotione, si abijs, excitetur. Si verò fiat a causa interna; illa etiam auferenda est evacuantibus, revellentibus, derivantibus, & discutientibus remedijs.

Si itaq; calida cerebri, aut alterius partis intemperies vapores acres ad nares, & interiores cerebri meninges transmittat, venæ sectio celebranda est, mox purgatio idonea instituenda. Deinde vapores illi revellantur frictionibus, & ligaturis extremorum, cucurbitulis scapulis admotis; tum reliqua revellentia, derivantia, & discutientia usurpentur; caput pectinetur, aures vellicentur, oculi confricentur, nares emungantur, spiritus cohibeatur.

Ad acrimoniam deniq, demulcendam, & narium irritationem compescendam utile erit aquæ tepidæ vaporem naribus excipere; vel eaſdem olco violaceo, rosacto, amyg-

dal dulcium ; aut butyro recenti illinire : vel lac tepens naribus attrahere , quo solo remedio Forestus ancillam a gravi sternutatione , in principio hujus capitis proposita, confestim liberavit.

CAPUT VII.

De Hæmorrhagia narium.

HÆmorrhagiæ nomen quemlibet sanguinis fluxum à quacunq; parte profluentis vulgò significat. Peculiariter tamen , quando simpliciter absque ulla partis affectæ mentione enunciatur ab Hippocrate , id tantùm profluvium significat , quod è naribus fit ; tanquam speciem primariam, & evidentissimam ; ut annotavit Galen. *comm. in* 1. *Epid.*

Est autem hæmorrhagia narium symptoma in excretis eorum , quæ sunt toto genere præter naturam. Sanguis autem per nares effluens, aut à venis , & arteriis , cerebri basim per reptantibus effunditur , aut à vasis è palato ad nares descendentibus quæ sunt instar venarum hæmorrhoidalium in ano , & utero.

Cùm verò omne symptoma pendeat à morbo , tanquam à causa proxima , & immediata : hujus causa erit morbus organicus , vel communis. Organicus duplex est , vasorum apertio , quæ ἄνοδος Græcis dicitur , & rarefactio , διαπήδησις appellata. Communis etiam duplex , eorundem vasorum ruptio , quæ ῥῆξις nominatur ; & erosio , διάβρωσις appellata.

Causæ istos morbos immediatè producentes sunt , Sanguinis quantitas , vel qualitas excedens. Sanguis quantitate peccans venas rumpere , aut orifica illarum aperire potis est. Idem verò qualitate peccans si nimirùm calidior, tenuiorque sit , per anastomosin effluere potest , quia calor orificia dilatat , & tenuitas efficit , ut faciliùs effluere possit. Eædem qualitates diapedesin etiam efficiunt. Calor enim rarefacit tunicas vasorum , & sanguinis tenuitas efficit , ut per poros earum tunicarum transfluere possit. Sanguinis denique acrimonia venarum tunicas erodit , & exulcerat , & diabrosin pariter.

Causæ etiam externæ ad horum morborum productionem concurrunt mediatè, vel immediatè , immediatè id præstant casus , ictus , vulnus , & alia id genus , quæ venas rumpere , aut dividere valent. Mediatè verò operantur , quæcunque sanguinem multiplicare , calefacere , aut attenuare possunt ; ut victus plenior , crapula , otium aut exercitia nimia , magnus clamor , æstus , longa in sole mora , & alia quam plurima.

Hæmorrhagiæ differentiæ ex eo desumuntur , quòd alia critica sit , alia symptomatica. Critica fit in febribus acutis , vi naturæ , causam morbificam per has vias expellere conantis : præsertim in iis , quæ visceris alicujus inflammationi conjunctæ sunt , ac in primis hepatis , & lienis , quæ per has vias saepissimè soluuntur. Fit etiam interdum sine febre , natura sese à superfluo sanguine exonerante , unde vidimus quamplurimos ætate juvenili periodicam hæmorrhagiam pati ; alios etiam per alias vias sanguinem utiliter effundere.

Symptomatica verò in morbis chronicis præcipuè contingit , in quibus sanguis vitiosus ab hepate debile , & insigni aliqua intemperie laborante producitur , qui vel ob retentricis facultatis imbecillitatem per venas illas effluit ; vel ab expultrice reiicitur , tanquam onus inutile , cùm sanguis impurus , & vitiosus corpori alendo idoneus non sit.

Cognoscitur per se ipsa hemorrhagia. Causæ verò illius hoc modo distinguuntur. Eam quidem quæ sit per ἄνοδον ωσιν hoc habet commune cum ea , quæ per ῥῆξιν , quòd in utraq; sanguis copiosè fluat. Sed in eo distinguuntur , quòd si præcesserit ictus , vel casus ῥῆξις potiùs adesse coniiciendum sit. Cùm autem à plethora , & sanguinis multitudine ruptio , & apertio vasorum possit contingere ; ita distingui possunt ; quòd rupto vase , sanguis continuò effluat ; aperto verò, tantùm per intervalla : quia vasorum orificia constringi solent , quando humoris copia dilatans ad ea minùs confluit. Vasa autem rupta semper aperta manent ; & idcò sanguis continuò effluit , donec solutio continvi in iis facta iterum uniatur. Propterea distinguitur apertio vasorum à ruptione ex ipsius sanguinis substantia. Si enim tenuis sit, ab apertis vasis potiùs : si crassus , à disruptis emanat. Hinc fit , ut hæmorrhagia plerumque in juvenibus à vasorum apertione fiat , quia sanguinem habent tenuiorem : in senibus verò à ruptione , quia crassiorem obtinuerunt.

Si à venarum erosione fiat hæmorrhagia ; ad sunt signa cacochymiæ , ulcerisue ; & pus , aut sanies interdum egreditur , aut saltem catarrhus salsus præcessit. Si per διαπήδησιν effluat sanguis ; ille tenuis est , & admodum paucus.

Causæ verò antecedentes , & externæ facilè distinguuntur. Si enim à copia sanguinis hæmorrhagia contingat ; ad est rubor in facie , & tensio venarum : tùm etiam præcessit victus largior , & calidior , aut causa aliqua externa fundens , & attenuans sanguinem ; hæc autem præcipuè contingunt iis , qui calidiori hepate præditi sunt.

Si à cacochymia affectus proveniat , illa propriis signis distinguetur , quæ bilem , aut melancholia redundantem ostendunt. Propterea sanguis effluens , aut per venam brachii detractus, corruptus , aut prava qualitate infectus apparebit.

Si à retentricis facultatis imbecillitate hæmorrhagia contingat ; pallidus faciei color , & totius corporis debilitas apparet ; tum etiam affectus aliquis præcessit, à quo hepar in primis debilitatem est : ac denique sanguis paucus, & per intervalla effluit.

Si sanguis è venis narium immediate effluat , adstringentibus remediis , naribus admotis , facilè sedatur , & nullibi capitis dolor percipitur. Contra verò , si à cerebro profluat ; in aliqua capitis parte determinata dolor percipitur , fluxus difficilè sedatur , & naso imposita nihil conferunt. Ab aliis etiam partibus sanguis interdum profluit , ut hepate , liene , utero ; quarum indicia dabunt dolores , & tensiores circa easdem partes.

Si sanguis fluat ab arteria ; cum impetu egreditur , calidus est , purus floridus , & rutilans ; ex vena verò , rubeus , in fuscum tendens , crassus , interdum impurus, & cum parvo impete egreditur.

Prognosis imminentis hæmorrhagiæ , præcipuè critiæ, ab actionibus læsis , excrementis , & qualitatibus mutatis desumitur : sicque futuram hæmorrhagiam indicant insomnia , & imagines rerum rubrarum : capitis , & cervicis dolor subinde ortus , temporum gravitas , & pulsatio magna in arteriis illorum : tinnitus , vel sonitus aurium , oculorum hebetudo , & marmaryges illis obversantes , rubor eorundem , ac totius faciei : lucis aversio , lachrymæ involuntariæ , puritus nasi , sanguinis stilla die indice , spirandi difficultas , tensio hypochondriorum sine dolore.

Quorum signorum ratio talis est. Quando sanguis ad caput de ferri incipit , parit in cerebro phantasmata rerum rubrarum, tùm per insomnia, tùm etiam inter vigilandum; ut juveni Romano contigit , cujus mentionem facit Gal. *l. de præsagitione ad Posthum. c.* 12. Is enim morbo acuto laborans, rubrum serpentem ad cubiculi laquearia oberrantem videre visus est quo perterritus è lecto subinde exiliit. Unde Gal. adventantem hæmorrhagiam prædixit, & sanguinis missionem impedivit , quam alii Medici præscripserant. Dolor capitis, & cervicis ex eadem sanguinis translatione ad partes superiores exoritur, qui mẽbranas divellẽs, distendensque doloris sensum parit. Pulsant autem arteriæ temporum extraordinario motu propter earum cõpressionem , quæ à venarum repletione fit. Aurium tinnitus fit ex vaporibus, ad cerebrum magna copia tendentibus. Visus hebetudo fit , quia copiosi, crassi vapores, ad superiora elati meatus obstruunt : unde fit , ut denegato aditu spiritui animali , hebescat visus. Marmaryges oculis obversantes , nihil aliud sunt, quàm tenuia quędam, & divulsa corpuscula variorum colorum, intra corneam tunicam, & crystalloidem contenta , ex vaporibus sursum elatis producta : quæ licet interiùs sint ; exteriùs tamen posita , deceptione visus apparent ; quandoquidem oculus, externa assuetus visioni, quæcunq; intùs sunt, extra esse judicat. Rubor faciei, & oculorum à sanguine fit , qui majori copia ad illas partes cumulatur. Lucis aversio ex eo proficiscitur , quòd distenti oculi humorum copia, ex nimia luce magis distendantur ; quia lux disgregat spiritus , unde oculi dilatatio , ex qua dolor consequitur, quem ut evitent ægrotantes, lucẽ fugiunt. Lachrymæ involuntariæ fiunt ex repletione oculorum, & partium adiacentium , quæ præter modum distentæ comprimunt glandulas illas , humorem continentes , ex quo lachrymæ generantur. Pruritus narium fit ex vaporibus sursum ascendentibus, & nares vel lacerantibus. Sanguinis stilla die indice apparens , v. g. quarto , vel undecimo, ostendit futuam hæmorrha

morrhagiam die judicatorio, nempè septimò, vel decimoquarto; quia diebus indicibus natura incipit transferre humores ad eas partes. Difficilis redditur respiratio, quia dum sanguis ad superiora transfertur, diaphragma comprimit. Tensio denique hypochondriorum fit, quia sanguis in suo sorte, & radicibus venarum moveri incipit; sed fugax est ea distensio, & sine dolore, quemadmodum, & difficilis respiratio; si enim diutiùs, & contumaciter perseverarent, signa essent potiùs hepatis inflammati.

Præsentis vero hæmorrhagiæ prognosis ita instituenda est.

Sanguis è naribus die critico moderata quantitate fluens, salutaris. Quamvis hæc sententia à Galeno sæpiùs inculcata sit, illi tamen Fernelius reluctatur *lib. 2. de sanguinis missione cap. 1.* dicens: nullum sanguinis profluvium, licèt criticum, salubres esse. Quoniam licet deliria, vigilias, capitis dolorem, & reliqua symptomata demulceat; vix tamen morbum penitùs evellit, quia sanguinis portio purior emittitur, impuriori remanente. Idque ex eo probatur, quòd sanguis ex nare profluens, colore, & substantia laudabilis appareat, cum sanguis eodem tempore è vena detractus, impurus, & corruptus apparet.

Speciosa quidem est hæc Fernelii doctrina; non tamen absolutè recipienda. Verùm quidem est, in plurimis morbis acutis; præcipuè verò in febribus malignis, hæmorrhagiam sæpè morbum penitùs non solvere, quemadmodum nec sudores in iisdem febribus perpetuò salutares sunt: quia tales evacuationes à natura irritata ante tempus, materiæ morbificæ malitia plerumque fiunt. Atamen non rarò morbi acuti hæmorrhagia soluuntur, ut docuit Gal. *lib. 3. de crisi. cap. ultimo*, & passim alibi. Quòd autem sanguis, per nares excretus, purus semper appareat, ratio inde desumitur: quòd nimirum ille guttatim effluat, sicque statim refrigeretur, ut partes impuræ separari nequeant, & illæ puriores partes, reliquis permixtæ, rubrum colorem toti massæ concilient. Sanguis verò è brachio detractus, quia affatim effluit, colorem in vasculo diu retinet, à quo partes impures impuræ separantur, ita ut crassa, & fœculenta fundum petat, biliosa verò, & pituitosa, quę magis alterata, & impurior est, supernatet; & ita sanguis impurus ac sordidus appareat. Contra verò, si sanguis è brachio guttatim effluat, purus apparebit: quia citò concrescit, antequam partes heterogeneæ à calore secerni potuerunt. Imò vero sanguis copiosè effluens, si in pelvi latiore recipiatur, purus etiam apparet, quia citò refrigeratur.

Hæmorrhagiæ nimis copiosæ, & vehementes, pessimæ: nam ad convulsionem deferunt. Fit enim aliquando, ut natura copia sanguinis gravatæ, & ad excretionem concitata modum tenere nequeat, & supercrisin efficiat, quàm Medici sæpè cohibere coguntur.

Hæmorrhagia in principio morbi, mala, quia symptomatica est, & fit, natura ante tempus irritata ad excretionem, à materiæ morbificæ malitia.

Hæmorrhagia, quæ è directo partis affectæ accidit, bona; contra verò, mala. Sic in hepatis inflammatione, sanguis effluens è nare dextra, bonus è sinistra vero, malus. Contra, liene influemato, e sinistra bonus, è dextra verò, malus, quia omnis bona evacuatio κατ' ἴξιν debet fieri.

Stillæ sanguinis paucæ per nares effluentes, malæ, Significant enim naturæ imbecilitatem, & malignitatem morbi. Omnis siquidem excretio in morbis acutis, quæ inchoatur tantùm, & non perficitur, maximè damnatur ab Hippoc. quia major est securitas in febribus, in quibus natura nihil excernit, quàm in quibus pauca, inutilia, siquidem coactioni esse intentam tunc temporis arguitur. Quod si stilla appareat, signum est, ante tempus naturam irritari, Stilla tamen die indice prodiens, signis concoctionis ut cumque apparentibus, futuram crisin per hæmorrhagiam die critico significat.

Hæmorrhagiæ longo tempore perdurantes, hepatis imbecillitatem, refrigerationem, & inde cachexiam, atque hydropem portendunt.

Quibus in febribus quartanis sanguis è naribus fluxerit, pravum, Hipp. *Aph. 78. sect. 7.* quia, ut docet Auvic. sanguinis fluxus in melancholicis, & pituitosis, noxius, ab eo enim magis refrigerantur.

Quibus febricitantibus sanguinis fluxerit multitudo quacunque ex parte, cùm reficiuntur, alvi iis humectantur. Hipp. *Aph. 27. sect. 4.* quia ut docet Gal. *in com.* calore nativo debilitato ex profluvio sanguinis, neque cibi benè concoqui, neque in sanguinem transmutari, neque distribui possunt per corpus. Et propterea aluos fieri humidiores par est, donec processu temporis vires suas natura recuperarit.

In hæmorrhagiæ curatione primùm advertendum est, an illa critica sit, vel symptomatica. Critica enim cohibenda non est; sed ad insignem quantitatem sanguis fluere permittendus. Ait enim Avicenna, sanguinem è naribus interdum critica expulsione ad libras quatuor sine virium insigni lapsu profluxisse. Idque videtur desumptum è Gal. qui *lib. de præcogn. ad Posth. c. 13.* juveni Romano, hæmorrhagia correpto, sanguinem fluere permisit ad libras quatuor cum dimidia, priusquam remedia fluxum cohibentia usurparet.

Quòd quidem ut in valdè plethoricis corporibus aliquando utiliter contingere; ita in aliis vitæ periculum inferre potest. Et certum est, crithicam hæmorrhagiam, quantum vis opera naturæ fiat, modum non rarò excedere Natura siquidem sanguinis multitudine gravata, & ad illius expulsionem excitata modum aliquando tenere non potest, nimiamque evacuationem facit, unde maximâ virium delictionem, & mortem metuere oportet: & tunc cohibenda est, quoties nimirum ex ea notabilis virium infirmitas prodierit,

Sic etiam sanguis, qui sine febre ex consuetudine fluit, cohibendus non est; sed naturæ arbitrior relinquendus. nisi immoderatior fuerit. Multi enim per hujusmodi hæmorrhagias periodicas à gravissimis morbis immunes fiunt in quos earum suppressione incidere consueverunt.

Symptomatica verò hæmorrhagia cohibenda est. Quod fiet sanguinem ad nares confluentem revellendo ab iisdem & vicinis partibus repellendo, venas apertas occludendo, sanguinis motum præposterum inhibendo, & humores acriores, aut tenuiores, sanguini permixtos, hæmorrhagiæ causas præcipuas, evacuando, corrigendo, eorumque generationem prohibendo, & facultatem retentricem hepatis, & venarum roborando. Quæ omnia sequentibus præsidiis præstari poterunt.

Ac primum sanguinis missio inter revulsoria remedia principem locum obtinet. quæ maturè celebranda est, antequam vires admodum debiles evaserint, idque è vena brachii è directo partis, à qua sanguis profluit; dextri nimirum, si è nare dextra; vel sinistri, si è sinistra sanguis emanaverit. Et Gal. *lib. de sang. miss. cap. 11.* hujus remedii efficaciam confirmat, afferens se validas sanguinis è naribus fluxiones repentè vena sectione sedasse. Debet autem detrahi sanguis, & satis larga manu, si vires ferant, & amplo foramine: Quanvis maxima Medicorum tum antiquorum, tum neotericorum pars aliter censeat; qui augusto foramine, exigua quantitate sæpiùs repetita, sanguinem detrahendum esse censent, sicque revulsionem meliùs fieri. Nam ut sanguini motus contrarius concilietur, vehementiori motu agitandus est, siquidem motus vehementior debiliorem rapit. Ideò quò ampliori foramine, & magis confertim sanguinis effluit per venam sectam; eò propriùs è naribus profluentem sanguinem abducit, ita, ut non rarò hæmorrhagia vehemens, phlebotomia hoc modo celebrata, sine plethora in instanti fuerit cohibita: Attamen si unica phlebotomia, aliisque remediis interiùs describendis hæmorrhagia cohibita non sit, illa reiterari poterit pro virium modulo. Tum etiam vena pedis secari poterit, ut revulsio fiat ad distantissima, quæ etiam sæpè plurimùm confert, ut testantur Avicenna, Paulus, & Trallianus.

Post venæ sectionem, vel etiam ante ipsam fient frictiones, & ligaturæ partim extremarum; & cucubitula satis magna hypochondrio admovenda, dextro, si à nare dextra; sinistro verò, si à sinistra sanguis prefluxerit. Galenus enim hæmorrhagiam cohibuit in juvene Romano, ducurbitula hypochondrio admota, sine venæ sectione, ut ipse refert *lib de præcogn. ad posth. cap. 13.*

Non est tamen usquequaque tuta cucubitularum applicatio hypochondriorum regioni. Sanguis enim tunc temporis effervescens ad hepar aut lienem nimia copia attrahi potest & inflammationem in iis partibus efficere. Cujus rei exemplum habetur apud Fabricium Hildanum *obs. 47. cen. 2.* de quodam aulico maxima hæmorrhagia narium laborante, cui præter alia remedia, cucurbitulæ magnæ ad regionem hepatis admotæ sunt. Sanguinis quidem fluxit; sed inflammatio hepatis sequuta fuit. Caute igitur agendum est in cucubitularum admotione regioni hypochondriorum; & ad eam confugiendum non est, nisi reliquis remediis non conferentibus, & post iteratas phlebotomia. Copia

enim

enim sanguinis in venis imminuta, minus est periculum, ne sanguis nimia copia ad hepar attrahatur, ut inflammationem excitare valeat. Attamen quocunque modo applicentur cucurbitulæ hypochondriorum regioni; sanguinem & spiritus attrahunt ad illas partes, sic calorem earum augent; quod adversari videtur sententiæ Hippocratis *Aph. 13. sect. 5.* ubi in his, unde sanguis fluit, aut fluxurus est, frigidis utendum esse præcipit Interpretes autem volunt ad ea loca frigida esse ad movenda, unde motus sanguinis incipit, qualia sunt hepar, & lien.

Forestus commendat cucurbitulas supra pedes, insigni experimento, quod habetur *obs. 14. l. 13.* his verbis; *Vir generosus sanguinis narium profluvio cum extremè laboraret, neque remedia commodè adhibita juvarent, circiter duo decim libræ sanguinis ex utraque nare per vices effluxere. Cùm ad eum accitus essem, & per integrum diem sanguis effluxisset, ut duas ventosas absque scarificatione, unam supra hepatis regionem, alteram supra lienis locum poneret, mandavi: quibus parum videbatur fluxus sustistere, Verùm post meum discessum uxor cum videret sanguinem iterum ex utraque nare cum impetu erumpere, & quod ventosæ hypochondriis adhibitæ nullo modo juvarent, alias duas, unam supra pedem dextrum, alteram supra sinistrum affigi jussit dictu mirum, sanguis præter spem subito restrictus est. Verùm cum aliquo tempore ventosæ cuti adhærerent, æger in animi deliquium incidit, quare ijsdem ventosis detractis, aqua in faciem conspersa excitatus est: mox odore vini recreatus ad se rediit, & à fluxu sanguinis narium, miraculi aut incantamenti instar, præter omnium spem pristinæ sanitati restitutus est.*

Cucurbitulæ etiam scapulis admotæ, tum siccæ, tum humidæ fluentem sanguinem è naribus retrahunt: Attamen non est usquequaque tutum remedium. Possunt enim à partibus inferioribus ad superiores sanguinem attrahere, & novo fluxui occasionem præbere.

Quidam practici cucurbitulas brachiis admovent suprà muteulum bicipitem, quibus etiam sanguis ad nares profluens repellitur.

Crato in consiliis inter revulsoria remedia proponit incurvationem digiti minimi, in dextra manu si ex dextra nare fluit; vel in sinistri, si e sinistra. Cum enim vehemens illa compressio intersum dolorem pariat, ab illo dolore sanguinis retractio fieri potest.

Sed multò potentiùs sanguis & spiritus ad interiora retrahuntur per animi deliquium, cujus interventu contumacissimam hæmorrhagiam curatam vidimus Illustrissimo Episcopo Lodovensis, anno 1629. qui febre maligna laborans, cum renis dextri inflammatione, quæ postmodum in abscessum abiit, die 27. morbi, tam vehementi correptus est hæmorrhagia, ut intra quatuor horas sanguinis libras duas excreverit. Sed cùm adhuc sanguis affatim flueret, viresque collaberentur, de hæmorrhagia cohibenda cogitandum fuit, & in hunc finem multa remedia usurpata. Quibus nihil proficientibus, æger se alvum deponere velle dixit, nec potuit cogi, ut in lecto dejiceret. Præmonuimus, si è lecto surgeret cum tanta virium exsolutione fore ut syncopen rueret, eam tamen syncopem cohibendæ hæmorrhagiæ futuram esse perutilem. Ita ferè successit, nam postquam surrexisset, animi deliquium passus, à quo statim excitatus est vino exhibito, & aqua frigida in faciem projecta, posteà copiosè dejecit, & postquam in lectum delatus fuisset sanguis multo minori impetu fluebat, & exhibito sale prunellæ ad ℥ j. ß. in aqua frigida dissoluto, statim sanguinis fluxus omninò fuit cohibitus, cum tamen antea idem remedium, & quamplurima alia frustrà in usum revocata fuissent.

Quamvis autem animi deliquium à vulgaribus practicis inter hæmorrhagiæ remedia non proponatur: habetur tamen apud Hippocr. *lib. 3 Epid sect. 7* his verbis: *Sanguinis venarum suppressiones faciunt, animi deliquium, figura alterata, interceptio, linamentum intortum, appositio, diligatio.* Idem quoque docuit Gal. *3. meth. cap. 5.* his verbis. *Porrò sanguis confluere prohibetur & propter animi deliquium, & cum ad contraria revellitur & cum ad vicina derivatur, & per refrigerationem tum corporis totius, tum verò præcipuè ipsius partis affectæ. Notandum tamen est, animi deliquium tantum convenire, quando sanguinis effluxus è venis, quæ ad corporis superficiem desinunt, quos in ut Hippocrates eidem linamenta, deligationes, & alia ejusmodi præscribit.* Quando enim sanguis è partibus interioribus profluit; ut in hæmoptoë, menstruum fluxu immodico, aut vulneribus partium interiorum, tunc animi deliquium fluxum augere potest, retracto calore ad interiora, & ad eas partes à quibus sanguis profluit.

Zacutus Lusitanus *l. 1. praxis admirandæ obser. 66.* refert, se desperatam hæmorrhagiam, & nullis alliis remediis cedentem, appositio cauterio actuali in utraque planta pedem cohibuisse. Quod remedium similem successum habuisse refert in magna sanguinis excretione per os, ex venæ raninæ apertione productæ, quæ ab acri catarrho erosa fuerat. Sed cum per biduum sanguis ad libras viginti effluxissent, multaque emplastica, & adstringentia parti admota fuissent, revellentia, & incrassantia remedia, tum etiam narcotica usurpata; cauterio in eadem pedis parte indito, fluxus omninò cessavit.

Revulsionibus prædictis aliquandiu usurpatis, si fluxus nihilominus perseveret, ad ea remedia veniendum, quæ fluentem sanguinem repellunt; qualia sunt ea, quæ anacollemata vulgò nominantur, fronti, & temporibus applicanda, quæ in hunc modum componi poterunt.

℞. Boli armenæ, terræ sigill. sanguinis dracon. thuris, mastiches, & aloes ana ℥ i farinæ volatilis, & pilor. leporis minutim incis. ana ℥. ß. albumen ovi num. i. succi plantag. & solani ana q. s. Fiat cataplasma fronti, & temporibus applicandum.

In casu urgente, promptissimè parari potest cataplasma ex bolo armeno solo, cum albumine ovi, & aceto sub acta, fronti, ac temporibus appositum.

Efficacissimum etiam paratur cataplasma ex gypso cum aceto subacto & ad crassitiem duorum: digitorum fronti, & temporibus admoto. Et si prima applicatio non succedat iterabitur, & certò curare creditur.

Amatus Lusitanus laudat pileum ex dictis adstringentibus cum oxycrato subactis, capitis raso appositum quod in summa necessitate tentari poterit.

Fotus etiam fieri potest ex aqua valdè frigida, vel oxycrato, fronti, & temporibus, cum linteis frequenter immutatis, quam primum scilicet calescere incipiunt. Vel idem fotus fieri potest ex succo plantag. polygoni, equiseti, bursæ pastoris, & similium, addito aceto ad penetrationem.

Ubi notandum, caput non esse aqua frigida perfundendum neque repellentia fronti admovenda; donec revulsiones sufficientes præcesserint; alioqui sanguis per refrigerantia intrò compulsus, venas qui in alto sunt, replebit, ut docet Galen. *5. meth. cap. 6.* atque ita fluxus sanguinis augebitur, calore aucto per antiperistasin, à quò sanguinis motus & impetus adjuvatur; aut si sanguis retineantur, convulsio, apoplexia, dyspnœa, aut alius quispiam gravis affectus excitari poterit.

Solum etiam acetum sanguinem fluentem cohibere potest, si eo frons cum spongia foveatur.

Eadem spongia aceto imbuta, & in nares immissa ad idem est efficax.

Conspersio faciei aqua frigida, non solùm repellit sanguinem fluentem, sed etiam eundem retrahit ad interiora, interventu timoris, qui ex aqua frigida, in faciem ex improviso injecta, exoritur. Quemadmodum enim syncope, ut anteà dictum est, fluxum sanguinis cohibet, propter caloris retractionem ad interiora, eadem ratione timor, à quo similis retractio potest conducere.

Atque ita, quocunque modo excitetur, conferre potest.

Aqua autem frigida satis magna copia in faciem conjici debet, nempe ad duos, vel tres cyathos, per brevia intervalia projectos.

Vulgò etiam usurpatur, ad sanguinis impetum ad superiora retundendum, illiusque ascensum prohibendum, fotus cervicis, ex linteo aceto frigido imbuto; quod collo circumduci debet, & frequenter immutari, antequam incalescat.

Idem oxycratum ore detentum, & sæpè immutatum, sanguinem etiam ad partes superiores confluentem repellit, tum etiam impedit, ne sanguinis è naribus ad gulam defluat, quod sæpè contingit.

Ad idem valet acetum instillatum in aurem, quæ nari fluenti vicina est, sic enim vena, per quam fluit sanguis, restringitur.

Faba, aut nuscisma argenteum, radici narium inter cilia admotum, & fascia arctè alligatum, ut fortiter partem comprimat, eundem fluxum cohibet. Tum etiam animadvertendum est, an in temporibus, aut fronte venæ, aut arteriæ tumeant:

tumeant: tum enim eas numismate aliquo, aut faba sicca, per medium in longitudine secta comprimere, fascia interueniente, optimum, & supremum remedium est. Et ad maiorem compressionem suprà fabam, aut numisma, albumen oui concussum, adiecto gypso, & stupa exceptum, admouendum est.

Vapor aceti, in laminam candentem affusi, naribus exceptus venas apertas costringit.

Ad idem confert oxycratum, naribus frequenter attractum.

Præter repellentia dicta in vsum reuocanda sunt, quæ ipsas venas apertas occludere, & conglutinare solent. In quem finem multa remedia in nares immitti consueuerunt.

Galenus *lib. de paratu facilibus, cap.* 13. thus, & aloen in puluerem redacta albumine oui excipit, & cum linteolo, asperfis prius pilis leporinis, in nares immittit.

Uel turunda in hunc modum parari potest.

℞. Thuris, aloes, sanguin. dracon. farinę volatilis, telæ aranearum, & pilorum leporinorum minutim incisorum, ana ʒß. Excipiant succo plantag. & gossipio, fiantque turundæ in nares frequenter immittendæ.

Idem pulueres in nares insufflari poterunt. Cui etiam vsui maximè conferre testantur practici magni nominis, cinerem testarum, ouorum, & chartarum. Uerùm circa horum puluerum vsum obseruandum est, dum illi administrantur, os aqua frigida plenum esse debere, ne medicamentum ad os per palatum transferatur.

Potenter etiam sanguinem fluentem cohibet gossipium atramento infectum, quod in thecis scriptorijs asseruari solet; si aliquantulum expressum, & in turundæ figuram efformatum in nares immittatur.

Idem gossipium atramento imbutum, & fronti admotum cum fascia fluentem sanguinem potenter sistit.

Tandem hæmorrhagia prædictis remedijs, tum etiam infrà proponendis pertinaciter obsistente, ad escharotica veniendum est, quæ venarum extremitates apertas comburendo crustam inducunt, & sanguinem inhibent. In ijs tamen magna cautio adhibenda est, quia dum eschara decidit, vasorum apertio plerumque renouatur, & sic fluxus redintegrari solet.

Inter escharotica autem principem locum obtinet vitriolum vstum, quod præterquam quod escharam inducit, ad quem vis sanguinis fluxum cohibendum est efficacissimum.

Si mitius remedium habere desideres; vitriolum alijs permiscendum est, in hunc modum.

℞. Gallarum ℔. ß. aluminis quartarium j. Comburantur, & calcinentur, fiatque puluis in naris profundum demittendus. Uel

℞. Bol. armenæ, sanguin. dracon. thuris, aloes, gypsi, vitrioli vsti, sarcocollæ, mastiches, ana ʒj. Fiat puluis subtilissimus.

Uitriolum album mitiùs operatur, quam vitriolum vstum, neque valdè escharoticum est: hæmorrhagiam tamen potenter cohibet, orificia venarum constringendo, si in nares cùm turunda ex gossipio confecta immittatur.

Remedia verò, quæ sanguinis motum cohibendo, refrigerando, incrassando, & veluti coagulando, hæmorrhagiam cohibent; in hunc modum præscribi possunt.

℞. Salis prunellæ ʒ j. trochiscorum de carabe ʒß. lapidis hæmatitis, coralli rubri præparati, ana ℈. j. syrupi de rosis siccis ʒ j. aquæ plantag. ʒ iij. Fiat iulepi. qui detur bis, aut ter in die.

℞. Conseruæ rosarum, & miuæ cydoniorum, ana ʒ j. trochiscor. de spodio, & de terra sigillata, an. ʒ j. coralli præparati, & cornu cerui vsti, an. ℈. j. Fiat opiata, de qua capiat ad magnitudinem castaneæ bis, aut ter in die.

Oxycratum satis copiosè sumptum hæmorrhagiam efficaciter sedat.

Exteriùs verò ad sanguinem refrigerandum, illiusque motum cohibendum, aqua frigida, vel oxycratum, varijs partibus applicanda sunt: sicque aqua frigida brachijs affundenda, pedes in aquam frigidam immergendi testes oxycrato frigido fouendi, tum etiam dorsum; propterea quòd vena caua eam regionem occupet, & ita sanguis in ea feruens refrigeretur.

In maximo autem feruore sanguinis, qui prædictis cohiberi nequit, quidam practici totum corpus oxycrato irrigant, vel in balneum frigidum demittunt; quod tamen, iam debili ægro existente, periculo non vacat.

Optimum etiam est hepar, & lienem epithemate refrigerante, vel etiam oxycrato tepido fouere, ad sanguinis ebullientis feruorem temperandum.

Denique in contumaciissimo affectu, & alijs remedijs non cedente, ad narcotica veniendum est, quæ omnem tum fluxionem, tum euacuationem, & quemcumque humoris motum citissimè cohibent, & inter cætera laudanum ad gran. (ij.) iij. vel iv. exhibitum, principem locum obtinet.

Cauendum tamen est, ne ægro valdè debili exhibeatur: periculum enim est, ne calor natiuus, admodum debilis, narcotica vi omninò suffocetur.

Syrupus de papauere idem præstare poterit ad ʒj. in iulepo adstringente, hora somni exhibitus.

Tandem specifica remedia, quæ scilicet proprietate occulta sanguinem fluentem cohibent, multa ab authoribus proponuntur: quorum præcipua, & frequenti vsu comprobata sunt, quæ sequuntur.

Succus vrticæ mitis laudibus effertur ad quemlibet sanguinis fluxum ex quacumque parte prodeuntem, maxima efficacia cohibendum; ideò tum per os exhibetur ad ʒ. iv. semel, atque iterum; tum per nares attrahitur; tum fronti, & temporibus admouetur, in formam cataplasmatis cum farina subactus; vel tota vrtica contusa dictis partibus admouetur. Nonnulli asserunt, radicem vrticæ, ore detentam, sanguinis fluxum statim constringere.

Fimus porcinus inter præstantissima specifica etiam recensetur, si adhuc calens fronti, & temporibus admoueatur: vel olfaciendus præbeatur; vel siccus in nares immittatur. Posterioris formula talis esse poterit.

℞. Stercoris porcini exsiccati ʒ iij. puluer is rosar. ad fœtorem auferendum ʒß. Excipiantur succo plantag. in eoque intingatur bombyx in nares immittendus.

Laudatur etiam ab authoribus stercus asininum eodem modo vsurpatum, vt de porcino diximus. Et narrat Rodericus à Castro *lib. 1. de morbis mulierum cap. 5.* Medicum quẽdam septuagenarium, hæmorrhagiæ maxime obnoxium, stercus asininum modicè exsiccatum in capsula semper gestare solitum, cui medicamentum nullum aliud simile se reperisse referebat, præsertim, si succo vrticæ commixtum, siccum, aut recens per se naribus adhiberetur.

Zacutus Lusitanus *lib. vlt. praxis Historiarum cap.* 2. stupendam narium hæmorrhagiam, in septuagenario ex carni, debili, se hoc remedio curasse refert, cùm reliqua remedia frustra administrata fuerant, & septemdecim sanguinis libræ effluxerant. Stercus itaque asininum in exactissimum leuorem redactum omni iuri potuitque permiscebat; eodem tabellas cum saccharo efformabat, ægroque edendas præbebat cum aqua chalybeata: quo auxilio solo, septem dierum spatio æger à fluxus saluus euasit.

Sanguis per nares effluens non solùm apud vulgus commendatur; sed etiam à quibusdam Medicis præstantissimis probatur, tanquam specifica vi hæmorrhagiam cohibens; eumque frigunt in sartagine, ægroque insciò exhibent. Tum etiam olla figulina exustum, & in puluerem redactum cataplasmatis adstringentibus suprà propositis admiscent.

Alij laudant puluerem limacum cùm crusta combustorum; alij puluere ranarum etiam combustarum in nares immissum. Alij Comp. Spermol. Crollij.

Refert Pereda, verullam quandam Monspessulanam, sola mentha naribus imposita, sanguinis profluuium è naribus trium dierum curauisse.

Inter cætera autem remedia præstantissimum est, & à nobis frequenti vsu expertum, spica nardi in tenuissimum puluerem redacta & ad ʒ j. cum iusculo, aqua plantaginis, aut alio liquore exhibita. Non solum enim specifica vi; sed etiam hepar roborando, sanguinis fluxum cohibet.

Finlcius testatur, bufonem exsiccatum, & puluerisatum, in sindone rubra axillis suppositum, vel manibus retentum, vt incalescat, sanguinem statim figere, eumque velut Gorgonis conspecto capite statim rigescere. Alij bufonem sub dio suspendunt, donec caro vniuersa absumpta sit os femoris denudatum seruant, idque nari inditum, hæmorrhagiam in istanti cohiberi asserunt.

Dum remedia prædicta in vsum reuocantur, de omnimoda causæ ablatione cogitandum est, quæ vt plurimùm esse solet humor tenuis, serosus, aut biliosus, in sanguine redundans, eique motum præposterum concilians, naturamque ad illius excretionem irritans. Unde fit, vt humore illo

cuato, & sanguine repurgato, natura eum tamquam amicissimum, & familiarissimum, ac vitæ thesaurum retineat, neque amplius excernat. Ideò purgatio instituenda est, bis, terve iterata, si opus fuerit, expurgantibus adstrictione præditis, & refrigerantibus composita; in hunc, aut fit similem modum.

℞. Tamarindor. ʒ ß. fol. plantag. M. j. Coquantur ad ʒ iv. In colat. infunde rhabarbari electi ʒ j. myrobalan. citrin. ʒ ß. spicæ nardi gr. vij. In express. diss. syrupi rosacei ʒ j. rhabarb. pulu. ↄ j. Fiat potio.

In affectu inueterato, & frequenter recurrente, talis purgatio semel in septimana repetita, erit efficacissima, & interim iulepi adstringentes, post singulas purgationes, vel opiatæ per aliquot dies exhiberi poterunt. Opiata suprà descripta huic vsui inseruit. Iulepi verò in hunc modum concinnari poterunt.

℞. Radicum bistorcæ, & consolidæ maioris, ana ʒj. fol. plantag. centinodiæ, herniariæ, fumariæ, ana M.j. sem. 4. frigid. maior ana ʒ j. Coquantur ab ℔ß. j. ß. In colatur. diss. sacchari albi ʒ iij. Fiat iulep. pto iij. dosibus matutinis.

Loco iuleporum, vel opiatæ, aut post eorum vsum per aliquot dies continuatum syrupus vsurpari poterit ex succo vrticæ cum saccharo, partibus æqualibus compositus, ad cochlearia duo, singulis diebus manè exhibendus.

Neque sufficit causam hæmorrhagiæ præsentem aufere, scilicet peccantem humorem euacuare: sed etiam noua illius generatio impedienda est, viscera roboranda, eorumq; intemperies corrigenda, præcipuè hepatis, in quo humores illi generari consueuerunt. Atque ita iulepi refrigerantes, suprà præscripti huic vsui inseruient, tum etiam tinctura rosarum ad hepar refrigerandum & maximè roborandum efficacissima est. Exterius verò epithemata eidem parti admoueri possunt, in hunc modum composita.

℞ Aquæ rosar. plantag. portulacæ, acetosæ, cichor. ana ʒ iv. sem. portulacæ, acetosæ, cichor. ana ʒj. trochiscor. de caphura, & santali citrini, ana ʒij aceti ʒ ij. Fiat epithema. His etiam addi poterunt omnia remedia, quæ pro calida hepatis intemperie curanda descripta sunt.

Interdum etiam calida lienis, aut tenum intemperies huic affectui præbet originem: & tunc refrigerantia medicamenta his etiam partibus admouenda sunt.

His omnibus accedere debet idonea victus ratio, quæ ab ipso curationis principio sedulo instituenda. Atque ita primum aer, in quo decumbit æger, frigidus sit, & si tempus sit æstiuum, alteretur, irrorando pauimento aceto; & aqua rosea; tum sternendo folia vitis, salicis nymphææ, & similia.

Cibi sint incrassantes, & pauci nutrimenti, vt pedes vitulli arietis hædi, & aliorum animalium, oryza, caseus recens, & pinguis, oua indurata, & similia. Fructus acerbiores, adstringentes, aut aciduli ex vsu esse poterunt, vt pyra, cydonia, mespilla, sorba, & condimenta ex succis granatorum, limonum, arantiorum, acetosæ. Quidam laudant vsum lentium in aceto decoctarum, quia adstringendi, & incrassandi sanguinis, eiusque acrimoniam retundendi vim obsinent. Abstineat æger saltem in principio morbi, dum vires ad huc non sunt debiles, à vino, carnibus, & ouis sorbilibus, & tremulis, quæ copiosiorem, & liquidiorem sanguinem generant.

Alimenta autem liquida, præsente sanguinis fluxu, & sorbilia, quantum fieri potest, exhibenda sunt: vt iuscula refrigerantia, hordeata, auenata, & oryzata, cum aqua, non iusculo parata. Masticatio enim hæmorrhagiam promouet. Si vires sint debiles, iuscula carnium, & panatellas exhibere oportet, in quibus amylum sine calce paratum, aut gummi arabicum dissoluantur.

Potus sit aqua chalybeata, & omnes cibi in ea decoquantur: quæ quidem vtilior erit, si radices vrticæ prius in ea coctæ fuerint.

Quies totius corporis imperetur; ita vt æger nec ambulet, nec tussiat, nec vociferetur, nec loquatur. Motus enim linguæ, & maxillarum sanguinis fluxum commouent.

Teneat caput detectum, & oculos clausos, ne sanguinem fluentem videat; quoniam illius conspectus, mota imaginatione, sanguinem commouet.

Vigiliæ immodicæ maximè vitentur; quia sanguinem actiorem, bilioſiorem, ac fluidiorem efficiunt. Somnus contra humores contemperat, eorumque motum cohibet.

Denique animi pathemata vitentur, quæ sanguinem sursum impellunt; vt ira, risus, & gaudium.

PRAXEOS MEDICAE

LIBER QVINTVS.

DE AFFECTIBVS LINGVÆ.

PRÆFATIO

LINGVA tumgustus, tum loquelæ instrumentum est. Vtraque actio læditur per tumores varios, qui linguæ adnasci consueuerunt. Speciatim verò vnaquæque actio à peculiaribus causis imminuitur, aboletur, & deprauatur. Quæ omnia vt sigillatim describantur, quintus hic liber in quatuor capita distinguendus est: quorum primum erit de inflammatione, aliisque linguæ tumoribus. Secundum, de ranula sub lingua, quæ licet ad tumorum genus pertineat, seorsim tamen tractanda est, quòd diuersissima à reliquis tumoribus curationem desideret. Tertium erit de gustu læso. Quartum denique, de paralysi linguæ, aliisque motus illius læsionibus.

CAPVT. I.

De linguæ inflammatione, aliisque eiusdem tumoribus.

QVemadmodum omnes corporis partes præcipuè carnosæ, inflammatione affici consueuerunt; sic etiam lingua eadem aliquando tentatur, ex sanguinis in eam affluxu: qui prout vel purus, ac syncerus, bilioſus, pituitosus, ac melancholicus est, phlegmonem veram, erysipelatosam, œdematosam, aut scirrhosam producit; quæ interdum etiam ad suppurationem desinit. Cuius rei exemplum habetur apud Forestum *obs.* 24. *lib.* 14. cuiusdam cereuisiarij, qui ingentem linguæ inflammationem patiebatur quæ in suppuratum abijt.

Patitur etiam lingua, idque multo frequentiùs, tumorem mollem, & laxum, ac purè œdematosum, ex pituitæ è cerebro in eam affluxu. Cuius exemplum proponit. Gal. *lib.* 14. *meth. c.* 8. in quodam homine, cui lingua ita tumefacta erat, vt ore contineri non posset.

Interdum etiam lingua in magnitudinem excedentem excrescit, quæ tamen neque sub œdematis, aut scirrhi, aut alterius cuiusuis tumoris genere collocari potest; vt docet Gal. *lib. de diff. morb. c.* 9. se cuiusdam linguam vidisse, quę in ingentem molem excreuerat absque vllo doloris sensu. Neque enim prementi manui cedebat, neque dolore infestabatur; sed nudum linguæ incrementum erat, ipsius substantia nullo modo vitiata, quod ex nimia copia vtilis alimenti eius in substantiam conuersi acciderat. Eius quoque rei exemplum proponit Claudinus *cons.* 9. puellæ 12. annos natæ cuius lingua in tumorem excreuerat, qui neque ad œdema, neq; ad scirrhum referri poterat, quoniam indolens erat, nec crementi manui cedebat, vt fouea remaneret, nec

sensu

sensu naturali carebat; cujus prima origo fuerat ex violenta frænuli linguæ disruptione, cujus dolore sanguis ad partem attractus fuit, & continua postmodum ejusdem transmissione tale incrementum productum. In hoc autem casu peculiariter notat Claudinus, tumorem illum circa vesperam decrescere, manè verò augeri, & semper liverscere quorum eventuum rationem reddit, quoniam in coctione, & assimilatione sanguinis illius, & alioquin pituitosi, (qualis in pueris obœstat em humiditissimam, & ingluviem generatur,) multi flatus, potissimum autem per noctem, retracto, & coacto calore concitentur, qui linguæ tumorem augent. Per diem verò ob motum linguę, & ambientis aeris calorem dissipentur, unde tumor parum decrescit: Lividitatem refert ad aerem ambientem, in quo lingua continuò versatur. Ab illius enim frigiditate sanguis ad superficiem linguæ affluens, antequam essimitetur, conscrescit aliquo modo, sicque lividitatem contrahit. A frigore enim sanguinem nigrescere scribit Galen. 3. *De sympt. causis cap.* 2. quod tamen in aliis corporis partibus non contingit, quoniam ad illas ea sanguinis tantum portio, quæ pro nutritione sufficit, sed non superfluit, amandatur.

Horum tumorum diagnosis difficilis non est, quandoquidem magnitudo, aucta præter naturam, visui subjicitur. Tumorum autem differentiæ ita distinguuntur. Si fuerit inflammatio; adest dolor, & caliditas in lingua, tum etiam rubedo, qua etiam facies aliquantulum inficitur. Si verò à pituita tumor duxerit originem: lingua albicat, multumque pituitæ effluit cujus sapor dulcis, aut insipidus est. Si nudum sit linguæ incrementum; aliorum tumorum, ac vitiosorum humorum signa non adsunt.

Quod ad prognosin attinet; tumores linguæ ut plurimùm vitæ periculum non afferunt, nisi in tantam molem excreverint, ut inde suffocatio metuenda sit, aut ex humore quodam maligno, atque atrabilario ortum duxerint, unde cancrosus tumor generari potest: quod duritie, lividitate, ac dolore pungitivo internoscitur.

Curatio inflammationis linguæ revellentibus, ac repellentibus remediis inchoanda est. Atque ita primum, præmisso clystere laxante, venæ sectio celebranda est, & sanguis satis magna quantitate detrahendus, pro virium modulo.

Mox cucurbitulæ cum scarificatione scapulis admovendæ.

Postmodum gargarismata refrigerantia, ac repellentia usurpanda & inter cætera commendatur à Galen. 14. *meth.* c. 8. succus lactucæ, quo lingua frequenter abluenda est. Vel magis compositum gargarisma parari poterit ex decocto plantaginis, solani, lentis decorticatæ, & cortic. granatorum, addendo syrupum de rosis siccis, vel diamorum.

Post venæ sectionem, purgatio etiam instituenda est medicamento ex cholagogis, & phlemagogis composito: quàndoquidem pituita è capite defluens ad horum tumorum productionem particulariter saltem concurrit.

Sedata fluxione, evacuantibus, revellentibus, ac repellentibus remediis, humoris parti impacti derivatio molienda est. In hunc finem venæ sub lingua aperiendæ: quod si fieri non possit propter linguæ magnitudinem, cucurbitulæ sub mento cum scarificatione erit admovenda.

Si tumor ad suppurationem desinat, promovenda erit sicu per medium secta, frequenter admota: vel gargarismate ex decocto hordei, malvæ, violar ficum passularum, seminum cydoniorum, & fœnugræci composito; addendo syrupum violaceum, & jujubinum.

Facta suppuratione, si abscessus sponte non aperiatur, scalpello aperiendus est. Mox ulcus detergendum decocto hordei, agrimonii, plantag. cum melle rosaceo.

Tumor verò molis, & laxus, à pituitæ influxu oriundus, curatur primùm revulsione facta per phlebotomiam, si ager sanguine abundet. Deinde purgans medicamentum satis vehemens est exhibendum, quale sunt pilulæ cochiæ minores, ex aloe, scammonio, & colocynthide de paratæ, quæ à Gal. feliciter usurpatæ sunt in quodam sexagenario 14. *meth. supra citato*. Quod si æger pilulas deglutire nequeat, medicamentum componi poterit ex senna, agarico, diaphœnicone, & similibus.

Post hujusmodi evacuationes, refrigerantia, & repellentia in principio admovenda sunt, quemadmodum in inflammatione dictum est. Et Galenus *loco cit.* dictum sexagenarium oris collutione, ex solo lactucæ succo, post purgationem usurpata, sanavit.

Potest etiam utiliter linguæ collutio fieri ex succo limonum, granatorum, acetosæ, & plantaginis: quandoquidem prædicti succi non solum frigiditate sua repellunt; sed etiam acetositate humiditatem linguæ impactam educunt.

Utiliter etiam lingua illinetur oxymelite simplici, cui in augmento addi poterit parum zinziberis, salis gemmei, aut ammoniaci.

Collui etiam os poterit decocto origani, pyrethri, cum hydromelite.

Zacutus Lusitanus *lib.* 1. *historiæ Medicorum principium observ.* 47. in casu valde præcipiti, ubi linguæ tumor in molem ingentem excreverat, ut inde suffocatio metuenda videretur, vacuantibus, ac revellentibus remediis frustra tentatis, hirudines quatuor linguæ affixit, & brevi tempore copiosa sanguinis vacuatione sequuta, ipsa exilis, tenuisque facta est, & sic æger à periculo evasit.

Idem Zacutus *obs.* 48. *ejusdem libri*, decem annorum puero ex catarrhosa fluxione linguæ tumore ingenti laboranti, ut ipsius ore contineri non posset, post revulsiones per venæ sectionem, cucurbitulas scarificatas, & acres clysteres, cùm linguæ tumor mollis, laxusque esset, profundis linguæ scarificationibus usus est, moxque aqua salita linguam ablui jussit, unde tanta aquosi humoris vacuatio facta est, ut illicò sanitatem æger recuperaverit, Quam observationem è Joachimo Camerario desumpsit, qui libro observationum suarum narrat, quendam tamente lingua suffocatum, ipsam sibi acuto cultello decussatim incidisse, multoque sanguine effluente fuisse persanatum.

Denique tumor linguæ carnosus, seu linguæ incrementum nimium, ex superflua ipsius carne proveniens, licet curationem suscipere non posse videatur; Illa tamen à Claudino proponitur *loco citato*, per operationem chirurgicam, ut scilicet, quidquid linguæ superfluum est, cultello abscindatur, adhibitis priùs præparationibus necessariis, quæ omnia dicto loco fusè ab eo describuntur.

CAPUT II.

De Ranula sub lingua.

QUamvis superiori capite varii linguæ tumores à nobis expositi sint; unus tamen adhuc explicandus superest, qui βάτραχος Græcis, Ranula Latinis nominatur. Cum enim ille naturam à prædictis maximè diversam obtineat, ac diversum planè curandi modum requirat; satius esse duximus, peculiari capite illius descriptionem exponere.

Est autem Ranula tumor, qui sub lingua colligitur, in ea parte, qua illa vinculo alligatur. Et tantus ut plurimùm apparet tumor, ut dentes inferiores superet, rima autem media, dextram tumoris partem à sinistra dirimenta, ranæ posteriorem partem refert, unde affectui nomen. Alii verò Batrachum inde dictum exibimant, quòd eo affecti loquelæ impedimentum patiantur, & non nisi coaxando loqui possint ranarum instar. Ad œdematis, aut melicceridis naturam accedit, è quo aperto materia profluit, ovi candido, aut melli, persimilis. Et cùm dicta materia in folliculo contineatur; iedò inter Melicerides à nonnullis reponitur. In iis folliculis interdum calculus inventus est: ut plurimorum authorum observationibus constat, quas collegit. Schenkius *obs.* 388. *lib.* 10.

Diagnosis hujus affectus difficilis non est. Dum enim sublevatur lingua, quædam veluti carnositas laxa, & mollis sub ea continetur, & ab utraque parte ligamenti quædam prominentia sphærica, ciceris, vel fabæ, vel interdum castaneæ magnitudinem æquans, conspicitur.

Periculo vacat ut plurimum hic affectus. In pueris tamen aliquando suffocationis periculum intentat, propter asperę arteriæ, & laryngis vicinam. In adultis autem, si dolor, & febris adsint; vitæ periculum affert, quando quidem in anginam degenerare potest. Periculosa etiam Ranula, quæ nigra, aut fusca, & dura est, ad cancri naturam accedens, & illa non est attingenda.

Ad curationem hujus affectus, primùm causa antecedens auferenda est venæ sectione, & purgatione, ægrotantis naturæ, & ætati accomodata. Et si affectus sit inveteratus, ad cauteria, & decocta sudorifica veniendum est.

Postmodum topicis medicamentis resolutio tumoris tentanda est in hunc modum.

℞. Cortic. granat. hyssopi sicci, salis commun. ana ʒ. ii. Fiat pulvis sub lingua detinendus, & frequenter iterandus.

Re-

Refert Forestus puellam 12. annorum, intra biduum fuisse curatam hoc solo remedio cujus auctor est Nicolaus Florentinus qui in adultis loco salis communis utitur sale ammoniaco, quod magis penetrat, & potentius dissolvit. Forestus verò in studioso quodam prædictum pulverem cum sale communi paratum usurpavit; tùm etiam decoctum ex balaustis, alumine, & gallis, æquis partibus paratum, ac denique partem sale tosto, & gemma fricari jussit, & æger curatus est sine operatione chirurgica, quod rarissimè solet contingere; quia tumores isti ad naturam absessuum accedunt, & in quodam veluti folliculo continentur, ita ut discussa quadantenus materia contenta, iterum repleatur.

Si discutientibus remediis tumor curari nequeat; ad illius apertionem veniendum est, quod ut plurimum faciendum: rarissimè enim per resolutionem curatur.

Apertio autem exiguo foramine facienda non est, quia materia folliculo contenta iterum colligitur, & folliculus impletur, cui rei maximè conducit summa partis laxitas, & mollities recipiendis excrementis maximè idonea. Sed per summum tumorem longissima sectio facienda est in utraque eminentia, ut tota materia simul effluat. Postea ulcus abluendum est primùm lenientibus, ut decocto malvæ: posteà verò detergententibus, ut vino albo cum melle rosaceo, aut diamorone, ac demùm oxymelite, donec purum appareat ulcus, & follico liberum. Ac denique ad cicatricem inducendam, vino nigro, in quo alumen dissolutum sit, os frequenter colluendum.

Forestus similem absessus curavit in quadam muliere rustica, sedictione utrinque facta, & postmodum ore frequenter colluto posca, cui exiguum salis admixtum fuerat.

Si affectus sit inveteratus, & ulcus prædictis remediis exsiccari nequeat; tangatur oleo sulphuris bis in die temperato tamen cum aqua rosacea, ita ut ad unam guttam olei quinque, vel sex guttæ aquæ rosaceæ misceantur: ita enim intemperies corrigetur, & exsiccabitur pars, quæ ad roborationem vino nigro, admixto alumine, sæpè abluenda est. Si post hæc remedia debitè usurpata morbus redeat; ad cauterium actuale veniendum est, cujus administrationem docet. Paræus *lib. 7. cap. 5.*

CAPUT III.

De Gustatu læso.

GUstus, quemadmodum reliqui sensus, omnesque corporis actiones, tripliciter læditur, imminutè, abolitè, & depravatè. Imminuitur, cùm sapores remissos vix percipit, intensos verò remissè. Aboletur, cum prædictos sapores, sive intensi sint, sive remissi, nullo modo sentit. Depravatur deinde, cum objectum alieno sapore infectum judicat.

Imminutionis, & abolitionis gustus causæ eædem sunt, magnitudine tantum differentes. Si enim leviores sint, gustum imminuunt; si graviores abolent. Et illæ causæ sunt, vel defectus spiritus animalis in ipsa parte, vel nervia tertio pari in linguam translati, intemperies, vel lingua ipsa aliquo affectu præternaturali afflicta.

Spiritus deficiunt, vel ob usui penuriam, ut in moribundis; vel propter obstructiones nervorum tertii paris, per quod deferuntur; vel propter tumorem in ea cerebri parte genitum, à qua nervi oriuntur.

Lingua vel humidia, & pituitosa materia obducitur; vel tumoribus, pustulis, aut ulceribus afficitur, & hinc propria illius actio, seo gustatus, imminuti, vel aboleri potest.

Gustus depravatur, quando lingua vitioso alicujus humore inficitur, ut in febribus sæpè contingit, cum bile infecta lingua omnia, quæ gustantur, amara esse judicat. Alias pituita salsa, vel humore melacholico imbuta, omnia salsa vel acida judicat. Objecta enim externa, linguæ admota, vitiosum ipsius succum commovent qui tunc temporis linguam magis feriens saporem suum in eam fortiùs imprimit: & ita, quæ gustantur, tali sapore infecta videntur. Contingit tamen non rarò linguam succorum in se contentorum sapores percipere, etiamsi nullum objectum externum ipsi admoveatur, ut docet Gal. 1. *de sympt. causis cap.* 4. Et quotidiana confirmatur experientia in febricitantibus, quorum lingua bile perfunditur, quæ si valdè amara sit; continuum amarorem in lingua persentiunt, licet nihil extrinsecum degustetur.

Causarum prædictarum diversitas ex saporum varietate, & linguæ ipsius dispositione cognoscitur. Dulcis enim sapor, & linguæ rubedo sanguinem significant: amaror, calor flavus, bilem: albedo cum dulcedine, pituitam, color fuscus, & aciditas, melancholiam. Sapor abominabilis pravos humores in ventriculo contineri ostendit. Pustulæ, tumores, & ulcera, oculis patent. Ac denique si nulla in lingua permutatio appareat, & gustus imminuatur, aut aboleatur; in cerebro, vel nervis causam latere censendum est.

Curatio admodum varia est pro varietate causarum. Ex ideò, si in cerebro, nervis affectus lereat, illi remedia aptanda sunt præsertim ea, quæ ad paralysis curationem præscribi solent. Cùm verò à pravis humoribus gustus depravatur illud symptoma ut plurimùm ab aliis morbis dependet: præcipuè verò febribus, quibus curatis, illa etiam symptomata tolluntur.

Si à tumoribus lædatur gustus, illius curatio ex dictorum tumorum curatione dependet, quæ suprà proposita est.

Si denique a pustulis, aut ulceribus linguæ affectus oriatur, curatio horum affectuum instituenda est per venæ sectionem, & purgationem humorum acrium, quibus accedant topica refrigerantia, & adstringentia, & exsiccancia, ad gargarismatis formam redacta, & si ulcera sordida sint, abstergantur melle rosaceo, addito oleo sulphuris, aut vitrioli, ea quantitate, quæ linguam moderatè feriat. Vel etiam ad potentius exsiccandum, oleis prædictis, puris & impermixtis pars affecta semel atque iterum tangenda est. Sic enim aphthæ, omniumque oris, & linguæ ulcera certissimè sanantur.

CAPUT IV.

De Paradisi linguæ, ejusque motu læso.

ACtio linguæ præcipua loquela est. Ea aboletur, imminuitur, & depravatur à variis causis, quæ ad morbos similares, organicos, vel communes referuntur. Quod ad similares attinet, humida intemperies cum materia conjuncta linguam molliorem, & laxiorem efficit, ut motus suos liberè exercere nequeat: Siccitas etiam nimia loquelam vitiat, ut in febribus contingit. Morbi verò organici sunt, magnitudo aucta, ut de tumoribus antea dictum est, qui liberum linguæ motum impediunt: figura vitiata, ut si lingua brevior ex nativa conformatione, aut præcisione apicis illius, aut si fræno seu vinculo suo arctiùs alligetur, & obstructio nervorum septimi paris, qui ad musculos linguam moventes deferuntur. Morbi denique communes sunt solutiones continui, seu vulnera ejusdem partis.

Nimia linguæ humiditas balbutiem efficit, qua affecti literram R. pronunciare nequeunt. Ea nativa est in pueris, qui ob nimiam humiditatem hoc affectu laborant, ab eoque liberantur ætatis pregressu, quo superflua illa humiditas absumitur. In quibusdam verò intemperies humida tota vita perseverat, & illi perpetuò balbi remanent, de quibus agit Hippocrat. *Aphorism. 32. sect. 6.* his verbis. *Balbi ab alicui profluvio diviturno maximè capiuntur.* Galenus *in comment.* dicit, eos, qui natura balbi sint, aut cerebrum habere humidum, aut linguam, aut utrumque, & à cerebro humido multas profluere humiditates, quas in ventrem delabi par est, unde alui profluvia. Lingua verò admodum humida natura existente, & ventriculum talem esse par est, (ut qui alteram tunicam communem habet cum lingua,) imbecillemque ex humitate. Ventriculi autem humidi propria passio est diuturnum profluvium.

Attamen Avicenna propositæ doctrinæ adversari videtur, dicens *Fen. 1. lib. 3. tr. 4. cap. 18.* balbos esse maximè dispositos ad melancholiam, cum tamen melancholiam à sicciori cerebri intemperie procedat. Conciliatur tamen illa contrarietas, dicendo: per balbos seu traulos Avicenna intelligere non balbos propriè dictos, qui literam R. pronunciare nequeunt; sed eos, qui linguæ hæsitantia laborant, quive eandem syllabem multoties repetunt, antequam dictionem proferant. Hæc enim linguæ hæsitantia ex calido, & sicco cerebri temperamento oritur, in quo adeò promptæ fiunt cogitationes, ut linguam præcurrant ejusque motuum præcipitent, unde conturbatio ipsius, atque hæsitantia exoritur. Prædicta autem balbuties à nativitate contracta incurabilis est.

In

In quibusdam verò balbuties accidentaria contingit à catarrho, & copioso humoris pituitosi defluxu in fauces, & linguam, quæ euacuatione, reuulsione, & deriuatione humoris influentis, tum etiam capitis roboratione, & eiccatione curatur. Cum autem remedia proposítas indicationes adimplentia paralysi linguæ iam describendæ conueniant, ex illius curatione erunt repetenda.

Ad linguam deferuntur duo neruorum paria, tertium videlicet ad gustandi, & sentiendi actionem exercendam; & septimum ad loquelam, & linguam varijs modis mouēdam. Ex horum igitur neruorum, qui à septimo pari oriuntur, obstructione, & relaxatione, paralysis linguæ procedit, quæ est priuatio, aut imminutio motus illius partis. Eaque succedere consueuit frequenter appoplexiæ, cerebro ipso secundùm posteriorem partem humore pituitoso imbibito: & tunc aliæ quoque partes, & plerumque dimida corporis, pars paralysi tentantur. Interdum tamen solitaria est, neruis tantum, aut musculis linguam mouentibus, humore pituitoso imbibitis, & repletis. Ex præcisione etiam eorum neruorum linguæ paralysis generari potest, cuius rei exemplum habetur apud Auic. *Fen. 6. lib. 3. tract. 1. cap. 12.* his verbis: *Quidam homo iam ventosatus fuit, & percussus est cum scalpello villus nerui in substantia panniculi coniuncti cum lingua, quare mollificata est linguæ.* Has autem cucurbitulas in ceruice, & iuxta occiput admotas fuisse, conijciendum est: cùm enim neruli linguam mouentes à principio spinalis medullæ oriātur, quæ est inoccipitio, ex profundiori scarificatione cuiuspiam illius rami præcisionem contigisse, certissimum est.

Quamuis autem materia hunc affectum producens pituitosa sit; interdum tamen crassior, & frigidior, interdum tenuior, & calidior esse consueuit, pro ratione humorum in corpore prædominantium, quorum diagnosis proponitur ab Auicenna. *Fen. 6. lib. 3. tr. 1. c. 6.* his verbis: *Et quandoque significat, quòd materia sit sanguinea rubedo linguę, & caliditas eius. Et quandoque significat, quod materia sit subtilis, & aquosa, multitudo cursu saliuæ aquosæ, & paucitas iuuamenti ex resolutiuis, & iuuamentum ab eo, in quo est stypticitas.*

Affectus iste, si à cerebri vitio dependat, & apoplexiæ sit consectarius, ita vt aliæ quoque partes afficiantur, rarò curationem recepit: præsertim si æger ætate prouectior fuerit. Si verò simplex, & solitarius fuerit; curationem recipit, idq; multo faciliùs, si æger in ætate florente constitutus fuerit.

Curatio Paralysis linguæ perficitur sublatione causæ antecedentis humoris scilicet in cerebro redundantis: & discussione, ac resolutione causæ coniunctæ humoris scilicet neruis linguam mouentibus impacti, & imbibiti.

Causa antecedens eliminabitur ijs remedijs, quæ in frigidæ cerebri intemperiei curatione proposita sunt.

Ac primum purgatio instituetur potione aut pilulis, dicto loco propositis. Mox si sanguis redundare, & affectus causa principalis, vel addiuuans esse videatur, detrahendus est quantitate, quæ viribus, & ætati conueniat. Postmodum apozema cephalicum exhibendum. Et si affectus contumax esse videatur ad diætam sudorificam transeundum est, quorum omnium formulæ dicto loco propositæ sunt.

Post vniuersales euacuationes ad materiæ morbificæ deriuationem deueniendum est, per cucurbitulas, & vesicatoria, posteriori parti admota; tum etiam cauterium occipiti inustum. Auicenna cucurbitulam sub mento affigit, quod etiam à recentioribus probatur.

Vena etiam sub lingua vtiliter aperitur, præmissis euacuationibus vniuersalibus, ad deriuationem humoris musculis linguæ imbibiti.

Ad discutiendum verò, & extrahendum eundem humorem, gargarisma sequens frequenter vsurpabitur.

℞. Rad. ireos Flor. ʒ. ß fol. origani, saluiæ, stœchad. rorismar. ana M. ß. cubebarum ʒ iij. liquiritiæ ʒ j. Coquantur in æquis partibus aquæ, & vini albi sub fine m additis ℔ß. i. In colatura dissolue oxymelitis scillitici ʒ. ij. Fiat gargarisma. Quod si non satis efficaciter operetur, addi poterit decocto radix pirethri ad ʒ ij. vel iij vel etiam semen sinapi per quantitate. Addi etiam potest castoreum, nisi æ ro nimium ingratum videatur.

Ad eundem vsum potest frequenter lingua confricari oxymelite scillitico solo, cui etiam semen sinapi addi poterit.

Succus saluiæ ad linguæ paralysim multùm commendatur, si eo lingua frequenter confricetur: cui etiam, sicut in præcedenti sinapi addi poterit.

Pillulæ etiam sequentes suprà linguam frequenter detineri poterunt in eundem finem.

℞. Succi betonicæ, & liquiritiæ, ana ʒ j. ß. castorei, & assæ fœtidæ, ana ʒ ß. nucis moschatæ, spicæ nardi ana. ℈. j. incorporentur cum melle, & fiant formulæ insta r lupinorum.

Hic etiam conferre poterunt gargarismata, masticatoria, & errhina in frigidæ cerebri intemperiei curatione proposita.

Ad cerebrum verò roborandum, & humoris pituitosi in eo contenti reliquias discutiendas conuenient suffitus, puluis capillis inspergendis, & cucupha dicto loco proposita.

Ac denique, ad nouum pituitæ prouentum, quem cerebri intemperies etiam post vniuersales, & particulares euacuationes solet efficere, vsualia remedia præscribenda; nempe syrupus magistralis, aut pilulæ vsuales, quibus opiata roborans adiungenda est, eorumque remediorum, descriptio à prædicta curatione desumi poterit.

PRAXEOS MEDICAE
LIB. SEXTVS.
DE AFFECTIBVS DENTIVM, GINGIVARVM, Faucium, vuulæ, & laryngis.
PRÆFATIO

PARTES ore, & faucibus contentæ varios affectus patiuntur, quorum præcipues tantum describere animus est, & reliquos minoris momenti, quiue à solis Chirurgis, vt plurimùm curari consueuerunt, consultò prætermittere. Hic igitur liber septem concludetur capitibus. Primum erit de dolore dentium. Secundum, de dentium nigredine, & erosione. Tertium, de gingiuarum erosione, & exulceratione. Quartum, de fluxu sanguinis ex gingiuis. Quintum, de oris, & faucium vlceribus. Sextum, de vuulæ relaxatione. Septimum, de angina.

CAPVT I.

De dolore Dentium.

DEntes non solùm secundum neruos eorum radicibus insertos, & membranulam dentis cauitatem intus succingentem; sed etiam in propria substantia sentire, docuit Galenus 5. *de compositione medicamentorum secundū locos, cap. 8. & 16. de vsu partium cap. 2.* vbi dicit, dentes, & cæteras oris particulas. vna cum lingua sapores percipere. Tum etiam *lib. de ossibus c. 5.* inquiens, ex ossibus dentes tantummodo mollium cerebri neruorum esse participes, ob idque solos

solos manifestè sentire, Dolor igitur non solum neruulis, & membranulæ interiori; sed etiam ipsi dentium substantiæ contingit.

Fit autem dolor dentium ab humorum influxu, qui vel frigidi, & pituitosi sunt: vel calidi, & serosi salsi, & acres; vnde particularum dictarū distensio, aut vellicatio cōtingit. Illi autem humores, vel in maxillarum, & dētium alueolorum membranas confluunt; vel in neruulum radici dentis insertum; vel in ipsam dentis substantiam. Quamuis enim multi existiment, dentes humorū affluxum, ac distensionē in propria substantia recipere non posse, cum sint corpora densissima & durissima, tamē id docetur ab Auicēna. *Fen. 1. l. 1. doctrina 1. cap. 5. & Fen. 7. lib. 4. tract. 1. c. 4. Et quandoque*, inquit, *est materia apostemans dentem ipsum*. Quam sententiam confirmat, ac perspicuè disputat *Fen. 1. l. 5. tract. 3. cap. 1.* his verbis: *Non enim est, quemadmodum quidam existimant medicorum, quod cerebrum ipsum non apostemetur, sic ratiocinantes. Nam quod lene est, sicut cerebrum, & durum sicut ossa, non extenditur; & quod non extenditur, non apostematur. Hic autem sermo est terreneus, & illud ideò, quoniam lene viscosum extenditur, & ossa etiam apostematur; Galenus illud confessus est, & nos monstrabimus sermonem in capitulo dentium. Imò dicimus, quod omne, quod nutritur, extendatur, & augumentetur cum nutrimento, & similiter est possibile, quod extendatur, & augmentetur cum superfluitate, & illud est apostema.* Hoc verò docet Auicenna ex Galeni sententia, qui *lib. 5 de compositione med sec. loc cap. 8. Cùm* inquit, *impossibile sit, dentes incrementum accipere citra nutrimentum, omninò duabus affectionibus, & his contrarijs obnoxij erunt, inopiæ videlicet, & redundantiæ alimenti, quod eis suppeditatur. Inopia igitur aridiores, & macriores, alimentumque non sentientes, & ob id tenuiores eos reddet: redundantia verò consimilem in iis affectionē excitare potest, qualis est circa carnosas partes inflammatio.* Hæc Galenus. Verisimile tamen est, dolorem frequentiùs fieri, (si modo ille valdè intensus fuerit) in partibus illis exquisito sensu donatis, neruulo nimirum, & membranam alueolum succingente, dentiumque radices proximè ambiente: Quæ ab humoribus influentibus non solum distensionem, ac vellicationem; sed etiam interdum inflammationem patiuntur, si nempe sanguis alijs humoribus admisceatur tunc enim dolor à duplici causa exoritur, distensione videlicet, & compressione, quæ fit à dentis duritie, quam ferre non potest sine dolore, membranula inflammata, Hanc autem membranulæ inflammationem comitatur vt plurimùm gingiuæ inflammatio, quæ ideò à Gal. & Auic. inter causas doloris dentium recensetur.

Fluunt autem humores in dentes, & partes adiunctas vt plurimùm à capite. Interdum tamen è partibus inferioribus promanant. Cùm enim vitiosi aliqui humores præcipuè serosi, in parte aliqua geniti in venis cumulantur, natura illorum onus excutere tentans, ad partes debiliores eos præcipitat. Et si dentes popter intemperiem cariem, aut erosionem tales extiterint, ad eos præsertim fluxio decumbit. Huius rei experimentum proponit Carolus Piso (qui etiam existimat, dolorem dentium à seroso humore vt plurimùm fieri) *lib. de morbis ab illuuie serosa, obs. 7.* vbi refert se ipsum, dolore dentium per multos dies afflictum, ab assumpto medicamento purgante, post sesqui horam, sinceram aquam ad ℔. j. & amplius euomuisse tanto successu, vt posteà vel decem annis ab huiusmodi dolore immunis prorsus fuerit. Quo edoctus experimento simili affectu laborantibus medicamenta serosos humores educentia præscripsit, felici successu. Præterea hunc affectum à tali causa vt plurimùm dependere, hoc signo probare nititur, quòd assidua saliuatio doloris dentium comes ferè perpetua esse soleat.

Præter causas enumeratas, vermes in dentibus cariosis geniti doloris dentium causa esse possunt: ijque producuntur ex qualibet materia, in illis cauitatibus retenta, & putrefacta; siue ea excrementia sit, siue ex alimentis putredini obnoxijs, carnibus præsertim, & dulciarijs, quæ propter lentorem cauitatibus dentium adhærescunt.

Nonnulli etiam existimant, dolorem dentium interdum fieri à spiritu flatulento intra dentis cauitatem, & neruulum incluso, ac membranulam interiorem violenter diuellente, vnde dolor atrocissimus, ac pene intolerabilis excitari solet.

Causæ externæ, & procatarcticæ dolorem dentium producentes, sunt illæ omnes quæ humorum fluxiones promouere solent: quarum præcipuæ sunt, aer frigidus vel austrinus, mora in sole ardente, aut in aerē nocturno, crapula; omnes denique errores in victus ratione commissi. His adde eas, quæ partem debilitare, & fluxioni recipiendæ magis idoneam reddere valent, qualis est præsertim caries, & perforatio dentis, quæ pertinaces non rarò dentium dolore efficere consueuit.

Causarum diuersitas varijs signis dignoscitur. A calidis enim humoribus dolor oriundus, intensior multò est; temperamentum calidius, ætas florens, tempus æstiuus, caliditatis sensus in parte percipitur, & sæpè gingiuarum inflammatio contingit, à frigidis remedijs iuuantur, lædunturautem à calidis. Si verò à frigido humore dolor oriatur, signa prædictis contraria apparere solent.

Si vermis causa doloris extiterit; dolor erit interpulatus, exiguis interuallis desinens, ac rediens; tum motus vermis in parte aliquando percipitur.

A spiritu flatuoso dolorem produci testantur illius atrocitas, & diuulsionis sensus, qui in parte percipitur, quiue exiguo tempore desinit, ac discutientibus remedijs, parti admotis, facilè curatur.

Prognosis varia est pro causarum varietate. Dolor enim, qui ab humore calido, tenui, & serò acri, & falso producitur, vehementior quidem est; sed citiùs desinit, ob humoris illius subitas mutationes. Qui verò ab humore frigido, & pituitoso excitatur, mitior est; sed multò diuturnior.

Tumor in gingiuis, aut maxilis obortus, doloris dentium solutionem affert, translata fluxione ad partes exteriores, ita vt non ampliùs ad internam dentis cauitatem decumbat.

Curatio ad doloris causam auferendam, & ipsum dolorem mitigandum dirigenda est. Licet enim anodyna parum prosint, nisi fluxio auferatur: Ita tamen non rarò vrget, vt non solum anodynis propriè dictis; sed etiam interdum narcoticis ante causæ ablationem demulcendus sit. Humor igitur, qui ad dentes confluit reuellendus, euacuandus, & repellendus est: qui verò iam influxit deriuandus, & discutiendus.

Primò igitur, si dolor ab humoribus calidis oriatur, venæ sectio celebranda est è brachio eiusdem lateris, qua fluens humor plurimùm reuellitur. Si verò dolor frigidis humoribus excitetur; minus venæ sectio conuenit; ratione tamen fluxionis etiam vsurpari poterit, cùm inter reuellentia remedia principem locum teneat. Sed minori copia tunc temporis sanguis detrahendus, nisi plethoræ signa appareant: cuius ratione etiamsi ea pituitosa sit; liberalis venæ sectio instituenda, iuxta præceptum Galeni, qui largam sanguinis detractionem plenitudini respondentem omnium dolorum promptissimum esse remedium asseruit, quod nos frequentissima experientia, tum in alijs doloribus, tum præcipuè in dolore dentium, verissimum esse comperimus.

Sequenti die purgans medicamentum exhibeatur humori peccanti accommodatum, & in forma, vel potionis, si humor peccans calidus extiterit; vel pilularum, si frigidus, & pituitosus humor doloris causa fuerit.

Postmodum, perseuerante dolore, cucurbitulæ scapulis cum scarificatione applicentur; vel cucurbitula magna inter scapulas sine scarificatione affigatur. Vesicatorium posteriori parti ceruicis, vel pone aures admotum humores fluentes potentissimè retrahit ad posteriora.

Ad fluxionem etiam inhibendam adstringentia tēporibus vtiliter applicantur, qualia sunt emplastra ex gummi elemi, vel mastiche sola, supra pannum sericum liquata cum pistillo æneo calefacto; emplastrum de mastiche officinarum, vel contra rupturam, vel tale in rem præsentem præscribatur.

℞. Thuris, hypocyst. ladani, ana ʒ j. ß. picis, mastiches, ana ʒ. j. opij. ℈ ß. olei lentisci q. s. Fiat massa emplastri.

Radix consolidæ maioris recens, contusa, & admota tempori in formam emplastri, fluxionem efficaciter intercipit.

Fit etiam emplastrum ex puluere aluminis, & gallarum cum pice subacto efficacissimum.

Riuerius, Henrici magni Archiater, emplastrum sequens pro secreto habebat.

℞. Nucum cupressi, rosar. rubr. seminis nasturtij torrefacti, mastiches, terræ sigillatæ, an. ʒ j. ß. Macerentur in aceto rosaceo per horas 4. postea siccentur, & adde opij in aqua vitæ dissoluti ʒ ij. picis naualis, colophoniæ, an. j. ceræ

ræ flavæ,in oleis expreſſiis ſeminum hyoſcyami,& papaveris albi liquatæ q.ſ.Fiat emplaſtrum , quod applicetur arteriis,vel etiam loco dolenti.

In aures quoq; immittuntur medicamenta ad dolores dentium,quia venulæ,per quas fertur alimentum ad dentes, per illas partes excurrunt,ideò infunditur oleum amigdalar.amar.in aurem vicinam denti dolenti,aut excipitur fumus aceti,in quo pulegium,aut origanum cocta ſint.

Alii acetum in aurem infundunt , quo fluxio cohibetur efficaciſſimè,& in fluxione calida præcipuè confert.

In frigida verò fluxione , ſuccus alii cum theriaca mixtus,& in aurem tepidè inſtillatus,mirum in modum dolorem compeſcit.Idem præſtat allij bulbus,detracto cortice in formam ſuppoſitorii ſciſſus,& in aurem intruſus.

Adſtringentia etiam ipſi parti dolenti admoventur in fluxionis principio,eaque refrigerantia , ſi materia calida ſit , frigida verò exiſtente , calida cum repellentibus ſunt permiſcenda.In qualibet autem cauſa,ſi dolor vehemens fuerit anodyna repellentibus erunt admiſcenda.Materia verò hiſce uſibus idonea taliseſſe poterit.

℞.Rad.biſtortæ,pentaphylli, tormentillæ , ana ℥ i. fol. verbenæ,plantag.& tapſi barbati,an.M. i.nucum cupreſſi, gallarum, calycum glandium,an.℥ ii.ſantali rubri, & cryſtallorum an.℥ i.ß.roſarum rubr.& balauſtiorum ana.P.i. Fiat decoctio in vino ſtyptico,& aceto , qua abluatur pars dolens tepidè frequenter. Hæc in fluxione calida uſurpari poterit ab initio:in frigida verò addi poterunt radix cyperi,cortex buxi,folia hederæ,& ſimilia.

Simplicius medicamentum componitur , ex aqua plant. & roſar.cum aceti tantillo ad formam oxycrati.

Vel gallæ decoquantur in aceto, quo abluantur dentes.

Vel

℞.Rad.pentaphyli ℥ß.fol.ſalicis M.ß.gallarum ℥ ij.Fiat decoctio in vino ſtyptico,qua colluantur es. Hæc decoctio ſiſtit fluxionem,& dolorem ſedat.

Poſtmodum ea uſurpanda erunt remedia, quæ dolorem ſedant,ejuſque cauſam diſcutiunt,quorum maximus apud aurhores,imò,& apud vulgus,numerus habetur.Nos efficaciora hic proponemus, ex quibus eo judicio delectus habendus eſt,ut quæ non ſolùm reſolvunt,& diſcutiunt; ſed etiam fluxionem cohibent,adſtringentium admiſſione, in principio,& augmento magis uſurpetur: quæ verò tantùm diſcutiunt,in ſtatu,& declinatione.

℞.Succi ſempervivi,& ſolani,ana ℥ij.lactis vaccini:aut ovil i ℥viij.olei roſacei omphacini ℥j ß.opii croci, an.gr. iij.Miſceantur,& lintèo exceptus liquor maxillæ dentis dolentis tepidè frequenter applicetur.

℞.Medullæ pomorum dulcium coctorum ℥ ij. furfuris aceto macerati ℥ iij. olei roſacei omphacini ℥j. croci ℈.ß. opii gr.ij.Miſce,fiat cataplaſma,parti dolenti applicandũ. Vel

℞.Farinæ hordei, fabarum,an.℥iij. olei roſati completi,& amygdalar.dulci.an.℥ß. ſucci ſempervivi majoris ℥j ß. lactis q.ſ.Fiat.cataplaſma,parti dolenti applicandum tepide frequenter.Vel

℞.Albumina ovor.num.ij. Agitentur cum aquâ roſacea, & excipiantur ſtupis cannabinis, quæ aſpergantur piperis pulverati ℥ ij. & parti dolenti applicentur, ut totam genæ ſedem comprehendant.

Hic tamẽ ſedulò advertendum,ne adſtringentia maxillis applicentur, ſi tumor eas occupet:periculum enim eſt , ne humor ad fauces repellatur , ægrumque ſuffocet. Cujus rei exemplum proponit Valeſcus de Taranta,cujuſdam medici dolore dentium laborantis cum maxillæ inflammatione,qui oleum roſaceum cum aceto admovit,unde incidit in anginam,& mortuus eſt.

Aliæ oris colluliones in morbi decurſu parari poterunt in Hunc modum.

℞.Vini albi generoſi ℥ iv.radicis hyoſcyami albi ℥ ij.Bulliant ad conſumptionem tertiæ partis.Colaturæ adde aceti ℥ j.vernicis ℥ j. iterumque bulliant unica ebullitione.Colatura abluatur os frequenter.

Decoctum verbenæ ſimplex ad eundem uſum à quamplurimis commendatur.

Laudatur etiam decoctum guajaci,cum aqua , vel vino paratum,cui ſal interdum permiſceri poterit. Vel

℞.Fol.perſicariæ,& cortic.rad. hyoſcyam.an. partes æquales. Coquantur in aceto roſaceo,& hoc decocto colluatur os.Et ſi à causa calida dolor producatur,radix hyoſcyami ſola in aceto decoqui poterit.

Si perſicariæ acrimonia offendat,illiùs quãtitas minuenda eſt. Imò penitus omitti poteſt in fluxione à cauſa calida , & in illius locum ſubrogari perſicaria maculata, quæ refrigerandi,& adſtringendi facultate prædita eſt,cujuſque ſuccus,aut decoctũ ad omnes fluxiones acres , & biliоſas coercendas per os toto exhiberi poteſt . Folia etiam hyoſcyami loco radicis uſurpari poſſunt.

Quidam foliis hyoſcyami,& perſicariæ maculatæ , pro remedio magnetico utuntur;eaque decoquunt in aceto,cocta comburunt igne luculento,dentes aceto abluunt,& dolorẽ evaneſcere ajunt,quam primùm folia combuſta ſunt. Ego verò affectum aceto tribuere malim,quo dentes abluũtur.

In prædictis decoctis,ſi aceti acrimonia tanta ſit ut eam æger difficilè ferre valeat , ex æquis partibus vini , & aceti parari poterunt. Imo verò in cauſa frigida vinumſolum uſurpabitur.

Amatus Luſitanus ſandaracham valdè laudat.in aceto , & vino decoctam , hoc modo.

℞.Sandarachę ℥ j.vini,& aceti an.℔.ß.Coquantur,& colatura calida teneatur diu in ore.

Decoctum radicis urticæ majoris , cum pauxillo nucis moſcatæ,& croci,ex æquis partibus vini,& aceti paratum , & calidè ore detentum , humores illapſos mirabiliter extrahit. Ab initio quidem videtur dolor augeri; ſed paulò poſt mitigatur , & deſinit.

Radix lapathi acuti,vere,ante germinationem collecta , & exſiccata, denti dolenti admota , ſpecifica proprietate dolorem dentium tollit , quod confirmatur Foreſti experimento,quod habetur. *obſ.6.lib.*14. ubi etiam dictam radicem recentem in taleolas conciſam denti dolenti feliciter applicavit in puella quadam , quo etiam remedio in aliis quamplurimis,præcedentibus univerſalibus remediis , ſe felicitet uſum teſtatur.

Si corpus ritè purgatum fuerit , & caput pituita nõn ſit admodum repletum,maſticatoria ad humores à parte affecta extrahendos erunt efficaciſſima , quæ parantur, vel ex pyrethro ſolo dentibus diu præmanſo,vel ſequens componi poterit.

℞.Maſtiches pyretri,& ſtaphiſagriæ an.℥ j.ß. hyoſcyami ℥ ß. Pulverentur,miſceantur , ex iiſque fiant globuli in panno lineo raro,quos diu maſticet,frequenter expuendo.

In vulgari uſu habetur oleum caryophyllorum,quo fruſtulum goſſipii intinctum denti admovetur,& ſi eroſus fuerit , cavo illius inſeritur,ſicque humor parti adhærens extrahitur , & illa roboratur.

Oleum camphoræ ad eundem uſum mirè eſt efficax.

Vel olei caryophyllorum ℥ j. diſſolve camphoræ gr.viij. iiſque eodem modo utere.

Verùm præ cæteris commẽdatur,& miris laudibus effertur oleũ buxi,quod ſi goſſipio per ſtylum excipiatur,& in foramen dentis gutta una,vel altera iniiciatur,illicò dolorem tollit.Fit autem hoc oleum,conciſo ligno buxi in multas particulas,deinde deſtillatur per deſcẽſum. duobus vaſis altero infra terram,altero ſupra poſito,& circa hoc apponitur ignis ex carbonibus validior,& oleũ extillat in vas inferius . Præter olea prædicta , Chymici etiam laudant oleum ligni,quod vocant, Heraclei,ſeu corylini , eodem modo uſurpatum.

Si dolor tàm vehemens ſit,ut prædictis remediis cedere, non valeat;ad narcotica veniendum eſt, quæ ſubuariis formulis à practicis proponuntur,& denti dolenti admovẽtur. Horum tamen effectus non minùs,quam cæterorum topicorum,admodum incertus eſt.Verum eadem aſſumpta dolorem certò conſopiunt. Inter cætera laudanum opiatum principem locum obtinet,quod non ſolum dolorem ſedat; ſed etiam fluxionem cohibet, & tutò exhiberi poteſt poſt remedia univerſalia ad gr.iij.vel iv.modo à perito artifice præparatum ſit.

Topica verò remedia ex narcoticis parata multa circumferuntur . Sequentia duo nobis ſint inſtar omnium.

℞.Opii,myrrhæ,& laudani,an.℥ j. Pulverentur,& cum vino albo decoquantur in formam linimenti , quod pauco goſſipio exceptum,denti applicetur.

Alterum eſt amplaſtrum Riverii . Henrici magni Archiatri,ſuprà deſcriptum.

Si vermes in dente fuerint , amaris enecandi ſunt, & inter alia ſequens conferre poterit.

℞.aloes ℥ j.camphoræ ℈.ß.aquæ vitæ ℥ ß.Miſceantur, & cum bombace denti admoveantur.

Notandum estratò, dentes dolere, nisi perforati fuerint, & erosio usque ad cavitatem internam penetret, ac nervum tangat, ideò ut doloris sensus auferatur, nervus adurendus est cauterio actuali, vel aqua forti, aut oleo vitrioli in cavum dentis immisso. Quod si frequenter iteretur, & dens, valdè corrosus fuerit; in fragmenta sensim rumpitur, & extrahitur.

Si hisce omnibus dolor dentium non cedit, & dens valdè exesus fuerit; ferro extrahendus est, eoquè extirpato dolor statim cessat, non ampliùs reversurus. Cavendum tamen est, ne dens evellatur eo tempore, quo fluxio impetu ruit; aut caput dolet, aut tumet gingiva, aut dolor atrox sentitur. Et monendus est Chirurgus, ne violenter, & affatim, uno scilicet ictu dentem evellat, ne violentam extractionem consequatur maxima cerebri concussio, & ossis maxillæ disruptio, quam sepè magna hæmorrhagia, febris, interdum mors consequitur. Evulso dente, ea pars, qua extractus est, digitis, undiquaque comprimatur, ut ad naturalem statum redeat; postmodum æger os colluat oxycrato tepido, caveatque ab aere frigido, ne nova fluxio in alios dentes delabatur. Si verò sanguis in tanta copia effluat, ut vix cohiberi possit; (quod interdum contingit, etiam sine maxillæ ruptione, ex vena vel arteria discissa; & refert Valeriola historiam cujusdam, qui dente, sine ulla vi, & sine ferro, sed solis digitis, extracto, sanguinis ℔. i. uno impetu eiecit, & altero die ferè tantundem, ex arteria gingivæ supposita.) Sistitur ut plurimum ille sanguinis fluxus, appositio globulo solidiori ex linteo confecto, & digitis per horam unam, aut alterã compresso. Quòd si non succedat, Vitriolum ustum admovendum est, & linteum aceto maceratum superimponendum, idque digito comprimendum, donec crusta inducta fuerit. Postremum remedium est cauterium ignitum, quo sanguis erumpens statim cohibetur.

Si quis meticulosus Chirurgi manum refugiat, & aljs remedijs sibi dentem extrahi cupiat; ea tentanda sunt, quæ ab authoribus passim proponuntur, & dentis casum promovere censentur; qualia sunt, pasta ex lacte tithymali, & thuris pulvere simul incorporatis, cum pauco amylo in cavum dentis immissa; radix ranunculi, cortex radicis mori, cinis vermium terrestrium, pyrethrum in aceto infusum, radix cocumeris agrestis in aceto infusa, & similia. Sed præ cæteris efficacissimam vim obtinet ad dentium casum promovendum elleboraster, si ejus folio contrito dens cofricetur. Sed diligenter cavendum est, ne alij dentes hoc remedio tangantur, eorum enim casum etiam promoveret. Quidam rusticus cùm dolore dentium acerbissimo premeretur, suasit alter, ut elleborastro dentem confricaret; ille incautè hoc utens remedio, maiorem partem dentium maxillæ afflictæ confricuit, & intra paucas horas omnes propemodum deciderunt. Si quis igitur tã vehemens remedium experiri cupierit; suaserim, ut reliquos dentes cera diligenter obducat, ita ut ille, qui evellendus est, nudus relinquatur, & actioni medicamenti pateat.

Quamvis tumor, in maxillis obortus, ut plurimum doloris solutionem afferat, translata materia ad partes exteriores: ut tamen ille citò resolvatur, quædam remedia usurpanda sunt, cui rei conferet sequens linimentum.

R. Butyri recentis, & axungiæ galinę, an. ℥i. pulu. ireos Flor. ℥i. croci ℈. ℥. ol. chamæmel. & amygd. dulc. an. unz. ß. Fiat linimentum.

Promptiùs operatur cataplasma ex ficubus, pane, & aceto.

Vitrea contusa maxillæ admota citò dolorem solvit.

Hæc est doloris dentium præsentis curatio. Si autem ille frequenter recurrere consueverit, ut in multis huic affectui obnoxijs contingit; prophi laxis adhibenda est, quæ in eo consistit, ut humorum ad partes istas fluentium generatio impediatur, & dentes ipsi roborentur, ne tam facilè fluxionem excipiant. Si igitur ab humoribus calidis affectus producatur, eadem curatio adhibenda est, quæ in calida hepatis intemperie, & catarrho calido fuit proposita. Si verò à frigidis, & pituitosis humoribus ducat originem; frigidæ cerebri intemperiei, & catarrhi frigidi curatio usurpanda est. Dentium verò roboratio ex sequenti capite erit desumenda.

CAPVT II.

De dentium nigredine, & erosione.

Dentes non rarò nigrum, lividum, aut flavum colorem contrahunt, ab humoribus vitiosis, illorum superficiei adærentibus, qui longa mora eos tandem corrodunt, & carie afficiunt. Producuntur etiam ijdem affectus à vaportibus tetris sursum exhalãtibus, qui ex pravis alimentis ingestis, aut à ventriculi intemperie, cibos corrumpente, exoriuntur. Plùrimum ad dentes denigrandos confert hydrargyrum, sive toti corpori admotum, ut in lue venerea contingit; sive facies tantùm eo illinatur. Vnde mulieres, quæ fucis ex Mercurio utuntur, dentes nigros, aut fædo colore infectos habere consueverunt.

Ad curationem, causa antecedens, priùs auferenda est, & si humores pravi, in ventriculo redundantes, huic malo originem dederint, evacuandi sunt, & partium eos producentium intemperies corrigenda, optimaque victus ratio instituenda, eaque alimenta eliminanda, quæ dentes corrumpere nata sunt, præcipuè verò dulcia.

Infinita propemodum ad dentes dealbandos proponũtur remedia apud authores, quæ unusquisque experiri poterit. Nobis unicum saltem sufficere poterit, quod in instanti dentes dealbat, ab omni sorditie liberat, à carie præservat, nempe spiritus sulphuris, aut vitrioli, in quo exiguus bacillus demergendus est, ejusque extremo dentes confricandi, moxque linteo detergendi. In magna dentium sorditie purum, & putum oleum usurpari poterit, aliàs verò cum melle rosaceo permiscendum, aut aqua simplici temperãdum erit, ne usu frequenti gingivas erodat. Mõtan. *consil.* 113. refert, se id didicisse Romæ ex quadam muliere, quam Mariam Græcam appellabant: ad quã cum venisse admodum juvenis, atque illa esset annorũ 20. postea quinquagenariam in eodem ferre statu eam reperit; quæ formæ, atque virium integritatem oleo vitrioli acceptam tulit atque significavit, se ex ejus usu dentes, quos in juventute, pessimos habuerat, pulcherrimos habere, & firmissimos; gingivas etiã firmas; & addidit, sibi videri, se ob ejus usum tardiùs senescere. Vsa erat autem singulis diebus una aut altera guttula, gingivas, & dentes leviter fricando.

Cinis tabaci ad dentes abstergendos, & dealbandos, est etiam mirè efficax.

Ad præcautionem verò, & dentes conservandos, primùm ij à sordibus, & cibis quotidie mundandi sunt denti scalpio ex ligno lentiscino, aut alia materia idonea: mox vino os colluendum, dentes verò confricandi pulvere sequenti.

R. Rad. bistorræ, aluminis, & coralli albi ana ℥i. Fiat pulvis tenuissimus, quo dentes confricentur. Vel aqua sequenti abluantur.

R. Aluminis usti subtilissimè pulverati ℥ ii. cinamomi integri ℥ß. aquæ fontis, & rosarum, ana ℥iv. Bulliant in phiala vitrea supra cineres calidos, ad tertiæ partis consumptionem. Hoc liquore dentes confricentur mane, linteo in eo madefacto.

CAPVT III.

De gingivarum erosione, & exulceratione.

Erodantur gingivæ, & exulcerantur ab umoribus acribus, & erodentibus, ad eas confluentibus. Partes autem mandantes sunt cerebrum, ventriculus, lien, aliæque partes. Lienosi præsertim ulceribus gingivarum maximè obnoxii sunt; unde in scorbuto, magna earum partium exulceratio, & corruptio contingit. Interdum etiam ex lumbricis, aut corruptis humoribus, ex quibus illi generantur, gingivarum erosiones solent contingere: ita ut iliæ diu perseverantes, lumbricorum intùs latentium indicia esse soleant. Sic refert Fabricius Hildanus *obs. 59. centur. 1.* cujusdam civis Dusseldorphensis puerum, erosione gingivarum à longo tempore gravissimè vexatum, cùm varia multaque remedia tam internam, quàm topica adhibita fuissent, tandem vitam cum morte commutasse.

Et aperto corpore tantam inventam esse vermium copiam, ut aliquibus in locis intestina eroserint, multique in vacuo ventris reperti fuerint.

Curatio primùm ad causã antecedentem dirigenda est, & hu-

& humores vitioſi vacuandi per venæ ſectionem, & purgationem acres, & calidi temperandi per apozemata, iulepos, iuſcula medicata, & alia huiuſmodi. Eorundem humorum fluxio auertenda per cucurbitulas, & cauteria, partibus idoneis admota. Ac denique partis præcipuè affectæ vitia corrigenda.

Poſtmodum verò ad topica veniendum eſt, quæ pro magnitudinis affectus varianda ſunt: ita vt ſimplici eroſioni ea tantum admouenda ſint, quæ adſtringendi, & exſiccandi vi prædicta ſunt, atque ita lotio ſequens primum vſurpari poterit.

℞. Gallarum immaturarum, calycum glandium, balauſtiorum ana ℥j. roſar. rubr. P. j. aluminis crudi ℥iij. Coquantur in aquæ ferratæ partibus duabus, & vna vini rubri auſteri. Hoc decocto ſæpè gingiuæ abluantur.

Sic hoc decocto non tollatur eroſio; opiata ſequens adiungenda eſt.

℞. Sang. drac. ℥. iij. ligni aloes roſar. rubr. ſpondij, cornu cerui ad albedinem vſti, & nucum cupreſſi, ana ℥ j. myrrhæ, & cineris tabaci ana ℈iij. aluminis ℥j. Fiat omnium, puluis, qui excipiatur melle, additis ſpiritus vitrioli, aut ſulphuris guttis aliquot. Fiat opiata, quæ extendantur ſupra linteola inſter lamellarum, gingiuis applicanda hora ſomni.

Spiritus ſulphuris, aut vitrioli, quemadmodum dentes mundificat, & dealbat; ſic etiam gingiuarum putredinem arcet ſolus, vel cum aqua, aut melle roſaceo permixtus, vt ſuperiori capite dictum eſt.

Si vlcus profundum fuerit, aut ſordidum ſequenti balſamo illinatur.

℞. Myrrhæ electæ, & ſacchari candi, ana partes æquales. Pulueretur, ijſque impleatur album oui ad duritiem coctum, & per medium ſectum; poſtea filo probè alligetur & ſuſpendatur in cella vinaria, ſupponendo vas vitreum, inſtillabit liquor, ſeu balſamum, quo pars ſæpiùs in die illinatur.

Quod ſi prædictis remedijs, ex parte adminiſtratis, affectus non tollatur, & dens vlceri vicinus carie affectus ſit, ad illius euulſionem veniẽdum eſt, & vlcus citò curabitur, alioqui incurabiles prorſus remanebit.

CAPVT IV.

De fluxu ſanguinis, ex gingiuis.

SAnguis magna copia interdum è gingiuis fluere, cõſueuit, idque vel critice, vel ſymptomaticè. Quamvis autem hæmorrhagia critica rariſſimè per gingiuas fieri conſueuerit; id tamen interdum accidere, docent experientia, & authorum obſeuationes. Sic refert Dodonæus *obſ.* 14. cuidam Latomo, ecthymatis laboranti, ſãguinem è gingiuis erupiſſe, eumque repreſſum ad vrinarios meatus translatum fuiſſe vnde cruenta vrina ſubſequuta eſt: cùm adſtringentibus cohibita fuiſſet, iterum ad gingiuas ſe contulit, nec fluxus ceſſauit, donec æger à morbo liberatus eſt. Amatus Luſitanus *curatione 5. cent. 5.* refert, quiſdam ſanguinem è gingiuis vtiliter effluxiſſe: eoque cohibito, non nulla ſanitatis incommoda prodijſſe. Zacutus etiam Luſitanus *obſ. 86. lib. 1. praxis admirandæ*, refert, aurifabrum quemdam, cùm ex multo labore iuxta fornacem in ardentem febrem incidiſſet, & eſſet firmus, ac fortis, copioſam celebraſſe phlebotomiam, cuius vi ita leuatus eſt, vt in 7. die præcedente gingiuarum pruritu, & labij inferioris ingẽti dolore, ex venula gingiuæ inferioris riuuli ſanguinei profluxerit per tres continuos dies, tanta quantitate, vt libras amplius quinque excederent: & quanto plus ſanguinis effluebat, tantò magis remittebat febris, qua omninò extincta, ſanguis ſponte ſua ceſſauit omninò.

Symptomaticè verò ſanguis è gingiuis profluit ob ſuam acrimoniam, & vitioſam hepatis, aut lienis conſtitutionem. Sic ſcorbuto familiaris eſt huiuſmodi ſanguinis è gingiuis effluxus.

Interdum etiam ſanguis copioſè profluit ex dẽte, auulſo, lacerata ſcilicet arteriola quæ radici dentis inſeritur, vnde tanta interdum ſanguinis copia emergit, vt inde quibuſdam mors contigerit.

Fluxus ſymptomatici curatio perficitur ſanguinis detractione, & purgatione, aliiſq; remediis, viſcerum affectorum vitia corrigentibus. Quibus ſuccedunt topica remedia, adſtringendi vi prædita, in gargariſmatum, ſeu collutionum, puluerũ, & linimentorum, aut opiatarum formam redacta.

Si, euulſo dente, copioſa accidat hæmorrhagia: reuulſio primùm inſtituenda eſt per venæ ſectionẽ, & cucurbitulas, & parti adſtringentia admouenda, quale eſt cataplaſma ex bulo armena, terra ſigillata, ſang. drac. aliiſque adſtringentibus, albumine oui exceptis paratum: tum gypſum ſolum, albumine oui exceptum ſanginem fluenten potentiſſimè cohibet. Quæ ſi non ſufficiant; patientis digitus loco imponendus eſt, ex quo ſãguis erumpit, & tamdiu detinendus, donec ſanguis, ſupra orificium arteriæ coagulatus, non ampliùs effluat.

Si leuioribus hiſce ſanguis cohiberi nequeat, quod ſæpe contingit; ad potentiora veniendum eſt. Valeriola *obſ. 3. lib. 5.* refert, invetula, ex dente putrido, ſine vlla vi, ac ſine ferro euulſo, ſed ſolo digito apprehenſo, & leniſſimo concuſſu educto ingentem ſequutam fuiſſe hæmorrhagiã ex arteria gingiuæ ſubdita. Quem ſanguinis fluxum cohibuit, cum leuiora ſiſtere non potuiſſent, chalcitide vſta impoſita, quæ inſiſtendo ſanguine mirificam vim obtinet. Nam, & vehementer adſtringit, & cauſtica virtute inſtar ignis fluorem omnem, reprimit. Zacutus Luſitanus *obſ. 84. lib. 1. Prax. Medic. admirandæ*, refert hiſtoriam cuiuſdam, qui cùm dentis dolore premeretur immaniter, illum violento concuſſu, ferri ope eduxit. Extracto eo, ex lacerata arteria, gingiuæ ſubdita, copioſa ſequuta eſt hæmorrhagia; quæ cum venæ ſectione, cucubitulis, & adſtringentibus appoſitis cohiberi non potuiſſet, neque digito vulneri impoſito, neque chalciti de vſta admota, tandem illius conſilio, locus puluere gummi Arabici impletus eſt, quod auxilium ita profuit, vt poſt tres horas ſanguis fuerit omninò reſtrictus. Hoc enim gumi obſtruendi, refrigerandi, glutinandi, & exſiccandi vim habet. Idem Zacutus *obſ. 85. eiuſd. libri*, refert, militem quendam ſtrenuum, dentem, curus ſæuiſſimo cruciabatur dolor, ferro cùm extraxiſſet violentia ſumma, vehementem paſſum eſſe ſanguinis fluxum ex arteria, cui dens innitebatur. Sãguine biduo vbertim fluente, peritiſſimi Medici omnis generis obſtruentia extra apponunt, reuellantia conſulunt, arteriam candenti ferro inurunt. At incaſſum omnia: nam ſanguis maiori impetu proſiliens, eum in ſtatum morti valdè propinquum, viribus pene exhauſtis, deduxerat. Vocatus zacutus Galenicum emplaſtrum ex aloe, thure, & pilis leporinis, exactiſſimè trituratis & mixtis cum candido oui impoſuit, quo intra paucas horas ſanguis fuit omninò, ſuppreſſus, & æger à mortis faucibus eruptus. Hoc pretioſiſſimo auxilio à ſe primum inuento gloriatur Gal. *l. 5. meth. c. 7.* inciſam in Gibbero arteriam fuiſſe conglutinatam, &c. *4. eiuſdem libri*, tum etiam *lib. de curandi ratione per ſang. Miſſ. c. vlt.* huius remedij præſtantiam confirmat, & quibuſdam hiſtorijs illuſtrat.

CAPVT V.

De oris, & faucium vlceribus.

LEuia, & ſuperficiaria oris vlcera vulgò Aphthæ nominari ſolent, quamuis apud Hipp. & Galenum interdum hoc nomen pro aliarum partium vlceribus vſurpatum reperiatur. Quæ verò profundiùs ſe demittunt, oris vel faucium vlcera abſolutè nominantur; qualia ſunt ea, quæ lue venerea affectis contingere ſolent.

Hæc autem vlcera generari ſolent ab acribus humoribus, aut vaporibus à variis partibus in fauces translatis. Sic in febribus malignis huiuſmodi vlcera ſæpiſſimè contingunt, & ijs, qui calidiori hepatis, aut aliarum partium intemperie laborant, aut corruptorum humorum illuuie ſcatent; vnde puerulis aphthæ ſæpiſsime contingunt, ex Hipp. *aph. 4. ſect. 3.* tum ob lactis acrimoniam, quæ in tranſitu partes illas molliſſimas exulcerat, vt docet Gal. *in comment. illius aphoriſmi*, tum quia lac in ventriculis puerulorum ſæpe corrumpitur, & acres vapores ad os tranſmittit, vt idem Gal. *aſſerit 9. de compoſ. med. ſec. loc. cap. vlt.*

Variæ autem ſunt huiuſmodi vlcerum differentiæ, non ſolum quòd alia leuiora, alia deteriora ſint, alia pueros, alia adultiores infeſtent, ſed etiam quòd alia cum inflammatione coniuncta ſint, alia verò minime. Hi varij gradus reperiri ſolent pro varietate humorum, à quibus generantur. Vel etiam fiunt à ſanguine, vel à bile pituita, vel melancholia, ſeu potiùs atrabile, quæ non ſolùm exurentem, ſed etiam plerumque malignam qualitatem obtinet, & vlcera κακοήθη generare ſolet.

Hæ autem differentiæ proprijs ſignis diſtinguntur: ſiqui-

dem ulcera rubicundiora à sanguine oriuntur; flaviora à bile, albescentia à pituita; livida ab atrabile. Fœtida putredinem adesse significant.

Quod ad prognosin attinet, aphthæ propriè dictę facillimè curantur, ulcera verò profundiora, aut putredinem adepta, νόμας à Græcis appellata, difficiliùs curantur. Et in pueris illa periculosiora sunt, tum propter carnis mollitiem, quam hujusmodi ulcera magis depascũtur, tum quod remedia potentiora ob eandem carnis mollitiem ferre nequeant. Vnde fit, quod pueri interdum ex hoc affectu intereant, si malignitatem, & putredinem comitem habuerit.

Ratione causæ, etiam minùs periculosa sunt ulcera, quæ à pituita, magis, quæ à sanguine, vel bile; maximè quæ ab atrabile generantur.

Ulcera nigra, & crustosa, pessima, & lethalia sunt, præcipuè in pueris.

Fauces exulceratæ cum febre difficiles sunt, ut docet Hipp. 3. *prog.* quia, ut Gal. explicat, humoris erodentis malitiam indicant.

Curatio instituitur primùm idonea victus ratione, quæ refrigeret, & exsiccet, ac causæ antecedentis generationem impediat. Pueris itaq; si a lactis vitio malum contraxerint, nutricis mutatio præcipiatur, aut propriæ nutricis lac corrigatur cibo, & potu laudabili, tum etiam venæ sectione, & purgatione, si opus fuerit. Præsertim verò nutricibus præscribantur edulia refrigerantia, & adstringẽtia, qualia sunt cydonia, pyra, mespila, sorba, lactuca, & portulaca. In adultis eadem præscribantur, & vitentur acria, salsa, & piperata.

Deinde causæ antecedenti prospiciendum est universalibus evacuationibus, pro ætatis ratione usurpatis. Ac primum phlebotomia humores ad partem fluentes potenter revellit, eorumque acrimoniam temperat, totum corpus refrigerando.

Huic succedere debent cucurbitulæ scarificatę, hirudines, pone aures, & sub mento affixæ, vesicatorium posteriori cervici admotum.

Postera die à venæ sectione purgatio præscribenda est humori peccanti, & ætati congrua.

Eodem tempore, nempe ab ipso curationis principio, topica administrentur, stomatica à Galeno appellata, eaque ab initio mitiora sint, qualia sunt gargarismata, vel oris collutiones, ex aquis plantaginis, matri sylvæ, peculi rosarum, syrupo de rosis siccis, & de moris paratæ. Vel decocta ex foliis plantaginis, rubi, centinodiæ, balaustiis, santalo rubro, & similibus, cum syrupis prædictis. Et si inflammatio adfuerit, utiliter addi poterunt succi solani, sempervivi, portulacæ, & sal prunellæ, ea quantitate, quæ acrimonia non feriat, vel illius loco alumen crudum in parva dosi admisceri poterit.

Si non sit inflammatio unicum, ac summum remedium est spiritus vitrioli, aut sulphuris, qui in adultis purus, ac putus usurpari poterit, intincto in eum gossipio, bacilli apici alligato, eoque ulceri admoto leviſſimo contactu, sic enim aphthæ simplices momento fere curantur. In pueris verò permiscetur dictus spiritus melli rosaceo ea proportione, ut aciditas linguam leviter feriat, & penicillo ex linteo, baculo alligato aphthæ illinuntur frequenter, & citò curantur.

Si admodum dolorifica sint ulcera, cùm inflammatione conjunctę, lactæ frequenter gargarizato demulcentur: vel lactis defectu, emulsionibus sem. frigid. vel mucilag. semps ylii, & cydon. cum aquis rosar. platag. solani extractis.

Si denique dolor pertinax revulsionibus propositis, & topicis non sedatur, sed ab illius vehemẽtia copiosi humores acres continuò attrahantur, unde vigiliæ continuæ exoriuntur, & corporis consumptio sequitur, quò vitæ summum periculum minatur, extremum remedium est ad narcotica confugere, quæ dolorem sedant, & humorum influxum inhibent, eorumque dosis metienda est pro ætate, & viribus.

Ego aliquando puerũ quatuor annorum ab orci faucibus, Dei beneficio, liberavi, exhibito laudant gr. j. cum ejus fauces, & lingua profundis ulceribus scaterent, cum tanta inflammatione, ut ne jusculą, nec topica remedia ferre posset, & tanto humorum acrium affluxu, ut illi continuò ex ore rivuli instar emanarent, & puer dies, noctesque insomnes ejulando transigeret.

Si ulcus sordidum, ac putridum evaserit, abluatur primum decocto hordei, & mele rosaceo, & in pueris lacte chalibeato, cum conserva rosarum agitato: mox ad fortiora transeundum est, & in primis mel rosaceum supra laudatum, & guttis aliquot spiritus vitrioli acidum redditum multum confert.

Si hæc non sufficiant, aquis, vel decoctis supra descriptis addi poterunt alumem ustum, collyrium Lanfranci, vel unguentum ægyptiacum, majori vel minori dosi, prout affectus vehementia postulare videbitur. Si denique à lue venerea faucium ulcus procedat, nonnisi lue sublata curari potest.

CAPVT VI.

De vuulæ relaxatione.

VVulæ relaxatio cõtingit ab humore pituitoso, à capite in eam delabente, cui non rarò sanguinis quædã portio admiscetur, & tunc cum relaxatione inflammatio conjuncta est, quæ etiã tonsillis frequenter evenire solet. Harum tamen inflammationum curationem omittimus, cum iisdẽ remediis perfici valeat, quę ad linguæ inflammationẽ, & oris ulcera, inflammationi conjuncta, proposita sunt.

Humor igitur pituitosus in columellam defluens eam humectat, emollit, & relaxat: ut longior facta partem superiorem œsophagi tangat, & nauseam pariat. Tum etiam laborantes bolum quendam in summo œsophago habere videntur, quem frustra devorare conantur, ut hoc solo signo, sine inspectione, vuulæ relaxatio dignosci valeat.

Illius curatio primum ad causam antecedentem dirigenda est, sicque humores à capite fluentes evacuandi, revellendi, ac derivandi iis remediis, quæ in catarrhi curatione fuere proposita.

Topica verò in principio sint adstringentia, & repellẽtia, qualia in gingivarum, & faucium ulceribus fuere proposita, & in curatione Anginæ capite sequenti proponentur, quibus postmodum resolventia, & exsiccantia erunt admiscenda. Et licet gargarismata, dictis locis proposita, hic utilia sint; tamen ubi nulla est inflammatio, pulverum usus efficacior est; iis enim vuula relaxata potentiùs constringitur, & exsiccatur. Atque ita primum admovebitur cortex granatorum subtiliſſimè pulveratus, cui in progressu tantillum piperis admisceri poterit. Vel

℞. Rosar. rubr. balaust. corticis granat. an. ʒß. rad. bistortæ, tormentillæ, gallarum immatur. ireos Florent. an. ʒj. aluminis usti ℈ij. Fiat pulvis. Vulgus Chirurgorum piper longum pulveratum admovet, quod non vacat periculo, siquidem metuendum est, ne humores affatim à cerebro ad partem affectam attrahantur, & grave aliquod damnum afferant.

Modus autem hujusmodi pulveres adhibendi talis est. Lingua speculo oris depressa, mox spatula chirurgica, aut cochleari perexigue ad id concinnato, pulvis vuulæ admoveatur: quod pluries in die repetendum est, donec humor columellæ imbibitus prorsùs absumptus sit. Vt autem pulvis vuulæ undique aspergi, atque insuflari possit, utile est instrumentum à Fabricio Hildano inventum, & descriptum *obs.* 22. *cent.* 2. quod inde mutuari curiosus quisque poterit.

Denique si relaxata columella prædictis remediis ad pristinum statum reduci non valeat; sed elongata permanens gravem continuò molestiam inferat, ultimum erit, summitatem ejus præscindere. In qua operatione quædam cautiones adhibẽdæ sunt. Prima desumitur ea Hipp. *prog. text.* 31. ubi *gurgugliones*, inquit, *cum periculo secantur, & scarificantur, & aduruntur quoad rubidi, magnique fuerint: inflãmatio enim supervenit, & sanguinis fluor. Sed hos oportet aliis molliminibus extenuare eniti per illud tempus. Vbi verò pensile fuerit omne id, quod uvam appellant, sitque pars gurguglionis summa major, ac orbiculata superior verò tenuior per illud tempus ad moliri manus tutum est. Sed præstat, ubi alvum subduxeris, uti chirurgia, si liceat per tempus, ne æger stranguletur.* Galenus *in comm. hujus loci* verba Hipp. explicans, dicit gurgughonem inflammatione laborantem non esse præscidendum, aut scarificandum; sed ea tantum sedata, ita ut pars superior saltem gurgugionis extenuata sit.

Altera cautio desumitur ex Paulo Aeginetą *lib. 6. cap. 31.* ut scilicet columella ferro non attingatur, quando livida, aut subnigra est, nempe malignitatis cujusdam particeps, vel

vel ad cancri naturam accedens. Sed, ex eodem Paulo, in ijs operatio tutò perfici potest, quæ tenues sunt, oblongæ, albicantes, & vt ait Hipp. in suprema parte imminuitæ. Huius operationis feliciter peractæ exemplum habemus apud Amatum Lusit. *obse.* 55. *cent.* 3. in quodam studioso, qui gurgulionem habebat lori modo oblongum, & exanguem: cui cum nulla remedia profuissent, portio eius superflua forcibus præcisa est, & illicò oleo vitrioli contacta, sicque æger ab eo incommodo liberatus est.

Tertia denique cautio in hac operatione adhibenda est, ne nimia gurglionis quantitas abscinditur. Inde enim vocis & respirationis læsionem exoriri docuit. Gal. 11. *de vsu part. cap.* 11. & ex integra illius consumptione, vt in lue venerea aliquando contingit, tabes, & mors non rarò subsequuta est.

CAPUT VII.

De Angina.

ANginæ nomen in genere sumptum, omnem faucium, & gutturis affectionem significat, qua respiratio, & deglutitio impeditur, nullo existente in pulmone, aut thorace vitio. Eaque duplex est, legitima, & spuria.

Legitima fit ab inflammatione, qua musculi faucium, & laryngis tumefacti, respirationis, & deglutionis vias coarctant, & angustiores reddunt. Ita autem inflammatio, vel laryngem occupat; vel fauces, quæ pharyngis nomine enũciari consueuerunt. Vtraq; pars musculos habet internos, & externos. Ac licet vt plurimùm pharynx, & larynx propter vicinã, & continuitatẽ in Angina patiantur, modò tamen hic, modò ille magis afficitur, vnde non exigua symptomatum differentia emergit, quorum ratione quatuor à Gal. 4. *de loc. affect. c.* 5. propositæ sunt anginæ differentiæ, quas recẽtiores Græci, qui paulò ante Galeni sæculum vixerunt, proprijs nominibus, nimis curioso, (vt idem Galenus censet,) verborum aucupio designarunt primam vocantes κυνάγχην; secundam, κυνάγχην, tertiam παρατυνάγχην, quartam; παρακυνάγχην; Si inflammatio interiores, proprioſque laryngis musculos, κυνάγχη; si exteriores laryngis musculos, συνάγχη, ac denique si exteriores faucium musculos inuadat, παρακυνάγχη appellatur.

Non solùm autem plerumque faucium, & laryngis musculi simul inflammantur, vt antea dictum est, sed etiam interdum ad vicinas partes, & ceruicem ipsam exteriorem inflammatio protenditur, vt in diagnosi, & prognosi huius affectus dicetur.

In hisce omnibus speciebus, cum periculosior est morbus, deglutitione impedita, solent assumpta ad nares resilire, præcipuè liquidiora, quorum deglutitio difficilior est, quòd liquida, cũ sese latiùs diffundant, non possint tam facile à musculis comprehendi, vt ad œsophagum detrudantur, sed eorum maiori contractione indigent, quæ ob inflammationem sufficienter non fit; Solida vero alimenta, cum magis corpulenta sint, superficiaria tantum musculorum actione indigent, & leui eorum contractione, deglutiuntur. Contingit tamen aliquando, vt solida difficilius, liquida verò faciliùs deglutiantur, quod ex partium affectarum diuersitate dependet. Si quidem musculi laryngis non solum ad vocem efformandam; sed etiam cibum deuorandum destinati sunt; Dum enim cibus in œsophagum impellitur, laryngis cum lingua sursum effertur. Ad potum verò hauriendum magis lingua vtimur, quæ dum intus retrahitur, ex labijs liquorem ducit ad fauces. Si igitur musculi, linguam mouentes, magis afficiantur; potus deglutitio difficilior est: si verò laryngis musculi magis lædantur; cibus difficiliùs ingeritur.

Hic obiter annotandũ, Hippocratem aliquando, nomine Anginæ, laryngis tantum inflammationẽ intelligere, & sic magis strictè hoc nomen vsurpare. Eius rei exemplum habetur 6. *Epid. sect.* 8. *text.* vbi sic loquitur. *Quibusdam verò faucium inflammationes aderant, aliis anginæ*: vbi nomine anginæ, musculorum laryngis inflammationem intelligit, & à faucium inflammatione distinguit.

Spuria angina febris est expers, & duplex iterum statuitur. Prima, & communissima est, quæ ab humore pituitoso producitur, in fauces, & partes laryngi vicinas delabente. Altera verò fit à luxatione vertebrarum ceruicis, qua gulæ gutturisque introitus premitur, & coangustatur.

Veræ anginæ causa, vt & aliarum inflammationum, est sanguis vel sincerus, vel biliosus, vel pituitosus, vel melancholicus qui è venarum iugularium ramis in dictas partes effunditur tisque vel attractus à calor, aut dolore illarum partium; vel transmissus aliunde, si partes illæ debiles aut laxæ, ad suscipiendam fluxionem idoneæ fuerint: tum si humorum copia adfuerit in toto corpore vel in capite, vel in partibus faucibus vicinis. Sanguis enim in toto corpore redundans, vel praua qualitate affectus, dum ad caput transfertur, cerebrum vero robustum est, ab eo non recipitur sed per easdem venas ad subiectas partes retruditur, vnde; in ijs variæ inflammationes fiunt: parotides, ophthalmiæ, anginæ, & similes.

Iuuenes anginæ magis obnoxijs sunt, quàm senes, quia multo, biliosoque sanguine abundãt. Tum etiam, qui habitu corporis sunt crasso, ac multo sanguine abundant, præsertim in capite.

A nonnullis authoribus annotatum est, viros magis esse obnoxios anginæ, quàm fœminas: quod videtur Hipp. obseruisse 6. *Epid sect.* 7. vbi epidemicam constitutionem describens, in qua anginæ, tusses, peripneumoniæ vagabantur, paucissimas fœminas ęgrotasse affirmat. Cuius rei nõ aliam causam refert, nisi quod minùs in publicum prodibant; quàm viri: & ita aeris externi iniurijs sese non obijciebant. Quæ ratio propositioni vniuersali non conuenit, quod fœminæ minùs anginæ sint obnoxiæ, quàm viri. Vera autem ratio esse potest: quod fœminæ sanguinem frigidiorem; laryngem minorem, & gutturis venas angustiores, exilioresque habeant: Quorum ratione partes illæ fluxionem tam facilè non recipiunt.

Ad causas internas reuocari possunt morbi præcedentes, vt febres continuæ putridæ, ardentes, & in primis epidemicæ, qualis fuit illa, quæ recensetur à Foresto *obs.* 2. *lib.* 6. quæ contigit anno 1517. In qua omnes laborantes graui simæ faucium inflammatione corripiebantur, & intra sedecim, aut viginti horas moriebatur, nisi ante sex horas ab inuasione sãguis detraheretur. In hac autem angina febris symptomatica non est; sed potius essentialis, & angina illius veluti symptoma, quando materiæ morbificæ pars ad hunc locum propellitur. Fiunt autem in febribus epidemicis aliquando anginæ alias pleuritides, peripneumoniæ, dysenteriæ, & similes affectus, ab occulta, quadam vi, & astrorum influxu, quo nunc hæ, nunc illæ partes magis afficiuntur.

Quidquid aut fluxiones humorũ ad istas partes excitare potest, inter causas huius affectus externas recensẽri debet. Talis est austrina constitutio diuturna, iuxta *aph. Hip. 16. sect.* 3. *Morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ & anginæ.* Ad hunc etiam affectum producẽdum maximè facit temporum inæqualitas, quando calore laxantur partes, & à frigore subito superuiente humores ad eas propelluntur. Idem præstat subita refrigeratio, ab incalescentia, frigidi potus post eandem: tum etiam, si caput pluribus tegumentis incalescat, vel nudum aeri frigido exponatur.

Primæ spuriæ anginæ speciei causa proponitur ab Hip. 4. *de vict. rat. in morb. acut text.* 39. vbi sic loquitur: *Synanchus fit, cum hyeme, vereq; multa fluxio, & viscosa à capite ad venas iugulares descendit. Cum autem frigida, & glutinosa fuerit, spiritus obstruit permeationes.*

Alterius denique spuriæ anginæ, speciei causa proponitur ab Hipp. 2. *Epid. sect.* 2. Tumor nempè, seu tuberculum, iuxta vertebras ceruicis obortum, ac præcipuè illam, quæ dens, seu dentiformis ab eodem Hipp. nominatur, à quo tumore vertebræ ad interiora trahuntur, & consequenter cauitas in parte exteriori apparet. Hic autem tumor, vel ab humore pituitoso fit, copia sua vertebras à propria sede dimouente vel à sanguine, in musculos effuso: vnde inflammatio fit, qua musculi contracti vertebras ad interiora trahunt. Et tunc vera est angina, ab inflammatione scilicet dictorum musculorum oriunda. Potest etiam fieri luxatio vertebrarum ab humore pituitoso, earum vincula laxante, & internodia lubrica reddente. Ac denique potest fieri à causis externis, casu scilicet, vel percussione, quemadmodum reliquæ omnium totius corporis articulorum luxationes.

Angina primo in genere, dignoscitur ex illius signis pathognomonicis, respirandi nempè, & deglutiendi difficultate absque aliquo thoracis, aut pulmonum vitio. Dolor

pratereà circa fauces, & guttur percipitur; tum etiam in legitima angina, rubor, calor & febris.

Differentiæ verò proprijs etiam signis distingui possunt. In synanche enim minor est respirandi difficultas, deglutiendi verò maxima, vt liquida vix transire possint, sed potus ferè per nares reijciatur.

In Parasynanche minor est respirationis difficultas, imò perexiguâ, cum musculorum faucium externorum inflammatio parum respirationi officiat. Dolor etiam & robur foris in ceruice percipitur, cùm inflammatio partes externas occupet.

In synanche maxima est respirationis læsio, ita vt ægri strangulari videantur: & paucis etiam horis aliquando strangulentur, ac nō nisi erecta ceruice, & aperto ore spirare valeant. Fauces vehementer dolent, nullus tamen rubor aut tumor, neque in faucibus intus, neque extra in ceruice apparet. Lingua liuida est, nigra, inflexa, vel retorta, ob summam venarum circa linguam repletionem. Acutissima etiam febris adesse consueuit. Huius speciei descriptionem accuratam videre est apud Hipp. 3. *de morbis*. Hoc autem notatu dignissimum est, quod tamen à paucis animaduersum: non tantum in hac specie musculos laryngis interiores affici; sed ipsum etiam pulmonem, vnde tanta respirationis difficultas, & suffocatio exoritur, quod à Dodonæo luculenter obseruatum est *obs. medicinalium cap.* 18. Vbi refert historiā cuiusdam lanionis, qui cū meridie circa laryngem, & fauces dolorem sensisset, & quandam in deglutiendo cibo, ac potu difficultatem nocte strangulatus interijt. Huius in corpore aperto inuenta est pulmonis substantia in pus conuersa. Alia exempla annotauit anno 1565. in quo multi angina correpti, apparente circa laryngem dolore, & tandem desinente, in peripneumoniam inciderunt, ijsque defunctis pulmones, vel pulētī fuere, vel abscessum habuere: iuxta verò laryngem, aut eius musculos nihil occurrit, quod vel adesse, vel adfuisse inflammationem ostenderet. Et in his casibus cēset laryngem non primario, sed per consensum laborasse: & verisimile esse, destillante humore à capite asperam arteriam eiusque ramos impleri, atque distēdi, deinde eodem ad alia vasa transmisso, asperam arteriam, & laryngem dolore liberari, pulmones verò affici, & hoc modo ex angina in peripneumoniam permutationem fieri. In hac autem angina pulmonem nōn rarò affici, colligere possumus ex dictis Hippocr. quæ habētur 4. *acut. text.* 30. & 31. vbi duas anginæ species proponit pro humoris diuersitate: alteram, in qua fluxio pituitosa, hyeme, & vere, ad venas iugulares fertur: alteram, in qua humores bilioſi infestant quod æstate, & autumno contingit. De hac autem posteriori sic loquitur: *Cùm ex capite fluxerit calide, & nitrosa fluxio, vtpote acris mordet vlcerat, spiritu implet, orthopnœā parit, parit, siccitatēque multā. Prætereà, quæ intuenti apparent, haudquaquā tumentia videntur: tendines quoque ceruicis posteriores contenduntur, apparetque tetani modo intendi. Vox abrupta, spiritus paruus spiritusque reuulsio frequēs & violenta accedit. Talibus arteria vlceratur, incenditurq; pulmo neque externum aerem admittere introqueunt.* Hæc Hippocrates. Dicit autem calidam, & acrem fluxionem orthopnœam parere, quia mordet, vlcerat, & spiritu implet. Feruntur enim spiritus ad locum demorsum, hinc pulmonis repletio, vnde orthopnœa; cum non sit locus, in quem externus aer admittatur, quantumcumque thorax dilatetur. Eandem sententiam confirmare videtur Hippoc 3. *de morbis*, vbi in curatione Anginæ dicit: venam secandam esse sub mamma, nam hac parte concomitatur ex pulmone spiritus calidus. Et paulò post inquit: faciendum, vt quàm citissime spuat, & pulmo gracilis fiat, quasi intumuerit pulmo ex spiritu calido replente. Notissimum autem est: cum spiritus ad partem aliquam defertur magna copia, cum eo etiam sanginem transferri. Hic si tanta copia affluat, vt natura commode regi nequeat, inflammationes, & abscessus efficere solet: vnde non mirum est, si in tali angina pulmones purulenti euadant.

In paracynanche respiratio minùs difficilis est, quam in cynanche, difficilior autem, quàm in synanche. Rubor, ac tumor aliquis in faucibus deprehenditur.

Angina spuria ex pituita dignoscitur, febris carentia, & humore pituitoso, ad os magna copia confluente.

Spuria verò angina, ex luxatione genita, cognoscitur ex motu capitis, ac ceruicis læso, & cauitate, quæ in ceruice præternaturaliter apparet, ob vertebram intus depressam.

Causarum dignotio cùm ex vniuersalibus humoris, in toto corpore dominantis, signis elicitur, cum etiam particularibus. Quando angina fit à sanguine: in facie calor, & rubor apparent, & maior distensio in parte affecta. Quādo fit à bile dolor, & calor maior est, cum sitioris amaritudine, & acrimoniæ sensu. Et si à pituitoso sanguine fiat, dolor, & rubor minor est, & febris exigua.

A parte affecta quædam etiā humoris peccantis diagnosis haberi potest. Sanguis enim bilioſus plerumque in laryngis musculis potiùs inflammationem facit: pituitosus, fauces magis aggreditur. Cùm enim exiles sint laryngis venæ; non nisi sanguis tenuis ad eas penetrat. Fauces verò, quę laxæ, & spongiosæ sunt, pituitosos humores facilliùs recipiunt.

Denique ex anni tempore humoris peccantis diagnosis desumi potest. Anginæ enim bilioſæ maximè æstate, & autumno proueniunt, quòd in æstate bilis generetur, & in autumno retineatur. Pituitosæ verò hyeme, & verè fiunt, quod hyeme maximus sit pituitæ prouentus, tum etiam vere, quia collecti humores in hyeme tunc temporis liquantur, & à capite in partes subiectas decumbunt.

Quod ad prognosin attinet: angina vera morbus est acutissimus, & valdè periculosus, propter respirationem impeditam, & strangulationem, quæ non raro contingit à constrictione meatus, per quem fit respiratio. Ideo quò maior fit constrictio, eo maius periculum. Et sic prima species anginæ omniū periculosissima est, quia inflammatio musculorum internorum laryngis meatum magis præcludit. Vnde Hipp. *Aph.* 34. *sect.* 4. sic loquitur. *Si febrem habenti suffocatio repente superueniat, nullo tumore in faucibus existente lethale est.* Quā sententiam confirmat *in Coac. & prog* dicitque, huiusmodi anginas eadem die, & 2. & 3. & 4. strangulare.

Secunda species anginæ, licet admodum periculosa sit, paulò minùs tamen lethalis est, quàm prima; quia inflammatio musculorum externorum laryngis tantam tamque, subitam cōstrictionem nō facit. De hac loquutus est *Hippoc. 3. progn. tex.* 17. his verbis. *Quæcumq; verò* (id est anginæ) *dolorem alioquin alteri similem inferunt, in faucibus verò tumorem, & ruborem excitant, valdè quidem lethales sunt: præcedentibus verò diuturniores, si rubor fuerit magnus.*

Tertia species minùs periculosa est, quia in ea minùs læditur respiratio quàm deglutitio ab inflammatione musculorum faucium internorum. Læsa autem deglutitio non adeò periculosa est. De hac etiam loquitur *Hipp. lib. antea citato, text.* 18 his verbis *Si quibus verò fauces rubent, & ceruix, hæ diuturniores sunt. Maximè verò ij ieruantur, ceruix, ac pectus traxerit ruborem, nec facer ignis intro recurrat.*

Quarta denique anginæ species omnium leuissima est, & securissima; quia inflammatio longiùs à gutture abest. Hinc *Hippoc. Aph. sect.* 6. sic loquitur: *Angina correpto, si tumor in collo appareat, bonum extra enim vertitur morbus.* Idem confirmat. 3. *progn. text.* 20. his verbis; *Securissimum verò, si tumor aut robur quam maximè foras vertatur.*

Has omnes differentias vnica sententia complexus esse visus est. *Hipp. 6. Epid. sect.* 7. vbi de signis anginæ Epidemicæ loquens, hæc habet. *In summa, qui solum deglutirenon poterant, bis valdè mites, & toleratu faciles erant, pessimæ. verò vis, quibus vnà spiritus sublimis erat.*

Si anginæ materia in pulmonem transferatur, vel moriuntur ægri, vel in desipientiam agūntur; vel empyici fiunt, vt docet *Hipp. Aph.* 10. *sect.* 5. & 3. *prog.*

In angina valdè vrgente, si spuma circa os appareat lethale est ex *Aph.* 42. *sect.* 2. Summa enim cordis angustiam significat, feruoremque intensissimum, à quo propria pulmonis humiditas exprimitur, & ad spumæ formam in os transfertur.

Angina laborantes, nisi celeriter coacta expuant; sed pauca, viscida, crassa sputa reddant, malè, & lethaliter habent, Hipp. *in Coacis.*

Tumores faucium in angina, sine vlla ratione repentè euanescentes, lethales sunt, Hipp. *in Coacis.* Sine vlla ratione, id est, sine præcedente euacuatione, per artem, vel crisin facta. Significant enim materiæ ad interiora recessus, vnde periculosior morbus in partibus internis excitari potest. Vel quòd interdum accidit: materia, ad eandem partem iterùm delata, subitò suffocationem inducit.

Anginæ curatio iisdem indicationibus perficitur, quæ

in

cæterum inflammationum curationibus obseruari consueuerunt. Sicque humor, ad partem confluens, reuellendus, & repellendus est: qui iam fluxit; deriuandus, & resoluendus: Quòd si resolui nequeat, concoquendus, & suppurandus: quæ omnia sequentibus præsidijs perfici poterunt.

Primò victus ratio instituetur tenuissima, refrigerans, & humectans, ex cremore hordei, iusculis pullorum, aut caponum, herbis refrigerantibus alteratis, & alijs huiusmodi. Si ob œsophagi angustiam, ab inflammatione contractam, æger deglutire nequeat, vt inde virium defectio, & interitus metuatur, ab eo periculo liberari poterit, immisso in œsophagum cathetere, cui syringa aptabitur, per quam iusculum in ventriculum immitti poterit. Practici clysteres nutrientes vsurpant, quibus aliquid nutrimenti ad hepar per venas meseraicas transferri potest: Potus sit aqua hordei, & reliqua, in febribus acutus obseruari solita. Aer sit temperatus, & omnis illius excessus arceatur. Frigidior namque meatus constringit. Calidior verò fluxionē, & inflammationem auget. Æger capite sublimi, & erecta ceruice decumbat, vt facinus respiret. Somnus, vt in omnibus internis inflammationibus, maxime arcendus est. Nam, vt docet Hipp. sanguis in somno ad interiora recurrit sicque humorum confluxus ad partem affectam augetur.

Cum autem angina sit morbus acutissimus, & vno interdum die hominem de medio tollat; magna remedia summa cura, & diligentia vsurpanda sunt. Ideò quacunque diei hora vocetur Medicus, sanguinem statim detrahat è directo partis magis affectæ, è vena cephalica: aut si ea satis conspicua non sit, e mediana ad ℔. ß. ℔. j. ß ℔. ij quantum vires ferre poterunt. In hoc enim remedio præcipua salutis spes constituenda est. Non tamen vna vice magna illa sanguinis copia detrahēda est, ne æger in animi deliquium incidat, ex quo non exiguum vitæ periculum emergeret: sed partitè, & per aliqua interualla, tertia nimirum, aut quarta quaque hora. Hæc autem sanguinis missio tantopere est necessaria in hoc affectu; vt à nullo contra indicante retardari debeat. Sic fluentibus mensibus, aut lochijs, in quocumque grauiditatis tempore, sanguis magna copia detrahendus est. Cuius rei exemplum habemus apud Zacutum Lusitanum *lib. praxis, admir. cap.* 135. de quadam muliere, quæ grauida septimestris, angina sæua correpta, septies vna die phlebotomia celebrata liberata est.

Si morbus non vehementer vrgeat; venæ sectioni præmittatur clyster laxans: sin minus, à venæ sectione inijciatur.

Dum iteratur phlebotomia eadem die, aliæ reuulsiones fiant per cucurbitulas, tum siccas, tum scarificatas, scapulis, & lumbis admota, item frictiones partium extremarum, & ligaturas dolorificas.

Detracto sufficienter sanguine, ad purgationem veniendum est, quæ sequenti die vsurpanda, non expectata humorum coctione, quia morbus non dat inducias. Idque potione purgante, humori peccanti accommodata. Imo verò, si morbus admodum vrgeat, venæ sectio, & purgatio eadem die celebranda est, vt se fecisse refert Trallianus *lib. 4. cap.* 1. his verbis: *Ego sanè memini, cum vsus valdè vrgeret, venam manè aperuisse, diluculo venas linguæ subiectas secuisse, & vesperi ex cremore ptisanæ extractum scammonij exhibuisse, atque ita laqueum ex inflammatione obortum, vix potuisse dissoluere. Imò alium quendam noui me, postquam brachiorum duorum venas in cubito secuissem, repurgasse, sequenti die non expectato.* Potio autem purgans ex blandioribus esse debet, si à bile morbus originem duxerit, ne vehementiùs commoti humores ad partem affectam irruant. Tum etiam, si à sanguine sincero producatur inflammatio; satius est à purgatione prorsus abstinere. Si verò pituitosa cacochymia concurrat; ad fortiora confugiendum, & cum senna agaricus, & diaphœnicum præscribi possunt. Imò verò ad ea medicamenta quæ vomitum excitant, etiam satis vehementia transcendere licet in angina pituitosa, & inter reliqua palmam obtinet in hoc casu aqua benedicta, quæ ad ʒ ij. exhibita, miranda præstat, & morbum vt plurimum inter duas dissoluit. Adde, quod nullo ingrato sapore prædita, facilè pitissando ingeri possit, quod in alijs medicamentis fieri non potest, quæ propter saporis ingratitudinem non possunt nisi vno haustu ab ægrotis sorberi. Ideò vt plurimùm anginosi purgari nequeunt, donec meatuum angustia maiori parte sublata sit. Sed frequentibus clysteribus purgandi indicationi aliquo modo satisfit. Atque ita, quibus aqua benedicta non conuenit, propter inflammationis naturam, vel ægri imbecillitatem, (vires siquidem robustæ in huius remedij vsu necessariæ sunt) neque alia medicamenta exhiberi possunt, frequentibus clysteribus aluus subducenda est, iisque satis actibus, vt reuulsio humorum ad inferiora fiat.

Ad eandem reuulsionem cucurbitulæ scarificatæ, ceruici, & scapulis admotæ, frictiones, & ligaturæ partium inferiorum, & lotiones pedum ex aqua calida plurimum conferre solent.

Ac potentius reuellit humores, à capite defluentes, vesicatorium posteriori parti ceruicis admotum: quod statim ab initio post sanguinis missionem admouendum est.

Reuulsionibus sufficienter, ac diligenter administratis, ad deriuantia veniendum est, quæ humorem parti impactum euacuant. Ac primùm riuularum, seu venarum sub lingua apertio, ab Hipp. Gal. & recentioribus commendatur, qua sanguis inflammationem immediatè efficiens, educitur.

Antiqui in angina desperata venas iugulares aperiebant. Quod remedium licet à recentiorum plurimis etiam comprobatum, nostris ferè temporibus obsoleuit, quod periculosum censeatur ob sanguinis fluxum, qui difficilè cohiberi potest propter venarum amplitudinem. Verùm experientia docuit, non adeò periculosam esse hanc operationem, si debitè administretur. Primò enim caput ægrotantis ad latus intorqueri debet, quantum fieri potest, vt mentum humerum ferè attingat, mox vena, aperienda sine ligatura, angusto foramine, secundus illius longitudinem, hic enim faciliùs coalescit, & extracta sanguinis quantitate sufficiente, caput reducendo ad situm naturalem, sanguis plerumque sponte cohibetur. Attamen vulneri statim admouendum est emplastrum à Gal. descriptum 5. *meth. cap.* 4. ex pillis leporinis, aloe, thure, & albumine ouj confectum, sicque fluxus sanguinis certò cohibetur. Refert Trallianus *libr. 4. c.* 1. plures anginosos venarum iugularium apertione à securatos esse, & Zacutus Lusitanus *obs.* 86. *lib.* 1. *Prax.* 1. *admir.* refert historiam cuiusdam Hispani, qui huius auxilij beneficio ab acutissima angina liberatus est.

Ad deriuationem etiam plurimùm confert cucurbitula sub mento scarificata, cuius ope curatam fuisse mulierem angina canina laborantem, refert Zacutus Lusitanus *obs.* 88 *lib.* 1. *Praxis admirandæ.*

Non minoris efficaciæ sunt scarificationes sub maxillis, & supra collum, altioribus plagis inflictæ; quarum beneficio scribit Beniuenius *lib. de abditis morb. caus. cap.* 83 Nicolaum Rotam à deplorata angina liberatum fuisse eius integram historiam transcripsit Sennertus *Pract. Med. lib.* 2. *p.* 1. *cap.* 24.

Dum prædicta remedia vsurpantur, topicis remedijs inflammatio gutturis, & faucium oppugnanda est; eaque variandæ, iuxta varietatem temporum, vt in alijs inflammationibus. Sicque in principio conueniunt repellentia, ad gargarismatis formam redacta, vt partem inflammatam immediatè attingere valeant.

℞. Aquar. plantag. solani, & caprifolij, an. ʒ iij. succi granator. ʒ ij. diamori ʒ iij. salis prunellæ ʒ j. ℔. Fiat gargarisma. Vel ex decocto in hunc modum.

℞. Fol. Plantag. acetosæ, & summit. rubi, ana. M. j. granorum sumach. ʒ ß. malum granatum cum cortic. & granis contusum num. 1. rosar. rubr. P. i. Fiat decoctio ad ℔. i. In colatura dissolue diamor. & dianuc. ana ʒ i. ℔. salis prunellæ ʒ ii. Fiat gargarisma.

De gargarismatis hoc notandum, ea suspecta esse posse, quia gargarizando partes inflammatæ commouentur, quæ quiete indigent. Sed hoc incommodum vitari potest, si gargarismata in ore detineantur, resupino corpore, cura vlam agitationem, vt partem affectam contingant.

Sine gargarizatione vsurpari possunt spiritus acidi, salis, sulphuris, aut vitrioli, qui aqua temperati, vt eorum acciditas ferri valeat, paulatim sorbendi sunt. Transeundo enim per parte affectam, illius inflammationem tēperant, & à ventriculo ad hepar, & venas translati sanguinis feruorem coercent. Quod remedium in facium, & tonsillarum inflammationibus est etiam efficax.

Dum gargarismata repellentia vsurpantur, laxantia, & resoluentia linimenta exteriùs ceruici admouenda sunt, vt materia morbifica exterius euocetur, eaque in hunc modum parari poterunt.

℞. Olei chamomil. lilior. & amygdalar. dolc. ana ʒ i

axungiæ gallinæ,& butyri recentis,ana. ℥ j ß.croci ∋ j. Fiat linimentum cerulci admouendum, cum lana succida.

Hoc linimentum doloris leniendo etiam conferre poterit: qui si vehementer vrgeat, demulceri vlterius poterit gargarismate ex lacte parato, vel emulsione quatuor sem. frigidor.maior. Uel mucilaginibus liquidis ex sem.psyllij, & cydonior.cum aqua rosarum extractis, addito syrupo violaceo, vel diluto cassiæ, cum sero lactis, aut decocto radicis althææ parato.

Transacto morbi principio, eoque ad augumentum, & statum progrediente, in gargarismatis dirigentia,& resoluentia repellentibus admiscenda sunt: quod secundo statim die faciendum, quia morbus acutissimus est.

℞. Fol.hyssopi,& plantag.ana M.j.liquiritæ rasæ,& passular.mundat ana ℥ j.caricarum ping.num. xij.rosar.rubr. & hordei integri an. P. j. Fiat decoctio ad ℔.j. in colatura dissolue mellis rosac. & syrup.violac.ana ℥ j. Fiat gargarisma.

Nota, quandiu viget inflammatio, resoluentibus, & adstringentibus aliquid repellentium semper esse admiscedum, ne pars sua ntaura molis & laxa magis, relaxetur,& fluxioni recipiendæ magis idonea reddatur.

Exteriùs verò magis resoluentia admouenda sunt, addito etiam nido hirundinum, quem specifica proprietate huic affectui conferre, omnium praticorum consensu sanci tum est.

℞. Pulueris nidi hirundinum, & stercoris canis, ieiunio macerati, ana ℥ j.rad. ireos floren. & flor.chamom.pulverat. an.℥ß.axungæ gallinæ,& olei lilior. an.℥ j.ceræ flauæ parum. Fiat linimentum.

Vel forma cataplasmatis in hunc modum componi poterit.

℞. Nidum hirund. num.1.fol. maluæ, violar. ana M.j. rad. althææ.& lilior. ana ℥ ß.ficuum ping.par.iij flor. chamom. & melil ti, ana P.j. Coquantur, & contundantur, deinde adde farinæ hordei, sem. lini, & fœnugr. ana ℥iij. croci ∋ j.butyri recentis ℥ j.olei chamomel: & amygdal. dulc. ana q. s. Fiat cataplasma anteriori colli parti admouendum.

Interim etiam eclegmata per interualla vsurpanda, vt materia, quæ à parte affecta exudat, vel à capite defluens ipsi hæresci, sensim abstergatur.

℞.Pulu.clect. diatragacanth. frig. ℥ij. diaireos simpl. ℥j. sacchari candi,& penidiati. an.℥ß.diamor.℥j.syrupi iuiub. q.s. Fiat looch.

Si rumor discuti nequeat,& ad suppurationem vergat; quod plerumque quarto, vel quinto die solet accidere; ea adiuuabitur cataplasmate prædicto, aliisque emollientibus, & suppurantibus. Simulque in ore frequenter erunt detinenda, quæ dolori leniendo supra proposuimus. Vel.

℞.Liquirit. ros. & passul.mund.ana ℥j. caricarum ping. num.vi.sem.althææ. & cydonior, an.℥ij.flor. chamom. P. j. Coquantur in hydromelitè. In colatura dissolue sapæ ℥ j. Fiat gargarisma.

Vtile etiam est medullam cassiæ recenter extractam ore detinere, vt paulatim liquescens in gulam descendat, lenit enim, resoluit, & maturat.

Si tumor tandem suppuratus fuerit,quod ex symptomatum remissione cognoscitur nec tamen is sponte rumpatur;æger,aut aliquis ministrorum digitis in fauces immissis, abscessum rumpere conetur. Quod si fieri non possit, ægri os per speculum oris valde aperiatur, & vbi apparuerit tumor,scalpello incuruo,quod bistortum vocant, incidatur. Rupta vomica, æger caput inclinet, ne pus in pulmones irrumpat. Postmodum vlcus decocto hordei cum melle rosaceo hydromelite, aut œnomelite detergendum, detersum aqua aluminosa exsiccandum, & ad cicatricem perducendum.

Alij candelam ceream oleo amygdal. dulc. illitam in œsophagum immittunt, vt rumpatur abscessus. Quod si obtinere non possit, cultro ligneo acuto, vel tandem scalpello aperiunt.

Alij oleo vitrioli abscessum attingunt, & mox plerumque rumpitur abscessus. Arculanus cuspide ferrea, signo infixa, apertionem abscessus molitur, ne alias oris partes attingat. Idem remedium probat Fauentinus his verbis: *Accipiat vnum lignum subtile rotundum, in cuius extremitate apponat ferrum acutum, cuius longitudo sit tantæ quantitatis, quantæ est medietas digit: deinde ore aperto, ponendo lignum intra dentes ægrotantis, ac si esset frænum ponat cannulam illam cum ferro ad locum apostematis, ac scindat. Aperto apostemate pronus declinet caput inferius, ore aperto, vt exeat sanies.*

Schenkius ex Douyneto,decocto agarici abscessum rumpi assueuerat,& sequenti historia confirmat,ab eodem Douyneto relata *apologiæ libro 3. cap. 1. Illustris mulier Gabriella Goufier Domina à Saultono, cum angina Atumnali, omnium periculosissima, detineretur, venit in mentem legisse me apud Aetium lib.15.c.6. agaricum occultos abscessus absorbere, vel foras materiam euocare. Statim agaricum in talleolas concisum in decocto radicis althææ, ficuum, cum momento zinziberis,& quarta parte vini albi macerati addi syrupum de althea,potionem ægrotæ dedi,monuique,ne illa statim deglutiret, sed per aliquod tempus in imis faucibus contineret,si hac potione vitam sibi redimere vellet. Obsequitur ægrota. Interim dum cum illa sermonem confero,ecce magna puris albi copia,tã putridi,& grauc olentis ore reiicitur,vt filia,quæ ad matrem cũ pelui adstabat,excipiendi puris ergo, nec opinato,prægraui illius puris fœtore;cõciderit animo,reliqui cusso des magna corporis cõtentione foras proruperint,(accurrunt aliæ,purulenta detrahunt detergunt,festinant alia vt intolerabilem grauis odoris feditatem suffitu quodam depellerent,qua sublata ad ægrotam redij,quam plané,& vocis vitio,& respiratione difficili,& graui deg utitione & febre leuatam reperi,& ab omni vitæ periculo tutam, quam nunc fruitur incolumis.*

Si pus ad partes externas quodammodo vergere videatur; aperto exteriùs molienda est, quod se feliciter præstitisse refert Lanfrancus, *Chirurgiæ maioris doctrinæ 2. tract.3.cap.5.* his verbis. *Quoniam bona casuum variatio multum corroborat operantem, ponam hoc loco, quid mihi accidit in ciuitate Mediolani,de quadam Domina quinquagenaria quinta? quæ squinantiam phlegmaticam patiebatur, quæ totam occupauit gulam, intus & extra, ita quod extra tumor maximus apparebat, & cum his non loquebatur, nec poterat transglutire. Cum essem vocatus, tangens pulsum in vltima inueni debilitate: tangens locum corruptum, sensi materiam in profundo, & cognoui, quod potius suffocaretur quam exterius apostema, vel interius rumperetur. Tunc mihi præparaui rasorium, & locum palpans cum digitis, inueni maturam materiam inter mentum, & epiglottum plusquam in alio loco congregatam, & vulnus ibi feci profundum, per quod de corrupta, & malè fœtète materia magnam partem extraxi,magnamque partem dimisi, quam tunc euacuare poteram, secundum rationem nolui, quam sciuisti. Tunc ægra leniorem habuit anhelitum, pulsu que fuit fortificatus. Tunc administrans ei brodium, per vulnus magna ipsius quantitas exibat, tunc ingeniaui, vt cum argentea cannula, quæ posita in ore totum vulnus transibat, sua cura reciperet ad ipsius ne cessaria nutrimenta:gulam totam & collum cum medicinis mundificantibus, & residuum materia maturantibus circumdabam donec extraxi de vulnere frustrum magnum viscosæ materiæ, & fœtentis, quæ fuerat sicut quodam intestinum, longum vnius maioris digiti quantitate:quæquidem materia calore fuerat extraneo condensata. Quare mota,remansit locus sine fœtore, & ægra incepit maximè confortari. Tamen in ea continuaui mundificatiua, & incarnatiuis, & cicatrizatiuis vulnus optimè sigillaui, & ægra fuit saluti pristinæ restituta.*

Huc referri potest historia Beniuenij, cuius supra mentionem fecimus,de quodam anginoso,qui cum ab alijs Medicis pro deplorato relictus fuisset, ab eo liberatus est profundis scarificationibus sub maxillis, & ipsa cerutce celebratis, à quibus multa sanies effluxit.

Si abscessus intùs in ore rumpatur, decocto hordei, aut hydromelite, vt dictum est, detergitur. Verùm aliquando vlcus sordidum redditur, & tum ad potentiora remedia confugiendum est, in hunc modum.

℞. Fol. scabiosæ, & agrimon ana M. j. nucum cupresi ℥. j. rad. ireos Florent. & aristol. rotund. ana ℥. ß. myrrhæ ℥ ß. rosar. rubrar. P. ii. Coquantur in hydromel. ad ℔. i. Colatura colluantur frequenter vlceratæ partes.

Hoc decoctum vlceri sordido abstergendo plurimùm conferet; attamen si non sufficiat, ad collyrium Lanfranci confugiendum est, quod est mirabilis efficaciæ.

Vlcere probè detersо, illius consolidatio molienda est

bolo

bolo armena, cũ melle rosaceo, permixto ad formam eclegmatis, cui etiam thus, & mirrha vtiliter addi poterunt.

Fit autem interdum, vt, deferuente inflammatione, tumor neque resoluatur, nec suppuretur; sed duritiem contrahat. Quo in casu cataplasmatis emollientibus, & resoluentibus curatio perficienda est, eaque in hunc modum componi poterunt.

℞. Rad. althææ, bryoniæ, & cucumeris agrest. ana ʒ j. fol. malvæ, parietariæ, origani, & centaurij min. ana M. i. caricarum ping. par. vi. sem. lini, & fœnugr. ana ʒi. Coquantur, pistentur, & per setaceum traiiciantur, deinde adde pulueris hirundinum combustarum, & stercoris canis, ossa rodentis, ana ʒ iii. sulphuris viui ʒi. butyri recentis, & axungiæ anatis, ana. ʒ i. olei anethini ʒii. Fiat cataplasma.

Pro coronide aliquid dicendum est de Laryngotomia, quæ ab antiquis, & à neotericis non paucis proponitur, & propriis experimentis confirmatur. Cum nempè in angina desperata, qua ægris suffocatio omnimoda præ foribus est, incisio fit in aspera arteria, per quam aeri ingressus datur in pulmonem, & suliginum ab eodem expirantium egressus. Hanc probat Auicenna *Fen. 9. lib. 3. cap. 11.* Paulus *lib. 6. cap. 33* Rhasis *3. continentis.* Alsaharauius, Auenzoar, Albucasis, & Halyabbas. Eandem ponit Galenus ex Asclepiade *introductorio cap. 13.* Ex recentioribus Brassauolus *comment. in lib. 4. Hippocr. de victus ratione in morbis acutis, sect. 35.* se propriis manibus hanc operationem fecisse testatur cum felici successu. Rarissimè tamen in vsum reuocatur hæc operatio, propter metum infamiæ, quæ Medicis, & Chirurgis impedet, dum æger post operationem occumbit, quod vt plurimũ cõtingit, & mors operationi potiùs quàm morbo tribuitur, quantumuis Medicus præmisso prognostico sese aduersum calumniam munierit. Adde, quòd in angina valdè peculosa pulmones plerumque affecti sint, & multis humoribus repleti, vnde plerumque suffocatio contingit & tunc incisio asperæ arteriæ nihil conferre potest. Quæ aduertens pericula Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, Chirurgus expertissimus se hanc operationem nunquam molitum esse neque, eam à sui temporis Chirurgis administratam fuisse testatur. Eam tamen posse in vsum reuocari fatetur, modò pulmo, & aspera arteria colluuie non sint repleta. Operandi modum exactè describit in operationibus Chirurgicis capite proprio, quem inde desumere quis poterit. Confer. *Fontanum* de laryngotomia.

PRAXEOS MEDICAE
LIB. SEPTIMVS.
DE MORBIS THORACIS.
PRÆFATIO

THORACIS nomine comprendimus eas tantum partes, quæ respirationi inseruiunt. Licet enim Corthorace contineatur: illius tamen affectus peculiari libro, qui hunc sequuturus est, exponendi sunt. In hoc verò eos tantum, exponemus, qui respirationem lædunt, & partes respirationi inseruientes frequentiùs infestant, quales sunt asthma, pleuritis peripneumonia, empyemæ hidrops pectoris, hæmoploe, & phthypsis, quorum vnicuique caput proprium destinauimus.

CAPVT I.

De Asthmate.

REspiratio læditur à varijs causis tum sympathicè, tum idiopathicè.

Idiopathica respirationis læsio fit ex vitiato pulmone, atque adeò omnes pulmonis morbi actionem illius lædunt; qui quidem morbi vel in ipsa partis substantia, vel in vasis illius residunt.

In pulmonis, substantia contingunt inflammationes tubercula, abscessus, vlcera, tum etiam interdum ipsius partis exsiccatio, & atrophia: interdum, & humor serosus, ac pituitosus spongiosæ pulmonis substantiæ imbibitur, & liberam ipsius dilatationem impedit. Rariùs scirrhi, & calculi, & grandines in eadem parte generantur.

In pulmonis vasis frequentissimæ sunt obstructiones, quæ liberum aeris commeatum impedientes, difficilem faciunt respirationem.

Sympathicè læditur respiratio ex consensu aliarum partium, non solùm vicinarum, sed etiam remotiorum. Sic inflammata membrana costas succigente, vel diaphragmate, vel mediastio, respiratio læditur. Sic, corde intemperie calida laborante, vt in febribus, aucto respirationis vsu, magna, & frequens respiratio euadit: contra verò, eodem frigida, intemperie laborante, vt in moribundis, imminuitur, & tandem omninò cessat. Idem contingit in syncope, cessante actione cordis, & consequenter cessante respirationis vsu. Sic in empyemate, aut hydrope thoracis, pus, aut aqua in capacitate thoracis collecta pulmonis dilatationem impedit, & respirationem lædit. Sic musculorum respiratione inseruientium læsio, eandem actionem vitiat, vt in vulneribus, ac tumoribus eorum contingit: tum præcipuè in apoplexia denegato influxu spiritus animalis ad eos musculos. Musculorum etiam laryngis inflammatio spirandi difficultatem efficit in angina.

Affectus etiam hypochondriorum sympathicè respirationem lędunt, vt tumores hepatis, lienis, pancreatis ponderę suo diaphragma, cui annectũtur, ad inferiora retrahunt, eiusque motum liberũ impediunt. Sic etiam vapores, & flatus ab illis partibus eleuati diaphragma comprimunt, eiusque actionem lædunt, vnde asthma flatulentum exoritur. Idem contingit à fluctuum, vel serosi humoris copia, in hydropicorum abdomine contenta, & diaphragma comprimente. Ab vtero denique vapores eleuati respirationem vitiant, vnde hic affectus Suffocatio hysterica nominatur.

Inter prædictas respirationis læsiones asthma ab authoribus seorsim tractatur, quia reliquæ ab alijs morbis dependent, suis locis explicandæ.

Licet autem asthma interdum genericè, & lata significatione vsurpatum omnem respirandi difficultatem complectatur in specie tamen eam imprimis significat, quæ à pulmonum infarctu, & brõchiorum illius obstructione exoritur quæ ex se, & ratione propriæ essentiæ febre carere solet, licet interdum febris ei adiungi valeat. Et iterùm in tres alias species subdiuiditur, quarum vna Dyspœa nominatur, secunda idem Asthmatis nomen retinet, tertia verò Orthopnœa nuncupatur.

Dyspnœa est difficilis respiratio, in qua cerebrior densiorque fit spiritus tractio, ex infarcto pulmonum oriunda. Hæc Asthmate, & Orthopnœa minor est, & à minori materiæ obstruentis copia oriunda, & magis ipsam pulmonis substantiam obstruit, quàm bronchia, vnde stertoris carentia, quæ, sit ab humoris in bronchijs pulmonis contenti, & commotione, & allisione cum aere, per ea continuò oberrante.

Asthma est magna, & frequens respiratio, in qua diaphragma, musculi intercostales, tum etiam abdominis violenter mouentur, cum stertore, & sibilo coniuncta. In verò enim, & propriè dicto asthmate bronchia pulmonis humores pituitoso opplentur, qui (vt dictum est) ab aere commotus talem stridorem edit.

Ortho-

Orthopnœa verò est maxima spirandi difficultas, sub qua ægrotantes non nisi sedentes, & erecta ceruice respirare possunt, & non solùm musculi prædicti, sed etiam superiores, pectoris scil. & scapularum vehementer exagitantur.

Dyphnœa etiam, & Orthopnœæ nomen, quemadmodum de asthmate diximus, communiter non rarò in omni difficultate spirandi vsurpatur, quæ in pleuritide, peripneumonia, aliisque affectibus contingit. Idem dicendū est de Apnœa, quæ non deprauatam, vt prædictæ, sed imminutam, vel abolitam respirationem significat, eaque contingere solet in syncope, hysterico affectu, & apoplexia fortissima.

Humor asthma efficiens est vt plurimum pituita è capite in pulmonem defluens, eiusque bronchia obstruens. Interdum tamen fit ab humoribus crudis, & serosis à venoso genere per arteriam venosam in pulmonem translatis, & si ad bronchiorum canales profluant, verum asthma cum stertore producunt, si verò in pulmonum substantia vel in lænibus arterijs subsistant, asthma spurium generant sine stertore.

Hæc asthmatis species, quæ vulgaribus Medicis ignota est, (nullam enim aliam causam præter fluxionem à capite agnoscunt,) confirmatur non solùm ex stertoris carentia, sed etiam ex eo, quòd vrinæ ægrotantium crassæ, & turbidæ esse soleant, præsertim in paroxysmo, quia humorum crassorum, & crudorum in venis agitatorum portio ad renes, & vesicam transmittitur. Et nonnulli asthmatici vrinæ difficultati obnoxij sunt, eaque vigēte, ab asthmate liberi sunt; ab asthmatis verò paroxysmo præsente, cessat vrinæ difficultas, ob materiæ morbificæ, in venis contentæ, ad hanc, vel illam partem decubitum. Vidimus etiam quosdam asthmaticos alui fluxui obnoxios, ita vt presente alui fluxu ab asthmate liberi essent, eo verò cessante, asthmatis paroxysmi reddirent. Adde, quod hæc asthmatis species, quæ sine stertore sit, venæ sectione ita efficaciter oppugnatur, vt ea, in paroxysmo celebrata, quamprimùm sanguis fluere incipit, ægri statim meliùs spirare incipiant, & in fine illius aut post exiguum saltem interuallum à paroxysmo penitùs liberati appareant. Ac denique huiusmodi asthmatici plerumque cachexia, & pedum tumore œdematoso laborant. Quod ostendit, causam asthmatis tunc temporis ab hepate proficisci, & in venis contineri, ita vt tandem in pleriſque hydrops consequatur. Inde Aretæus inter signa asthmatis imminentis flatus in precordijs, & eructationes præter rationem enumerat, quæ proculdubio à materia cruda in præcordijs exagitata proueniunt.

Illa tamen flatulenta materia primò, & per se aliam asthmatis speciem interdum producit, quæ asthma flatulentum seu hypochondriacum nominatur; quando scilicet flatus crassi, & copiosi, ab hypochondrijs eluati diaphragma comprimunt, eiusque motum impediunt, vnde summa respirandi difficultas sine stertore procedit.

Diagnosis huius affectus, & specierum illius ex propositis innotescit.

In dyspnœa enim spiritus est densus citra sonum, & anhelationem cum minori molestia.

In asthmate grauitas pectoris est maior, spiritus crebrior, & densior, cum anhelatione, stertore, ac sibilo.

Orthopnœa verò non nisi erecta ceruice respirare permittens decumbentibus suffocationem minatur.

Signa causarum in hunc modum se habent.

Si à crassis humoribus, in pulmone collectis, asthma generetur, difficultas spirandi sensim, & paulatim accrescit, eaque continua est, & indesinens.

Si verò humores aliundè in pulmones per interualla affluant, difficilis respiratio continua non est, sed per interualla recurrit. Licet enim asthma, quod à materia in pulmone contenta excitatur, exacerbari plerumque soleat à causis externis, ita nimirum, aere austrino, & similibus; In asthmate tamen, quod à materia aliunde affluente producitur, exacerbatio illa longè manifestior est. Si asthmatis materia à cerebro defluat, catharri signa adsunt. Si verò nulla catharri indicia appareant, per venas materiam affluere coniciendum est. Hepatis affecti, & partis mandantis rationem habentis indicium, est tumor pedum, & cachexia.

Si humor crassus in bronchijs pulmonum contineatur, respiratio fit cum sonitu, & tussi, tùm pituita per tussim excreta, cessat, vel imminuitur affectus.

Si humor in venis aut substantia pulmonis hæreat, nullus adest sonitus, & rarò aliquid per tussim excernitur.

Quod ad prognosin attinet, asthma chronicus est affectus, & curatu difficilimus, sæpéque in cachexiam, & hydropem degenerat. Iuuenes aliquando liberantur, sed & non sine magno labore: senes verò nunquā. Infantes nisi maturè curentur, superueniente catharro suffocante, intereunt.

Qui ex asthmate, vel tussi gibbi euadunt, ante pubertatem moriuntur, (21. *aph.* 46.) quia gibbositas conueniens pectoris incrementum impedit; pulmo nihilominus debitam magnitudinem acquirens, non habet sufficiens spatium, in quo dilatari commodè possit ad liberam respirationem: vnde calor cordis, non sufficienter ventilatus, marcescit, & hominem ad interitum perducit.

Asthmati pleuritis, aut peripneumonia superueniens lethalis. Quia pulmo, à longo morbo debilitatus, non potest grauissimo morbo superuenienti resistere, & materiam morbificam expellere.

Asthmatis curatio duplex instituitur, vna in paroxysmo, altera extra paroxysmum.

In paroxysmo statim vena secanda, est præmisso clystere, si sanguis mediocriter abundare videatur; nam, depletis sanguine venis, liberior erit respiratio. Quod si affectus sit antiquior, pluriesque sanguis fuerit detractus, satius est à phlebotomia abstinere, quia, calorem natiuum imminuendo, maiorem promouet pituitæ copiam.

Sectio malleoli præstans est, præcipuè in affecto sympathico.

Post venæ sectionem, vel etiam ea omissa, si non videatur idonea, purgans phlegmagogum erit exhibendum ex ijs, quæ in frigidæ cerebri intemperiei curatione descripta sunt, adiectis perpetuò quibusdam thoracicis, quantum remedij forma permittere poterit.

Vomitoria verò, licet à nonnullis improbentur in hoc affectu, tamen conuenientissima sunt, vt frequens experientia docuit, & non rarò hoc solo remedio paroxysmus solutus est.

Inter alia autem vomitoria principem locum obtinet aqua nicotianę exhibita ad ℥. j. Reduci potest in syrupum cum saccharo. Dosis cochlearia ij. In cuius penuria vsurpari potest sal vitrioli, vel aqua benedicta. Ratio autem, cur vomitoria in hoc affectu tantoperè prosit, elegantissima est, quia dum pituita tenuior à capite defluens, in asperam arteriam, & pulmonis bronchia sese insinuat, crassios illius portio in ventriculum delabitur, illiusque parietibus ita affigitur, vt ægerrime auelli possit. Interim verò, dum calor illius debilis materiam illam exagitat, flatus crassiores producuntur, qui ventriculum inflantes diaphragma comprimunt, & difficilem respirationem efficiunt. Vnde fit, vt vacuato ventriculo, cesset paroxysmus, aut mirum in modum remittat. Adde, quod asthma interdùm (imò frequentissime, iuxta Senerti sententiam) ad humoribus crudis generetur citra hepar, & in venis collectis, qui per venam arteriosam ad pulmones feruntur, & bronchia comprimendo asthmatis causa sunt. Hisce autem humoribus purgandis, & a pulmone reuellendis maximè conferunt vomitoria. Quamuis etiam huius causæ ratione remedia, quæ per inferiora humores expurgant, conuenientissima sint.

Vomitum etiam in hoc affectu leniter mouet, simulque per inferiora purgat succus ireos nostratis ad ℥. 6. in vini Hippocratici ℥. 1. quem se felicissimo cum successu vsurpasse, refert Platerus in obseruationibus.

Potest augeri dosis succi ireos nostratis ad ℥. ii. si minori exibitus sufficienter operatus non fuerit.

Clysteres etiam acriores frequenter iniici poterunt reuulsionis gratia. Eorum tamen quantitas sit exigua, ne intestina admodum replendo diaphragma comprimant.

Tum etiam frictiones in partibus inferioribus celebrandæ, iisdemque cucurbitulæ plures affigendæ, tum etiam cerui. Postmodum humores crassi liquandi, & attenuandi, flatus ab iisdem humoribus excitati resoluendi, atque discutiendi. In quem vsum vtiliter exhibetur aqua cinamomi ex cochleari per se, vel cum syrup. violac. mixta, vt

℞. Aquæ cinam. ℥. ii. syrup. viol. ℥. i. Misce. Loco syrup. violac. oxymel. admisceri poterit ad lento humore potentiùs discutiendos.

Vtile etiam est ol. saluiæ, rorismar. vel anisi arte chymica extractum, ad gutulas iii. iv. vel v. cum vino exhibitum. Vel his aspergantur tabellæ diatr. frig. quas æger deglutiat.

Alij commendant croci ℈j. cum vini cochleari exhibitum. Vtilis etiam est aqua clareta, in hunc modum composita.

℞. Aquæ vitæ ʒ.iv. aquæ tussilag. & scabios. an. ʒ.iij. sacchari ʒ.ij. cinam. ʒvj. Traijciantur per manicam Hippocratis. Capiat æger ʒ.ij. vel iij.

Fumus nicotianæ per tubulum haustus paroxysmum cohibet. Idem præstat eadem nicotianæ linguæ tantum admota; idem quoque præstat fumus caryophyllorum per tubulum haustus.

Interim expectorantia vsurpanda sunt, quæ crassiorem materiam per anacatharsin educant.

℞. Syrup. de prassio, de liquirit. & de tussilag. ana ʒ. ij. oxymel. simp. ʒ.j. Misce, vtatur ex cochleari, sensim lambendo.

℞. Terebinth. claræ ʒ.j. Gum. ammoniaci ℈ij. florum sulphuris ℈j. Misce, fiant pilulæ molles, quarum vna singulis duabus horis deglutiatur cum syrup. de hyssopo ʒ. ß.

℞. Ol. amygd. dulc. recenter sine igne expressi ʒ. vj. sacch. candi ʒ. ij. Misce capiat sensim lambendo.

℞. Rad. enulæ cam. saccharo condit. ʒ iij. sacchari candi ʒ. ß. syr op. de hyssopo, de prassio, an. ʒ.j. gummi ammoniac. aqua vitæ dissoluti ʒ ß. Misce, fiat looch. Vel

℞. Conserv. violar. rad. enulæ camp. an. ʒ vj. pulu. elect. diatraganthi frig. diaireos Salomonis an. ʒj. syrup. violac. & capill. ven. an. q. s. fiat looch.

℞. Rad. althææ ℔.j. rad. enulæ camp. ʒ. iv. cydoniorum, vel eorum loco carnis cydonior. condit. ʒ. xvj. Bulliant in aqua ad exsiccationem. Contundantur, traijciantur per setaceum, addendo mellis ℔.ij. Coquantur leniter, abstrahe ab igne, & adde cinam. ʒ j. flor. sulphuris ʒ. ß. liquirit, cum moscho, & aqua rosac. aromatizat. ʒ ij. fiat electuarium molle, de quo teneat in ore ad magnitudinem auellanæ per interualla. Vtilissimum etiam extra paroxysmum, si de eo sumatur ʒ. ß. manè, & serò.

Exterius etiam pectori admouenda vnguenta, & linimenta laxantia, & discutientia, in hunc modum cõposita.

℞. Ol. chamæmel. irini, amygdal. dulc. an. ʒ. ß. axungiæ gallinæ recent. ʒ j. pulu. rad. althææ, ireos Florent. an. drach. j. farinæ sem. lini, & fœnugr. an. drach. ij. gummi ammoniaci cum vino dissoluti drach. j. ß. ceræ q. s. Fiat linimentum. Vel

℞. Mucilag. sem. cydonior. lini, fœnugr. extractæ cum aqua tussilag. vel scabiosæ, an. ʒ vj. pulu. radicis ireos, hyssopi an. ʒ. ß. croci ℈ j. ol. lilior. alb. & amygdal. dul. an. ʒ. ij. ceræ q. s. Fiat linimentum.

Si paroxysmus protrahatur, vesicatorium applicetur posteriori parti ceruicis.

Extra paroxysmum humoris fluxio impedienda est, tum qui iam influxit, & in pulmone continetur, incidendus, detergendus, & expectorandus est.

Ad fluxionis impetum cohibendum ea omnia conueniunt remedia, quæ in frigidi catharri curatione supra proposita sunt.

Attamen circa nonnulla remedia, eo loci proposita cautiones quædam adhibenda sunt.

Primò, in apozematis, aut syrupis, alijsque remdijs, ne calida nimium, & exsiccantia præscribantur, quæ partes, tenuiores absumendo, reliquum incrassare possunt, & ita affectum contumaciorem reddere. Sed potiùs humectantia permisceantur, qualia sunt passulæ, ficus, liquiritia, iniubæ.

Secundò, in prædictis remedijs, loco cephalicorum, thoracica supra enumerata vsurpentur.

Tertiò, ad deriuationem humoris in capite redundantis proponuntur errhina, sternutatoria, & apophlegmatismi. Verùm in hoc casu non conueniunt apophlegmatismi, ob vicinitatem partium, per quas decurrit humor ad pulmonem; Sed Errhina, & sternutatoria vtiliter vsurpari poterunt.

Quartò, ad caput roborandum, & exsiccandum inter alia remedia commendantur suffitus; qui tamen in hoc affecto non conueniunt, saltem ore, & naribus excepti: propterea quòd difficiliorem anhelitum efficiunt, & asthmatis paroxysmum excitant. At verò ijs operimenta capitis extra ægri cubiculum tutò perfundi poterunt.

Ad detersionem, & expectorationem humorum crassorum, pulmonum bronchijs impactorum, expectorantia suprà descripta vsurpari poterunt, tum etiam sequentia.

℞. Rad. enulæ camp. & polypodi querc. ana ʒ ß. folior. origani, calament. hyssopi, saturejæ, capill. ven. scabios. & tussilag. ana M. j. sem. althææ, bombacis, & carthami, an. ʒ iij. liquirit. rasæ, & passul. mundat. an. ʒ. vj. in iubar. sebesten, & ficuum pinguium, an. n. v. Fiat decoctio ad quartaria v. in hydromelit. In colat. dissolue sacchari albi quartaria v. Fiat syrup. perfectè coctus, quo vtatur ex cochleari frequenter, sensim lambendo.

Maioris efficaciæ, & paratu facilior syrupus componi poterit in hunc modum.

℞. Rad. enulæ camp. ʒ iij. tabaci indici ʒ j. Infunde per noctem in ʒ vj. aquæ vitæ vulgaris. Manè fiat colatur. cui adde sacchari crystallini ʒ iv. Incendatur continuo agitando, adde syrupi de erysimo, aut tussilagine ʒ ij. ol. sulph. q. s. ad gratam aciditatem. Utatur ex cochleari, vel bacillo glycyrrhicæ contuso, sensim lambendo, & deglutiendo.

Sequentia verò remedia pulmonibus ab infarctu liberandis specifica sunt efficacissima.

℞. Gummi ammoniaci; & bdelli in aceto scillitico dissolut. an. ʒ ß. flor. sulph. ʒ iii. fol. tussilag. & saturejæ, siccor. & puluerat. & diaireos simpl. an. ʒ ß. Cum syrupo de hyssopo, vel oxymelite scillit. fiat massa pilul. de cuius drach. j. formentur pilulæ vj. Sumat. num. iij. duabus horis ante cœnam, bis in hebdomada. Vel

℞. Aloes soccotrinæ ʒ ß. myrrhæ, ammoniaci, an. drach. ß. croci ℈ ß. florum sulphuris ʒ ß. Cum syrup. de tussilag. fiat massa pilul. cuius drach. j. capiat duabus horis ante prandium per aliquot dies.

Aqua, quæ educitur ex rad. bryoniæ ex cauata, destillet in B. M. Huius ʒ viij. misce spirit. vitriol. vel sulph. ʒ ß. Capiat singulis diebus cochlear. j. ieiuno stomacho.

℞. Fol. peti, hyssopi, prassij albi, capill. ven. an. M. ij. rad. ireos Florent. & liquirit. ras. ana ʒ ß. Conquantur in aqua ad ℔. j. ß. In colatur. dissolue sacchari albi ℔. j. mellis albi ℔. ß. Fiat syrup. perfectè coctus, clarif. & aromatizat. tantillo croci, & cinam. Capiat cochlear. j. vel ij. horis matutinis.

Eiusdem virtutis sunt oxymel, & syrup. de peto. Quercetani in Pharmacopœa. Tinctura peti sicci extrahitur cum aqua vitæ, melle excipitur pauca illius quantitas, & ad pisi, vel fabæ magnitudinem in ore detinetur, sensim deglutiendo; pituitam copiosè trahit à ventriculo, & a pulmone.

Mille pedes, seu aselli n. xij. panno lineo inuoluti, in vino albo macerantur; hinc facta expressio potui datur, quæ breui saburratos pulmones dõplet.

Oleum sacchari crassos, & glutinos humores in pulmone contentos potenter dissoluit, & expectorat. Sed multò potentiùs, atque excellentiùs id præstat oleum sacchari compositum, cuius formula talis est.

℞. Rad. ireos Florent. & enulæ camp. pulu. an. ʒ ß. pulpæ dactyl. & passul. purgat. an. ʒ ij. cortic. & citrior. arantior. an. ʒ ß. benioini ʒ ij. croci ʒ j. Infunde, bidui spatio, spiritui vini sæpissimè rectificato Mox seperetur liquor per inclinationem. Admisce liquori sacchari candi pulu. quantum in eo dissolui poterit, & accende spiritum vini, spatula continuò agitando donec in spissum, olei æmulum liquorem flamma extincta abierint. Cui admisce olei sulph. q. s. ad gratam aciditatem.

Decoctum caulium rubrorum cum pauco saccharo per plures dies sumptum, asthmaticos multùm iuuat.

Efficacior multò est succus caulium rubrorum cum saccharo rosac. vel syrupo tussilaginis exhibitus ad iulepi formam, per plures dies.

Spiritus sulphuris viscidam pituitam dissoluit, & bronchia aperit, si illius guttæ iv. aut v. sumantur cum iusculo, aut syrupo conuenienti.

Terebinthina ad hunc etiam vsum valdè commendatur ad ʒii. vel iii. frequenter exhibita, cùm ol. amygdal. dulc. aut cerua viol. Vel. in opiatæ formam reduci poterit, in sequentem modum.

℞. Terebinth. aqua tussilag. diligenter lotæ ℔. i. ficuum pinguium ℔. ß. penid. ʒ. iv ol. amygdal. dulc. ʒ. i. Misce. fiat opiata.

Crocus in condimentis pectori vtilis est. Tum etiam bellarium sinapis cum melle paratum egregiè expectorationem iuuat.

Oxymel cum agaricum vtilissimum etiam est ad pulmones expurgandos, cuius cochlear. ii. manè exhiberi poterunt.

Flores

Flores sulphuris cum butyro recenti ad pilularum formam redacti, per triduum exibiti mane, ad ʒ.i. asthmaticis multum opitulantur. Lac sulphuris idem præstat maiori efficacia, & minori dosi quæ gr.viii. transcendere non debet.

Tabellæ etiam sequentes præstantissimæ sunt.

℥.Pulpæ rad.althææ,& rad.symphyti maioris,an. ʒ.ii. flor.sulphuris ʒ.ii.flor.benioini ʒß.sacchari in aqua liliorum alborum dissoluti ʒ.viii.fiant tabellæ,quas teneat æger in ore frequenter.

Decoctum galli veteris commendatur etiam nō parum ad hunc affectum expurgandum,eiusque formula talis est.

℥.Rad.enulæ campanæ,& ireos Florent.ana ʒ.ß.foliorum hyssopi & prassii siccorum,an.ʒvi.sem.carthami.ʒi sem. anisi,& anethi,an.ʒii.liquirit.raf.& passul.mundat.an. ʒiii pulmonis vulpis præparati ʒii. Contundantur, iisque impleatur venter galli veteris,qui decoquatur in aquæ ℔.xv.donec caro ab ossibus separetur. Colatura post fortem expressionem ponatur in loco frigido,vt,quod crassum est subsideat,pars vero clara separetur. Cuius capiat æger ʒ.vi.cum oxymel.simpl.vnz.i.

Si purgans efficere volueris, addi poterunt folia sennæ ad ʒii.vel iii.pro singulis dosibus. Imò,& dissolui poterit alicui dosi mannæ vnz.ß.vel (si fortiùs purgandum) electuarium aliquod phlegmagogum per interualla. Platerus sequentem galli præparationem reliquis anteponit.

℥.Gallum aliquot annorum iugulatum, deplumatum, & euisceratum. infarciatur sequentibus,pulmonis vulpis frusto recenti,vel præpar.& siccati ʒ.i.passul.enucleat.& ficuum,an.ʒii. rad.enulæ ʒi.herbarum hyssopi,satureiæ, marubii, thymi,calamenti pulegii siccat,an.ʒi. sem. feniculi,an. M.i. sem.carthami contusi,rad. polypod. ana ʒ.ß tartari albi ʒi.salis ʒ.ß.vitellos ouor.n.ii.butyri recentis ʒ.ß. Incidantur, & contundantur, vt artis est,& insinuantur gallo, decoquantur, donec caro ab ossibus recedat; in multa aqua vase amplo,ne opus sit nouam affundere. Deo in eam colato,& in ℔.x,adde mellis despumati ℔.i.ne citò corrumpatur. Capiat scutellam vnam mane, in qua dissolue mannæ,& cassiæ recentis,an.vnz.ß.continuando ad multos dies,vt mensem,& amplius. Quod eò melius iuuabit si mox etiam terebinth. ʒi. cum penidijs in forma boli,aut aliter assumat.

Ludouicus S.ptalius, *in animaduersionibus practicis*, hæc iura galli veteris damnat,tanquam inutilia, vel potius noxia. Rationes illius sunt,quod experientiæ, non respondeant,& irrito successu à se, & aliis Medicis Mediolanensibus fuerint vsurpata. Quod ex longa ebullitione nitrosæ illæ partes,quibus maximè prodesse iura illa creduntur,subsideant atque in percolatione reiiciantur: viscidæ autem,glutinosæ,crassæ,tum,& perpingues ex cute,pedibus alarum extremis musculosis,& neruosis partibus promanantes, maximè remaneant. Vnde crassior reddatur materia morbifica,& expectorationi minùs idonea. Purgātia verò,& alterantia longa ebullitione,vires suas amittant.

Verùm non debet Septalli experientia tot,tantorumque celebrium Medicorum tum antiquorum tum recētiorum, è quibus hoc genus remedii maximè commendatur, experientiæ præferri. Si enim quibusdam ægrotantibus, à se,aliisq; curatis,non contulerit, multa alia obstare poterunt,nempè,vel prauа ægrotantium dispositio morbique contumacia, vel cætera ad curationem spectantia non benè administrata, vel ipsum remedium malè præparatum. Quod verò dicit nitrosas partes longa ebulliti ne subsidere,& in percolatione reiici ridiculum est,subsident enim tantùm partes terrestriores. Nitrosa verò substantia in liquore simul recepta nunquam separatur. Vnde fit,vt iusculа,quòd diutiùs coquuntur,eo salsiora euadant. Salsedo autem illa incidit, attenuat, de obstruit; tantùm abest,vt iusculum salsedine illa præditum incrassare possit materiam morbificam. Neque habent carnes aliæq; partes gallorum substantiam ita glutinosam, vt ille fingit, qualis fortè in vitulorum pedibus,aliorumq; animalium reperitur,sed potiùs attenuantem, cum nitrosa substantia maximè refertæ sint. Ac denique purgantia, & alterantia,si iuxta Pharmaciæ præcepta,& secundum artem decoquantur,vires suas integras in decocto relinquunt;cùm quotidiana apud nos experientia constet, huiusmodi iusculа galli veteris perbellè purgare. Et si experientiam nostram Septalli experientiæ opponere liceat; bona fide testari possumus, nos ex huiusmodi decoctis mirabiles effectus in asthmaticis affectibus,& doloribus colicis diuturnis, & contumacissimis percepisse. Hoc tamen in horum iusculorum præparatione immutare solemus,quod nimirùm pro vna tantùm dosi singulis diebus iteranda præscribimus; metuentes scilicet,ne ad plures dies asseruata corrumpantur, aut saltem deteriora fiant. Formulæ autem, à nobis præscribi solitę in asthmatis curatione exemplum tale erit.

℥.Rad.enulæ camp.& ireos Florent.an.ʒjß.fol.hyssopi,& tussilaginis,an.M.j.liquirit.raf.& passul.mundat.an. ɔ.ijsicuum pinguium n.iv. sennæ mundat.ʒiij. polypod. querc.& sem.carthami contus.an.ʒß.sem. anisi ʒj. ß. Coquantur cum tertiæ, vel quartæ parte galli veteris secundum artem,& fiat iusculum, quod capiat æger per xij. vel xv.dies.

Vino purgante infra describendo Platerus mulierem curauit dispnœa laborantem, & ad hydropem inclinantem.

℥.Rad.iridis ʒi.rad.enulæ,scillæ præparat,an. ʒß.marrubii M.i.cortic.sambuci,& ebuti,an.ʒi.sennæ ʒi.ß. agaric. ʒii. zinzib.ʒi. Conquassentur omnia,& adde vini albi ℔.iv. Coquantur parum induplici vase Bibit. cubitum irura hausturn per dies sex, cessauitque dispnœa, & tumor euanuit; pulchrèque curata fuit.

Notandum autem est,purgantia in hoc affectu esse iteranda, idq; sub variis formulis,ne vni eidemque remedio natura assuescat. Sic etiam remedia detergentia,incidentia expectorantia,aliaque per vices immutanda sunt,propter eandem causam.

CAPUT II.

De Pleuritide.

PLeuritis alia vera, & legitima est,alia notha, seu spuria.

Vera pleuritis est inflammatio membranæ costas succingentis,vel musculorum intercostalium internorum.

Notha vero inflammatio musculorum intercostalium externorum.

Dantur etiam alii lateris aliarumque thoracis partium dolores,qui ad notam pleuritidē κατ' ἐξοχὴν κῶς referuntur quando nimirum mediastinum inflammatur, pulmo costis ag glutinatur,humores serosi, vel pituitosi à capite in thoracis musculos defluunt, flatus eosdem musculos, aut thoracis membranas diuellunt, & vapores, à ventre inferiori eleuati, easdem partes vellicant, aut distendunt, vt in lumbricis sæpè contingit.

Diximus in vera pleuritide non solùm pleuram,sed etiā musculos mesopleurios internos inflammari,quia impossibile est, quin inflammatio membranæ musculis contiguis communicetur. Nonnulli præterea pulmonem etiam in omni pleuritide inflammari contendunt, & sententiam suam authoritate,ratione,& experientia confirmant. Authoritas est Hippocr. *lib.de locis in homine*,vbi dicit, vtraque pulmonis parte inflammata fieri peripneumoniam:si verò altera tantum pulmonis pars inflammetur, esse pleuritidem. Id ipsum ratio conuincere videtur. Siquidem signa pleuritidis sunt etiam signa peripneumoniæ, tussis nimirum febris continua, respirandi difficultas, & sputum cruentum. Prognosis etiam, & curatio eadem est in vtroque affectu. Asserunt deniq; sibi experientia compertum esse,in apertis pleuriticorum cadaueribus pulmonem inflammatum semper apparuisse. Verùm concedendum quidem est,in plurimis pleuriticis pulmonem cum pleura simul affectum esse; facilè enim fluxio in vtranque partem decumbit, cum pulmo pleuræ superiori parte alligetur. Asserendum tamen,solam pleuram sæpissimè inflammatione affici,illæso pulmone, aut saltem tàm leuiter affecto, vt morbus illius partis affectus dici nequeat. Authoritas verò Hipp.à nonnullis reiicitur tanquam spuria, & aliis quamplurimis contraria, in quibus Hipp. solam pleuram tanquam pàrtem affectam agnoscit, præsertim *lib.1.de morbis*,vbi pluries repetit,bilem, & pituitam ad latus affigi,& dolorem vehementem excitare.

Martianus verò eam ita conciliat,dicens. Hipp.eo in loco agere de peripneumonia, quæ fit à defluxione à capite,cuius portio decidit in pleuram,& ea ratione, vt distinguat eam,quę vnam tantum pulmonis partem afficit ab ea quæ vtramq;,pleuritidis nomine eā afficere. Similitudinē verò symptomatum in pleuritide,& peripneumonia facit

morbi

morbi vtriusque natura eadem, quæ in inflammatione consistit, & partium affectarum vicinia.

Quòd verò in plurimis ex pleuritide sublatis pulmo affectus inveniatur, inde cõcludendum non est, semper ita contingere; nam pleuritides vehementiores, quę mortem inducere consueverũt, in peripneumoniam, vt plurimùm degenerant. Sed plurimi testantur, & nobis etiam experientia compertum est, in multis pleuriticorum cadaveribus solam pleuram corruptam, & putrefactam inveniri.

Dubitare licet, cur pleura frequentius, quàm aliæ membranę inflammatione afficiantur? Responsio verò desumitur ab Hippocr. 1. *de morb. text.* 124. iuxta Salij divisionem, ubi dicit; latus esse partem maximè debilem, quia carne nudum est præ reliquis corporis partibus, & non habet aliquid, quo renitatur, ideò commotis humoribus ab aliqua causa procatarctica, ijsque excalefactis, eorum defluxus in illam partem facilè concitatur.

Materia pleuritidem efficiens est, ut plurimùm sanguis biliosus, qui facilius densam membranam penetrat; & Auicenna de pleuritide loquens, *in membranam* inquit, *non penetrat, nisi humor tenuis, & cholericus*. Alii tamẽ humores hunc affectum etiam producere valent, modò humorem serosum, aut biliosum pro vehiculo secum admixtum habeant; alios humores dico, non excrementitios, sed naturales, qui sub forma sanguinis continentur, & vel sanguis propriè dictus, vel sanguis pituitosus; aut melancholicus nominatur. Obseruandum tamen est, humores tenuiores veram pleuritidem magis efficere, crassiores verò notham.

Ille autem sanguis per vasa thoracem nutrientia, venam præsertim axillarem, & azygon defertur, & si quantitate, vel qualitate, vel motu peccet, in membranam, & musculos vicinos effunditur.

Pleuritidis differẽtiæ à loco affectò, & causis desumũtur.

Ratione loci, vel situs doloris diuiditur ab Hippocr. 2. *acutor.* in ascendentem, cùm dolor ad iugulum magis tendit, & descendentem, cùm versùs hypochondria vergit. Nonnunquam etiam versùs dorsum magis extenditur; cuius mentionem facit Hippocr. 3. *de morbis*; interdum etiam magis versùs anteriora deflectit.

Ratione causæ seu humoris peccantis alia dicitur sanguinea, alia biliosa, alia pituitosa, alia melancholica.

Insignis alia differentia proponitur ab Hippocrate 1. *acutor.* qua pleuritis dividitur in siccam, & humidam. Sicca dicitur ea, in qua nihil vel perexiguum expuitur, non solùm in morbi principio, sed etiam in progressu illius. Cuius rei varia possunt esse causæ, nempè materiæ morbificæ cruditas, crassities, & visciditas, vel facultatis imbecillitas, vel bronchiorum obstructio, vel doloris vehementia. Humida verò est, in qua sputum ab ipso morbi initio satis copiosum apparere incipit.

Diagnosis huius morbi per signa pathognomonica stabilitur à Galen. 5. *de loc. aff. cap. 8. & alijs in locis*, quę numero quinario comprehenduntur, nempe 1. Dolor lateris punctorius. 2. Febris acuta continua 3. Difficilis respiratio 4. Pulsus durus, & serratilis. 5. Tussis frequens, & molesta.

Dolor punctorius est membranis proprius, præcipuè à materia biliosa proveniens. Ille autem dolor, latus occupans, ad vicinas partes se extendit, & nunc ad iugulum, nunc ad hypochondria exporrigitur per continuitatem membranæ, quæ totam thoracis cauitatem investit. Hoc signo pleuritis à peripneumonia distinguitur, in qua nullus, aut per exiguus lateris dolor apparet, nisi cum pleuritide complicata sit.

Febris acuta continua ex phlegmone, in parte cordi vicina, ducit originem, atque adeò symptomatica est; quamvis interdum febris essentialis pleuritidi coniuncta sit; imò verò illi primàm originem dederit. Contingit enim sæpe in principio febrium continuarum, ut sanguis invenis ebulliens expellatur à natura in partem receptioni illius magis idoneam, quales sunt partes laterales, & inflammationem pariat. Huius rei indicium est, quòd febris primum ægrotantem inuadat, mox secundo tantùm, vel tertio die lateris dolor appareat. Quando verò febris est symptomatica, tunc dolor lateris ab initio ægrotantem corripit, febris verò paulò post, aut eodem tempore apparet.

Respiratio difficilis in hoc affectu necessariò contingit, cum partes inflammatæ distendi sufficienter non valeant ad magnam aeris copiam attrahendam, quæ ad cordis æstuantis refrigerium necessaria est.

Pulsus durus fit ob membranam affectam, illiusque tensionem, quæ arterias etiam distendit, & illæ propter eandem tensionem eam pulsus differentiam efficiunt, quæ serratilis nominatur, quando scilicet, dum plures digiti arteriæ admouentur, una illius pars magis attolli, quàm alia videtur, ut serram hoc modo aliquatenus repræsentet.

Tussis molesta in pleuritide contingit, quia natura continuò rem molestam è parte affecta expellere nititur, tum etiam ex illa aliquid in pulmones resudat, quod eius facultatem expultricem commouet, unde tussis oritur.

Propositis signis adiungitur sputum cruentum, quod quidem neque in omnibus pleuriticis, neque in omnibus morbi temporibus apparet; ideò inter signa pathognomonica non recensetur. Qui pulmonem perpetuò affici in pleuritide affirmant, sputum cruentum à pulmone efferri asserunt, idq; à membrana costas succingente ad pulmonem transire posse negant, cum membrana densissima sit, tum etiam membrana pulmonem inuestiens sit eius naturæ, quæ à sanguine illo extrauasato penetrari non possit.

Verùm hos Galenus manifestè redarguit. 5. *de loc. aff. c.* 3. ubi primùm ostendit materiam, in thoracis cavitate contentam transsumi in pulmonem, & per anacatharsin expurgari, duobus exemplis luculentis. Vnum est eorum, qui vulnus in thoracc acceperunt, in cavitatem illius penetrans. Si enim mulsa in cavitatem pectoris injiciatur, & vulnus confestim occludatur, parvo interiecto tempore mulsa per os cum tussi ejicitur, & æger mulsæ saporem in ore percipiet. Alterum exemplum desumitur ex ossium fractura, quæ fit illæsa cute. In ea enim dum callus conficitur, & ossa fracta conglutinari incipiunt, portio sanguinis, qui ad partem affectam confluxit, ad cutem defertur, eamque pervadit, ita ut vittas, fasciasque membro obductas irriget, & conspurcet. Docet etiam modum Galenus, quo sanguis, pus, aut alia, quæ vis materia in cavitate thoracis contenta à pulmone transsumi soleat, nimirùm per orificia extrema bronchiorum, sive ramorum asperæ arteriæ, qui per pulmonem dispergũtur, & ad illius superficiem desinunt. Quamvis enim venæ arteriosæ & arteriæ venosæ orificia ad pulmonis superficiem etiam deferantur, bronchiorum tamen orificia reliquis ampliora, & potentiora sunt. Quantò enim aspera arteria ratione caudicis maior est caudice venæ arteriosæ, aut arteriæ venosæ, tantò rami maiores sunt ramis, & orificia orificijs, cum omnia hæc vasa æquali quadam divisione scindantur, quò in universum pulmonis corpus distribuantur. Deindè asperæ arteriæ, & bronchiorum eius substantia cartilaginosa est; unde fit, ut non tam connivere, ac concider. valeant, ut reliqua vasa, eorumque orificia magis aperta maneant, sicque materiam in thoracis cavitate contentam faciliùs excipere.

Ista autem transsumptio materiæ in thorace contentæ, fit, docente Galeno, in constrictione thoracis, dum expiratio perficitur; tum enim thorax, quæ in sua cavitate continentur, premit versùs pulmonem, & in ipsum impellit; ut portio saltem eorum in bronchiorum orificio exprimatur. Neque obstat pulmoni mollities quæ compressioni cedit, atque ita materiam ad eum impulsam recipere non cogitur. Hæc enim mollities facit quidem, ut tota materia impulsa non recipiatur: non impedit tamen, quin portio quædam illius in partis substantiam sese insinuare valeat, quàmvis maxima pars in cavitate remaneat, ob mollitiem prædictam.

Addamus, & nos huic Galeni doctrinæ admirabilem naturæ providentiam, quæ passim invenit vias non solùm manifestas, sed etiam incognitas, & sæpè incomprehensibiles, per quas res noxias, & molestas expurgare consuevit; de sanie in fracturis dictum est, quæ per poros insensiles musculorum, & ipsius cutis expurgatur.

Spuria pleuritis à legitima distinguitur, quòd in hac dolor exacerbetur, dum æger decumbit in latus oppositum; tunc enim pars inflammata pondere suo divellitur, maioremque patitur distensionem; in illa verò musculi externi inflammati comprimuntur quando supra latus affectum æger decumbit.

Tempora huius morbi sequentibus signis indicantur. In principio omnia symptomata pathognomica debiliora sunt, dolor, & febris exigua, tussis sicca, vel certè sputum exiguum, & crudum. In augmento febris, & doloris incrementum adest, sputum copiosius. In statu symptomata vehementiora, inquietudo, delirium, dolor capitis,

pitis, si morbus salutaris sit, sputum concoctum, liberum, & copiosum. In declinatione sputum perfectè coctum, libera anacathartis: omniumque symptomatum remissio.

Signa causarum diagnostica generaliter desumuntur ex temperamẽto ægrotantis, anni tempore, regione, victus ratione, alijsque communibus. Specialiter verò à sanguine puro fieri pleuritidem ostendunt Sputum rubrum, & sanguinolentũ, dolor tẽsiuus pungitiuo mixtus, venarum plenitudo præsertim circa tempora, & frontem, rubor faciei toties, pulsus plenus vrina rubra, & crassa, cum corona interdum liuescente.

Biliosum sanguinem ostendunt sputum flauum, febris ardentior, sitis vehementior, pulsus durior, & velocior, dolor pungens acutior, vigiliæ, & inquietudines maiores, orisamaritudo, vrina tenuis, & intensè flaua.

Pituitosum sanguinem demonstrat sputum album, viscidum, aut spumosum, dulce, & tardè erumpens, febris remissa sitis pauca, saliua, & excretio multa, dolor remissior; & grauatiuus; somnus maior, pulsus paruus, & minùs durus, vrina pallida, & crassa.

Sanguinem melancholicum ostendunt sputum nigricans tenax, & tardè erumpens, febris, dolor remissior, vrina rubra, obscura, tussis siccior, lingua nigricans, & aspera, aluus adstricta.

Prognosis primùm ex symptomatum remissione, & vehementia desumitur. Si enim dolor, spirandi difficultas, & febris non mutùm molestauerint, morbum remissiorem significant; si verò dolor vehemens fuerit, & tussis magna, in qua nihil excernitur febris item valida, & anhelitus difficultas maxima, periculosam pleuritidem existimare oportet.

Pulsus in pleuritide paruus frequens & valdè durus mortem prænuntiat. Ex eo nullum sanatum esse affirmat. Gal. 4. *de præs. ex puls. c.* 5.

Pleuritis exquisita, in qua nihil expuitur, aut in qua sputum postquam apparere incæpit, iterùm suppressum est dolore lateris, & pectoris raritate superstite, periculosissima est. Crudelissimum enim morbum significat qui aut breui hominem iugulat vel non nisi longo temporis spatio finitur.

Sputum initio, & intra tertium diem apparens breuem morbum significat; si verò posteriùs, longum, Hippocr. *aph.* 1. *sect.* 12.

Flaua bilis, pituitæ, vel pauco sanguine valdè permixta, cũ satis copioso sputo, in principio morbi apparente, salutaris.

Sputum valdè sanguinolentum periculosum est, venarum enim, au carnis ruptionem significat, vnde suppuratio expectanda est. Paucus verò sanguis per resudationem effluere censetur.

Sputum album, ac glutinosum rotundum, malum est. Lentor enim, & visciditas ab igneo calore materiam adurente proficiscitur.

Sputum viride, & æruginosum malum; nigrum verò pessimum. Summam enim adustionem, vel caloris natiui extinctionem significat.

Anacathartis copiosa, quæ dolorem, aliaque symptomata non sedat, mala. Magnam enim materiæ copiam arguit.

Pleuritis in senibus, mulieribus vtero gerentibus, asthmaticis & ijs, qui bis terve hunc morbũ passi sunt, pernicios a.

Quicunque laterali morbo laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, empyici fiunt. *Aph.* 8. *sect.* 5. Alij ad vigesimam diem expurgationem extendunt.

Diarrhœa pleuritidi, aut peripneumoniæ superueniens, mala. *Aph.* 6. *sect.* 16. Quod intelligendum est de pleuritide, in qua tanta est inflammatio, vt hepar, & ventriculum in consensum trahat, aut quando, postratis à morbo viribus, retentrix facultas fere abolita est. Si verò pleuritis adeò magna non sit, & in corpore contingat multa cacochymia laborante, alui fluxus interdum salutaris esse solet: præsertim, si quædam concoctionis signa præcesserint.

Vomitus biliosus, & copiosus in principio pleuritidis salutem prænuntiat. Leuata enim natura ab illa euacuatione biliosæ cacochymiæ morbum facilius superat,

Pleuritide si peripneumonia superueniat malum ex *Aph.* 11. *sect.* 7. Fit enim translatio materiæ ad partem nobiliorem.

Si pleuriticus dolor cum sputis biliosis sine ratione euanuerit, ægri in delirium incidunt. Hipp. 3. *Prorrhet.* Humor enim biliosus, sursùm ad caput rapitur, & tunc etiam vrinæ tenues, & albæ apparent.

Pleuritis, quæ diuturno morbo succedit, aut in corpore cachectico accidit, periculosa.

Densa, & exercitationi dedita corpora citiùs ex pleuritide, & peripneumonia interunt. Hippoc. *in Coac.* Et quotidiana docet experientia, fossores pleuritide correptos omnes propemodum interire. Quia robusta illa corpora nonnisi ex grauissima causa in morbos incidunt, & propter densitatem non facilè transpirant, vt morbi resolutio fieri non possit.

Quibus in morbo laterali plurimus ex sputo strepitus in pectore sonat, & vultus demissus est, oculusque aurigine suffusus, & caligine obductus, in his mors expectanda est. Hipp. *in Coac.*

Quibus pleuriticis lingua circa initia biliosa est, hi intra septimùm iudicantur, quibus verò tertio, aut quarto die, circa nonum.

Ad pleuritidis curationem primò humor illam committens, reuellendus, deriuandus, & discutiendus est. Ac si totus discuti nequeat, concoquendus, maturandus, & expectorandus. Tum febri, quæ non rarò essentialis in pleuritide, non semper symptomatica est, proprijs remedijs succurrendum. Quæ omnia sequentibus auxilijs perfici poterunt.

Et quidem ab initio sanguis detrahendus est è basilica eiusdem lateris, præmisso clystere, si affectus non valdè vrgeat, alioqui post phlebotomiam ille poterit injici.

Mitti autem debet sanguis singulis diebus, donec dolor, & febris multò mitiores euaserint. Imò verò interdum bis in die, cum peracuta pleuritis est.

Hipp. 2. *de rat. victus in acutis, text.* 10. insignem regulam, & in praxi vtilissimam posteritati tradidit, vt mittatur sanguis vsque ad coloris mutationem. Si nimirum prima, aut secunda phlebotomia sanguis apparet crudus, pituitosus, aut aquosus, continuanda singulis diebus, aut bis in die vacuatio, donec sanguis detractus appareat, rubicundus, vel flauescens. Si verò in principio appareat ruber iteranda toties phlebotomia, donec huidus, aut niger appareat. Significatur enim, sanguinem illum posteriorem à parte affecta, aut venis ipsi vicinis effluere, qui quidem à calore partis inflammatæ alteratus est, & ex crudo ruber factus, vel ex rubro niger, aut liuidus per aduitionem.

Licet autem huius præcepti obseruatio in praxi vt plurimum optime succedat, aliquando tamen coloris illa mutatio pertinaciter expectanda non est, sed priùs à sanguinis missione desistendum; cùm videlicet aut vires sunt debiles, aut æger habitu raro, aut valdè resolubili præditus, aut tempus anni calidissimum.

Quamuis autẽ sanguinis missio in principio morbi præcipuè conferat; si tamen ea fuerit omissa, aut insufficienter celebrata, etiam post septimum, nonum, aut vndecimum, venam secare licet, exemplo Hippocratis, qui 3. *Epidem.* Anaxioni venam secuit octauo die, vel quod citiùs non fuerit vocatus; vel quòd in pleuritide crudissima, quæ vndecimo die vix coqui cœpit, morbus inducias dedit.

Cùm verò anacathartis libera, & liberalis fieri incipit, tunc temporis à phlebotomia abstinendum; quia anacatharsis supprimitur, & æger in vitæ discrimen conijcitur.

Adeò autem necessaria est venæ sectio in huius affectus principio, vt nunquam omitti debeat, nedum in senibus, pueris, grauidis mulieribus, puerperis, & menstruas purgationes patientibus; quibus omnibus experientia docuit, phlebotomiam, præsente hoc affectu, fuisse vtilissimam. Cautiones autem in venæ sectione obseruandæ in mulieribus puerperis, aut menstruas purgationes patientibus, videantur infra *lib.* 15. *c. vltimo* in morborum acutorum puerperarum curatione.

Ab ipso etiam morbi initio bis, aut ter in die exhibendi sunt iulepi refrigerantes humoris ardorem, & ebullitionem cohibentes, & fluxiones sistentes, in hunc modum compositi.

℞. Aquæ papau. rhoead. ℥ iv. syrupi violac. vel eiusdem papaueris ℥ i. salis prunellæ ℈ i. Fiat iulep.

Post primam phlebotomiam inungatur latus dolens sequenti linimento, partem posteà tegendo lana succida linteo inuita.

℞. Ol. lilior. chamæm. amygdal. dulc. an. ℥. i. butyri recentis, & axungiæ gallinæ ana. ℥. i. Fiat linimentum.

Multi addunt ceram huiusmodi linimentis, quæ tamen non conuenit; quia obstruit poros; vt neque mucilagines, quæ emplastica sunt, quia refrigerant, & astringunt.

In pleuritide maligna, & pestilenti vtiliter additur huiusmodi linimentis ol. scorp. Matthioli, vel theriacæ modicũ.

Post

Post iteratam venæ sectionem fotus admovendus est, in sequentem modum compositus.

℞. Rad.althææ,& lilior.an.℥ii. fol.malvæ, viol.parietar. ana M.i.sem.lini,& fœnugr.an.℥ i. flor. chamæm.melilot. sambuci,violar.ana P.i. Fiat omnium decoctio,qua foveatur latus dolens cum vesica sulla.

Post fotum admovebitur linimentum prædictum;cui in progressu morbi addi poterunt olea magis resolventia, ut anethinum,irinum;tum etiam pulvis ireos,& crocus. Imo verò ipsi fomento addi poterunt herbæ discutientes,ut origanum, calamintum, hysopus, & semina valdè discutientia.

Multa alia topica, pleuritidis curationi valdè proficua ab auctoribus usurpantur,quorum præcipua hæc sunt.

Priùs inungatur pars unguento de althæa,postea cumini pulvis inspergatur. Vel post inunctionem brassicæ folium ad ignem calefactum,& inuctum admoveatur.

Faventinus miscet unguentum de althæa cum ol.amigdal. Post inunctionem aspergit pulv.cumini,& superimponit folium caulis, & miris laudibus effert.

Item cataplasma sequens utilissimum est.

℞. Residentiã decocti pro fotu suprà descripti. Contundatur in mortario marmoreo, addendo ol.amygdal. dulc. lilior.& chamæmel.an.℥ ii. pinguedinis gallinæ ℥ i. farinæ hord.fabar.ana q f Fiat cataplasma.

Item gallina viva per spinã secta, pulvere ireos Florent. conspersa,& admota multum prodest.

Omentum vervecis recenter ab animali extractum, vel in aqua calida calefactum.optimum est anodinum. At pulmo ejusdem animalis idem efficatiùs præstat.

Oleum ceræ arte chymica extractum, linimentis admixtum,dolorem lenit,& materiã morbificã potenter discutit.

Panis recens è furno extractus, per medium sectus,& in butyro recenti liquato madefactus, & admotus materiam lateri impactam potenter resolvit.

Post tres,aùt quatuor doses julepi prædicti,usurpari poterunt julepi pectorales,in hunc modum compositi.

R.Hord.integri P.i.liquirit.rasi.& passul.mundat.an. ℥ i. mubarr.pa.xx.sem.quatuor.frig.mai.an.℥iv.flor.buglossæ, & viol.anP.i. Coquantur ad quartaria v.In colai. dissolvè syrup.viol.& jujubini,an.℥.ii. Fiat julep.pro quatuor dosibus,manè,& serò sumendis.

Vel si febris valdè acuta sit cum vigiliis coniuncta,emulsiones usurpari poterunt in sequentem modum.

R.amygal dulc.excorticat.& in aqua frigid.macer. ℥ i. quatuor sem.frig.major an.℥ ß sem.lactuc.& pap.albi.an. ℥ ii. Contnudantur in mortario marmoreo,semsim affundendo decocti hord.& liquirit.℔. i.℥.In colatura dissolve syrup.violac.℥. iii. fiat emulsio pro iii. dosibus manè,& serò sumendis.

Quidam practici, urgentibus vigiliis, audent exhibere narcotica,ut syrup.de papav.philonium roman.& laudanum opiatum.Quæ tamen in hoc affectu pernicioſa sunt sputum enim retinent,& pectus coarctant.Vnde non rarò præceps exitium consequitur.

Quod tamen intelligendum est de integra narcoticorum dosi:nam in perexiguà quantitate exhibita prodesse possunt in dolore vehementissimo,tussi molesta,& inani,à valde tenui humore oriunda,& vigiliis assiduis. In quibus casibus sæpè laudani gr.i. felici cum successu exibui,& pluries aliquando iteravi.Sed illius usvs præcipuè in principio morbi convenit;tunc enim humor influens in partem cohiberi potest, & morbi incrementum impediri.

Quando tussis importuna est & natura incipit per anacatharsin aliquid evacuare,teneat æger frequenter in ore saccharum rosaceum,candum,aut penidiatum, vel tabellas diatragacanthi frigidi. Tum utatur syrup.violac.vel jujubino ex cochleari frequẽter. Vel utatur eclegmate sequenti.

℞. Sacchari candi,& penidiat.an.℥.i. pulv.elect. diatragacant.frigidi℥ii.syrup.violac.& jujubini,an.q.s.Fiat looch,quo utatur frequenter cum baculo liquirit.sensim lambendo. Vel fiat eclegma ex butyri,mellis,& sacchari æqualibus portionibus.

Oleum sem.lini,vel amygdal.dulc.recenter sine igne extractum,cum saccharo mixtum,& exhibitum, egregie tussim lenit,& dolorem pleuriticum demulcet. Præsertim si cum jusculo,aut alio decocto affatim bibatur.

Si supra crassiora sint, quædam incidentia,& attenuantia erunt permiscenda, ut syrup.de tussilag. de liquirit. oxymel simplex, pulvis diaireos, & alia hujusmodi.

Eclegmata autem supino corpore sumenda,quia sic meliùs pulmonem subeunt.

Progrediente morbo,ad coroborationem virium conditum restaurans usurpari potest.

R.Conservæ flor.viol. ℥i.conservę flor. borrag.& rad. buglossę,an.℥ß.confect.alchermes ℥ ii.pulv.electuarii.diamarg.frig.& diatragacanth.frigidi, an.℥ i. sacchari rosati ad pondus omnium.Fiat conditum auto coopertum, quo utatur frequenter ex cochleari.

Purgatio in pleuritide vera non cõvenit,nisi omninò ad declinationem pervenerit? & tunc sequenti medicamento illa potest institui.

R.Sennę mundat.℥ß.sem.anisi ℥ i.fol.buglosse, & capill. ven.an. M.ß.liquirit raf.& passul.mundat.an.℥ iii. flor.buglossi.& violar.an.P.i. Coquantur ad ℥ iii. In colat.dissolve rhab. in aqua scabiosæ cum sacrallo citrino infusi ℈iv. mannæ granat.& syrup.rosac.an.℥ i. Fiat potio.

Toto morbi decursu utatur æger pro potu ordinario decocto hordei,& liquiritiæ,vel decocto papav. rhœad cum syrup.capill. ven.Potus verò non sit actu frigidus, quia Pectori noceret. Vinum in hoc affectu merum est venenum, quemadmodum acida omnia,quæ tussim excitant,& constringendo anacatharsin impediunt.

In declinationem,post purgationẽ,& febrem valdè imminutam,si dolor per severet, admoveri poterit ipsi parti dolenti cucurbitula cum scarificatione.Imò,& sequenti die iterùm applicari,ad sanguinem denuò extrahendum, Possunt etiam applicari ante declinationem post iteratam phlebotomiam,bis aut ter.Et si dolor augeatur, vel redeat post aliquot tempus,iterum secabitur vena, & post iterum cucurbitula applicabitur.

Zacutus Lusitanus locis sacrificatis detracta cucurbitula,hirudines sex admovit felici successu,ut ipse testatur *observ.104.lib.1.praxis admirandæ*.

In eundem finem,ad reliquias materiæ morbificæ discutiendas,tentatis priùs fomentis,& linimentis potenter piscurientibus, utiliter partis applicabitur emplastrum de sulphure,vel de bacis lauri.

Præter remedia vulgaria huic morbo valdè proficua alia quędam usurpari possunt propria & specifica;nempe rasura dentis apri cinis priapi tauri,vel cervi,flores papaveris rubri,corallus præparatus.

Quercetanus in Pharmacopœa laudat pomum excavatum,& thuris masculi ℥ i. repletum,& ad ignem coctum, quod æger deglutiat.superbibendo aquæ card.bened.℥ iii. posteà verò bene contectus sudet. Hoc remedium post tertium morbi diem vsurpandum esse vult,eoque multos asserit fuisse restitutos.

Flores buxi adeò sanguinem purgare feruntur,ut si eorum pulveris ℥i. cum aqua papaveris rhœad.exhibita,sanguis post horam mittatur,floridus is appareat.

Stercus equinum in aqua cardui benedicti dissolutum, & colatum, pleuriticum dolorem,& humorem,illum producenten,potenterdiscutit.

Idem præstat stercus album gallinæ ad ℥ i. cum eadem aqua exhibitum.

Stercora illa multum habent salis volatilis, qui maxima penetrandi,ac discutiendi vi præditus est.

Ex duobus illis stercoribus potest fieri potio efficax in hunc modum.

℞. Sem.cannabis ℥ i. Contundantur in mortario,deinde adde stercoris albi gallinæ,& stercoris equini,an. ℥ß. Dissolvantur in aquæ card.bened. ℥v. Colentur per linteum, & exibeantur.

Sanguis hirci sylvestris ad gr.x.exhibitus cum aqua prædicta potenter discutit pleuritidem.In illius defectu sanguis hirci domestici usurpari poterit. Sed cùm vires illius sint infirmiores, ad ℥ i. exhibendus.Ejus autem præparatio in hunc modum se habet.

Hirco suspende cornibus,& crura posteriora reflecte ad cornua,testes abscinde,& sanguinẽ fluentem excipe in vase amplo,& exsicca in sole,si æstas sit,vel retrò furnum pistoris. Longissimè distat ab hircino sanguine officinarum.

Fuligo camini ad ℥ i. exhibita multùm confert, sed multò magis spiritus fuliginis,ab Hartmanno descriptus in praxi medica.

In pleuritide epidemica sudorifica,aut diaphoretica medicamenta usurpanda sunt, qualia in febribus malignis præscribi solent,quæ tamen hunc morbum,quantum fieri potest,peculiariter debent respicere.

Diar-

Diarrhœa pleuritidi superveniens, periculosa est. Ideò temperari debet syrupo myrtino, qui eam sistit & nihilominùs expectorat; atq; ita cum aliis syrupis permiscendus est. Venter, & renes adstringentibus inungantur, ut in omni diarrhœa fieri solet. Clysteres iniiciendi ex decocto hordei excorticati, quod, ut Gal. docet, refrigerat, & astringit, additis rosis rubris, & in eo dissolvendo ovorum vitellos.

CAPVT III.

De Peripneumonia.

PEripneumonia eandem habet cum pleuritide essentiã, & parte affecta tantùm distinguitur, quòd illa sit pulmonis inflammatio, hæc verò membranæ, costas succingentis. Materia etiam aliquatenùs differunt. Siquidem pleuritis frequentiùs fit à bile: peripneumonia frequentiùs à pituita: quamvis omnes humores, (ut de pleuritide dictum,) hunc affectum producere valeant; humores, inquam, massam sanguinis constituentes, & sub forma sanguinis contenti. Quemadmodum enim humores crassi densam pleuræ membranam difficilè penetrant, tenues verò, & biliosi eam facilè peruadunt; sic contra pituitosi, & crassi in mollem, & raram pulmonis substantiam facilè trãsferuntur, eiq; tenaciter adhærent? biliosi verò, & tenues facile preterlabuntur. Hoc tamẽ nõ impedit, quin sanguis biliosus interdũ pulmonis inflãmatinẽ efficere valeat, quẽadmodũ Hipp. 1. *de morbis* Erysipelas pulmonis describit.

Fit autem inflamatio erysipelatosa ex sanguine biliosa à dextro cordis sinu per venam arteriosam in pulmonem delato. Oedematosa verò ex sanguine pituitoso per viam fluxionis, à capite in subiectas partes irruente. Sola tamen pituita excrementosa per viam catarrhi à cerebro defluens peripneumoniam efficere potis est, quatenus in pulmone putrescens sanguinem attrahit ex cujus admixtione inflãmatio oritur, & hæc sæpissimè in senibus contingit.

Mesue tamen peripneumoniam magis fieri à bile asseruit, quia pulmo sanguine biliosо nutritur, qui magna copia affluit per viam patẽtissimam, nempè venam arteriosã.

Respondemus, sanguinem floridum, tenuem, & vaporosum in dextro cordis sinu elaboratum ferri in pulmonem, qui propter puritatem facilè tegitur natura, & per arteriam venosam ad sinistrum cordis ventriculum transmittitur, ideoq; rarò tantùm subire à naturali statu recessum, qui peripneumoniam efficere natus sit. Contra verò fluxionem, à capite irruentem, & per vias ampliſſimas ad bronchia delatam, si ibi putrescat, sanguinem accersere, & peripneumoniam excitare.

Generatur verò peripneumonia interdum primariò, sine alterius morbi interventu: interdum verò aliis morbis succedit, ut anginæ, & pleuritidi Gal. *in comm.* 11. *sect.* 7. *Aph.* docet, duobus modis peripneumoniam pleuritidi succedere; vel quando morbus lateralis in peripneumoniam transmutatur, vel quando morbo laterali pulmonis inflammatio supervenit. Hæc autem transmutatio fit, quando priore cessante morbo, advenit alter, supervenit autem, quando altero manenti alter adiicitur.

Causa igitur interna, & immediata peripneumoniæ sanguis est, frequenter pituitosus, rariùs biliosus, rarissimè melancholicus. Qui vel à toto fluit corpore plethorico, vel cacochymco; vel ab aliqua parte similiter repleta, aut præter naturam affecta.

Causæ externæ peripneumoniæ, & pleuritidis eædem omnino sunt, quecumque videlicet fluxiones ad eas partes commovere possunt, quarum præcipuæ sunt. Primò motus corporis, & exercitium vehemens, præsertim post magnam quietem, & multas epulas: tunc enim humores, ex ciborum multitudine asservati, & præcedenti quiete intus detenti, superveniente exercitio funduntur, attenuantur, & incalescunt; ac postmodum ad partes debiliores, & fluxioni eorum recipiendæ magis idoneas propelluntur: inter quas thorax, & pulmo principem locum obtinent, quia valido exercitio anhelitus magnus, & creber efficitur, sicq; partes prædictæ maximè fatigantur, & pulmonis substantia mollis, & laxa humorem influentem facilè recipere potest.

Secundò inter causas externas efficaciores ponitur aer frigidus, & aquilonius, austrino, & tepido subitò succedens, à tepidiusculo siquidem aere pori laxantur, & humores fluidiores evadunt, qui, adveniente aere frigido comprimuntur, & ad partes debiles exprimuntur.

Deniq; ex Hipp. *lib. aeræ, locis, & aquis*, usus aquarum lacustrium, & stagnantium peripneumoniæ generandæ idoneus est. Dicit enim divinus Senex, in regionibus lacustribus, & paludosis frequentes peripneumonias observari.

Signa etiam peripneumoniæ cum signis pleuritidis majori parte conveniunt. Duo prorsus eadem, febris acuta, & tussis, quæ aliquando sicca, aliquando humida est, seu cum sputo magis pituitoso colorato ex bile, aut sanguine: imò, & in progressu sputa fiunt purulenta, materia morbifica à calore cocta. & matura, quod fit plerumque illæsa pulmonũ substantia, alioqui enim, ea exulcerata, phthisis succederet. Sic passim videmus in oculis ophthalamia laborantibus, & pure sordidis, humores in pus converti, non suppurata, neque ulcerata partis substantia.

Reliqua signa differunt ratione partis affectæ. Difficultas spirandi major est quàm in pleuritide, ob angustiam instrumenti inflammati, ut ægri suffocari videantur, & non nisi erecti respirare valeant. Pars enim ob tensionem, & repletionem compri mi nequit, neque ampliùs dilatari, quamvis magna adsit pulmonis dilatatio; paucum tamen aerem capit, ideò celer, & frequens est respiratio cum stertore. Augetur necessitas ex febre, cum efflatione calidioris spiritus, & aeris frigidi desiderio.

Pulsus magnus, languidus, mollis, ob pituitam, & pulmonis laxitatem; aliqua interdum duritie ex bile, & sanguine; inæqualis, ob compressionem arteriæ prope cor, in crassis humoribus magis; interdùm verò intermittens, intercurrens, undosus, vermicularis, cùm ex immodica humiditate pulmo computruit.

Dolor gravans, & profundus ex imo ad pectus, & spinam pertingens. Quandoq; inter scapulas, quandoq; sub una tantùm scapula dolor percipitur, & jugulo, ac mammæ communicatur, præsertim in tussi. Quandoq; dolorem non sentiunt, nisi cum tussire inceperint. Quandoq; etiam dolor apparet punctorius in latere, cum pleuritidi conjuncta est peripneumonia, quod sæpissime contingit. Licet autem membrana pulmonem investiens sit ejusdem naturæ cum membrana costas succingente, ut docuit Gal. 4. *de loc. aff. c.* 5. dolor tamen tàm intensus non percipitur in peripneumonia, quemadmodum in pleuritide, propter duplicem differentiam, quæ ab eodem Gal. proponitur *loc. cit.* Prima est, quòd nervi, qui feruntur ad membranam pulmonis, sint pauci, & exigui; qui verò ad pleuram, plures, & insignes. Altera est, quod thorax constet ossibus & carne, quæ resistunt tensioni, unde major dolor; pulmo verò mollis cedat tensioni, unde minor dolor.

Rubor genarum apparet ob vapores calidos ad caput exhalantes, & tenuiorem sanguinem secum rapientes, cujus color in malis præsertim efflorescit, quia earum cutis tenuior est.

Propositis signis accedunt anxietas, impotentia, jactatio cum caloris ingentis sensu in toto corpore. Color linguæ flavus, deinde processu temporis rubescens, sitis ingens, oculorum extumescentia, & venarum temporum elevatio. Delirium quando peripneumonia ab humore biliosо, & coma, si ab humore pituitoso generatur.

Si à sanguine biliosо morbus oriatur, sputa erunt flava, æstus major, & siti; major respirationis angustia cum minore gravitate; expiratus aer calidior, febris atdentissima, cum pulsu creberrimo, delirium ingens, urina tenuis, citrina, & pellucida. Aetas, anni tempus, regio, victus præcedens bili attestantur.

Si pituita, (quod frequentiùs est,) morbum producat, sputum erit album, viscidum, & spumans: febris, thoracis incendium, sitis, linguæ siccitas minora, thoracis gravitas major pulsus rarior, & molior, ætas ut plurimùm senilis, habitudo, anni tempus, regio frigida, & humida.

Si ex sanguine puro affectus ortum duxerit, sputum erit rubrum, urinæ rubræ, & crassæ, faciei rubor major, venarum temporum evidentior elevatio, cum totius corporis gravitate, ac tensione, & reliquis, quæ sanguinis abundantiam ostendunt.

Si deniq; melancholicus sanguis in causa fuerit; sputum apparebit nigrum aut sublividum, lingua à principio nigra, sica, & scabra: aderunt etiam tristitia, & magna inter respirandum suspiria, ac reliqua melancholiæ in toto corpore dominantis signa apparebunt.

Prognosis hujus affectus in hunc modum instituenda est.

Peripneu-

Peripneumonia pleuritide periculosior est, & vt plurimùm lethalis, ob respirationis necessitatem, & cordis vicinitatem. Hoc sanè morbi genus, (inquit Celsus) plus periculi, quàm doloris habet, & plerumque in calamitatem abire solet.

Spem tamen salutis ostentant virium robur, minor symptomatum vehementia, sputa subflaua, non multò permixta sanguine, circa initia excreta, sanguinis fluxus è naribus copiosè, & die critico erumpens, vel alui fluxus biliosus, & spumosus, vel mensium, aut hæmorrhoidum conferta eruptio.

Abscessus circa aures, vel partes internas debitè suppurati, & aperti, salutè ostendunt, vt docet Hipp. *in Prognosticis*.

Si peripneumonia in pleuritidem transmutetur, bonum est: Quamvis id rarò contingit, vt docet Gal. *comment. Aph.* 11. *sect.* 7. quia ex morbo periculosiore ad minus periculosum fit transitus. Et cognoscitur huiusmodi transmutatio ex superueniente lateris dolore punctorio, & imminuta spirandi difficultate.

Periculosam verò, ac lethalem peripneumoniam portendunt morbi, & symptomatum vehementia, sputi carentia, vigiliæ assiduæ, delirium, vel coma, extremorum frigiditas, sterror cum maxima respirationis angustia, vnguium liuor, & incuruatio.

Præterea pleuriti peripneumonia succedens periculosissima est, vt docet Hippocr. *Aph.* 11. *sect.* 7. quia humoris translatio à parte ignobiliore ad nobiliorem mala est; & vires à prægresso morbo fatigatæ, noui, & deterioris vim perferre non possunt.

Vrinæ circa initia crassæ, & postmodum ante diem quartum tenues factę, mortem portendunt. Hipp. *in Coacis*.

Peripneumoniæ curatio pleuritis curationis simillima est. Ac primum in ea vtranque paginam implet phlebotomia, quantùm vires ferre possunt, semel aut bis in die, donec morbus mitescat. Cùm enim pulmo multo sanguine abundet, & à corde æstuante magnam illius copiam attrahat: minimè verendum est, ter, quater, quinquies, & sexies sanguinem detrahere.

Si tamen peripneumonia anginæ, & pleuritidi succedat, maiori cum religione sanguis mittendus est, quia vires afflictæ sunt priori morbo.

Mitti verò debet sanguis è basilica vtraque si totus pulmo æqualiter afficiatur; vel ab alterutra, quæ lateri affecto magis respondeat; in quo scilicet æger dolorem, aut grauitatem maiorem percipiat, & ex quo sputum potiùs euehi sentiat.

Mulieribus peripneumonicis, quibus sanguis menstruus actu fluit, à talo primo, & mox initra sex hora à brachio sanguinem mittere oportet; nisi adeò vrgeat periculum, vt cogat primo accessu sanguinem è brachio fundere. Quo in casu, toto venæ sectionis tempore, & parùm ante illud, cucurbitulæ femoribus sunt affigendæ.

Posteaquàm verò non videntur vires vlteriorem venæ sectionem ferre posse, cucurbitulæ admouendæ sunt scapulis, & dorso, tum siccæ, tum maximè scarificatæ, quantum vires ferre possunt.

Clysteres etiam emollientes, & lenientes reuulsorij sint; ne tamen ijs vehementiora cathartica misceantur, metu alui fluxus, qui in hoc morbo periculosus est.

Si humor crudus, & pituitosus à capite irruens morbum efficiat, vel foueat; vesicatorium, posteriori ceruicis parti admotum, summoperè proderit.

Interim vsurpentur iulepi & emulsiones, in cura pleuritidis descriptæ. Pectus illinatur oleo violaceo, amygdal. dulc. butyro recenti, & similibus, vel sequenti linimento.

℞. Olei violac. & nymphææ, an. ℥ j. ℔. butyri recentis, & mucilag. sem. psyllij, ana ℥ j. ol. rosac. ℥. ℔. trochisc. de caphura ℈ j. Fiat linimentum. Vel

℞. Ol. violac. ℥ iij. ol. de sem. cucurbitæ, & lactis muliebris, ana ℥ j. butyri recentis ℥ j. ℔. Misce fiat linimentum.

Anacatharsis promouetur syrupo violac. iuiubino, aliisque in cura pleuritidis propositis. Similiter eclegmata & condita, ibidem descripta, vsurpari poterunt: hac cautione adhibita, vt in materia tenuiori incrassantia, in crassiori attenuantia vsurpentur.

Potus ordinarius sit decoctum hordei, & liquiritiæ, quemadmodum in pleuritide.

Purgatio in hoc affectu non conuenit, nisi declinante morbo, illiusque materia seligenda, qualis in cura pleuritidis proposita est.

CAPVT IV.

De Empyemate.

Licet empyematis nomen omnem suppurationem significet, vsus tamen obtinuit, vt non nisi pro puris collectione in thoracis capacitate vsurpetur.

Hæc autem puris inter pulmonem, & thoracem collectio triplicem agnoscit causam: Prima est inflamatio suppurata, quæ in pleuritide, aut peripneumonia contingit: & rapto abscessu, pus in thoracis cauitatem effunditur. Idem fieri potest in angina, vt docuit Hippocr. *Aph.* 10. *sect.* 5. his verbis: *Quicunque ab angina liberantur, ijs ad pulmonem vertitur & in septem diebus pereunt. Si verò hos effugerint, suppurantur.* Secunda est sāguis in thoracem effusus, vbi moram trahens necessario suppuratur. Sic apud Hipp. *Aph.* 20 *sect.* 6. *Si in ventrem sanguis præter naturam effunditur necessariò suppuratur.* Illa autem suppuratio (vt docet Galen. *in comm.*) num semper est vera, & propriè dicta suppuratio sed potiùs corruptio dicenda, ex qua materia quædam puri analoga generatur. Effluere autem potest ille sanguis in thoracem, ex vulnere aut vena quadam disrupta. Tertia est pituita à capite, vel alijs partibus in thoracem emissa, & ibi putrefacta. Sic apud *Hipp. Aph.* 38. *sect.* 7. *Destillationes in ventrem superiorem suppurantur intra viginti dies* Galen. *in comm.* per ventrem superiorem, thoracem intelligendum esse affirmat. Illa autem pituita putrescens non verum, ac legitimum pus, sed quidpiam ipsi analogum producit, quemadmodum videmus tumores pituitosos, vt atheromata, steomata, & melicerides, quasdā abscessuū species cōstituere.

Signa diagnostica duorum sunt genetum: Quędam recentem, & incipientem affectum ostendunt, alia verò diuturnum, & confirmatum.

Incipientis suppurationis tria proponuntur signa ab Hippocr. 2. *Prognost.* Primum est, si pleuritide, aut peripneumonia non expurgata febris intensior euadat, dum enim pus cōficitur, febris intenditur, ex Hipp. *Aph.* 47. *sect.* 1. Secundum est rigor, qui fit, dum puris acrimonia partes vellicat membranosas. Tertium est pondus, & sensus grauitatis in partem humor enim in cauitate contentus magis grauat, quàm dum in partis substantiam effusus est. Addit Galen. 4. *de loc. affect. cap.* 9. fluctuationem. *Nam vbi quis* (inquit) *affatim à decubitu transmutatur, idque maximè, si ab vno latere in aliud se conuertens defluere aliquid sentiat, puris multitudinem ibi contineri haud dubia coniectura est.* Quin etiam in his fluctuatio sæpè numero haud obscurè auditur nisi puris crassities, aut copia, quæ totam thoracis cauitatē impleat, fluctuationem impediat. His etiam accedit respiratio difficilior. Quamuis enim rupto abscessu dolor lateris sedetur, & hinc diaphragma, & thoracis musculi liberiùs moueri possint, quia tamen pulmo à circumfuso pure grauatur, vt libere moueri non possit, & præterea quædam puris portio spongiosa pulmonis substantia imbibitur, inde pulmo grauior redditur, bronchiaque à pure imbibito constituuntur, redditur difficilior. Ex illa etiam puris in pulmonem, & bronchia transmissione sputū purulentum exoritur, quod etiā factum empyema significat, non semper tamē puris excretio fit propter illius crassitiē, ob quā ad brōchia peruenire non potest.

Diuturniorem verò ac confirmatum affectum significant febris lenta continuò infestans quæ partim putrida, partim hectica videtur, interdiù mitior, noctu verò vehementior, sudores multi, noctu præsertim aduenientes tussis frequens, & molesta. Temporis verò processu maxillæ ruborem contrahunt oculi concaui redduntur, vngues incuruantur, pedes intumescunt, & pustulæ circa pectus erumpunt, acrfore puris parte ad extremum vsque cutem penetrante.

Latus affectum distinguitur ex ijs quę habētur apud *Hippocr.* 2. *Prognost. text.* 21. *Si empyema* (inquit) *in altera tantùm parte existat, hos conuertere, ac discere oportet, doleant ne in altero latere, & an alterum altero calidius sit: atque cubantem supra sanum latus interrogare, an videatur sibi onus aliquod de super suspendi. Si enim ita est in quocumque latere pondus sit, in altero suppuratio existit. Quemadmodum si vtrinque calor, & pondus sentiatur, in tota thoracis cauitate pus continetur.* Addit Auicennas etiam coniecturam, quam deprompsit ex *Hip.* 2. *de morbis*. Applicetur (inquit) *linteum thoraci madefactum, secundum vtramque partem dextram, & sinistram, citiùs enim exsiccabitur illud quod suprà partem pus con-*

tinentem appositum est. Aliud denique signum ab experientia nostra desumptum proponere liceat, quòd ab authoribus non fuit animaduersũ; quod nimirũ in latere affecto tumor vt plurimùm œdematosus appareat, extenuiore materiæ collectæ portione, in thoracis musculos resudante. Et quando in suspicione empyematis huiusmodi tumor, aut cutis inflatio in alterutro latere apparet, certò pronuntiare licet, empyema intus latitare, & apertionem lateris tutò fieri posse.

Signa prognostica præcipua proponũtur ab Hipp. insigni contextu, qui habetur 2. *Progn. text. 63*: his verbis. *Suppuratorum ij potissimùm supersunt, quos febris eadem die dimiserit post ruptionem, ac cibum citius appetunt, & siti liberati sunt, & venter exigua, ac consistentia deijcit: & pus album, læue, concolorque est, & vacans pituita, & absque labore, ac valida tussi expurgatur. Itaque optimè quidem sic ac celerrimè iudicantur: sin minus, qui ad hæc proximè accedunt. Moriuntur verò ij, quos febris non deserit, aut cum videtur deserere, denuò recalescens innotescit, & sitiunt, nec cibum appetunt, aluus humida est, pus viride, liuidumque spuunt, vel pituitosum spumosumque pereunt, si hæc desint omnia. At quibus alia veniunt, alia non, horum quidam intereunt, quidam multo tempore incolumes euadunt.* His, & nos sequentia Prognostica adiungamus.

Empyici quibus ob magnam puris copiam totus thorax in respiratione attollitur, cellerimè suffocantur, ex Gal. 4. *de loc. aff. cap. 7.*

Empyema si 40. dierum spatium per sputum non repurgetur in tabem degenerat, quę mortem accersit, ex Hip. *aph.* 15. *sect.* 5.

Suppuratio, quæ vtramque thoracis partem occupat, periculosior est, quàm quæ vnicam. Item quæ sinistram occupat periculosior est quàm quæ dextram propter viciniam sinistri cordis ventriculi, qui à pure, in illa parte collecto, grauiùs afficitur.

Quicumque supurati vruntur, vel secẽntur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt. Si vero subcruentum fœculentum, ac fœtidum, pereunt. *Aph.* 44. *sect.* 7.

Si pus Empyicorum per aluum, & vrinam, validis viribus existentibus, satis copiosè expurgetur, salutem portendit. Licet rara sit puris hæc per aluum, aut vrinas euacuatio: illa tamen à Galeno, Paulo & Aetio proponitur; tum viæ, per quas fit à Galeno proponuntur. 3. *de loc. aff. cap.* 4. *& comm. Aph.* 30. *sect.* 7. in priori sic loquitur: *Hæc quæstio Erasistrati sectatores non parùm vrget, quippè qui putant solum spiritum in arterijs contineri. Nobis verò nihil difficultatis affert vtpotè intelligentibus, quod lævis arteria pulmonis quantum puris ex rupta vomica suscipit, id in sinistrum cordis sinum deferre potest, quod inde per arteriam magnam in venes fluit.* In posteriori loco dicit, materiam in pulmone contentam primùm ad ventriculos cordis peruenire, & indè vel ad arteriam magnam; vel per cauam ad gibba hepatis, deinde illinc ad caua, & ita per portas ad intestina. Ex quibus facilè patent viæ, per quas empyema per aluum, & vrinas expurgari potest. V. Seuerin.

Empyici meliùs habentes, & qui fere expurgati videntur, si sputum fœtidum excernant, cum recidiua intereunt. Hipp. *in Coacis.*

Quibus specillum à pure velut ab igne coloratur, ij ferè moriuntur, Hipp. *in Coacis.*

Pro huius affectus curatione primùm si materiæ in thorace collectæ suppuratio prohiberi nequeat, adiuuanda est cataplasmatis conuenientibus.

℞. Rhad. althææ ʒ iij. ficuum pinguium n. x. passul. mundat. ʒ. j. florum chamem. & melilot. ana P. j. Coquantur omnia perfectè, deindè contundantur, & per cribrum traiiciantur. Postea adde farinę sem. lini, fœnugr. & tritici, ana ʒ ij. ol. lilior. amygdal. butyri recentis, & terebinth. an. Vnc. j. Fiat cataplasma.

Ad concoctionem, & maturationem intùs etiam adiuuandam, apozema sequens in vsum vocari poterit.

℞. Rad. altheę, symphyti maior. ana Vnc. j. foliorum agrimoniæ, tussilag. scabiosæ, capill. ven. ana M. j. quatuor sem. frig. maior ana Vnc. j. sem. anisi ʒ j. liquir. rasi. & passul. mundat. ana Vnc. j. flor. trium cord. & chamen. ana P. j. Fiat decoctio ad ℔. j. sem. In colat. dissolue syrup. de tussilag. de liquirit. sacchari candi, ana Vnc. ij. Fiat apozema, aromatizat. pulu. rad. ireos Florent. ʒ. j. pro v. dosibus matutinis.

In eundem finem vtatur eclegmate sequenti.

℞. Pulpę ficuum pinguium Vnc. j. butyri recentis Vnc. ij. ol. amygdal. dulc. recẽnter sine igne extrecti Vnc. j. sacchari candi Vnc. ij. amyli ʒ ii. Fiat looch. capiat lambendo.

Terebinthina Veneta, aqua hordei lota, ad ʒ. iii. exhibita cum puluere liquiritiæ, multùm prodest ad maturandum, discutiendum, & detergendum.

Si denique per anacatharsim empyema solui non posse videatur, (quemadmodum vt plurimùm non fit) ad lateris apertionem veniendum est, quę fit inter quartam, & quintam costam, ab inferioribus, & nothis incipiendo, multis cautionibus adhibitis; quæ apud Chirurgiæ scriptores, & præsertim Hieronymum Fabricium ab aquapendente, libro de operationibus Chirurgicis eleganter descriptæ reperiuntur. At verò multò vtilius est, abscessum, qui pleuritidi succedit, aperire, antequàm disrumpatur, & pus in thoracis capacitatem effluat. Quod dignoscitur ex tumore, qui iuxta suppurationis locum eleuatur, aliisque signis, empyemati omni communibus. Tum verò apertio molienda est, non in parte thoracis inferiori, & inter quartam, & quintam costam, quia aperto foramine longè ab ascessu, pus nullum exiret; sed in medio tumore, admoto priùs causticо. Si verò nullus tumor appareat, difficillimum est, apertionem tentare ante abscessus ruptionem.

Si tamen eam quis aggredi voluerit eligere debet locum, in quo æger dolorem, & pondus percipit, & qui maiori calore pollet. Fieri autem debet apertio inter duas costas, suprà partem costæ superiorem, quia inferiori adiacet vena, & arteria. Quod in omni empyematis apertione obseruandum est. Dum pus, aperto thorace, per interualla educitur, vtatur æger bis in die potione vulneraria, quæ sanguinem expurget, vlcera detergat, & putredinem inhibeat.

℞. Saniculæ, bugulæ, (seu consolidæ mediæ,) scabiosæ, betonicæ, hyperici, card. benedict. pilloselłæ, pimpinellę, vincę peruincæ, agrimon. plantag. ana M. j. sem. hyperici, card. benedict. ana ʒ. sem. flor. cord. ana P. j. Coquantur in hydromel, ad ℔. i. sem. cuius capiat Vnc. vi. singulis vicibus.

Hoc eodem decocto poterunt fieri iniectiones in thoracis cauum.

Pro potu vtatur hydromel. vel aqua hordei saccharata, vel saccharata simplici.

Si aperto thorace pus debitè non fluat, sequenti emplastro eliciendum est, quod ex omnibus abscessibus potentissimè pus attrahit, & foras educit.

℞. Resinæ pini recentis, claræ, & odoratæ. ℔. ß. ol. laurini & terebinthinæ, ana ʒ i. gumoni elemi ʒ ii. Primò resina, & gummi in igne liquentur, donec simul misceantur. Posteà adde terebinthinam, & oleum omniaque simul bulliant tantillùm, & per linteũ crassius transcolentur. Massæ istius portio extendatur super alutam, & fiat emplastrum, quod mutetur semel in die tantùm hyemis tempore; bis autem in æstate. Perforetur in medio duabus, aut tribus incisuris ob longis, vt pus attractum effluat.

CAPUT V.

De Hydrope pectoris.

EMpyematis similimus est hydrops pectoris, qui fit à seroso humore, in pectoris capacitate collecto. Practicorum vulgus hunc morbum non describit, licet ab Hippocrate graphicè delineatus sit 2. *de morbis* subnomine hydropis pulmonis, in hunc modum: *Febris, & tussis teneat, & acerbatim respirat, & pedes tument, & vngues contrahuntur, & patiuntur talia; qualia is qui suppuratus est: sed debiliùs, & diuturniùs. Et si quid infundas, aut fotum, aut suffitum adhibeas, pus non sequitur. Atque ex hoc sanè cognoueris non pus, sed aquam intus esse. Et si multo tempore, aure ad latera adhibita, audire tentaueris, ebbullit intus velut acetum. Et hoc quidem aliquando patitur postea erumpit ad aluum, & statim quidem sanus esse videtur, ac morbo liberatus. Verum progressu temporis aluus incenditur, eademque illa patitur, & adhuc ampliùs. Aliqui etiam intumescunt ventre, scroto, & facie.* Hæc Hippocrates.

Hic morbus rariſſimè contingit, frequentior tamen est, quàm vulgò creditur, sed plerumque non agnoscitur. Plures illius historiæ à Schenkio collectæ sunt, ex quibus patet, eum non nisi post dissecta cadauera ex hoc morbo defunctorum innotuisse. Ideò exactè describendus est, vt Medici curantis peritiam non subterfugiat.

Serosus iste humor vel in ipso pulmone gigni potest, proprio

prio ipsius vitio ; (dum scilicet proprium alimentum non benè concoquit, sed illud in serosum humorem conuertit qui sensim ad thoracis cauitatem transmittit ur, quod etiam fieri potest versiculis hydatidibus in pulmone excitatis, ijsque disruptis, quæ ab Hippocrate recensitæ sunt *lib. de internis affectionibus*, & à quibusdam autoribus obseruatæ:) Vel aliundè in thoracem transmitti, præsertim ab hypochondrijs, quando scilicet hepar, aut lien intemperiè, schirro, aut alio graui morbo afficitur, vnde serosi humoris copia generatur, serosus ille humor vel per venas ad pulmonem natura, aut casu debilem transmittitur, vel à cauitate abdominis ad thoracem per cæca spiracula transfertur. Facilem autem esse illam serosi humoris ab vno ventre in alium transmissionem, docetur experientia, quando quidem hydrops pectoris in hydropem abdominis tandem degenerat, & vice versa humor in Asciticorum abdomine contentus in thoracem sæpissimè transfertur, vnde illi subitò, & ex improuiso suffocati pereunt.

Diagnosis huius affectus, (sicut antea dictum,) difficillima est, & omnia ferè signa enim alijs thoracis morbis communia sunt. Hoc tamen illi, & empyemati tantùm peculiare murmur scilicet aquæ fluctuantis, quod intra pectus exaudiri potest, si corpus sursùm, ac deorsum transuersimque commoueatur, vel à valido homine scapulis apprehensum agitetur.

Omnia verò signa ex Hippocr. supra recensita, collectiuè sumpta, diagnosin satis certam stabilire possunt. Quibus hoc vnicum addere licet tanquam pathognomonicum, & quo solo hydrops pectoris à ceteris difficultatis respirandi speciebus distinguitur. Quando nimirùm spirandi difficultas primo quoque somni tempore inuadit, eumque intercipit, ac per noctem magis vrget, procedente verò die sensim lenescit.

His accedit interdùm brachij alterius, vel humeri dolor, vt paralysis, quæ sit ab humore à capite in pectus delabente, cuius portio in brachium vicinum defluit; vel è sero in pectore contento, & ad brachia per venas axillares exundante, vel à refrigeratione musculorum intercostalium, à quibus ad brachia nerui deriuantur, vel alia quauis sympathia vicinię lege oborta. Hanc enim pectoris, & brachiorum sympathiam notauit Hippocr. *in coacis*, his verbis: *Si vehementer inflammentur appendentes vtrinque pulmonis partes, vt in latus incumbat, resoluuntur ea parte corporis.*

Grauissimus est affectus, & difficillimè curationem suscipit: In ijs enim, qui eo laborant, calor natiuus admodum debilis est, vireque naturales languidæ, ex graui aliquo viscerum affectu: vnde fit, vt quamvis collectus humor in thorace remedijs idoneis euacuetur, (quod tamen difficillimum est,) nouus subinde fiat nouæ materiæ affluxus; vnde morbus non solum fouetur, sed etiam deterior in dies euadit; ita vt tandem in hydropem ascitem corpus incidat multiplicata materia, & in abdominis cauitatem transfusa. In principio tamen, antequam viscera insignem læsionem susceperint, curationem interdum admittere potest.

Ad curationem huius morbi duæ indicationes ante oculos proponendæ sunt, vt scilicet materia in thoracę contenta euacuetur, & noua illius generatio impediatur.

Materia in thorace contentæ euacuatio difficilima est, quia non sunt viæ patentes, per quas duci possit. Ideò Hipp. lateris apertionem præcipit, quam tamen, quia in vsum reuocatam non vidimus, neque felicem illius successum apud vllum autorem legimus, probare absolutè non possumus. Et de ea idem dici potest, quod de paracentesi in hydrope ascite capite proprio diximus.

Satius ergo est hydragogis medicamentis humoris illius euacuationem tentare. Cui rei conferent ea omnia quæ in hydropis curatione à nobis proposita sunt. Vbi tamen diligenter obseruandum, quod, si morbo iam confirmato, & multa serosi humoris copia in thorace collecta, purgans validus exhibeatur, humores illi valdè exagitentur, vndè suffocatio ingens ægrotanti contingit, quæ illum subitò de medio tollit. Ideò cautè augendum est, & in minori dosi, atque iteratis vicibus medicamenta exibenda sunt, eaque cum potentioribus aperientibus, ac diureticis miscenda, vt simul viæ aperiantur, & serosæ materiæ portio ad vrinæ vias deducatur.

Inter hydrogoga ea, quæ ex mineralibus desumuntur, in hoc affectu maximè conueniunt, qualia sunt mercurius vitę ita correctus, vt per inferiora tantum euacuet.

Diuretica etiam sola frequenter vsurpata multum conferre possunt, quia materiam antecedentem ad thoracem confluentem auertunt, & per vrinas euacuant; tum etiam consequutione quadam ab ipso thoracæ educunt.

Sudorifica etiam ad serosam illam materiam educendam vtilissima sunt, & nos vidimus virum sexagenarium vsu decocti sudorifici ex guaiaco, & salsa parato 15. dies sudores excitando cum vapore spiritus vini, fuisse liberatum.

Ad eandem serosi humoris à thorace auersionem plurimùm conferent cauteria cruribus, aut tibijs admota.

Generatio verò illius serosæ materiæ impedietur vitia corrigendo earum partium, quæ hanc materiam suppeditant. Sic pulmone ipso laborante, illi remedia appropriata erunt vsurpanda. Si hepar, aut lien intemperie, obstructione, scirrho, aut alio quopiam vitio laboret, illorum affectuum curationes ex proprijs capitibus erunt repetendæ.

Vniuersaliter verò ea, quæ partes vitales, & naturales roborant, semper conuenire poterunt, qualia in vitium imbecillitate, hydropis, & fluxus hepatici curatione descripta sunt.

CAPUT VI.

De Hæmoptisi, seu sanguinis sputo.

Licet vulgò hæmoptysis omnem sanguinis per os excretionem significet, à quacumque parte procedat, siue à thorace, pulmone, aspera arteria, siue a faucibus, gingiuis, palato, columella, cerebro, ventriculo, hepate, & liene, propriè tamen à Galen. 1. *de crisi. cap.* 5. hæmoptysis nomen pro ea sanguinis exputitione sumitur, quæ à partibus vitalibus, thorace nimirum, pulmone, & aspera arteria procedit.

Est symptoma in excretis eorum, quæ sunt toto genere præter naturam.

Cùm autem omne symptoma pendeat à morbo, tanquam causa proxima, & immediata; huius causa erit morbus organicus, vel communis. Organicus duplex est, vasorum apertio, quæ ἀνεσωμωσις Græcis dicitur, & rarefactio διαπλάσις appellata. Communis etiam duplex est, eorundem vasorum ruptio quæ ῥῆξις nominatur, & erosio διαβρωσις appellata.

Causæ internæ istos morbos immediatè producentes sunt sanguinis quantitas, vel qualitas excedens.

Sanguinis quantitate peccans vasas rumpere, aut orificia illarum aperire potis est, atque ita fluxin, aut anastomasin efficere.

Idem verò qualitate peccans, si nimirùm calidior tenuiorque sit, per anastomosin effluere potest, quia calor orificia dilatat & tenuitas efficit, vt faciliùs effluere possit. Eædem qualitates diapedesim etiam efficiunt; calor enim rarefacit tunicas vasorum, tenuitas verò sanguinis efficit, vt per poros earum tunicarum faciliùs transfluere possit.

Sanguinis denique acrimonia venarum tunicas erodit, & exulcerat, ac diabrosin parit. Id ipsum præstare possunt humores acres, vel salsi à capite destillantes, vel aliundè ad pulmonem confluentes.

Causæ etiam externæ ad horum morborum productionem concurrunt mediatè, vel immediatè. Immediatè id præstant ictus, casus, vulnus, & alia id genus. Mediatè verò operantur quæcumque sanguinem multiplicare, calefacere, aut attenuare possunt; vt victus plenior, aut calidior, mensium, aut hæmorrhoidum suppressio, exercitatio nimia, clamor ingens, longa, in sole mora, & alia quamplurima.

Frigus etiam externum vasorum disruptionem potest adiuuare, eorum tunicas duriores, & ad extensionem difficiliores reddens. Ad hoc tamen concurrere debet motus vehemens, aut humorum abundantia.

Diagnosis huius affectus satis difficilis est ratione partis mandantis, quam tamen Gal. paucis absoluit 4. *de locis affectis c.* 6. quòd nimirùm sanguis è gula, & ventriculo excernatur vomitione, ex spiritalibus partibus tussi, ex faucibus, & gurgulione screatu ex ore simplici exputione. Quæ quidem clariori explicatione indigent. Siquidem sanguis è capite ad gurgulionis partes internas, & ad fauces affatim irruens, tussiendo educitur, sicque ab eo, quæ ex partibus spiritalibus effertur, hoc saltem signo non distinguitur.

Præterea cum sanguis è pulmone, & à thorace promanans, tussi educatur, alia signa necessaria sunt, quibus hæ partes affectæ inuicem distinguantur.

Primò igitur, à capite profluens sanguis, licet tussim interdum moueat; maior tamen illius portio screatu excernitur, & titillatio percipitur in palato, qualis ex catarrho

solet contingere: tum etiam palatum inspectum, sordidatum apparet & cruentum. Ac denique omnimodam certitudinem facit, si eodem tempore aliquid sanguinis stillet à naribus.

A pulmone prodiens sanguis ab eo, qui à thorace, distinguitur ex Gal. *loco citato*, ex eo quod à pulmone sit spumosus maiori copia, & sine dolore: à thorace verò nigricans, pauciór & cum dolore.

Obijci tamen potest, quod sanguis à thorace prodiens per pulmonem feratur, ac per consequens spumosus sit, quia cũ aere inspirato permiscetur, quemadmodum ille, qui à pulmone immediatè defertur. Et Auicenna dixit, ex thorace sanguinem spumescere. Respondendum est aliud esse nonnihil spumæ permixtum educi: aliud ex toto spumescere, quod solius substantiæ pulmonum proprium est. Ita tres spumæ gradus in concreto sanguine notari possunt. Aut enim ex toto spumans est è pulmonis carne, cuius induit similitudinem; est enim pulmo coagulata spuma: aut plurimùm spumans è pulmonis vasis; aut spumę permixtus ex thorace.

Verùm certissimum thoracis affecti iudicium desumitur ex dolore, qui fixus est, & perdurans iuxta illum locum, in quo est solutio continui.

Aduertendum verò est, sanguinem interdum ab hepate, liene, vterò alijsque partibus in pulmonem transmitti, et per sputum excerni; ita vt pectus secundariò tantum, non primariò afficiatur. Cuius rei diagnosis per quàm difficilis est. Illam tamen coniectura assequi poterimus, si nimirùm aliqua prędictarum partium dolore, inflammatione, aut aliquo alio affectu laboret, & nullum aliud in pectore vitium adfuerit, aut præcesserit.

Signa causarum ex ijs, quæ superiùs dicta sunt, elici possunt. Si enim per anastomosin venarum sanguis feratur, causæ vasorum orificia aperientes præcesserunt, & sanguis egreditur mediocri quantitate, & sine dolore. Per diapedesim verò effluens sanguis serosus est paucus, & sine dolore. Per rhixin erumpens copiosus est si plehora præcessit, vel causa aliqua externa ruptionem vasorum efficere valens.

Si denique per διάβρωσιν, seu venarum erosionem sanguis profluxerit, salse, vel acres à capite destillationes præcesserunt; Sanguis salsedinis, vel acri moniæ particeps percipitur, & male coloratus apparet, & præcesserunt causæ, humores acres generantes. In principio sanguis paucus expuitur: in progressu verò, aucta erosione, copiosior; tandemque puris sputum consequitur.

Prognosim huius affectus Hipp. generatim instituit. *Aph. 25. sect. 4. Sanguinem supernè quidem efferri, qualiscumque sit malum.* Omnis enim vasorum apertio quæ sanguinem effluere sinit, periculosa est; præcipuè in pulmones, de qua in primis audiendus est aphorismus. Fit tamen interdum, vt talis sangui nis excretio innoxiè contingat, natura motu quodam critico sanguinem superfluum per illas vias expurgante. Et obseruatum est, quasdam mulieres, suppressione mensium laborantes certis periodis sanguinem ex pulmone per illius venarum anostomosin, innoxiè excreuisse

Ratione causarum, diapedesis minùs periculosa est: anastomasis magis. Rhixis adhuc periculosior: nisi enim intra tertium, vel quartum diem consolidetur, inflammatio succedit, quæ in suppurationem versa, vlcus producit, à quo phthisis consequitur Vnde Hippocr. *aph. 15. & 16. sect. 7. A sanguinis sputo, puris sputum, à pusputo phthisis.* Diarrosis vero omnium periculosissima est: & Galenus eam incurabilem pronũtiat propter vlcus insanabile, quod illã cõsequitur.

Hęmoptoes curatio perficitur, reuellendo sanguinem à pulmone, malam illius qualitatem corrigendo, & venam apertam obturando, astringendo, & conglutinando.

Primò, igitur instituenda est venæ sectio ex brachio illius lateris, in quo grauitas, aut punctio percipitur, in pauca quantitate, & per interualla repetita ad maiorem reuulsionem.

Post sectionem venę brachij, in pede etiam aperienda est: sicque fiet reuulsio ad distantissima. Adhuc multo magis conducit, si affectus ex suppressione mensium traxerit originem.

Si ęger sit obnoxius hęmorrhoidibus, vtiliter etiam aperientur, admotis hirudinibus.

Cucurbitulę etiam scarificatę admouebuntur scapulis, & dorso: vel cucurbitulę sine ferro hypochondrijs, & inguinibus Frictiones, & ligaturæ partium extremarum celebrentur, ac præsertim cucurbitulę hypocondrijs per interualla repetantur, toto curationis decursu.

Interim iulepus sequens ab initio ter in die repetendus.

℞. Aquar. plantag. & papau. rhœad. an. ℥. ij. syrup. de rosis siccis ℥. j. salis prunellæ ʒ j. Misce, Fiat iulep.

Denique humores serosi, & bilioſi, sanguinem tenuiorem & fluidiorem efficientes, repurgandi medicamentis astringendi vi præditis, & eo nomine humores minime commouentibus, in hunc modum.

℞. Rhab. elect. ℥. j. myrob. citrin. ℥. ß. tamarind. ℥ ß. Infundantur in aqua plantag. ℥. ij. Expressione facta dissolue rhab. puluerat ʒ ß. syrup. de rosis siccis Vnc. j. Fiat potio.

Demum exhibeantur medicamenta, quæ oscula referata occludant vi emplastica, & astringente: ita tamen, ne nimia astrictione sanguinem in pectore retineant. Quin potius ea interdùm permiscentur; quæ sanguinem extrauasatum, & concretum dissoluantur.

Ex omnibus, quæ ad hanc rem maximè faciunt sequentia præstantissima sunt.

℞. Boli armenæ terræ sigillatæ, corali vtriusque, & lapid. hæmat. ana ʒ ß. sacchari rosac. ℥ ß. album oui cum aqua rosarum fortiter agitari n. j. Fiat looch, quo vtatur ex cochleari frequenter.

Vel gustu gratius, & paratu facile in hunc modum componi poterit.

℞. Liquoris albuminis oui fortiter agitati ʒ ij. sacchari rosac. ℥ i. amyli ʒ. ij. Misce, Fiat looch.

℞. Conseruæ rosar. & symphyti maior. an. ℥. j. Boli armenæ, terræ sigillatæ ana ʒ j. Cum syrup. rosar. siccar. fiat opiata, teneat in ore frequenter, & sensim deglutiat.

℞. Conseruæ rosar. siccar. ℥. ij. trochisc. de carabe, & de terra sigillata, an. ʒ sem. margar. præp. ℈ j. sacchar. rosacei ad pondus omnium. Fiat cum syrup. rof. sicc. conditum, capiat cochleat vnum, ho ra vna ante pastum.

℞. Succi portulacæ ℥ xij. sacchari Vnc. viij. Coquantur in syrupum, quo vtatur frequenter, sensim lambendo. Hic syrupus in hæmoptysi prę cęteris excellit. In portulacę defectu ex succo plantag. componi poterit.

Ad idem summè est efficax syrupus ex symphyto Fernelij à Bauderonio descriptus.

℞. Millefolij flore albo & flore luteo, ana M. ij. radic. tormentillę recentis, & cum folijs, si haberi possit; sin minus, siccę Vnc. j pimpinellę maioris M. j. conseruę rosar. rubr. ℔ ß. aquæ fontis ℔. xvj. Ponantur in olla vitreata, quę cum suo operculo diligenter lutetur, vt vapores non expirent. Coquantur postea in B. M. bullientes per horas xvj. Colatura seruetur in vase vitreo de qua capiat Vnc. vj. manè, meridiè, & vesperi.

℞. Trochis. de carabe ʒ. j. aquę plantag. & rosar. an. Vnc. j sem. syrupi myrtini, & de rosis siccis, ana Vnc. sem. Misce, fiat iulep.

℞. Spiriti vitrioli ℈ sem. aquę plantag. ℥. iv. Misce, fiat potiuncula; subito sistit sanguinem, tussi, vel vomitu reiectum.

Syrupus corallorum, ad cochlearia ij. singulis diebus exhibitus, omni sanguinis fluxui conuenientissimus est. At tinctura eiusdem cum succo limonum recenti aut spiritu panis extracta potentiùs operatur.

Quercetanus in Pharmcopœa sequentem aquam describit ad hęmoptysim quæ est magnarum virium.

℞. Rad. bistortę, symphyti maior, tormentillę, ana Vnc. j. herbar. centinod. milefolij, veronicę, pirolę, fanículæ, bursæ pastoris cum rad. ana M. j. sumitat. rubi, lentisci, ana M. sem. gran. sumach. myrtill. ana m. plantag. berberis, papaueris albi, ana ʒ. vj. florum nymphææ, cucurbitæ, cydon. rosar. rubr. ana P. ij. Contusa, & commixta omnia macerentur per quatriduum ad ignem balnei, in succor. depuratorum plantag. portulacæ, acetosæ, agrimoniæ, ana ℔. ij. Deinde fortiter exprimantur. His adde acaciæ, hypocistid. ana ℥ ij. terrę sigillatę, boli armen. veri, ana Vnc. ß. electuarii diatrag. ʒ. ii. Macerentur denuò per quatriduum, dein per cineres ad siccitatem destillentur. Huius aqua capiat ęger cochlearia duo, vel tria per se, aut cum syrupo conuenienti.

Oleum de carabe chymicè extractum potentissimè penetrat, astringit, & siccat, si guttæ duæ in potu dentur cum aqua plantag. vt docet Cæsalpinus: *in speculo artis Medicæ.*

Mercurialis *in consultationibus* valdè commendat semen papaueris albi, vel hyoscyami albi, singulo mane; si eius capiat ęger ʒ i. plus minùs, cum sacchar. rosac. syrup. de portulaca mixtum. Sic etiam diacodium album, in cura phrenitidis descriptum, vtiliter vsurpari poterit.

Amatus

Amatus Lusitanus succum vrticæ mirè prædicat his verbis. *Qui sanguinem ex pectore reiectarunt, & à Medicis tãquam deplorati sunt habiti, solo vrticæ succo conualerunt. Post multa autem machinata remedia, nullum ita contulit, vt sanguis cohiberetur, ac vrticæ succus, quem ad 5. v. 6. dies ebiberunt, singulis scilicet diebus quatuor vncias ieiuno stomacho. Imò, & ipsam vrticam concoctam iure pulli, aut veruecis sæpè comedebant.*

Sanguis draconis omnem venarum apertionem internam mirè conglutinat, ad ʒ ß. cum aqua plantag. aut alio liquore conuenienti exhibitus, vel cũ alijs medicamentis permixtus.

Pilulę sublinguales vsitatissimę sunt, & in sequentem modum componi possunt.

℞. Mucag. gum. arab. & tragac. extract. cum aqua plantag. ʒ ij mumiæ, mastiches, ana ʒ j. sacchari rosati q. s. Fiant pilulæ sublinguales, quarum vnam teneat in ore perpetuo.

In iusculis etiam puluis sequens permisceri poterit.

℞. Coralli rubri margarit. præparat. ana ʒ ß. gummi arabici, tragacanth. ana ʒ ij. Fiat puluis.

Uel in iusculis semina papaueris albi, & sumach, in panno lineo ligata, decoquantur.

Narcotica in hoc affectu multùm præstant, eaque in hunc modum vsurpanda sunt.

℞. Syrup. de papau. iuiub. & de rosis siccis, ana ʒ j. Capiat cochlear. j. hora somni. Vel

℞. Syrup. de papau. & de portulaca, ana ʒ ij. terræ sigillatæ ʒ ß. aquæ portulacæ, & plantag ana ʒ j. ß. Fiat potio, detur hora somni. Vel

℞. Syrup. myrtini, & de papau. ana ʒ i. boli armenæ ʒ ß. Misce, vtatur noctu ex cochleari.

Vel etiam interdum theriaca recens quatuor mensium, vt docet Gal. 5. *meth. cap.* 13. philonium romanum, aut laudanum opiatum, sed cautè vsurpari poterunt.

Refert Platerus, se hæmoptoicum curasse sola exhibitione trochiscorum alKekengi cum opio in lacte caprino dissolut. per aliquot noctes. Idem mulierem simili affectu laborantem curauit purgatione, ex mannę ʒ i. ß. cum iusculo, venæ sectione, & vsu sequentium tabellarum per multos dies manè, & serò continuato.

℞. Semin. hyoscyam albi subtilissimè puluerati ℈ ii. coralli rubri ʒ ß. gummi arabici ℈ i. violas recentes n. x. succi berberis ʒ ii. sacchari in aqua rosar. & plantag. dissoluti ʒ ii. Fiant tabellæ.

Trallianus *lib. 7. cap.* 1. mirum in modum commendat lapidem hæmatitem, quo dicit se multos hæmoptoicos curasse, exhibendo ad ℈ iv. cum succo mali punici, aut polygoni ijs, qui copiosum sanguinem spuebant. In quibus verò sanguis non copiosè euacuabatur, cum aqua pura tepida. At læuigandum esse curiosè monet vt sit aereus, & vento persimilis, tum frequenter exhibendum, vt commodiùs distribuatur; & in vino etiam infusum exhibet ad præcuationem.

Antonius Ualerius *exercitat. ad c.* 27. *lib.* 1. *Hollerij de morbis internis* refert, quendam hæmoptoicum, qui alternis temporibus multum sanguinis reiecerat, neque vllis remediis sanescere potuerat, vsu sequentis puluer is à Iulio Scaligero sibi præscripti, breui conualuisse.

℞. Spodii rosar. rubr. boli armenæ, terræ sigillatæ, lapid. hæmat. ana ʒ ß. coralli rubri. carabes, margarit. nõ perforat. ana ʒ ii. ß. gummi arabic. tragacanthi, ana ʒ ii. seminis portulacæ, maluæ, arnoglossæ, sem. rosar rubr. cornu cerui vsti amyli torrefacti; ana ʒ iii. Fiat puluis tenuiss. Dos. ʒ iii. cum aqua pluuiali. Hunc puluerem Scaliger. mutuatus fuerat à Serapione, qui cum tradit. *c. de sputo sanguinis* tanquam remedium expertum; quem etiam valdè laudat Ualescus. Ex eo etiam possunt fieri tabellæ, cum saccharo in aqua plantag. & rosar. dissoluto.

Ad hunc puluerem quadantenus accedit, sed paratu facilius electuarium Hælidei ad hæmoptisin, in Germania olim celeberrimum, & à Gesnero, Erasto, & Cratone commendatum, quod sic habet.

℞. Semin. hyoscyami, & papau. albi ana ʒ x. terræ sigillatæ coralli rubri ana ʒ v. sacchari rosati antiquissimi q. s. Fiat, cum syr. ros. sicc. electuarium, cuius dosis ʒ i. mane, & serò, præmissis vniuersalibus.

Quia verò astringentium vsu sputum supprimitur, & difficultas spirandi exoritur per interualla recurrendum est ad ea, quæ pectus leniunt, & nihilominùs sanguinis sputum cohibent. Qualia sunt ea, quæ cõponuntur ex gummi arabico, tragacantho, amylo, & syrupis de rosis siccis, cydonior. myrtill. iuiubino, de succo portulacæ, aut plantaginis.

Dum astringentia remedia in vsum reuocantur, si aluus non procedat, clystere subducatur, vel purgante medicamento astrictionem aliquam relinquente.

In toto curationis decursu, si sanguinis concreti inq; thorace contenti suspicio sit, dissoluendus erit oxycrato. Quod vt Gal. docet 5. *meth.* in hoc casu ita componendum erit, vt potu sit iucundum, nec ob acetum copiosius tussim excitet: ita enim sanguinem soluit, & leuiter astringit. Huius capiat æger ʒ vj. tepidè, bis, aut ter in die, si tamen adhuc tussim moueat, saccharo dulcorandum erit. Est autem eo vtendum, cùm iam aliquo modo fluere cessat sanguis. Huic etiam rei conferunt carabæ, & mumia quę cum astrigentibus, & glutinantibus permiscenda sunt, vt in formulis nonnulli supra præstitum est.

In eodem curationis decursu, ad feruorem hepatis temperandum, epithima refrigerans hypochondrio dextro admoueatur.

℞. Aquæ rosar. plantag. & cichorij, an. ʒ iv. aceti rosac. ʒ ij. pulu. elect. trium santal. ʒ j. ß. camphoræ ℈ j. Fiat epithema applicandum tepidè regioni hepatis.

Post vsum epithematis inungatur eadem pars vnguento rosac. vel cerato santalino, addendo aceti rosac. parùm, vnctionis tempore.

Lumbi etiam. & spina dorsi illinantur oleo rosac. & nymphææ, lotis in aceto, addendo parùm camphorę, vt sanguinis in vena caua contenti feruor temperetur. Cauendum tamen est ab ijs, quæ vehementer astringunt, quia sanguinem è vena caua in pulmonem propellerent.

Plurimùm etiam ad sanguinis feruorem temperandum, eiusque fluxum cohibendum conducit, oxycrato frigido testes fouere: maximus enim est consensus inter spiritalia, & genitalia membra.

Balneum in hoc affectu conueniret ad viscerum calorem temperandum. sed quia relaxare, & venas magis referare potest, ideò illius vsus fugiendus est.

Pro potu vtatur æger syrupo myrtino, de portulaca, aut de rosis siccis, aut de saccharo rosaceo, cum aqua hordei, aut cum aqua infusionis lapid. hæmatit. vel terræ sigillatæ; aut conserua rosarum cum earum aqua permixta, vel cum aqua infusionis coriandri præparata, & acidula reddita cum spiritu vitrioli; vel cum tinctura rosarum.

Leue decoctum mille folii, pro potu ordi nario vsurpatum, ad quemcunque sanguinis fluxum cohibendum efficacissimum est.

Si acris fluxio in pulmonẽ à capite irruens causa sit huius symptomatis, præter supra dicta conuenient ea remedia, quæ pro catarrhi calidi curatione supra proposita sunt.

Sedato sanguinis fluxu, ad impediendam recidiuam, vitanda primum ea omnia, quæ humores, exagitare solent; vt vehemens exercitium, ingens calor, incandescentia, vociferatio, vina generosa, cibi præditi sale, aut aromate conditi.

Conser. rosar. vetus teneatur in ore frequenter, præsertim sub lecti ingressum.

℞. Conseruæ rosar. & rad. symphyti, ana ʒ j. trochisc. de carabe, & de terra sigillata, ana ʒ ß. coralli rubri, & margarit. præparat. ana ℈ i. sacchari rosacei ad pondus omnium. Fiat conditum, de quo capiat cochleari per interualla hora vna ante pastum.

Purgetur quater in anno, vel etiam sæpius si opus videatur, potione ex rhab. & myrobalanis supra descripta, cui addatur loco syrupi, mannæ granatæ ʒ i.

Vtiliter etiam summi potest per aliquot tempus à sedata hęmoptoe, rhab. torrefacti ℈ i. singulis diebus manè, hora vna ante pastum. Imò verò si sanguis valdè aqueus, & serosus sit, (vt plerumque in omni hæmorrhagia solet contingere,) idem rhab. non torrefactum, sed tantum puluerat um dicta dosi maximè conueniet; sic enim sanguis expurgatis paulatim serosis illius humoribus, pristinam suam crasitiem recuperare poterit. Vel poterit idem rhab. sumi ad ʒ i. semel in septimana.

Poterit etiam in vsum reuocari syrupus magistralis, ad sanguinem mundificandum, à serosis, & tenuibus ichoribus, & humoribus.

℞. Fol. Bugloss. vtriusque, fumariæ, lupul. cichorii, endiuiæ agrimon. plantag. polytrichi, ana M. i. summit. asparagi. verbenæ, euphrasium, an. M. ß. sem. cucurbitulæ melonum ana ʒ ß. semm. endiuiæ, cusc utæ, an. ʒ ii. liquirit. rasi. & passul. mundat. ana ʒ i. prunor. dulcium par. ʒ vi. sennæ mudat. ʒ iv. polypod. querni ʒ ii. agarici in panno raro ligati ʒ vi. macis

℥. flor. iij. cordial. & cicer. rubr. an. P. j. Coquantur in aqua simplici, vel verbenę ad ℔. j. ß. Incolat. dissolue succi pomor. redolent. ℥ iij. sacchari albi quartaria quinque. Fiat syrup. perfecte coctus, aromat. santalo citrino. Posteà in syrupo infunde rhab. electi contusi, & in panno raro ligati ℥ j. capiat ℥ ß. vel ℥ ij. cum iusculo bis in mense.

Cauterium affigatur tibiæ dextræ, vel sinistræ, pro vt hepatis, aut lienis affectus huic symptomati occasionem suppeditant.

Denique lactis asinini chalybeati vsus per mensem integrum ad huius affectus pręcautionem erit vtilissimus. Uel ad potentiùs hepar refrigerandum, serum caprillum chalybeatum illius loco poterit substitui.

Pro potu vtatur aqua leuiter cocta cum semine coriandri præparato, velut decocto hordei, & liquiritiæ.

CAPUT VII.

De Phthisi.

Licet phthiseos nomen generaliter omnem corporis consumptionem significet; propriè tamen, & specialiter pro ea corporis externuatione vsurpatur, quæ vlcus pulmonum sequitur.

Hæc autem corporis extenuatio prouenit à febre putrida, & lenta, quæ in hecticam degenerat. Febris verò ab vlcere pulmonis exoritur, à quo propter viciniam putridi vapores ad cor continuò exhalant, & in eo febrem accendunt. Post modùm verò calor ille febrilis à corde in totum corpus diffunditur sicque partes omnes intemperie calida, & sicce laborantes, & calorem influentem, intemperatum, ac putredinosum recipientes, alimentum commodè non concoquunt, malè nutriuntur, vnde sensim propriæ substantiæ consumptio succedit.

Febris autem illa propter longitudinem, & causæ perseuerantiam in hecticam degenerat, cui tamen non ratò putrida coniuncta est, quod ex vrinis dignoscitur, & exacerbationibus, quæ certis horis non raro contingere solent. Imo verò interdum paroxysmi febrium intermittentium in phthisicis obseruantur.

Vlceris pulmonis causa proxima, & immediata est humor acer, & erodens, qui, vel aliundè in pulmonem influit, vel in ipso pulmone generatur.

Influit in primis à cerebro pituita acris, & salsa, catarrhum serinum efficiens, qui pulmonem exulcerare facile potis est. Interdum verò pituita effluens à cerebro etiam salsedinis, & acrimoniæ expers exulcerationem pulmonis efficere potest, si nimirùm in eo diutiùs remoretur, & putredinem contrahat, à putredine autem acrimonia exoriens partem corrodit, & exulcerat.

Non semper tamen pituita, putrescens in pulmone, illum exulcerat. Si quidem videmus sæpè in catarrho pituitam putridam excerni, cum tamen pulmo nullam læsionem conceperit. Sed ad vlcerationem efficiendam duæ requiruntur conditiones, altera ex parte materiæ fluxæ, altera ex parte pulmonis. Ex parte materiæ conditio necessaria est, vt illa tamen habebat dispositionem, ac temperiem, quæ per putredinem acquirat insignem acrimoniam, quæ exulcerationem efficere valeat. Ex parte verò pulmonis concurrere solet mollis præter modum tenella, ac corruptioni parata illius substantia, quæ vno verbo vitiosa pulmonis constitutio vocatur; ab ortu, & semine parentum vt plurimùm contracta, de qua paulò inferiùs agetur.

A vicinis etiam partibus humores, pulmones exulcerantes, & putrefacientes, solent influere, vt pleura, mediastino, diaphragmate aspera arteria, & in primis ex earum partium inflammationes suppurata; quæ in Empyema conuertitur: de quo Hipp. *Aph. 15. sect. 5. Qui ex pleuritide empyici fiunt, si à ruptione empyematis intra dies 40. repurgentur, liberantur; alioqui transeunt in tabem.*

In ipso pulmone generantur, quando è vase illius, rupto, vel eroso, aut ex vulnere aperto sanguis effusus putrescit, aut à variolis vlcus in eo relinquitur.

Interdùm verò ex ipso pulmonis vitio praui humores generantur, qui illius substantiam corrumpunt, & phthisin efficiunt. Tale autem vitium, seu vitiosa pulmonis constitutio plerumque à primo ortu contrahitur, & à semine parentum simili labe infectorum. Vnde phthisis inter morbos hæreditarios principem locum obtinet, ita vt multas familias viderimus, ineuitabili fato, huius morbi malitia è medio sublatas.

Hæc autem vitiosa pulmonum constitutio non in primis qualitatibus sita est; sed malignam quandam, ac venenatam qualitatem agnoscit, cuius ratione contagiosa est.

Quamuis negandum non sit, molliorem, & laxiorem pulmonum substantiam, atque adeo corruptioni magis paratam ad huius morbi generationem plurimum conferre.

Hæc autem pulmonum vitiosa constitutio efficit interdù, vt nulla præcedente destillatione, nullo pręcedente inflammatorio affectu, aut alia causa euidenti, ægri in tabem incidant, ex solo partis vitio proprium alimẽtũ corrũpẽte.

A tuberculo etiam in pulmone genito suppurato, & disrupto, phthisis interdùm generari solet. Est autem tubertulum pulmonis, tumor exiguus in quadam illius particula.

Duplex illius genus ab Hipp. constituitur 1. de morbis, quorum vnum crudum turberculum, ab eo nominatur, quod nunquam ad suppurationem venit, sed sensim increscens spiritus vias præcludit, & tandem ægrotantem interimit.

Alterum est, quod ad suppurationem venit, & vomica pulmonis nominatur. Fit autem dupliciter, per fluxionem, vel congestionem; & materia collecta, vel incystide concluditur, vel sine vesicula in ipsa partis substantia. Uesiculæ illius densitas sæpè facit, vt huiusmodi vomica per multos annos in pulmone destetur, nullis signis indicata, & nulla alia corpori noxa communicata, vnde Hip. *Aph. 41. sect. 6. Quibus suppuratio in corpore existens non innotescit, iis ob crassitudinem puris, aut loci non innotescit.* Ita vt multi, omnia corporis munia rite exercentes, rupta de repentè vomica, è medio sublati sint, quorum exempla aliquot proponuntur à Fernelio *lib. 5. de part. morb. & sympt.* 10. è quorum numero fuerunt duo M. dici, qui nullis signis impedens periculum prænidere potuerunt.

Si pus è rupta vomica effluens in cordis ventriculos feratur ægri subitò intereunt: si verò ad bronchia transmittatur, per anacatharsin expurgari potest, si corpus sit validum, & materiæ quantitas exigua, vt plurimùm tamen, relicto vlcere in pulmone, phthisis indè exoritur.

Causæ etiam externæ ad huius affectus generationem concurrere possunt: inter quas principem locum obtinet contagium; hic enim morbus est valdè contagiosus, ita vt videamus, vt plurimùm vxores, maritis phthisicis assiduò inseruientes, eodem affectu corripi, & vice versa. Sic etiam liberi eiusdem familiæ ex eodem affectu sigillatim intereunt, non solùm propter impressam labem à semine parentum, sed etiam propter frequentationem illius, qui primus hoc affectu actu laborauit.

Inter cõsanguineos enim faciliùs, & prõptiùs cõmunicatur huiusmodi contagium: vt tutum non sit fratribus, aut sororibus fratris, aut sororis, phthisi laborantis cubiculum ingredi. Siquidem μίασματα illa, quæ à phthisicorum pulmonibus exhalant, & cubiculi totius aerẽ inficiunt, ab alijs, (præcipuè dispositionem aliquam ad hunc morbũ habentibus,) in pulmonẽ attracta similem in eo dispositionem generant.

Aliæ verò causæ externæ sunt, primò aer impensè calidus, aut frigidus; calidus enim humores acres in capite contentos fundit, & liquat, & in pulmonem præcipitat. Frigus constringendo, & comprimendo eiusdem humoris defluxum promouet. Sed maximè noxius est aer in primis autumnalis, qui inæqualitate frigoris, & caloris aeres, & falsas destillationes concitat, vnde apud Hipp. *Aph. 10. sect. 3. Autumnus tabidis malus.* Secundò ad phthisim producendam maximè conferunt cibi potusque acres, & salsi, & qui caput vaporibus huiusmodi replent, ac denique omnes aliæ causæ tum internæ, tum externæ, quæ hæmoptoem inducere solent, cum ea plerumque in phthisin degeneret.

Inter causas antecedentes præcipuè recensentur humores vitiosi, in toto corpore collecti, qui vbi à causis externis commouentur, ad cerebrum transmittuntur, & indè in pulmonem confluunt. Huc pertinet mensium, hæmorrhoidum, aut alteriùs euacuationis consuetæ suppressio, quæ materiam catarrhis, & fluxionibus suppeditat.

Prædictæ causæ hunc affectum inducunt præcipuè in dispositis, qui φθινώδεις & πτερυγώδεις ab Hipp. (*II. Prorrh. XII. III. Epid. III.* 142.) nominantur, qui habent pectus angustum, & depressum, collum oblongum, & scapulas alatas, quibus si pulmonis mollities, & hæreditaria dispositio accedat; ineuitabili fato eos, ex hoc modo concidere, necessarium est. Sunt etiam ad phthisin dispositi, qui caput habent debile, quòd facilè superfluit humoribus impletur eosque ad spiritus organa demittit.

Ueræ,

Veræ, & propriæ dictæ phthiseos differentiæ aliæ non sunt, quam, quæ à causarum varietate desumuntur. Hippocr. tamen plures tabis species proponit notatu dignissimas, quæ non ad veram phthisin, sed ad tabem generaliter sumptam reduci debent, & sine pulmonis exulceratione contingunt. Ac primùm *lib. 6. epid. sect. 8. text. 47.* tabem ex gonorrhœa proponit historia sequenti. *Satyrus in Thaso, cognomento Grypalopex, cum esset annorum circiter viginti quinque, semen per somnum effundit sæpè, & interdiu quoque sæpè ipsi prodibat: cum autem ad trigesimum perueniisset, tabidus fiebat, & mortuus est.* Ex continua autem, & superflua seminis profusione corporis alimentum subripitur, vnde partes solidæ absumuntur, & exsiccantur ac tandem in tabem incidunt.

Alia tabis species proponitur ab Hippocr. 2. *de morbis*, tabes dorsalis appellata; quæ fit ex nimia venere, corporis habitum vniuersum absumente, solidisque partibus alimentum subripiente. Hæc recenter sponsis, effrenatæ libidini deditis, solet contingere, & est præcipua tabis dorsalis species: quatuor enim illius species in Hippocr. scriptis reperiuntur. Prima est iam descripta ex immodica venere oriunda. Secunda describitur lib. 2. *de internis affectionibus text.* 13. pendens nimia sanguinis, & nutrimenti copia in medullam spinalem irruente, ex qua calor eius innatus, ac facultates omnes obruuntur, ac suffocantur. A sanguinis autem copia emaciari corpus docuit Hippocr. 5. *Epid. in historia viri in Oeneade*, qui cùm abalimentis non reficeretur, sed in dies magis contabesceret, vena secta in vtraque manu, sanguineque extracto quousque exanguis redderetur, hoc solo remedio perfectè liberatus est, cùm omnia in casum antea tentata fuissent. Tertia species loco citato proposita est quando spinalis medulla resiccatur, & inde totum corpus aresci, & contabescit.

Huius autem exsiccationis causę in Hippocratis doctrina duæ inueniuntur. Vna est obstructio venarum, quæ ad spinam tendunt, quarum humore nutritur, eoque deficiente, resiccatur. Altera est bilis influxus à capite in spinam, quem Hipp. *lib. de locis in homine proponit.*

Quarta describitur *in libro de locis in homine*, quæ fit ex distillatione in medullam spinalem irruente, his verbis: *Porro cum retro in spinã fluxio processerit tabes fit huiusmodi: lumbos dolet, & interiores capitis partes vacuæ videntur ipsi esse.* In eodem etiam *libro numer.* 18. hęc habentur. *Cùm verò in medullam fluxio contigerit, tabes occulta, ac in conspicua exoritur.* Occultam eam dixit, quoniam hinc languescente corpore morbi causa non ita facilè patet. In conspicuam autem, quia nec distillationis, nec tabis nocumenta destillatione in medula spinali firmata, & non vltrà progrediente, sensibus clarè deprehenduntur. Desinit tamen esse occulta, & conspicua, si fluxio non in sola spinali medulla firmetur, sed vltra progrediens in os sacrum, & coxendicem irruat. Tum enim euidentior apparet destillatio, & dolores, ac motus impedimenta cum summa animi demissione prodeunt.

Hæc ab eodem Hippocrate clariùs explicantur *lib. de glandulis numero* 10. his verbis: *Alius morbus oritur ex defluxione capitis per venas in spinalem medullam: inde autem in os sacrum impetum facit, quò medulla ipsa fluxionẽ producit, & in coxendicũ acetabula siue iuncturas deponit & si tabem fecerit, homo marcescit, atque hoc modo contabescit, & viuere non expetit. Statim enim scapulæ dolent amboque pedes, ac crura consequuntur, & semper tandem pereunt, multo tẽpore curati: sic defloreſcit homo, ac moritur.* Hęc tabis species à Medicis obseruãda est quia aliquando in praxi occurrit, & ijs præcipuè contingit, quibus nerui languidi, & tabefacti huiusmodi fluxiones facilè recipiunt.

Ad tabis species etiam referri potest tabes ex inedia, & fame cuius mentionem facit. Gal. *lib. de Marasmo*, cum deficiente nutrimento, corpus absumitur, & contabescit. Deficit autem nutrimentum in solidis partibus, non solùm ob ciborum penuriam, quos ventriculus concoquit, & ad hepar generando sanguini tonus corporis alimento transmittit; sed etiam quando chylus in ventriculo sufficienter concoctus, venas mesaraicas peruadere non potest propter graues earum obstructiones; vt in strumis laborantibus sæpissimè contingit, quorum mesenterium vt plurimum glandulis refertum est, à quibus venæ lacteæ comprimuntur, vnde totum corpus contabescit, & illi tabidi moriuntur.

Priuantur etiam partes solidæ necessario alimento, quâdo sanguis salsuginosus, & parùm nutritioni idoneus in venis congeritur, qui nisi per epicrasim curentur, vt docuit Gal. 5. *meth.* omninò insanabiles sunt & ineuitabiliter tæpidi euadent. Ac denique Gal. *lib. de Marasmo decimo methodi*, & alijs in locis tabem proponit ex inflammatione manifesta, vel occulta, ex syncope cardiaca, vel stomachicâ, & alias minùs frequentes, quæ dictis locis videri possunt.

Verę phthiseos signa diagnostica alia imminentem alia incipientem alia verò confirmatum affectum ostendunt. Quæ omnia graphicè describuntur ab Hippocr. 1. *de morbis.*

Imminentis phthiseos signa proponuntur ab Hipp. lib. prædicto text. 9. his verbis.

Fit autem, & suppuratus si pituita à capite in pulmonẽ destillet. Et in primùm quidem vt plurimum latenter defluit, tussimque tenuem exhibet, & sputum paulò amariùs solito, & aliquando tenuis adest calor. In hac sententia quatuor signa continentur phthisis imminentis.

Primum signum est, quod fluxio à principio latenter defluat ad pulmonem, quia tunc temporis materia destillans quantitate est pauca, quia tenuior humoris portio, quæ defluit per parietes asperæ arteriæ, non irritat pulmonem, qui alioqui à principio magis reluctatur, nondum à morbo labefactus; vnde fit, vt cum ex his minima sequatur læsio, hæc materia dicatur, latenter defluere.

Secundùm signum est, quod humor ille defluens tussim tenuem excitet: cùm enim in principio paucus sit, & tenuis leuem tantum tussim excitare debet.

Tertium signum est, quod sputum amarius solito appareat. Quia humor defluens pulmoni exulcerando idoneus, dulcedinis, acrimoniæ, vel salsedinis particeps esse necessariò debet, quę qualitates vlteriori calore, & prętternaturali alteratæ in amaram qualitatem degenerant. Notum enim est, dulcia, & salsa, dum prætermodum coquuntur, amaritudinem contrahere. Cùm autem calor ille prætternaturalis in principio non sit valdè intensus, ideò sputum leuem tantum præfefert amarorem, & subamarum tantum efficitur.

Quartum signum est quod aliquando tenuis adsit calor, id est, quandoque illis aliquæ accedunt febres leuiores tamen & non vehementes. Cum enim materia non sit cõcuicata, sed potius ex diuturna mora, & ex loci continentis calore prætternaturali aliquam concipiat putredinem; hinc febris nõ potest esse intensa. Habet enim materia putrescẽs multa spiracula, perquæ difflari potest: quare non est mirum quod à principio febres non vrgeant, & sint leuiores.

His signis ab Hipp. propositis adiungere possumus malam thoracis conformationem, & ætatem iuuenilem. Si enim illa duo cum prædictis concurrant; phthisin in procinctu esse, certò pronuntiare possumus.

Praua thoracis conformatio in ijs reperitur, qui habent thoracem angustum, & scapulas prominentes alarum modo, & in similitudinem auium, quę partem thoracis anteriorem angustam, posteriorem autem latam habent: quare, & prauitatem, & malam conformationem thoracis simul possident. Thoracis angustia penuriam caloris natiui, mala conformatio eiusdem imbecillitatem significat. Si enim calidum insitum plurimum, ac vegetum fuisset, thorax amplus, & magnus extensa ab eo validè materia, formatus fuisset. Tanta autem, & talis est hæc dispositio ad tabem, vt eam Hipp. natiuam tabem appellauerit; quòd ab intimis ortus primordijs, & naturæ principijs concepta sit. Quamobrem necessarium fere videtur ita affectos in phthisin tandem incidere, nisi ab alijs grauioribus morbis præueniantur. Notandum enim est obiter, eos, qui talem habent dispositionem, si graui aliquo, & acuto morbo corripiantur; vt plurimum interimi. Cùm enim in his calor natiuus existat paucus in quantitate, & debilis in virtute causis morbificis vehementibus facilè succumbit. Ideò cautiores Medici in huiusmodi naturis, & habitibus si graui aliquo morbo corripiantur, mortem potius, quàm salutem, aut saltem graue periculum præsagient.

Ætas verò iuuenilis in dispositis ad hunc morbum producendum maximè est idonea, quam definit Hipp. *Aph. 9 sect.* 5. à decimo octauo anno ad 35. In illa enim ętate adest maxima sanguinis copia, ruptioni venarum efficiendę idonea. Adest etiam eiusdem sanguinis tenuitas, & acrimonia apertioni, aut erosioni vasorum producendæ dispositæ. Contra verò in pueris catarrhi humido multo hebetantur; in senibus frigore torpent; cum in media ætate propter

rationes dictas, frequentiùs exulcerent. Adde quod in adolescentia, & iuuentute plurimi errores committuntur in victu, à quibus prauorum humorum copia cumulari solet, & praua qualitas massæ sanguinis induci; tum etiam ob vehementiora exercitia in cursu, lucta, saltu; armis, & insolatu, ruptio vasorum in pulmone, & ab ea phthisis excitari potest.

Incipientis phthiseos signa proponuntur ab eodem Hipp *de morbis antea citato textu* 10. his verbis: *Temporis autem progressu exasperatur pulmo, & intus vlceratur à pituita inhærente, & putrescente, & grauitatem exibet pectori, & dolorem acutum ante, & retro, caloresque acutiores in corpus incidunt, et pulmo à calore ad se trahit pituitam ex toto corpore. Et hanc putrescentem sub crassam spuit.* In hoc contextu sex signa continetur phthiseos incipientis.

Primum signum est, quod temporis progressu exasperatur pulmo: hoc est tussis vehementior, & molestior efficitur. Producente enim morbo, destillatio inualescit, ab eaque pulmo lancinatur, atque irritatur ad expulsionem rei noxiæ. Quæ quidem tussis non solum à materia fluente excitatur, sed etiam ab ea, quæ antea fluxa est. Cum enim illa sufficienter non expurgetur, diuturna mora putredinem contrahit, & prauam concipit qualitatem, à qua pulmo magis irritatur ad expulsionem, vnde tussis vehementer exoritur.

Secundum incipientis atque sientis phthiseos signum est, grauitas thoracis, quæ ex materia in pulmone congesta exoritur. Licet enim pulmo ex se parum, aut nihil sentiat, & dolorificos affectus in seipso non percipiat, quia tamen thoraci per membranas alligatur, ideò illi grauitatis sensum communicat, quando à maiore copia grauatur.

Tertium signum est, dolor acutus antè, & retro. Materia enim in pulmone contenta etiam prana qualitate, & putredine pulmonis membranas pungit, & vellicat, vnde acutus dolor exoritur; dolor enim membranis proprius pungitiuus est. Percipitur autem ille dolor antè, & retrò; quoniam hæ membranæ sterno alligantur ex parte anteriore; & dorso ex parte posteriore. Infertur etiam talis dolor à molestissima tussi, quæ tussis ratione ingentis molestiæ & turbationis, quam infert, maligna, & ferina ab Hippocr. nominatur.

Quartum signum est, quod calores acutiores in corpus incidant, hoc est, febres insignes, & vehementes superueniant. Cum enim progressu morbi maior ex diuturniori mora materiæ morbificæ putredo inducatur, maiores inde febres excitari necesse est. Quamvis enim in solo pulmone ab initio materia illa putrescat attamen ex suppuratione in thorace facta, & vlcere superinducto, putredo humoribus in venis existentibus communicatur, quibus putrescentibus, varia putridarum febrium genera exoriuntur. Et hæ febres de putridarum genere sunt toto genere diuersæ à febricula illa, quæ ab vlcere pulmonis excitatur ex putridis vaporibus, ab eo in cor translatis: quæ febricula tẽporis progressu in hecticam degenerat, & ideò in phthisicis complicatio febris hecticæ cum putrida plerumque annotatur.

Quintum signum est, quod magna pituitæ copia descendat à cerebro in pulmonem quod indicauit Hipp. causam referens magni illius defluxus, quoniam scilicet pulmo à calore ad se trahit pituitam ex toto corpore. Hinc patet humores in toto corpore contentos fieri materiam fluxionis continuæ, & copiosæ, quæ phthisicos infestat. Pulmo ex putredine concepta caliditatem contrahit, cuius ministerio pituitam attrahit è cerebro, cerebrum verò ex toto corpore; & hæc est vna ex præcipuis extenuationis, & consumptionis totius corporis causis. Humores enim omnes tum praui, tum laudabiles ad illas partes deferuntur, sicque totum corpus exhauritur.

Sextum signum est, quod æger pituitam putrescentem subcrassam expuat; quandoquidem materia fluxa iam putredinem concipit, & superueniente vlcere, necessario pus ex eo excernitur, & ideò purulentum sputum screatur. Est autem pituita subcrassa, id est, inter crassam, & tenuem mediocris, quia, cum ex mora, quam facit in pulmone, crassitiem acquisierit; admixtione saniei, quæ ex vlcere pulmonis exudat tenuior efficitur; atque adeo mediocrem quandam crassitiem acquirit, cuius ratione subcrassa ab Hippocr. nominatur.

Prædictis signis ab Hipp. propositis hoc tanquam certissimum adiungendum est; nempè corporis extenuatio cum febre lenta, & continua. Nam præter febres putridas, suprà enumeratas, quæ per vices accedunt, & recedunt & ex humoribus in venis putrescentibus oriuntur, adest semper febris lenta, & assidua, ex vaporibus ab vlcere ad cor continuò translatis, quæ nutritionem in toto corpore corrumpit, eique calidam, siccamque intemperiem imprimit, vnde extenuatio necessariò consequitur.

His etiam adiungendi sunt sudores nocturni, quibus vt plurimùm phthisici vexari consueuerunt, simul atque somno corripiuntur. Per somnum enim calor concentratur, & pulmonis inflammatio augetur, eo calore autem intùs augescente, magna fit euaporatio, quæ in cute condensatur, & in sudorem vertitur.

Addi etiam possunt rigores frequentes, nullum typum seruantes, qui ex puris acrimonia, membranas vellicante, oriuntur.

Ac denique addi potest sputi dulcedò, quæ in pure incipiente generari solet, siquidem illa est principium salsedinis.

Factæ denique ac confirmatæ phthiseos signa proponuntur ab Hipp. *lib. prædicto, textu vndecimo*, his verbis *Quanto verò magis tempus progreditur, tantò magis pus sincerum expuit, & febres acutiores fiunt, & tussis frequens, ac fortis, & inedia vexat, & tamen aluus inferne turbatur. Turbatur autem à pituita pituita verò de capite descendit. Hìc cum ad hoc peruenerit perit.* His dictis quinque signa confirmatæ phthiseos continentur.

Primum signum est, quòd sputum reddatur magis purulentum, imò pus sincerum expuatur.

Secundùm signum est, quòd febres fiant vehementiores, & acutiores; putredine semper vkeriùs procedente, & vlcere magis sanioso, ac purulento reddito.

Tertium signum est tussis frequens, ac fortis, id est, frequentior, ac fortior quam antea fuerat. Frequentior quidem, quoniam plurima est irritatio, pauca verò expurgatio; vnde natura iteratis vicibus perficere conatur, quod vnica non potest. Fortior autem est tussis, non solum, quia maior puris acrimonia facultatem expultricem acriùs stimulat, sed etiam, qu ia emaciatis solidis partibus, thorax quoad cauitatem amplior factus est, vnde fit tussis quædam rauca, & resonans, vt in illis rebus contingit, quæ excauo, & recondito loco resonant.

Quartum signum est inedia, seu inappetentia, quæ ægrotantes vexat, & maiorem corporis extenuationem inducit. Fit autem illa inappetentia ex eo quod distillatio à capite defluens non solùm ad spiritualia membra descendat, sed etiam naturalibus partibus communicetur, ventriculo præsertim, cuius orificium, inde labefacta, tum, functionem propriam, nimirùm appetentiam amittit. Adde, quod ex putridis exhalationibus, quæ partim ratione febrium putridarum, partim ratione putridę pulmonum affectionis, ori ventriculi communicantur, appetitricis facultatis robur destruatur.

Quintùm, & vltimùm signum est alui fluxus, qui à pituita ex capite defluente producitur, vnde successiu temporis ventriculus, & intestina labefactantur, ac facultas retentrix debilitatur, hincque alui fluxus oritur, qui ad interitum ægrotantem deducit; vt in prognostico fusiùs dicetur.

His signis ab Hippocr. propositis adiungenda sunt alia. Primùm est, summa totius corporis extenuatio; ita vt in illo statu caro musculosa vniuersa absumpta sit, & ossa omnia se prodant sola cute contecta. Hinc vngues incuruantur, absumpta carne, quæ in summis digitis existebat, vngueſque fulciebat.

His etiam addenda est respiratio difficilis, tum quia facultas est debilis, tum quia bronchia pulmonis à materia putrida, & purulenta obstruuntur, tum quod ipsum viscus maiori parte consumptum, & putrefactum, aerem sufficientem non trahat ad cordis refrigerium, ita vt, quod vnica respiratio præstare non potest, pluribus, atque iteratis perficere contingit.

Ac denique addendum est, quod in phthisi confirmata, & ad interitum vergente capilli defluant, malæ liuescant, nisi quod post cibum, eleuatis sursum vaporibus, rubescant, pediculi magna copia generentur, & pedes intumescant.

Neque tamen in eo statu tanta signorum speculatione opus est. Si quis enim, vel plebeius (inquit Aretæus) homi-

nem

nem viderit pallentem, imbecillem, tussientem, macie confectum, hunc vera phthoe laborare, pronuntiat.

Aduertendum tamen est diligenter, quod in praxi maximi est momẽti, catharrum contumacem in pulmonem defluentem sæpè veram phthisin ementiri; si quidem pituita putrida putris æmula per tussim excernitur, hinc ex putredine fiunt febres, ac corporis extenuatio consequitur: attamen ita affecti, diligenti curatione adhibita, facilè liberantur. Ideò attentè distinguendus est hic affectus à vera phthisi; quod fit præcipuè distinctione pituitæ putride à verò pure: quæ distinctio his præcipuè signis perficitur, quod videlicet pus coloris, est cineritij, & minùs album, quàm pituita, & interdum varij coloris, & in aquam tepidam proiectum fundum petit, in eaque dissoluitur. Pituitæ verò aquæ innatat, & propter visciditatem cohæret, ac minimè dissoluitur: si vero sputi portio dissoluatur, alia verò minimè, tale sputum fit ex pure cum pituita mixto, quod vt plurimùm in phthisicis contingit.

Quod ad prognosin attinet; recentis vlceris pulmonis sanatio difficillima est, inueterati omninò impossibilis: quia vlcus continuo pulmonis motu, & tussi magis laceratur, tantùm abest, vt coalescere valeat. Tùm medicamentorum vis longo tractu ferè exolescit, & deperdita pulmonum substantia nulla arte resarciri potest. Adde, quod vlcus, sputum, febris, & macies contraria remedia exposcunt. Illa enim, quæ vlcus exsiccant, sputum impediunt, febrem augent, & maciem; humectantia verò, quæ febri, & maciei obsistunt, vlcus sordidius efficiunt. Interdum tamen quibusdam vlcus sanatum videtur, cruſtra superinducta, quæ tamen leui occasione decidens, morbum renouat, ægrumque ad priorem statum reducit.

Phthisis, quæ ab vlcere paruo, & non diuturno prouenit, licet curatu difficillima sit, non est tamen omninò incurabilis, si curatio idonea maturè adhibeatur. Et non Pauca curatorum phthicorum exempla apud obseruationum collectores reperiuntur. Spem autem aliquam curationis præbere possunt vires robustæ, sputum album, æquale vnius coloris, & quod facilè expectoratur. Si humor à capite defluens ad nares conuertatur, indeque febris remittat; si appetitus vigeat, sitis absit, aluusque quotidie compacta, & assumptis conuenientia deponat; Si æger bono habitu præditus sit, in ætate puerili, aut pectus habeat amplum, & hirsutum.

Quibus phthisicis sputum grauiter olet, aut alui fluxus superuenit, aut sputũ supprimitur, aut facies Hippocratica apparet, mors in propinquo est, docente Hipp. 1. *prognost. & Aph.* 11. & 12. *sect.* 5. & *Aph.* 16. *sect.* 7.

Phthisis acuto morbo superueniens, breui interimit. Ab alijs, verò causis genita, chronica interdum euadit, & ad multos annos perseuerat. Refertque Auicenna, se mulierem phthisicam vidisse, quę per 23. annos vixerit. Et Matthæus de Gradibus dicit, aliam mulierem phthisicam, quę circa furnum, & ignem quotidie occupabatur, plus viginti octo annis vixisse.

Curatio huius affectus, vt antea dictum est, plurimùm impossibilis est. Si nimirum affectus altiores egerit radices: quia tamen incipiens affectus interdum curari potest, & multò faciliùs imminens; in ijs scilicet, qui ex dispositione hęreditaria in phthisin incidere procliues sunt, nondum tamẽ in eam inciderunt: ideò prophylactica curatio priùs proponenda est, postea verò affectus iam geniti cura erit instituenda.

Ad corrigendam igitur prauam illam in tabem propẽsionem conueniunt victus refrigerans, & humectans, & ea omnia, quę sanguinẽ corrigere, eumque mitem ac blandũ reddere possunt, omnemque illius acrimoniam, & salsedinem corrigere: qualia sunt aquarum dulcium balnea, lactis vsus, & cibaria similis naturę. Tum etiam decoctũ radicis chinę in potu ordinario exhibitum, Sed multo efficacius erit decoctum santalorum, quod nõ solùm in curatione tabis instantis, vel incipientis; sed etiam in distillationibus salsis, præcipuè autem tenuibus, in diuturnis sanguinis fluxibus, ab illius ardore productis, miranda præstat; & sit simili omninò ratione, quo guaiaci decoctum componi solet, idque vel in aquis stillatitijs, modo addita portione vini, vel albi, vel rubri; pro ratione affectus. Paratur autem decoctum santalorum, vt guaiaci decoctum; cum primarium, tum secundarium, & eodem modo exhibetur. His addenda est mutatio aeris, quæ ad imminentis affectus præcautionem, & incipientis purationem plurimũ potest.

Ac denique illa conuenient remedia, quæ in morbi iã facti curatione primo loco vsurpanda proponere aggredimur.

Tota igitur iam factæ, & confirmatæ phthiseos curatio versatur in vlceris absterſione, & conglutinatione, causarum producentium, vel fouentium ablatione, febris lentæ, & hecticæ oppugnatione, ac consumptionis restauratione.

Primò igitur, quia cacochymia redundãs in corpore vlcus pulmonis fouere, & augere solet, blandis purgantibus auferenda est, per interualla repetitis, quam diu corpus non est valdè consumptum. Eæque purgationes componantur ex rhab. manna, cassia, aut syrup. rosac. in hunc modum.

℞. Hordei integri P. B. liquirit. rasę, & passul. mundat. an, ʒiij. iuiubar. par. ij. flor. bugloss. & violar. an. P. semis. Coquantur in aqua simpl. vel destillata conuenienti v. gr. scabiosæ, aut veronicæ ad ℥iij. In colat. dissolue rhab. in aqua scabios. cum santulo citrino in fusi ℈ iv. mannæ ʒ. j. syrup. rosac ʒ semis. Fiat potio.

Vel mannæ ʒij. cum iusculo pulli, aut communi exhiberi poterunt.

Vel parari potest bolus ex cassiæ ʒ. j. cum puluer. liquirit. scrup. j.

In principio phthiseos valentiora etiam purgantia vsurpari possunt, ad catarrhum acrem, & salsum præcipuam vlceris causam, potentiùs reuellendum qualia in catarrho calido proposita sunt.

In eodem etiam phthiseos principio, antequam corpus sit emaciatum, conuenit venæ sectio ad febrem temperandam, & humoris acrimoniam demulcendam.

Ab ipso etiam curationis initio catarrhus, si affectum istum foueat, sistendus, & à pectore auertendus est: alioqui frustrà cæteris remedijs pugnatur. Huic autem negocio conferunt ea omnia, quæ in catarrhi calidi curatione proposita sunt.

Ac præter illa remedia setaceum, ceruici admotum summè est efficax. Refertque Fabrius Hildanus, se nonnullos phthisicos hoc præcipuè remedio curasse.

Tandem ad vlceris ipsius curationem veniẽdum est. Cui vsui maximè conferunt, quę abstergunt, consolidant, & expectorant. Ad hanc rem infinita vsurpari solent medicamenta. Efficacissima verò sunt, quæ sequuntur.

Lac omnes intentiones ad phthisicorum curationẽ propositas adimplet. Abstergit serosa sua parte, conglutinat caseosa, corpus nutrit, & reficit butyrosa. Cum autem varia sint lactis genera, omnibus præferẽdum est muliebre, vtpotè naturæ nostræ magis familiare, vtiliusque erit, si ex ipso vbere sugatur. Huius vsu se aliquot restitutos vidisse testatur Platerus: ex ijsque vnum non solùm conualuisse, sed etiam tantas vires recepisse, vt ne lac sibi posterum deficeret, nutricem de nouo impregnarit.

At quia multi ab eo lacte abhorrent, vsitatius est asininũ. Quod quia valdè serosum est, facilè venas penetrat, & vlcus optimè detergit. Huic verò succedit caprillum. Asina nutriatur solijs plantag. rubi. vitis polygoni, gramine, hordeo, & secali. Lac autem recẽtissime mulctum, & adhuc calens hauriatur. Idcirco inducta propè cubiculum asina in vas calefactum mulgeatur. Assumatur primum in parua quãtitate ad ℥iij. vel iv. vt ventriculus illi assueſcat, quantitatem illius sẽsim augendo, vsque ad ʒ. viij. x. & ℔. j. Ne verò acescat, aut coaguletur in ventriculo, vtque pulmoni magis fiat amicum, saccharum rosaceum ei permisceatur, ea proportione, vt ad lactis ʒ. viij. sit sacchari. ʒ. j. Post assumptũ lac non dormiat æger sed leui deambulatione per cubiculum se exerceat. Non prandeat, donec lac bene coctum à vẽtriculo secesserit, & æger fame prouocetur ad cibum. Ut denique hoc commodè vsurpari possit, non debet adesse magna febris aut dolor capitis, aut hypochondriorum tumor, aut biliosus alui fluxus iuxta *Aph* 64. *sect.* 5.

Vulgò sumitur lac semel tãtùm in die, sed melius est bis in die sumere. Et adhuc melius, si æger solo lacte nutriatur. Nam præterquam quod, in maiori copia sumptum maiores exerit effectus magnum vitatur incommodũ, quod ex iusculis & carnibus cum lacte permixtis exoritur, facilè enim putrescunt. Si ergo in morbo desperato curatio tentanda sit, exhibeatur lac præmissa purgatione, sexta quaque hora addita manu Christi perlata, & corollata. Et ne vires deficiant, per interualla potionibus lactis intermedia, capiat distillatum restaurans, & continuetur hęc methodos, donec vires refici videantur.

Sac-

Saccharum rosatum phthisicis vtilissimum est, tum etiam conserua rosar. Cuius vsu refert Auicenna, quandam mulierem phthisicam & desperatam, ita curatam fuisse, vt non solum sana, sed etiam pinguis redderetur.

Eadem testatur Mesue multos fuisse restitutos, præscripsitque, vt conserua rosar. recens sit, non excedens vnum annum, magna quantitate, & frequenter assumatur, cũ medicamentis, cibis, & potibus tum etiam per se omni hora. Prius tamen mundificantia vsurpentur, quia materiam purulentam, & excrementitiam in pulmone retinet.

Quoties verò contingit restringi anhelitum, aut sputum supprimi, expectorantia vt syrup. de hyssopo, de tussilag. eclegmata, & similia vsurpentur.

Si denique contingat calefactio propter desiccationem, detur syrup. violac. iuiubinus, mucilago seminis psyllij, cydoniorum, & similia.

Saccharo rosac. se quosdam vidisse curatos, testantur Montanus, Valeriola, & Forestus, quo ægri in maxima quantitate vtebantur. Quidam Pharmacopœus phthisicus, nobis notus, ingentem facchari rosacei quantitatem sibi ipsi præparabat, idque perpetuò, comedebat, & hoc solo remedio sanatus est.

Phthisicis etiam maximè confert infusum ex mille for. torment. pimpinell. & conserua rosar. in B. M. paratum, & in cap. de sputo sanguinis descriptum, si per xx. dies illius vsus continuetur.

Decoctum bugulæ iusculo veruecis phthisi & internis vlceribus mirè prodest, parum, & clementer ventrem laxat, contra naturam consolidarum.

Trallianus *lib. 7. cap.* 1. se multos phthisicos curasse gloriatur vsu lapidis hæmatitis. Cuius præparationem & vtẽdi modum proposuimus in curatione sputi sanguinis.

Syrupus ex succo hederæ terrestris commendatur à Quercetano, eiusque descriptio talis est.

℞. Succi hederæ terrestris. ℔ .ij. ß. Digeratur, & purificetur ad ignem in B. M. Huic succo perfectè depurato addè sacchari rosar. ℔. j. penidiat. ʒ. iv. Coquantur in syrupum, quo vtatur æger ex cochleari.

Huic etiam syrupo idem Quercetanus flores sulphuris admiscet, ad consistentiam looch, de quo exhibet quater in die, eoque se multos phthisicos desperatos, & proclamatos restituisse gloriatur.

Syrupus ex florib. hyperici per infusionem præparatus in B. M. huic etiam affectui, quemadmodum omnibus vlceribus internis consolidandis conuenientissimus est.

Syrupus de symphyto optimus. Nam detergit, consolidat, & astringendo roborat, tum etiam radix symphyti, decocta in iusculo.

Hydromelite sequenti quosdam phthisicos fuisse curatos, à nonnullis asseritur.

℞. Rad. chinæ in taleola infectæ Unc. vj. rad. tussilaginis idoneo tempore collectæ Unc. iij. rad. bardanæ, & garyophyllatæ, ana Vnc. iij. rad. enulæ camp. Vnc. ij. Fol. pulmonariæ, scabiosæ, totius, veronicæ vtriusque, vlmariæ, nummulariæ, ana M. ij. capillar. omnium h. e. adianti, polytrichi aurei, Rutæ mutariæ, & trichoman. ana M. j. summit. florum bugulæ, betonicæ, flor. herbæ paralyseos, & veronicæ rubræ, ana P. iv. hederæ terrestris totius. M. iij. iuiubar. dactylor. sebesten. passul. mundat. ana Vnc. i. ß. liquirit. hispanicæ Vnc. i. ß. Omnia debitè concisa bulliant debito ordine in aquæ fontis puriſſimæ ℔. xxxij. ad mediæ partis consumptionem, subdito calore lento. Colaturæ clarificatæ adde mellis Narbonensis ℔. iv. Coquantur iterum despumando ad supernatantis oui terminum. Colentur per manicam Hippocratis, addendo cinam intern. ʒ. ß. sem. cor andri. Drach. vi. ß. anisi, & fœniculi dulcis, ana Drach. iii. ponatur liquor in dolium satis capax, & sinatur fermentari; quod promptiùs fiet, si dolium in sole manserit, hoc enim modo in quaranta dies satis erit fermentatum: alioqui multò longiùs tempus necessarium est. Semper autem vas apertum, plenum seruari debet, vt optimè despumetur. In hunc finem maior quantitas hydromelitis, conficienda est, quàm, quæ in dolio contineri possit. Imò verò si morbus vrgeat, recens, & non fermentatum vsurpari potest, dum aliud in dolio fermentatur; quod etiam dupla, vel tripla quantitate componi poterit, quia per plures menses est vsurpandum. Huius capiat æger bonum hauſtum bis, aut ter in die.

Syrupus sequens paratu facilior eximias habet vires.

℞. Succor. hederæ terrestris, veronicæ, & card. bened. depurat. an. ʒ viii. in quibus bulliant leuiter fol. adianthi, polytrich. scabiosæ, & lactucæ, an. M. sem. In colat. dissolue sacch. albiss. ℔. j. sem. fiat syrupus perfectè coctus, addendo in fine extracti iuniperi drach. iii. succi liquirit. & extracti card. bened. an. ϑ iv. Capiat æger cochl. j. hora vna antè prandium, & ante cœnam, & in ingressum lecti.

Cardanus se multos phthisicos, etiam desperatos, restituisse testatur sequenti regimine. Vt scilicet non vtatur æger alio alimento, quàm hordeato sine iusculo carnium confecto. Potus sit aqua saccharata. Et singulis diebus manè capiat vnc. iv. decocti caudarum, & brachiorum cancrorum fluuiatilium, facti in aqua hordei cum sacchari Drach. ij.

Admiratione dignum est, quod testantur Arcæus, Ingrassias, Fracostorius, & Erastus, se multos phthisicos curasse vsu decocti ligni sancti, per longum tempus continuato, cùm illud ratione causæ antecedentis, humoris scilicet calidi, & acris, maxime aduersum videatur.

Refert Auenzoar, ab auo suo quendam phthisicum perfectè curatum fuisse, cibando cum pane benè fermentato cum oleo oliuarum. Tum etiam seipsum alium ægrotantem eodem morbo, eadem ratione liberasse.

Puluis sequens à Valesco de Taranta valdè commendatur, & Haly Abbati tribuitur: eoque præcipuè verum phthisicum se restituisse affirmat. Eodemque Forestus fratrem proprium curasse testatur.

℞. Sem. papau. albi Drach. x. gummi arab. amyli, tragacanth. an. Drach. iii. sem. portulac. sem. maluæ, an. Drach. v. sem. cucurb. melon. cucumeris, citrulli, cydonior. mundat. ana Drach. vi. spodii, succi liquirit ana Drach. iii. penidiat. ad pondus omnium, fiat puluis, dentur omni manè Drach. ii. cum syrup. de papau. vel iuiubino. Eo etiam vtatur æger in hordeatis, amygdalatis, aliisque cibis.

Capiuaccius, & Claudinus probant oleum vitrioli ad vlcus exsiccandum, ad guttas ii. vel iii. cum aqua rosac. vt succo plantag. & modico saccharo.

Crollius etiam valdè commendat elixir proprietatis, quod ex spiritu sulphuris cum spiritu vini, myrrha, aloe, & croco componitur.

Chymici medicamenta ex sulphure, vt flores, lac, & balsamum maximè laudant, vt in eorum scriptis videre est, illorum vsus commodissimus talis esse potest.

℞. Florum sulphris & thuris puluerat. ana ϑ. i. Includatur pomo appiano (*vel Borforffiano*) excauato. Coquatur pomum, & saccharo conspersum comedatur ab ægro manè, per viii. aut x. dies. Vel

℞. Conserua rosar. antiquæ diamarg. diapenid. ana ʒ j. flor. sulphur. pulpuerat. ʒiij. Gum melle despumato q. s. fiat opiata, de qua capiat magnitud. auellanæ, bis aut ter in die. Vel

℞. Flor. sulphur. ʒiv. in saccharo in aqua rosar. dissoluti ʒ iij. Fiat tabellæ, quas teneat in ore frequenter. Vel

℞. Lactis sulphur ʒß. magisterii perlar. & corall. ana ϑ. ß. emulſ. sem. melon. cum aqua tussilag. vel veronicæ factæ, ʒ. ii. iulep. rosat. ʒ vi. aquæ cinam. & manus Christi perlar. ana. ϑ ii. Misce, capiat cochl. vnum vel ii. singulis diebus mane.

Laudant etiam Chymici nonnull. (*Hartmann in Praxi*) antimonium diaphoreticum, cum triplo salis petræ probe calcinatum, vt omnis vis vomitiua ablata sit. Quod singulis diebus exhiberi debet, in tabellas redactum cum saccharo rosaceo, vel cum conserua rosarum permixtum, vel cum aliis remediis suprà descriptis.

Balsamum Peruuianum ad vlcera pulmonum sananda multùm conducit si eius gutta vna, cum saccharo in pilulam redacta, singulis diebus exhibeatur.

Puluis pimpinellæ, ad Drach. i. cum iusculo singulis diebus exhibitus, maximæ etiam creditur efficaciæ.

Pilulæ Ruffi à nonnullis commendatur tanquam efficacissimæ, sumendo Scrup. i. singulis diebus. Verùm in sequentem modum compositæ mirabiles edunt affectus.

℞. Massæ pilular. Ruffi Vnc. i. antimon. diaphoret. *recentis*) & gummi guaiaci, ana ʒ ß. cum balsamo Peruuiano fiat massa, de qua capiat Scrup. i. per mensem integrum.

Syrup. corallorum, & gelatina cydonior. huic affectui etiam maxime conducunt.

Rodericus à Fonseca decoctum santali citrini commendat, tanquam præstantissimum remedium ad fluxionem à pulmone inhibendam, quod parat in sequentem modum.

℞. Aquę cichorii, acetosæ, ana ℔. iv. santali citrini minutim concisi, Unc. iii. Fiat infusio per vnã diem. Deinde fiat co-

coctio in B.M. feruenti, obturato vase, per tres horas. Huius decocti capiat Vnc. iij. mane, & bibat in potu per 40. dies.

Omnia denique remedia, quæ ad venam pulmonis ruptam conglutinandam in hæmoptoens curatione proposuimus, huic etiam affectui prodesse possunt.

Suffumigia etiam vtiliter vsurpari poterunt, ad vlcus pulmonis potenter exsiccandum, & illa ore, naribusque frequenter attrahenda sunt. Compositio autem talis esse potest.

℞. Gummi hederæ Drach. j. ß. thuris Drach. j. myrrhæ Drach. ß. succini scrup. j. benioini, styracis, ana Drach. ß. hypocist. scrup. ij. sem. coriandri, rosar. rubr. santali rubri ana scrup. j. Puluerentur, & excipiantur mucilag. gummi tragacanth. vel resina laricea. Fiant trochisci, super prunas iniiciendi.

Vel simpliciùs fiant suffumigia ex thure, myrrha, mastiche, benioino, quæ semper sint in thalamo, vt siccus aer, & odoratus attrahatur.

Efficacius suffomigium, sed non nisi in robustioribus corporibus, vsurpandum, ita componi potest.

℞. Gum. animæ, vel guaiaci vel ʒij. tabaci indici ʒ ß. fol. siccor. tussilag. ʒ j. hyssopi. marrubij albi, roris mar. auripigmenti, ana ʒij. Fiat omnium puluis, cuius portiuncula indatur fistulæ, qua fumus tabaci hauritur, accendatur, & hauriatur fumus bis in die, longè à pastu, & post dimidiam horam capiat dosin decocti sequentis.

℞. Rad. Chinæ, salsæ pariil. ana ʒ ß. fol. scabiosæ, tussilag. hederæ terrestris, vlmariæ, capill. ven. & garyophyllatæ totius, ana M. j. hordei integri P. j. liquir. rasi. & vuar. corinth. ana ʒ j. Coquantur ad ℔. ij. Colaturæ adde sacchari rosac. ʒ iv. capiat ℔. ß. bis in die, vt dictum est.

Pro delicatioribus suffitus humidus vsurpari poterit, ex decocto herbarum compositus, qui processus vtilissimus est, sic enim vires herbarum recta via ad pulmonem feruntur. Omnes autem pulmoni appropriatæ, & vlceribus curandis idoneæ vsurpari possunt. Sequens formula pro exemplo habeatur.

℞. Tussilag. viridis M. viij. hyssopi M. ij. Incidantur, & includantur in olla cum tantillo aquæ, lutetur operculum perforatum in summitate, ita tamen, vt foramen sit etiam lutatum. Immittatur olla in clibanum circa medium coctionis panis, qui cùm extrahitur, dematur olla, & aperto foramine imponatur infundibulum, atque ita per os attrahatur fumus in pulmones, per nares reiiciendus. Mirabiliter mouet expuitionem.

Exteriùs verò linimentum refrigerans, & leniens pectori admouendum est, manè, & serò.

Gummi tragacanth. & arabici, ana ʒ i. Infundantur in aqua rosacea per diem, & noctem: adde olei violac. vnc. i. sem. butyri recentis vnc. sem. salis prunellæ. ʒ ii. camphoræ ϑ i lactis muliebris q. s. Misceantur in mortario, & fiat vnguentum.

Ad consumptionem reparandam, aut saltem impediendam, vel retardandam, præter victum analepticum, ad quem præcipuè referuntur hordeata, amygdalata, pineata, oryzata, auenata, & instaurantia varij generis, quæ passim apud Auctores inueniuntur, maximè conueniunt lac ab initio laudatum, & balneum aquæ tepidæ, vel ex decocto hordei mundati, & amygdal. contusarum. Quod tamen præsenti catarrho non conuenit, aut quamdiu febris putredinis particeps esse iudicatur, aut quando pulmo multis scaret excrementis.

Potus sit aqua saccharata, decoctum hordei, & liquirit. hydromel tenue, vel leue Chinæ decoctum. De suffitibus sequere Bennettum, qui fusiùs exponit hanc rem in Theatro Tabidorum NB. Auripigmentum tutò non adhibetur.

PRAXEOS MEDICAE
LIB. OCTAVVS.
DE AFFECTIBVS CORDIS.
PRÆFATIO.

COR varios patitur morbos similares, organicos, & communes; cum tamen paucissimi sint, qui Medici curantis ditioni subijciantur; quandoquidem viscus nobilissimum graues affectus diù ferre non potest, quin homo confestim de medio tollatur, si eque nullus remedijs locus relinquatur. Nos ideo, qui omnes labores nostros ad vsum artis conferre iam diù constituimus, tres tantum cordis affectus explicare decreuimus, qui frequentiùs in praxi medica occurrunt, & multorum remediorum apparatu oppugnari possunt. Atque adeò tria illis capita destinauimus. Quorum Primum erit de Syncope: Secundum, de palpitatione. Tertium denique de virium imbecillitate.

CAPVT I.

De Syncope.

SYncope definitur à Gal. 12. *meth. cap. 5.* præceps omnium vitium lapsus. Licet enim ea solum cor patiatur, & sola facultas vitalis intercipiatur, ea tamen collabente, cæteras perire necesse est, cùm ab ea continuum, & necessariuum influxum recipiant.

Dicitur, præceps omnium vitium lapsus, vt ab aliis affectibus distinguatur, in quibus vires paulatim deficiunt, donec mors subsequatur. Neque obstat doctrina Auicennæ *fen. 1. lib. 3. tract. 2. cap. 2.* proponentis signa syncopes paulatim aduenientis: licet enim causæ, spiritus dissoluentes, aliquando sensim, & paulatim operentur, attamen ingra uescentes, subitò syncopem efficiunt, & ideò Auicenna proponit potiùs signa antecedentia syncopen, quàm ipsa syncopen præsentem.

Demùm hęc definitio videtur etiam apoplexię competere, in qua contingit præceps omnium virium lapsus, quod tamen non est veritati consentaneum; siquidem vires cordis in apoplexia permanent, & pulsus vt plurimum magnus, ac plenus reperitur, Adde quod respirationis læsio, quæ in apoplexia insignis reperitur, etiam vt plurimùm cum stertore, maximè eam à syncope distinguat, in qua respiratio nullo modo læditur.

Quæritur, cur, cessante actione cordis actio cerebri statim cesset; cùm spiritus animalis ex vitali generetur per viam coctionis, & in cerebro aliquandiu manere debeat, licèt vitalis continuò non influat. Respondemus, cerebrum, vt & alias omnes partes ad actiones suas perficiendas indigere continuo affluxu caloris influentis, quo cessante, illæ statim cessant. Calor autem influens per spiritus vitales defertur.

Alij dantur affectus ad syncopen maximè accedentes, & ab ea tantum secundum magis & minus differentes, nempè ἔκλυσις, λειποθυμία, & ἀσφυξία, ἔκλυσις leue est animi deliquium, λειποθυμία, seu λειποψυχία, seu ἀναψυχία grauius: syncope, grauissimum; quæ si eò vsque deueniat vt in toto corpore pulsatio aboleatur, ἀσφυξία nominatur, quæ proximus ad mortem gradus est.

Apud Hippocratem, & Græcos antiquiores vox ista εὐψυχίη vsitata non fuit, qui affectum hunc lipothymiam, lipopsy-

popsychiam, & asphyxiam appellarunt. Sed paulò ante Galeni tempora hæc vox inuenta, & in medium adducta est, & in specie grauiori malo tribuitur, quàm sit lipothymia, & lipopsychia. Sic apud *Gal. 1. ad Glauc. cap. 14.* lipothymia est syncope imperfecta, & syncopen semper præcedit.

Ex prædictis patet, partem affectam in syncope esse cor spirituum vitalium officinam; quorum influxu insitus singularum partium calor, ac spiritus in actum deducitur, ideò cessante illa actuatione, ob prohibitum spirituum vitalium influxum, omnium partium vires collabi, actionesque cessare necesse est.

Causa huius affectus proxima, & immediata est spirituum vitalium defectus, non totalis; mortem enim subitaneam afferret, sed tantus, vt natura cogatur (ne vires cordis penitùs exsoluantur) spiritus ab alijs partibus ad ipsum cor retrahere, vnde illæ à functionibus suis feriari coguntur.

Ille autem spirituum defectus quatuor modis potissimum contingere solet. Vel quia sufficienti copia non generatur, vel quia geniti dissipantur, & euacuantur, vel quia præter naturam alterantur, & corrumpuntur, Vel denique quia suffocantur, & obruuntur. Non generantur vitio facultatis, vel materiæ. Facultas spirituum generatrix læditur, vel proprio cordis affectu, vel per consensum.

Morbi proprij cordi infigniores sunt intemperies magnæ natiuam temperiem euertentes, aut substantiam partium, & caloris natiui depascentes. Quales sunt febres syncopales, acutæ, & malignæ, synthecticæ, seu colliquantes, & pestilentes, hecticæ, marasmodes. His accedunt morbi organici, vt constrictio, & dilatatio nimia, & continui solutiones, quæ ad ventriculum cordis, penetrantes citissimè interficiunt.

Per consensum facultas cordis læditur à reliquis principijs, cerebro, & hepate; quæ maximam cum corde sympathiam habent. Sæpissimè etiam ab ore ventriculi ob viciniam sensumque exquisitum: vnde orta est diuisio syncopes in cardiacam, & stomachicam. Cardiaca est illa, quę fit corde primariò affecto. Stomachica verò, quæ per consensum stomachi producitur. Non rarò etiam ab vtero exoritur ex tetris vaporibus ex parte ad cor transmissis, vnde vteri præfocatio, apnœa, & sincope hysterica proficiscuntur, prout vapores illi pulmonem, diaphragma, aut cor impetunt, & inuadunt.

Vitium materiæ est defectus, vel corruptio aeris, & sanguinis, ex quibus spiritus vitales generantur. Aeris defectus contingit ex respiratione, vel transpiratione læsa; sanguinis verò defectus ex læsa nutritione. Vtriusque corruptio accidit, cum alienam qualitatem induunt. Sic aer inquinatus in constitutione pestilenti lipothymiam, & syncopem non rarò inferre solet. Sic tetri odores nonnullis eundem affectum præstant, imò verò suaues mulieribus quibusdam. Sic ex prauis edulijs corruptus interdùm sanguis generatur.

Spiritus dissipant euacuationes nimiæ, tum sensiles, tum insensiles. Sensiles fiunt primò ipsius sanguinis per os, nares, vterum, aluum, hæmorrhoides, phlebotomiam, aliaque vulnera insigniora: secundò aliorum humorum, qui licet excrementitij sint, maiori tamen copia excreti, maximam spirituum dissipationem faciunt, & syncopen inferunt. Tales autem humores excerni solent per vomitum, aluum, vrinas, sudores, magni abscessus apertionem, præcipuè introrsùm, vt empiematis; tum etiam extrorsùm, vt in hydrope, aperto vmbilico, contingit.

Insensiles euacuationes fiunt ex nimia cutis raritate, & contentorum tenuitate, & acrimonia, immodico æstu, balneo, vel laconico calidiori, immodico labore. Dissipant etiam vigiliæ pertinaces, inedia longa, effrænata venus, ira, vel gaudium vehemens, ægritudines longæ, & acutæ. His adde ingentes dolores cordis, ventriculi, intestinorum, renum, aurium, dentium, & partium omnium neruosarum.

Spiritus alterant, & corrumpunt praua viscerum dispositio, & quæcunque malignam, & cordi inimicam qualitatem obtinent: vt aer, & halitus fœtidus venenosus, & pestilens, respiratione, vel transpiratione attractus; vel in corpore ex putredine humorum genitus. Idem præstat venenum assumptum, vel admotum, vel morsu animalium venenatorum communicatum.

Denique suffocant, & obruunt spiritus vitales sanguinis, & spiritus ad cor vehementer refluxus, copiosa fuliginum prauarum circa cor, & membra vicina congregatio: nimia sanguinis frigidi, & crassi circa cor, eiusque venas, & arterias, & membra vicina redundantia.

Syncopen grauissimam, quam mors repentina subsequuta est, è sanguinis, & spiritum subito refluxu ad cor, nuper vidimus in nobili virgine, quæ ab ineunte ætate huic symptomati erat valdè obnoxia; ita vt ex quouis animi pathemate, etiam leuiori, in lypothymiam, aut syncopem incideret. Cùm autem egregio adolescenti, qui illam ardenter deperibat, matrimonio iungeretur, facto celebri parentum, consanguineorum, affinium, & amicorum conuentu, postquam ipsi calamus à tebellione traditus fuisset, nuptialem contractum subscriberet; vix dimidiam syngraphi sui partem exarauerat, cum subitò in terram concidit exanimis, & omninò demortua. Vnde facilè fuit conijcere, ex vehementi animi pathemate, maximam, & subitaneam sanguinis, & spirituum rectrationem ad cor factam fuisse, quæ calorem natiuum, & spiritum insitum suffocauerit, vnde mors repentina subsequuta est.

A sanguine verò frigido crasso, copiosè circa cor, & in maioribus vasis congregato, syncopen oriundam vidit Petrus Salius Diuersus, vt ipse refert *lib. de affectibus particularibus cap. 4.* in puella, quartum decimum annum agente, quæ cum per diem capitis grauitatem, vertiginem, & anxietatem passa est; die sequenti subitò extincta est. Secto post mortem cadauere in arteria magna, & vena caua totus sanguis concretus apparuit, vt apprehenso illius altero principio, ita integer ex vena, & arteria educeretur, ac gladius è vagina extrahi solet. Quare iudicatum fuit, subitam hanc mortem à sola interceptione venarum, & occlusione à sanguine concreto causatam fuisse. Casus iste rarus est, cùm sanguinis concretio in venis in cadaueribus quidem contingere soleat. Tanta enim est venarum sanguinis continendi proprietas, cum sint proprium illius conceptaculum, vt etiam post mortem illum fluidum conseruent, qui in omnibus aliis locis illicò concrescit. Huius autem extraordinariæ concretionis rationem desumit Salius ex analogia sanguinis extrauasati: qui simul atque refrigeratur, statim concrescit, quòd magis ei admixti sunt humores frigidiores, crassiores, & viscidiores pituitosi nimirum, & melancholici, quorum ratione intemperiem consequutus frigidiorem, ad concrescendum maiorem aptitudinem, & promptitudinem recepit. Simile quippiam euenire potest sanguini intra venas coercito, qui vitiosis abundans succis, crassioribus, & frigidioribus, venas maiores adeò seplet, vt spiritum intercipiens, & penetrare non permittens, eos in extinctionem ducat, iisque extinctis sanguis refrigeretur, ac concrescat, propter humores frigidos, & concretioni idoneos illi admixtos; qui si prestò non fuissent, sanguis liquidus & incorruptus permansisset. Spargirici hunc effectum referent ad spiritum quemdam coagulantem, & congelantem ex peculiari, & extraordinaria humorum diathesi genitum, quæ cum rarissimè contingat, rarissimus etiam solet esse iste affectus. Et certè simplex refrigeratio concretionem istam efficere non potest, alioquin in defunctorum cadaueribus, hyemis tempore præsertim, sanguis in venis perpetuò concresceret, cum tamen omni tempore fluidus reperiatur. Spiritum autem hunc, congelandi vi præditum, existimare possumus similem esse illi, qui catalepsin inducit; in qua membra frigida, & congelata redduntur, vt inflecti nullo modo valeant. Spiritus huiusmodi fixantes, & congelantes Chymici in multis animalibus, vegetalibus, & mineralibus agnoscunt: tales etiam è terra interdùm suscitari, docent historiæ quorundam hominum, & brutorum, à tetris vaporibus in terræ motibus, aut etiam è cauernis quibusdam erumpentibus, congelatorum vt repente corpora illorum rigida facta fuerint. Tales denique spiritus fulminibus misceri, docet Cardanus, historia octo messorum sub quercu cœnantium, qui fulmine percussi, rigidi omninò facti sunt, & in eadem specie permanserunt, vt vnus comedere, alios manum poculo admouere, alius bibere videretur.

Signa huius affectus diagnostica, vel respiciunt subiectũ ad illum recipiendum magis idoneum; vel paroxismum imminentem; vel eundem præsentem; vel denique causam illum producentes.

Subiecta magis ad syncopem dispositа sunt homines, debilitatem quadam natiua, vel adscititia, à morbo aut alio casu prædita, pusillanimes, fœminæ potiùs, quam mares, virgines menstrua patientes, mulieres grauidæ, tum etiam

etiam illi, qui sunt ratæ texturæ, icterici, splenici, & melancholici.

Syncopem imminentem significant, in illis præsertim qui illi obnoxii sunt, improuisa anxietas, animi perturbatio, capitis grauitas, vertigo, alieni & varii coloris, viridis, & flaui obuersatio, coloris faciei, tum etiam pulsus frequens, ac subita mutatio.

In hypothymia presente prædicta etiam signa reperiuntur, sed paulò grauiora, quibus non raro sudor frigidus adiungitur, tùm ægrotantes (quod præcipuum est) de animi defectione conqueruntur.

Præsentem verò syncopem demonstrant præceps omnium virium lapsus, pulsus rarissimus, formicans, obscurus, tandemque abolitus, color faciei summo pallore, aut liuore suffusus, totius corporis, præsertim extremorum frigiditas, sudor frigidus, syncopticus ideò dictus, præcipuè in temporibus, collo, & thorace.

Signa causarum maiori ex parte per se manifesta sunt. Febres enim malignæ, acutæ, syncopales, synectica syncopen idiopathicam efficientes, per se satis conspicuæ sunt; causæ etiam externæ, repentinam syncopem indecentes, sensibus obuiæ sunt; vt ira, & gaudium immodicum, terror subitus, & repentinus; odores tetri, hæmorrhagia larga, aliæque euacuationes copiosæ, vigiliæ pertinaces, inedia longa, effrenata venus, dolores atrocissimi.

Humores tenuiores, & corporis raritatem significant nares acutæ, oculi concaui collapsa tempora. Flauedinis abundantiam ostendunt morsus oris ventriculi, anxietas, vellicatio calor, & dolor insignis.

Humorum crudorum copiam significant totius corporis molles amplior; præcordiorum tumor; color faciei albidus, nigricans, aut liuescens; pulsus minor obscurus, & inæqualis.

Syncope verò sympathica, ex aliarum partium vitio producta, ex earundem partium affectarum signis innotescit. Sic ex affectu ventriculo si proueniat, eiusdem partis affectus præcesserunt: vt nauseâ, vomitus, ventriculi morsus, oris amaror, sitis & similia. Idem de aliis partibus esto iudicium. Si verò nullum alicuius partis affectæ indicium appareat, ex primario cordis affectu syncopem exoriri, indicio est.

Ab aliis affectibus syncope propriis etiam signis distinguitur. Ab Epilepsia quidem, quòd in ea sit conuulsio, non autem in syncope ab Apoplexia, quod in ea insigniter lædatur respiratio; etiam vt plurimùm cum stertore & pulsus nõ admodum imminuatur, nisi in morti proximus in syncope verò pulsus ferè aboleatur, & respiratio libera permaneat. Ab vteri Suffocatione distinguitur, quòd in ea partes spiritales vt plurimùm maximè afficiantur, ægrotantes stranguari videantur pulsus tamen non valdè immutetur, neque faciei color, qui statum naturalem seruat, imò frequenter rubicundior apparet: in syncope verò respiratio non lædatur, pulsus ferè abolitus sit, & facies admodum palleat. Aliquando tamen syncope cum vteri suffocatione coniungitur, & tum pulsus interdum non percipitur.

Prognosis huius affectus ex Hippocr. primum desumitur *Aph. 41. sect. 2. Qui frequenter ac fortiter sine causa manifesta deficiunt animo, de repente moriuntur*. Quia, vt ante dictum est, syncope grauior vires cordis penitùs opprimit, vel exoluit, vnde mors consequitur.

Syncope, à qua homo non restituitur post irrorationem faciei cum aqua rosacea post vini exhibitionem, & sternutatoria, naribus immissa lethalis.

Cum quis à syncope suscitatur non statim salus promittenda est. Si enim pulsus non restituitur, & color viuidus nõ redit, ægerque frigidus semper manet, in syncopen citò relabitur, ex qua periculum impendet.

Quæ ab immodicis euacuationibus, timore, tristitia, aut alia euidenti causa syncope exoritur, minùs periculosa est, quàm quæ ab interna causa procedit.

Quod ad curationem spectat: cum syncope à variis causis dependeat, illarum ratione diuersum curandi modum desiderat.

A quacumque tamẽ fiat causa, vrgente paroxysmo sequẽtia conueniunt. Supinus decubitus, iniectio aquæ frigidæ in faciem, sternutamenti concitatio; vini generosi aquæ cinam. imperialis, vitæ, cœlestis, & similium in os immissio; admotio propè nares panis è furno calentis; vociferatio, & ægri agitatio; narium compressio; & digitorum contorsio, pilorum conuulsio; frictiones ligaturæ, & cucurbitulæ.

At ratione causarum diu erratum curatio varianda est in sequentem modum.

Si ex defectu alimenti ducit originem; vino generoso assumpto reparetur, & crusta panis, in eodem madefacta, & assumpta, tum etiam alimentis sorbilibus, & valdè nutrientibus, vt iusculis destillatis, restaurantibus, & similibus.

Inter alia plurimùm valet ferculum ex ouis, saccharo, vino, & cinamomo, sequenti capite descriptum.

Si ab humorum tenuitate, qua spiritus facilè exhalant, odoramenta, & cibi boni succi, incrassantesque exhibeantur: cutis pori constrigantur ol. rosaceo: maneat æger in aere frigidori.

Si ab hysterico affectu; remedia illi appropriata adhibeantur.

Si à maligna qualitate; cardiaca, & alexipharmaca vsurpentur, qualia in febrium malignarum curatione præscribi solent.

Si à veneno hausto; venenum illud euacuãtia, & tum manifestis qualitatibus, tum peculiari proprietate oppugnantia propinentur. Ideòque vomitus statim prouocetur, postmodum theriaca exhibeatur. Deinde si sentiatur ardor, vel erosio ventriculi; lac, vel butyrum accipiat, vel iuscula pinguia, aut potiones cardiacas refrigerantes.

Si ab immodica euacuatione; æger odoribus, cibo, potu, somno, & quiete reficiendus.

Si à nimia profusione sanguinis; ponatur æger supra lectum capite decliui, aqua frigida facies irroretur, detur parum vini aqua frigida diluti.

Si à superpurgatione; detur theriaca recens, vel, in eius defectu, antiqua cum opii. gr. i. ad ii. in vino dissoluta: vel quod melius est, laudani gr. i. ad ii. iii. Totus venter oleis sequentibus inungatur.

℞. Ol. myrtin. & cydon. an. Vnc. i. semis. ol. absinthii ʒ. i. aceti rosac. parum. Misce, fiat inunctio frequens.

Iniiciatur (si opus fuerit,) clyster ex lacte chalibeato, addendo vitellos ouor. n. iii. philonii romani ʒ i. ad ii.

Fiant frictiones brachiorum, & partium superiorum.

Mica panis, vino madefacta, aut etiam vinum ipsum exhibeatur.

Ac denique euacuatio quę vis siue sanguinis fit per nares, vterum, aliasque partes; siue aliorum humorum, per vomitum, aut alui fluxum; remediis propriis capitibus describendis, erit cohibenda.

Quæ à sudore nimio exoritur syncope, curatur remediis sudorem coercentibus, vt aqua frigida, vel rosacea sola, aut cum modico aceto in faciem, & manus affatim coniecta. Aer etiam prædictis aquis, aut flabellatione refrigeretur. Epithemata frigida cordi adhibeantur ex aqua rosar. acetosæ, borrag. & pulu. diamarg. frigidi cum tantillo vini, penetrationis gratia.

Iulepi etiam refrigerantes ex syrupo acetoso, violaceo, de pomis, aut de limonibus, cum aquis refrigerantibus, & sale prunellæ frequenter exhibendi. Obstruantur pori inunctionibus cuti ex ol. rosac. myrtino, mastichino. A vino æger abstineat. Nullo pacto tricetur, sed sæpè locum mutet, & leuiter operiatur. Lectus sequenti puluere sinapisetur.

℞. Flor. nymphææ, & rosac. rubrar. an. ʒ iii. ladani puri ʒ ß. styrac. ʒ ii. myrtillor. & granor. sumach. ana ʒ ii. Fiat puluis.

Si ex suffocatione spirituum; ad ambitum corporis illi reuocandi sunt frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, & similibus remediis. At si à plenitudine oriatur suffocatio: sanguis copiosè, sed per interualla, detrahendus est.

Si à terrore, & metu; sanguinis missio etiam vsurpanda est, ne, ex affluxu sanguinis, obstructio aliqua, vel inflammatio excitetur.

CAPUT II.

De Palpitatione cordis.

VT in syncope motus cordis imminutus, sic in palpitatione est deprauatus. Malè à quibusdam tremor cordis nominatur, cùm tremor sit passio motus animalis, & voluntarii, & non nisi partibus voluntario motu præditis competat.

Gal. *lib. de tremore, palpit. & conuul.* dicit, palpitationem à solo morbo fieri, nempè à sola causa morbifica, partem attol-

attollente, & deprimente sine vllo facultatis concursu, cremorem verò partim à morbo, partim à facultate! Hinc multi palpitationis vocabulum cordi, & aliis partibus vniuocè tribuentes, eodem modo fieri existimant in corde, ac in cute, & musculis, in quibus palpitatio contingit à spiritu flatulento, ad eas partes violenter impulso. Si enim ab eodem spiritu impletum, atque iterum euacuatum cor moueatur vtris instar, (in quo tale aliquid à liquore violenter infuso, vel spiritu inflato, & rursùm compresso contingit,) palpitationem pati existimant. Verùm dispar admodùm est ratio: cutis enim, & musculi non habent naturalem sese dilatandi, ac constringendi vim, sed tantùm à causis morbificis motum illum acquirunt. Cor verò cùm naturalem habeat dilatandi sese, ac constringendi facultatem. Palpitatio cordis sine motu illius fieri non potest. Et frustra à nonnullis multa loca congeruntur ex Gal. quibus probare conantur, palpitationem cordis non fieri à natura, sed à morbo, vel potius causa morbifica. Gal. enim in omnibus iis locis agit tantùm de palpitatione, quæ in cute, & aliis partibus externis fit, non verò de palpitatione cordis, quæ alterius naturæ est. Ipse Gal. 2. *de sympt. caus. c.* 2. palpitationem cordis, & arteriarum ab aliarum partium palpitatione discernit.

Est igitur cordis palpitatio, immoderata, & præternaturalis illius partis concussio, vehementi diastole, ac systole molesta; quæ tanta interdum est, vt (docente Fernelio,) sæpè sit anima diuersa, thoracis vicinas costas effregisse, sæpè, & eas quæ suprà mammas sunt, de propria sede depulisse, sæpè etiam arteriam foras dilatasse in aneurisma, contracti pugni magnitudine, quo, & tactu, & visu conspicua erat pulsatio.

Fit autem immoderata illa cordis concussio, & facultate pulsifica stimulata, & irritata à re molesta, & vsu illius plurimùm aucto.

Hic obijci potest in febribus hæc omnia reperiri. Immoderata enim fit systole, & diastole, facultate irritata à re molesta, vel vsu aucto ob calorem immodicum cordi impressum.

Respondemus, motum cordis in febribus distingui à palpitatione tantùm per magis, & minùs: & motum cordis deprauatum dici palpitationem, quando insignis, & vehemens est: si verò tantam vehementiam non habeat, pulsus frequens, magnus, velox, aut celer nominatur, ad aliasque pulsus immutati, & præternaturalis differentias refertur.

Causæ igitur palpitationem cordis efficientes ad tria capita reduci possunt. Vel enim est res molestans, & irritans; vel refrigerationis necessitas; vel spirituum defectus; quæ duæ causæ posteriores ad vsum aucto referri possunt.

Causa molestans omnium frequentissima est, ita vt quamplurimi authores hanc vnicam agnouerint, reliquæ verò rariores. Ista autem causa molestans, vt plurimùm est vapor, vel flatus, qui quantitate, vel qualitate, vel vtraque cordi molestiam parit. Qualitas autem, vel manifesta est, vel occulta.

Vapor manifesta qualitate molestus, vel in ipso corde est, & partibus vicinioribus, vel aliundè ab alijs partibus remotioribus transmittitur, ijsque subitò, in abditos cordis sinus ingressus, expultricem visceris stimulat, quod, summo robore naturaliter præditum, potenter insurgit, & vehementiori nisu hostem expellere nititur.

In corde, aut partibus vicinis potissimùm pericardio, humores frigidi, & crassi interdùm colliguntur, è quibus vapores eleuantur, & ad cordis ventriculos transferuntur, vbi palpitationem efficiunt.

Ab alijs verò partibus remotioribus vapores, & flatus ad cordis ventriculos eleuantur, puta ventriculo, liene, vtero, cæterisque in ventre inferiori contentis.

Vapor occulta qualitate molestus cor non rarò afficit in febribus malignis, pestilentibus, in venenis assumptis: & aliquando vermes putrescentes, sanguis menstruus retentus, semen corruptum, alia putrida materia, vapores malignos ad cor mittunt, qui facultatem illius vehementer irritant.

Humores varij cordi molestiam exhibent, quantitate, vel qualitate peccantes; sic sanguis nimia quantitate venas, & arterias, tùm, & cordis ventriculos grauans, vt liberè moueri nequeant, cordis palpitationem efficit, motum illius liberum impediens, quem defectum vt resarciat facultas, violentiùs mouet: Sic aqua, in pericardio contenta, nimia copia luxurians cordis substantiam comprimit, illiusque ventriculos, vt liberè dilatari non valeant. idem præstant humores confertim ad cor affluentes, vt fit aliquando in vulneribus, formidine, ac terrore.

Humores qualitate peccantes cordi insensi sunt, eique molestiam afferunt, si venenati putridi corrupti, acres, & calidi nimis fuerint. Eiusmodi est præcipuè bilis torrida, & exusta, in cordis substantiam impetum faciens, illiusque vim expultricem irritans.

Tumores etiam, licet rariùs, huiusmodi affectum excitant, vt inflammatio cordis, abscessus, tuberculum, in arterijs pulmonum prope cor exortum, quod Antipatro Medico contigisse refert Gal. 4. *de loc. aff.* vnde post pulsum inæqualem, in palpitationem, & astma incidit, ex quo subitò interijt. Sic refert Dodonæus, se callum in arteria magna, loco cordi proximo obseruasse; vndè palpitatio orta erat, multis annis perseuerans.

Tumores etiam in pericardio exitati, siue humoris expertes, & schirrosi sint, siue humorem in se contineant, vt sunt Pustulæ hydatides. In corde ipso calculi, osficula, & carnis frustula interdùm generantur, quæ palpitationem efficiunt. Sic refert Platerus, in quodam, diuturna cordis palpitatione vexato, & tandem è medio sublato, osseum quiddam in corde deprehensum fuisse. SchenKius verò refert. Sacerdoti cuidam, qui à teneris annis vsque ad annum 42. quo è vita discessit; cordis palpitatione laborauerat, in cordis basi carnis excrescentiam repertam fuisse, quæ sex drachmas pendebat, & alterum corculum repræsentabat.

Secunda palpitationis causa suprà proposita fuit refrigerationis necessitas, quæ tum præcipuè adest, cùm calor præter naturam in corde augetur, à quo spiritus intùs accenduntur, ac propterea motus cordis, & arteriarum augetur, vt quod adsumitur, restituatur, & calor refrigeretur. Id quidem fieri solet interdum à causis internis, quod tamen rarissimum est, vt anteà diximus: frequentiùs verò ab externis, vt ira, exercitatione vehementi, & similibus. Quemadmodum obseruauit Platerus iuuenem quendam admodùm calentem, cùm in ludo paruæ pilæ ira corriperetur, sicque duæ causæ coniungerentur, palpitatione cordis adeò vehementi correptus fuisse, vt indè mors consequuta sit.

Tertia causa fuit spirituum defectus, qui fit per inediam, vigilias, iram, gaudium, metum, pudorem, morbos vehementes, aliasque causas, subitò, & copiosè spiritus dissipantes. Quem spirituum defectum cor resarcire contendens, vt illos promptiùs, & copiosiùs regeneret, & ad totum corpus celeriùs transmittat, motum suum intendit, ac celeriorem efficit.

Notandum est pro coronide, palpitationem cordis longè frequentiorem esse, quæ fit per consensum aliarum partium, quàm ipso corde primariò affecto. Habet enim cor cum omnibus corporis partibus consensum per arterias, & venas, per quas vapores, flatus, & humores transmittuntur. Quæ omnia suo loco in diagnosi iam proponenda clariùs innotescent.

Diagnosis huius affectus, vel ad ipsum affectum, vel ad causas illum producentes refertur.

Affectus ipse sensibus conspicuus est, æger enim manifestè palpitationem in se percipit, & adstantes, manum regioni cordis admouentes motum illum vehementem percipiunt. Imò verò visui etiam, & interdùm auditui se se obijcit: subsultans enim arteriarum motus, præcipuè in iugulo, visu deprehenditur: aliquando etiam eum audiri, testatur Forestus exemplo iuuenis cuiusdam, cuius cor adeò palpitabat, vt prætereuntes, fenestræ cubiculi clausæ autem admouentes, clarè exaudirent.

Causæ palpitationem producentes suis etiam signis distinguuntur. Calida intemperies dignoscitur expulsus magnitudine, celeritate, crebritate, febre, & calore thoracis, magna, & frequenti respiratione, & frigidiorum appetentia.

Si à vapore, aut flatu generetur cordis palpitatio, citò fit, & citò desinit, à leui corporis motu excitatur, respiratio interdùm difficilis est, interdùm etiam tremor genuum contingit; oculorum tenebræ, sonitus aurium, & dolor non rarò alicuius partis subitò euanescens. Cuius autem naturæ, & qualitatis sit vapor, aut flatus, palpitationem committens, ex signis humoris corpore, aut partibus quibusdam redundantis colligitur, cùm vapores, & flatus ab humoribus perpetuò eleuari soleant.

Si ab humoribus cordis palpitatio generetur, affectus non

non adeò subitò inuadit, & diutiùs perseuerat. Qualis autem humor causa mali sit, ex signis humoris, in toto corpore redundantis, facilè internosci potest. Ac præcipuè sanguinis copia, à qua frequentiùs, quàm ab alijs humoribus hic affectus generatur, cognoscitur ex pulsu vario, & inæquali, ita vt nunc magnus, nunc paruus, tardus, iterumque velox existat; cui etiam respiratio proportione respondet, cor ægrotanti constringi, & opprimi videtur, quod ipsum testantur calor excedens, distensio venarum, rubor faciei, tempus vernum, ætas, regio, & victus ratio sanguinem multiplicans.

Quæ per consensum aliarum partium palpitatio exoritur, ex proprijs illarum partium affectarum signis innotescit. Sic ventriculi consensum indicat inapetentia, nausea, humorum pessimorum vomitus, & stomachi morsus. Molesta circa pancreas, aut lienem pulsatio, aut alius lienis affectus, materiam in ijs partibus latitantem significat, à qua vapores, & flatus ad cor transmittuntur. Sic mensium suppressio, & affectiones hystericæ ab vtero malum exoriri significant.

Aqua in pericardio redundans difficiliùs cognoscitur, coniectura tamen eam suspicari possumus, si pulsus mollis, & languidus sit, & æger conqueratur, sibi cor velut aquæ innatare, & suffocari. Si malum sit continuum, & in atrophiam, vel hecticam degeneret.

Si humores maligni, & venenati huic affectui originem dederint, magna in pulsu varietas apparet, virium maxima deiectio, & interdùm lipothymia, aliaque malignitatis signa conspiciuntur.

Si à tumore palpitatio oriatur, notabilis in pulsu apparet varietas, & motus cordis à naturali valdè recedit, admodùm inæqualis, & inordinatus est, & si humor sit calidus, ingens in corpore erit inflammatio, sitis magna, difficilis respiratio, succedit lipothymia, & tandem mors consequitur. Si verò tumor durus sit in pericardio, affectus est continuus, & æger sensim, & sine causa manifesta contabescit. Si caro vel quidpiam aliud solidius cordi adnascatur, palpitatio à morbi principio vsque ad mortem continuò hominem infestat.

Denique spirituum defectus, cordis palpitationem excitans, cognoscitur ex causis præcedentibus, à quibus magna spirituum exsolutio fieri potuit; tùm etiam ex pulsu crebro, celeri, & paruo, & quòd ex quouis labore etiam leuissimo palpitatio contingat. Simile enim quippiam conualescentibus accidit, quibus ex deambulatione, aut quauis alia corporis agitatione, etiam leuiori, pulsus immutatio fit satis insignis, & palpitationi analoga.

Prognosis huius affectus ita instituenda est, vt periculosus dicatur, oblesum cordis motum, quo vita conseruari debet, & frequenter ad syncopen deducit, tandemque hominem de medio tollit. Verissima enim est obseruatio à Gal. proposita, *comm. Aph. 41. sect. 2. & 5. de loc. aff. cap. 2.* omnes, qui iuuenes, aut in declinante ætate, cordis palpitationi maximè obnoxii fuerunt, ante senectutem mortuos esse. Frequens enim palpitatio signum erat facultatis vitalis admodum debilis.

Palpitatio idiopathica est sympatica periculosior, imò vt plurimùm lethalis. Tum etiam illa, quæ ab interna causa fit, periculosior est illa, quæ ab externa producitur: nisi magna sit externæ causæ vehementia, vt veneni, vel alicuius vulneris insignioris.

Si à cordis tumore, vel soluta vnitate palpitatio procedat, insanabilis est, & desperata.

Curatio palpitationis cordis varia esse debet pro varietate affectuum, à quibus dependet. Ac primum ea, quæ à peculiari affectu cordis est, aut pericardii curationem non recipit. Ideò tota practicorum curatio ad sympathicam dirigitur, quæ à variis partium inferiorum affectibus dependet, quorum curatio è propriis locis depromenda est.

Ac præter illa remedia, quæ causæ sublationem respiciunt, vsurpanda etiam sunt, quæ symptomatis sedationi, aut lenitioni conferunt, cor reficiendo, roborandoque nec non flatus, & vapores, ex humoribus melancholicis, crudis, & pituitosis eleuatos, discutiendo. Qualia sunt iulepi cardiaci, opiatæ; epithemata, & odoramenta in virium imbecillitatis curatione describenda, tum etiam sequentia.

℞. Conseruæ melissæ, anthos, flor. borrag. & caryophyllinostratis, an. ℥ i. confect. alKerm. & theriacæ vet. an. ʒi. diambræ Spec. & diamoschi dulcis, an. ℈ i. Cùm syrup. de cortice citri, fiat opiata, quà vtatur frequenter.

℞. Aquar. bugloss. rosar. & flor. arantiorum, an. ℥. ij. syrup. caryoph. nostr. ℥. j. ß. aquæ cinamomi ℥ ß. spiritus rosar. ℥ ij. confect. alkerm. ʒj. Misce, dentur cochl. ij. per interualla.

Liquor sequens ad imitationem succi ex cordibus, sequentes cap. describendi, erit vtilissimus.

℞. Corda porci, aut veruecis nu. iij. cinam. & caryoph. ana ʒJ. fem. acetosæ, & lactucę, an. ʒ j. fem. vini albi Vnc. ij. (vi.) aquar. borrag. scabiol. & rosar. an. Unc. i. sem. (iv.) confect. alKerm. ʒi. Bulliant omnia inter duo vasa. De hoc liquore capiat cochl. ii. manè, & vesperi.

℞. Rosar. rubr. & flor. rorism. an. ʒ ii. flor. lauendulę Drach. i. sem. angelicæ, cortic. citri, caryophyll. cinamom. macis an. ʒ. ß. croci Scrup. i. moschi, ambrę, an. gr. vi. Cum sindone rubro fiat sacculus, qui irroretur vino albo, & aquæ rosar. applicetur tepidè regioni cordis.

℞. Unguenti rosac. ℥ ß. olei cinam. & caryophyli. ana gutt. vi. moschi, ambræ, ana gr. iv. Misce, fiat linimentum, quo illinatur regio cordis.

Clysteres purgantes, & carminantes, frequenter iecti, flatuosam materiam potenter euacuant, & discutiunt.

Sed venę sectio omnibus remediis præstat in hoc affectu, vrgente paroxysmo. Et Galen. testatur 5. *de locis affectis, cap. 2.* se nunquam inutiliter venam secuisse in palpitatione cordis.

Quidam practici admouent thoraci cucurbitulas sine scarificatione, quibus magnam vim tribuunt discutiendis. ac dirigendis flatuosis spiritibss, qui in partibus internis inclusi continentur. Alii hypochondriis admouent, quando in iis locis mali minera residet.

Ac Zacutus Lusitanus cucurbitulam scarificatam regioni cordis admouit cum miro successu, vt videre est in historia ab eo descripta in *Praxi Medica admiranda, obseru. 133. lib. 1.*

Alii verò commendant rhaponticum verum, ad ℈ ii. cum vino exhibitum, aut vinum, in quo eadem radix macerata fuerit.

CAPUT III.

De imbecillitate virium.

ET si virium imbecillitas omnium actionum, scilicet animalium, vitalium, & naturalium læsiones generatim comprehendat: strictè tamen, & peculiariter vitales significat, quæ pulsu debili, & infirmo denotantur. Illa autem virium imbecillitas in omnibus morbis grauibus, in quibus natura vel succumbit: vel ægerrime resistit causæ morbificæ reperiri solet.

Quemadmodum igitur in palpitatione actio cordis, mirum pulsatio est deprauata; sic in virium debilitate est imminuta: in quo quidem cum syncope coincidit. Ab ea tamen differt, quòd pulsus imminutio in syncope tanta sit, vt ille fit ferè abolitus, & ægerrimè percipiatur: at in debilitate virium, manifestus, & conspicuus, neque adeò imminutus, quemadmodum in syncope.

In hac perpetuò facultas animalis etiam offenditur; vnde motus impotentia sequitur, quæ sine vllo cerebri, neruorum aut musculorum vitio contingit; sed tantùm procedit à spirituum vitalium defectu: qui sufficienter cerebro nõ communicantur, vt ex iis spiritus animales generentur.

Causa proxima virium imbecillitatis est caloris natiui, & spirituum defectus, à quibus vita, & robur partium depẽdet. Contingit autem ille defectus in singulis partibus ex defectu spirituum vitalium caloris influentis à corde. Deficiunt autem spiritus vitales; vel quòd sufficienti copia, non generentur, vel quòd geniti dissipentur, corrumpantur, aut suffocentur, quemadmodum in syncope fieri diximus. Ubi tamen hæc differentia reperitur; quod in syncope causæ defectum spirituum producentes, subitò, & derepente effectuum suum producant: in virium autem imbecillitate sensim, & paulatim operentur. Atque adeò in syncope, & lipothymia spiritus vitales penè, & toti, & subitò deficiunt: at in virium imbecillitate pauciores, quàm debebant, singulis partibus communicantur.

Præterea cùm calor natiuus non solùm calore influente, sed etiam humido primigenio, tamquam pabulo indigeat, si humidum istud deficiat, aut imminuatur; etiam calorem natiuum debilitari, & vires labefactari necesse esse.

Causæ

Cauſę etiam efficientes, vt ſpiritus non generentur, vel diſſipentur, vel corrumpantur, vel ſuffocentur; in ſyncopes theoria propoſitæ ſunt.

Diagnoſis huius affectus nulla explicatione indiget, ſi quidem malum per ſe patet, & ægri ſponte de virium imbecillitate conqueruntur. Signa verò cauſarum ſyncope fuere propoſita.

Prognoſis etiam ex varia cauſarum diſpoſitione dependet. Prout enim cauſæ virium imbecillitatem producentes, leuiores, aut grauiores ſunt, maius, vel minus inde periculum emergit.

Curatio huius affectus ad duo dirigenda eſt, cauſarum ſublationem, & cordis, ac ſpirituum vitalium reſtaurationem.

Cauſæ ſunt omnes ferè morbi graues, in quibus, vel natura ſuccumbit, vel ægerrime reſiſtit cauſæ morbificæ. Ergò cauſarum ſublatio omnium ferè morborum curationes reſpicit, quæ à ſuis locis erunt deſumendæ.

Cordis verò roboratio, & ſpirituum vitalium reſtauratio ſeorſim inſtituenda eſt; imò interdùm cauſarum morbificarum curationi præferenda, cum mortis periculum impendet; cauendo tamen perpetuo, ne vires reſiciendo cauſas morbificias augeamus; atque adeo in calido morbo cardiaca magis temperata, in frigido, calidiora potiùs vſurpentur.

Primò igitur alimentis cardiaca permiſcenda ſunt, vt confectio alKermes, vel de hyacintho cum iuſculis, vel etiam cum vino odorifero, aut aqua cinam, ſi ſumma ſit imbecillitas.

In iuſculo etiam decoquatur inter duas patinas fruſtulum coxæ veruecinæ, detractis membranis, & pinguedine. Poſtea colatum iuſculum capiat æger vno hauſtu.

Caro caponis detracta pelle, & pinguedine, in fruſta diuiſa, ponatur in olla vitreata bene lutata, & maneat in B. M. bulliente per quinque horas. Tum liquoris inde manantis capiat æger coch. ij. vel iij. cum ſingulis iuſculis.

Vel poterit fieri deſtillatum reſtaurans in hunc modum.

℞. Caponem vel gallinam, detractis pelle, & pinguedine, ac in fruſta diuide. Deinde affunde aquar. bugloſſæ, borrag. acetoſæ roſar. & flor. arant. an. ℔ß. pulu. aromat. roſat. triaſantal. & cinam. elect. an. ʒß. ſantal. citrin. ʒj. limones inciſos num. iij. Fiat deſtillatio ſecundum artem, quæ detur ex cochleari omni hora.

Succus carnis veruecinæ ſolus, ac ſimplex in vſu eſt frequentiſſimo. Coxa veruecina in veru aſſatur, & inter aſſandum, cum ſemicocta eſt, mucronato cultro pungitur. Expreſſus ſuccus parum adhuc in patina coquitur, & exhibetur per ſe; vel cum iuſculis, aut vitellis ouorum permixtus.

Valeriola ſuccum ex cordibus veruecinis extractum miris effert laudibus. Et Zacutus Luſitanus propria experientia confirmat, dicitque ſe hoc remedio per menſem exhibito, diuitem quendam virum liberaſſe, qui frequenter in ſyncopen incidebat ex debilitate facultatis vitalis, ſanguinis, & ſpiritus reſolutione; cum multa alia remedia anteà vſurpata nihil profeciſſent. Extrahendi huius ſuccihæc eſt ratio. Acceptum veruecis cor, aut hędi finditur medium, & probè aqua eluitur, & vltimò aqua roſacea fouetur, in taleolas oblongas diſſecatur, vitreatoque vaſi teſtaceo cùm caryophyllis aliquot imponitur ſine vllo liquore. Probeque operculato vaſe paſta, vel luto ſapientiæ, in calentem furnum, extracto pane, inditur quoad calore contabeſcens in ſuccum reliquatur. Inde poſt extrahitur, & aperto vaſe ſumitur inuentus in vaſe ſuccus, & ægro propinatur (*vix eſt operæ pretium.*)

Itali in vſu habent ſorbitionem ex vitellis ouorum, vino, ſaccharo, & cinamomo paratam, quę optima, & valdè reficiens eſt.

Zacutus Luſitanus ex viginti ouorum vitellis ferculum parat, vt videre eſt *obſerv.* 107. *lib.* 2. *Praxis admirandæ.*

Poterunt etiam fieri iulepi cardiaci in ſequentem modum.

℞. Aqu. bugloſ. roſar. & flor. arantior an. ʒj. ſyrup. de pomis, & de limonib. anâ ʒß. confect. alKerm. ʒ. ß aquæ cinam. drach. ij. Fiat iulep.

Vel paretur mixtura ſequens.

℞. Sacchari albiſſ. ʒij. Humectetur cum aqua cinam. optima, & nonnihil fluidum reddatur ſaccharum. Deinde adde ſpiritus vitrioli q. ſ. ad manifeſtam acciditatem, eſſentiæ cinamom. gutt. iv. eſſentiæ macis, nucis moſchat. & aniſi ana gutt. iij. eſſentiæ caryophyllor. gutt. ij. Miſce vtatur per ſe, vel cum iuſculo.

Parati etiam poterit opiata reſtaurans in ſequentem modum.

℞. Conſeruæ roſar. bugloſſæ, borrag. & caryophylli noſtratis, ana ʒ i. cortic. citri condit. & nucis moſchat. condit. ana drach. iij. myrobalan. condit. num. j. confection. alKerm. Vnc. ß. ſpiritus roſar. & eſſentiæ citri, ana drach. ß. eſſentiæ cinam. gutt. vj. Cum ſyrup. de pomis, fiat opiata, qua vtatur frequenter.

Aqua ſequens præſtantiſſima eſt.

℞. Gelatinæ cornu cerui cum vino albo extractæ ℔. iv. ſanguinis agni, & vituli, manibus agitati, & ab omnibus fibris liberati, ana ℔. ij. vini moſcatellini, canarini, aut maluatici ℔. iij. Corda vituli per fruſta ſecta, & valdè recentia n. iv. micæ panis albiſſimi recentis lacte vaccino inebriatæ ℔. ij. ſem. ſucci meliſſæ recenter expreſſi ℔. j. ſem. aquæ roſar. fragrantis ‧ & flor. arantiorum ana ℔. j. mala citria maiora in taleolas ſecta numero ij. cinamom. opt. Vnc. iv. macis Unc. j. Ponantur in alembico vitreo capaci, & deſtillentur in B. M. Aquæ dimidia pars, quæ primò prodibit, ſeruetur ad vſum.

Liquor cardiacus excellens, & prætioſus in hunc modum componi poterit.

℞. Ambræ griſeæ Drach. ij. moſchi opt. ſcrup. ij. ligni aloes Drach. j. ſem. partis albæ benzoini puriſſimi Drach. ij. contuſis, & ſimul mixtis affunde ſpirit. vini, vt quatuor digitis ſupernatet; & ad leniſſ. cinerum calorem extrahatur tinctura ſaturata, fiatque liquoris tinctis per chartam emporeticam colatura, (*aut ſimplex decantatio*,) & euocetur dimidia pars ſpiritus in cineribus lentiſſimo igne per alembicum. Liquor in cucurbita reſtans ſeruetur in ampulla vitrea forti, optimè obturata ſubre cerato, & veſica. Cuius guttæ ij. iij. iv. poterunt ſumi cum iuſculo, vino, iulepis, aliiſque liquoribus prædictis, vel cum ſyrupo ſequenti.

℞. Aquæ cinamom. Unc. iv. aquæ flor. arantiorum, fragrantiſsimæ, aquæ roſar. admodum odoratæ, ana Vnc. vj. Miſce, & in his diſſolue ſacchari candi quantum diſſolui poterit; & fiat ſine vllo calore veluti ſyrupus, cuius cochleari vini permiſceantur guttæ iv. liquoris cardiaca prædicti.

Ex magmate reſiduo illius liquoris, addito pari pondere roſar. damaſcenarum, & quadruplo benzoini poterunt fieri paſtilli, valdè ſuaues pro ſuffitu cubiculi.

Cordi applicentur epithemata tum liquida, tum ſolida, pulli columbini per medium ſecti, & pulueribus cardiacis conſperſi.

Ventriculo admoueantur ſacculi ex aromatibus in vino madefacti. Teſtes, & pudenda foueantur confectione alKerm. in vino diſſoluta.

Arteriæ temporum, manuum, & pedum eadem confect. illinantur, addendo tantillum aquæ cinam.

Odoramenta offerantur naribus, in ſequentem modum compoſita.

℞. Fol. meliſſe, ocymi, & maioranæ an. Drach. ii. cortic. citri ſantal. citrin. caryophyll. an. drach. i. croci ſyrup. ſem. ambræ griſ. gran. vi. moſchi gr. iv. Ligentur in nodulo, & irrorentur aqua cinam. & roſar. ac naribus frequenter offerantur.

Vel ex prædictis oleis deſtillatis ex nuce moſch. cinam. & caryophyllis cum tantillo ceræ fiant balſama, quibus nares illinantur.

PRAXEOS MEDICAE

LIBER NONUS.

DE AFFECTIBVS VENTRICVLI

PRÆFATIO.

VT ventriculi variæ sunt actiones, sic varię earum læsiones diuersos affectus constituunt. Cum enim illa pars ciborum coctioni, & chyli confectioni destinata sit, ad illud opus perficiendum primò instituta est cibi, & potus appetentia quæ imminui, aboleri, & deprauari solet. Abolita ciborum appetentia, anorexia, & apositia nominatur. Imminuta, in appetentia, & cibi fastidium. Deprauata verò, caninam famem, & picam, ac malaciam constituit. Nimia potus appetentia sitis morbosa nominatur. Vitia prædicta attractricem facultatem respiciunt. Ea verò, quæ ad ciborum concoctricē spectat, prout imminuitur, aboletur, aut deprauatur, vnico læsæ cococtionis nomine cōprehenditur. Retentio, & expulsio læsa in vomitu, & singultu versatur. Vomitus tamē variæ sunt species pro diuersa materia, qua excernitur, natura, & conditione. Quia vero vēticulus sensu tactus exquisito præditus est, propter neruum, quem à sexta coniugatione recipit satis insignem doloribus ideò, quemadmodum aliæ partes sensiles, obnoxius est. Ac denique tumores, quēadmodum aliæ partes, præsertim inflāmationes, tum etiam abscessus, & vulcera pati consueuit.

Vt igitur omnes ventriculi affectus, qui frequentius in Praxi Medica occurrunt, in hac sectione explicemus; eam prorsus vndecim concludemus capitibus. Quorum primum erit de inappetentia, & cibi fastidio. Secundum, de fame canina. Tertium, de pica, & malacia. Quartum, de siti morbosa. Quintum, de concoctione læsa. Sextum de singultu. Septimum, de vomitu. Octauum, de vomitu sanguinis. Nonum, de cholera morbo. Decimum, de dolore ventriculi. Vndecimum, de ventriculi inflammatione, abscessu, & vlcera.

CAPVT

De inappetentia, & cibi fastidio.

INappetentia, & cibi fastidium actionem ventriculi abolitam, & imminutam comprehendunt. Abolita vocatur. ἀνορεξία, & ἀδιψία. Imminuta verò δυσορεξία. Usus tamen obtinuit, vt ἀνορεξία, & ἀδιψία pro imminuta, & abolita appetentia vsurpentur. (Conf. Melet. II. 101.)

Causæ huius affectus variæ sunt atque multiplices, quæ, vt in ordinem quemdam redigantur, considerandæ sunt causæ naturales, quæ famem, seu appetitum naturalem efficiunt. Illę autem à Gal. 1. *de sympt. caus. cap. 7.* symptomata impropriè nominantur, & quinario numero cōprehenduntur. Prima est inanitio partium. Secunda, est inanitarum partium appetentia naturalis, & tractio alimenti, à iecore, & venis vsque ad ventriculum continuata. Tertia est venarum mesaraicarum (ad quas omnium partiū attractio terminatur,) suctio, & attractio ab intestinis, & ventriculo. Quarta est suctionis sensus in ventriculo. Quinta appetentia animalis, quæ sensu tactus, orificio stomachi implantato, per neruum insignem à cerebro communicato, perficitur. Hanc etiam actionem non parum adiuuat humor melancholicus, à liene in ventriculum transmissus, qui acciditate sua, & astrictione tunicam interiorem ventriculi vellicat, & corrugat, estque illi instar acetarii, ad excitandam appetentiam. Vt igitur appetentia secundum naturam se habeat, omnes istas causas benè constitutas esse necesse est. Si verò aliquòd vitium in qualibet earum contingerit, appetitus læsio exoritur.

Prima ergo causa, quæ est partium inanitio, si quacunque de causa defuerit, non fit earum attractio ex aliis partibus, & ventriculo, sicque appetentia non excitatur. Deest autem illa partium inanitio, vel quando repletæ sunt crudorum succorum copia ob crapulam, & ingluuiem, vel ob intermissas exercitationes, aut euacuationes consuetas; vel quando tanta est pinguedinis moles, vt partibus ipsis ad alimoniam sufficiat. Impedit etiam partium inanitionem pororum cutis constipatio magna, vel ingens caloris natiui imbecillitas, vt nihil, aut perexiguum substantiæ partium dissipare valeat, vel eiusdem caloris ad morbificæ cuiusdam materiæ pepasmum reuocatio, neglecta interim partium nutritione, vt in febribus fieri consueuit.

Secunda causa erat appetentia naturalis, & tractio alimenti vsque ad ventriculum producta. Illa autem vitiatur, quando partes licet inanitæ sint, non trahunt è vasis ob exolutum sui robur, sed velut effectæ, ac muneris sui oblitę, languent, & feriantur, vt solet contingere in febribus acutis malignis pestilentibus, synechicis, & hecticis. Idem contingit in immodicis, ac diuturnis euacuationibus, vt in fluxu hepatico, vterino, hæmorrhoidali, hæmorrhagia, e naribus, sudore diaphoretico, venere effrænata inedia longa, & similibus.

Tertia causa erat, tractio, quæ sit è ventriculo per venas mesaraicas, quę vitiari solet per obstructiones insignes illarum venarum, quarum ratione partes inanitę non possunt materiam chylosam attrahere, neque orificio ventriculi diuulsionis sensum inferre. Sic videmus sępè Pueros strumis laborantes, cum alui fluxu chyloso eoque diuturno, sensim contabescere, & ad marasmum deduci: propterea quod in ijs vniuersum mesenterium glandulis refertum est, quæ venas illius obstruunt, & chyli ad iecur commeatum impediunt: vnde fit, vt ille semiconfectus per aluum excludatur, sicque partes alimento necessario priuentur.

Quarta, & quinta causa, quę sunt suctionis sensus, & appetentia animalis, bonam ventriculi cerebri, & neruorum dispositionem requirunt. Ideo quęcunque illas dispositiones euertere possunt, appetentiam quoque deijcere valent. Sic quęcunque intemperies ventriculi validè excedens appetentiam vitiat, precipuè calida, & sicca. Calor enim ingens humidam ventriculi substantiam dissipando, appetentiam aufert. Frigus etiam valdè intensum appetentiam vitiat, non solum positiuum, quando nimirum viscera ab externo aere, aqua, gelu, niue, & similibus ita refrigerentur, vt in narcosin incidant; sed etiam priuatiuum, ab exhausto calore natiuo quod Galenus Narcosin appellat, vt per longas hęmorrhagias, febres ardentes, & similia, quibus exhauritur ventriculi, & aliarum partium robur. Sic etiam humores praui, & excrementitii tum calidi, tum frigidi inappetentias excitare solent. Calidi quidem, vt bilio si, adusti, putridi, aut virulenti, siue in ventriculo ob vitiatam coctionem generentur, siue ex aliis partibus malè affectis transfetantur. Frigidi verò, vt pituitosi, viscidi, ac lenti, in ventriculo collecti ex malè concoctis alimentis, vel illapsi ex toto corpore. Vt in illis, qui per vomitiones consuetas aliarum partium impuritates in ventriculum allicere consueuerunt; vel ex cerebro per catharros, in quibus frequenter ventriculus ab humore pituitoso grauari consueuit, suppressis mensibus, aut hæmorrhoidibus calorem suffocando, appetentiam imminuit.

Cerebri etiam, & neruorum vitia faciunt, vt in stomacho suctionis sensus non percipiatur; in quibus scilicet facultas animalis concidit, vel deprauata est, atque adeò, quibus mens ægrotat, vt in apoplexia, lethargo, phrenitide mania, & similibus contingit, quemadmodum etiam in paralysi propter obstructionem nerui sextæ coniugationis, quæ ad ventriculū defertur, vel propter eiusdem obstupefactionē ex vsu refrigerantium, & narcoticorum contractam.

Diagnosis huius affectus per se satis innotescit æger enim ipse de appetentia deiecta, & alimentorum auersione satis conqueritur. At signa causarum partim conspicua sunt, partim verò artificiosè elicienda.

Ac primum ille, quæ inanitionis defectum pariunt, cognoscuntur est victu liberaliori pregresso, corpore admodum repleto intermissis exercitationibus, aut euacuationibus, somno longiore, & alijs causis crudorum succorum copiam congerere idoneis; tum etiam si corpus obesum, & venæ distentæ appareant. Eundem inanitionis defectum significat cutis densitas, quę humoris alimentari dissipationem impedit, tum etiam morbus aliquis grauis, peculiare membrum obsidens, à quo facta est caloris natiui dissipatio in toto corpore, ita vt summa debilitas illius non possit attractum ad partes alimentum sufficienter conficere, eiusque penuriam inferre.

Secundę causę signa satis conspicua sunt, nimirum febres acutę malignę pestilentes, aut synectice, vel euacuationes immodicę alieque causæ, à quibus magna caloris natiui exsolutio producta est in partibus, vt non possint necessarium alimentum attrahere.

Tertię causæ signa ad obstructiones præsertim referuntur, quarum signa in hepatis, lienis, & mesenterij affectibus innotescent.

Quartę, & quintæ causæ signa maiori indagine opus habent. Ac primum caliditm ventriculi intemperiem, & biliosi humoris redundantiam significant æstus in pręcordis, ac præsertim in regione ventriculi, sitis, linguæ faucium ariditas, & amaror, febris interdum adest, & si ab alia parte humores calidi, & biliosi influant; illius partis affectus innotescet, vt hepatis inflammatio, aut alterius partis. Si verò nulla alia pars laborare videatur, in ipso ventriculo intemperiem residere coniiciendum est, aut vitiosorum alimentorum vsum præcessisse. His vt plurimum accedunt cardialgia, nausea, vomitus, vel alui fluxus, & ab eorum, quæ excernuntur, qualitatibus, humoris peccantis natura innotescit. Frigida intemperies, & pituitosorum humorum copia ex causis refrigerantibus prægressis, vel natiuum calorem insigniter dissipantibus, & extinguentibus, innotescit; tum etiam ex grauitatis sensu in regione stomachi, ructu acido, humore viscido, & crasso per os aut per aluum excreto. Eandem etiam significant catarrhus frequens, aut diuturnus, & affectus alicuius partis, quæ humorem pituitosum, aut melancholicum ad ventriculum transmittere potest, vt lienis, vteri, & similium. Cerebri denique, & neruorum vitia per propria indicia erunt distinguenda.

Quod ad prognosin spectat, quemadmodum bona appetentia in omnibus morbis laudabilis est, vt docuit Hippocr. *Aph.* 33. *sect.* 2. Mente constare, & benè se habere ad ea, quæ offeruntur bonum sic etiam innapetentia, malum omne esse consueuit. Magnam enim à statu naturali auersionem significat, oriturque, vt docet Gal. *comment. in* 3. *epid.* aut à prauis malignisque humoribus, ventriculi orificium occupantibus, aut ab ipsius facultatis extinctione, cuius munus erat alimenti indigentiam sentire, idque consequenter appetere. Sic Hipp. *in* 1. *Epid.* de tabidis, in Epidemica constitutione mortuis, ait: *cibos omnes perpetuò fastidiebant, non sitiebant.* Sic etiam Gal. *comment. in* 3. *Epid.* multos se vidisse affirmat, in quadam pestilenti constitutione, qui nihil quicquam ciborum assumebant, & de medio tollebantur. Quidam tamen, vt ipse ait fortiores quippè, qui vim sibi ipsis afferentes cibum oblatum assumpserunt, superstites manserunt. Ita apud Hippoc. 3. *Epid. sect.* 1. *Aegr.* 2 *Hemocrates*, qui die 27. mortuus est, *cibum aduersabatur toto morbi tempore, & vltimis diebus ne degustare quidem poterat.* Et sect. 2. eiusdem libri Aegr. 6. *Euryanatis filia abhorrebat omnes cibos toto tempore, neque appetebat quicquam, sine siti, neque aliquid bibebat effatu dignum*, ex quo morbo interijt post diem duodecimam.

Aduertendum tamen est, cibi fastidium esse quidem funestum, si à caloris natiui exsolutione prodeat; sed non esse tàm pernicioſum, si ab humorum prauorum redundantia, & cacochymia oriatur, vt videre est apud Hippoc. 7. *Epid.* in Cleomonis filio, cibi fastidio citra febrem totos duos menses laborante, ex pituitæ crudæ, & viscidæ copia, quæ tamen vomitu copioso fuit exclusa. Sic in morborum, ac febrium præcipuè initiis, non est adeò periculosa inappetentia quia tunc natura, putrescentium humorum pepasmo intenta, minus appetit alimentum, quo ab instituto suo reuocaretur. Postmodum enim, sedata febre, & humoribus morbificis exclusis, sponte sua munus suum repetit intermissum.

In pueris in appetentia grauior est, quàm in alia ætate, propter humidam valdè, & dissipabilem substantiam, qua pręditi sunt, & quæ maiori restauratione indiget, vsu alimentorum, quibus priuantur per inappetentiam.

In conualescentibus cibi fastidium reciduam minatur propter reliquias materiæ morbificæ, inappetentiam producentes.

In morbo diuturno cibi fastidium, & deiectiones syncerę, malum *Hippocr. Aphor.* 6. *sect.* 7. Cibi fastidium per seipsum prauum est signum in morbis diuturnis: in iis enim, qui à talibus morbis sunt euasuri, contrarius affectus solet accidere, vehemens scilicet ciborum appetentia. At deiectiones syncerę, iis superuenientes, deteriùs multò præsagium efficiunt; quando quidem per syncteras deiectiones intelligit Hippocr. impermixtas aquosæ humiditati, quando solus humor sero suo destitutus eiicitur, siue is biliosus sit, siue melancholicus. Nam deiectiones huiusmodi exustam esse omnem humiditate natiuam significant à calore febrili.

In longis difficultatibus intestinorum cibi fastidium malum, & cum febre peius. Hippocr. *Aphor.* 3. *sect.* 6. quando in dysenteria profundiora, & putrida vlcera sunt, ventriculus ipsis compatiens non benè concoquit, qua offensione magis ac magis ad superiora perueniente, quando os ventriculi vna afficitur, tum ęgrotantes cibi fastidio laborant. Sunt quidem dysenterici non rarò ab initio morbi cibum fastidientes, ob prauos humores ab hepate confluentes: pars enim eorum superfluitans ad os ventriculi effertur, quod tamen non est perpetuò periculosum. Sed in longis difficultatibus intestinorum cum hic casus aduenerit quorum alterum est, vel putredo aliqua circa vlcera, vel magna inflammatio, quorum vtrumque admodum est exitiosum.

Curatio huius affectus, si ab aliarum partium vitio dependeat, ab earum curatione desumenda est. Si verò proprio ventriculi vitio contingat, ad calidam, vel frigidam illius intemperiem cum materia coniunctam, reducenda est.

Calida intemperies curanda est primùm humoris biliosi expurgatione, blandè, & frequenter repetita. Eaque parari poterit ex rhab. myrob. tamarind. syrup. ros. vel de cichorio compos. cum reo. Aut si æger sit ad vomitum procliuis, blandis vomitorijs prouocari.

Idem humor alterabitur iulepis, aut iusculis refrigerantibus, in quibus non omittendus est spiritus vitrioli, aut sulphuris. Quandoquidem acida omnia, præterquam quod bilem valdè contemperent, appetitum etiam maximè excitare valent. Vnde fit, vt acetaria æstatis tempore ad excitandam appetentiam frequenter vsurpentur.

Vel simul, & semel humor ille biliosus alterari, & expurgari poterit apozemate conuenienti, cui, ratione ventriculi, addi poterunt absinthij pontici M. sem. myrobal. citrin. Vnc. sem.

Post purgationem, ad ventriculum roborandum, conuenient miua cydonior. aut cydoniarum Ipsum: vel syrupus cydon. cum syrupo de absinthio pontic. mixtus; tabellæ diamarg. frig. vel triasantal. vel etiam diarrhod. abbat. si quædam obstructionis suspicio fuerit. Uel opiata sequens.

℞. Conditurę lactucæ, & cucurbitæ, an. Vnc. i. conserue acetosæ, rosar. flor. & cichorii, & bugloss. an. ʒ. sem. santal. rubri, corall. præparat. & margarit. præp. an. ʒ. sem. trochisc. de spodio, & sem. acetosæ, ana ℈. i. Cum syrupo limon. (malim Endiu.) fiat opiata, cuius capiat ad magnitudinem castaneæ manè, & serò, superbibendo parum vini dilutissimi.

Exteriùs verò sequenti vnguento regio ventriculi inungatur.

℞. Ol. rosat. myrtini, & cydonior. aceto rosac. lotor. ana ℥ ij. santal. omnium, coralli rubri, coriandi præp. rosar. rubr. an. ʒ j. gran. Kermes, & spodij, ana ʒ ß. ceræ albæ q. s. Fiat linimentum, quo subtepido, & in vola manus tantum calefacto, inungatur dicta regio bis, aut ter in die, addendo etiam aceti rosac. parum, vnctionis tempore.

Vel eidem parti admoueatur placenta panis rosac. aceto irrorata, aut in eodem parum macerata, quæ remouenda erit, priusquam incalescat.

Denique in perseuerante affectu plurimum proderit balneum, vel semicupium refrigerans, & humectans, bis, aut ter repe-

repetitum. Quo maximè recreantur conualescentes, & in priorem statum, appetentiam sæpè restituuntur.

In alimentis acetum & acida omnia erunt vtilissima.

A frigida intemperie producitur in appetentia, quando humores pituitosi, & melancholici, in ventriculo collecti, functionem illius destruunt; vel aliunde illapsi à toto corpore, vt illis, qui per assuetas vomitiones allicere solent aliarum partium impuritates in ventriculum; aut à cerebro, liene, vtero, alijsque partibus. Illiusque curatio primum respicere debet intemperiem partium mandantium, quæ corrigenda remedijs, è proprijs capitibus desumendis.

Ipsi verò ventriculo medicatio adhiben da est, per euacuationem humoris morbifici, & partis corroborationem.

Vacuatio potest fieri per vomitum, & secessum.

Per vomitum quidem, si æger sit nauseabundus, & facilè vomat, medicamentis ciendo vomitui destinatis.

Si verò illi humores crassi sint, & tunicis ventriculi impacti, ægerque vomitui non sit assuetus, per aluum deturbandi sunt pilulis præcipuè, quæ hic magis conueniunt, quia diutius in ventriculo morantur, vt docet Gal. *cap. 7. lib. 4. de sanitate tuenda.* Qui etiam valdè commendat pilulas de hiera quæ exhiberi possunt ad ℈ ij. vel ʒ j. manè duabus horis antè pastum, vel recenter in hunc modum componi possunt.

℞. Aloes electę, succo absinthij diligenter nutritæ ʒ j. agarici trochis. ʒ. ij. rhab. puluerat. & vino albo irrorati, ʒ j. nucis mosch. & spicæ nard. ana ʒ ß. salis tartari, mastich. & cinam. ana. ℈ j. Cum syrup. de absinthio, fiat massa pilular. de cuius ʒ j. formentur pilulæ vj. deauratæ. Capiat summo manè, si velis, integrè purgare, vel sumat. ʒ ß. horis duabus antè prandium, bis, aut ter in septimana. Possunt acui diagrydio, si validus purgare volumus.

Si metus sit calidioris iecoris, poterunt misceri quædam refrigerantia, vt rosæ rubræ, santala, pulu. diamargariti. Et fiet massa cum syrup. de cichor. composita.

Validiores pilulæ non conueniunt quia humores ab alijs partibus ad ventriculum alliciunt.

Si pilulæ deuorari non possint, hiera propinanda est cum decocto conuenienti. Vel si potio videatur ingrata, fiat infusio fol. sennæ, myrobalan. rhei, & agarici, in vino absinthite, vel decocto stomachico: dissoluendo tantillum electuarij de citro solutiui, si magis purgans medicamentum componere sit animus.

Si à pituita admodum lenta, viscidaque oriatur hic affectus antè purgationem dissoluenda est vsu mellis rosac. oxymel. syrup. de hyssopo, alijsque cum decocto incidente, & abstergente. Vel sequenti apozemate vtrumque simul præstari poterit.

℞. Rad. acori vulgaris cyperi, calami aromat. ana. Vnc. ij. cortic. citri sicci, & rad. salsæ par. ana. Drach. vj. fol. absinthii pontic. menthæ, maioranæ, chamæd. chamæp. ana M. j. sem. citri, & anisi, an. Drach. ij. sennę mundat. Vnc. ij. sem. carthami contusi, Vnc. j. agarici trochiscat. Drach. iij. epithymi, flor. saluiæ, anthos, lauendulæ, ana P. j. Fiat decoctio ad ℔. j. ß. In qua dissolue syrup. de absinthio pontic. & condituræ cortic. citri, ana ʒ. ij. Fiat apozema clarum, & aromat. pauco cinam. & pulu. electuarij, aromat. rosat. pro iv. dosibus matutinis. In quarum prima, & vltima dissolui possunt, ad vberiorem purgationem, electuar. de citro solut. ʒ. iij. cum rhab. puluerat. ℈ j.

Terebinthinæ vsus opportunissimus est, quia viscera omnia commodè repurgat, maximè si ex ea, & rhab. pilulas confeceris.

Uenæ sectio in hoc affectu non conuenit, nisi iecur calidius.

Post purgationem sufficientem ad roborantia veniendum est, tàm interna, quàm externa, quæ in sequentem modum præscribi poterunt.

℞. Syrup. de absinthio pōtic. ʒ. j. Capiat manè ieiunio stomacho per aliquot dies. Vel illius loco vinum absinthite substitui poterit.

℞. Conseruæ anthos, menthæ, cort. citri conditi nucis moschatæ condit. ana ʒ ß. myrobalan. Chebul. condit. num. j. confect. alKerm. ʒ. iij. tunicar. interior. ventricolor. gallinæ præparat. ʒ. ij. cinam. puluer. aromat. rosat. ana Drach. j. Cùm syrup. de mentha fiat opiata; vel cum saccharo rosac. fiat conditum. Utatur manè, superbibendo parùm vini generosi.

Dictis remedijs vtiliter additur sal absinthij, vel ol. de mentha, arte Chymica extractum.

Vel sal absinthij, & cortic. arantior. vel alterutrum, ad Drach. sem. in vino, vel iusculo dissolutum exhibeatur.

Sequens etiam syrup. efficacissimus est.

℞. Syrup. cydon. & condit. cort. citri, ana Vnc. ij. aquæ cinam. Unc. j. ol. sulphur. gutt. xij. Misce, capiat cochlear. j. per interualla.

Aqua clareta frequentissimo in vsu apud multos habetur cuius compositio talis est.

℞. Cinam. crassiusculè triti Vnc. ij. Macerentur in ℔. i. aquæ vitæ per se in vase vitreo. In alio vaso vitreo, per se, & seorsin macerentur sacchari albis. Vnc. vi. aquæ rosar. ℔. ß. Stent hæc omnia seorsim in infusione per duos, aut tres dies agitando quolibet die pluries hæc duo vasa. Tandem simul misceantur materiæ in ipsis contentæ, & per manicam transmittantur. Colatura seruetur in vase vitreo benè obturato, Sumat cochlear.

Apud Parisienses maximo in pretio habetur syrupus de absintho Penæ, cuius descriptio in hunc modum se habet.

℞. Cort. citri saccharo conditi, & in taleolas dissecti ℔. sem. Coquantur in æquis partibus aquæ cichorii, & agrimonii vsque ad putrilaginem. Expressioni fortiter factę adde succi cydon. & aquæ stillat. absinth. pont. an. ℔. sem. Quibus simul mixtis infunde per quatriduum schœnanth. Vnc. iv. in vase benè clauso, vitreato, suprà cineres calidos. In expressione fortiter facta dissolue sacchari albis. q. s. Coquantur posteà in syrupum perfectum, in quo calente dissolue ambræ cineritiæ Drach. i. Seruetur posteà in vase vitreo benè clauso.

In maxima frigiditate ventriculi aqua cinam. sola præstantissima est. Si minus, cum aliis medicamētis permiscenda v.g. cum syrupo de absinthio, de menta, corall. quibus etiam ambra gris. vtiliter addi poterit.

Non minoris est efficaciæ syrup. cinam. cum aqua vitæ confectus, pro vt describitur à Quercetano in Pharmacopœa.

Aqua cinam. cum succo cydon. destillata præstantissima est.

Ad idem præstat spiritus mastiches in hunc modum compositus.

℞. Mastiches vnc. iii. galangę vnc. i. spiritus vini ℔. sem. Digerantur, ac destillentur.

Vtile est etiam elixir proprietatis à Crollio descriptum. Cuius guttæ xii. aut xv. ad (xx.) cum vino exhibitæ, mirè stomachum roborant.

Tabellæ etiam ad eundem vsum componi poterunt in hunc modum.

℞. Pulpæ cortic. arantior. recent. & pulu. aromat. rosat. aa Drach. ii. sacchari albi in aqua flor. arantior. dissoluti Vnc. iv. Fiant tabellæ.

Eundem vsum præstant tabellæ aromat. rosat. opiata Salomonis, & theriaca.

In affectu inueterato plurimum conducit decoctum ligni guaiaci, aut sassafras in plures dies sumptum, cum leui sudore, aut sine eo in debilioribus.

Aquæ etiam thermales sulphureæ, & nitrosæ; quales nostræ Bellilucanę, magna copia plures dies sumptæ per crassos, & mucilaginosos humores, omnemque ventriculi, & intestinorum illuuiem potenter abstergunt, & euacuant.

℞. Fol. agrimon. centaur. minor. & absinthii vulgaris ana M. sem. Coquantur ad ℔. sem. Dissolue sacchari Unc. i. Fiat potio præstans, & in causa frigida, & calida efficax.

Hartmannus zedoariæ, vsum valdè commendat his verbis. *Frequens vsus zedoariæ ventriculum malè affectum adeò roborat, aut nihil supra. Ideoque vsus eius toties comprobatum magni facere licet, cum nusquam non affectus consequatur petitus. Sæpius autem zedoaria est comedenda.*

Costeus vini calidi vsum prædicat in sequentem modum *In potu ordinario vinum calidum ebibitum ventriculi imbecillitatem corrigit. Non infrequens enim est obseruatio eorum, qui cum ventris flatibus, doloribusque ob malam coctionem perpetuò torquerentur, vbi calido potu vti cœpere, omni prorsus, eiusmodi molestia soluti meliorem multo iam annos vitam viuunt.*

Cum vino aqua potus ordinarii permiscenda est, quæ priùs cum semine coriandi parum bullierit.

Notandum autem est diligenter, si cum frigida ventriculi intemperie calida hepatis concurrat, vt sæpè fit calida, medicamenta esse cautè adhibenda, & temperatiora potiùs vsurpanda.

Zechius sequentem bolum his verbis commendat, *Vt stomachus moderatè calefiat, nec exsiccetur, nullum ex internis valentius hoc præsidium vsurpari potest.*

℞. Terebinth. claræ ʒij. mastich. puluer. ʒ semi. puluer. aromat. rosat. ℈. semi. Fiat bolus, duabus horis ante cibum dandus.

Puluis digestiuus ad concoctionem ventriculi adiuuandam in frequenti vsu esse consueuit.

℞. Coriandri præp. Vnc. ß. semi. fœnicul. dulc. & anisi ana ʒij. cinam. caryophyll. an. ʒ. semi. sacchari ad pondus omnium duplum, fiat puluis, de quo capiat cochl. i. post singulos pastus, nihil desuper comedendo, vel bibendo.

Balsamum Peruuianum ad roborandum ventriculum præstans, & efficax est remedium, si eius guttæ aliquot cum vino Hippocratico, vel alio hora vna ante pastum exhibeantur.

Vel, balsami Peruuiani gutta vna aut altera cum saccharo permixta in formam pilularum sumatur per multos dies.

Magis familiaria medicamenta, ventriculo roborando, & calefaciendo idonea, sunt vinum hippocraticum, bochetum ex decocto anisi & coriandri, cum saccharo, & cinam. paratum, pro potu ordinario. Puluis dulcis vulgò dictu, ex duabus sacchari partibus, & vna cinam. conflatus, omnibus alimentis inspersus. Sal. ad condiendos cibos confectum ex puluere coriandri, anisi, piperis longi, galangæ, & nuc. moschat. mixto cum pari portione salis communis. Piperis grana aliquot integra, vel contusa, ventriculo ieiunio sumpta. Nuces iuglandes, caryophylli, & cinam. transfixæ, & saccharo conditæ. Cortex citri, & arantior. pariter conditus. Semina anisi, fœniculi, coriandri, & frustula cinam. saccharo incrustata. Quæ omnia ægrotantes ad libitum vsurpare poterunt.

Ex prædictis cortex citri vstui gratissimus est. Sed quia sæpè ab exsiccatione duritiem contraxit, vt dentibus facilè comminui non possit, cogimur non rarò eum in mortario marmoreo contundere cum aqua rosarum in formam opiatæ.

Myrobalani condit. & nux moschi condit. in eundem finem vsurpari possunt & si opus fuerit, eodem modo contundi, quamvis vt plurimum sufficientem mollitiem obtineant.

Essentiæ anisi, cinam. cort. citri, nuc. moschat. & garyophyll. ad ventriculum roborandum efficacissimæ sunt. Earumque vsus erit, quemadmodum suprà in affectu cordis propositus.

Ex alimentis salsa appetentiam plurimum excitant. Imò verò, & acida vsurpari poterunt in parua quantitate, cum aliis permixta, ne ventriculum refrigerent.

Exterius verò admoueantur fomenta, linimenta, & emplastra, in sequentem modum composita.

℞. Rad. cyperi, galangæ, ireos Florent. & cortic. citri sicci. ana Vnc. ii. fol. menthæ, hyssopi, saluiæ, rosmar. & maioran. ana M. i. semi. anisi, baccar. lauri, nucis moschat. caryophyll. & cinam. an. ʒ. iii. flor. ßechad. schœnan. & rorism. an. P. i. Incidenda incidantur, & contundenda contundantur vt artis est, includanturque duobus sacculis interpunctis, qui macerentur in vino generoso, & applicentur regioni stomachi calidè per vices.

℞. Ol. de absinthio, de mentha, & nardini, ana ʒß. ol. nucis moschat. ʒ. ii. ligni aloes, macis cinam. an. ℥. i. Ceræ, parum fiat linimentum. Quod præstantius euadet, si addideris olei caryophyll. gott. vi. moschi, & ambræ griseæ, an. gr. vii.

Linimentum ex oleo nucis moschat. & balsamo Peruuiano: vel oleo absinth. mastic. & balsamo Peruuiano.

℞. Massæ emplastri de mastiche ʒ i. pulu. aromat. rosat. ʒ i. ol. nucis moschat. q. s. Fiat emplastr. scutiforme, applicandum regioni stomachi.

Crato sequens emplastrum miris laudibus affert.

℞. Ladani ʒ ii. ceræ ʒ iv. olei nucis moschat. ʒ iii. Fiat emplastri massa ad vsum, adde Tacam. Mastic. ana ʒ i.

Admonet Gal. 7. *meth.* huiusmodi emplastra diutiùs non esse in parte detinenda, quia, tandem calorem dissoluunt.

Multi practici huiusmodi remedia admouent non solùm parti anteriori suprà cartilaginem xiphoidem; sed etiam posteriori suprà 13. vertebram, quia orificium ventriculi superius ad posteriora fertur. Attamen tanta est crassities vertebrarum, & musculorum eis subiectorum, vt vires medicamentorum eas partes penetrare nequeant, & ad ventriculum deferri.

℞. Rad. galangæ, & calami aromat. ana Drach. iii. mastiches, & caryophyll. ana Drach. ii. nuc. moschat. n. i. cort. citri sicci. Vnc. ß. semi. anisi Drach. i. ß. ex his contusis fiat sacculus interpunctus cum sindone rubra, & cotone moschato, perpetuò gestandus suprà regionem stomachi.

Ad idem valde laudantur pelles lupinæ, & vulturis præparatæ, & suprà regionem ventriculi gestatæ: earum defectum pellis leporis, aut pannus scarlatinus vsurpari poterit, ventriculi item lupini membrana præparata.

CAPVT II.

De Fame canina.

CUm superiori capite de appetentia imminuta, & abolita actum sit, ordinis ratio postulat, vt deprauata explicetur. Deprauatur autem appetentia duobus modis: quando scilicet vel quantitate, vel qualitate peccat. Quantitate peccat, dum maiori copia alimenta expetuntur, quàm naturalis ordo requirit, & ille affectus βυλιμία, seu fames canina nominatur, qualitate verò, cum cibi absurdi, aut ea, quæ extra rationem alimenti sunt, expetuntur, & pica seu κίττα appellatur. De priori hoc capite: de posteriori capite sequenti agendum est.

Nomen igitur βυλιμίας ἀπὸ τοῦ βοῦ καὶ λιμοῦ deducitur, quia βοῦ particula, aliis vocibus addita, significationem auget, ac si bouis magnitudini conferatur. Vocatur etiam φαγέδαινα, quod nomen vlceribus quoque tribuitur, quæ carnem exedunt, & continuum incrementum capiunt, eaque ideò autores vlcera φαγέδαινα, id est depascentia nominant. Fames etiam canina nominatur, quoniam sic affecti vehementi appetitu, canum more, in cibos feruntur.

Notandum autem est, hæc duo nomina, nempè boulimiam & famem caninam, interdum confundi, & pro vno, & eodem vsurpari: interdum verò distingui; vt fames canina dicatur quando post nimium assumptum alimentum vomitus consequitur: & ita ægroti canum more afficiantur qui cibos nimia quantitate assumptos, vomitu reiicere solent. Quibusdam tamen alui fluxus potius quàm vomitus accidit, natura copiam illam alimenti, quam ventriculus concoquere non potest, per aluum detrudente. In boulimia verò vomitus non accidit, sed eam interdum hipothymia comitatur. Sunt etiam quidam, qui insatiabili illo comedendi desiderio premuntur, non tamen vomunt, nec alui fluxu tenentur; sed omnes cibos ingestos probè concoquunt, & nisi mox alium sumant, malè habent. Quemadmodum narrat Sennertus de quodam studioso, nigro corporis habitu prædito, qui non solum de die, sed noctu etiam comedebat, cibum tamen, quem sumebat, sine vomitu concoquebat, imò verò cibis delicatis satiari non poterat, sed crassos expetebat, vnde nec panem à pistoribus confectum, sed à rusticis in vicinis pagis emptum, vt solidiorem, comedebat; sæpè manè tempore æstiuo pastinacæ satiuæ radices tot quot sex nummis emuntur, crudas sine damno comedebat (*Conf. Melet. II.* 101)

Ex his patet, hunc affectum esse symptoma actionis deprauatæ respectu quantitatis, quæ auctio aucta nominatur, nempe appetentia modum naturalem excedens. Pars affecta præcipuè est os ventriculi superius. Causa continens est sensus suctionis, & vellicationis vehemens, & immodicus, appetitum subinde irritans.

Galenus 2. *de sympt. caus cap.* 7. causas huius affectu proximas ad duo genera reducit his verbis. *Vitiosæ appetentiæ, quæ modum in quantitate excedunt, vocanturque à quibusdam canina, tum existunt, cum vel acidus quispiam vitiosus succus ventriculum mordet, vel totum corpus immodicè digestum inops alimenti reddit. Vitiosus namque succus, qui frigidus est, similem suctui morsum infert; appetentiam vero proritat naturalis affectus similitudine.* Causa igitur proxima auctæ præter naturam appetentiæ, iuxta Galeni mentem, est primo humor vitiosus, & frigidus in ventriculo hærens; secundò, alimenti indigentia ob nimiam digestionem.

Humores vitiosi in ventriculo hærentes famem immodicam excitant, quatenus nimia sua frigiditate, aciditate, & austeritate orificium ventriculi constringunt, corrugant, ac vellicant, adeoque sensum naturali suctioni similem, & spuriam famem inferunt. Talis humor est vel pituita acida in ventriculo restagnans, vel vt plurimum melancholia à liene in ventriculum transfusa, quę in statu naturali existes,

& mo-

& moderata quantitate, & qualitate prædita, naturalem, & moderatam excitat appetentiam; si verò præter naturam se habeat, & in prædictis excedat, eam intensiorem, ac præternaturalem efficit.

Alimenti indigentia, ob quàm venæ continuò ex ventriculo fugunt, vel à nimijs oritur euacuationibus, per hæmorrhagiam, alui fluxum, vomitum, sudorem, & similia; vel ex nimia substantiæ alimentariæ consumptione, ob calorem partium immoderatum, aut humorum tenuitatem, corporis raritatem, & pororum laxitatem, vigilias, balnea exercitia immodica, venerem effrenatam. Quæ omnia humiditatem substantificam maxime dissoluunt, ab ijsque facta inanitione, & alimenti penuria, cibus citiùs, quàm debeat à ventriculo abripitur.

A lumbricis etiam, chylum depascentibus, potest fieri ames canina, quemadmodum refert Trallianus *lib. 7. cap. 4.* de quadam muliere boulimia laborante, quæ ab vsu hieræ vermen duodecim cubitos longum excreuit, & liberata est.

Hermetici aliam huius stupendi appetitus causam statuunt: nempe spiritum quemdam dissoluentem in corpore genitum, qui insita proprietate quidquid ciborum ingeritur, tam prompte consumit, & resoluit, vt legitimum, & necessarium nutritioni terminum naturæ non concedat. Hunc spiritum vocant famelicum, esurinum, voracem, salinum, acidum, & vitriolatum, prout ex varijs salibus, vitriolo, nitro, sale communi, ammoniaco, & similibus, spiritus, seu liquores, quos aquas fortes vocant, arte chymica eliciuntur, qui lapides durissimos, & durissima metalla breui temporis spatio in liquorem resoluunt; ita vt aurum, quod ne igne quidem fortissimo intra mensis spatium dissolui potest, intra horæ quadrantem in aqua regia soluatur, & in liquorem aquæ ipsi per similem conuertatur.

Hæc doctrina diligenti examine digna est. Sicut enim digestio ventriculi, naturaliter se habens, sedulis rerum naturalium indagatoribus quippiam mirabile & stupendum ostentare videtur: sic eadem immoderata, & præternaturalis reddita quippiam habet admiratione dignissimum. Hoc autem admirabile est in digestione ventriculi naturali, quod cibi durissimi in eo dissoluantur, & trium, vel quatuor horarum spatio in liquorem chylosum conuertantur tàm tenuem, vt per angustissimos venarum lacteorum ramos transcolari, ac veluti filtrari valeant: Nec minus, quod canes ossa durissima in eundem liquorem conuertant: quod certè calori intensiori validè concoquenti tribui non potest, cum cibi in olla, igne quantum vis luculento, intra 24. horas, ac plures dies insimilem succum conuerti nequeant. Dicunt Galenici à facultate ventriculi illud dependere. Sed facultas non agit sine instrumento, quod etiam assignatur, idiosyncrasiæ partis; quæ tamen idiosyncrasis, si est certa primarum qualitatum proportio, vt vulgò circumfertur, præcipua illius actio erit à calore, Frigiditas enim, humiditas, & siccitas, nihil faciunt ad eximiam illam ciborum liquationem. Calor autem, vt dictum est, non habet illam efficaciam. Est igitur illa idyosyncrasia aliquid aliud ignotum & inexplicabile. Liceat ergo illud inquirere per ea, quæ fiunt in macrocosmo quorum analogia quædam esse potest in microcosmo. Et ideò dicunt Hermetici acutiores, spiritum quendam seu liquorem acidum transfundi à liene in ventriculum; qui solidiora alimenta dissoluit, & in liquorem chylosum breui tempore conuertit; ita vt spiritus ille, seu liquor acidus sit præcipuum digestionis instrumentum. Et quædam huius rei coniectura ex eo elici potest, quod aues, quæ durissima alimenta conficiunt, lienem habeant, ventriculum vndiquaque ambientem; caro enim illa, quæ ventriculis auium circumducta reperitur, lienis substantiam omninò repræsentat; vnde meliorem lieni vsum tribuunt, quàm qui ab antiquis est traditus; qui eum solummodò limosæ sanguinis partis expurgandæ dicatum censuerunt, cum alimentorum concoctioni, iuxta nouam hanc doctrinam, maximè inseruiat. Si igitur spiritus, aut liquor ille acidus à liene promanans, naturaliter se habens, digestionem naturalem, & moderatam perficit: ille idem spiritus à naturali statu deiectus, & vitiosus redditus, acutior nempe, & nimia dissoluendi vi præditus, solida alimenta promptius liquabit, & conficiet, iisque dissolutis, & à ventriculo confestim deturbatis, noua fames, eaque immodica exsurget. Nouam hanc doctrinam certam, & indubiam non statuimus; sed eam tantum proponimus, vt à solidioribus ingeniis sedulò examinetur. Eamque inferiùs iterum discutiemus, dum læsæ concoctionis causas inquiremus.

Signa huius affectus diagnostica satis manifesta sunt. Per se enim ægrotantibus, & adstantibus apparet appetentia deprauata, & excedens, quæ plures cibos assumere cogit: qui tamen postmodum nimium grauantes per vomitum reiiciuntur, & est fames canina; vel si vomitus non subsequatur, animi deliquium adest cum extremorum refrigeratione, & tunc est boulimia.

Signa causarum ex antecedentibus comitantibus, & consequentibus facilè desumi possunt. Frigidæ intemperiei, & humorum acidorum in ventriculo restagnantium signa sunt, ructus, & vomitus acidi, deiectiones crudæ, sitis carentia, & causæ externæ refrigerantes prægressæ. Si à defectu alimenti dependeat, ægri emaciantur, & causæ humiditates corporis dissoluentes adsunt, vel præcesserunt, ac denique lumbricorum signa ex proprio capite erunt desumenda.

Prognosis huius affectus ita instituenda est, vt si à causis externis omninò dependeat, periculosus non sit; modò illæ citò auferantur; à lumbricis etiam oriundus parum infert periculi, quia, illis sublatis, affectus etiam tollitur.

Maximè autem periculosus est, si ingentes euacuationes aut colliquationes corporis consequantur: præcipuè si post ingestum alimentum, ventriculo ad huc pleno existente, animi deliquia contingant, quando enim ea, quæ maximè iuuare debent, inutilia existunt: magnam significant ventriculi atoniam.

Sic etiam canina appetentia, cum vomitu, aut crebra deiectione perseuerans, periculosa est: in cachexiam enim, hydropem, lienteriam, marcores, aliosque lethales affectus degenerare solet.

Quod ad curationem spectat, quia vt plurimùm fames canina ab humoribus melancholicis, aut pituituosis, ventriculi tunicis impactis, & imbibitis, ducit originem, ad eos præsertim remedia dirigenda sunt, quæ tùm humoris peccantis euacuationem, & alterationem, tùm partis laborantis roborationem respicient.

Euacuatio instituenda est per vomitum, vel secessum remedijs supra in curatione inappetentiæ ( ) à frigida causa ortæ propositis. Licet enim hi duo affectus inuicem contrarij sint, ab iisdem tamen humoribus, sed frigiditatis gradus, & secundis qualitatibus admodum diuersis, ac ventriculum diuersimodè afficientibus, produci solent.

Remedia etiam ventriculum calefacientia, & roborantia tam interna, quàm externa, ibidem proposita, maximè conueniunt. Quæ non solum conferunt; frigidam intemperiem corrigendo; sed etiam exsiccando, & sitim inducendo. At, vrgente siti, fames imminuitur.

Præterea vinum meracum satis copiosè sumptum famem potentissimè resoluit, iuxtà *Aph. Hippocr. 21. sect. 2.* Idque potentiùs adhuc præstat illius spiritus, aqua vitæ vulgò nuncupatus.

Famem illam peculiariter obtundunt, quæ ventriculum potenter humectant, & relaxant, humoriſque aciditatem leniunt. Qualia sunt pinguia omnia, & oleaginosa, vt adipes, olea, extremitates animalium. Quemadmodum Villanouanus refert, quendam, hoc affectu percitum, panem calentem amurca olei imbutum comedisse: & mulierem bouis aliquarum adipem cum pari calentis olei quantitate duabus vicibus bibisse, & in tantùm cibi fastidium vtrumque incidisse, vt nihil per quinque dies comederint, & à priori affectu liberati sint.

Narcotica medicamenta, sensum ventriculi nimis exquisitum obtundendo, famem illam caninam possunt imminuere. Et inter alia theriaca recens magis ex vsu est. Quia præter vim narcoticam, humorum etiam malignam qualitatem, quæ à nonnullis in hoc affectu subesse editur, virtute alexiteria corrigere valet.

Quia verò narcotica rarò, & nonnisi summa vrgente necessitate vsurpanda sunt, aliis temporibus theriaca antiqua, propter rationem dictam, tum etiam roborationis causa erit vsurpanda.

Ambra grisea ad gr. v. vel vi. cum ouo sorbili sumpta non solùm ventriculum roborat, sed etiam proprietate specifica hic affectui prodesse creditur (*conf. Hippocrat. V. Epid. II. 7. &c.*).

CAPVT III.

De Pica, & Malacia.

PIca, & Malacia sunt appetitus deprauatus, quo ægrotantes res absurdas, inutiles, & noxias appetere consueuerunt.

Κίττα, siue pica nominatur à pica aue, siue ob varietatem coloris, quo donata est, siue quòd terræ globos essiet; mulieres autem, hoc affectu laborantes, terram, gypsum, & similia plerumque comedere solent. Malacia etiam ex Plinio appellatur; quia mulieres huiusmodi, præanimi impotentia, & mollitie, à recto, & naturali alimentorum appetitu deficiunt. (*v. Melet. II.* 101.)

Producitur hic affectus à prauis, & certo modo corruptis humoribus, qui in ventriculo ob læsam illius coctionem colliguntur, vel ab aliis partibus in eum transferuntur.

Ad hunc autem humorum productionem maximè disposita sunt corpora pituitosa, & melanchonica, præsertim verò mulieres, quibus hic affectus proprius, & peculiaris esse videtur; quamuis pueri interdum, imò etiam viri, sed rariùs, eo affligantur. Ad hanc rem maximè faciunt prauorum eduliorum vsus, suppressa aliqua euacuatio naturalis, præcipuè menstruorum animi mœrores, hepatis, & lienis intemperies, obstructiones, & imbecillitates, vteri affectus varij, & similia.

Illi autem humores vitiosi pro variis intemperierum, aliarumque dispositionum gradibus variam, & dissimilem nauram obtinent: vnde variæ rerum absurdarum appetentiæ oriuntur. Cùm enim huiusmodi humores alias crudi, & incocti, alias exusti, & præassati existant; sic quorundam appetitus ad res acidas, austeras, acerbas, & valdè frigidas feruntur, ita vt fructuum immaturorum, aceti, omphacii, succi limonum, granatorum, & arantiorum, aquæ frigidæ, niuis, glaciei, & similium vsu assiduo, & copioso delectentur: alij terrea, sicca, & exusta appetunt, vt garyophyllos, cinamomum, nucem moschatam, aliaque aromata, sal, cineres, gypsum, & similia.

Familiaris est hic appetitus virginibus chlorosi laborantibus, & grauidis mulieribus ob suppressionem menstruorum, quæ in corpore moram trahentia, vitiosam induunt qualitatem, ad partes superiores delata ventriculum inficiunt prauo illo succo, à quo actiones illius deprauantur, & appetitus in primis à statu naturali maximè deiicitur. Pueri interdum hoc affectu detinentur, præcipuè qui à matre chlorosi laborante oriundi sunt. Neque viri ab eo omninò immunes sunt, quamuis rariùs id contingat, & præsertim illi obnoxii sunt, qui melancholico temperamento præditi sunt, obstructionibus laborant, aut fluxus hæmorrhoidum consueti suppressionem patiuntur.

Apud authores maximè controuertitur, an appetitus deprauatus feratur ad ea, quæ diathesi ventriculi præternaturali similia sunt, an verò ad contraria. Dubitandi ansam dedit Gal. *c. 3. artis paruæ*, vbi docet, ventriculum præter naturam se habentem appetere contraria, & in statu naturali appetere similia. Quàm doctrinam sequutus Auic. *fen. 13. lib. 3. tract. 2. c. 10.* sic loquitur: *Quando in stomacho aggregatur humor malus, diuersus à consueto in qualitate suæ naturæ tunc requirit aliquid sibi contrarium. Quapropter incidit quibusdam appetitus luti, imò carbonum, & terræ & gypsi, & rerum huius generis propter qualitatem, quæ ijs est, exsiccantem, aut incidentem: contrarium qualitati humorum.* Sanorum tamen iudicium eò dirigitur, vt similia potiùs, quàm contraria appetantur. Cum enim ad appetentiam excitandam phantasia maximè concurrat, qua à dispositione corporis maximè excitatur, verisimile est, dominantem humorem ad similium appetitum phantasiam mouere. Sicut enim bilioso in statutum sano, tum morboso, ignis, & irarum insomnia patiuntur; pituitosi, niuium, glaciei, & aquarum; quarum rerum phantasmata ab humore in corpore prædominante excitantur, sic etiam, affecta sede appetentiæ, humores vitiosi, in ea diu stagnantes, sui speciem phantasiæ imprimunt, quæ, ab ea obsessa, similium appetentiam excitat, etiam ratione repugnante, quæ à vehementi illa imaginationis vi superatur. Adde, quod si contraria morbo,, aut illius causæ appeterentur, continuato illorum vsu, morbus tandem curaretur; cum tamen ab iis deterior in dies reddatur. Hunc sententiæ quotidiana experientia suffragari videtur, qua docetur, virgines chlorosi laborantes, & prægnantes mulieres ea plerumque appetere, quæ ipsarum temperamento, & præsenti cacochymiæ consentanea sunt; vt scilicet illæ, quibus salsi, & adusti insunt humores, carbones, salem, aromata, & similia expetant: quibus verò melancholia, aut acida pituita dominatur, ad acetum, fructus immaturos & similia ferantur.

Quod ad Gal. authoritatem spectat, quidam penitus eam reijciunt, dicentes, quod si verum esset morbosas dispositiones contrariæ appetere; ægrotantes omnes conualescentes, & reliqui cacochymia laborantes, cibos euchymos expeterent, quod tamè veritati non est consentaneũ. Videmus enim sæpè ægrotantes, & conualescentes prauos cibos appetere, laudabiles verò respuere. Videmus etiam corpora excalefacta siue in statu præternaturali, vt in febribus, siue in naturali, vt per exercitia immodica, refrigerationem expetere.

Alij verò hanc Gal. sententiam conciliare nituntur, dicentes: In pica intemperiem ventriculo impressam esse veluti habitualem, & connaturalem, & ideò facere appetentiam similem naturali, quæ est ad similia. Quod in hunc modum explicari potest, dicendo, omnem temperiem naturalem appetere similia; præternaturalem verò contraria; intelligendum esse postremum de intemperiebus, quæ fiunt sine succi redundantia. Quæ enim sunt cum succi abundantia, quando succi admodum imbibiti sunt tunicis ventriculi, appetunt, potiùs ipsis succis, quibus madent, similia, quia humor, qui totas tunicas iam penetrat quamuis noxius sit, molestiam non infert. Contra verò quando humor partem tantum aliquam ventriculi occupat, vel est solum in cauitate, ventriculus appetit contrarium ei, quod sibi noxium est. Si autem humor totum ventriculum occupet, illiusque tunicis imbibitus sit, tunc facultas illius naturalis obruitur, & ita immutatur, vt non appetat nisi similia humori imbibito. Et ita rectè dici potest, illum humorem factum fuisse veluti connaturalem.

Platerus, & Sennertus ab hisce difficultatibus facilè se expediunt, ad qualitatem occultam confugientes; huiusque perfugij occasionem quærunt ex eo, quòd, si huiusmodi ægrotantes appeterent similia causæ morbificæ, ex eorum vsu copioso maximè augeretur affectus: cum tamen videamus pica laborantes gypso, calce, carbonibus, alijsque rebus noxiosissimis sese ingurgitare, ex ijsque leuissimam noxam percipere, à quibus bene sani ad internecionem vsque læderentur. Præterea dicunt, prægnantes mulieres humores salsos, & acidos sæpe reijcere, cum tamen salsa, & acida non appetant, sed toto genere diuersa. Ac denique nullam esse inter carbones, calcem, carnes crudas, aliaque cum humoribus conuenientiam, constanter asseuerant; atque adeò in qualitatibus manifestis non esse acquiescendum censent; ex ijsque symptomatis huius appetentiæ mirabilis causam desumi non posse; sed ad qualitatem quandam occultam, & inexplicabilem esse confugiendum.

Fatetur tamen Sennertus probabile esse à simili potiùs quàm contraria qualitate appetentiam istam deprauatam prouenire. Quænam verò sit illa qualitas, explicari non posse, cum res, quæ appetuntur, nullam cum humoribus, vel dulcibus, vel salsis, vel acidis, in manifestis qualitatibus vt plurimum conuenientiam habeant.

Hæc omnia conciliare possumus dicentes: rerum absurdarum appetentiam ab humoribus simili natura, & temperie præditis excitari; sed illos humores, præter natiuam temperiem, vitio quodam peculiari, è corruptela quadam oriundo, esse præditos; quod vitium cum diserte explicari nequeat, ad qualitatem occultam reuocari potest.

Diagnosis huius affectus per se satis facilis est; ex sola enim ægrotantis relatione innotescit. Partem præcipuè affectam esse orificium ventriculi, notissimum est; cum illud sit sedes appetentiæ. Causa etiam ex supposita similium appetentia, coniectura indagari potest. Si enim appetant carbones, salem, & similia, colligere possumus, ab humoribus salsis, & exustis affectum dependere: quæ omnia clariùs innotescent; si humorum prædictorum portio per vomitum, vel aluum reijciatur; si ructus acidi, vel nidorosi, sapor amarus, acidus, vel salsus adfuerint.

Quod ad prognosin spectat, chronicus est iste affectus, non tamen admodum periculosus, si natura, vel arte corpus ad pristinum statum reuocetur, quod non adeò difficile contingit. Excluditur cum sæpe successu temporis humor noxius cerebris vomitionibus, vel medicamentis conuenientibus euacuatur, & suppressæ mensium, aut hæmorrhoidum

euacue-

euacuationes, quæ huic malo ansam præbebant, cum tempore restituuntur. Quæ tamen si negligantur, & natura, oneri succumbat, grauissimi morbi succedere possunt. Vitiata enim prima coctione, necesse est secundam, & tertiam corrumpi. Vnde graues obstructiones, cachexiæ, & hydropes contingunt. Vel etiam, si humor maiori copia in ventriculum feratur, & maioris malignitatis particeps sit, cardialgias insignes interdum producit, ex quibus lipothymia, & syncope, & nonnunquam mors succedere solet.

Si mulieres hoc affectu laborantes ab edulijs prauis abstinere incipiant, & laudabilibus vti cum minori fastidio, proximæ salutis, & curationis incipientis signum est certissimum.

Grauidæ mulieres à malacia vt plurimùm liberari solent circa quartum gestationis mensem; quia fœtus grandior factus, maiorem humorum copiam absumit, & ipsa mater crebris vomitionibus istam illuuiem excludit. Quod si malum vlterius progreditur, periculosum est. Significat enim altiùs impressam fuisse prauam istam diathesin, quæ difficili negotio exterminari valet.

Melius est, hoc affectu laborantes, acida, & acuta appetere: peius, si res planè à natura alienas exoptent, vt docet Auic. *fen. 13. ti. 2. tract. 2. c. 20.* Maiorem enim significat à statu naturali recessum, qui difficilius emendari valeat.

Curatio huius affectus varia instituenda est, pro varietate corporum ægrotantium.

In grauidis enim mulieribus pauca celebrantur remedia ob subiecti ineptitudinem, & aborsus periculum. In illis tamen leuiora vsurpari possunt, & benigniora ex ijs, quæ ad ventriculum euacuandum, & roborandum in curatione inappetentiæ fuere proposita. Neque omittenda erit venæ sectio, quæ parca manu celebrata, & frequenter, si opus fuerit, repetita, maximum ad huius affectus curationem momentum habet.

In virginibus autem chlorosi laborantibus curatur iste affectus ijsdem remediis, quæ ad ipsius chlorosis curationem suo loco proponentur.

Quæ verò pica contingit in viris, quod tamen rarissimum est, cùm ab obstructionibus hepatis, & lienis dependeat, eliminabitur harum curatione suis locis proponenda.

CAPUT IV.

De Siti Morbosa.

SItis, seu potus appetentia non minus ac fames tripliciter lædi potest, imminute, abolitè, & deprauatè. Imminuitur non rarò à dulci, & insipido humore, ventriculi tunicas irrigante, vel ab humiditate nimia in toto corpore dominante: vnde fit, vt partes potulentam materiam à ventriculo non trahant. Aboletur verò in morbis acutis propter interceptionem primi sensorij, quando mens ægrotat, aut quia concidit omninò facultas naturalis extincto propemodum calore natiuo, vnde Hippocr. *In causa sitifera non sitire, malum;* cum sitis imminuta ab ijsdem causis pendeat, à quibus innapetentia ciborum. Abolita verò morborum adiutorum fit confectaria. Neutrius tamen ratio peculiaris hic habenda est. Sed sufficiet nobis de siti deprauata, tamquam frequentiori, specialiùs agere. Quæ quidem sitis deprauata etiam bifariam diuidi potest, quemadmodum fames; vt altera ad purulentorum varia genera feratur; altera verò sit aucta, & potus quantitatem, ac frequentiam respiciens. Quæ potus genera absurda respicit, ad picam refertur: quando scilicet ægrotantes appetunt acetum, succum limonum, vel aquam salsam. Superest igitur, vt sitim auctam contemplemur; quod symptomata frequentissimum esse consueuit, dum appetitus humidi quantitate peccat, & potus immodicè exoritur.

Causa illius proxima est defectus alimenti humidi, & siccitas ventriculi, aliarumque partium, quæ stomacho penuriam suam communicare valent.

Illa autem siccitas, vel humoris penuria exoriri solet ab omnibus ijs, quæ roridam humiditatem ventriculi, totiusque corporis absumere, & exsiccare valent, quæ omnia ad calefacientia, & exsiccantia referuntur. Exsiccantia per se, & primariò exsiccant, calefacientia secundariò, humidum absorbendo.

Est autem sitis hæc morbosa idiopathica, vel sympathica. Idiopathica fit, cum innata ventriculi humiditas alteratur, & exhauritur ab inæquali intemperie sicca, vel calida, vel vtraque interdum, & rariùs simplici, frequentius, cum materia coniuncta: cum humore scilicet acri, salso, aut putrido, ventriculi tunicis impacto, vel in illius cauitate incluso. Sympathica verò fit ex consensu totius corporis, vel aliquarum partium, quarum venæ, exhausto humido, e ventriculo fugunt: vt in febribus, hepatis, pulmonis, & aliarum partium inflammationibus contingit, tum etiam intemperiebus calidis, & siccis, præcipuè renum: vt videre est in diabete, quæ eo nomine dipsacus nominatur, propter sitim ingentem, quæ illam comitatur.

Causæ externæ sunt quæcumque impensè calefacere, vel exsiccare valent, vt aer valde calidus, & siccus diuturna in Sole, vel ad ignem mora, vsus ciborum salsorum, acrium, & aromatibus conditorum, vsus copiosus vini antiqui, & generosi, vigiliæ nimiæ, nimia corporis euacuatio, præcipuè per medicamenta purgantia.

Hermetici sitim immodicam, & præternaturalem à spiritibus quibusdam sitibundis, ex impuritatibus sulphureis genitis, exoriri contendunt, qui non simplici refrigeratione, & humectatione; sed spiritibus alijs sibi analogis satiari volunt: quemadmodum videmus in febrium accessionibus sitim intensam multo aquæ potu parum inhiberi, quæ tamen spiritibus acidis, vitrioli, sulphuris, salis, & similium cum longè minori aquæ quantitate permixtis, faciliùs cedat.

Diagnosis nihil habet difficile, satis enim ægri de siti vrgente conqueruntur. Causæ etiam proprijs signis dignoscuntur, vt calida, & sicca intemperies ventriculo, aut alijs partibus inhærescens. Tum humores acres, salsi, vel amari, (quorum portio interdum excluditur, vel saltem similes sapores in ore repræsentat:) si in ventriculo contineantur, vel si per consensum aliarum partium sitis excitetur affectuum eorumdem signa sese prodent.

Quod ad prognosin attinet, sitis, quæ è causis procatarcticis excitatur, tutissima est: illa enim potu assumpto facilè sedatur. Quæ verò à causis internis procedit, pro illarum varietate magis, vel minùs periculosa existit.

Sitis, quæ in febribus contingit, alijsque affectibus curatu facilibus, cum eorum solutione sponte euanescit. Si verò à grauibus morbis, & periculosis dependeat, est valdè periculosa; vt in hydrope contingit, in quo affectu sitis potu non sedatur, sed potiùs magis intenditur.

Curatio sitis morbosæ frequentiùs occurrit in febribus, & quarumdam partium inflammationibus, quæ tamen sufficienter descripta est in methodo nostra curandarum febrium *sect. 5. cap. 2.*

Si verò sitis à sicca ventriculi intemperie, ex immoderatis euacuationibus, alijsque causis contracta sit; illius curatio perficitur, vacuationes illas supprimendo, tum partes inanitas restaurando remedijs humectantibus.

Instituto igitur prius victu analeptico, qualis in febre hectica, phthisi, & marasmo concedi solet, omnium præstantissima erunt duo remedia à Gal. proposita 9. meth. scilicet lac, & balneum. Quamuis enim Hipp. *Aph. 95. sect. 5.* lac siticulosis interdicat: illud tamen intelligendum est de ijs, qui ob bilem, putridique humoris copiam siti afficiuntur, in quibus lac facillimè corrumpitur: non de ijs, qui siti ex siccitate, & consumptione laborant. Lactis vsum in curatione phthiseos edocuimus.

Balneum verò fiat ex decocto rad. althææ, & lilior. fol. malvæ, violariæ, vel ex decocto capitis, pedum, & intestinorum veruecis. Aut butyrum recens, vel oleum violaceum in aqua tepida dissoluantur pro balneo, quod tepidum esse debet, & frequenter vsurpari.

In exitu balnei inungantur lumbi, dorsum, & ventriculus ol. violac. medulla cruris vituli & similibus, quibus immisceatur lactis muliebris, aut caprilli, quantum ebibere poterit.

Vtatur interea æger syrupis, & tabellis instaurantibus, alijsque remedijs, quæ in febris hectica curatione latiùs proponentur.

Sequens etiam opiata erit vtilissima.

℞. Conserua rad. eringij, buglossi, ana ʒ. ij. conserv. violar. & borag. ana ʒ. j. confect. alKermes ʒ. ß. diapenedij sine speciebus recenter præparati ʒ. ij. Cum syrup. de pomis redol. fiat opiata, de qua capiat ad magnitudinem castaneæ sitis tempore superbibendo parùm aquæ borraginis.

CAPVT V.

De ventriculi concoctione læsa.

VEntriculi concoctio chylosis appellata, quemadmodum, & reliquæ omnium partium actiones, tripliciter læditur, imminutè abolitè, & deprauatè. Imminuta concoctio βραδυπεψί dicitur, abolita, ἀπεψία deprauata, δυσπεψία, quæ omnes differentiæ vnico cruditatis nomine comprehenduntur. Hæc autem cruditas duplex constituitur, nidorosa scilicet, & acida. Cruditas nidorosa fit, quando alimentum in nidorosam, & vstam quasi materiam mutatur, vt per eructationem odor ouorum, & piscium corruptorũ, vel olei frixi efferatur qui ructus nidorosi in calidis, ac biliosis naturis frequentiùs contingunt. Acida verò cruditas, fit, cum cibi in acidam naturam mutatur, & ructus acidi excluduntur, & hæc à frigida intemperie procedit. His & tertia addi potest cruditatis differentia, quando ob calorem debilem cibus imperfectè coquitur, & in pituitosam quandam materiam mutatur, citra tamen aciditatem.

Causæ, ventriculo concoctionem lædentes, ad tria capita reduci possunt, vitium scilicet organi, obiecti, & rerum extrinsecarum, seu extrinsecùs, aduenientium.

Organi vitiũ omnes ventriculi morbos complectitur, siue similares sint, siue organici, siue communes, qui omnes illius actionem euertere possunt. Intemperies tamen frequentissima est læsæ concoctionis causa. Cum enim concoctio à moderato calore, recte, & secundùm naturam se habente, perficiatur, si ille à debita moderatione recesserit, coctionis læsio contingit. Sic frigida ventriculi intemperies, quæ caloris mutationem facit, si remissior fuerit, concoctionem imminuit, & bradypepsiam parit. Si verò intensior, concoctionem abolitam, & apepsiam producit. Calida verò intemperies concoctionem deprauat, & dyspepsiam generat. Illę autem intemperies interdum simplices sunt, vt in ijs, qui ab ortu calor debili, & ventriculi imbecillitate præditi sunt; vel calorem acrem & exurentem obtinuerunt. Vt plurimùm autem cum materia coniunctæ: vnde in melancholia hypochondriaca pituitę copia, & fermentatio nigri humoris cruditates, flatus, inflationes, fluctuationes, ructusque acidos excitare solent.

Vitium obiecti, alimenti scilicet, quod est ventriculi proprium obiectum, multis modis contingit: dum scilicet peccat in substantia, quantitate, qualitate, tempore, & ordine assumendi.

Vitiosa sunt alimenta ratione substantiæ, quę duriora sunt, & concoctu difficiliora, vt carnes ceruinæ, leporinæ, præcipuè vetustiores, sale vel fumo induratæ, panis furfuraceus, tubera, radices, legumina, & similia, quæ dyspepta nominantur.

Quantitate peccant alimenta, quæ nimia copia assumuntur, & eo nomine à calore vinci, & superari nequeunt, vndè cruditates oriuntur, illis maximè familiares, qui genio, & crapulę indulgent. Minor etiam, quàm par sit alimenti quantitas speciem quandam cruditatis inducere potest, quando cibi pauciores in ventriculo (in primis biliosо, exuruntur, & præassantur.)

Qualitate peccant alimenta, quæ nimis frigida, & humida, flatuosaque existunt: vel quæ calidiora tenuiorem chyli portionem exurunt, & in nidorosos vapores conuertunt.

Ad hoc genus reducenda est concoquendi, & condiendi ratio. Varij enim elixandi, assandi, & condiendi modi nouas alimentis dispositiones inducunt, propter quas concoctu faciliora, vel difficiliora redduntur.

Tempus, & ordo assumendi præposterus concoctionem etiam vitiare possunt: Vt si quis horam cibandi consuetam omittens nocte intempesta, & immediatè ante somnum cibis stomachum repleat: vel si post solidorum, & adstringentium vt casei, pyrorum, cydoniorum, & similium assumptionem, liquida postmodum, & corruptioni obnoxia ingerat.

Res denique externæ coctionem vitiare possunt, si immoderatæ sint. Atque ita aer frigidior, calorem natiuum obtundendo, si debilior fuerit, vel calidior, eundem calorem dissipando, coctionem euertere potest. Tum etiam exercitationes immodicæ præsertim à pastu, calorem natiuum eliciendo à ventriculo ad partes exteriores, eumque præter modum dissipando, nec non chylum adhuc imperfectum præcipitando versus intestina. Alui, & aliorum excrementorum suppressio, aut fluxus immodicus, vigiliæ immoderatæ, somnus diuturnus animi pathemata grauiora, præcipuè mœror, & profunda meditatio statim à pastu, & simi les causæ externæ, ventriculi actionem non parum vitiare possunt.

Præter causas enumeratas Hermetici nonnulli recentiores aliam adducũt minus tritam, & ab antiquis minimè perspectam, quę quidem ab ijs perspicue nõ demonstratur; quibusdam tamen coniecturis minimè contemnendis stabilitur, cuius etiam supra in famis caninæ causis explicandis mentionem fecimus. Primum itaque statuunt coctionẽ ventriculi naturalem à solo calore non perfici, sed promptam illam ciborum solidorum liquationem, ac dissolutionem quæ in chylum conuertuntur, ab alia causa dependere: cum experientia doceat, cibos in olla bullientes, igne luculento etiam per plures dies continuato, nunquam talem dissolutionem pati, cũ tamen ossa in ventriculis canum breui temporis spatio dissoluantur, & in chylosum liquorem conuertantur: & in ventriculis piscium, nullo calore actuali præditis, cibi quilibet ingesti eodem modo dissoluantur, & concoquantur. Causam itaque præcipuam huiusmodi liquationis esse statuunt spiritum quendam aut liquorem acidum, à liene in ventriculum transfusum, qui eximiam dissoluendi facultatem habeat. Quam sententiam ex Galenicorum doctrina eliciunt, qua sancitum est, humorem melancholicum à liene in ventriculum transfusum, excitare appetentiam: idque vel constringẽdo, ac corrugando tunicam interiorem ventriculi; vel aciditate sua vellicando. Quod quidem impugnari potest, ex eo quod, si constringendo id faceret; omnia adstringentia idem præstare possunt: & si vellicando, acria quælibet potentius, quàm acida appetentiam excitarent. Probabilius igitur existimant, humorem illum appetentiam excitare per accidens; penuriam scilicet alimenti inferendo per dissolutionem illius, quod ingestum est, ex qua penuria appetitus excitatur. Atque ita longè nobiliorem lieni vsum tribuunt, quàm qui ab antiquis fuit propositus; nempe ventriculo subministrandi præcipuũ coctionis instrumentum. Huius rei coniectura satis valida ex auibus elicitur, quæ duriſſima plantarum semina dissoluunt; & lienem habent ventriculũ vndiquaque circumductum, vt potentiùs spiritum illum dissoluente inspiret, vel liquorem acidum commodius communicet. Validum autem auibus inesse acidum illum spiritum, ostendit Helmontius proprio experimento. Refert enim se in pueritia cum passerem aleret ipsi aliquãdo linguam obtulisse, quam ille rostro apprehendens deglutire conabatur: se verò linguę apice passeris guttur contingente maximam in eo aciditatem percepisse. Spiritus vero dissoluens auium ventriculis inhærens probatur ex praxi medica, in qua gallinarum ventriculi ad iuuandam concoctionem passim præscribuntur in pulueribus digestiuis, quos hunc effectum præstare credibile est, ciborum dissolutionem adiuuando, cum ijdem gallinarum ventriculi calculosis etiam præscribantur, quibus calculorum dissolutio maximè iuuatur. Idque manifestiùs elicitur ex eo, quod ex auium ventriculis sal eliciatur, maxima calculos dissoluendi efficacia præditum. Ex quo quidem sale ventriculis auium magna copia infixo, natura sagax, & prouida spiritum elicere nouit in viuente animali, cuius adminiculo, (concurrente calore natiuo,) solidorum alimentorum dissolutionem moliri possit. Et vulgo notissimum est, ex salibus dissoluentibus, puta vitriolo, nitro, ammoniaco, & sale communi, spiritus elici longè efficaciori dissoluendi vi præditos.

Ille igitur spiritus, seu liquor acidus à liene in ventriculum transfusus, dum secundum naturam se habet bonam, an laudabilem ciborum concoctionem efficit: si verò à statu naturali recedat, ventriculi actionem euertere potis est. Sicut antea dictum fuit, ex hisce præsuppositis caninam appetentiam excitari, quando spiritus ille, seu liquor acidus nimiam actiuitatem, & potẽtiorem dissoluendi vim obtinuit. Sic etiam ex aduerso, si vis illa dissoluens debilior efficiatur, aut omninò deficiat; coctio ventriculi imminuta, aut abolita sequetur. Hinc dicit Helmontius, Aphorismum Hippocratis primum sect. 6. qui sic habet: *In longis læuitatibus intestinorum, si ructus acidus superueniat, qui prius non erat, signum bonum*: interpretandum esse, vt scilicet ructus acidus superueniens significet fermentum illud acidum, quod à morbo fuerat deperditum, restitui incipere.

Fulcia-

Fulciamus,& nos nouam hanc doctrinam proprio experimento.Cum enim anno præterito 1648.alui fluxu pituitoso, & melancholico per quatuor menses integros afflicti essemus,& ab ea ad extremam maciem,& veluti marcorem perducti,quando quidem omnia alimenta in pituitosam,& mucilaginosam substantiam conuertebantur,ex debilitate ventriculi ea perfectè concoquere nequeuntis,post multa remedia per totum illud tempus vsurpata quorum maxima pars parum,aut nihil profuit. tandem aceti acerrimi vsu frequēti, intra paucos dies à sæuo illo affectu integrè liberati sumus : cuius equidem aceti vi acidum illud naturale penè deperditum,plurimùm adiutum,ac restitutum fuisse conijcere possumus: Vsus autē aceti fuit in pastibus cū ouis induratis, quæ frustulatim dissecta aceto intingebamus, & per aliquot dies hoc solo edulio in omnibus pastibus vtebamur. Tum hoc manifestè percipiebamus, quòd si acetum non esset valdè acre, exiguum ventriculo adiumentum ferebat.

Diagnosis huius affectus iuxta læsæ coctionis differentias varia est. Ac primum apepsia, & bradypepsia iisdem signis indicantur, per magis,& minùs tantum differentibus. Illa autem signa sunt ructus acidus,alimenti incocti,vel semicoctiperos aut aluum reiectio,causæ ventriculum refrigerantes prægressæ, grauitas, tensio, & inflatio in regione stomachi, læsio à frigidis assumptis,vrinæ tenues,aquosæ,& decolores. Interdum tamen vrinæ crassæ, & rubræ apparent,ex succo impuro, ac fæculento,qui ob primæ coctionis imperfectionem à chylo sufficienter separari non potuit sed ad renes vsque transmissus cum seroso humore, impuras etiam vrinas reddit: quales interdum à melancholicis præsertim, & scorbuticis excerni solent. Fusiorem huius vrinæ explicationem vide apud Sennertum *lib. 3. pract. part. 8. sect. 2. cap. 6.* Dyspepsiam verò,seu deprauatam coctionem ostendunt ructus nidorosi,sapor similis, aut putredinosus in ore, sitis, & æstuationis sensus, calidis assumptis læsio.

Si idiopathicè ventriculus laboret, propria eiusdem morbosæ dispositionis signa aderunt. Si vero sympathicè afficiatur, ex proprijs partium affectarum signis illa sympathia est elicienda. Si verò ex errore causarum externarum, vel obiecti vitio symptoma dependeat, ex earum præsenti, aut prægressa constitutione,ægri vel astantium relatu, innotescet.

Prognosis huius affectus ita instituenda est. Coctionis vitium, quod à causis externis excitatur facile corrigitur, causis illius sublatis, & idonea victus ratione instituta.

Facilius etiam curatur læsa concoctio ex humoribus ab alijs partibus in ventriculum translatis, quàm dum à proprio ventriculi vitio exoritur. Humoribus enim illis expurgatis, antequam morbum aliquem stabilem in ventriculo excitent, coctionis officium restituitur.

Abolita ventriculi coctio omnium deterrima est; quia totius corporis nutritio frustratur, vnde morbi lethalissimi, vt lienteria, hydrops, atrophia, & similes consequuntur.

Coctio imminuta sua etiam parit incommoda, vt colicos dolores, cachexias, ac tandem hydropis varias species.

Deprauata concoctio multorum etiam malorum causa est, puta obstructionum, scabiei, febrium, & similium.

Curatio perficitur sublatione causarum externarum,antecedentium, & coniunctarum, quæ affectum istum efficiunt, augent, vel conseruant.

Ac primum aduertendum erit, vtrum ab alijs partibus ad ventriculum humores transferantur; & in hoc casu humores illi erunt euacuandi; ac reuellendi, partis mandantis affectus corrigendus, & ventriculus roborandus. Affectarum aliarum partium curationes ex proprijs capitibus erunt desumendæ. Ventriculi verò roboratio ex inappetentiæ curatione desumi poterit.

Quæ verò ex proprio ventriculi vitio coctionis læsio contingit, ea vt plurimùm ab humoribus frigidis, aut calidis ducit originem; atque adeò eandem curationem obtinet, quæ pro inappetentia à similibus causis oriunda fuit proposita, quam hic frustra repetere non opus est.

Si denique Hermeticorum causa peculiaris supra proposita animaduersione digna sit, illi prouidendum erit, primo lienis prauam diathesin corrigendo, & spiritus dissoluentes restituendo substantia quadam acida, cuius generis sunt spiritus sulphuris, vitrioli, salis, succi limonum, granatorum, arantiorum, & acetum.

CAPUT VI.

De Singultu.

SIngultus est motus ventriculi deprauatus, quo rem sibi noxiam expellere nititur.

A vomitu distinguitur ex eo, quòd materia, quæ vomitu reijcitur, in ventriculi cauitate contineatur, & ille totus inuertatur, vt materiam illam excludat: in singultu verò materia peccans tunici eiusdem infixa sit, ideò ventriculus sese constringat, ac fibras suas concutiat, vt eam excludat. Et vt nauseam quoque in hac definitione comprehendamus, dicimus, motus ventriculi expulsiuos tripliciter fieri, vel enim natura quandoque vult insurgere ad expellendum, & non potest; aut non sufficienter ad hunc motum irritatur, & tunc nausea fit: aliquando insurgit, & expellit, & fit vomitus: vel denique insurgit, vt expellat, sed non potest expellere, & tunc fit singultus.

Ille autem motus conuulsiuus est, non autem vera conuulsio, quæ solis musculis competit, & partibus voluntario motu donatis.

Causæ singultus immediatè proponuntur ab Hipp. *Aph. 39. sect. 6.* Inanitio,& repletio,sicut,& conuulsionis. Gall. & Auicenna tertiam addunt, nempe irritationem à materia acri. Alij anxiè laborant,vt materiam irritantem ad repletionis genus trahant, quo sententiam Hipp. illæsam tueantur. Verùm vbi res ipsa loquitur perspicuè, non opus est rerum euidentias propter Authorum verba confundere, & obscurare. Quid enim clarius est, quàm singultum fieri à facultate expultrice irritata? Quæcumque igitur irritationem illam efficere possunt, erunt causæ proximæ singultus. Iam verò humores, & vapores, quantitate, vel qualitate peccantes, ventriculum irritare possunt ad expulsionem, & sic repletio, & acrimonia erunt causæ diuersæ toto genere distinctæ. Inanitio vero quomodo singultum excitare possit, non est facile explicare. Cum enim illius essentia consistat in defectu, nemo dixerit, naturam insurgere ad defectum expellendum; quin potiùs mouebitur ad illum reficiendum, ac reparandum: & sic attractricem potiùs quàm expultricem facultatem mouebit. Si verò interdum singultus magnas euacuationes sequatur, vt in acutis, & malignis febribus, & purgatione ex helleboro contingit, id non euacuationi simpliciter tribuendum, sed potius malignæ cuidam qualitati à morbo, vel medicamento ventriculo impressæ.

Materia autem singultum efficiens vel in ipso ventriculo colligitur, vel aliunde ab hepate, liene, intestinis, alijsque partibus,vel etiam toto corpore communicatur. Sic alimenta, vel medicamenta acriora humores acres, aut lumbrici mordentes in ventriculo contenti singultum idiopathicum producunt. Sympathicum verò inferunt vicinarum partiū inflammationes, transmisso ad ventriculum ichore, aut vapore acri: tum etiam,quod tumor, hepate præsertim inflammato ventriculum comprimit, vnde facultas expultrix assiduè irritatur. Denique à toto corpore possunt transferri ad ventriculum humores,vel vapores acres in affectibus totum corpus occupantibus,vt interdum in febribus acutis,& malignis contingit.

Diagnosis huius affectus per se conspicua est. Causæ verò signa ita distinguenda sunt,vt si idiopathicè contingat,affectus magis continuus sit,& humorum in ventriculo contentorum signa appareant, & affectio vomitu sedetur. Humor verò peccans in ventriculo collectus vomitu, aut ructu, autoris sapore alijsque signis internosci poterit. Si denique ab alterius cuiusdam partis morbo oriatur, eiusdem signa ex proprijs capitibus erunt desumenda.

Quod ad prognosin attinet, singultus, qui à causa aliqua procatarctica,vt cibo,potu,aut frigore exoritur,periculosus non est; tum neque ille, qui crisin per vomitum interdum antecedit; sed tunc reliqua signa in bonum consentire, & salutaria esse debent.

Si quis in laboriosa febre singultiat, morbo laborat pessimo. Hippocr. *in Coacis.* Fit enim ille singultus ab humoribus acribus,& malignis,tunicam ventriculi interiorem vellicantibus, & facultatem illius expultricem stimulantibus. Et dicit Vallesius, se nullum vidisse seruatum in extenuatis, aut febre ardēte,vel maligna correptis, cui singultus superuenerit. Sic apud Hip. 3. *Epid. sect. 2. Ægr. 12.* Mulier quę in foro habitabat,die 12. frequentes singultus patiebatur,& 14.

inter-

interij. Obseruauit etiam Platerus, singultum, febribus ardentibus superuenientem, & perseuerantem, plerumque mortis esse prænuntium, eundem etiam in dysenteria esse lethalem.

A vomitu singultus & oculorum rubor malum, Hippocr. *Aph. 3. sect. 7.* duo hęc signa si vomitui superueniant in morbis acutis, & ad aliquod tempus perseuerent, ideò lethalia habenda sunt, quia inflammationem cerebri, aut ventriculi denuntiant: quæ inflammatio non modò ipsius singultus, ac ruboris oculorum causa sit, sed etiam vomitus. Si enim vomitus excitaretur ab acribus humoribus, os ventriculi eiusque tunicas mordentibus, excretis per vomitum illis humoribus, cessarent vomitus, & singultus: nec à vomitu vllus vapor acer ad oculos deferretur, qui oculos rubros efficeret. At cùm vomitus non solùm non profuerit, sed etiam post se singultum, & oculorum ruborem inuexerit, certissimum est, illa tria, vomitum, singultum, & oculorum ruborem ab inflammatione cerebri aut ventriculi dependere. Cerebrum enim inflammatum sanguinem ad oculorũ venulas exprimit præcopia, & in extimam oculi tunicam effundit: vnde oculorum rubor, cui ventriculus consentiens per neruos sextæ coniugationis admodum insignes, ab ea cerebri inflãmatione facilè in vomitum, ac singultum impellitur. Ventriculus quoque inflammatus vomitum, & à vomitu singultum & vnà cum singultu ruborem oculorum inuehit, facto concursu sanguinis feruidioris ad oculos propter maximũ consensum, qui inter istas partes intercedit quem facilè ostẽdunt suffusionum initia, imaginumque ante oculos apparitiones quæ plerumque vitiato ventriculo contingunt; vnde meritò Hippocr. *In libro de locis in homine*, à vomitu oculos maximè lædi asseruit.

A iecoris inflammatione singultus, malum. Hippocrat. *Aph 17. sect. 7.* Singultus tùm iecoris inflammationi superuenit vt docet Galen. *in comment. huius Aphorismi*, quando inflammatio auctior, & deterior euasit. Tunc enim magna inflammatio in hepate eo vsque accreuit, vt vehementer superiori ventriculo incumbat, & singultum inducat: imò verò, affluente materia, nonnuquam inflammatio, aut erysipelas gignitur in ipso ventriculo. Sin minùs, ab ea ventriculi tunicis imbibita, morsus excitatur. (Melet. III. 62.)

Curatio huius affectus ad causas dirigitur, quæ vtanteà dictum est, vel sympathicè hunc affectum producunt, vel idiopathicè. Sympathicè afficientes causæ sunt aliarum partium affectus, quibus curatis, singultum etiam auferunt; quamuis ea remedia, quæ symptomati demulcendo idonea sunt, & inferiùs proponentur, interim vsurpari valeant.

Idiopathicus verò affectus fit à pituita, flatibus, bile, alioue humore acri, aut malignæ qualitatis participe.

Qui fit ab humore pituitoso, tunicis ventriculi imbibito, curatur remedijs humorem illum incidentibus, detergentibus, expurgantibus, ac ventriculum roborantibus; qualia in curatione inappetentię à frigida causa oriundę fuerunt proposita. Quibus sequentia, velut affectui magis appropriata, adijcienda sunt.

℞. Castorei ʒ j. succi menthæ ʒ iv. Misce, capiat æger cochl. j. vel ij. vrgente singultu. Eodemque remedio potest inungi ventriculus calidè, bis, aut ter in die.

Acetum scilit. sumi potest frequenter ad materiam tunicis ventriculi impactam incidendam, & resoluendam, vel illius loco oxymel scilliticum.

Caryophylli in ore frequenter detenti non parum iuuant.

Vtile est etiam elixir proprietatis, à Crollio descriptum.

℞. Seminis anethi ʒ ij. vel iij. decoquantur leuiter in vini generosi ℥ viij. de quibus ʒ j. capiat æger, manè & serò. Idem semen inclusum linteolo naribus frequenter obijciatur.

In affectu contumaci pilulæ sequentes erunt efficaciss imæ.

℞. Castorei, & myrrhę, an. ʒiij. salis gemmæ ℥ ß. diagryd. & mastiches, ana ʒ j. agarici recenter troch. ʒ iij. aloes electæ ad pondus omnium. Excipiantur succo mentæ, & fiat pilul. massa, de cuius Drach. j. formentur pilulæ vj. deauratæ. Capiat ij. vel iij. manè duabus horis ante cibũ, bis in septimana.

Simpliciores pilulæ, nec parum efficaces fieri possunt ex puluere hieræ cum oxymelite, quarum Drach. i. exhiberi poterit.

Intermedijs verò diebus vtetur puluere sequenti.

℞. Sem. anethi ʒ ß. zedoarię, ligni aloes, nuc. moschat. caryophyl. pulu. diambræ, ana Drach. j. Capiat manè ℈ ij. cum pauco vino odorifero. Vel adde salis comm. ʒ iij. vtatur pro condimento ciborum ordinariorum.

Ventriculo admoueatur sequens cataplasma.

℞. Rad. aristoloch. longæ ireos Flor. baccar. lauri, fol. rutę, & menthæ siccor. an. Drach. iij. castorei, myrrhæ, an. Drach. ij. caryophil. hypocist. ana Drach. vj. Cum melle anthosato fiat cataplasma.

Tandem in affectu contumaci ad decoctum guaiaci, & thermarum sulphurearum vsum tanquam remedia generosissima, confugiendum erit.

Qui à flatibus producitur, ijsdem remedijs curatur, quibus adduntur flatus discutientia. Admoueantur etiam cucurbitulæ regioni ventriculi, quæ, instar miraculi, flatulentos infimi ventris affectus repentè mitigant, & tollunt.

Qui ab humore acri, & bilioso oritur, præter ea remedia, quæ pro inappetentia à calida intemperie genita, fuerunt proposita, huic etiam affectui conuenientissima, curari debet phlebotomia (si plethora adfuerit,) vomitione, aut purgatione blanda, tertio quoque die repetita in hunc modum.

℞. Rhab. elect. puluerat. & aqua endiuiæ, donec mollescat, irrorati ℥. pulpæ tamarind. ʒij. sem. endiuiæ, portulac. spondi, ana ʒj. santali citrini, & diagrydi, an. ʒj. cum syrup. de limon. fiat massa pilular. de cuius ʒ ß. formentur pilulæ iv. vel v. quæ dentur manè, vt dictum est.

Alijs verò diebus sumat conserua rosar. & borrag. pauco pulu. trisantali aspersas: vel opiatam in prædicta inappetentiæ curatione descriptam.

Emulsiones frequentes, ex seminibus frigidis paratæ, dicti humoris acrimoniam potenter demulcent; vel in affectu minùs calido lac amygd. dulcium.

Syrupus de pomis, cum syrupo cydonior. mixtus, ex cochl. exhibendus.

Iusculum affatim & sæpè propinandum.

Aqua frigida, vel calida, aut ptisana copiosè bibenda.

Oleum amygdal. dulcium humorum acrimoniam retundit.

Foueatur regio stomachi cum spongia in aceto rosac. macerata.

℞. Cerati santalini, & vnguenti rosac. ana ʒj. mastiches ʒ. ß. cortic. citri, & carnis cydonior. ana ʒj. Cum succo semperuiui, & pauca terebinthina, fiant empiastra duo, quorum alterum anterius: alterum posterius stomachi fedi applicetur.

Inungatur regio hepatis vnguentis refrigerantibus: Quia ab ea parte humore in stomachum confluere soliti sunt.

Si verò malignę cuiusdam qualitatis suspicio sit theriaca, aliaque alexipharmaca erunt præscribenda, & regio ventriculi ol. scorp. Matthioli inungenda.

A quacunque verò causa oriatur singultus, sequentia vtiliter vsurpari poterunt.

Primò humoris peccantis euacuatio per vomitum instituenda si æger facilè ferat. Et reiteranda vomitio si affectum imminuat, non autem prorsùs auferat; etiam fortioribus exhibitis, si necessitas exigat, quemadmodum docet Platerus in sua praxi. Cuius rei experimentum proponit in obseruationibus his verbis. *Chirurgus ager factus mox singultire cępit adeò continuatis vicibus, dies noctesque, vt nec dormire, nec rectè loqui, aut cibum capere posset. Ad extremum hoc pacto debilitatus, cum nihil iuuisset, & iam in agone esset, dedimus illi non sine metu ipso tamen summopere rogante: vomitorium satis validum chymisticum, quod Medicus ad manum habebat. Vnde immensam bilis aeruginosæ & nigræ copiam euomuit aliquoties, cessauit que singultus, ipseque sensim conualuit.*

Si æger vomitum auersetur, per inferiora expurgandus est.

Præparandus humor ante vacuationem, aut ipsius iterationem incidentibus, & abstergentibus. Posteà sequentia conueniunt.

Cucurbitula admota dorso in regione ventriculi, vel etiam parti anteriori eiusdem.

Ventriculi per fasciam constrictio, quo minùs dilatari queat.

Extremorum ligaturæ.

Semen

Semen anisi assumptum, quod peculiariter singultum sedare creditur.

Clysteres frequentes, qui humores noxios à ventriculo reuellunt.

Animalia iuniora ventriculo admota.

Acetum scilliticum excophleari vsurpatum.

Sternutatio materiam in ventriculi tunicis impactam excutit. Quemadmodum Chlysimachus Medicus apud Platonem, Aristophanem singultientem, qui spiritus cohibitione, & aqua frigida gargarisata curari non potuerat, sternutamento, excitato curauit.

Galen. 8. *de comp. medic secundum loc.* proponit medicamentum Asclepiadis, cuius singula examinat simplicia, idque probat, quasi omnes habeat facultates ad hanc intentionem idoneas; scilicet discutiendi, & euacuandi materiam noxiam per aluum, & lotium, roborandi ventriculũ, & postremò mitigandi acrimoniam humorum. Compositio est talis quæ recipit costi, vel illius loco, galangæ, croci, spicæ nardi, rosar. recent. mastiches ana ℈. iv. asari, aloes, ana ℈. ii opii. ℈. i. cum succo psyllii fiant pastilli, de quibus detur ℈. i. singulo manè.

Ad huius imitationem breuiùs parari possunt pilulæ pro vna dosi, ex aloe ℥ j. laudani opiati gr. j. ij. vel iij. Si animus sit magis purgare, addi possunt diagridij gr. iii. vel iv.

Quam insignes vires habeant in hoc affectu medicamenta ex aloe parata, testatur Duretus his verbis: *Permulti cum singultiendo frangerẽtur, ducta aluo per quinque dies hiera picra glutinosis, & nigris humoribus eiectis, singultiendi finem fecerunt.*

Platerus in obseruationibus refert, se puerum decem annorum per octiduum dies, noctesque singultientem curasse aqua nucum viridum cum raphano prius in aceto maceratarum, destillata, quam vomitionis excitandæ gratia propinare solebat. Uerum etsi minimè vomuerit; tamen statim singultum desijsse, & cùm sub noctem denuò hausturn bibisset, ab hoc symptomate penitus fuisse liberatum.

Forestus narrat, se hominem, graui singultu laborantem, curasse vnico hausto decocti seminem anethi, carui portulacæ, & papau. albi in cereuisia tenuiori.

Claudinus valdè commendat diaphœnicum cum philonio romano, vbi causa & symptoma valdè vrgent.

Narcotica denique sola pertinacem singultum, & aliis remediis minimè cedentem, facilè compescunt, sensum partis obtundendo nimis exquisitum.

CAPVT VII.

De Nausea, & vomitu.

NAusea, & vomitus differunt tantùm secundùm magis, & minus; Vterque affectus est motus ventriculi, quo res in cauitate sua contentas expellit, vel expellere nititur. Est igitur nausea inanè vomendi desiderium cum anxietate, & tenuis, ac pellucidi humoris per simplicem saliuationem excretione. Eam excitare solet, quidquid ventriculo quantitate, vel qualitate molestiam infert: nec tamen propter ventriculi imbecillitatem, aut orificii eiusdem superioris robur, vel materiæ crassitiem, & visciditatem excludi potest.

Vomitus verò qui Græcis ἔμετος, vel ἐμέτος nominatur, est motus ventriculi deprauatus, & concussiuus, quo vis expultricis irritata, contractis fibris partis inferioris, laxatisque superioris, materiam in capacitate contentam sibi molestam, sensibiliter per superiora violento impetu reiicit. Dicitur motus deprauatus, tùm ratione obiecti molestantis, tùm ratione motus ipsius, qui fit à fundo versus orificium quasi per subuersionem; cùm motus ventriculo naturalis versùs intestina, & pylorum compulsiuus fiat.

Uomitus differentiæ à causis desumuntur, quæ vel internæ sunt, vel externæ. Idcò vomitus primùm diuiditur in naturalem, & artificialem. Naturalis rursùm vel extra constitutionem morbosam accidit, vel ipso morbo præsente: vnde triplex exurget illius differentia, vt alius sit periodicus, alius criticus, alius symptomaticus.

Periodicus est, qui extra morbosam constitutionem, & velut natura assueta exercetur præcautionis gratia, & certis temporum spatiis repetita, vnde apud Hippocratem legimus, antiquos bis in mense, continuis, aut interiectis diebus vomere solitos. Et nostris etiam temporibus multi repetuntur, quorum per quædam interualla alii singulis mensibus, alii singulis septimanis, alii singulis diebus humorum bilioforum, & frequentius pituitoforum copiam vomitu reiicere consueuerunt; quibus euacuationibus tanquam prophylactis à multis morbis preseruantur. Et hic vomitus verè symptoma non est, quia sine vllo morbo præsente excitatur, sed potiùs motus naturæ nominandus.

Criticus vomitus non rarò contingit in morbis, eoque materia morbifica, (prius coctione præparata,) salutariter euacuatur, vel tota; vndè perfecta morbi solutio; vel maiori parte, vndè magna illius imminutio succedit.

Symptomaticus vomitus fit à natura irritata, & debilitata & sine ægri alleuatione, quia vel non satis copiosè, aut confertim fit, vel continuo materiæ morbificæ affluxu fouetur, & perseuerat.

Aliæ vomitus differentiæ petuntur ab excretis. Quandoque enim materia, quæ excernitur, alibilis est, quandoque excrementitia. Alibilis materia est cibus, aut chylus, aut sanguis purus, vel permixtus. Excrementitia materia est pituita, bilis, melancholia, serum, pus, lumbrici, & similia.

Vomitus artificialis generali vocabulo à nobis appellatur, quicumque à causis externis inducitur.

Illæ autem causæ externæ, quæ vomitum excitare valent, sunt præcipuè ictus, vel casus, compressio circa epigastrium, aer austrinus, vel contagiosus, aura venenata, fœtidus odor, exercitationes violentæ, molestæ, vt succussatio equi insuetæ, nauigatio in mari, potissimum flante austro, aspectus vel imaginatio rei fœdæ, & exosæ, & similes causæ externæ, quæ naturam irritãdo, vel humores commouendo vomitum excitare solent. Ac præ cæteris assumpta maximam vim habẽt ad vomitum excitandum, non solùm medicamenta, emetica ideò nominata, & venena toto genere nobis infesta; sed etiam alimenta, vel sua natura noxia, vel alicui peculiariter exosa; vt est apud Hipp. de illo, qui ab esu fungorum vomitu vehementi excitato interiit. Idem contingit aulico Antonini Imperatoris ex caseo putri, magna copia comesto. Idem præstat alimentorum qualitas pinguis & oleosa, tum etiam ordo assumendi præposterus, quando humectantia, & relaxantia post astringentia sumuntur; denique alimenta nimia quantitate ingesta, quantumuis euchyma, & laudabilia, vomitum excitare possunt, vt crapulæ deditis sæpè contingit. Tunc enim natura, nimia mole grauata, inutile pondus, cuius coctioni par esse non potest, excludere tentat; ad quam etiam exclusionẽ excitatur mala qualitate, quæ illis alimentis per corruptionem ob prauam coctionem inducitur.

Causæ internæ sunt antecedentes vel coniunctæ.

Antecedentes, vel à corpore vniuerso, vel à peculiari aliqua parte in ventriculum confluunt. A toto corpore feruntur in plethora, cachexia, febribus, aliisque affectibus totum corpus occupantibus. A parte aliqua peculiari deriuantur sæpè humores in ventriculum, vt in hepatis inflammatione, lienis, aut mesenterii obstructione, suppressis menstruis, aut hæmorrhoidibus, catarrhosa constitutione, & similibus. His addenda esse praua pori cholidochi conformatio, quando scilicet non in duodenum intestinum, sed in ipsum ventriculum implantatur, vndè picrocholi ἄνω nominantur, qui vomitu bilioso propter prauam hanc conformationem frequenter diuexantur. Fit etiam vomitus interdum in peristaltico intestinorum motu, quando obstructa intestina in colico, vel iliaco affectu humores liberum exitum non inuenientes ad superiora propellunt. Lumbrici etiam non rarò, in ventriculum ascendentes ab intestinis, eiusque tunicam interiorem vellicantes vomitum efficiunt. Ac denique abscessus diruptus in liene, mesenterio, aliisque abdominis partibus vomitum purulentum, & sanioſum excitare solet.

Causæ vomitus coniunctæ sunt eædem suprà memoratæ quando ad ventriculum fluxerunt. Quamdiu enim in alijs partibus continebantur, erant causæ antecedentes. Postquàm verò ad ventriculum translatæ sunt, in eoque commorantur, causæ coniunctæ rationem obtinent. Tales causæ sunt præcipuè humores varij, quorum etiam nonnulli in ipso ventriculo generantur, pituita potissimùm, cuius maximus prouentus non rarò fit in ventriculo per eruditates, & apepsias; quando stomachus debilis alimenta probè non concoquit, eaque in pituitosum excrementum conuertit. Sic etiam in ventriculo interdum generatur bilis porracea, ex corruptis alimentis, vt docet Galen. *comm. in prognost.* & hoc luculenter apparet in pueris lactantibus, qui ex lactis

corru-

corruptione in ventriculo fœces porraceas,& æruginosas excernere consueuerunt.

Hæc tamen bilis porracea ex corruptis alimentis in ventriculo genita, non est eiusdem naturæ cum ea, quæ ex bile flaua per aduſtionem, & torrefactionem generatur.

Signa vomitus diagnostica per se manifesta sunt. Causæ verò prout variæ, sic etiam varijs signis innotescunt.

Primò igitur,si ventriculi ipsius vitio vomitus contingat, eiusdem partis laborantis signa apparent, vt cibi fastidium, grauitas, tensio,& inflatio in regione stomachi,tarda & difficilis concoctio,ructus acidi,vel nidorosi,aliaque signa debilitatem,& intemperiem illius partis demonstrantia. Sic etiã si ex morbo organico vel communi,ventriculo inhærente; (vt tumore, vel vlcere) vomitus oriatur, eorum morborum signa sese prodeunt.Si verò per sympathiam totius corporis aut aliarum partium vomitus contingat,affectus,totum corpus, vel aliquam partem obsidentes, apparebunt.

Totum corpus afficitur in febribus,cachexia, ictero, atrophia. Partes verò peculiares, à quibus frequentius humores ad ventriculum transmittuntur,sunt cerebrum,hepar, intestina, & vterus.

Si è cerebro humores ad ventriculum confluant,destillationis signa apparebunt. Tum etiam vomitus erunt spumosi ac pituitosi, nausea erit magis molesta quo tempore cibus assumitur.

Si ex hepate humor transmittitur, is plerumque bilhosus esse consueuit. Atque adeò bilis vomitu reijcitur & vomitus ante cibum,quàm eo assumpto molestior est:tum aliquis affectus, vt dolor, tumor, aliusque in hepate apparet.

Si ex intestinis materia ad ventriculum feratur,dolor colicus aut iliacus aderit,vel lumbricorum signa sese ostentabunt.

Si denique per vteri sympathiam vomitus concitetur,conceptio aderit,vel mensium suppressio,vel alia ex vtero symptomata prodibunt.

Quibusdam etiam signis conijcere possumus, vtrùm humor in cauitate ventriculi contineatur vel tunicis ipsius hereat.Si enim in cauitate sit,leuissimo conatu reijcitur,& inest ventriculo tensio,& anxietas ab assumpto alimento quę non cessat donec humores vomitu reiecti sint qui soli plerumque excernuntur, alimentum verò retinetur. Si verò humores tunicis adhæreant, ab ingesto cibo, præcipuè vomitus contingit,& alimenta sine humoribus reijciuntur: citra verò cibum nausea admodum molestat,& quod reijcitur,crassum, ac viscidum est,magnoque conatu extruditur.

Causę externę ex ęgrotum relatu innotescent, vt si nimio cibo & potu sese ingurgitauerint,vel ictum aliquem graue, in illa regione acceperint, vel prauum aliquod edulium, aut venenosum ingesserint.

Imminentis denique vomitus signa proponuntur à Galen. *lib.3. de crisi cap.vlt.*qualia sunt dolor capitis,vertigo tenebricosa, tremor labii inferioris, oris ventriculi morsus, frequens,& copiosa saliuatio.

Prognosis huius affectus in hunc modum instituenda est.

Vomitus ex bile flaua, & pituita mixtus, qui nec valdè erasus nec admodum copiosus, & qui duos istos humores habet exquisitè permixtos, bonus. Talis enim vomitus insubstantia,quantitate,qualitate laudabilis est. Ex omnibus enim humoribus excrementitijs pituita, & flaua bilis sunt omnium mitissimi. Si autem quantitate,& consistentia mediocri, ac benè inuicem permixti per vomitum afferantur, omnes laudabilis vomitus conditiones obtinebit.

Vomitus bilioſi,aut pituitosi die critico erumpentes boni. Non solum enim vomitus permixti ex vtroque humore boni sunt; sed etiam, qui fiunt seorsim ex alterutro humore, si talis humor morbum committat, quo ægret detinetur. Sic in bilioſis febribus bilis critice erumpens aut pituitam in pituitosis, morbi solutionem afferunt, aut saltem maximam salutis spem polliciantur.

Longo alui profluuio laboranti spontaneus vomitus superueniens morbum soluit. *Aph.*15. *sect.*6. Fit enim reuulsio materiæ morbificæ in contrariam partem. Et illa reuulsio ostendit naturam refici,ac vires resumere. Vt enim Medicus eorum, quæ ad partem aliquam fluunt retractionem molitur,ita natura, cum præualere incipit, humoris ad partem affectam confluentis reuulsionem facit,dum illa pars refici ac roborari incipit.

Vomitus paucus, & laboriosus in acuta febre,malus. Nihil enim eorum,quæ decretoria sunt,exigue fieri conuenit; sed quæ ita vacuantur omnia, duorum alterum significant, aut materiæ copiam, quam natura tolerare nequit, sed ex ea aliquid symptomaticè effundit; vel naturæ imbecillitatem, quę superflua expellere frustrà nititur.

Vomitus variegati ex multis humoribus constantes, mali significant enim varios humores in corpore latitare, qui eo maius negotium naturę facessunt, quò difficiliùs est pluribus inimicis reluctare. Si enim aduersus varia alimenta pugnare naturę graue est; quantò difficiliùs erit, & periculo plenum,tentare, varios humores præter naturæ modum existentes concoquere,& edomare: præcipuè in morbis acutis, in quibus breue est tempus pugnę quod deberet esse longissimum,vt maior spes victoriæ ex parte naturę haberi posset.

Vomitus porraceus, æruginosus, liuidus, niger, fœtidus, lethalis. Significat enim huiusmodi vomitus bilem porraceam, æruginosam, aut atram in corpore redundare. At hæ omnes bilis species malignos morbos, atque lethales solent producere. His verò si fœtor adiunctus sit insignem humorum corruptelam significat, cum quà natura diu consistere nequit.

Vomitus sinceri, & impermixti in acutis febribus mali. Hipp.1. *prorrhet.* Humor enim sincerus non solam crudus est; sed etiam incoctilis, quippe qui tum actum coctionis, tum potentiam excludit. Hippocrates ἄκριτον vocat humorem omnem, mixtionis expertem, vel omne excrementum feruidum, & crudum, quod suo fero dilutum non est. Cuius generatio, vel partis alicuius vitio fit, vel feruore, ac incendio febrili,exhausta aquosa, & serosa parte. Ideoque in acuta febre magnum intus incendium latere ostendit; plerumque à natura inuincibile(*Melet. III* 27. 28. 29.

Quod ad curationem spectat, si vomitus ab aliarum partium affectu dependeat, non alijs indiget remedijs, quam iis, quæ morbo, à quo procedit, conueniunt.

Si verò fiat ab humoribus bilioſis, pituitosis, aut melancholicis quantitate,aut qualitate sua ventriculum stimulãtibus, humores illi vomitoriis medicamentis excludendi sunt.

Si verò crassi,& glutinosi sint, incidendi, & abstergendi, quemadmodum in curationem inappetentiæ dictum est.

Vomitus etiam in hoc casu plurimũ confert, qui prouocandus est emetico mediocri,non imbecillo,quale est oleum tepens: neque etiam vehementi, quod à longinquis partibus trahat,vt quæ ex antimonio parantur. Sed illud tantum maximè conuenit, quod valida detergendi, ac dissoluendi glutinosum illum humorem virtute præditum est; talis est gylla Theophrasti, seu vitriolum album præparatum,ac paulo efficacius id præstat sal ex vitriolo ad intensam rubedinem calcinato extractum.

Si vomitoria non arrideant, clysteribus frequentibus, & cathartícis blandis materia peccans detrahenda est, additorhab. quod purgando astringit, & ventriculum roborat.

Sic in vomitu bilioso pilulæ sequentes præscribi poterunt.

℞. Aloes opt.aqua rosar.lotę Drach.iii.rhab.pulu.& aquaborag.irrorati.Drach.i.masticbes,santali rubri,coralli præparat.ana ℈i. Cum syrupo rosar.solut.fiat masſa pilular.cuius capiat ℥ß. vel ℥i. alternis diebus, donec sedatus sit vomitus. Vel.

℞.Rhab.pulu.℈i.cortic.myrobal.citrin.℈i. pondii,& rasurę cornu cerui, an. gr. vi. Fiat puluis,qui detur bis in septimana cum pauco iusculo.

Vel fiat bolus ex hierę picrę, aut catholici ʒ iii. cum ʒ i. rhab. puluerati.

In vomitu vehementissimo dentur laudani gr.(ii.)iii.cum cochiar.min.℈ii.ß. Sedabitur vomitus, & post 5. horas purgatio fiet per inferiora. Satis magnà ponitur purgantium quantitas, quia infrigitur à laudano quod idcò miscendum est cum diagrydiatis, & colocynthiatis. Si restiterit medicamentum clystere acriori euocandum.

Post sufficientem purgationem vomitus cohibendus erit; partem roborantibus: vt syrupo cydon. de granatis acidis, conserua rosar. veteri vel rad. symphyti,mina cydon. vel iulepo sequenti, si vehementissimus vomitus sit valdè bilioſus, vt in cholera morbo.

℞.Succi granã.acidor. ʒvi.succi menthę depurati ʒii.aquę oxalidis ℔ß.i.sacchari albi ℔ß. Fiat iulep. in cuius clarificatione leniter bulliant in nodulo,santali citrini,rosar.rubr.& spodii,ana ʒi. Capiat ʒiv. manè & serò.

℞. Terræ sigillatæ, boli armeni, coralli rubr. margarit.

ræp-

Præp. sem. portulac. & acetosæ, ana ʒ j. rasuræ cornu cerui, sol. mente siccor. ana ℈ j. rosar. rubr. P. ß. Fiat puluis, aspergendus iusculis, & panatellis, aut sumendus ex cochleari, cum pauca aqua ferrata. Ex eo etiam poterunt fieri tabellæ cum saccharo, aqua plantag. dissoluto; vel opiata cum syrupo cydon. addendo conseruam rosar. aut symphyti.

Mastiches aliquot grana duriora, manè sumpta, non parùm valent ad vomitum compescendum.

Balsami Peruuiani gutt. iij. in ouo sorbili, aut cum saccharo in formam pilularum redactæ idem efficaciùs præstant.

Laudatur etiam decoctum fabarum, aut lentium, abiecta priori aqua, & addito pauco aceto. Succus cydon. crudus miraculosè vomitum sistit, si eius cochl. j. vel ij. exhibeantur.

Camphora naribus frequenter admota, vel illita, atque etiam sumpta cum pauca aqua rosar. & tantillo pulu. diamoschi, ad idem est efficax.

Spiritus vitrioli cum aqua plantag. vel communi mixtus, & ad moderatam aciditatem exhibitus, vomitus etiam potenter cohibet.

Si verò admodum pertinax fuerit vomitus, spiritus vitrioli quantitas augenda est, vt aqua valdè acida reddatur. Cum vino genoroso vtiliter etiam misceri potest. In spiritus vitrioli penuria acetum fortissimum vsurpari potest, cuius coclear vnum, vel alterum purum, & impermixtum exhibendum est.

Salis absinthii scrup. i. cum succi limonum cochleari mixtus, remedium est præstantissimum: præsertim in vomitu, qui à febribus malignis solent contingere.

Si vomitus vires valdè deiiciat, detur laudanum cum miua cydon. vel syrup. de rosis siccis: & illicò applicetur cucurbitula ventriculo, & catapl. ex fermento, pulu. absinth. & cortic. arantior. subactis cum succo menthæ.

Exteriùs verò regioni stomachi admoueantur fotus ex spongia noua, in aqua rosacea, & aceto rosarum immersa, iisque subfrigidi. Vel dicta spongia bulliat in aceto forti, & calidè ventriculo applicetur. Vel componatur fotus ex decocto rad. bistortæ, folior. plantag. portulacæ, menthæ, summitatum rubi, & salicis, Deinde inungatur vnguento sequenti.

℞. Acaciæ, hypocist. granor. sumach. & myrtillor. ana ʒ ii. mastiches, & granor Kermes, ana ʒ j. olei myrtini ʒ ij. ceræ q. s. Fiat vnguentum. Vel sequens cataplasma admoueatur.

℞. Carnis cydonior. in aqua rosar. & aceto decoctor. aut cydoniati fortiter contusi ʒ ii i. pulueris mastiches, granor. Kermes, myrtill. & sem. plantag. ana ʒ ii. Cum succo menthæ, vel cydonior. vel syrupo de absinthio, fiat instar cataplasmatis.

Vel crusta panis in aceto rosac. macerata, & sequenti puluere consperſa.

℞. Rosar. rubr. balaustior sem. coriandri præp. an. Drach. j. ß. mastiches, coralli rubri, sem. acetosę, spodii. an Drach. ß. santali citrini. ℈ i. Nisce, fiat puluis.

Vel emplastrum sequens applicetur.

Massæ empl. de mastiche ʒ. i. pulu. myrtill. & rad. bistortæ, ana Drach. ß. cum oleo lentisc. Fiat. emplastrum scutiforme.

Si vomitus sit vehementissimus, & febrem symptomaticam inducat, & corpus sit plethoricum; vtile est nonnunquam sanguinem detrahere, ad præcautionem inflammationis, quæ in partibus internis ex concussione illa potest contingere. Id tamen cautè agendum, & parca manu, metu delectionis virium.

Præterea conueniunt cucurbitulæ dorso, & vmbilico admotæ frictiones, & ligaturæ partium extremarum.

Fauces, & collum obuolui possunt linteis oxycrato imbutis, vt humores repellantur. Manuum iniectio in aquam frigidam omnem vomitum compescit.

Ac tandem reliquis non conferentibus, ad narcotica veniendum erit, quæ omnes euacuationis citissimè cohibent.

In vomitu pituitoso (si vomitoriis prædictis sedari nequeat) exhibendę sunt pilulę de hiera, addito rhab. & agarico, aut alia catartica huic vsui idonea.

Postea ad ventriculum roborantia veniendum est, qualia in curatione inappetentiæ proposita sunt; quibus addi possunt sequentia.

℞. Conseruæ rosar. & rad. symphysi, ana Vnc. j. confection. de hyacinth. Drach. iij. pulueris electuar. diambræ, & aromat. rosat. ana Drach. ß. trochisc. despodio, terræ sigillatæ & granor. Kermes, ana ℈ j. cum syrupo cydonior. fiat opiata.

Spiritus vitrioli cum aqua absinthij, vel succo menthæ mixtus, vomitum potenter cohibet, & ventriculum roborat.

Vel aquæ imperialis cochl. j. aut duo post vomitum exhibeantur, si magna sit ventriculi frigiditas.

Exteriùs verò sequentia admoueantur.

℞. Absinthij, menthæ, melissæ ana M. iii. Coquantur in q. s. vini, & aceti, ad tertiæ partis consumptionem. Fiat fotus pro stomacho.

Posteà admoueatur emplastrum prædictum, vel cataplasma ex cydoniis, substituendo puluerem nucis moschat. & caryophyll. loco myrtill. & plantag. Vel

℞. Absinthii, & menthæ, viridis, ana ℔ ß. i. crustæ panis assatæ, & in aceto rosac. infusæ ℔ ß. pulp. cydonior. vel cydoniati Vnc ii. mastiches Vnc. ß. macis, & nucis moschat. ana Drach. ii. Omnia pistentur fortissimè cum oleo cydonior. & fiat emplastrum.

Vel fiat cataplasma ex cydoniis in aceto fortissimo coctis, & contusis, addendo parum sem. sinapi, & pulueris caryophyllorum.

Vel admoueatur crasta panis torrefacta, & in vino genoroso cum succo menthæ madefacta, & pulu. nucis moschat. caryophyll. thuris, mastiches, & granor. kermes sinapisata.

Villanouanus plurimùm commendat fermentum acre, quod aceto acerrimo, & succo menthę maceratum, applicatur ventriculo, & bis, aut ter renouatur. Certissimè enim sedat post conuenientes euacuationes, & reuulsiones.

In diuturniori vomitu, vbi magna est ventriculi laxitas, ad valdè astringentia veniendum erit, in sequentem modum composita.

℞. Rad. bistorræ tormentillę, cort. malorum granator. balaust. & hypocist. ana Drach. ii. fol. menthæ, & absinthii siccor. an. M. ß. granor. sumach. & myrtill. an. Drach. i. rosar. rubr. P. i. cinam. caryophyll. & mastiches ana Drach. ß. gallar. viridium, & nucum cupressi ana Drach. ii. Fiat decoctio in aqua ferrata, & vino rubro, in qua dissolui possunt granæ aliquot moschi, quia odorata maximè faciunt ad vomitus compescendos. Cuius decocti capiat æger manè ʒ ii. & ex eodem foueatur regio ventriculi.

Post fotum admoueatur emplastrum, vel cataplasma aliquod ex supra propositis.

CAPVT VIII.

De Vomitu sanguinis.

SAnguinis è ventriculo per os exclusio, quæ vomitus sanguinis vulgò nominatur, hoc cum omnibus aliis hæmorhagiis commune habet, quòd per anastomosin, rixin, diabrosin, aut diapedesin sanguis è venis egrediatur; qui quidem venarum affectus in hæmoptysis theoria pathologicè expositi fuerunt.

Causæ etiam, sanguinis vomitum efficientes cum hæmoptysis causis coincidunt.

Ac primùm causa coniuncta, istas sanguinis effusiones producens, est illius quantitas vel qualitas excedens.

Sanguis quantitate peccans venas rumpere, aut orificia illarum aperire potis est, sicque rixin, aut anastomosin efficere, quod in plethoricis corporibus, & athletico habitu præditis contingit.

Idem verò qualitate peccans si nimirùm calidior tenuiorque sit, per anastomosin effluere post; quia calor orificia dilatat, & tenuis efficit, vt facilius effluere possit. Eædem qualitate diapedesin etiam pariunt; calor enim rarefacit tunicas vasorum, tenuitas verò sanguinis efficit, vt per poros earum tunicarum faciliùs transfluere possit.

Sanguinis denique acrimonia venarum tunicas erodit, & exulcerat, ac diabrosin producit.

Causæ antecedentes eædem sunt, quas coniunctas appellauimus, loco tantùm differentes. Quando enim sanguis quantitate, vel qualitate peccans, venas immediatè aperit; causa coniuncta nominatur: idem verò sanguis, in venis contentus, causæ antecedentis rationem habet.

Ad causas etiam antecedentes referuntur partes mandantes, quarum præcipuæ sunt caput, hepar, lien, & vterus.

Ple-

Plerumque fertur sanguis à capite ad ventriculum, per palatum, & œsophagum: sæpè etiam catarrhus ferinus, ex pituita acri, & salsa genitus ventriculum erodit, venasque illius aperit.

Ab hepate, & liene per venas, quæ ad ventriculum feruntur, & cum illis partibus communicant.

Ab vtero denique sanguis refluens in suppressione mensium ventriculi venas aperit; ita vt quædam mulieres repertæ fuerint, quæ purgationes menstruas per vomitum sanguinis periodicum passæ fuerint.

Frequentiùs contingit sanguinis vomitus ab hepate, & liene, quàm ab aliis partibus: & à liene etiam sæpiùs, quàm ab ipso hepate: maiorem enim consensum habet lien cum ventriculo, quàm hepar. Patet siquidem ex Anatome, maximum ramum venæ portæ in lienem demitti, à quo venæ multæ ad ventriculum feruntur, tum ad partem superiorem, tum ad inferiorem, seu fundum ventriculi, & quidem insigniores ita vt interdum flatibus, & sanguine distentæ medii digiti crassitiem æquent, quod ex dissectione cadauerum innotuit. Præterea vas breue patentissimum, vt excrementum melancholicum in statu naturali continuò in ventriculum eructat, sic in præternaturali sanguinem magna copia in illius capacitatem effundere potest. Aduertendum autem hic est, nõ solùm per vomitum; sed etiam per aluum in hoc affectu sanguinem excludi, tum quia portio illius, qui ad ventriculum confluxit, ad inferiora deturbatur, tum etiam quia venę mesaraicę aperiuntur, & intestina sanguinẽ profundunt; qui quidem sanguis in longo intestinorum anfractu denigratur, & picis liquideę instar reijcitur.

Causæ externæ sunt omnia, quæ vulnerare, aut contundere possunt, tum etiam æstus vehementior ob ebullitionem, quæ in sanguine commouetur, vnde iuuenes ad 35. annum sanguinis vomitui, alijsque hæmorrhagię speciebus maximè sunt obnoxij. Frigus etiam immodicum constringendo venarum ruptionem moliri potest: idipsum quoque efficiunt motus intempestiui, & labores, ac exercitationes insuetæ, clamores, & vociferationes magnæ, quæ sanguinem in venis vehementer commouent.

Ac denique omnes causæ, quæ hæmoptoen excitare possunt, proprio capite recensitæ. Sanguis enim in venis, & arterijs à quacunque causa, siue interna, siue externa vehementer commotus, ad eam partem facilius irrumpit, quæ debilior, & illius receptioni magis dispositа est. Atque ita, si ventriculus, aut venæ, quæ ad ipsum feruntur, talem dispositionem habeant, vomitus sanguinis excitabitur, potius quàm alia quæuis hæmorrhagiæ specie.

Diagnosis huius affectus in eo potissimùm versatur, vt pars, à qua sanguis profluit, nobis innotescat.

Si ex ipso ventriculo sanguis effundatur, situs partis, & in ea doloris, aut grauitatis sensus ferè continuus illud demonstrabunt. Deinde minor est illius copia, graciles enim sunt stomachi venæ, cum nausea sanguis effertur, ac in deglutiendo mordacitas percipitur. Tum sanguis aliquando cum cibo, aliquando cum bile, vel pituita mixtus eijcitur.

Si à capite sanguis profluat, quædam circa fauces, & palatum titillatio percipitur; pars sanguinis aliquando per nares emungitur, muco permixta, capitis dolor, aut grauitas præcessit, quæ post talem hæmorrhagiam sedatur.

Ex liene, & iecore sanguis copiosior effunditur, & plerumque tumor, aut dolor in illa parte apparet. Ex liene crassus, globosus, ac niger; ex iecore rubicundior, & quodammodo spumosus. Præterea sanguis, qui ab hepate fluit, magis per partem inferiorem elabitur, quàm per vomitum: quia ab hepate per venas mesaraicas plerumque fluit, ad intestina, & ab ijs, (vt vomitum efficiat,) ascendere debet in ventriculum. Faciliùs verò descendit in aluum, cùm via sit procliuior. Contra qui è liene fluit, per vomitum potiùs, quam per intestina purgatur; quia venę à liene ad ventriculum sunt breuiores, & minùs amplæ.

Si denique vomitus sanguinis fiat à suppressione mensium, ipsa suppressio ab ægrotantis relatu innotescet, & sanguinis excretio periodica erit, quæ augebit coniecturam si nullus aliarum partium affectus conspiciatur.

Quod ad prognosin spectat, vomitus sanguinis, à quacumque causa oriatur, non est expers periculi. Vel enim ex nimia sanguinis effusione mortis subitanea periculum imminet, vel si in ventriculo grumescat, corrumpatur, & putrescat, lipothymias, syncopen, & suffocationes parit.

Minus tamen periculosus est vomitus sanguinis, ex suppressione mensiũ oriundus, quã si ex hepate, vel liene procedat. Prouocatis enim quomodocumque mensibus, curari solet, vt docuit Hipp. *Aph. 34. sect. 5.* his verbis. *Mulieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus, solutio fit.* Et in his sæpè sola venarum inferiorum apertione menstrua prouocantur, aut saltem paucis alijs remedijs melanagogis adhibitis, & sic vomitus sanguinis cohibetur.

Qui ex vomitu sanguinis in hydropem ascitem prolabuntur, ex eodem pereunt. Testatur Dodonæus, se neminem à tali hydrope seruatum vidisse. Et docet experimentia ex quacumque sanguinis profusione hydropem excitatum, esse lethalissimum: quia ex summa caloris natiui dissipatione exoritur, quæ irreparabilis est.

Ad huius affectus curationem opus est remedijs, sanguinem à ventriculo reuellentibus, eiusdem intemperiem corrigentibus, & apertionem venarum constringentibus, ac glutinantibus. Quibus iungenda erunt, quæ partem primariò affectam respiciunt, à qua sanguis in ventriculum transmittitur.

Ac primum quia victus ratio in hoc affectu maximum momentum habet, illius præcipua capita hic subnectenda.

Alimenta igitur ordinaria debent esse astringentia, & emplastica, tùm etiam refrigerantia, actu, & potestate talia; vt hordeata, amygdalata, orisata, panatellæ, gelatinæ, & in primis amylum, sine calce paratum, cum lacte coctum, quod ad hæmoptisin compescendam eximium est; his omnibus semper aliquid succi mali punici, vel aceti rosacei addi poterit, (*acida lac coagulant.*) His accedere poterunt oua indurata aceto intincta; mica panis aqua frigida macerata; iuscula pullorum cum oxalide, portulaca, plantagine, & granis vuæ immaturæ parata; pedes, & intestina veruecum, hædorum, & vitulorum ad putrilaginem vsque decocta. In principio mensæ sumatur aliquid astringens, vt malum cydonium, pomum, aut pyrum austerum sub cineribus coctum, mina cydoniorum, aut gelatina ex cerasis acidis, mespilis, aut sorbis confecta.

Abstineat æger ab omnibus cibis acrioribus, salsis, piperatis, & frixis: tum etiam euchymis, quæ multum sanguinis generant, nisi aliquando vires collabi videantur, ad quarum refectionem illa aliquando, sed parca manu erunt exhibenda. Parcè admodum ægri nutriendi sunt, quò minùs enim sanguinis generabitur; eò minor erit fluxio, & partes inanitæ, sanguinem magis attrahendo, illius effluxum prohibebunt.

Potus erit perexiguus, ex aqua ferrata, cum pauco succo granatorum. Vinum interdicendum est, nisi sit crassum, & austerum: quod non tortiuum appellamus; & tunc etiam febris carentia esse debet.

Aer sit frigidusculus, extra ventorum flatus, Solis, & Lunæ radios. Somnus sit modicus, & non diurnus. Quamuis enim in somno omnes fluxiones cohiberi dicantur; hæc tamen ex diuturniori caloris concentratione renouari potest. Aluus sit semper libera, & omni animi pathemata vitentur.

Dieta in hunc modum instituta, ad chirurgica, & pharmaceutica remedia progrediendum est.

Ac primùm venæ sectio statim celebranda est parca manu, & repetitis vicibus, vt maior fiat reuulsio. Idque ex basilica cubiti dextri, si à iecore; vel sinistri, si à liene malum exoriri videatur, vel ex vena malleoli, si ex mensium suppressione profluxerit.

Fiant frictiones, & ligaturæ partium extremarum. Clysteres detergentes inici jantur.

Applicentur cucurbitulæ naribus, cruribus, & lumbis; imò, & hypochondris, vt sanguis retineatur.

Camphoræ scrup. sem. exhibeatur cum oxycrati, vel aquæ plantag. ℥iv. Quod remedium Rondeletius, in consilio quodam, tanquam præstantissimum commendat.

Oxycrati cyathus exhibeatur, si sanguinis concreti suspicio fuerit: eo enim facile dissoluitur sanguis, & à ventriculi venis propellitur, eædemque constringuntur.

Eodem oxycrato ventriculi regio foueatur sub frigidè.

Absente vomitu, vt venæ constringantur, sequenda vsurpanda.

℞. Album oui n. i. aquæ rosar. & aceti, an. ℥i. ß. Agitentur fortiter, deinde adde amyli drach. ii. Misce, vtatur æger ex cochleari. Vel

℞. Corall. præpar. terræ sigillat. boli armenæ, lapidis hæ-

mat.

mat. & trochisc. de carabe an. ℥j. aquæ plantag. & syrupi myrtini, an. ℥ij. Misce, vtatur vt suprà. Vel prædicto puluere vtatur cum iusculis. Vel

℞. Succi plantag. ℥iiij. Exhibeatur actu frigidus, manè, & serò. Testatur Gal. hoc succo nihil esse præstantius, ad quodlibet sanguinis profluuium cohibendus.

Succus portulacæ, & polygoni, cum saccharo sumptus, ad idem est efficax.

℞. Aquæ plantag. & portulac. an. ℥j. ß. Syrupi myrtini ℥ ß. syrup. de papauer. ℥ij. vel iij. salis prunellæ ʒi. Misce, fiat iulep. frequenter iterandus. Uel ex decocto prædictar. herbar. idem iulepus vtiliter componi poterit.

℞. Conserue rosar. antiquæ, & rad. symphyti an. ℥j. cydoniati ℥ß. sem. myrobal. condit. n. j. trochis. de carabe, & de terra lemnia, an. Drach. ij. collar. præpar. & croci Martis an. ʒj. Cum syrup. de ros. siccis fiat opiata, qua vtatur frequenter. Trochisci de carabe non solùm astringunt, sed etiam sanguinem concretum dissoluunt, ideò frequenter vsurpandi.

Syrupus corallor. vtiliter etiam vsurpari poterit, multò vtiliùs eorum tinctura, cum succo limonum recenter parata.

Vbi magno impetu sanguis excernitur, nec prædictis remediis illius vomitus sedatur, vt mortis periculum immineat, ad narcotica veniendum est, vel assumendo ea, vel per clysterem iniiciendo.

Exteriùs verò inungatur regio ventriculi ol. rosac. & myrtino, lotis in aceto, & post vnctionem aspergatur puluis coralli, boli armenæ, terræ sigillatæ. Vel inungatur vnguento sequenti.

℞. Succi plantag. & centinod. an. ℥i. sem. aceti rosac. ℥ i. olei omphac. ℥. v. Bulliant. ad succor. consumptionem. Deinde adde sanguin. drac. mastiches, cortic. granat. & myrtill. an. ʒii. camphoræ ℈i. ceræ rubræ q. s. Fiat vnguentum.

Pro potu vtatur aqua ferrata, cùm syrup. cydonior. & spirit. vitr. Iusculo etiam cum aqua ferrata decoquantur.

Foueantur hypochondria, & lumbi subfrigidè decocto plantag. & portulac. facto in oxycrato.

Manus demittantur in aquam frigidam: sic enim omnis vomitus sedatur.

Posteà vnguentum refrigerans Gal. in aceto lotum dictis partibus illinatur.

Celebrata sufficienter phlebotomia, ad causæ sublationem, & integram morbi solutionem purgatio blanda, & frequens instituenda est, qua sanguis à serosis, & biliosis humoribus, hunc affectum producentibus, repurgatur. Cuiusmodi purgationes à Medico prudenti celebrare miranda præstant vt nos experientia didicimus. Debet autem fieri ex rhabarb. myrobalanis, tamarindis, & tryphera persica: quæ medicamenta purgando astringunt, & humores nullo modo exagitant, vt inde non metuenda sit vomitus sanguinis concitatio. Illa autem exhiberi poterunt, vel in forma boli, cum syrupo myrtino, aut de rosis siccis, vel potionis, cum decocto cichorii, acetosæ, portulac. & similium.

Dum purgatio celebratur, (quæ per tres, aut quatuor dies potest continuari, parca purgantium dosi:) vespertinis horis exhiberi poterit optata prædicta, aut, syrupus corall. aut aliud ex prædictis medicamentis astringentibus, & roborantibus.

Denique ad præcautionem, rhab. pulu. ʒi. semel in septimana per longum tempus exhiberi poterit; vel syrupus magistralis, ad hæmoptyseos præcautionem descriptus. Tum reliqua ferè remedia, quæ ad illius affectus curationem, & præcautionem proposita sunt, in hoc etiam casu conuenire poterunt.

CAPUT IX.

De Cholera morbo.

CHolera morbus est violentissima humorum biliosorum, acrium, aut corruptorum, per vomitum, aluum excretio.

Cholera dicitur ἀπὸ τῆς χολῆς, à bile flaua, vt docet Gal. ex sententia Gnidiorum medicorum 1. *meth.* c. 2. cùm ex bile flaua, humore prauo, bilem æmulante, & suprà, & infrà erumpente, hoc malum oriatur. Attamen Alexander Trallianus *lib.* 7. c. 14. non vult, hoc nomen ab humore biliosо esse deductum, quia non semper bilis euomitur, sed etiam sæpè serosus, & pituitosus humor; sed potiùs ἀπὸ τῶν χολάδων, ideſt, ab intestinis, quæ ab antiquis χολάδες nominata sunt, quoniam ab intestinis, & iteraneis humores isti eructantur. Prior tamen etymologia magis probanda est, quia non solùm à Gal. sed etiam ab Hippocr. 7. *epid. textu* 19. Celso *lib.* 4. c. 11. & Aureliano *lib.* 3. *acutor. cap.* 9. recipitur. Et quamuis biliosus humor non semper reijciatur; Est tamen acer, mordax, & corruptus, ad bilis naturam accedens.

Partem affectam alij statuunt ventriculum, alij intestina, alij ventriculum, & intestina simul. Verum Galen. sententiæ inhærendum est, asserentis *de sympt. causis* c. 2. partem primariò affectam esse ventriculum, cuius facultas expultrix vehementer irritatur, vt per vtrumque orificium humorem noxium expellat. Secundariò verò gulam, & intestina affici, dubium non est.

Est igitur hic affectus symptoma facultatis expultricis læsæ, & vehementer irritatæ. Non potest autem dependere à retentrice debilitata, quia in ea humores paulatim effluunt, vt in lienteria, & cœliaca passione. Fateri tamen oportet, vehementiorem fieri affectum, si retentrix debilis expultrici non resistat. Concurrit etiam ad hoc opus concoctio læsa, ob quam praui humores in ventriculo generantur, & expultricem irritant; sed hæc causa tantum antecedentis rationem habet. Hipp. 4. *de victus ratione in acutis textu* 104. duas proponit choleræ species, vnam humidam, alteram verò siccam. Humida est illa, quæ hactenus descripta est, quæue sola proposita definitione describitur, tanquam frequentior, & magis vsitata. Sicca verò longè infrequentior est, fitque à spiritu flatuoso à ventriculo, & intestinis exeunte, partesque per quas transit, mordicante. Generantur isti flatus, vel à ventriculi calore igneo, cibos corrumpente, & in nidorem conuertente, vel à cibis flatuosis, & nidorosis, vt sunt cepæ, raphani, & similia. Sennertus aliam causam addit ab Hermeticorum doctrinam mutuatam, nempè humores salsos, & aduſtos, circa hypochondria cumulatos, & alteriùs humoris permixtione efferuescentes. Quantam enim (inquit) spirituum copiam sales, & spiritus salini cum spiritibus acribus permixti suppeditent, ex olei vitrioli, & aquarum fortium cum sale tartari mixtione, apparet. Tale ergo quidpiam etiam in corpore humano accidere, & ex humoris salsi atque aduſti cum aliis spiritibus commixtione magnam spiritibus flatuosi copiam excitari posse, incredibile non est.

Causa proxima huius affectus est humor biliosus, exustus, acidus, salsus, vel putrescens in ventriculo, intestinis, hepate, liene, mesenterio, vel pancreate collectus: vel alimentum praua substantia præditum, medicamentum vehemens, & deleterium, aut venenum assumptum. Hipp. 7. *Epid. text.* 90. causas fere omnes, à quibus praui isti humores generantur, diligenter enumerat his verbis, *Cholericæ sursum, & deorsum eruptiones è nimio esu carnis, potissimum suillæ crudioris: item ex cibis insuetis, & ebrietate vini veteris, & dulcioris ex granis pini, locustis nucibus rancidis, atque ex vsu aliorum porri, & cæparum, maximè à lactucis coctis, brassica, & similibus crudioribus, à placentis etiam, & dulciarijs, & mellitis, & fructibus horarijs, potissimum cucumere, & pepone. Fiunt autem magis æstate, quia tunc faciliùs recensita corrumpuntur, vel inconfecta manent.*

Animaduersione dignum est, vnde tanta humorum copia deriuetur, quæ per vomitum, & aluum in cholera reijcitur. Vulgò respondetur, illos humores in mesenterio, & locis ei vicinis contineri: nonnunquam etiam è toto corpore confluere. Quod cùm veritati consentaneum sit; dicere tamen possumus, humores corruptos, in ventriculo, aut partibus vicinis contentos, maligna qualitate alios quoque humores corrumpere, eosque à natura irritata ad ventriculum, & intestina protrudi; quemadmodū venenata medicamenta, vt antimoniū, colocynthis, elaterium, & simiia, bonos humores corrumpendo, hypercatharsin efficiunt.

Signa huius affectus diagnostica sūt humoris biliosi, acidi, vel aliis modis corrupti, per vomitum, & secessum, frequens, & copiosa excretio; ventriculi, & intestinorum morsus; inflatio, & dolores, sitis cum æstu, & anxietate: nausea vehemens, quæ frigida nōnihil sedatur; sed calefacta statim reiicitur: pulsus non rarò paruus, & inæqualis: sudor interdùm diaphoreticus, crurum, & brachiorum conuulsio, syncope, extremorū frigiditas, aliquę grauissima symptomata.

Causæ

Cauę eti am hunc affectum producentes facilè internoſci poterunt. Ac primùm externæ ex ægrorum, & adſtantiam relatu innoteſcent. Si nimirùm æger alimenta nimia copia, vel praua qualitate infecta ingeſſerit; Si venenum aliquod aut vehemens medicamentum hauſerit. Internæ verò ex humorum, qui reijciuntur, qualitate eorumdemque intus genitorum copia dignoſcuntur. Primarium eſſe affectum, & ventriculi vitio oriundum conijcimus, ſi reliquæ partes benè conſtitutæ ſint, nulloque affectu laborent. Præterea adſunt nauſea perpetua anguſtia, morſus, & dolor ventriculi materia reijcitur viridis, & æruginoſa. Si verò in venis ſit genita, febris vt plurimùm maligna adeſt.

Prognoſis huius affectus ita inſtituenda eſt, vt nimirùm morbus dicatur acutiſſimus, ſubitam plerumque mortem inferre ſolitus. Si tamen ex aſſumptorum vitio oriatur, minùs periculi eſt: quia ijs excluſis affectus plerumque ſoluitur.

Quo grauiora ſunt in cholera ſymptomata, vt ſyncope, conuulſio, & extremorum frigiditas: eò breuiorem hiſtoriam, & mortem propinquiorem expectare oportet.

Hippocrates *in Coacis* choleras quaſdam criticas eſſe docuit quæ lipyrijs febribus aduenium, & alio modò ex illius ſententia ſolui non poſſunt, niſi ingentibilis eruptione, ſurſum, & deorſum facta: quæ tamen criſes rariſſimè contingunt & valdè ſuſpectæ eſſe debent, vtpote bonæ criſis, & ſalutaris conditiones non habentes.

Si vomitus mitigari, & ſedari incipiat, ſi faciei color cadau. roſus, & habitus Hippocr. in meliorem reſtituatur ſalutis ſpes affulget.

In huius morbi curatione primùm, affectu incipiente, euacuatio aliquantulum permittenda eſt, dum praui & corrupti humores exierint. Tum etiam interdum eorum excluſio molienda, vomitione concitata hauſtu aquæ tepidæ, cum ſyrupo acetoſo mixtæ; aut iuſculio pulli magna copia ſumpto. Quod ſi non vomitum; humorum acrimoniam ſaltem contemperat. Vel dictorum humorum excluſio perficiatur rhab. exhibito cum ſyrupo de abſinthio, in formam pilular. redacto, nec non clyſteribus nonnullis detergendi vi præditis.

Præterea clyſteres pinguſes, & lenientes identidem injiciendi, ex lacte, ol. roſato, butyro intulſo, loto cum aqua roſar. vel ex decocto pulli, carnis vitullinæ, vitellis ouor. quibus interdum, vrgente affectu, narcotica permiſcendia.

Clyſteres etiam ex oxycrato plurimùm conferunt: vel ex decocto lactucæ, portulacæ, plantaginis, addito aceto, ſyrupo de nymphæa, & vitellis ouorum.

Internis etiam humorum acrimonia demulcenda: vt decocto portulac. & plant. cum ſyrup. cydonior. & de roſis ſiccis, & ſalè prunellæ, ſi ardor, & ſitis vrgeant.

Ac denique vomitus cohibendus medicamentis etiam internis, quàm externis, quæ pro vomitu bilioſo fuerunt deſcripta.

Inter quæ narcotica principem locum obtinent, ac præcipuè theriaca recens, quæ ad Drach. i. exhibita vehementes illas euacuationes velut momento cohibet. Idem præſtat laudanum opiatum, ad gr. iv. exhibitum, (*nimia doſſis medicamenti, ſumma ſpectione propinandi.*)

Si magna ſit virium exſolutio (vt ſæpiſſimè contingit.) integra laudani doſis tuta non eſt: ſed meliùs eſt gr. i. vel ij. tantùm exhibere, & ſemel in die repetere, atque etiam bis, ſi res admodùm vrgeat. Sic enim impetus humorum cohibetur, & naturæ dantur induciæ, vt eos concoqere, ac edomare valeat.

Cohibito vomitu, & alui fluxu remedijs ſupra propoſitis & viribus aliquantulum inſtauratis cardiacis remedijs, ægri à periculo liberati videntur; quod non ſolum aſtantes, ſed etiam medicos interdùm fallit: ſymptomata enim poſt vnum aut alterum quietis, & intermiſſionis diem, fortiora, ac vehementiora reſurgunt, & ægrum, à priori inſultu valdè debilitatum, de medio tollunt (*maxime ex opiatis.*) Cui ingenti periculo occurrendum eſt non ſolum vires inſtaurantibus, & humoris feruorem demulcentibus ſupra propoſitis quæ etiam ſedato inſultu continuari debent, ſed præcipuè venæ ſectione, quæ ſanguinem illum torridum, & æſtuantẽ reuellit, & maximè contemperat: eaque ſemel bis, ſervè erit iteranda, ſi vires à prima euacuatione nullo modo debilitatæ, ſed potiùs recreatæ appareant. Quidem practici in ipſo inſultu, etiam valdè proſtratis viribus, venã ſeccare audent, quas dicunt eſſe oppreſſas, non exſolutas. Attamen ſine periculo tunc temporis ſanguis mitti non poteſt. Et interdum ægrotantes paulò poſt illam euacuationem è medio ſublati ſunt, non ſine remedij opprobro. Ac licet virium oppreſſio quædam agnoſcenda ſit ab humore ſuperfluo, & naturæ infeſto, in venis contento; maxima tamen earum exſolutio negari non poteſt, ab horrendis euacuationibus per vomitum, & feceſſum ſubſecuta. Satius ergo eſt humorum impetum primùm cohibere, mox pacatis ſymptomatibus, ad venæ ſectionem confugere.

Quia verò in hoc affectu vires ex maximis euacuationibus citiſſimè concidunt, earum reſtaurationi diligenter incumbendum eſt ijs auxilijs, quę in virium imbecillitatis curatione propoſita ſunt.

CAPUT X.

De Dolore ventriculi.

DOlor dentriculi eſt triſtis eiuſdem partis ſenſatio, à rebus mordentibus, aut diſtendentibus, ſicque continuitatem illius ſoluentibus excitatus.

In ventriculo autem tres partes, plurimũ inter ſe diſcrepantes, conſiderandæ ſunt; orificium nempè illius ſuperius, orificium inferiùs, pylorus nominatus, & reliquum corpus, totam cauitatem conſtituens.

Orificium ventriculi ſuperiùs exquiſitiſſimo ſenſu donatum eſt, propter neruum inſignem, quem à ſexta coniugatione mutuatur, & ideò dolores in eo fiunt acutiſſimi, qui viſcus nobiliſſimum, ſibique vicinum, cor nimirum in conſenſum trahunt: vnde cardialgia, & cardiogmos nominatur. Tantus enim eſt ille cordis cum orificio ventriculi ſuperiori conſenſus, vt veteres illud orificium καρδίαν nominauerint.

Si verò menbranę, ventriculi cauitatem conſtituentes, aut pylorus dolore afficiantur, dolor ventriculi ſimpliciter nominatur, & interdùm colica ventriculi, præcipue quando à flatibus excitatur.

Proxima huius doloris cauſa eſt ſolutio continui, à rebus mordentibus, vel diſtendentibus excitata. Illæ autem res mordentes, vel diſtendentes præcipuæ, & frequentiores ſunt humores, vel flatus. Quibus addi poſſunt lumbrici, tunicas ventriculi vellicantes.

Humores acres, vel maligni, vt bilis porracea, æruginoſa, vel atra, pituita ſalſa, corrupti ichorres, pus fœtidum, ex diſrupta hepatis, aut thoracis vomica in ventriculum effuſum, & quicumque alij humores, acrimonia præditi, dolores in ventriculo excitare poſſunt.

Vapores etiam acres, ex ijſdem humoribus eleuati, hunc dolorem efficere conſueuerunt.

Flatus verò in cauitate ventriculi contenti inflammationem, & tenſionem dolorificam efficiunt: ſed multò magis intra tunicas illius coerciti, qui affectum contumaciorem efficiunt, cùm difficiliùs inde excuti valeant.

Morbi etiam tum ipſius ventriculi, tum partium vicinarum hunc dolorem parere conſueuerunt: vt intemperies quælibet excedens, tum calida, tum frigida, & multò magis inflammatio; interdum verò ſcirrhus, aut aſſus tumor durus grauantem dolorem efficiens. Ac denique vulnera, & vlcera eiuſdem partis vicinarum etiam partium tumores, & inflammationes, ventriculum comprimendo, dolorem ipſi inferre poſſunt.

Humores autem, & flatus, ventriculi dolorem excitantes vel in ipſo ventriculo generantur, vel à toto corpore, vel quibuſdam partibus in eum confluunt. A toto corpore in febribus, vel dum corpus prauis humoribus refertum eſt. Ab alijs partibus verò ſcil. præcipue ab hepate, liene, & cerebro ab hepate bilis, à liene melancholia, vel atra bilis, à capite pituita ſalſa.

Ab alijs etiam cauſis extraordinarijs, & in frequẽtioribus talis dolor excitari poteſt, vt de lapidibus in ventriculo genitis narrat Schenckius. *lib. 3. obſeruationum.* Et de corio lardi, fumo exſiccati, refert Fabricius Hildanus *obſeru. 33. lib 4.* cuius fuſtrum deglutitum matrona quædam in ventriculo ſeruauerat per duos annos, continuos excruciata doloribus, idque tandem, aſſumpto vomitorio medicamento, vomitu reiecit, & liberata eſt.

Cauſæ externæ hunc affectum producentes, ſunt alimẽta, vel praua qualitate infecta, aut ſũma acrimonia prædita, quæ per ſe talem dolorem inferre poſſunt, vel flatibus generan-

nerandis idonea : vel nimia quantitate assumpta; ita vt putrescant, & acrimoniam induant; vel calidiora plus iusto, vt ex ijs copia bilis producatur . Sic etiam medicamenta fortiora, vel acriora, vel deleteria facultate prædita, vel nimia quantitate assumpta, vel non satis correcta; item venena exhibita hunc dolorem facilè inferre possunt.

Signa diagnostica ad partem affectam, & causam dirigenda sunt . Ac primùm situs doloris orificium ventriculi superiùs affici ostendit, quando scilicet sub cartilagine xiphoide percipitur . Sed multò certius hanc partem affici, & veram esse cardialgiam significant, dolor acerbissimus ab exquisito partis sensu promanans anxietates, & iactationes, vt æger in vno situ consistere non possit; quibus etiam sæpè accedunt lypothimiæ, & animi defectiones propter cordis consensum, cuius summa est cum ventriculo sympathia, non solùm propter viciniam, sed etiam propter magnã spirituum dissipationem, quæ per istos cruciatus contingit. Interdum etiam cerebrum trahitur in sympathiam ob insignem neruum, qui huic parti implantatur; & vapores acres, qui indè recta via ad caput eleuantur; vndè cephalalgiæ, & hemicraniæ, & aliquando vertigines & epilepsiæ oriuntur.

In aliis verò ventriculi partibus dolores fiunt quidem acerbi; sed tam grauibus symptomatis non comitati, atque adeò dolores colicos æmulantur, situ tantùm doloris differentes.

Causæ istos dolores efficientes propriis signis distinguuntur, quorum magis perspicua ab excretis desumuntur . Si enim bilis, vel pituita, vel flatus, vel lumbrici per os, aut aluum excernantur; facilè est coniicere ab huiusmodi causis affectum dependere . Attamen etiamsi nulla materiæ morbificæ excretio fiat, signis peculiaribus, bilis, aut pituitæ, aut flatuum redundantiam internoscere possumus; tum etiam signa lumbricorum intùs latitantium ex proprio capite erunt desumenda . Quemadmodum etiam morbi peculiares, tum ventriculi ipsius, tum partium viciniarum, hunc affectum producentes, ex propriis cuiusque signis innotescent . Colligitur etiam diagnosis humoris, dolorem committentis, ex tempore inuasionis, incrementi, aut cessationis doloris . Quibusdam enim ante cibum dolor exacerbatur, & hoc bilis dominium significat, quæ ieiunii tempore exagitatur, & in ventriculum attrahitur, aut magis intenditur, & acrior euadit . Aliis statim ab assumpto cibo dolor commouetur, quia humores crudi, & mordaces, qui antea quieti erant, & ventriculi tunicis infixi ab assumpto cibo commouentur, vel qui in fundo ventriculi hærebant, sursum attolluntur & orificium ventriculi afficiunt. Aliis dum cibus concoquitur, dolor exacerbatur, quia vapores acres, & mordaces eleuantur ex materia morbifica à calore aucto in ventriculo tempore concoctionis . Aliis quatuor, aut quinque horis à pastu, quia ex concoctione deprauata cibi corrumpuntur & corrumpti ventriculum vellicant. Quibusdam denique post somnum dolor exacerbatur, & ille fit à catarrho, fluente humore à cerebro per somnum, qui maiori copia cumulatus dolorem in vigilia producit. Sedatur verò interdùm dolor à cibo, quia ciborum benignitate humoris acrimonia demulcetur.

Quòd ad prognosim spectat, Certum est, cardialgiam reliquis ventriculi doloribus esse longè periculosiorem, propter exquisitum oris ventriculi sensum, & maximum illius cum partibus principibus consensum.

Maior, vel minor causæ morbificæ prauitas, & symptomatum vehementia maius, vel minùs periculum portendunt.

Febris continua, & acuta, cum insigni ventriculi dolore coniuncta, magnum minatur periculum; quod docuit Hipp. *Aph. 65. sect. 5. In febribus circa ventriculum vehemens æstus, & cardiogmos malum.* Magnam enim ventriculi inflammationem, vel humorum vitiosorum copiam in ventriculo contentam, significat.

Ventriculi dolor à lumbricis, vel flatus oriundus, vt plurimùm minus periculosus est, quia causam minùs rebellem, & parti minimè affixam habet . Aliquando tamen ex lumbricis in ventriculo contentis, eumque mordentibus, grauissima symptomata oriuntur; ex quibus ægri de repente intereunt . Sic etiam vbi intemperies flatus generans rebellis facta est, ac veluti habitualis, non caret periculo, quia in hydropem siccum degenerat, ex Hippocr. *Aph. 1. sect. 4.* in Cardialgia extremorum frigiditas mortem proximam prænuntiat.

Curatio huius affectus pro causarum varietate maximè varianda est. Si enim ab aliarum partium affectibus oriatur, illorum affectuum therapia adhibenda est . Si verò in ipso ventriculo causa stabuletur, dolor, vel à flatu, vel humoribus acribus, & biliosis, vel ab inflammatione, aut vlcere procedit.

Qui à flatu generatur, curandus est remediis discutentibus, & euacantibus flautulentam illam materiam, tum etiam pituitam, à qua flatus concitantur.

Ac primùm iniiciendus est clyster emolliens, & laxans, cui statim succedat alter carminans, & discutiens ex decocto fol. origani, calamenthi, pulegii, rutæ, centaurii minoris: sem. anis. fœnic. dauci, cumini, & similium. In quibus dissoluatur benedicta laxatiua, ol. anethinum, rutaceum, mel anthosatum.

Si dolor perseueret. ex oleo rutac. aut nucum, & vini generosi, aut hippocratici partibus æqualibus clyster erit componendus, addendo aquæ vitæ ℥. ii.

Vel paretur clyster ex vino albo, cum ol. iuniperi, aut cinam. aut caryophyll. chimicè extracti gutt. viii. qui miraculi instar liberat.

Posteà admoueatur fotus sequens regioni stomachi.

℞. Rad. cyperi, galangæ, calami, aromat. an. ℥. i. fol. menthæ, origani, pulegii, maioran. hyssop. saluiæ, an. M. i sem. anis. fœniculi, carui dauci, & baccar. lauri an. ℥ sem. flor. camomil. melilot. anthos & lauendulæ, an. P. i. Contundantur contundenda, et incidenda incidantur, includanturque duobus faceulis, qui bulliant in vino generoso : dein expressi ventriculo, & toti ventri alternatim admoueantur .

At in materia minùs frigida potest parari fotus sequens, maximè laudatus à Forestо, vt qui reliquis remediis non conferentibus, ægrum à dolore citissimè liberauit.

℞. Rad. altheæ ℥. sem. rosar. rubr. flor. chamom. summitat. absinthii, an. M. i. Coquantur in aqua communi, & chamæm. ad ℔. i. sem. in fine addendo vini Rhenensis opt. aquæ rosac. & aceti, an. parum . Fiat fotus.

Post fotum fiat illitus ex ol. rutaceo, & anethino, mixtis cum aqua vitæ, quibus aliquid addatur ol. saluiæ, aut caryophyll. chymicè extracti.

Post iniunctionem admoueatur emplastrum de baccis lauri, vel eius loco cataplasma ex melle, & sem. cumini.

Interim dum hæc fiunt, si nausea adsit, excitabitur vomitus blandiori vomitorio, aut cartharticum exibebitur pituitam euacuans.

Purgatio corpore exibeatur ol. amygdal. amar. recenter express. & cum vino albo mixtum, aut vinum Hippocr. aqua clareta, vel aqua cinam.

Iulepus sequens ad dolorem sedandum, flatus discutiendos, pituitam detergendam, & ventriculum roborandum efficacissimus est.

℞. Fol. absinthii vulg. centaurii minor. & agrimon. ana M. iiem. Coquantur ad ℥. v. In colat. dissolu. sacchari albi ℥. i. Capiat manè per biduum.

Amatus Lusit. valdè commendat aquam è floribus chamæm. destillatam tanquam præcipium leniendis ventriculi, & intestinorum doloribus auxilium, cuius ℥. iii. calidè exhibeantur. Vel, in aquæ illius penuria, decoctum flor. chamæm. vsurpari poterit, maximè laudatum à Frestо, qui se mercatorem quendam, ingenti stomachi dolore affectum cum insigni clamore, hoc solo decocto semel exhibito curasse refert . Quo è poto, emissis ructibus, in sudorem solutus est, & incantamenti instar omnis dolor euanuit, vt nullis alijs præsidijs opus fuerit . Ex hoc autem decocto cum semine anethi parato, aut etiam agarico, vel radice asar, dissoluendo oxymel, syrupum acetosum, aut rosatum solutiuum, parati potest vomitorium, ab initio morbi exhibendum, quod euacuando mitigare dolorem poterit.

Docet Gal. cucurbitulam ventriculo admotam illius dolores citissimè resoluere instar incantamenti . Hæc tamen cautio adhibenda est, vt nihil, aut parum humoris crudi in ventriculo lateat : alioqui dolorem intendit.

Vtiliter etiam admoueri potest eidem parti panis recenter è furno extractus, per medium sectus, tum per se, cum pulueribus aromaticis consperssus.

Tandem dolore pertinaciter adhærente, confugiendum est ad balneum, ex decocto herbarum emollientium, & calefaçentium, quod tutissimum, & efficacissimum est : flatus enim diffundendo, & per poros apertos resoluendo, à dolore liberat . Quod citiùs efficitur, si in ipso balneo remedium aliquod discutiens ægro exhibeatur. Concurrente

enim vtroque præsidio, tum interno, tum externo, opus ritè peragitur.

Balneum esse debet valdè calidum, vt faciliùs flatus discutiantur, & humores crassi colliquentur.

Quòd si propter doloris vehementiam clysteres, vel injici, vel retineri nequiuerint; in ipso balneo cathartícum propinandum est & in eo per horam integram, aut dimidiam immorandum, donec vis cathartica ventriculum, & viscera attingat.

Aliquando autem, vbi ex doloris vehementia periculum imminet, ad narcotica est confugiendum. Quibus prudenter exhibitis, admirandus non raro subsequitur effectus.

Nonnulli etiam, (*vt Platerus*) purgantibus narcotica permiscent, vt simul, & dolor sedetur, & materia peccans educatur, quale est medicamentum Elidæi, à Foresto laudatum, quod sic habet.

℞. Diaphœn. ʒ. ß. philonij Romani ℈. ij. Cum aqua, vel decocto chamomillæ fiat potio.

Dolore prorsus sublato, in ijs, qui ei sunt obnoxij, semel, aut bis in mense purgatio iteretur, vt proxima flatuum causa auferatur: tum remedia roborantia vsurpentur, qualia in læsæ concoctionis curatione proposita sunt.

Qui verò à bile dolor excitatur, curandus est humoris peccantis euacuatione, vomitorio blando, aut cathartico medicamento, aut clysteribus frequentibus, emollientibus quidem, non acribus, aut calefacientibus.

Postmodum demulceatur humorum acrimonia iulepis refrigerantibus, & incrassantibus, emulsionibus semin. frig. maior; lacte recenter mulcto, oleo amygd. dulcium recenti, vitellis ouor. & similibus.

Interim non omittantur opiatę, aliaque roborantia, in superioribus curationibus descripta.

Ac tandem, necessitate vrgente, ad narcotica confugiendum est.

Extrinsecùs admoueatur cataplasma ex mica panis in lacte decocta additis vitell. ouor. & croco.

Vel admoueatur panis recenter ab igne extractus per medium sectus & in aceto madefactus.

Vel foueatur eadem pars decocto flor. chamomill. violar. & nymphææ. Aut quòd multò præstantiùs, demergatur æger in balneum aquæ tepidæ, id enim ad huius curationem præcipuam vim obtinet.

Dolore sedato, ne forte reuertatur, æger purgabit bis in mense, & viscerum intemperies calida corrigetur victu refrigerante, & remediis conuenientibus.

Qui verò dolor fit ab inflammatione, abscessu, vel vlcere remedijs in sequenti curatione proponendis oppugnabitur.

CAPUT XI.

De inflammatione, abscessu, & vlcere ventriculi.

LIcet ventriculo, quemadmodum omnibus alijs partibus omnia tumorum genera contingere possint; nos tamen hìc tantùm de inflammatione, seu phlegmone agemus, quæ frequentior est: cum reliqui tumores rarissimè eueniant, & eadem methodo, qua reliquarum partium internarum tumores curari valeant.

Est igitur inflammatio ventriculi, tumor præter naturam à sanguine per venas, quibus alitur, à venæ portę ramis deriuato in ventriculi substantiã, eiusque membranam effusio.

Ille autem sanguis, vel purus est, ac sincerus, & phlegmonem propriè dictam producit, vel cum bile, pituita, aut melancholia permixtus, & phlegmonem erysipellatosam, œdematosam, aut schirrosam efficit.

Causæ externę plurimę esse possunt; quęcumque videlicet sanguinem feruidiorem efficiunt, vt alimenta calidiora, & meri potio; vel eum ad illam partem promouere possunt, vt contusio ventriculi, dum præsertim cibo turget. Quibus addi possunt calidissima, & acerrima assumpta, vt cantharides, sublimatum, & similia.

Signa huius affectus diagnostica sunt ingens, dolor, ardẽs & pungens, distendes, & pulsans, & in dorsum vsque protensus: tumor adest tactu conspicuus imò, & interdum visu. Scapulæ deorsum trahuntur; respiratio difficilis est, sicut & deglutitio, atque eructatio. Cruentum nonnunquam aliquid euomitur, febris adest ardentissima, sæuissimis comitata symptomatis.

Si inflammatio est pura, à solo sanguine oriunda, mitior aliquantulum est. Si verò erysipelatosa; symptomata grauissima sunt, & speciatim febris lipyria adest, in qua exteriora rigent, & interiora vruntur, & sitis adest inextinguibilis, quæ etiam febris inflammationi intestinorum erysipelatosæ aduenire solet.

Huic ventriculi inflammationi plurimùm affinis est inflammatio, quæ vel summam iecoris partem, quæ ventriculus obtegitur: vel incumbentem illi abdominis regionem occupat: quæ sola symptomatum vehementia, & pernicie distinguitur. Nempè ventriculum obsidens inflammatio omnia sæuissima, & periculosissima præseferre consueuit.

Ex prædictis facilè est prognosin elicere, & affectum valdè periculosum, imò vt plurimùm lethalem nuntiare.

Periculosior tamen est, qui totum ventriculum, aut superiorem eius partem occupat; vel qui ad erysipelatis naturam accedit.

Gal. *in 3. prorrhet.* nauseam, & conturbationem ventris plurimam, ac frequentem prauam esse docet. Ostendit enim prauos humores ventriculi tunicis pertinaciter adhærere; easque vellicare, & ad expulsionem irritare.

Si inflammatio non interrimat, neque resolutione curetur, in abscessum degenerat, qui cognoscitur doloris, & febris remissione, tumore perseuerante.

Rupto abscessu vlcus relinquitur, quod puris excretione, per vomitum, & secessum reiecti, innotescit.

At verò vlcus ventriculi non solùm ex abscessu disrupto, sed etiam ab aliis causis producitur, quæ hic etiam numerandæ sunt, ne quippiam in illius theoria deficiat.

Causę igitur vlceris ventriculi sunt, vel internę, vel externę.

Internæ sunt humores acres in ventriculo geniti, vel aliunde in eum transmissi, vt bilis flaua, vel atra, vel pituita salsa.

Externæ causæ sunt medicamenta acria erodentia, aut venena. Huc etiam referri possunt vulnera ventriculi malè curata, quæ in vlcus degenerant; tum etiam ruptio alicuius venæ insignioris, quæ coalescere sufficienter non potuit post vomitum sanguinis copiosum.

Cognoscitur vicus in ventriculo genitum præcipuè ex pure, quod vomitu, aut secessu reijcitur. Cui signo primario alia addenda sunt. Primò enim percipitur in ventriculo dolor pungens cum ardore coniunctus, præcipuè dum quippiam, excedente aliqua qualitate præditum, assumitur, acre scilicet, salsum, vel acidum, aut intensè calidum, vel frigidum. Adsunt præterea deiecta appetentia, rursus fœtidus, febris lenta, & assidua.

Prognosin funesta vt plurimùm instituenda est, nisi vlcus sit perexiguum, & superficiem tantum occupet, ac febrem coniunctam non habeat. Membrana enim ventriculi vlcerata, vt pote pars spermatica, difficillimè coalescit: alimenta in ventriculo male affecto non benè concoquuntur, & ante absolutam coctionem reiiciuntur, vlcus lancinantia. Præterea medicamenta parum præstant, quia detergentia, vlceris curationi necessaria, dolorem excitant: exsiccantia verò, quæ alteram vlcerum curandorum indicationem implent, impediuntur continuò ab esculentis, & potulentis, & chylosa materia, alijsque humoribus, qui in ventriculo debili continuò restagnant.

Curatio prædictorum affectuum sigillatim instituenda est.

Ac primùm inflammationis curatio inchoanda est à venæ sectione, pluries repetita, in vtroque brachio, quantum vires ferre possunt. Ac licet ob syncopem, & extremorum refrigerationem, vires ab initio deiectæ videantur: illa tamen virium infirmitas est ab oppressione, quæ vacuationem postulat, atque ita venæ sectionem prohibere non debet.

Præterea apertio hæmorrhoidum, si æger huic euacuationi assuetus sit, sanguinem à ventriculo vtiliter auertere poterit. Quod etiam munus vtiliter præstabunt cucurbitulæ scapulis dorso, & natibus admotæ, tum siccæ, tum humidæ; frictiones, & ligaturæ partium extremarum; & calefactio earumdem partium, (quæ frigere plerumque solent,) admotis linteis calentibus, & iniunctione olei irrini, nardini, aliorumque calidorum.

Purgantia in hoc affectu improbantur, quia humores conturbant, & ad partem affectam attrahunt.

Attamen Auic. tamarindorum decoctum, aut cassiæ ʒ. ß. cum aqua endiuię, vel serò lactis dissolutum commendat, singulis

gulis diebus vſque ad ſeptimum diem exhibitum: quia molliendo, non trahendo expurgat, mitigat acrimoniam & lenit dolorem; Satius tamen eſt ab omni purgatione in principio abſtinere. Septimo, elapſo, apparentibus quibuſdam concoctionis, & declinationis indiciis, poteſt etiam inſtitui purgatio ex rab. ℥ i. cum ſantal. rubr. ℈. i. in aqua borrag. infuſa, addendo ſyrupi. roſac. ℥ i. vel ii. vt ſordes parti hærentes paulò valentiùs educantur.

Interim clyſteres emollientes, refrigerantes, & lenientes ſingulis diebus erunt iniiciendi, quorum formula talis eſſe poterit.

℞. Iuris pulli, vel decocti maluę, & violariæ ℔ß. i. caſſiæ recenter extractæ ℥ i. olei roſac. & viol. ana ℥ ii. ſacchari ℥ i. ß. vitell. ouor. n. ii. Fiat clyſter.

Alterantia, & roborantia, per os aſſumenda, eadem eſſe poterunt, quæ in curatione doloris ventriculi ad humore bilioſo, fuerunt propoſita.

Peculiariter autem conferre poſſunt ſyrupi de nymphęa, & de ſucco portulacæ, potiſſimùm in principio, quia repellentis medicamenti vicem implere poſſunt.

Conferunt etiam non parùm emulſiones iv. ſem. frig. mai. & ſem. papau. albi dolorem enim leniunt, & calorem contemperant. Tum etiam iulepi ſequentes.

℞. Aq ę roſar. ℥ iii. aquę Plantag. Vnc. ii. ſucci acetoſę, vel vini granat. Vnc. i. ß ſacchari roſat. Vnc. i. Bulliant parùm, & colentur. Capiat Vnc. ii. bis aut ter in die.

Si dolor vehementer vrget, ſyrupus vt papau. exhiberi poteſt.

Pro potu vtatur decocto hordei cum ſyrup. violac. & frigidum bibatur.

In progreſſu morbi alia medicamenta prædictis erunt permiſcenda, quæ reſolutionem adiuuent. In hunc finem iulepi ſequentes præſcribi poterunt.

℞. Syrup. nymphæę, de pomis, & de ſucco portulacę, ana vnc. i. ſyrupi de abſinthio pontico Vnc. ß. aqnar. lactucę, acetoſæ, & fœniculi, an. Vnc. iii puluer. is electuar. diamarg. frig. ℥ i. Fiat iulep. pro iii. doſibus, bis in die ſumendis.

His addere licet opiatas inſtaurantes, narcotica, & ſimilia. Quæ omnia varianda erunt multis modis, pro Medici iudicio, & prudentia.

Terebinthina cum aqua abſinthii lota, ſi bis, terve detur, vel reſoluit, vel mutat ventriculi apoſtema.

Exteriùs verò fotus ſequens in principo admoueatur.

℞. Rad. acetoſæ Vnc. ii. fol. end. cichorii. & maluæ, ana M. i. ſeminis lactuc. & papau. albi, an. ℥ iii. ſantali albi, & rubri, an. ℥ ß. florum violar & nymphęę an. P. i. Fiat decoctio, addendo aceti roſacei parùm: foueatur regio ventriculi tepidè.

Vel ex aquis ſtillatitiis endiu. lactuc. & nymphææ, cum tantillo aceti, & pulu. triſantali, idem fotus parari poterit.

Poſt fotum inungatur eadem pars oleo roſac. & violac. inuicem permixtis, vel vnguento ſequenti.

℞. Ol. roſac vnc. i. ß. ol. viol. aceti roſac. ſucci hieracii (ſ. cichoriæ) ana Vnc. ß. Bulliant ad ſucc. conſumptionem, deinde adde ſantali rubri ℥ i. roſar. rubrar. ℥ ß. ſpicæ, & camphoræ, ana ℈. ß. ceræ albæq. ſ. Fiat vnguentum.

Cataplaſmata in principio non conueniunt, quia partem pondere ſuo grauant, & calorem retinendo inflammationem augent.

In declinatione ſi contingat, & tumor reſolutione finiatur, quod maximè eſt exoptandum, fotus reſoluens admoueri poterit, in hunc modum compoſitus.

℞. Rad. ireos Florent. Vnc. ii. fol menthæ, maioranæ pulegij & abſinthii pontici, ana M. i. ſeminis fœnugraci & aniſi, ana ℥ ii. granor. Kermes ℥ i. florum ſtœchados anthos, chamomillæ, ana P. i. Fiat decoctio, addendo ſub finem parùm vini albi; qua foueatur regio ventriculi.

Poſt fotum inungatur eadem pars oleo abſinthii, nucis moſch. nardino, & ſimilibus, quibus addita cera, & pulu. ireos Florent. aut cinam. poteſt concinnari vnguentum. Emplaſtra verò, & cataplaſmata, quia pondere grauant partem hic non conueniunt.

Si verò tumor ad ſuppurationem tendere videatur, foueatur pars decocto flor. chamæm. & roſar. rubr. Poſtea cataplaſma ſequens admoueatur.

℞. Rad. altheę Vnc. ii. fol. branc. vrſinę, & roſar. ana M. i. Coquantur optimè, & contundãtur; deinde adde farinę hordei, ſem. lini fœnugræci, & pulu. chamęm. ana Vnc. ſem. ſantali albi, & rubri, ana ℥ ii. Cum oleo roſar. & chamęm. & pauca pinguedine gallinæ fiat cataplaſma ſæpè renouandum.

Rupto abſceſſu, vlcus detergatur hydromelite in potu exhibito. Cui addenda eſt interdum manna thuris, Galeni præcepto. Vel aqua hordei eum ſaccharo roſaceo in principio, & conſtitutione calidiori exhibenda.

Vlcere verò in vetuſtatum abeunte, ſiue ab hac cauſa ſiue ab alia quauis, vt humoribus acribus, & erodentibus; vel aſſumptis cauſticis, & venenatis rebus genitum fuerit, conuenient primùm iuſcula, herbis refrigerantibus, & modicè aſtringentibus alterata, hordeata, amygdalata, cum ſaccharo roſac. parata, lac recens mulctum cum ſaccharo, & tantillo mellis, ac tandem chalybeatum: tum etiam aqua ferrata pro potu ordinario, aut in qua boli armenæ, vel terræ ſigillatę fruſtula maduerint. Cui addi poterit vinum rubrum auſterum, ſi perexigua caliditas in parte apparuerit.

Deinde apozema ſequens in vſum reuocetur.

℞. Hord. integri P. j. ſcabioſę, agrimon. pimpinell. & capill. vnc. ana M ß. ſem. melon. Drach. ij roſar. rubr. ſiccar. P. j. Fiat decoctio ad ℔ß. j. In qua diſſolue ſyrup. de roſis ſiccis ℥ ij. j. Fiat apozema pro iv. doſibus frequenter iterandis.

Ad interna etiam vlcera, lurimùm confert decoctum rad. chinæ, vbi febris abfuerit per viginti, aut plures dies ſumptum leuiter ſudores prouocando ſic enim vlcus paulatim exſiccatur. Si verò tabes, & corporis conſumptio timeatur, decoquatur prædicta radix in iuſculo pulli gallinacei, vel columbini cum herbis prædictis, & hordeo mundato.

In diuturniori vlcere potus aquar. mineralium vitriolatarum, ferratarum, aut aluminoſarum quales ſunt noſtræ Meinenſes per menſem integrum ſumptę non parum conferunt.

Toto morbi decurſu ad ventriculum ab illuuie repurgandum conferunt leuiora cathartica: vt rhab. tamarindi, myrobal. ſyrup. roſar. & catholicum, ſemel in ſeptimana vſurpata.

Denique ad vlceris occluſionem ſequentia vſurpari poterunt.

℞. Boli armenę, terræ ſigillatę & corall. rubr. lapid. hemat. aqua roſar. diligenter lotor. an Drach. i. ſang. dracon. gummi arabici, & tragacanth ana Drach. ß. ſem. papau. albi leuiter contuſi, & aſſi, hypociſt. thuris, & ſarcocollæ ana ℈ j. ſacchari roſac. Vnc. j. fiat puluis; cuius capiat Drach. j. cum aqua plantag. aut conſerua roſar. ſingulis diebus.

Vel ex eodem puluere poteſt fieri opiata conſerua ſymphyti, & roſar. ſyrup. cydonior. aut myrtino exceptis. Vel etiam poſſunt fieri trochiſci ex eodem puluere cum mucilagine ſempſyllii, aut tragacanthæ. Quibus omnibus viciſſim vti ager poterit, ne eiuſdem remedii tedio afficiatur.

Exteriùs verò ad vlceris occluſionem admoueri poterit regioni ventriculi fotus ex decocto abſinthii, roſar. malicorii, galiar. balauſtior. myrtillor. thuris, maſtiches, ac ſimilium. Ac deinde pars eadem inungenda erit vnguento aſtringente, vel emplaſtrum aſtringens eidem admouendum.

PRAXEOS MEDICAE

LIBER DECIMUS.

DE AFFECTIBVS INTESTINORVM

PRÆFATIO.

SVmma totius nutritionis perfectio in tribus hisce operationibus consistit ; optima scilicet ingestione, digestione, & egestione. Prima appetitum respicit. Secunda concoctionem, & ad ventriculum pertinet. Tertia verò intestina, quorum egestio moderata, & secundùm naturæ leges peracta, maximum toti corpori commodum afferre solet. Contra verò si deficiat; vt in astrictione alui ; vel exuperet, vt in variis alui fluxibus contingit, maxima inde incommoda, & grauissimi morbi emergunt. Præterea superfluorum retentio in intestinis dolores colicos, iliacos, & hæmorrhoidales inferre solet. Ac denique putredine in intestinis genitæ, non solùm alui fluxus prædictos, sed etiam lumbricos generare solent. Vt hæc omnia sigillatim exponantur, vniuersus hic tractatus vndecim comprehendetur capitibus. Quorum primùm erit de dolore colico. Secundum de Iliaco. Tertium, de adstrictione alui. Quartum, de lienteria, & affectione cœliaca. Quintum, de diarrhœa. Sextum, de dysenteria. Septimum de tenesmo. Octauum, de fluxu hepatico. Nonum, de lumbricis. Decimum, de fluxu hæmorrhoidali. Vndecimum, de hæmorrhoidum dolore.

CAPVT I.

De Dolore Colico.

COlicus dolor nomen desumit à parte affecta, quæ est colon intestinum ; quod longum, & anfractuosum est, & totius ferè corporis excrementis recipiendi destinatum. Illa autem excrementa, diutiùs retenta, dolores huiusmodi parere consueuerunt.

Causæ igitur colici doloris sunt materiæ excrementitiæ, quæcunque solutionem continui distendendo, pungendo, aut erodendo efficere possunt, eæque sunt flatus, vel humores.

Flatus ex cruditatibus, aut frigida ventriculi, vel intestinorum intemperie geniti, si commodè non excludantur, propter induratas fæces, aut alias causas intestina obstruentes, magna copia in intestinis crassioribus, colo præsertim cumulantur, & dolorem intensissimum efficiunt.

Humores etiam crassi, frigidi, & pituitosi tunicis intestinorum impacti, eiusmodi dolorem efficere possunt tùm mordendo, si acrimonia quadam, aut salsedine præditi sint; tum refrigerando partem, quæ consequenter cruciatum, & diuulsionem patitur, quemadmodum Galen. de se ipso narrat, se dolorem colicum acerbissimum patientem, pituitam vitream actu frigidam excreuisse ; tum denique flatus emittendo, qui facilè ex humore crasso, viscido, ac lento à calore debili eleuantur.

Humores denique biliosi, & acres, tùm etiam melancholici, & acidi, pungendo, ac vellicando intestina, huiusmodi dolores efficiunt. In harum autem causarum actione dubitare licet, quomodo colicus iste dolor suas exacerbationes, & remissiones habeat, eadem materia in intestinis remanente, quæ quamdiù præsens est, distentionem aut morsum inferre debet. Cui dubio respondemus, materias illas interdum quietas permanere, & nullum tunc temporis, aut exiguum dolorem efficere: interdum verò commoueri, & excitari per fermentationes varias, quæ in humoribus contingunt, vt solet fieri in epilepsia, hystericis affectibus, & febrium accessionibus.

Aduertendum autem est diligenter, flatus illos aut humores non tantum in cauitate intestinorum residere, tunc enim facilè excluduntur ab euacuantibus, detergentibus, & carminantibus medicamentis ; sed plerumque ipsis intestinorum tunicis infixos esse. Vnde sit, vt non tam facilè inde auelli possint, morbumque longiorem, ac contumaciorem efficiant, qui prædictis remedijs non adeò facilè oppugnari valet, si humores crassi, pituitosi, aut melancholici per vasa intestinorum in eorum substantiam sensim, ac paulatim confluunt, nec statim dolorem efficiunt, donec sufficienti copia cumulati naturam irritent ad expulsionem, sicque commoti, & exagitati dolorem inferunt ; vel flatus ex ea eleuantur, qui inter intestini tunicas concluſi eas distendunt, ac diuellunt, facilemque exitum non inuenientes dolorem inferunt diuturnum. Bilis etiam eodem modò per vasa intestinorum, in eorum tunicas effusa, ijsque imbibita, dolores acerrimos excitat, qui diuturni, ac contumaces esse consueuerunt, quia difficillimo negotio ab intestinorum substantia auelli potest.

Est alia colicæ biliosæ species, quæ in paralysin degenerat, veteribus parùm nota, quæ fit ab humore biliosо, non in colon intestinum, quemadmodum prædicta, sed in abdominis membranas repentè effuso, qui eò transfertur à cystide fellea, vel mesenterio in crisi diuturna febrium, aut à vehementi iracundia, aliaque causa externa, quando propter obstructiones ad vias communes effundi non potest; sed motu præpostero ad prædictas abdominis membranas repentè excutitur. Hinc dolor exoritur crudelissimus, colicum imitatus, qui tamen neque clysteribus, neque fomentis, neque alijs remedijs cedit, ad plures menses perseuerans. Hinc corpus contabescit, febris interdum, alicuius ex intermittentibus typum referens, molestat ; estque interdum, idque sæpiùs, continua, ac lenta, ac tandem doloribus remittentibus, paralysis succedit, humore illo per abdominis membranas in spinam dorsi sensim irrepente. Illa autem paralysis partes superiores magis occupat. Crura verò, & tibiæ plerumque dolent, in paucis resoluuntur omninò, bile scilicet ob leuitatem superiora petente. Imò verò interdum in ipsum cerebrum irrumpit, & conuulsiones epilepticas producit, vndè mors vt plurimùm solet succedere.

Dantur, & aliæ colici doloris causæ, sed minùs frequentes, nimirùm calculi in intestinis geniti, & lumbrici glomerati, intestina obstruentes: compressio intestinorum à tumoribus vicinarum partium, vel angustia ab inflammatione, alijsque tumoribus intestinorum, vel contorsio eorumdem à flatibus excitata, quæ via est ad Iliacam passionem. Interdum etiam materia, quæ colicam excitat, est venenata, maligna, & colicam pestilentem efficit, sicut Paulus Ægineta refert, colicam pestilentem in Italia exortam multas Romanorum Prouincias infestasse. Omnia denique corpora dura, intestina obstruendo, vel distendendo, colicum dolorem efficere valent, vt calculi in intestinis geniti, nuclei cerasorum magna copia ingesti, caseus durus, & similia. Sic refert Platerus præfectum quendam, colicis doloribus diù vexatum, conuulsionibusque laborantem, post clysmatum vsum casei indurati magnam copiam per aluum reiecisse, qui per longum tempus in intestinis hæserat, propterea quod antequam ægrotaret, eo se se immoderatè repleuerat.

Causæ externæ sunt aeris constitutio frigidior, aluum comprimens, & constringens, ac indurans; vel calidior, à qua fæces etiam indurantur: (Ex ijs enim calor omnem humiditatem exsugit) vsus ciborum, & potuum, hominis temperamento minùs conuenientium, fructuum crudorum, & stypticorum, ciborum crassorum, & concoctu difficilium, quies nimia, somnus immodicus, exercitia intempestiua, immoderata. Venus, aliæque causæ externæ, quæ ventriculi concoctionem inuertere possunt.

Diagnosis huius affectus in genere satis facilis est. In primis enim dolor acerbissimus est ; adeò vt si leuior fuerit, verè

verè colicus appellari non debeat, ex sententia Gal. *l. 6. de locis aff. cap. secund.* Deinde dolor iste interdum vagus est, & modò in hac, modò in illa parte grauius vrget; ita vt nunc hepatis, nunc lienis, nunc ventriculi, nunc renum regionem occupat, nunc supra, nunc infra vmbilicum appareat; ac sæpè in sinistro latere plus vrgeat, ex eò quod in ea parte sit quædam angustia, primùm à Bauhino obseruata. Quando enim excrementa, in superiori, ac capacissima coli parte, in globos magnos, provt capacitas illius fert, indurata, à flatu versus illam partem magnam cum violentia pelluntur; fit, vt non nisi magno cum dolore permeare possint: quo symptomate dolor colicus cum splenico, & nephritico sæpè cõfunditur, ab ijsque satis difficili negotio reliquorum signorum comparatione distinguitur. Interdum verò dolor magis fixus est, & in vna parte stabilis terebro perforanti, aut palo infixo similis. Ducto in consensum ventriculo, vomitus sæpè excitatur, quò interdum pituitosa, interdum biliosa, porracea, & æruginosa reijciuntur. Post cibum dolor intenditur; quia repletus ventriculus comprimit intestina. Aluus vt plurimùm astricta est, vt nihil per aluum ægrotantes, ne flatũ quidem emittere possint. Si verò aliquid excernatur, vel sponte, vel arte, id maiori parte flatulentum est, ac bouino stercori simile, & aquę supernatans, vtpotè maiori parte pituitosum, quia pituita, per aluũ excreta aquę & serosis excrementis supernatare consueuit. Tãta autem interdũ est supradicta alui astrictio, vt sequente dolore medicamenta purgatia exhibita etiã vehemẽtiora, nihil operẽtur.

Signa causarum in hunc modum distinguenda sunt.

Si dolor fiat à pituita, non adeò vehemens est; nisi flatum habeat adiunctum, qui ex ijs locis, quibus continetur, nequeat erumpere. Tunc enim grauissimi dolores fiunt, modò in vna parte, ac si illa terebro, vel infixo palo perforetur; modò in pluribus, si flatus ille diuagetur. Aegri à calidis iuuantur, à frigidis læduntur. Præcessit victus ratio generandæ pituitæ idonea, vrina crudior, & albidior interdum est, non tamen perpetuò, quod iuniores, & inexpertos medicos fallere solet; interdum enim etiam in colica pituitosa, ac flatulenta vrina flaua, ac rubicunda apparere consueuit propter vehementem doloré, qui spiritus, & humores in venis, & arteriis contentos accendit, & inflammat. Quod sapienter annotauit Auic. *fen. 13. lib. 3. tr. 3. c. 11. Non oportet*, inquit, *vt decipiãtur aliquis per id quod fortè sit de siti, & inflammatione, & rubedine aquæ, vt existimet, quòd ægritudo sit calida, illud namq; est commune omnibus.*

Si à flatibus colicus dolor oriatur, dolor tensiuus aderit, & quædam ventris inflatio: ægri flatuum multitudinem, & ventris rugitum percipiunt; à flatuum exclusione maximè leuantur, victus ratio flatibus generandis idonea præcessit; vt aquæ frigidæ potio intempestiua, vsu frequens leguminum, raparum, castenearum; olerum fructuum, & similium. Et si flatus in cauitatibus intestinorum contineantur, dolor vagus est, neque in vno loco consistis, sed per interualla renouatur. Si verò intra eorum tunicas coerceatur, dolor fixus est, quia flatus locum mutare non possunt; continuus item, & pertinax, quia flatus exitum non inueniunt.

Si colicus dolor ab humore acri, & biliosõ oriatur; ille acerbissimus est, vellicans, & pungitiuus. Æstus adest, sitis, & plerumq; febris, vrinæque sunt valdè biliosæ. A calidis alimentis, & medicamentis malum intenditur, à frigidis verò leuatur. Materiæ bilitione excretione malum imminuitur, & victus ratio bili gerendæ idonea præcesit.

Dolores reliquarum partium inimo ventre contentarum à colico dolore propriis signis facilè distinguuntur, excepto dolore nephritico, cuius signa cum doloris colici signis tantam habent affinitatem, vt Medicos, non rarò etiam peritissimos, in eorum distinctione errare contingat. Quod ipsi Gal. contigit, qui, vt ipse fatetur, *secund. de loc. affect. cap. 5.* colico dolore vexatus se nephritico laborare ex lapide alteri vreterum impacto arbitrabatur, donec humore per aluum excreto, & inde sedato dolore, colicum esse animaduertit. Sequentibus tamen signis hi duo affectus satis diluciḍè inuicem distingui possunt, si accuratè examinentur.

Primò, dolor nephriticus fixus in rene est, & ab eo ad testem exporrigitur, secundùm longitudinem vreteris: Colicus verò vagus est, & cinguli instar medium ventrem affligit.

Secundò, à pastu colicus dolor augetur ob compressionem intestini, quæ fit à ventriculo repleto: nephriticus verò neutiquam augetur, sed potiùs imminuitur; quia aliquid humoris alimentarij ad renes transfertur, quod dolorem aliquantulum demulcet.

Tertiò, in colico dolore vomitus est vehementior, & aluus strictor; quia colon intestinum fundo ventriculi adiacet, & intestina distenta, aut vehementer irritata sese constringunt, vt inimicum expellant. Vtrumque tamen symptoma vtrique affectui commune est, vt eorum intensio, & remissio difficilem habeant diagnosin; quandoquidem dolor nemphriticus intensior maiorem vomitum, & alui adstrictionem maiorem efficere potest; quàm dolor colicus remissior.

Quartò in colico dolore, ab excretionibus per aluum, & vomitum maiùs leuamen emergit, quàm in nephritico.

Quintò, in dolore nephritico vrina primùm clara, & tenuis, & transcolata est, posteà aliquid subsidet, & tandem arenullæ, aut lapilli excernuntur. At in colico vrinæ ab initio crassiores existunt.

Quoad prognosin spectat: colicus dolor vt plurimùm, si lenior, ac remissior sit, neque admodum diuturnus, neque constans in vna parte, sed vagus, & instabilis per vices intermittat, & aluum omninò non constringat curabilis est & periculo vacat. Si verò dolores sint acerbissimi, in vno loco fi miter fixi, nunquam intermittentes, nihil per aluum excernatur, vrgeant vigiliæ, ac demùm sequatur vomitus, singultus, delirium, refrigeratio extremorum, & sudores frigidi, lethalis est affectus.

Colicus dolor contumax, à materia acri, & biliosa præsertim oriundus, in alios affectus eosque grauissimos sæpè degenerat arthritidem, epilepsiam, & frequentiùs paralysin.

Colicus dolor epidemicus, contagiosus, & pestilens, lethalis vt plurimùm esse consueuit.

Curatio huius affectus pro varietate causarum varia instituenda est.

Ac primùm flatulentæ, & pituitosæ eadem curatio adhibenda est, quæ incipit à clystere emolliente, cui postmodùm succedat carminans, & discutiens (qualis in dolore ventriculi à simili causa descriptus est,) qui reiterandus est eadem die bis, ter, quater, donec dolor dispareat. Si tamen vno, aut altero clystere aluus non deponat, vt interdum contingit, acri suppositorio sollicitanda est. In vno autem prædictorum clysterum vtiliter admiscentur aquæ benedictæ ℥. iiij. (℥ iiij.) Vel colocynthidis ʒ ij. Vel iij. in clystere emolliente, & carminante decoquuntur.

Si clysteres dolorem non soluant, ijs pertinaciter insistendum non est; sed satius est leui aliquo medicamento vti. Obseruatum est, cùm æger quidam triginta clysteres sine fructu accepisset, alium Medicum manè ʒ. j. ß. cum ol. amygd. dulc. ℥. ij. in iusculo gallinæ pingui exhibuisse, & ægrum à dolore liberasse. In dolore tamen, qui fit à pituita crassa, fortiora medicamenta exhibenda.

Posteà verò fomenta, iniunctiones, balnea emplastra, aliaque remedia conuenient, quæ in doloris ventriculi curatione supra proposita sunt. Quibus addenda sunt specifica nonnulla, huic affectui maximè proficua.

Intestina lupi vino albo abluantur, postea in furno exsiccentur in vase terreo, donec in puluerem reduci queant. Huius puluer is capiat æger ʒ j. cum vino albo: subitò dolorem sedat.

Aqua simplex bulliat, eique seruenti adde ol. commun. quartam partem, & grana aliquot piperis crassiusculè trita: capiat æger cochl. iii. Vel iiii. calidè, quantum ferre poterit. Sedatur dolor ferè in momento.

℞. Aloes opt. ʒ i. laudani opiati gr. iv. diagrydii gr. vi. Misce formentur pilulæ vi. (viii.) deauratæ capiat æger hora commoda (*quatuor, & nisi remiserit dolor superstites quatuor*) dolorem post horam sedant & postea humores noxios euacuant. His etiam pilulis substitui potest medicamentum ex diaphœnico, & philonio Romano, in dolore ventriculi descriptum. Hipp. *lib. de internis affect.* proponit purgationem ex peplio, & meconio.

Olei amygd. dulc. aut amarar. recentis ℥. vi. exhibitæ dolorem demulcent, & materiam intestinis adhærentem per inferiora deturbant.

Cum sequentibus etiam oleo mixtum vtilissimum est.

℞. Ol. amygdal. dulc. vel alterius pro pauperibus ℥. iiii. vini generosi Vnc. i. sem. syrupi de papau. Vnc. i. Misce, fiat potio.

Cum manna etiam exhibitum oleum amygdal. dulcium in iusculo pingui, vt supra dictum est, dolorem lenit, & materiam peccantem euacuat.

Semen ameos puluerat. cum vino exhibit. ad ʒ j. in vrgente dolore, cum subito sistit, & secunda exhibitione morbum plerumque aufert, admouendo simul cataplasma ex terebinth. ʒ iij. stupis exceptum, sinapisatum piperis, & sang. dracon. subtilitis. puluerat. ana ʒ j.

Galbanetum Paracelsi humori discutiendo idoneum est, si totus venter eo illinatur. Illius descriptio à Cratone talis proponitur.

℞. Gummi helemi, hederæ, galbani, ol. laurini, ana partes æquales. Distillentur in arena per retortam, seruentur seorsim, primùm aqua: deinde ol. clarum: tertio ol. crassum instar mellis, quo imprimis vtendum est.

℞. Calami aromat. Vnc. i. galangæ ʒ iii. flauedinis exterioris corticis arantior. Vnc. iv. cinam. electi, sem. anisi. & fœniculi, ana Drach. iii. cumini Drach. vi. baccar. iuniperi recent. Vnc. ß. bacc. lauri Drach. iii. Puluerentur subtilissimè, & infundantur in vini maluat. opt. ℔. vi. Stetit in infusione in loco calido per vi. dies. Posteà distillentur in balneo Mariæ. Dossis Vnc. i. præmissis euacuationibus.

Ventri admouentur vtiliter gummi caragna, & tacamahaca, si priùs cucurbitula magna vmbilico affigatur.

Etiamsi emplastra prædicta ventri non admoueantur, omittenda tamen non est cucurbitula vmbilico admota, quæ, ipso Galeno teste, dolorem à flatibus excitatum discutit instar incantamenti.

Si affectus sit diuturnior, decocto guaiaci, per multos dies continuato, feliciter curari poterit, purgando per interualla, & clysteres frequenter iniiciendo. At si colicus dolor fiat à pituita vitrea, decoquatur guaiacum cum vino, quemadmodum vsurpauit. Amat. Lusit. cum felici successu, *curat.* 32. *cent.* 1.

Sedato dolore, apozema pituitam euacuans præscribendum est, quo reliquiæ omnes educantur. Vel eius loco decoctum galli veteris, cum incidentibus, attenuantibus, & cathartics compositum. Vel iulepus efficacissimus, in colica ventriculi descriptus.

Colica biliosa curatur clysteribus emollientibus, & acrimoniam humorum temperantibus.

Foueatur venter decocto emolliente, & anodyno, aut quod melius erit, paretur semicupium ex eodem decocto.

Conueniet etiam catapiasma infimo ventri ex farina hordei, & sem. lini coctum in ol. chamæmel.

Tum etiam epithema refrigerans hepatis regioni admotum, in hunc modum compositum.

℞. Succi endiuiæ, & cichorii an. ℔. ii. ß. succi lactucæ, & aceti rosac. ana Vnc. ii. Misce, fiat epithema.

Iulepi exhibeantur ex aquis papau. rhœad. lactucæ, endiuiæ, acetosæ, cum syrup. violac. de pomis, & de limonibus.

Si doloris atrocitas vrgeat, ad narcotica confugiendum erit.

Mitigato aliquantulum dolore, expressio rhei in aqua cichorii cum syrupo rosaceo exhibenda erit, & frequenter repetenda, donec tota humorum saburra euacuata fuerit.

Si purgatio ista benignior morbo eradicando non sufficiat, confugiendum est ad Mercurium dulcem, qui aliquoties exhibitus, cum purgantibus diagrydiatis, curationem absoluit. Quibus suspectum est diagrydium, solus exhibeatur Mercurius dulcis in pilulam efformatus, cum conserua rosarum; superhausta infusione sennæ, & rhab. addita manna, & syrupo rosaceo.

Posteà vtiliter vsurpantur aquæ acidulæ, & vitriolatæ.

Sæuiente dolore, ad balneum, & laudanum confugiendum est, cui aliquando purgantia misceri poterunt, sed maiori dosi, quia eorum vis retunditur à laudano.

Galbanetum Paracelsi, quamuis calidum ad humorem discutiendum idoneum est, si totus venter eo illinatur. Illius descriptio supra proposita est.

Phlebotomia in hac colicæ specie aliquando conuenit, cum metus est, ne caloris vehementia sanguis incalescat, febrisque generetur. Si verò febris adfuerit, statim celebranda est.

Vrgente admodum siti, aqua frigida exhibenda est, docente Gal. *lib.* 12. *meth. cap.* 7. Eiusque vsu testatur Amat. Lusit. se talem dolorem subitò, incantamenti instar, sustulisse. Eadem se vsum feliciter tum sumpta, tum admota, testatur Septalius duabus historijs, *lib.* 7. *animaduersionum practicarum* descriptis.

Ad colici doloris, qui in paralysim degenerat, curationem, aluo variis clysteribus soluta, primisque viis cathartico apertis demittatur æger in balneum tepidum, ex decocto emollientium paratum, bis, ter, quater, quinquies in die, vt acrimonia humoris temperetur, ac pori membranarum aperiantur. Postero die cathartico accommodato humor ille purgetur. Deinde repetatur balneum. Idque alternis diebus faciendum, si vires ęgri ferre queant: donec, expurgatis humoribus, & sedato dolore, æger in tuto sit.

Interim clysteres continuentur: præsertim qui ex lacte parantur, ad dolorem demulcendum vtilissimi, quibus cassia, oleum violaceum, & liliorum admisceri poterunt.

Venter ol. chamæmel. anethino, amygdal. dulc. lilior. cum butyro frequenter inungatur.

His seri lactis, & acidularum vsus tandem subijciatur.

Ac denique, affectu in longitudinem abeunte, ea, quæ in melancholiæ hypochondriacæ curatione relata sunt, hic aptari poterunt.

Neque omittenda est ab ipso morbi initio phlebotomia: eaque purgationi præmittenda, ac sæpè iteranda, si sanguis praua qualitate infectus appareat, aut si dolor rheumatismi particeps esse videatur.

Denique omnia remedia, quæ in colica biliosa proposita sunt, hic etiam aptari poterunt. Quibus non conferentibus, nonnulli Medici confugiunt ad potionem sequentem, quam licet sordidam, & delicatorum hominum ore indignam, exhibent, & dolorem statim mitigari affirmant.

℞. Stercoris equini ʒ. j Minutim diuidatur, & infundatur in ℔. j. aquæ papau. rhœad. in qua spiritus vini guttæ viij. vel x. dissolutæ fuerint. Colentur cum expressione leui, & diuidantur in tres doses satis amplas, sumendas horis exacerbationis doloris.

Si vero affectus in paralysin degeneret leniendæ sunt spina dorsi, & partes paralyticæ balsamo resoluente, & neruos roborante, modò febris abfuerit. Si enim adsit, lana succida oleo, aut vnguento dirigente imbuta, partibus paralyticis alligetur, cauendo diligenter frigus, quo humor partibus impingitur, illiusque diflatio impeditur.

Galbanetum Paracelsi hic præcipuè confert, si partibus prædictis, tum etiam vmbilico admoueatur.

CAPVT II.

De Iliaco affectu.

ILeos seu Iliaca passio nomen accipit, vt nonnulli volunt, ab Ileo intestino, quod vt plurimùm in hoc affectu laborat, quamvis alia tenuia intestina, imò, & interdum crassa eodem tentari valeant. Vel potiùs ab εἱλεῖσθαι, quod circumuolui, & circumcingi significat; ideò Latinis voluulus, seu conuoluulus nominatur, quod in eo intestina manifestè conuoluui, & motu præposteró ad superiora moueri videantur. Χορδαψος etiam nominatur, quòd intestina manum admouenti chordæ quasi tensæ, & veluti conuolutæ speciem repræsentent. Barbari *miserere mei* vocant: quòd miserabile sit malum, vt plurimùm lethale, atque adeò miseratione diuina opus habeat.

Est autem Iliacus affectus, motus intestinorum præposterus, & inuersus, in quo aluus omninò constricta est, & quæ per inferiora deijci deberent, ad ventriculum feruntur, ac per vomitum reijciuntur.

Notum est, intestina motum habere naturalem quo chylus, & fęces ad inferiora sensim propelluntur, qui peristalticus nominatur. Hic motus fit per fibras orbiculares, & trāsuersas intestina contrahentes, & comparatur motui lumbricorum terrestrium, qui partes corporis succeſſiuè mouent. Inuertitur autem motus iste aliquando à causis præternaturalibus, vt intestinorum fibræ, qua à superioribus versùs inferiora contrahi debent, ad superiora contrahantur, & quęcumque in intestinis continentur, non versùs aluum, sed versùs ventriculum protrudantur; & tunc affectio Iliaca generatur. Simile quidpiam in vomitu animaduertimus. Dū enim fibræ ęsophagi à parte superiori versùs ventriculum se contrahunt fit deglutitio ciborum; cum verò inuerso hoc agendi ordine à parte inferiore, versus superiora se contrahunt; vomitus excitatur. Fit autem motus iste peristalticus inuersus à facultate intestinorum expultrice vehementer irritata, quæ quando materias superfluas, & excremētitias per inferiora deturbare non potest, eas ad superiora violento motu propellit. Adeò autem violentus interdum est ille motus.

tus, vt non solum chylus, & flatus, & humores excrementitijs sed etiam fæces non rarò per vomitum excernantur, imò verò ea, quæ per anum immittuntur, vt clysteres, & suppositoria, rapiantur, ac vomitu reiiciantur. Sic refert Matthæus de grandibus puellam quandam, annos natam duodecim, leo laborantem, postquam per triduum non solùm fæces; sed etiam clysteres iniectos vomitu reiecisset; tandem suppositorium oblongum in anum immissum, post breue tempus vomitu excreuisse. Cum verò deinde suppositorum aliud filo ad coxam alligaretur, illud statim disrupto filo sursum ascendit ad ventriculum, idque ægra cum parte fili appensi euomit. Et cum tertiò suppositorium aliud quatuor filis fontibus alligaretur, illud etiam paulò post, ruptis filis, per os, cum parte filorum reiectum fuit. Tandem cùm medicus iuberet, vt mater aliud suppositorium immitteret, tanta violentia sursum attractum fuit; vt mater ne rursum raperetur, illud extrahere coacta fuerit. Similes quædam historię apud authores reperiuntur, quas breuitatis causa omittimus.

Illa autem facultatis expultricis intestinorum irritatio à pluribus causis dependet, quarum præcipuæ, & frequentiores ad obstructionem referuntur. Quæcunque igitur intestina vehementer obstruere possunt, vt nihil per inferiora descendere valeat, hunc affectum producere solent postquam enim facultas diu enixa est fæces, & alias superfluitates per viam ordinariam excernere, fine suo frustrata, & exclusionis necessitati satisfacere tentans, aliam viam aggreditur, & motu præpostero ad superiora propellit, vt superfluitates illæ per vomitum reijciantur.

Causæ autem obstruentes sunt fæces induratæ ac retentæ, flatus crassi, magna copia intestinis collecti, eaque vehementer distendentes; inflammatio, aliique tumores magni, qui cauitatem internam intestini penitus occludunt, & intestini circumuolutio, ac complicatio, vt veluti modus in ipso fiat: quæ quidem complicatio, & constrictio intestinorum in hernia sæpè contingit, tum etiam in colico dolore, cui sæpè succedit ileos, quia intestina flatibus distenta se conuoluunt, vt interdum veluti nodum efficiant.

Causæ verò infrequentiores, intestinorum facultatem expultricem ita irritantes, vt motum suum inuertere cogantur, sunt exulcerationes insignes, aut humores acerrimi intestina vellicantes. Quando enim faces aut alij humores ad inferiora delabentes, partem vlceratam attingunt; eam acriter vellicant, ita vt ea irritata rem noxiam præterfluere non patiatur, sed sursùm impetu propellat, quem motum reliqua intestina per sympathiam irritata sequuntur, donec materia noxia ad ventriculum feratur, qui motum eundem sequens, prædictæ facultatis expultricis ministerio, foras eandem per vomitum expellit.

Signa illiaci affectus alia communia sunt cum dolore colico, alia verò propria.

Communia sunt, dolor in regione abdominis, inflatio, & distensio ventris, aluus adstricta, cibi fastidium, nausea, vomitus, inquietudo, spirandi, & mingendi quædam difficultas.

Propria verò, & peculiaria passioni illiacæ, sunt, dolor acutissimus, & sæuissimus, inflatio, & distensio vehemens, tumor in hypogastrio emminens, & durus, omnimoda alui suppressio, vt nihil per inferiora descendat. Progrediente malo vomitus accedit enormis, primùm bilis, pituitæ, & chylosæ materiæ, ac denique stercoris; vel potiùs materiæ stercori similis, cibalis nempè corruptæ, ac fœtidæ. Rarissimè enim fæces reijciuntur; breui morituris sudor frigidus copiosus extremorum refrigeratio, cordis tremor inquietudo, & animi deliquium succedunt.

Gal. *comm. Aph.* 10 *sect. septima* asserit, proprium, & inseparabile huius affectus signum esse, nihil per inferiora descendere. Hipp. tamen contrarium asserere videtur *tertio Epid. sect. secund. text.* 7. in historia mulieris voluulosæ, quæ apud Tisamenum habitabat, dicens: *Deiectiones tenues, crudæ paucæ*. Cui difficultati respondendum est, deiectiones quasdam emitti posse in principio morbi ex fæcibus contentis infra intestinum affectum, quæ à natura, vel arte excludi possunt per inferiora, antequam omnia intestina in consensum trahantur, & propriam naturalemque facultatem amittant. Postquam verò morbus confirmatus est, & motus omnium intestinorum per stalticus omninò inuersus; nihil ampliùs per inferiora emittitur.

Signa causarum in hunc modum se habent. Si ileos ab inflammatione fiat (quod vt plurimùm contingit,) morbus est acutissimus, qui velociter ad statum properat, febris adest intensa, dolor vehementissimus vomitus bilioſi, & pituitoſi citissimè apparent, quos breui fæcum reiectio consequitur, & reliqua signa exitialia supra proposita.

Si à fæcibus induratis, alui constrinctio præcessit, per plures dies perseuerans, & in principio non est dolor, qui postea accedit. Morbus longius protrahitur, nec adeò est acutus, vt in inflammatione, nec dolor adeò vehemens, neque adeò intensa febris, imò interdum nulla.

Si à flatibus, vel pituita iliacus affectus generetur, ille dolori colico vt plurimùm succedit, & præcesserunt signa colici doloris, à pituita, vel flatibus oriundi, superiori capite proposita.

Quod ad prognosin spectat. Ileos omnis periculosus est, sed alius alio longè periculosior. Ille igitur est magis exitialis, cui vomitus superuenit, primùm quidem materiæ bilioſæ, vel pituitoſæ, postmodùm verò fæculentæ. Et ex his nullum saluari asserit. Gal. *6. de loc. aff. cap.* 2. Docet tamen experientia, nonnullos euadere, quando ex fæcum retentione, vel hernia intestinali affectus oritur.

Quibus in stranguria ileos superuenit, intra septem dies moriuntur, nisi febre superueniente copiosior vrina fluxerit. Hipp. *Aph. 44. sect. 6.* Si stranguria fiat ab humoribus crassis, & pituitoſis, qui etiam magna copia in intestinis, & in venis redundent, superueniente febre, possunt illi concoqui, liquari, & attenuari, ac per vrinas excerni, vnde solutio ilei contingit. Licet Galen. *in comm. huius Aphor.* se ignorare asserat, quæ Hipp. dixit in hoc aphor. eaque ratione; & experientia confirmari non posse.

Si symptomata remittantur, & medicamenta, vel alimenta, ore assumpta, per inferiora descendant, salus expectanda est.

Curatio huius affectus iuxta causarum varietatem varianda est. Ac primum si à fæcibus induratis, vel à crassa, & viscida pituita obstructio intestinorum dependeat, emolientia, & relaxantia remedia, interna, & externa erunt vsurpanda.

Primò igitur inijciantur clysteres, ex decocto althææ, maluæ, violariæ, chamomill. & meliloti, cum sem. lini, & fœnugr. vel ex ol. communi solo ad ℔. j. in quo butyri tertia pars dissolui poterit; vel ex decocto intestinorum, & omenti veruecis, in quo dissoluatur butyrum, mel, & sal gemmæ. Quibus decocti, si flatus adfuerint, vt plerumque solent, carminantia, & discutientia addere conuenit.

His demùm clysteribus, emollita aliquantisper materia purgantia priùs mediocria, mox paulò vehementiora erunt admiscenda; ac tandem ad vehementissima transeundum erit.

Interim fomenta, & linimenta emollientia toti ventri erunt admouenda, diuque continuanda; omentum castrati in aqua feruente calefactum ventri applicandum; & quod vtiliùs multò, balnea emollientia administranda, quæ erunt efficaciora, si ex oleo solo componantur.

Interiùs verò exhiberi poterit oleum amygd. dulc. vel solum, vel vino albo permixtum. Quibus si dolor valdè vrgeat, syrup. de papau. addi poterit, vt in colici doloris curatione dictum est.

Ac denique si vehemens dolor, & flatuum copia adfuerit, reliqua remedia, in colici doloris curatione proposita, vsurpari poterunt. Non missis purgationibus, quæ oppotunè institutæ mali causam euacuant.

Quæ fit ab inflammatione intestinorum, curanda est venæ sectione frequenter repetita, si vires ferant, tùm in brachio, tùm in pede; cucurbitularum admotione inguinibus cum scarificatione. Clysteres etiam emollientes, & refrigerantes injciendi erunt, in hunc modum compositi.

℞. Rad. alth. ℥ ij. fol. malu. violariæ, ana M. j. sem. cucurbit. ℥ ß. sem. lini, & psylij, ana Drach. ij. flor. nymph. & rosar. an. P. j. flor. chamæm. P. ß. Fiat decoctio, in cuius ℔. j. dissolue ol. rosar. ℥ ij. cassiæ recenter extractæ Vnc. j. Fiat clyster. In progressu verò addendum erit ol. violac. & chamæmel. num.

Prædicta emollientia in oxycrato decoqui debent.

Vel lac recenter mulctum cum pauco saccharo, & albumine oui, vel mucilag. seminis psyllij Vnc. ij. ad dolorem leniendum injci poterit.

Vel parari potest clyster ex lacte amygdal. dulc. aut cremore hordei, ex illius mundati decocto expresso, addendo butyri recentis, & sacchari parum.

Ex oxycrato simplici parari potest enema, & singulis diebus injici, quod ad inflammationem intestinorum cohiben-

dum plurimùm valet.

Iniunctiones fiant ex oleo violatõ, amygdal. dulc. & chamæm. additis mucilag. sem. lini, fœnugr. cydonior. axungijs gallinæ, anatis, & butyro recenti.

Tum etiam fotus admoueantur ex decocto simplicium, pro enemate supra descriptorum.

Tum ex oxycrato simplici fotus in principio parari poterunt. In progressu verò prædicta simplicia in oxycrato decoquantur.

Nec non cataplasma, ex residentia eiusdem decocti, vel ex farina hordei, fœnugr. lini, cum butyro, axungijs, & olei prædictis compositum.

Ac denique balneum aquæ dulcis tepidum, huic etiam affectui erit conuenientissimum, in quo emollientia, & refrigerantia bullierint.

Post venæ sectionem exibeantur olei amygdal. dulc. Vnc. ii. ad dolorem leniendum; & si dolor valdè vrgeat, ad narcotica veniendum erit.

Si vomitus non adsit, prouocandus est haustu aquæ tepidæ cum ol. violaceo; eo enim purgantur superiora, & humores reuelluntur ad partem affectam defluentes. In toto morbi decursu propinandi sunt iulepi, & emulsiones, in ventriculi inflammatione propositæ.

Potus sit aqua hordei. Et in principio morbi æbstineat æger ab omni alimento, per viginti quatuor horas, vt materiæ morbificæ portio absumatur; posteà iusculum pulli exibeatur. Summa enim cura tractandus est hic affectus, quia vt plurimùm lethalis est.

Præcipuum autem curationis negotium in abstinentia versatur, idque exemplo à vulneribus intestinorum deducto. Qui enim ita vulnerati sunt, penè fame conficiuntur per 40. dies. Hoc igitur affectu laborantes per 4. aut 5. dies, tria tantum cochlearia iusculi summant singulis diebus, vt vomitus impediatur, qui morbum grauiter auget. Adde, quod alimentum exhibitum nullum solatium afferat ægrotanti; non enim in nutritionem cedit, sed planè corrumpitur, & chylus, à ventriculo in intestina prolabens, excrementis retentis permiscetur, & vomitionem auget.

In potu paulò maior potest esse libertas, quia facilè transit ad hepar, & illius materia morbo expugnando idonea esse potest, si oxycratum exhibeatur valdè temperatum, & in parua quantitate.

Denique à circumuolutione intestinorum quandoque contingit illiacus affectus, quod rarissimum est: vel à flatibus producitur intestina contorquentibus; vel ab hernia, quæ enteroeele nominatur.

Qui à flatibus exoritur, ijsdem remediis curatur, quæ ad flatulentam colicam præscripta sunt. Si verò omnibus iis remediis, satis diu vsurparis, aluus non aperiatur sed omnia assumpta per vomitum excernantur, vt spes salutis in angusto posita sit: extremum remedium erit vsurpandum, quod proponit Hipp. 3. *de morbis* vt scilicet folli, fabrilis ano adaptetur, & eo flatus in ventrem immittatur. Postmodum clyster emolliens cum trochiscis alhandal. iniiciatur, vt fæces educantur. Valet hoc remedium non solum ad ileum ex contorsione intestinorum; sed etiam ad eum, qui fit ex obstructione graui, & contumaci: dilatando enim intestina obstructionem soluit. Amar. Lusit. *curat. vlt. cent.* 1. testatur se illa cum desperatum hoc remedio curasse; tum etiam Epiphanius Ferdinandus, *in historijs suis Medicis hist.* 74. refert Neapoli filium Ioannis Altimari Medici experti, qui ex colica, & iliaca periturus erat hoc eodem remedio ab orci faucibus fuisse reuocatum. Verùm Aurelianus hoc remedii genus improbat, ex eo, quod ventus à folle immissus frigiditate sua multùm lædere possit. Attamen hoc incommodum euitare facile est, si iuxta ignem follis ac re impleatur.

Aliud præterea remedium facilè inusitatum à Paræo proponitur, quo multos ab ileo desperatos, imminente mortem liberatos esse refert, hausti scilicet, argenti viui, in aqua sola, libris tribus. Pondere enim suo intestinum velut vinctum exoedit, & euoluit, præduraque, & obtruentes fæces deorsùm deturbat. Quod remedium ab aliis etiam authoribus non paucis approbatur, qui, & illud innoxiè sumi posse testantur.

Verùm tanta Mercurij quantitas valdè pertimescenda est ne frigiditate sua calorem natiuum extinguat, & sanguinem in venis coagulet. In casu igitur desperato satius est minorem quantitatem exhibere. Quidam exibent ʒ. ii. in ouo sorbili. & iterandum censent, si prima exhibitio non succedat. Vnius tamen vnciæ exhibitionem felicem successum habuisse, in obseruationibus nostris videre est.

Quando verò illiacus affectus procedit à prolapsu intestinorum in scrotum, tota cura eò dirigenda, est vt illa in suũ locum reponantur. Quod fiet blanda, & prudenti manu Chirurgi, locum affectum diù anteà fouendo decocto emolliente, & oleis relaxantibus, clysteribus etiam mollientibus, carminatibusque frequenter iniectis, ægrum ita collocando vt caput sit valdè decliue, crura verò elata. Imò nonnulli, cum pedibus suspenderetur, citissimè liberati sunt.

Si hernia fiat cum inflammatione intestini, fotu ex aqua frigida curatur. Si flatus intestinum distendant, fotus ex spiritu vini discutiuntur. Vtriusque curationis exempla vide in obseruationibus nostris.

CAPVT III.

De Adstrictione alui.

PEr adstrictionem alui non intelligimus omnimodam alui suppressionem, qua nihil per inferiora deijcitur, qualis in ileo contingit; sed tantùm pigram, & tardam alui deiectionem, quæ fæces, & cibi reliquiæ rarò, nec pro assumptorum ratione excernuntur. In hæc fæces necessariò indurantur, quia diutiùs retentæ caloris vi continenter exsiccantur, ab iisque nonnihil succi semper exsugitur per venas mesaraicas, non modò ad tenuia, sed etiam ad crassa intestina propagatas. Est symptoma facultatis expultricis imminutæ, vel retentricis auctæ. Causa tamen est multorum morborum; ideò excreta, & retenta in numero sex rerum nonnaturalium recensentur, quæ debitam naturæ legem non seruantes, infinitos morbos producunt. Sicque aluus adstricta vapores ad caput mittit catarrhos, alioſque cerebri affectus producit, ventriculi coctionem, aliarumque partium actiones perturbat.

Causæ huius symptomatis quamplurimæ sunt. Ac primùm fæcum duricies, & siccitas non solùm est effectus astrictionis alui vt suprà dictũ est; sed etiã causa efficiens, quia fæces induratæ difficiliùs excernuntur, & facultatem expultricem non irritant. Dure autem fiunt, & ficciores præcipuè, & frequentiùs, ab hepatis calore excedente, qui omnem humiditatem in intestinis contentam potenter attrahit, & fæces, ficciores relinquit. Cui rei etiam plurimùm conferre potest motus vehementior, præsertim equitatio; excrementorum paucitas ex inedia prouenies; vel dum acrimoniam non habent qua intestina vellicare possint, quod ex cibis frigidioribus contingit, & quando bilis flaua ad intestina non descendit, vt in ictericis fieri videmus. Ac denique morbi intestinorum non pauci hanc alui constrictionem efficere possunt, vt frigida, & sicca intemperies, tumores obstructiones, ani stupor, & paralysis; aliisque non pauci.

Signa diagnostica ex causarum diagnosi dependent, quæ ex propriis fontibus hauriendæ. Calidæ enim hepatis intemperiei signa, ex proprio capite desumenda sunt. Tumores etiam, aliique intestinorum morbi, propriam habent diagnosin. Ac denique causæ externæ, vt ciborum paucitas, frigiditas, equitatio, & similia, ex ægrotantis relatione innotescent.

Quod ad prognosin spectat, constrictio alui magis, & minus periculosa est, pro maiori, vel minori grauitate causarum. Si enim ab inflammatione, aut alio intestinorum tumore fiat valdè periculosa est. Ab aliis verò causis oriunda, minùs habet periculi. Contumax, & diuturna plerumque esse solet, quando à fæcibus induratis producitur: inde enim sæpè colici dolores excitantur, qui semel sedati, frequenter recurrunt, tum propter nouam fæcum exsiccationem: tum quia licet purgantibus aluus sufficienter soluta videatur, & excrementa liquida per multa euacuata sint; non pauca tamen interdùm excrementa solida, & dura in intestinis subsistunt, quę nouos dolores pariunt, & non nisi clysteribus quamplurimis, etiam post purgationem iniectis auelli possunt.

Curatio huius affectus à causarum suarum sublatione dependet, quæ ex propriis capitibus desumenda est. Cùm tamen illa Curatio vt plurimùm longa esse consueuerit: præcipuè quando à calida hepatis intemperie, aut siccа intestinorum dependet, & interim aluus astricta grauissima parit incommoda; illius correctioni seorsim incumbendum est. Quod fiet in vniuersum remediis emollientibus simul-

simulque alui excretionem promouentibus, in sequentem modum.

℞. Rad. alth. & lilior. an. Vnc. ii. fol. malu. alth. mercurial. violar. branc. vrsinæ, ana M. i. sem. lini, & fenugr. an. ʒ. ß. sem. anisi ʒ. i. ß. prunnor. dulc. par. iii. flor. chamæmel. & melilot. an. P. i. Coquantur ad ℔ß. i. ß. In colatura dissolue olei liliorū, & sem. lini. an. Vnc. ii. butyri recentis Vnc. i. ß. catholic. dupl. & diaprun. simpl. ana Drach. vi. Fiat clyster, iniiciendus quoties opus fuerit.

Interdùm verò loco huius clysteris vtatur ægrotus sequenti.

℞. Decocti intestinorum veruecis ℔ß. i. butyri recentis vnc. ii. cassiæ recenter extractæ, catholici optimi, vel diaprun. simpl. ana Vnc. ß. sacchari rubri Vnc. i. Fiat clyster.

Parari etiam potest bis, aut ter in mense clyster, ex oleo communi solo ad ℔ß. i.

Adnitendum tamen est aliis remediis aluum mollire, quandoquidem frequentiori clysmatum vsu natura segnior euadit, & tandem assuescit nunquam aluum deponere, nisi clysteribus irritata.

In hunc finem pruna dulcia, vel poma cocta, cum saccharo, per horam ante prandium erunt assumēda, vt docet Galen. 2. *alim. facul. cap.* 31. Alioqui si immediatè ante prandium assumantur, nihil operantur. Vel iusculum pulli aut commune, in quo fol. borrag. betæ, & poma aliquot bulierint, vel ol. amygd. dulc. recenter extracti sine igne cochlear. j. cum syrupi capill. vel pari quantitate, vel cochlear. ij. syrupi sequentis.

℞. Mucilaginis sem. psyllii, & cydoniorum, cum aqua maluæ extract. ℔ß. i. ß. sacchari albi ℔ß. i. Fiat syrupus secundùm artem.

Vt pruna melius operentur, vinum lymphatum ante, & post eorum assumptionem hauriendum est; ita tamen vt rota illius quantitas dimidium cyathum non excedat. Idem præstabit butyrum recens, per horam ante prandium assumptum, magnitudine nucis maiusculæ, superbibendo vinum lymphatum.

Semel in septimana vtatur aliquo ex sequentibus.

℞. Cass. recent. extract. ʒ. i. cremor tart. ʒ. i. Cum saccharo fiat bolus.

℞. Mannæ granat. ʒ. i. ß. Capiat manè cum iusculo. Vel

℞. Olei amygdal. dulc. & mannæ gran. ana ʒ. i. dissoluantur cum iusculo, & capiat manè duabus horis ante prandium.

℞. Pulpæ cassiæ, ʒ. ii. pulpæ tamarind. & mannæ grannator. ana ʒ. i. fol. sennæ tenuiss. puluerat. ʒ. ß. cremor. tartar. ʒ ii. Cum syrupo rosato solutiuo fiat opiata, capiat ʒ ß. vel Vnc. i.

Vel in decocto prunorum, mannæ ʒ ß. vel ʒ i. dissoluatur capiat hora vna ante prandium, quemadmodum prædicta omnia per horam ante pastum exibenda sunt, sic enim melius operantur.

Ptisana ex cichor. agrimon. & acetosa, in aquam feruere incipientem coniectis, & per noctem infusis, pro potu ordinario vsurpata, vel sola, vel cum vino permixta, aluum liberam seruat.

Iusculum sequens aluum certissimè laxat, eamque diebus sequentibus laxiorem relinquit.

℞. Fol. betæ, & Mercurialis, an. M. i. Coquantur in iusculo communi, quod capiat per horam ante prandium.

Vel parari potest conserua rosar. laxans, e rosis pallidis non explicatis, præcisis vnguibus cum manna, & saccharo ana partibus æqualibus cuius dosis Vnc. i.

Denique balneum, vel semicupium frequens, ex decocto herbarum emollientium paratum, ad partes omnes naturales humectandas, & aluum emolliendam, vtilissimum erit.

CAPUT IV.

De Lienteria, & cœlica passione.

Lienteria est species alui fluxus, in quo cibus non immutatur, sed prout fuerat assumptus per aluum celeriter excernitur. In cœlica verò passione alimenta cruda, & imperfectè cocta per aluum reiiciuntur. Vnde patet, duos istos affectus differre inter se tantū per magis, & minus, vt lienteria ad actionem abolitam; cœliaca passio ad imminutam referatur. Licet autem cibi vel omninò inconcocti, vel imperfectè cocti reiiciantur, non ideò tamen ad concoctionem læsam hi affectus referuntur; sed potiùs retentionem. Malè enim vel nullo modo concoquuntur, quia nimis cito deiiciuntur, nec satis diu in ventriculo retinentur, vt cōcoctionē subire valeant. Hinc etiam colligitur in hoc affectu licet inter morbos intestinorum referatur ventriculum valdè affici, & plerumque magis, quam intestina; vnde Gal. 6. *de locis affect. cap.* 2. lienteriam, & cœliacam passionem tum ventriculi, tum intestinorum vitio fieri scribit.

Causæ lienteriæ, & cœliacæ affectionis plurimæ proponūtur ab auctoribus, quas omnes ad tria capita referre possumus frigidam ventriculi, intestinorum intemperiem, earumdem partium irritationem, & summam facultatis retentricis debilitatem, ex graui, ac lethali morbo.

Frigida intemperies magna crudorum, pituitosorum, ac glutinosorum humorum copiam generat, quæ ventriculi rugas obducit, & oblinit, vt alimēta in eo retineri nequeant. Vnde mirari licet, Gal. 6. *Aph.* 1. in veteres Græcos inuehi, qui hunc affectum lienteriam, seu læuitatem intestinorum idcircò nominarunt, quod interna ventriculi superficies læuior reddita cibos non retineat; quandoquidem ventriculus non tam asperitate tunicæ interioris; quam innata sese constringendi proprietate, cibos tamdiu contineat, donec concoctio peracta sit. Vt enim concedendum est præcipuam retentionis causam esse facultatem: sic etiam fateri oportet, facultatem illam instrumentis indigere certo modo dispositis, sine quibus actionem exercere non potest. Atque adeò, cùm tunica ventriculi interior aspera, & rugosa facta sit, vt alimenta in ventriculo commodè retineantur; non est dubium quin, si illa asperitas tollatur, dum rugæ implentur humore pituitoso, retentio ventriculi lædatur, ita vt alimenta incocta præterlabantur. Simile quidpiam in vtero contingit, cuius tunica interior aspera, & rugosa facta est, vt semen facilius retineat ad conceptionem. At si lentis, & glutinosus humoribus obducatur, non retinet, sed semen statim effluit: vnde sterillitas, non paucis mulieribus inducitur.

Aduertendum tamen, si quis hanc nomenclaturam rigidè examinare voluerit, ventriculi læuitatem potiùs, quam intestinorum hoc symptoma esse nominandum. Neque tamen eo omnes illius species comprehendi; sed illam tantùm, quæ ab humore pituitoso producitur, quæ cùm omnium frequentissima sit, reliquarum denominatio ab ea sumi potest.

Irritatio ventriculi, & intestinorum ab acribus humoribus fit, qui vellicando partes illas ad excretionem præmaturam excitant, quemadmodum in vesica contingit, quæ ab vrinæ acrimonia vellicata frequenti micturitione laborat, vnde stranguria exoritur. Galen. 6. *Aph.* 1. dicit, ab illis humoribus acribus fieri in ventriculo vlcerosam dispositionem, eo modo, quo aphthæ in ore puerorum fieri consueuerunt.

Summa facultatis retentricis imbecillitas in grauibus, & lethalibus morbis sæpè lienteriam efficit vt videre est frequentiùs in dysenteria, quæ, natura succumbente, in lienteriam degenerat, ventriculo in consensum intestinorum grauiter affectorum pertracto; eiusque facultatibus omninò deiectis. Sic etiam in febribus malignis alui fluxus lienthericus sæpissime contingit, in quo iuscula statim ferè ac assumpta sunt, per aluum incocta reiiciuntur. Idem potest contingere à rebus venenatis, aut noxia qualitate præditis, assumptis.

Est, & alia causa à prædictis diuersa, quæ peculiariter cœliacam passionem efficere consueuit, nempè obstructiones venarum mesaraicarum, quæ transitum impediunt chylosæ materiæ ad hepar; vnde necesse est illam per aluum reiici. Verùm vt hęc affectio, fiat, oportet omnes venas mesaraicas, aut maiorem illarum partem obstrui, quemadmodum contingit in pueris strumosis, quorum mesenterium glandulis innumeris refertum inuenitur, à quibus venæ mesaraicæ præcluduntur: & hi continuo alui fluxu chylosо, & cœliaco laborant; multùm comedunt, & in dies emaciantur, donec in marasmum incidant.

Actius & Celsus, multique eorum sequaces aliam etiam lienteriæ causam proponunt, nempè leuem, & densam cicatricem, intestinis ex magna dysenteria relictam, ob quam, venarum osculis obstructis, alimenti distributio impeditur & ita fit lienteria. Quæ tamen causa non videtur recipienda quandoquidem oportet vniuersa intestina fuisse vlcerata, & in ijs postmodùm genitam cicatricem omnes propemodùm

modùm venas meſaraicas occluſiſſe, quod rationi nullo modo videtur conſentaneum: ſiquidem impoſſibile eſt vniuerſa inteſtina vlcerari, quin homo intereat.

Signa horum ſymptomatum præcipua ex antedictis patent. Si enim alimenta cruda & inalterata celeriter, & frequenter per inferiora deſcendant, lienteriam ſignificant. Si verò aliquantulum immutata, & nonnullam chyli ſpeciem adepta effluant, cœliacam affectionem oſtendunt.

Signa verò cauſarum inde colliguntur, ſi lienteria, aut cœliaca paſſio fiat à frigida intemperie & pituitoſis humoribus, ructus acidi apparent, pituitoſa excrementa per aluum deiiciuntur, ſitis eſt, & doloris carentia, & ſi à capite fluat pituita, quod frequenter contingit, deiectiones ſunt ſpumoſæ, maior eſt fluxus poſt ſomnum, & aliæ cauſæ caput alterantes, aliaque Catarrhi ſigna apparent.

Si verò ab irritatione proueniat; mordicatio interdùm in ventriculo ſentitur: calor in hypochondriis percipitur, ſitis interdùm vrget, & deiectiones acres, ac bilioſæ apparent.

Quod ad prognoſin attinet: lienteria, & cœliaca paſſio, diu perſeuerans, periculoſa eſt quia toti corpori nutrimentum ſubripuit, vnde atrophia, vel hydrops conſequitur. Et ſi grauiſſimos, & acutiſſimoſque morbos conſequatur; lethalis vt plurimùm eſſe conſueuit.

Curatio huius affectus pro varietate cauſarum, illum producentium varianda eſt. Ac primùm qui ab humore pituitoſo producitur, iis remediis curari poterit, quæ pro inappetentia, è frigida cauſa oriunda, fuerunt propoſita: eligendo ea, quæ maiori aſtringendi vi prædita ſunt, vt ventris fluxum poſſint compeſcere.

Incipiendum itaque erit à purgatione humoris peccantis, medicamentis compoſitis ex aloe, rhab & myrobal.

Clyſteres hic parùm conferunt, cùm ventriculus præcipuè laboret: niſi immoderata deiectio accedens, vt in aliis aluifluxibus, eos requirat. Tumque aſtringentes, & roborantes eſſe debent, iuxta formulas, quæ in ſequentibus cum ſuis onibus proponentur.

Poſt ſufficientem purgationem roborandus ventriculus opiatis puluerib. fotibus emplaſtris, aliiſque remediis dicto loco propoſitis: in quibus, vt dictum eſt, aſtringentia non erunt omittenda, vt maſtiche, cortex citri, ſem. coriandri, rad. biſtortæ, tormentillæ corallia &c.

Ac præter illa remedia conueniet opiata ſequens ab Amato Luſitano maximè comendata, qua ſenem quendam lientericum, poſt multa alia remedia fruſtra vſurpata, liberatum eſſe refert.

℞ Conſeruæ roſ. antiquæ ℥.vi. theriacæ opt. ℥.vi. minæ cydonior. quantum ſatis. Fiat opiata, de qua capiat ℥ß. manè, nihil ſuperbibendo.

Quæ ſit humore bilioſo, curanda erit iis remedii, quæ ad vomitum bilioſum fuerunt propoſita tum etiam quæ in diarrhœa bilioſa curatione deſcribentur.

Quæ a retentricis facultatis imbecillitate oritur, in graui, & lethali, aut ſaltem valdè periculoſo morbo curanda eſt primùm fomentis ventriculi regioni admotis, in hunc modum compoſitis.

℞. Rad. biſtortæ, tormentillæ, & corticis citri ſicci, ana Vnc. ii. fol. menthæ, plantag. & abſinthii pontici ana M. i. nucis moſchatæ, caryophyli. & cinam. ana ℥ iii. roſ. rubrar P. iv. Contundantur, & incidantur vt artis eſt, iiſque impleantur duo ſacculi interpuncti, qui macerentur in æquis partibus aquæ ferratæ, & vini rubri aſtringentis: vel in vino ſolo, ſi magna febris non adfuerit, & applicentur regioni ventriculi calidè per vices.

Poſtea admoueantur vnguentum, vel emplaſtrum aliquod ex iis, quæ pro vomitu bilioſo propoſita ſunt.

Totus venter etiam oleis, vel linimentis aſtringentibus inungatur.

Clyſteris iniciantur ex iuſculo communi, in quo roſæ rubræ bullierint, diſſoluendo ſaccharum, & vitellos ouorum: tum etiam interdum confectionem de hyacintho, ſi æger ſit valdè debilis.

Ac denique per os roborantia & aſtrigentia, in curatione vomitus propoſita exiberi poterunt: tum etiam ea, quæ pro aluifluxu proponentur.

In cœliaca paſſione alimenta cruda, & imperfectè concocta per aluum reiiciuntur. Differt tamen à lienteria ſecundùm magis, & minùs, iiſdem remediis profligatur.

Si verò omninò chyloſæ ſint deiectiones, non à vitio ventriculi, ſed ab obſtructione venarum meſaraicarum dependet hic affectus, qui ſatis frequens eſt, & infantibus præcipuè familiaris. Ideoque remedijs obſtructiones aperientibus curandus eſt, & hepar roborantibus, quia illius imbecillitas ſæpè coniungitur non autem aſtringentibus, niſi alia fluxus ſpecies ſubſequatur. Horum materia in hepatis affectuum curationibus fusè deſcribitur.

CAPUT V.

De Diarrhœa.

Diarrhœa eſt illa ſpecies aluifluxus, qua humores excrementitij ſine ſanguine, aut alimento, & ſine exulceratione inteſtinorum excernuntur.

Hiſce conditionibus diarrhœa propriè dicta ab aliis aluifluxus ſpeciebus diſtinguitur: quia in lienteria, et cœliaca paſſione alimentum incoctũ, aut ſemiconfectum eijcitur: in dyſenteria, & teneſmo ſanguis cum humoribus excrementitijs permiſcetur, quemadmodum in fluxu hepatico, & hæmorrhoidali ſanguinolenta excretio reperitur.

Plurimæ ſunt illius differentiæ, quæ vt delucidè exponãtur ad tria capita referendæ ſunt, quorum primùm reſpicit materiam quæ excernitur: ſecundum continet locum, à quo illa materia profluit: tertium verò modum, & cauſam efficientem, quæ aluifluxum producit.

Ratione materiæ quæ excernitur, aluifluxus diuiditur in bilioſum, pituitoſum, melancholicum, & ſeroſum.

Ratione loci, à quo humores profluunt; vel aluifluxus prouenit à toto corpore, vel ab aliqua parte peculiari, puta cerebro, ventriculo inteſtinis, hepate, liene, meſenterio, vtero, aliiſque partibus.

Tertio ratione modi, & cauſæ efficientis; alia diarrhœa eſt critica, alia ſymptomatica, alia à cauſa interna, vt intemperie, vel praua alia partium internarum diatheſi; alia ab externa, vt medicamento, aut veneno aſſumpto.

Iſtæ autem differentiæ ſimplices vt plurimùm non reperiuntur, ſed in vno eodemque aluifluxu ſæpè complicantur. Sic aluifluxus bilioſus eſt hepate, vel toto corpore pituitoſus, à cerebro, aut ventriculo: melancholicus, à liene, ſeroſus, à toto corpore.

Complicantur etiam vt plurimùm iſtæ differentiæ ex varia humorum miſcella: ita vt non rarò bilis, & pituita, & ſeroſus humor eodem aluifluxo excernantur.

Eſt, & alia diarrhœæ ſpecies à prædictis diuerſa, quæ σαπηκτικὴ, ſeu colliquatiua nominatur, orta ex colliquatione ſubſtantiæ corporis, & humorum, ab intensè calida partium ſolidarum intemperie, qualis contingit plerumque in viſcerum inflammationibus, febre ardente intenſiori hectica, & peſtilenti, in quibus materia pinguis, quaſi adipe, vel oleo perfuſa, per aluum deijcitur.

Deniq; ad aluifluxus ſpecies refertur fluxus ſtercoroſus, in quo magna copia ſtercoris liquidi frequenter eijcitur, quæ ex cibis excrementitijs, in ventriculo corruptis aut magna excrementorum copia, in inteſtinis cumulata, exoritur.

Diagnoſis in genere manifeſta eſt, quando ſcilicet per aluum deijciuntur excrementa liquidiora, & frequentiora, quam inſtituto naturæ conueniat.

Signa etiam differentiarum, quæ petuntur à materia, conſpicua ſunt; cùm ſenſibus ipſis pateat, vtrum excrementa bilioſa, pituitoſa, melancholica, vel ſeroſa deijciantur.

Partes verò mandantes difficiliorem habent diagnoſin, ſed tamen ita diſtinguendæ ſunt.

Si à toto corpore humores profluant, adeſt, vel præceſſit febris continua, vel aliquis alius totius corporis affectus, vt cachexia, leucophlegmatia; vel ingeſtorum ciborũ, & potuũ copia præceſſit, & nullus partis peculiaris affectus innoteſcit.

Si autem critica ſit illa diarrhœa, fit cum bonis ægri rebus, ac facili tolerantia, & inde morbi ſolutio, aut maxima illius imminutio conſequitur.

Contingit etiã interdum critica diarrhœa ſine vllo morbo, incorporibus nonnullis, prauos humores cumulate ſolitis; Quæ cum robore inſigni prædita ſint, prauos illos humores, dum copia luxuriant, & naturam grauãt, per interualla deponunt, vt docuit Gal. 7. *meth. c.* 11. de quo aluifluxu Celſus etiam mentionem facit *lib.* 4. *c.* 19. his verbis: *Vno die fluere aluum ſæpè pro valetudine eſt atq; etiam pluribus, ſi febris abſit, & intra ſeptimum diem conquieſcat. Purgatur enim corpus, & quod intus læſarum erat, vtiliter effunditur.*

Inter criticos etiã referri debet aluifluxus ſeroſus, qui ne

vllo

vllo morbo præcedente contingit hominibus, quibus serum in venis plurimùm redundat, idque potissimum tempore autumnali; cùm videlicet frigus autumni nocturnum vel matutinum, apertos ab æstate prægressa cutis, & partium externarum meatus offendens, ac propterea sese alius in corpus insinuans, serosos humores, in venis contentos, exprimit ad inferiora quos deinde natura, à nimia illorum copia grauata, per venas mesaraicas ad intestina protrudit, quamuis sæpissimè accidat eos per vrinas excerni, vnde contingit, multos in principio autumni, & primis illius frigoribus magnam vrinarum copiam per aliquot dies profundere.

Si verò diarrhœa symptomatica sit, magnum facit laborem ægrotanti, vires plurimùm deijcit, & morbus cui supervenit, augetur, vel saltem in eodem statu perseuerat.

Ille autem fluxus symptomaticus in febribus ardentibus, & malignis sæpè sit colliquatiuus, & inde dignoscitur, quod excrementa oleo, aut pinguedine perfusa apparent; tum corpus confestim emaciatur, & absumitur, ac ferè in marasmum deducitur.

Si à cerebro diarrhœa oriatur, deiectiones fiunt spumosæ, vt docuit Hippocr. *Aph.* 30. *sect.* 7. Quod tamen non est perpetuum: quandoquidem pituita potest à cerebro defluere citra flatuum permixtionem, quæ vnica est spumositatis causa; tum etiam humoribus genitis, aut contentis in ventriculo, & intestinis, possunt permisceri flatus, vnde excrementa erunt spumosa, licet non à capite profluant. Ideò huic signa alia adiungenda sunt, nempè si cerebrum aliquo affectu manifesto laboret, vt catarrho, surditate, lethargo apoplexia: aut insignis saltem capitis grauitas, aut dolor, aut somnolentia appareat, & noctu magis alui fluxus, quam alio tempore fatiget.

Si à ventriculi vitio procedat alui fluxus, signa aderunt, quæ vitiosam ventriculi coctionem demonstrare solent. v. g. si alimenta corrumpantur, recipiantque acrem, & nidorosam qualitatem, ex qua deinde irritata facultas expultrix, cogatur ea per aluum expellere; tumque signa calidæ ventriculi intemperiei aderunt. Sic etiam, si cruda & pituitosa deiciantur, & tarda ac imminuta fuerit alimentorum concoctio; è frigida intemperie ejusdem ventriculi concoctionem arguimus. Ac denique vitium in ventriculo residere cognoscimus, si æger antea prauis eduliis sese impleuerit, quæ facilè in ventriculo corrumpi potuerint.

Ab intestinis procedit alui fluxus præcipuè, cùm illa lumbricis referta sunt; & tunc signa lumbricorum apparebunt, ex proprio capite desumenda.

Si ab hepate procedat alui fluxus, deiectiones erunt biliosæ, quia bilis in hepate generatur, & signa calidæ intemperiei, inflammationis, obstructionis, aut alterius cuiusdam hepatis affectus apparebunt.

Si à liene diarrhœa procedat; deiectiones maiori parte nigræ, aut ad nigrum vergentes erunt, in sinistro hypochondrio tensio, grauitas, aut dolor, & alia lienis laborantis signa considerabuntur.

Si à mesenterio procedat; tensior, vel dolor in illa parte apparebit: Verum humores in mesenterio colecti, ab hepate, vel liene plerumque oriuntur.

Si ab vtero procedat alui fluxus, suppressio menstruum, vel symptomata affecti vteri aderunt, quæ magis sæuire solent, & præsertim alui fluxus ingrauescit, quo tempore, menstrua fluere consueuerunt.

Prognosis diarrhœæ in hunc modum instituenda est.

Alui fluxus, qui cum facili tolerantia contingit, & ex quo æger leuamen aliquod percipit, bonus. Contra verò, qui laboriosus est, ac vires deiicit, malus. Ille enim criticus censendus est, hic verò symptomaticus.

Alui excrementa liquida, quæ in progressu morbi sensim crassescunt, bona. Virtutem enim bene operantem significant, quæ prauos humores concoquit, cum concoctio fiat incrassando.

Fluida alui excrementa cum dolore, & laboriosa, ac frequenti deiectione, mala. Significant enim maximam humorum acrimoniam, quæ intestina vehementer vellicat, stimulat, pungit, & erodit.

Liquida deiectio, quæ non sentientibus effertur, valdè mala. Aut enim errorem mentis, & delirium significat; aut caloris natiui exsolutionem, quam sensus abolitio consequuta est.

Liquida deiectio, quę cum morbo acuto incipi, & cum eodem perseuerat, mala. Significat enim magnam materiæ morbificæ copiam, vel malignam qualitatem, quæ naturam cogit ad præcocem istam diarrhœam.

Si leucophlegmatia detento fortis diarrhœa superuenerit; malum soluit. Hipp. *Aph.* 29. *sect.* 7. Materiæ enim in toto corpore restagnantis euacuatio fit. Id autem limitatione indiget. Verus si quidem est Aphorismus, si talis alui fluxus in morbi principio, & adhuc constantibus viribus accidat; alioqui non morbum, sed ægrum de medio tollit.

Mulieri vtero gerenti, si aluus multum fluat periculum est, ne abortiat, Hipp. *Aph.* 34. *sect.* 5. Alimenta enim fœtus nutritioni necessaria per aluum maiori parte excernuntur, & vires deiiciuntur; tum vincula vteri continuo humorum ad illas partes affluxu laxantur; tum fœtus, ac vterus retro excrementorum continenter deiectorum vapore inficiuntur.

Alui deiectiones vitellinæ, virides, æruginosæ, liuidæ, nigræ, variegatæ, aut valdè fœtidæ, malæ. Hæ deiectiones malæ sunt propter eas rationes, quas de simili vomitu capite proprio retulimus.

Quod ad curationem spectat: cùm diarrhœa symptomatica plerumque oriatur ex prauis corruptisque humoribus biliosis, & pituitosis, melancholicis, aut serosis, & præcipuè biliosis, acrimonia sua facultatem intestinorum expultricem irritantibus; illius curatio ab humoris peccantis euacuatione auspicanda est, quod fiet medicamento, quod purgando adstringit, ne humoribus commotis alui fluxus nimiùm irritetur, & in similem modum concinnari poterit.

℞. Rhab. elect. 3 i. myrobal. citrin. ℈. 6. santal. citrin. ℈. ß. Infundantur in aqua plantag. in expressione dissolue rhab. puluerati 3. ß. syrup. rosac. ℥ i. Fiat potio. Poterit addi catholicum, vel aliud medicamentum purgans pro conditione humoris expurgandi.

Vomitus etiam interdùm conuenire poterit, quia reuellit & euacuat materiam morbificam.

Si sanguinis redundantis indicia fuerint, & robur virium, phlebotomia initio celebranda est. At si febris adfuerit, sanguis detrahendus est, etiamsi nulla plethora appareat.

Ante & post purgationem clysteres detergentes iniicienda, quorum descriptio talis esse poterit.

℞. Hordei integri P. ii. furfuris macri & rosar. rubr. ana P. i. liquirit. rasæ, & passul. integr. ana ℥ i. Coquantur ad ℔ i. In colatura dissolue sacchari albi ℥ i. vitellos ouor. n. ii. Fiat clister.

Corpore sufficienter euacuato, tum medicamentis purgantibus, tum ipso alui fluxu, astringentia, & roborantia vsurpanda erunt, tum per os assumenda, tum per clysterem iniicienda, tum ventri admouenda, quarum formulæ à curatione dissenteriæ erunt repetendæ.

Præterea vero sequentia vtiliter vsurpari poterunt.

℞. Aceti chalybeati partem vnam aquæ chalibeatæ partes duas, sol. & fructum myrti cydonior. mespilor. sorborum, ana M. ii. nucum. cupressi par. vi. Coquantur ad medias. Colatura foueatur totus venter tepidè, frequenter.

℞. Ol. mastiche, cydonior. & myrtin. ana Vnc. i. sang. dracon. thuris, gummi tragacanth. an ℥. i. ceræ quantum satis. Fiat vnguentum, lindum post fotum. Vel

℞. Micæ panis assatæ, & in aceto chalibeato infusæ, & carnis cydonior. sub cineribus coctorum, vel cydoniati; ana ℥. iii. thuris mastiches, sang. drac. an. Drach. ii. Cum syrupo de absinthio, & cydoniorum an. q. s. Fiat cataplasma.

℞. Mastiches ℥ ii. Bulliant, in ℔ iii. aquæ fontis pro potu, ordinario. Præstat aqua ferrata, quia aluum turbat, sed in affectu calido non valet, in cuius curatione conuenit vti tinctura rosarum, vel conserua rosar. cum aqua fontis permixta, vel aqua extinctionis auri, cum syrupo cydoniorum agitata.

Amatus Lusitanus refert quendam curatum diarrhœa biliosa largo frigidæ potu in æstate. Nos verò cuidam viro sanguineo diarrhœa biliosa æstate media laboranti, cum siti intensa, præscripsimus sale prunellæ in potu ordinario, tum etiam iulepos, cum aqua lactucæ, & portulacæ, ter in die sumendos. & intra viginti quatuor horas curatus est.

Si humor fuerit valdè acer, & adustus partiùs, & mitioribus medicamentis purgandus est, æger, alioqui affectus ingrauescit; sed refrigerantibus, & humectantibus temperandus est; tum etiam sanguine parca manu detracto.

In eodem casu plurimùm confert semicupium tepidum, cuius exemplum habetur in obseruationibus nostris.

Folia plantaginis in iusculis decocta ad hunc affectum vtilissima sunt.

Ne verò diat rhœa in dyſenteriam tranſeat ad demulcendam humoris acrimoniam c yſteres ex lacte chalybeato vſurpandi ſunt ; tum etiam emulſiones ex ſeminibus frig. mal. & ſem. papau. albi.

Ad eandem diarrhœam bilioſam ſyrupus ſequens erit conuenientiſſimus.

℞. Succi cydonior. ℥ vj. ſucci endiuiæ, & acetoſæ, ana ℥ iij. ſem. acetoſæ & plantag. ana Drach. ij. coral. rubr. ℥ j. aquæ plantag. ℥ iv. Coquantur ad mediæ partis conſumptionem. Colentur & fortiter exprimantur. Adde ſacchari parem colaturæ quantitatem, & fiat ſyrupus, de quo capiat Drach. ij. manè, & ſ. rò.

In omni autem diarrhœa præmiſſis vniuerſalibus, bolus ſequens vſurpari poterit.

℞. Conſerua roſar. antiquæ ℥ ß. cydonior. condit. ℥ j. pulueres tormentillæ. ℈. j. boli armeni ℈ ß. cum ſaccharo q. ſ. Fiat bolus frequenter iterandus. Vel ſi affectus ſit diuturnior, ex ijſdem, aut ſimilibus, maiori quantitate præſcriptis opiata concinnari poterit, ad plures doſes ſumendę.

Vel ad potentiùs aſtringendum vtatur æger puluere ſequenti.

℞. Sang. drac. thuris, maſtich. mumiæ, terræ ſigill. lapidis hæmatit. trochiſc. de carabe, ana Drach. j. boli arm. veri Drach. iij. Fiat puluis, de quo capiat ℈ ij. cum liquore idoneo.

Rhab. bis infuſum, & poſtea aqua roſar. lotum bis, aut ter & exſiccatum, vtile.

Tabellæ triaſantali quadruplicato rheo, bis in die exhibitę pondere Drach. ij. alui fluxus materiam auferunt, & viſcera corroborant.

Coryzę (*Pulicarię*) folia ſuper prunas iniecta, vt fumus in cathedra perforata recipiatur, ſpecifica vi alui fluxum medentur. Tum ſi eadem herba cum aceto trita regioni ſtomachi admoueatur.

Suffitus etiam thaſi barbari in cathedra perforata receptus inſignis eſt efficaciæ, cuius exemplum habetur in obſeruationibus noſtris.

Syrupus corallorum ad idem eſt efficax, & multò magis illius tinctura, vel magiſterium.

Conſerua eynorrhodi per ſe ad diarrhœam bilioſam vtiliſſima eſt, tum etiam, ſi opiatis aſtringentibus permiſceatur.

Vbi verò ex fluxu frequentiori, & acriori periculum eſt ne vires deficiant, laudanum opiatum cum maſtiche, & terra ſigillata vtiliter exhibetur.

In contumaci alui fluxu clyſter ex iuſculo, & theriaca recenti vtilis.

Pilulæ de bdelio bis, aut ter in ſeptimana, vel alternis diebus vſurpatæ, ad diuturnus, & contumaces alui fluxu ſiſtendos vtiliſſimæ ſunt.

Ad idem valet meſpillorum vſus frequens, vt ſe experientia comprobaſſe teſtatur Foreſtus *obſ.* 1. *lib.* 22. his verbis. *Quidam diuturna alui fluxu laborabat, et omnem ſuam ſubſtantiam fruſtra in Medicorum ope conſumpſerat ; conſilij cauſa, vt ab hoc malo liberari poſſet, ad me acceſſum cui conſilium dedi, vt meſpilliaetiam immatura in maxima copia deuoraret. Quibus comeſtis alui profluuium paucis diebus ceſſauit. Vti & cuidam euenit mercatori Zelando, ad Ioannem Spirinchium, quondam Medicum Louanienſem celebriorem profecto vt ab eo curaretur. Qui cum multis menſibus laboraſſet profluuio & tandem etiam dyſenteria, nequ ab vllis Medicis curari poſſet, tandem meſpillis comeſtis ex eiuſdem Medici conſilio ſanitatem conſequutus eſt, & Medico trecentos aureos proſola meſpillorum præſcriptione numerauit, quibus ſolis in priſtinam ſanitatem fuerat reſtitutus.* Hæc Foreſtus.

Verum aduertendum eſt, vt ante meſpilorum vſum corpus ab excremenis, & omnia cacochymia liberum præſtetur.

In diarrhœa inueterata ſequentia vtiliſſima ſunt.

℞. Raſ. eboris ℥ iij. confect. alKerm. ℈ j. ſacchari in aqua roſ. diſſoluti Vnc. iv. Fiant tabellæ.

℞. Croci martis reuerberati gr. vj. bezoart. miner. ℈ ß. cōſer. roſ. ℥ ij. ſpirit. vitr. gut. iij. Miſce, fiat bolus, qui detur bis in die, longè à paſtu.

℞. Succi perſicariæ maculatę, & ſemperviui mai. an. ℥ iij bulliant ad tertiæ partis conſumpt. & dentur manè. Certo curant quemlibet fluxum quantumvis inueteratum.

Mercurius diaphoreticus per aliquot dies ad gr. xij. exhibitus, omnes corporis impuritates aufert, quæ contumaces interdum alui fluxus parare conſueuerunt.

Decoctum granorum iuniperi, in vino paratum, per triduum exhibitum, multum confert. Tum puluis cicadarum cum vino albo exhibitus ad Drach. ij. Hæc duo conferunt, materiam alui fluxum comitentem deriuando ad vrinæ vias. Paratur autem decoctum iuniperi in ſequentem modum.

℞. Granor. iuniperi M. j. vini rubri ℔ j. ß. Bulliant ad duarum partium conſumptionem; colaturam capiat manè per triduum.

Potus aquarum ſulphurearum, totum corpus expurgando, & ventriculum roborando inueteratam diarrhœam curat. Cuius rei exemplum habetur in obſeruationibus noſtris.

Si diarrhœa fiat à catarrho, cerebro proſpiciendum eſt veluti parti mandanti, iis remedijs, quæ in catarrhi curatione propoſita ſunt. Si verò pendeat ab hepatis, aut lienis obſtructione, vel imbecillitate ; illis affectibus mederi oportebit, prout in peculiaribus eorum curationibus docebitur : tumque aſtringentium medicamentorum vſus nullus, aut parciſſimus eſſe debet. Platerus in cura hæmorrhoidum, dicit ſanguinem calentem iniectum mirabiliter aluum fluentem cohibere.

CAPUT VI.

De Dyſenteria.

DYſenteria eſt frequens, & cruenta alui deiectio, cum ventris dolore, ac torminibus, ab inteſtinorum exulceratione dependens.

Dyſenteria nomen apud veteres plerumque ſumitur cōmuniter pro omni cruenta alui deiectioni ſtrictè tamen, & propriè eam tantum alui fluxus ſanguinolenti ſpeciem ſignificat, quæ ab vlcere inteſtinorum exoritur.

Gal. 3. *de ſymptomat. cauſ. cap.* 1. quatuor cruentæ deiectionis ſpecies proponit, quibus etiam dyſenteriæ nomen communiter vſurpatum tribuitur.

Prima eſt, quando propter aliquam partem præciſam corporis, aut intermiſſam aliquam exercitationem, aut ſanguinis euacuationem per alias partes, puta nares, vel vterum, ſuppreſſam, ſanguis copia luxurians per vaſa meſaraica ad inteſtina detruditur, & per aluum euacuatur.

Secunda eſt, quando propter iecoris imbecillitatem ſanguis aquoſus, & luturæ carnium ſimilis excernitur, quod in fluxu hepatico contingit, de quo infra tractabimus.

Tertia eſt, quando ſanguis melancholicus, & ſplendens ejicitur, qui propter nimiam moram in hepate, aut liene vſtionem concepit, & cum humore melancholico permixtus eſt. Splendor vſtionem ſignificat, quandoquidem ſanguis qui ex refrigeratione nigreſcit, ſplendorem non habet; imò verò eum, quem prius habebat, amittit.

Quarta eſt, vbi breuibus quibuſdam interuallis ægri cum humoribus, & excrementis ſanguinem rejicitur, cui interdum puris aliquid admixtum eſt, idque cum dolore, & torminibus, quibus inteſtinorum vlcus arguitur. Et hæc eſt propriè dicta dyſenteria, de qua tantùm hic agimus.

Cauſæ internæ, dyſenteriam efficientes, ſunt humores acres, & exulcerantes, vt bilis flaua, porracea, æruginoſa, & atra; tum etiam pituita ſalſa, ab intenſo calore genita, vel per putredinem in ventre, ſalſedinem adepta, & ad inteſtina delata, vbi propter lentorem diutius hærens, aſſiduè detergendo, tandem exulcerat.

Hic dubium non leue proponitur ab autoribus, quomodo bilis flaua interdùm breui temporis ſpatio dyſenteriam faciat, cum tamen non rarò bilis porracea & æruginoſa ſimplicem faciant diarrhœam, ad longum tempus perdurantem, quæ tamen nunquam in dyſenteriam degenerat : cùm bilis porracea, & æruginoſa ex flaua generentur vlteriori aduſtione, & proinde maiorem habeant acrimoniam.

Reſpondet Mercatus, cum humorum acrimonia requiri lentorem, & viſciditatem, cuius ratione diutiùs morentur in inteſtinis, eaque magis corrodant. Et ita ſi flauabilis lentorem habeat, dyſenteriam efficit : contra verò, ſi porracea, & æruginoſa fluidior ſit & minorem in inteſtinis moram faciat, ſimplicem producet diarrhœam. Sennertus hanc reſponſionem probabilem eſſe dicit, eam tamen omninò dubium non ſoluere exiſtimat, quòd ſæpè alui fluxus dentur, in quibus viſciditas, & lentor cum acrimonia reperiuntur, & tamen dyſenteria non excitatur. Contra verò viſciditas

& len-

& lentor sæpè non adsunt inbilioſis humoribus, dyſenteriam excitantibus, ideò cenſet humores, qui dyſenteriam pariunt peculiarem, & occultam quandam qualitatem habere, qua peculiariter inteſtinis infenſi ſunt, eaque exulcerant, ſicut lepus marinus pulmonem, & cantharides veſicam exulcerant, non autem alias partes. Illam verò qualitatem malignam, & inteſtinis vt plurimùm infenſam probat ex eo, quòd dyſenteria plerumque contagioſa ſit, ita vt miaſmata, ex deiectionibus dyſentericorum exhalantia, ſola inteſtina afficiant in iis, qui contagium recipiunt, non autem alias partes. Idem contingit in aliis morbis epidemicis, & contagioſis, in quibus venenum graſſatur parti cuidam peculiari infenſum. Sic dantur pleuritides, & peripneumoniæ, & anginæ peſtilentes. Sic venenum canis rabidi ſoli cerebro infenſum eſt. Id apertius in medicamentis purgantibus videre eſt, quæ peculiarem vim obtinent, humores in corpore commouendi, & ad inteſtina propellendi. Cum enim illa, non ſolùm ore ſumpta, ſed etiam vmbilico admota, imo vapore ipſorum naribus attracto, aluum mouere, & purgare ſoleant, veriſimile eſt, illa per poros cutis, & vaſorum extremitates penetrantia, agitationem quamdam, & fermentationem in humoribus excitare, qua vitioſi humores à bonis ſeparantur, & ij deinceps naturam ſtimulantes, ad inteſtina propelluntur, vi medicamenti ad ea loca expulſionem dirigente. Pari etiam ratione, ſed modo diuerſo, ſudorifica ad cutem, & diuretica ad veſicam inſita vi humores propellunt. Ex quibus licet colligere contagium dyſentericum, quocunque modo, & loco intra corpus admiſſum, fermentationem quandam in humoribus excitare & ſibi ſimilem diſpoſitionem imprimeri, vt inteſtinis inimica ad ea curſum humorum promouet, eaque labefactat atque exulcerat; & illa demum, tali diſpoſitione infecta humores, & alimenta inficiunt, vnde vera, & propriè dicta dyſenteria emergit.

Quæritur etiam apud autores, quidnam ſit illud mucoſum, & album, quod magna copia plerumque in dyſenteria excernitur, cum ſanguine, aliiſque humoribus permixtum. Quidam putant eſſe pinguedinem inteſtinorum abraſam. Alij mucum, quo inteſtina oblinuntur, ad faciliorem tranſitum excrementorum. Alij pituitam à cerebro, aliiſque partibus defluentem. Alij pus ex viſceribus manans. Nos verò ſtatuimus hanc mucoſam ſubſtantiam nihil aliud eſſe, quàm inteſtinorum excrementum præternaturale. Inteſtina ſiquidem labefactata, & à naturali conſtitutione deiecta proprium alimentum ritè conuertere nequeunt in ſuam ſubſtantiam, ſeu illud imperfectè aſſimilando in mucoſam illam ſubſtantiam commutant, quæ cum nutritioni illatum partium inepta ſit, expellitur foras & pars demum nutritionis indiga, nouum attrahit alimentum, quod denuò cum perfectè tranſmutari non poſſit, ob vitium partis in ſubſtantiam illam heterogeneam mucoſam conuertitur, cuius magnus eſt prouentus, quoniam pars ad ſui nutritionem continuò ſanguinem attrahit à venis, qui in mucoſam ſubſtantiam conuertitur, atque adeo pars, ſuo genio fraudata, nouum iterum attrahit ſanguinem ad ſui nutritionem, quam perpetuò intendit, qui cum propter deprauatam homoioſin in prædictam ſubſtantiam commutetur, magnus fit mucoſi illius excrementi prouentus. Idem in quamplurimis alijs partibus contingit, & præſertim in ijs magna, & profunda vlcera patiuntur. Pars ſiquidem vlcerata, cùm ob prauam diatheſin probè nutriri nequeat, ſanguinem continuò attrahit è venis, qui in purulentam ſubſtantiam commutatur, vnde totum corpus ſenſim exhauritur, & tandem contabeſcit. Neque ſolum partibus vlceratis hoc vitium contingit, ſed etiam alijs; nullo vlcere, aut abſceſſu affectis, ita vt licet excrementum, prædictum puris naturam æmuletur, non ſit tamen verum pus, quod non niſi ex vlcere, vel abſceſſu procedit. Id præcipuè apparet in ophthalmia, in qua oculus ſimplici inflammatione affectus, copioſum excrementum puri ſimile continuò emittit, quod ex ſola partis intemperie, & deprauata homoioſi procedit. Idem contingit ſæpè aſthmaticis & alijs, qui pulmonum affectibus laborant. Eorum enim pulmones malè affecti proprium alimentum malè concoquunt, & in excrementum pituitoſum, atque interdum puri ſimile conuertunt quod per anacatharſin expellitur, & tamen nullum vlcus eſt in pulmone, quod multi Medici etiam periti ſtatim pronuntiant, conſpecta illa materia, puris ſpeciem referente.

Cauſæ externæ dyſenteriæ ſunt, quacumque humores acres, & vitioſos generare poſſunt, vel iam genitis prauam illam diſpoſitionem, dyſenteriæ excitandæ idoneam, inducere. Inter illas primum locum tenent cibi acriores, vel putredini valdè obnoxij, vt fructus horarij, & alij omnes, qui non ſatis maturi deuorantur. Idem præſtant aquæ valdè crudæ, aut minerali aliquo infectæ, in potu ordinario vſurpatæ, tum etiam medicamenta aſſumpta, deleteria qualitate prædita.

Praua etiam aeris diſpoſitio ad dyſenteriam efficiendam maximè efficax eſt. Sic Hipp. dicit *Aph. 11. ſect. 3.* ſi hyems plus iuſto frigidior, & ſiccior extiterit, ver autem pluuioſum, & auſtrinum, æſtate futuras eſſe dyſenterias. Et *Aph. 12.* eiuſdem ſectionis, ſi hyems admodum auſtrina fuerit, & pluuioſa, ver autem ſiccum, & aquilonium dyſenteriæ producendæ tempeſtates illas eſſe maximè idoneas.

Peculiare etiam aeris vitium, dyſenteriæ generandæ idoneum, reperitur in epidemica dyſenteria, quæ aliquando peſtilens eſt, ac valdè pernicioſa, aliquando verò minus infert periculum & ex qua vt plurimùm ægrotantes euadunt. Ad hanc etiam claſſem reuocandum eſt contagium, quod ab ægrotantium excrementis exhalat, & ſuam ſæpè labem adſtantibus communicat. Imò verò, ſi talia excrementa in latrinas effundantur, multos eiuſdem familiæ inficere ſolent.

Signa dyſenteriæ diagnoſtica ex definitione ab initio propoſita facilè eliciuntur. Adeſt enim frequens, & cruenta deiectio, cum dolore, & torminibus ventris. His accedunt plerumque febris, vigiliæ, ſitis, faſtidium cibi, & alia, quæ cum multis morbis communia ſunt.

Quænam verò inteſtina, tenuia nimirum, an craſſa vlcere afficiantur, dignoſcere difficilius eſt. Vulgò dicitur, ſi dolor ſit ſupra vmbilicum, tenuia inteſtina affici, ſi verò infrà, craſſa maximè laborare. Quod tamen rationi manifeſte repugnat, cùm & tenuia, craſſa inteſtina ad partem ſuperiorem, & inferiorem circumagantur. Melius igitur elicietur, iſta diagnoſis ex qualitate doloris & ijs, quæ excernuntur. Si enim tenuia inteſtina affecta ſint, dolor eſt acutiſſimus vt ægri aciculis compungi videantur; quia tenuia inteſtina magis membranoſa ſunt, & ſenſu exquiſitiori prædita. Deinde aluus ſtatim pro tormina & dolores non deponit: ac denique ſanguis ſtercoribus omnibus permixtus eſt. Cùm enim via à ſuperioribus inteſtinis ad anum longior ſit; ſanguis, & purulenta materia, antequam per aluum excernantur, in longiore itinere magis ſtercoribus permiſcentur. Si verò inteſtina craſſa afficiantur; dolor eſt minùs vehemens, & diuturnus à torminibus, & cruciatu ventris ſtatim fit excretio, cruor, & purulenta materia aluti excrementis ſupernatant, aut parùm permixta apparent. In maiori exulceratione veluti carunculæ excernuntur.

Signa cauſarum ab excrementorum colore præſertim deſumentur, quatenus illa citrina flaua, viridia, albicantia, vel atra conſpiciuntur. Quibus adiungenda ſunt ſigna abundantium in corpore humorum, quæ ab ætate, temperamento, anni tempore, & vitæ genere deſumuntur.

Prognoſis huius affectus in hunc modum inſtituenda eſt.

Si tenuia inteſtina exulcerentur, maius eſt periculum; ſubſtantia enim pollent magis neruoſa, & hepati viciniora bilem ſyncerem recipiunt.

Dyſenteria ab atra bile prouenies lethalis eſt. Hip. *Aph. 24. ſect. 4.* quia tale vlcus ad cancri naturam accedit, qui etiam in externis corporis partibus raro curationem admittit. Si tamen per criſin excreta atra bilis dyſenteriam mouit, adeò periculoſa non eſt. Cauendum tamen hic eſt, ne ſanguis concretus, aut diutiùs retentus pro atra bile accipiatur.

Dyſenteria à flaua bile aut cibis acribus prouenies, facilè curabilis eſt.

A pituita ſalſa dyſenteria veniens, crudelior, & contumacior eſt, quàm quæ à flaua bile: quia propter lentorem diutiùs inteſtinis hærens, grauiùs affligit, & magis exulcerat.

In longis difficultatibus inteſtinorum cibi faſtidium, malum, & cum febre, peius. Hipp. *Aph. 3. ſect. 6.*

Si dyſenteria detento veluti carunculæ deficiantur, mortiferum *Aph. 26. ſect. 4.* profundum enim vlcus ſignificat, quod inteſtini particulas abradit.

Vigiliæ immodicæ, deiectiones ſyncerę, nigrę, fœtidæ, ſanguinis excretio copioſa, ſuperuenies lienteria, ſinguitus, vomitus bilioſi iecoris, & præcordiorum dolor, ſitis intenſior lethalem, plurimùm, dyſenteriam prænunciant.

Podagricis, & hienoſis ſuperuiens dyſenteria, bonum. Hip. *Progon. & Aph. 46 ſect. 6.* hęc tamen dyſenteria talis reuera non eſt; ſed potiùs ad ſimplicem diarrhœam referenda,

da, quæ materiam morbificam, illos morbos producentem, euacuat.

Senes, & pueri hoc morbo sæpiùs pereunt, quàm in media ætate constituti Hipp. 2. progn. Pueri quidem, quia citò dissoluuntur ob mollitiem, cum quia præceptis minus obtemperant: senes verò, quia viribus sunt exhausti, & quia magna status naturalis euersio significatur. Talia siquidem excrementa, dysenteriæ producendæ idonea, non facilè gignunt.

Curatio huius affectus perficitur medicamentis, humores acres lenientibus, abstergentibus, euacuationibus, vlcus consolidantibus, fluxumque constringentibus.

Humoris peccantis euacuatio statim ab initio molienda est, vt citò ducatur, antequam grauius lædat: imò verò repetenda, donec magna ille ex parte sublatus sit.

Et si tutum non videatur, singulis, vel alternis diebus purgare fieri potest tertio, vel quarto quoque die. Huic vsui cæteris præstat medicamentis rhabarbarum, vel in substantia cum iusculo vsurpatum; vel in potionis formam, vt in diarrhœa curatione dictum: vel in sequentem modum redactum:

℞. Fol. plantag. M. ß. liquirit. rasi. & passul. integr. ana ʒ iij, rosar. rubr. P. j. tamarind Drach. vj corticis myrobal. citrin. ol. amygdal. dulc. cofricat. ʒ ij. Coquantur ad Vnc. iij. In colatura dissolue rhab. in aqua plantag cum spica infusi ʒ j. syrup. cydonior. ʒ j. Fiat potio, Vel.

℞. Tamarindor. Vnc. sem. myrobal. citrin. Drach. ij. Coque in aqua hordei, & plantag. In colatura infunde rhab. Drach. j. sem. Santal. citrin. ana ß. Colaturæ Vnc. iiii. adde syrupi rosar. solut. Vnc. j. Fiat potio.

Commendatur à nonnullis decoctum myrobal. in plures doses exhibitum, hoc modo paratum.

℞. Corticum myrobal. chebulor. Drach. x. citrin. ʒ v. passular. minor. Vnc. ij. Coque omnia in aquæ Vnc. xxvi. ad consumptionem tertiæ partis. Postà colentur. Adde colaturæ sacchari Drach. x. Clarificetur, aromatizando cinam. Vnc. sem.

Penotus sequentem potionem laudat, tanquam singulare remedium ad dysenteriam, & diarrhœam desperatam.

℞. Corticis guaiaci contriti Vnc. ij. Bulliant in sufficienti quantitate aquæ ad medias, cui impone rosar. rubr. balaust. Sem. plantag. an. ʒ j. Bulliant per horam. Deinde colaturæ adde rhab. puluerat. Drach. i. (.ii.) cathol. Drach. iii. Fiat potio.

Quam plurimi practici rhab. torrefactum exhibent, vt vis purgans ex parte auferatur. Sed Amatus Lusit. secundam rhabarbari infusionem vsurpat, dicitque prima infusione omnem eius acrimoniam auferri, & melius esse hoc modo vsurpatum, quàm torrefactum illa enim torrefactione empyreuma acquirere non pauci existimant. Præparatio autem talis est.

℞. Rhab. elect. Drach. i. sem. Infudantur in aquæ plantag. ʒ iii. per aliquot horas. Colentur, & leuiter exprimantur, iterumque infundantur in nouæ aquæ plantag. Vnc. iii. In expressione dissolue cassiæ recenter extractæ Vnc. sem. Fiat potio.

Si propter humorum crudorum copiam magis purgare est animus, syrupus rosacens, Elect. catholic. aliaque mitiora ad miscenda sunt, abstinendo à vehementioribus.

Vomitus aliquando conuenire potest, si æger sit nauseabundus, & humores in ventriculo restagnare videantur: fit enim reuulsio à parte affecta. Quod disertè innuit Amatus Lusit. *curat. 4. cent. 2. in scholio* his verbis: *Si ad intestina corruantem biliosum, & acrem humorem, dysenteriam gignentem Medicus per superiora retrahere posset, & eum per vomitum vacuare, dubio procul ineptum esset & contra Galeni præcepta libro artis Medicinalis, & methodi fuę curatiuę per intestina, vlceribus scatentia, materiam ducere. Ac cum hæc Medicus non sic assequi possit, tamet si tentare pro vlceribus debeat, consequens est medicamentis purgatorijs id efficiat, præsertim rhabarbaro.* Illud ipsum docuerat Hipp. *Aph. 15. sect. 6. A longo alui profluuio habito spontaneus vomitus superueniens morbum soluit.* Gal. vero *in com. huius Aph.* Hoc, inquit, *exemplum ex eorum esse numero, quæ recte fiunt à natura, quæ Medicum imitari oportet.* Idem confirmat Mercatus, his verbis: *Alio humores transferes, sanguine misso, si pus fuerit item expurgati pharmaco exhibito, vel vomitibus: maximè in salsa pituita. Nã hac via diuturnas dysẽterias curari cõspeximus.* Angelus Sala in dysenteria sequens præscribit vomitorium.

℞. Sal vitriol. ʒ ß. Vel ʒ i. syr. cydon. & aqu. beton. ana ʒ j. aqu. cinam. Drach. x. Misce, & propina.

De phlebotomia in hoc affectu magna est dissensio inter authores. At peritorum sententia est, præsente febre, & intestinorum inflammatione, (quæ non rarò vlceri copulata est,) debere celebrari eam in principio morbi, antequam vires ab alui profluuio diuturniori fuerint attritæ: sic enim fit reuulsio sanguinis, & humorum acriorum ad intestina profluentium. Imò verò Valescus de Tarantæ & Amatus Lusit. in antiqua dysenteria sanguinem detrahunt. *Valde senex*, inquit Valescus *dysenteria tribus iam mensibus miserè torquebatur. Vocatus in consilium, reluctantibus omnibus aliis Medicis, iussit venam aperiri. Mox conualuit.* Amatus verò sic habet. *Ad virum illum, qui dysenteriam diuturnam & fortè triginta dierum, ingenti cum febre patiebatur, & post multa, ac varia adhibita remedia imbecillis, & gracilis erat factus, perseuerante etiam fluxu ventris multo cum sanguine. Medicus cordatus ingressus est, qui sanguinẽ ex basilica dextri brachii extraxit. Sed quanto inuamine, audite. Illicò, mirum dictu, sanguis cohibitus fuit, perseuerante adhuc fluxu ventris. Cæterùm sacchar o rosaceo ad aliquot dies & nonnullis ingestis clysteribus, ac topicis astringentibus remediis applicitis, aluus in totũ restricta est.*

Interim varij injiciantur clysteres, primum lenientes, & detergentes; postea verò glutinantes, & adstringentes. Non raro autem vno eodemque clystere omnes prædictæ indicationes permiscentur aut earum plures.

Clysteres lenientes, & anodyni parantur ex lacte, vel solo, vel cum vitellis ouor. n. ij. aut iii. vel mucilag. sem. psyllii. & cydonior. Vnc. iv. vel ad simul adstringendum, cum sacchari, aut mellis rosac. Vnc. i. vel ad glutinandum cum seui hircini recentis ʒ i. aut ferro, auro, vel silicibus ignitis in lacte extinctis, vt serosa illius portio absumatur, sicque glutinosum magis euadat.

In lactis verò defectu, lac. amygd. dulc. vel cremor. hord. seu oryzæ, quem oryzogalon vocant, sola, vel inuicem mixta, tum etiam iusculum veruecis, pulli, aut caponis, vel capitis, & intestinorum veruecis, vsurpari poterunt, ijsque reliqua permiscerì. Vulgare autem est, rosas, & caudam equinam (*equi setum*) cum capite veruecis decoquere. Vel decoctum sequens erit præscribendum.

℞. Rad alth. Vnc. j. hord. mundat. vel oryzæ P. j. sem. lini, & cydonior. an. ʒ j. Sem. psyllij ʒ ß. m. flor. chamom. P. j. Fiat decoctio in lacte, vel iusculo, addendo seuum, vitellos, & alia præscripta.

Vel fieri potest ex lacte solo, cum rad. alth. decocto, in principio ad tergendum, & dolorem demulcendum.

Dolore admodum vrgente, & narcotica interdum dictis clysteribus admiscenda sunt; vt philonii Persici ʒ i. vel ii. pilul. de cynoglosso ana ʒ i. vel ii. syrup. de papau. ʒ i. sem. laudani opiati gr. v. vel vi (℥ *B.*) *doses satis magnæ.*

Si inflammatio intestina obsidere videatur, quod ex dolore ventris continuò, & contrectando sese exasperante; tum etiam febre, ac linguæ siccitate dignosci poterit: iteretur phlebotomia, clysteres iniciatur ex aqua rosarum, in qua ℈ Saturni dissolutum fuerit, & venter oxycrato foueatur.

Idem sal Saturni per os exhiberi poterit ad gr. x. cum conserua rosarum.

Clysteres detergentes fiunt ex decoctõ hordei, furfur, macri, & ros. rubr. cum sacchar o aut melle rosaceo.

Ad maiorem verò detersionem, & vlceris glutinationem addi poterit terebinthinæ ʒ i. cum vitello oui dissoluta. In sordidioribus vlceribus ad fortiora interdum detergentia erit confugiendum, vt betam, & parietariam, in prædicto decocto vsurpanda. Fortissima verò sunt centaurium, absinthium, gentiana, muria, ex Gal. 12. *meth. c.* 1. & similia, quorum vsus hoc tempore rarissimus est, propter dolores, qui grauiores multò solent euadere.

Zacutus Lusitanus ausus est vti arsenico, cum felici tamen successu, vt videre est *obseru.* 18. *lib.* 2. *Praxis Medicæ admirandæ.*

Chymici nonnulli oleum ceræ in clysteribus dissoluunt ad Drach. i. eoque ventrem inungunt.

Ad vlcus glutinandum, clysteres primò leuiter siccantes, & parùm astringentes conuenient, ad eos postmodum ascendendo, qui maiori siccandi, astringendique vi præditi sunt. Atque ita fient primùm ex lacte chalybeato, in quo rosæ decoctæ sint, vel ex decocto hordei, aut oryzę torrefactæ, & ros. rubri P. j. addendo vtrique clysmati interdum vitellos

onor.

ouor. assos n. ij. aliquando, & mel rosac. & cum magis operari vis, succi plantag. Vnc. j.

Ad magis astringendum, & glutinandum, in hunc modum parabitur.

℞. Rad. consolid. mai. & tapsi barbari ana Vnc. j. Fol. plantag. consolid. an. M. j. rosar. rubr. hord. torrefacti, an. P. j. myrtillor. Drach. ij. Fiat decoctio in aqua cisternæ. In colaturæ ℔. j. dissolue mellis rosac. ʒ. j. album oui nnm. j. vel mucilag. gummi tragacanth. Vnc. j seui hircini Unc. j. succi mille folij, vel Polygoni ʒ. j. Fiat clyster. Vel

℞. Rad. bistort. vel tormentill. ʒ. j. sem. rad. consol. mai. Vnc. j. fol. burs. pastor. pulygon. equiseti, piloselli. an. M. j. balaust. calycum glandium, nucum cupressi, ana Drach. ii. oryzæ tostæ P. i. Fiat decoctio in qua fabrorum. In colat. ℔. i. dissolue succi plantag. Vnc. ii. vitellos ouor. assos num. ii. Fiat clyster.

Angelus Sala mirùm in modùm commendat clysterem sequentem.

℞. Caput veruecis per medium sectum decoquatur, donec caro ab ossibus separetur. Iuri colati adde sumit. hyperici M. ii. vel iii. Rad. tormentill. crasso, modo contusæ Vnc. ii. infunde per 3. vel 4. horas supra cineres calidos. Colatura bis, terue in clysteris formam iniiciatur.

Succus plantag. solus, vel lacte, & decocto hordei contemperatus, vtiliter injicitur.

Gummi tragac. Drach. ii. vel infusio in aqua peculi rosar. & plantag. clysteribus vtiliter permiscetur; vel cum succo plantag. permixta, addito sæuo hircino, efficacissimum enema componet. Loco tragacanthæ, aut etiam illa, vtiliter, vsurpari poterunt gummi arabicum, thus, mastiche, sarcocolla. Quæ omnia, in prædictis liquoribus soluta glutinando operantur, nec vt valdè astringentia vlcus exasperant. Amatus Lusitanus valdè probat clysteres ex Emplasticis prædictis paratos, quia internam intestinorum superficiem, contra fluentis materiæ morsum, crustæ instar. obducunt eosque ita componit.

℞. Aquæ hord. Vnc. x. album. oui optimè concussum nu. i. gummi arabici, adipis caprini, ana Vnc. sem. ol. rosac. Vnc. ii. boli armen. & gumm. tragacanth. ana Drach. i. Misce fiat clyster.

At ne clysteres isti emplastici suo lentore acres materias, tanquam carcere retentas, intestinis affigant, ad clysteres detergentes deueniendum est, qui non diu sunt retitendi, tum etiam clysteribus adstringentibus detergentes identidem interiiciendi sunt.

Clysteribus adstringentibus vtiliter admisceri poterunt acacia, hypocistis, sanguis draconis, lapidis hæmatitis succus rubeus Læuigatione eum aqua rosar. vel plantag. elicitus bol. armen. terra sigill. trochis. de succino albi rhasis ad drac. i. vel ii. Alii verò puluetes qui à nonnullis præfetibuntur noxii potiùs sunt, cum in liquore subsideant, partemque vellicando irritent.

Imò verò satius est, etiam prædictos puluetes liquori, vel decocto infundere, & facta colatura iniicere.

Dum clysteres iniiciuntur medicamenta, iisdem viribus prædita, per os exhibenda sunt, idque multò frequentiùs quando superiora intestina vlcerata sunt, ad quæ clysterum materia peruenire nequiuit.

Lac caprinum vbi magis detergere, vaccinum, vbi magis glutinare est animus, cum saccharo rosac. vtiliter exhibetur, modò febris adsit. At chalybeatum efficaciùs conglutinat. illius Vnc. iii. cum succi plantag. & sacch. rosac. ana Unc. i. præstans efficiunt medicamentum. Vel symphyti maioris radix in lacte chalibeato vtiliter decoquitur, & exhibetur.

Vel fiat panis ex subtilissima, & purissima hordei farina cum vitellis ouorum. Coquatur in furno post extractionem panis. Micas eius lacti saccharato immisce ad pulticulæ consistentiam, de qua æger capiat cochl. v. vel vi. bis, aut ter in die.

Iusculum carnis vitulinæ, optimè, & diu coctæ, vlcerum dolores lenit.

Cremor oryzæ mundæ benè coctæ, vlcera consolidat.

Refert Lerius in sua historia, multos disentericos in longa nauigatione fame propemodum enectos, oryza in lacte decocta, additis vitellis ouor. & succo hederæ terrestris, fuisse restitutos.

In lacte etiam amygdalino oryza poterit decoqui, & vtrumque lac priùs auro vstulari.

Hordei verò cremor cum saccharo paratus detergit, & refrigerat.

Iusculum ex decocto pimpinellæ cum butyro paratum, & per triduum exhibitum, manè, & serò, dysenteriæ curationem mirabiliter promouet: idque magis si eiusdem decoctum eodem tempore pro potu ordinario exhibeatur.

Cortices duorum arantiorum sub viridium, in ℔. viii. aquæ decocti, pro potu ordinario, curationem accelerant.

Rasura cranii humani. Drach. i. bis, aut ter exhibita cum iusculo, aut alio liquore idoneo, dysenteriæ curatione citissime absoluit.

Mucilaginis gumi tragacanthæ, extractæ cum aq. rosar. cochlear. ii. vel gum. arab. Drach. sem. in singulis iusculis panatellis vtiliter dissoluitur; tum etiam gellatinæ cornu cerui cochlear. i.

Tandem decocta adstringentia ad integram sanationem corpore benè euacuato, exhiberi poterunt. Quę fient ex rad. bistortæ, tormentillæ, symphyti, fol. plantag. mille fol. bursæ past. equiseti, piloselle, agrimoniæ, sem. plantag. acetosæ, sumach. vinaceorum, rosis rubris, &c. in aqua cisternæ: dissoluendo syrup. cydonior. myrtin. aut de ros. siccis; tum etiam interdum acaciam, hypocist. bolum armenum, aut spodium addendo.

Succus cydoniorum coctus sine additione ad consistentiam syrupi, vel rob. & ad coehleare i. vel ii. frequenter exhibitus valdè prodest. Similes succi ex pyris, cornis, aliisque fructibus austeris parari possunt.

Intestina veruecis pinguia decoquantur in olla, donec iusculum redeat ad mediam scutellam; huic adde olei dulcis parem quantitatem, capiat æger per os. Dysenteriam non valdè contumacem vna, vel altera exhibitione sistit. Idem præstant oleum & aqua rosarum, pari quantitate exhibita.

Vitelli quoque ouorum indurati, & in aqua rosarum dissoluti instar panatellæ, condiantur saccharo, & pauca nuce moschata, & bis, aut ter exhibeantur.

Succus plantag. crudus ad Vnc. iii. vel iv. exhibitus solus, vel cum aliis permixtus, præstantissimus; & si inflammatio adfuerit, eam compescit.

Testatur Hollerus, hederę terrestris succum propinatum plurimos à morte liberasse.

Iulepi ex aquis, vel decoctis, & syrupis astringentibus frequenter etiam exhibendi.

Syrupus corallorum, tinctura, & magisterium huic affectui sunt valdè idonea, quibus vtatur æger ex cochleari frequenter, vel syrupis sequentibus.

℞. Syrupi de agresta, myrtini, de succo plantag. cydonior. de ros. siccis, & de succo portulacæ, ana ʒ. i. Misce ad vsum dictum.

In fine disenteriæ valde confert succus absinthii, & memthæ benè depuratus, & cum saccharo in syrupum redactus habet enim mentha, absinthio mixta, miram vim corroborandi ventriculum.

Imò verò si dysenteria à multo fructuum vso contingerit in ipso principio valdè conducit syrupus de absinthio, cum aqua cinnamomi, vel theriacali; ventriculo interim admouendo fomenta, & emplastra roborantia.

Malum cydonium excauatum, cera alba derasa impletum, & sub cineribus, ac postea exhibitum per aliquot dies, specificum est dysenteriæ remedium.

Quercetanus idem remedium parat ex pomo curtipendulo excauato, & gummi arabici, ac rasura cerę albæ, ana Drach. i. repleto, & ad ignem cocto. Pomo deuorato, statim exhibet hausum decocti adringentis.

Alii vsurpant pullum columbinum cera infarctum, & assum, ac in prandio exhibitum.

Mespillorum vsus dysenteriam inueteratam curat, vt testatur Forestus historiis duabus *lib.* 22. *obs.* 1. propositis, qui locus suprà citatus est in diarrhœæ curatione.

Bruyerinus verò *lib.* 8. *de re cibaria ca.* 22. scribit seipsum desperata dysenteriam laborantem, anus cuiusdam consilio sorba cruda largissimè deuorasse, indeque sanitati restitutum fuisse.

Nec omittenda est illa vua quercina, à Martino Rulando descripta quam dicit esse concretitium quiddam, in formæ vuæ ad radices quercum sub terra, tempore veris puliulans, saporis styptici, colore foris purpureo, intus candido & quasi lactifluo, quæ in æstate pereat, & quasi fiat lignea: ideoque tempore veris debeat exiccari in vmbra & deinde puluerisari hocque puluere nihil præstantius esse aut in disenteria,

teria, omnique sanguinis profluuio. Illius etiam vuę mentionem faciunt Encelius, Bauhinus, & SchenKius.

In omni fluxu à putridis humoribus roborentur intestina pane biscocto, qui in aceto fuerit decoctus, & posteà exsiccatus. Bis, teruè repetita ea præparatione ille puluerisetur, & iusculis indatur ad mediocrem crassitiem.

Pulueres ad eundem affectum varij etiam parantur in sequentem modum.

℞. Rad. bistort. & tormentill. ana Drach. ij. sem. acetos. & plantag. ana Drach. i. corall. rubr. margarit. præparat. ana Drach. sem. Fiat puluis tenuissimus, de quo capiat Drach. i. cum iusculo vel liquore idoneo. Possunt addi huic pulueri ad maiorem adstrictionem, rosæ rubræ, myrtilli, balaustia, cornu cerui vstum, spodium aut trochisci de spodio; vel ad maiorem adhuc adstrictionem, sanguis draconis, acacia, gallæ, bollus armena, terra sigillata, lapis hæmatites. Si simul glutinare desideres, adde sem. psylli, amylum, gum. tragacanthum.

Bolus armena orientalis ad ʒ. j. cum iusculo statim sedat dysenteriam, si purgatio sufficiens præcesserit. Vel

℞. Puluer. is tragacantha Drach. i. nucis moscha tæ, coralli præparati. an. Drach. sem. Misce, capiat duas, vel tres doses, cum ouo sorbili, aut cum iusculo. Vel

℞. Gummi arab. Drach. i. coralli præparati, boli armenæ, an. Drach. sem. Misce, vtatur loco prædicti. Vel

℞. Cornu cerui vsti, bolli armen. corall. vtriusque, santalor. omnium, mastiches an. Drach. sem. thuris tragacanthæ, ana ℈. sem. Misce, fiat puluis, de quo capiat Drach. sem. frequenter.

Forestus valdè commendat puluerem sequentem, aliquoties vsurpatum.

℞. Myrobalan. citrin. & rhab. parùm torrefacti, an. ℇ. j. Fiat puluis pro vna dosi.

Hercules Saxonia sequenti puluere dicit omnes dysenterias recentes, nisi fluxio admodùm vrgeat, statim, & certò sanari.

℞. Ossis sepiæ vsti Drach. ii. spongiæ pice imbutæ, & in ollula vstæ, & cortic. ouor. indurator. albata pellicula interiori, an. Drach. j. Fiat puluis. Dosis Drach. i in liquore idoneo.

Non minoris efficaciæ, imò frequenti experientia confirmatus est puluis granor. actes à Quercetano descriptus in Pharmacopœa, cuius vtendi modus ibidem videri potest.

Opiatæ enim in sequentem modum præscribi possunt.

℞. Conserue rosar. antiquæ, & cydoniati, an. Vnc. i. conserue rad. symphyti. ʒ. ſ. m. coralli præparati ʒ. i. ß. croci Martis boli armenę, terrę sigill. sem. plantag. an. ʒ. i. spodii ℇ ii. cum syrupo de rosis sicc. vel myrtino, fiat opiata, de qua capiat ęger magnitudinem castaneę, bis, aut ter in die. Vel cum sacchar o rosac. ad pondus omnium, poterit fieri conditum ad vsum frequentem.

Myclera Nicolai ad dysenteriam, & reliquos alui fluxus vtiliter vsurpatur.

Sapienter monet Crato, ante septimum diem, priusquam vlcera intestinorum probè abstergantur, adstringentia per os non conuenire, nec foris etiam applicanda esse. Verùm post septimum à leuioribus incipiendum. Montanus verò adstringentia penitus abdicat, detergentibus, & linientibus, & incrassantibus contentus. Verum materia morbifica probè euacuata, retentricis facultatis imbecillitas, qua fluxus alui fouetur, adstringentibus remediis opportunè tollitur.

Vtile ergo fuerit, post purgationem sufficientem, bolum armenam, terram lemnia puluerem granorum actes aut alia adstringentia, & exsiccantia per plures dies cum sacchato exhibere vsque ad integram sanationem. Quòd si adstrictio nimia nocere videatur, purgandum iterùm, & denuò astringendum, ac rursùs purgandum. Aduertendum autem, terras prædictas dupliciter conferre, adstringendo scilicet, & malignam qualitatem, quæ dysenteriæ coniuncta est, oppugnando. Obstructio verò, quæ ex horum adstringentium vsu metuitur, sacchari admixtione prohibetur.

Ad vlcus leniendum, & consolidandum electuarium sequens vtilissimum est.

℞. Mucilag. sem. cydonior. mucilag. rad. consolidæ, & gummi tragacanthæ extractarum cum aqua rosar. ana Vnc. i. amyli Drach. i. coralli rubri Drach. ii. boli armen. præp. Drach. i. balaust. Drach. sem. rob. de sorbis, vel cydoniati ʒ ii. sacchari rosac. Vnc. i. Fiat instar electuarii dosis Drach. ii.

Narcotica per os aliquoties exhibita miranda præstant; dolorem enim sedant fluxum cohibent, somnum conciliant, & sic quoque vires reficiunt. At multo erunt vtiliora si adstringentibus, & roborantibus permisceantur. Exempli gratia.

℞. Conseruæ rosar. antiquę Drach. ii. laudani opiati g. i. ij. iii. confectionis alKerm. ℈ ß. Fiat bolus.

In dysenteria maligna, & epidemica bezoartica, & sudorifica multum possunt. Compertum enim est, per huiusmodi remedia euacuata materia dysenteriam cessare: ideoque mox à principio, & dum reliqua fiunt, humoris peccantis natura aduertenda est. Si enim is malignus sit, qualis in dysenteria epidemica esse solet, frustrà laboratur reliquis medicamentis; nisi simul, & quidem statim in principio, alexiphatmaca exhibeantur. Ad hunc vsum reuocari possunt ea omnia, quæ febribus malignis conueniunt. Ac præterea, quæ diaphoretica sunt, vt lapis bezoarticus, aqua theriacalis. Conferent etiam plurimùm cornu cerui, terra sigillata, bolus armena, vnicorum, corallium, carabe, scordium, hypericum, plantago, tormentilla, pimpinella, & alia innumera.

Exteriùs verò admoueatur toti ventri olea cydonior. rosac. & si magis adstringendum, omphacinum, vel addita aceti tertia parte, & concoquendo ad consumptionem aceti. Si ventriculus simul affectus sit, addatur mastichinum, vel absinthinum.

Post iniunctionem eadem pars conspergatur puluere aliquo adstringente, conflato ex myrtillis, cortice granator. gallis, nucibus cupressi, calycibus glandium, rosis rubris, balaustiis thure, mastiche. Cui ad maiorem adstrictionem addi possunt bolus armena, terra sigillata, &c.

Et iisdem pulueribus, oleis prædictis exceptis, addita cera possunt parari vnguenta ad eundem vsum. Vel etiam vnguentum Comitissæ, solum, aut aliis permixtum, admoueri potest.

Cataplasma ad diarrhœam præscriptum hic conuenire potest; tum etiam sequens, quando potentiùs adstringere dederas.

℞. Bol. armen. ʒ vi. thuris ʒ ß. sang. drac. mastiches, mumiæ, an. ʒ. ii. Fiat puluis, qui excipiatur albumine oui, & aceto, cum panno ventri sub vmbilico apponatur. Vel

℞. Telæ aranear. ʒ. iij. album oui diu concussum nu. i. Frigantur in sartagine, & calidè vmbilico applicentur.

In dysenteria epidemica laudatur cataplasma ex theriacâ & terra sigillata ventri appositum.

Cataplasma sequens, hepar roborans à Solenandro, multùm commendatur in omni alui fluxu, tàm hepatico, quàm dysenterico, & antiqua diarrhœa. Neque ob adstringentia mentuendum esse docet, quia hepar roborantibus temperatur.

℞. Eupatorij, schœnanthi, an. M. j. spicæ indicæ P. sem. mastiches, macis, ana ʒ. sem. ligni aloes ʒ iij. myrobalan. chebul. & emblic. torrefact. ana ʒ. j. bol. armen. terræ sigill. lapid. hæmatit. ana ʒ vj. coriandri præp. ʒ. sem. spodij ʒ ij. rosar. ʒ j. specierum triasantal. sine camphora. ʒ. sem. scoriæ ferri præp. ʒ. i. farinæ hordei ʒ. ii. olei de mastiche, & myrtill. an. quantum satis. Fiat emplastrum, quo totus venter contegatur, à cartilagine xiphoide ad os pectinis.

Fotus etiam fieri potest toti ventri, ex decocto adstringentium, facto in aqua ferrata, cum vini rubri, vel aceti portione. Vel

℞. Rosar. rubr. M. j. absinthij, menthæ, ana M. j. nucis moschat. rad. cyperi, mastiches, galangæ. ana ʒ j. Cum linteo albo fiat sacculus iustæ magnitudinis, qui in vino rubro, vel aceto calefactus, ventri imponatur, Vel

℞. Absinthij, menthæ, plantag. fol. quercus, summitatum rubi. equiseti, centinodiæ, ana M. i. flor. chamom. P. ii. rosar. rubr. M. sem. myrtillor. ʒ j. sem. sumach. plantag. coriandri, an. ʒ vj. nuc. moschat. n. iij. Fiat decoctio in aqua chalybeata, & vino rubro, qua foueatur venter.

Rulandus ventri admouet sacculum ex furfuribus, in aceto decoctis.

Si dolor valdè vrgeat, ventri admoueantur lintea, in lacte chalybeato calente madefacta.

Quòd si fomenta non sufficiant, ad inferius deuenire possumus, qui à Matthęo de Gradi, Sauanarola, & Iachino præcipuè laudantur. Idem Iachinus ad pueros maximum esse secretum asserit. Nam calore actuali nonnihil humores ad cutem auertunt: qualitate verò adstringente fluxum cohibent. Ijs tamen vtendum non erit, si corpus humoribus

bus vitioſi refertum fuerit; ſi dyſenteria fuerit maligna; & febrem comitem habuerit. Fiunt autem ex teneris germinibus quercuum, baccis cupreſſi viridibus, nucibus pineis viridibus, vel pini tolijs, & corticibus, alijſque aqua decoctis.

Ex prædictis fotuum decoctis poſſunt etiam fieri ſuffumigia: ſi nempe eorum vaporem recipiat æger in ſella perforata.

Præcipuè commendatur ſuffitus ex decocto tapſi barbati, qui etiam in diarrhœa laudatus eſt.

Fauentinus commendat ſuffumigium ex terebinthina, ſupra laminam cadentem iniecta, bis in die exceptum.

Idem laudat fomentum ſequens, ano admouendum.

℥. Meliſſæ ℔.j. verbaſci M.j. Includantur ſacculo oblongo qui poſtea in vini rubri ſtyptici, & aceti fortiſſimi, ana quantum ſatis, coquantur ad tertias, & calidus ano imponatur.

Rulandus verò ano admouet fotum, ex decocto glandium in aceto paratum.

Idem Fauentinus hanc lotionem proponit, tanquam ſecretum ad ſiſtendum fluxum dyſentericum.

℥. Scoriæ ferri aceto præparatæ, limaturæ, chalybis aceto præparatæ, an. ℔.j. Bulliant in ℔.ij. aceti fortiſſimi ad mediæ partis conſumptionem. In hoc decocto æger plantas pedum, & volas manuum detineat per dimidiam horam manè, & veſperi.

In affectu diuturno, & vbi vlcera contumacia inteſtina occupant, Mercurius crudus ad eorum curationem plurimùm confert, ſi cum vnguento roſaceo permiſceatur, eoque venter illinatur.

Huic addi poſſunt clyſteres pro ſordidis vlceribus ſupra propoſiti.

Lac vaccinum eodem tempore exhiberi poterit cùm ſyrupo myrtino.

Item balſami veri Drach. j. cum nebula exhibita vlcera interna mirabiliter conſolidat.

Ad dolores leniendos, omentum caſtrati, aut veruecis recenter mactati, ventri admotum, & faſcijs alligatum, multum prodeſt, præcipuè in pueris: ſed pluries idem remedium iterari debet.

Si hepar, aut ventriculus, aut cerebrum huic fluxui occaſionem præbeant, propria remedia illis erunt adhibenda, ea perpetuò ſeligendo, quæ adſtringendi, & roborandi vim habeant.

Pro potu ordinario exhibeatur aqua, cum conſerua roſar. agitata, tinctura roſar. decoctum ſol. quercus, vel aqua infuſionis terræ ſigillatæ, vel aqua ſimplex auro vſtulata cum ſyrupo cydoniorum myrtino, aut de roſis ſiccis. Vel abſente febre, leue decoctum maſtiches, cum ſyrupis prædictis. Potus chalybeatus, ex ſententia Cratonis, exhibendus non eſt; non enim adſtringit, vt vulgò creditur, ſed turbat aluum. Alij laudant decoctum graminis, quia ſiccando prodeſt, & per vrinam diuertendo.

Denique obſeruationem dignum eſt, quod tradunt Aetius *lib. 2. cap.* 8. & Paulus *lib. 1. cap.* 35. inueterata alui profluuia per venerem exſiccari. Quod priùs dixerat Hippoc. 7. *Epidem. in fine. Impudens ſcortatio difficultati inteſtinorum medetur*. Huius rei veritatem experientia didicit Amatus Luſitanus *curat.* 47. *cent.* 2. *Dyſentericus*, inquit, *cum grauiter opprimeretur, noctu cum vxore hymenæum exercuit, & illico deiectiones ceſſarunt, indeque ſanus euaſit*.

Hic pro coronide addatur, quod in curatione diarrhœæ ex Platero in cura fluxus hæmorrhoidum relatum eſt, ſanguinem feruidum iniectum mirabiliter aluum fluentem cohibere, vel humanum, vel alterius animalis.

CAPVT VII.

De Teneſmo.

TEneſmus eſt aſſidua deſidendi cupiditas qua nihil præter mucoſum quiddam, & ſubcruentum, aut purulentum excernitur.

Cauſa proxima huius affectus eſt vulcus recti inteſtini, à quo ſanies quædam, aut materia purulenta continuò emanat, & facultatem expultricem irritat; vnde aſſidua deſidendi cupiditas emergit. Præterea muſcoſum quidam ſanguini, aut puri permixum excernitur ex deprauata homoioſi partis vlceratę, quę proprium alimentum probè non concoquit, & ſibi aſſimilat: ſed in ſubſtantiam illam heterogeneam, & mucoſam conuertit, vt de alijs vlceribus inteſtinorum in dyſenteria fuſiùs expoſuimus. Cùm verò in dyſenteriæ theoria dubium ſit nobis omnia inteſtina in eo affectu poſſe vlcere tentari, hinc ſequi videtur, etiam recti inteſtini vlcera ad dyſenteriam eſſe referenda. Vſu tamen inualuit, vt quando ſolum inteſtinum rectum afficitur, peculiari teneſmi nomine donetur; cùm tamen alijs inteſtinis affectis, ſi rectum etiam afficiatur, licet dyſenterię nomen obtineat, frequens illa deſidendi cupiditas reperiatur, & ita teneſmus, & dyſenteria ſint eiuſdem naturæ, & eaſdem habeant generationis cauſa, vt tota eorum affectum differentia in loci affecti diuerſitate conſiſtat. Atque ita omnes dyſenterię cauſæ, ſuperiori capite propoſitæ, teneſmum etiam producere valeant, vt eas repetere non opus ſit.

Ad diagnoſin huius affectus nihil aliud requiritur, quàm eum à dyſenteria diſtinguere, quod facilè obtinetur per ea, quæ in definitione propoſita ſunt. In teneſmo enim aſſidua eſt egerendi cupiditas: in dyſenteria verò interpolata, & dilucida habens interualla. Prætereà in teneſmo poſt magnum deſidendi conatum exiguus mucus, iſque ſanguinolentus, aut purulentus excernitur in dyſenteria verò tum excrementa, tum humores ſingulis deiectionibus excernuntur.

Signa cauſarum eadem ſunt, quæ in dyſenteriæ cauſis dignoſcendis fuere propoſita.

Quod ad prognoſin attiner, Celſus *lib. 4. cap.* 19. teneſmum facilè tolli aſſerit, & numquam per ſe hominem iugulare. Gal. *tamen* 5. *de vſu partium cap.* 4. inter morbos, qui ventri accidunt, grauiſſimos enumerat. Et certè, ratione moleſtiæ, & durationis, grauis morbus dici meretur, periculoſus tamen non eſt, niſi ab atra bile excitetur, tunc enim ad cancri vlcerati naturam accedit. Præterea grauia incommoda afferre poteſt; vt abortum mulieribus. Sic apud Hippoc. *Aph.* 27. *ſect.* 7. Mulieri vterum gerenti ſi teneſmus ſuper uenerit, abortum facit. Aſſiduus enim deiiciendi conatus vterum, recto inteſtino vicinum, maximè fatigat: deinde muſculi, facum excluſioni deſtinati, ad fœtus etiam excluſionem inſeruiunt: ideò, quando illi aſſidue ventrem inferiorem comprimunt, abortum faciunt. Denique vlcera recti inteſtini, ano vicina, ſi diutiùs durent, in fiſtulam immedicabilem degenerant.

Teneſmi curatio à dyſenteriæ curatione parùm abeſt. Atque ita primùm humores acres, & erodentes, ab hepate aliiſue partibus profluentes, expurgandi ſunt medicamentis adſtringendi vi præditis, quale eſt imprimis rhab. quòd eò vſque iterandum eſt, donec exhauſta, & inhibita fluxio videatur.

Si adſit inflammatio (quæ, febre potiſſimùm dignoſcitur,) aut multitudo ſanguinis, phlebotomia vſurpanda eſt. Imò verò, ſi inflammatio poſt venæ ſectionem perſeueret, vt etiam ſtranguriam efficiat, (quod non ratò ſolet contingere,) venarum hæmorrhoidalium apertio per hirudines erit vtiliſſima.

Tum clyſteres, nunc lenientes, cum dolor vrget plurimum; nunc abſtergentes, glutinantes, aut adſtringentes, pro varijs vlceris temporibus injiciendi ſunt, quorum formulę ex dyſenteriæ curatione demendæ ſunt.

In clyſterum autem vſu obſeruandum eſt primò, vt ſæpè, & in parua quantitate, ſcilicet, ad ℔.ſ. injiciantur, quia difficilè ob conatum aſſiduum retinentur; deinde vt canalis in podicem blandiſſimè inſeratur, ne locum irritet, dolorem-que augeat.

Tum pars affecta ſedulò tractanda eſt foribus, inſeſſibus, ſuffumigijs, ſuppoſitorijs, & inunctionibus.

Fotus in hunc modum concinnari poterit.

℥. Fol. tapſi barbati, & abſinthij, ana M.vi. decoquantur in lacte recenti, & includantur duobus ſacculis, qui alternatim ano, & toti ventri calidè applicentur. Vel

℥. Flor. chamæmel. & roſ. ana M.i. vini rubri ℔.ii. Infundantur per duas horas ſupra cineres calidos. Foueatur anus calidè, quantum ferre poteſt, cum linteis quadruplicatis. Poſteà ſuper ſpongiam in eodem liquore expreſſum, ſedeat æger, ipſamque ſedendo comprimat.

Uel impleantur duo ſacculi furfure tritici, & in aceto bulliant. Inſideat æger, modo ſuper, modò ſuper alter calido quantum ferre poteſt.

Si multum ſanguis excernatur, fotus in hunc modum componi poterit.

℥. Fol. verbaſci cum radic. M. ii. roſar. rubr. P. i. cortic. granat. & gallar. ana Unc. ſem. Coquantur in quabus par-

tibus aquæ ferratæ, & vna vini rubri, pro fœtu, quem efficaciorem efficies, si aluminis Vnc. sem. addideris.

Infessus ad dolorem leniendum fiat ex emollientibus, in aqua, vel iure extremitatum veruecis decoctis: quibus, si ardor increuerit, addi poterunt violæ, solanum, cucurbitæ, & melonis ramenta. Ad vlceris verò sanationem, ex adstringentibus, pro fotu supra descriptis, erunt componendi.

Suffitus vlceri exsiccando idonei sunt ex thure in ignem coniecto, vel ex decocto fabinæ facto in oxycrato, aliisque in curatione diſenteriæ propositis, quorum fumum excipiat æger in cathedra perforata. Sequens autem maximè laudatur à Foresto.

℞. Mastiches ʒ. j. thuris ℈. j. myrtillor. ʒ. j. ß. rosar. rubr. ℈. ij. Fiat puluis pro suffumigio.

Suppositoria in hoc affectu multùm possunt, quæ blanda, ac lenia sint, ne partem admodum sensibilem exasperent. Fiunt autem commode ex seuo hirci, vel capræ, in formam suppositorij secto, & indito, dolorem enim sedat, & vlcus consolidat. Sed ad dolorem sedandum erunt præstantiora, si semen papaueris, vel hyoscyami subtilissimè tusum permisceas, & in nodulum charraceum suppositorij forma effundas. Longè magis, si horum loco, oleorum ex dictis seminibus expressorum guttas tres cuilibet suppositorio addideris, vel opij gr. j. in olei amyg. dulc. ℈. ß. dissolutum.

Ad vlcus sanandum efficaciùs fiet, si sæuo, vt dictum soluto, vel simplici, vel narcoticis additis, amylum, & gummi tragacanth. tritum, vel infusum prius in aqua plantaginis misceas. Vel in sequentem modum componi poterit.

℞. Gum. tragacanth. quantùm satis. Affunde tantillum aquæ plantag. vt intumescat tantùm, neque nimiùm liquescat; adde mucilag. sem. psyllij aut cydonior. tantundem, & vitellum oui assum. Misce, iisque parùm calentibus adde ceræ albæ liquatæ q. s. ad suppositorij consistentiam. Huic etiam narcotica addi possunt. Tum etiam quemadmodum in prædictis ad maiorem erosionem curandam, puluercs ceruſæ, tutiæ, boli, balaust. aliorumque citra acrimoniam siccantium; qui tamen subtilissimè leuigari debent, ne partis sensum exasperent.

Olea, & vnguenta admoueri poterunt, tum ventri, qualia in dysenteriæ curatione proposita sunt; tum ano, vt vnguentum rosac. popul. vel ex mucilaginibus, vitellis ouor. oleo rosac. &c. paratum, ad inflammationem, & dolorem demulcendum, aliaque in hæmorrhoidum dolore proponenda; vel ad vlceris sanationem, vnguentum album Rhasis, pompholygos, in hydromelite liquatuum, & alia innumera.

Denique in grauiori affectu ad narcotica confugiendum est, non solum admota, sed etiam assumpta. Cæteris autem præstat laudanum opiatum gr. j. ij. iij. vel iv. (*per vices*) cum mastiche, & terra sigillata exhibitum, vel clysteri permixtum ex decocto flor. chamæm. parato.

CAPVT VIII.

De Fluxu Hepatico.

FLuxus hepaticus est, in quo serosi, & sanguinei humores, loturæ carnium similes, excernuntur.

Producitur hic affectus ab hepatis imbecillitate, & atonia, propter quam bonum, & laudabilem sanguinem producere non potest; sed chylosam materiam in sanguinem, tenuem, & serosum conuertit, qui cùm alendis partibus idoneus non sit, à natura expellitur ad intestina, vnde fluxus iste hepaticus contingit.

Illa autem imbecillitas, & atonia, à qualibet intemperie produci potest. A quocumque enim primarum qualitatum excessu robur hepatis natiuum, & vis illius sanguifica deijcitur. Quod tamen dubitationem habet, ab experientia desumptam; quandoquidem videmus sæpè graues hepatis intemperies, & insignes primarum qualitatum excessus, alios morbos producere istum verò ab illis minimè induci. Contrà verò, fluxum hunc hepaticum sæpè apparere, sine insigni primarum qualitatum excessu. Vt igitur affectus istius natura integrè stabiliatur, dicendum est cum Sapientissimo Varandæo, præceptore meo, præter vulgarem intemperiem aliquid superiùs & maius reperiri, quod istum affectum producere valeat. Et illud dicit esse occultiorem quandam intemperiem, quæ exolutionem siue consumptionem humidi primigenij siue radicalis in hepate inducit, ad quam sequitur ipsius caloris innati maxima exolutio.

Hanc prauam diathesin, & occultam intemperiem producere possunt febres ardentes, & synthecticæ; intemperies viscerum calidior, oleosam substantiam colliquans; occulta putredo humorum; corruptella, refrigeratio summa à pituitæ, vel melancholiæ copia in corpore præter naturam cumulata, & calorem natiuum opprimente, ac corrumpente. Id ipsum præstare possunt causæ externæ, vt larga frigidæ potio, niuis aut glaciei hausſus, olerum frigidiorum, ac crudorum vsus immodicus; venena assumpta, & medicamenta cathartica vehementiora. Sic enim vinum meracum copiosè hauſtum, salsa, acria, piperata, aliaque insigni qualitate prædita, iecoris substantiam exhauriunt, & extorrent. His addere licet omnes alias causas, quæ impensè refrigerando, vel calefaciendo, hepatis robur, ac tonum dissoluere possunt.

Verus igitur, ac legitimus fluxus hepatis hactenus expositus est, qui hunc peculiariter habet characterismum, quod in eo deiectione liquidæ, ac serosæ, loturæ carnium similes appareant. Et hic ab hepatis imbecillitate procedit, ob quam sanguificatio non rectè perficitur, vel ab intemperie maligniori calidum, & humidum natiuum partis vitiante.

Datur verò præterea fluxus hepaticus spurius, qui à simplici intemperie, sine vllo humidi primigenij vitio procedit à qua quidem intemperie, ipsa facultas non læditur, sed tantum illius opus corrumpitur: ita vt loco puri sanguinis impurus & corruptus proueniat, vel bonus sanguis in prauum degeneret, cum in legitimo fluxu hepatico nunquam bonus, & laudabilis sanguis in hepate generetur.

Corrumpitur autem, vel impurus redditur sanguis, fluxum istum spurium committens, vel ex permixtione bilis flauæ, aut atræ, alterius que cuiusdam materiæ impuræ; vel ex diuturniori in hepate, locisque vicinis mora, ob quam crassior redditur, aut aduritur, aut etiam interdùm putrescit, vel propter vitium lienis, fæculentam sanguinis portionem non trahentis. Et in hoc spurio fluxu sanguis interdum crassus, interdùm niger, interdùm varijs humoribus, diuersis coloribus infectis, permixtus excernitur.

Signa huius affectus ex his, quæ dicta sunt, facilè elici possunt.

In fluxu enim hepaticò legitimo deiectiones liquidæ, & loturæ carnium similes apparent, quod, in alijs fluxibus sanguineis non contingit: saltem vt in omnibus deiectionibus tales materiæ appareant: in dysenteria etiam si aliquando talis excretio fit, id rarò contingit, & consequenter bilis, pituita, & fæces varij coloris excernuntur. Adde, quod in dysenteria adsunt dolores, & tormina ventris, in fluxu verò hepatico nullus est dolor.

Causarum verò signa proprijs characteribus distinguenda sunt. Si enim à calida intemperie hepatis imbecillitas, & atonia inducta sit, febres ardentes, aut colliquantes præcesserunt: vel vomitus æruginosi, aut deiectiones, sitis, & febris adest, corporis squalor, & inappetentia, & deiectiones valdè fetidæ apparent. Si verò à frigida intemperie ortum duxerit, deiectiones minus fœtent, nec sitis, nec colliquatio adest: totum corpus frigidior efficitur, & liuido colore perfusum.

Interdùm tamen ex humorum putredine febris exoritur, quæ dicta symptomata aliquantulum immutat: sed causæ præcessæ examinandæ sunt, quæ vtramque intemperiem facilè manifestare possunt. In hac etiam frigida intemperie ægri maximo vini generosi, ac meracioris desiderio tenentur.

Humidior verò, ac siccior intemperies ex contrarijs affectibus deprehenduntur. Humidior enim plurimam, ac crebram deiectionem facit, & valdè tenuem contra verò siccior paucam, & crassiorem reddit, quam tamen ingens potus cupiditas comitatur.

Causæ denique externæ ex relatione ægrotantium, & adstantium facilè innotescent.

Spurius verò fluxus hepaticus omnia ferè signa habet communia cum dysenteria, nisi quod in eo nullus adsit ventris dolor, neque tormina molestent, neque vlla ramenta, aut carunculæ in deiectionibus conspiciantur.

Prognosis huius affectus nonnisi mala, & vt plurimùm funesta instituti potest. Cum enim pars principes grauissimè laboret, ex hausſu scilicet, & consumptione humidi primigenij, cuius reparatio vix sperabilis est, nonnisi certum exitium vt plurimùm expectandum est, præcipuè, quando à calida intemperie affectus ducit originem.

Quando enim in febribus hic affectus contingit, colliquationes

tiones corporis, & putredines ingentes breui succedunt, quæ citò ægrotantes de medio tollunt. In febribus verò malignis, & pestilentibus propter causæ cacoethiam periculum augetur. Quando verò hic affectus à frigida intemperie ducit originem; diuturnior est dolor, & in hydropem immedicabilem plerumque degenerat.

Denique fluxus hepaticus spurius, licèt admodum periculosus sit, & minùs tamen habet periculi legitimo; quia à simplici, & vulgari intemperie, & praua humorum diathesi tantùm exoritur, tono, & robore hepatis integris remanentibus, & sublatis causis sanguinem vitiantibus, cuinci potest.

Curatio huius affectus perficitur remedijs hepar roborantibus, eius intemperiem corrigentibus, fluxumque cohibentibus. Et quia longè frequentiùs atque vt plurimùm à calida intemperie ducit originem, ideò huic in primis intemperiei curationem aptabimus, cum ille, qui à frigida intemperie producitur, rarissimè contingat, & eandem cum hydrope curationem desideret.

Primò igitur, quamvis nullus vacuationibus locus esse videatur, cùm fluxus immodicus sui tantùm cohibitionem indicet; rhab. tamen vel solùm, vel cum myrobalanis exhibitum, iuxta formulas in dysenteriæ curatione propositas, interdùm prodesse poterit, quia hepar roborat, idque imprimis, si quædam impuritates deiectionibus permixtæ videantur. Imò verò nonnulli ægrotantes rhab. Scrup. j. cum conserua ros. in multos dies exhibito, liberati sunt.

Clysteres hic parùm prosunt, cùm hepar affectum sit. Attamen ex lacte chalybeato, vel decocto leniter astringente, interdùm injici poterunt, ne intestina nimis relaxentur.

At iulepi hepar roborantes, eiusque intemperiem corrigentes, in hunc modum componi poterunt.

℞. Rad. cichor. gram. acetos. an. Unc. j. fol. endiu. agrim. cichor. plantag. cuscutæ, an. M. j. absinthij pontici M. ß. santali rubr. ʒ. j. sem. rasur. eboris, & spodij, an. scrup. ij. coriandri præparati Drach. j. rosar. rubr. P. j. Coquantur ad ℔ j. ß. In colatura dissolue syrup. cydoniorum, & aceti simp. an. Vnc. ij. fiat iulep. pro iv. dosibus, serò, & manè sumendis. Vel

℞. Aquæ plantag. Vnc. iij. syrup. de rosis sicc. Vnc. j. spiritus vitrioli q. s. ad moderatam aciditatem. Fiat iulep. frequenter iterandus.

Poterit etiam æger vti frequenter ex cochleari syrupis sequentibus.

℞. Syrupi myrtini, cydonior. & de rosis siccis, an. Vnc. j. syrup. de cichor. simpl. aut compos. cum rheo, Vnc. j. sem. Misce.

Fit syrup. præstantissimus ex tinctura ros. facta in aqua rosar. & cum saccharo rosac. redacta in syrupum.

Puluis etiam sequens ad Drach. sem. vel Drach. j. semel aut bis in die, in ouo sorbili, iusculo, aut alio liquore idoneo vsurpari poterit.

℞. Sem. plantag. & acetosæ, an. Drac. j. sem. endiu. portul. cuscut. coriand. præp. an. Scrup. j. Rosar. rubr. trochisc. de spodio, cum tragacanth. torrefacti, an. Drach. sem. pellicul. interiorum ventricul. gallinæ exsiccator. Scrup. sem. Fiat puluis tenuissimus.

Vel tabellæ triasantali duplicato rheo ad ʒ. ij. pro dosi exhibitæ, ad hepar roborandum erunt vtilissimæ, tum etiam opiata sequens.

℞. Conserv. rad. cichorij ʒ. j. conserv. rosar. veter. Vnc. ß. pulpæ passular. corinth. Drach. vj. croci Martis Drac. j. coralli præpar. rasuræ eboris, & cornu cerui, ana scrup. j. Cum syrup. de ros. siccis fiat opiata, addendo spirit. vitr. scrup. ß. De qua capiat magnitudinem castaneæ tribus horis ante pastum. Potest etiam addi hepar lupi præparatum, quod ab authoribus commendatur tanquàm specificum.

Passulæ maiores, vel corinthiacæ, quia hepati amicæ, in hoc affectu commendantur, ideò magna copia cum seminibus sunt comedendæ. Quòd vt commodiùs fiat, priùs in mortario erunt contundendæ.

Vel rob. passularum fieri potest, coquendo eas in vino rubro, vel alio generoso, si calor non obstiterit, & postea succum ex ijs exprimendo, rursumque in formam rob. decoquendo. Quod simplex vsurpari poterit, vel cum sequentibus componi in formam opiatæ.

℞. Passul. corinthiac. ℔. ß. Coquantur ad puluis consistentiam in vino veteri. Transfundantur setaceo, & colatur. admisce corticis citri condit. pistati ʒ. sem. pulu. electuar. triasantal. & diamarg. frig. an. Drach. j. coralli præpar. & ros. rubr. ana Scrup. iv. iecoris lupi præp. Drach. iij. Fiat opiata.

Syrupus corall. ad hepar roborandum, & fluxum cohibendum præstantissimus est. At longè præstantior illius tinctura. Cui etiam substitui poterit extractum, vel magisterium, in aqua plantag. exhibitum.

Succus ex furculis tenuioribus vrticæ per se ad ʒ. ij. vel cum aqua, & aceto exhibitus per manè per triduum fluxum sistit, & sanguinem corruptum purificat.

Quia verò in hoc affectu corpus valdè absumitur, destillatum restaurans fluxui etiam cohibendo idoneum, vel per se frequenter exhibendum, vel omnibus cibarij permiscendum est.

℞. Caponem pinguem, & perdicem, ijsque deplumatis, & exenteratis, repleantur ventres fol. cichorij, agrim. & carnis testudinum, an. M. j. conser. ros. ʒ. iij. sem. plantag. coriand. præp. an. Drach. ii. myrobal. citrin. Drac. i. fol. sanguinariæ M. ß. trochisc. de carabe, & de spodio, ana scrup. iv. pulu. elect. de gemmis, triasantal. & diamarg. frig. an. Drach. i. Irrorentur omnia vino styptico, & simul in ventres auium immissa coquentur in aquæ ℔. iv. ad mediæ partis consumptionem vase clauso. Postea reponantur omnia in alembicum vitreum cum vini optimi Vnc. iii. Distillentur in balneo Mariæ ad vsum dictum.

Pro potu vtatur æger tinctura rosar. vel decocto cichorii, & graminis cum syrup. cydonior. addendo aliquot guttulas spiritus vitrioli.

In cibis hordeata, & amygdalata, ac præcipuè oryzata conueniunt.

Exteriùs verò applicentur ventri eadem remedia, quæ in dysenteriæ curatione præcipua sunt, addendo hepatica nonnulla, vt absinthium, rosas, santala omnia, spodium, &c. Quæ inunctiones ventris ad hepatis vsque regionem debent pertingere.

Hepati verò sequens epithema admoueri poterit.

℞. Fol. endiu. & cichorii an. M. i. cuscutæ, & absinthii vtriusque ana M. ß. rosar. rubr. P. i. santali rubr. Drach. i. sem. spodii scrup. ii. Coquantur ad ℔. i. sem. In colatura dissol. aceti rosac. ʒ. ii. Iterum bulliant leuiter, & colentur. Fiat epithema.

Eadem pars sequenti vnguento illinatur.

℞. Cerati santalini Vnc. ii. olei cydonior. & absinthii, an. Drach. iii. Misce, fiat linimentum.

Denique si vigiliæ plurimùm ægrotantem infestent, vt non rarò solet contingere, quia hic fluxus noctu solet ingrauescere, ad narcotica erit deueniendum, qualia in superioribus alui fluxibus fuerunt proposita.

CAPVT IX.

De Lumbricis.

QVamvis lumbrici in variis corporis partibus generentur; quia tamen id rarissimè contingit, & frequentissimè in intestinis magnus fit eorum prouentus, ideò nos tantùm de his hoc loco agere instituimus.

A nonnullis ambigitur, ad quod genus affectuum præter naturam lumbrici referendi sint: omnem tamen dubitationis ansam facilè auferre possumus, dicentes, pro diuerso respectu ad omnia genera referri posse. Provt enim intestina vellicant, & pungunt, vel obstruunt, aliosque morbos producunt, causæ morbificæ dici possunt. Provt verò sunt substantiæ superadditæ iis, quæ naturaliter in intestinis contineri debent, inter morbos in numero aucto toto genere præter naturam à Galen. recensentur; quemadmodum, & calculus: ac denique provt excernuntur per aluum præternaturaliter, aut etiam per os, ad vitium excretorum sunt referendi.

Tria lumbricorum genera proponuntur à Galen. *comm. Aph. 26. sect. 3.* teretes, seu rotundi, qui in tenuibus intestinis frequentiùs generantur, vnde sæpè in ventriculum ascendunt, ascarides, seu tenues lumbrici filiorum particulas referentes, qui in parte inferiori crassorum intestinorum, & iuxta spingerem musculum residere solent: & lati lumbrici, fasciæ etiam nominati, quia lati, & longi sunt instar fasciarum quibus infantes obuoluuntur. Ista species rarior multò est cæteris, & medico, praxin exercenti, vix ter, aut quater in vita videre contingit. Magnè tamen de eo apud authores habentur controuersiæ, alijs scilicet asserentibus esse vermem vnicum: aliis verò ex plurimis vermiculis simul vnitis compositum, quos vermiculos cucurbitinos appellant, & lati lumbrici particulas esse asserunt: alii verò quartam lumbri-

eorum speciem faciunt, cucurbitinos continentem, quorum rationes, & experimenta sigillatim recensere, & toties ab aliis decantata repetere, instituti nostri ratio non patitur; sed ea curiosus lector apud Rondoletium, Platerum, Sennertum aliosque innumeros videre poterit.

De causa etiam lumbricorum efficientem admodum controuertitur: aliis calorem putredinosum; aliis natiuum accusantibus, aliis vtrumque vicissim concurrere asserentibus. Primi, omnia insecta ex putredine secundum Aristotelem exoriri contendunt. Secundi asserunt, calorem putredinosum esse intensum, igneum, & destructiuum; atque adeò corporis viuentis generationi non esse idoneum. Tertij, vt purgantes hasce sententias concilient, dicunt, à calore putredinoso materiam disponi ad generationem vermium, eamque ita præparatam a calore natiuo per viam concoctionis in lumbricos conuerti. Quæ tamen conciliatio subsistere non potest. Si quidem, ex axiomate physico, eiusdem est materiam disponere, & formam inducere; atque ita præparatio materiæ, & inductio formæ ab eodem agente proficisci debet. Deinde in cadaueribus generantur vermes, in quibus nullus est calor natiuus. Dicendum itaque est, calorem, qui putredinosus est, respectu materiæ putrescentis, fieri natiuum respectu lumbrici: quia calor naturalis, & putredinalis differunt tantum gradibus. Sed ad diuersorum animalium generationem diuersi caloris gradus requiruntur, atque adeò calor, qui putredinosus est respectu nostri, potest esse naturalis respectu alterius animalis. Sic calor, qui leoni naturalis est nobis febrilis, & per consequens putrefactiuus. Multi confugiunt ad calorem Solis, qui est causa vniuersalis omnium generationum. Sed agnoscenda est perpetuo causa peculiaris, à qua immediatè producitur effectus, concurrente, & cooperante causa vniuersali. At longè grauior hic etiam occurrit difficultas, ex eo quòd vulgatissimò theoremate sancitum sit, nihil posse seipso nobilius generare, atque ita calorem non esse præcipuum agens in generatione lumbricorum, qui ad substantiæ categoriam referendi sunt. calor verò est accidens, & quicquid de sole dicatur perpetuò forma lumbrici, vtpotè forma viuentis, nobilior est forma solis, quæ tantùm est forma mixti. Hæc dubitatio in grauem illam atque prolixam de generatione æquiuoca disputationem nos conijcit; in cuius ambagibus præstantissimi quidam philosophi integris voluminibus sese exercuerunt, ad quos lectorem remittimus, & in primis Fortunium Liceum, *lib. de spontaneo viuentium ortu.* Sufficit hoc loco dicere, multorum opinionem eò deduci, vt credant multiplicia rerum semina in varijs substantijs latitare, quæ iuxta varia illarum permutationes in lucem emergunt, prout videlicet materia per putredinem, aut aliam quamvis alterationem, ad hanc, vel illam formam recipiendam magis disponitur, & semen illi dispositioni magis analogum suscitatur in actum, formamque sibi propriam in materiam introducit. Hæc sententia non valdè recedit à veteri philosophia, quæ docet formas educi è potentia materiæ. Sed hi tutius esse existimant, semina rerum in materia recondere, quæ verè sint efficientia, quàm solam materiæ potentiam agnoscere, quæ nullam habet efficiendi vim. Cùm illa enim materiæ potentia inquirendum est aliquod efficiens, quod formas illas educat, aut potius in eam introducat.

Causa materialis lumbricorum vulgatissima est pituita dulcis, putredinem concipiens, cuius putredinis ope eam acquirit dispositionem, vt in lumbricos transmutetur. Verum nullo modo necessarium putamus, vt alimenta, vermibus generandis idonea, in pituitam prius conuertantur. Ex ijs enim immediatè, dum putrescunt, vermes generari possunt, quemadmodum videmus in carne, caseo, castaneis, pomis, pyris, cerasis, alijsque innumeris fructibus, vermes, per putredinem producit. Ita fit in corpore nostro, præcipuè puerorum, qui ingluuiæ maximè dediti sunt, prædictis, alimentis sese ingurgitant, & plerumque noua assumunt, antequam priora fuerint concocta. Hinc fit, vt illa putredinem concipiant, ex qua lumbrici oriuntur.

Hoc verò tyrones aduertant, quod in praxi quotidie obseruatur, pueros lactantes, quibus carnes exhibentur, à lumbricis maximè infestari, propterea quòd tenelli eorum stomachi solidum illud alimentum concoquere non possint, atque idoneo corrumpitur, & in lumbricos facessit. Adde, quod lac citissimè conficiatur in ventriculo, & confectum ad intestina deferatur, quòd si carnem ad mixtam habeat, quæ tam citò confici non potuit, secum simul ad intestina ducit, ibique putrescit, & in lumbricos conuertitur.

Obseruent etiam iuniores exlacte solo nunquam lumbricos generari: ita vt, quoties de morbo infantis alicuius ambigitur, vtrum scilicet ex lumbricis laboret, (quos mulierculæ perpetuò accusant, omnesque morbos infantiles, ac pueriles ad lumbricos referunt, quemadmodum omnes mulierum affectus vtero adscribuntur:) Medicus certò pronunciare possit, infantem illum, si lacte solo vescatur, neque carnem, aut iusculum ex ea gustauerit, lumbricis non laborare. Hoc docuit disertè Galen. *comment. aph. 26. sect. 3.* dicens in pueris lac sugentibus vermes non generari. Cuius rei ratio perspicua non est. Multi dicunt in pueris lactantibus calorem non esse satis fortem ad lumbricorum generationem. Et fulcitur responsio authoritate Galeni dicentis *loco citato* ad generationem lumbricorum requiri calorem fortem; vnde fieri dicit, vt lumbrici magis generentur in pueris adultioribus, quàm in infantibus, quod docet Hippoc. *aph. prædicto*. Cui tamen doctrinæ ipsæ Hippocrates refragari videtur 4. *de morbis*, dicens in pueris dum vtero clausi sunt, generari vermes: at illi non habent intensiorem calorem pueris lac sugentibus. Et idem Hipp. aliam reddit rationem, cur pueris in vtero conclusis vermes generentur: *quia* inquit, *fæces in ijs retinentur, postquam verò in lucem exierunt, non generant, quia in ijs amplius fæces non retinentur*. Quod tamen satisfacere non videtur, siquidem in puerulis extra vterum fæces sæpè retinentur, & lumbrici tamen in ijs non proueniunt, quandiu solo lacte vtuntur. Cùm igitur prædictæ rationes solida ingenia non expleant nouas hac in re sapientum cogitationes expectamus, & interim quid nobis videatur, paucis aperiemus, id doctiorum criterio libenter subijcientes. Dicimus igitur lac putrescens aciditatem contrahere, quæ inepta sit lumbricorum generationi, imò verò illi fortiter obsistat: acida enim omnia vermes enecare, notissimum est. Hinc succus limonum ad hanc rem vtilissimus, & vsitatissimus est. Et in potu ordinario aqua spiritu vitrioli acidula reddita in hoc affectu mirabilis est.

Inter causas materiales lumbricorum dulcia primùm locum obtinere vulgò existimantur. Quod tamen dubitatione non caret; cùm vulgari axiomate sancitum sit, dulcia facilè bilescere, & bilem amaritudine lumbricos enecare. Huic tamen dubitationi facilè est respondere, in corporibus biliosis, & caloris acrimonia præditis, dulcia facile bilescere quia vlteriori coctione amaritudinem contrahunt, vt in coctione artificiali quotidie experimur. Verùm in alijs temperamentis minùs calidis dulcia non bilescunt; sed potiùs in pituitam conuertuntur, dum à ventriculo citiùs, quam par sit, attrahuntur ad intestina, & ita cruda ac semicocta putrescunt, ac lumbricis generandis materiam idoneam præbent.

Sed manet adhuc difficultas de saccharo, & melle, quæ cum substantiam habeant putredini minimè obnoxiam, imò verò cætera omnia, quantumvis putredini obnoxia, ab ea præseruent; non possunt ex ijs lumbrici generari. Quæ ratio eum omninò conuincat, dicimus ex saccharo, & melle lumbricus non generari, cùm habeant substantiam incorruptilem; sed iam genitos excitari, ac commoueri, quia lumbrici, dulcia maximè appetentes, ad mellis, & sacchari occursum sese exagitant, & versus ventriculum feruntur, nec non citissimum incrementum capiunt, vndè symptomata emergunt, lumbricorum consectaria.

Signa lumbricorum præsentium, & in intestinis latitantium, varia sese offerre solent, non omnia quidem in omnibus, sed plura in pluribus. Frequentiora tamen, & magis ordinaria sunt, oris fætor peculiaris, ad aciditatem vergens, (ideò mulierculæ nostræ acidum anhelitum vocant,) & deiectiones stercori bubulo similes, ac griseo colore infectæ. ita vt argillam dissolutam repræsentent. Alia signa infrequentiora sunt febres continuæ, quæ pluries in die exacerbantur ex motu vermium, cum anxietate, sudore frigido interdum, & animi deliquio, nausea, vomitu, & siti inexplicabili. Pulsus est inæqualis, genæ alternatim rubent, aut liuescunt, oculi splendent, narium pruritus adest, dentium stridor, & interdùm tremor. Tussis adest sicca, & exigua, saliua præter solitum ex ore effluit. Interdum etiam capitis grauitas, & sopor, interdùm deliria, interdùm conuulsiones epilepticæ, dolor in ventre plerumque affligit, morsum, & erosionem repræsentans, interdùm etiam venter inflatur ac distenditur, instar hydropicorum; interdùm horrifica est in somno expergiscentia, nonnulli in somno tremunt, ac surgunt, atque iterum sopiuntur: interdum totius corpus præter rationem decrescit, & nonnunquam æger fame canina laborat, atque

que insatiabili; quod in lato lumbrico magis contingit, qui omnia alimenta assumpta deuorat, & absumit. Præterea vermes cucurbitini, si excernantur, latorum sunt indicia. Ascarides verò ex pruritu ani molesto cognoscuntur, & fæces non raro ijs conspersæ apparent.

Pro coronide, inter signa lumbricorum, in copore latentium, censeri debet gingiuarum erosio, vel putredo, quod sequenti obseruatione confirmatur. Puer quidam erosione gingiuarum à longo tempore grauissimè vexabatur. Multa variaque remedia tam interna quàm topica, ipsi præscripta, & adhibita fuerunt, frustra tamen omnia. Tandem vitam cum morte commutauit. Aperto corpore tanta inuenta est abundantia vermium, vt aliquibus in locis intestina erroserint, multique in vacuo ventris reperti fuerint.

Quod ad prognosin spectat, lumbrici plures pauciorib⁹ sunt deterioris⁊, maiores minoribus. Non rarò periculosi sunt, & graues morbos accersunt, vt febrem intensam, & inordinatam syncopen, aphoniam, delirium, epilepsiam, colicam, caninam appetentiam.

In morborum principio vermes predire, malum tam viuos, quam mortuos, potissimùm si soli, & sine stercore exeant. Viui enim summam cruditatem, aut alimenti penuriam significant; mortui verò magnam putredinem, à qua emanantur.

Lumbrici in declinatione morbi, & iam coctione apparente, cum excrementis exeuntes, salutem portendunt, ostenditur enim tum naturam excrementis dominari.

Curatio lumbricorum ad eorum expulsionem dirigenda est, cùm sint toto genere præter naturam. Illa autem expulsio commodè perficietur cathartic⁹ medicamentis, quæ vermes enecant, & expellunt, tum etiam putridam materiam, ex qua generantur euacuant.

At verò inter purgantia præstantissimum est rhab. quod etiam præsenti alui fluxui, & febri conuenit. Illius tamen exhibitionem præcedere debent lumbricos enecantia, aut saltem quæ ipsos ad inferiora intestina detrudant, per os assumpta: tum quæ eosdem deorsum euocant, per clysterem iniecta. Quorum formulæ vulgò in hunc modum se habent.

℞. Aqu. gramin. & portul. an. Vnc. j. sem. syrup. de limon. Vnc. j. confect. de hyacinth. drach. j. pulueris contra vermes ℈ j. fiat potio, quæ detur statim, & paulò post clyster sequens injiciatur.

℞. Hord. integ. furfur. macri, & rosar. rubr. an. P. j. liquir. rasi. & passul. mundat. an. ℥ß. coquantur ad ℔ß. sem. vel quartaria tria pro puerulo. In colatura dissolue saccharj rubr. (*Thom.*) ℥ j. vitellum oui n. j. fiat clyster. Potest addi cassia, vel catholicum, si magis laxare est animus.

Quibus remedijs semel, aut bis vsurpatis, potio sequens propinanda est.

℞. Rhab. electi drach. j. santali citrini ℈ sem. Infundantur in aquæ graminis, aut portulacæ Vnc. ij. vel iij. In expressione dissolue rhab. puluerati. & pulu. contra vermes, an. scrup. j. syrup. rosac. ℥. j. Misce, fiat potio. Vel

℞. Rhab. puluerati, & corallinæ, an. drach. sem. plus minùs pro ætate; aquæ gramin. Vnc. ij. syrup. violac. Vnc. j. fiat potio.

Si febris magna non adest, hiera picræ Drach. ij. plus minus, potioni admiscendæ sunt: illa enim propter amaritudinem lumbricos potenter enecat, & expellit.

Si verò prædictis remedijs non cesserit affectus, ad sequentia transeundum est.

℞. Rad. gram & acetos. an. ℥ j. fol. endiuiæ, cichorii acetos. portulac. an. M. i. summitatum hyperici, scordii, & centaurij, minor. an. P. j. corallin. drach. iij. Coquantur, ad ℔ j. In colatura dissolue syrup. de limonib. ℥ iij. fiat iulep. pro iij. aut iv. dosibus, bis in die sumendis.

℞. Vnguenti de arthanita ℥ iij. Mercurii crudi ℥ ij. Misce, inungatur totus venter.

Deinde purgatio repetenda est, imò frequenter iteranda, donec impuritati corporis sit satisfactum.

Imò verò prædicto decocto senna, agaric. rhab. &c. addi poterunt, & tunc semel tantum in die erit exhibendum.

Rondeletius valdè probat electuar. diacarth. tanquam remedium potentissimum ad vermes deiciendos, & pituitam expurgandam, ac etiam chylum corruptum, ex quibus generantur, & nutriuntur vermes: tum etiam infusionem agarici in oxymelite. Quæ remedia præcipuè conuenient, si febris non adfuerit.

Quia verò sæpè non nisi magno labore, & longo tempore, verminosi affectus in nonnullis pueris expugnari possunt; quàm plurima remedia, eaque; præstantissima, ab authoribus inuenta, & vsurpata sunt, tum interna, tum externa.

Inter interna primum recenseri debent pulueres varij, quorum formulas apud authores passim videre est.

Ad præcipuos verò sequentes referendi sunt, quorum dosis erit à scrup. j. ad drach. j. pro ætate puerorum, cum liquore idoneo.

℞. Sem. santonici, quod contra vermes vulgò vocant. Vnc. sem. corallinæ Drach. iij. rasuræ cornu ceru. Drach. ij. Fiat puluis. Vel

℞. Sem. contra vermes, corallinæ, & cornu cerui, ad summam albedinem vsti, ana partes æquales. Vel

℞. Pulu. hieræ simp. ℥ ij. sem. contrà vermes, scordii, centaur. minor. corallinæ, ana Drach. j. Fiat puluis.

℞. Rhab. & agarici an. ℥. j. trochisc. alhandal. scrup. j. diagryd. scrup. ß. corallinæ, cornu cerui vsti an. ℈ ß. myrrhæ, zedoar. flor. tanaceti. an. scrup. j. salis absinthij, & tartari, an. Drach. ß. Fiat puluis tenuissimus.

Hi autem pulueres, ex calidioribus medicamentis compositi, in calidis naturis, & febricitantibus, ratiò, & in minori dosi vsurpentur.

Mulierculæ vulgò pueris, à lumbricis malè habentibus, exhibere solent sem. contrà vermes saccharo incrustatum, vel nudum semen melli permixtum. Quod remedium præstantissimum est; siquidem lumbrici dulcium rerum auidi, mel deuorant, & cum melle semen, quo interficiuntur.

Quia verò semen illud valdè calidum est, temperari potest, si in acetum infundatur per duas horas: postea verò cum melle cocto misceatur ad formam opiatæ, quam Amatus Lusit. prædicat, tanquam primùm aduersus lumbricos remedium.

Cornu cerui vstum à Foresto maximè laudatur, cum pasulis, aut alio quouis modo exhibitum, vt nonnulli hoc solo remedio curati sint. Iis præcipuè conuenit, qui lumbricis cum alui fluxu laborant. In qua affectuum complicatione commendat etiam succum plantaginis, & decoctum centinodiæ, in potu exhibitum. Quibus addi possunt topica ventri admota partim astringentia, partim lumbricos enecandi virtute prædita.

Vulgò etiam vsurpatur à mulieribus oleum commune, cum vino exhibitum. Illud autem lentore suo, animaliu⁹ eorum, quæ sola transpiratione viuunt, spiracula occludens, ipsa suffocat, & interimit. Vinum etiam acrimonia sua eadem interficit. At præsente febre, melius est oleum cum succo limonum, vel granatorum admiscere, vel, quod multò præstantius est, oleum amygdal. amar. cum prædictis succis, vel aqua florum arantiorum.

Stocherus in Empirica sua, oleum è ligno exsiccato coryli seu auellanæ, per descensum paratum, laudat, si vna, vel duæ guttæ puero exhibeantur: grandioribus verò tres, vel quatuor, cum mica panis. *Immediatè*, inquit, *interficit, & educit per secessum. imo verò lumbricos, & pediculos extra corpus leui contactu enecati.* Volunt autem authores peritissimi hoc oleum, è ligno corylino extractum, esse oleum illud Heraclinum, quo Martinus Rulandus pueros à lumbricis ferè in momento liberabat, labra, & vmbilicum eodem illinendo; vt passim in illius centurijs videre est.

Nos autem experti sumus, oleum iuniperinum, ad guttam vnam exhibitum, cum iusculo, puerulis, hisce lumbricis laborantibus, multùm opitulari; modò febris absit.

At reliquis omnibus remedijs fortè præstaret Mercurius crudus, si eum per os exhibere auderemus, quod tamen magnorum virorum suffragia fieri posse testantur. Quorum nõnulla in medium proferam, vt qui hoc remedij genus tentare voluerint, id minimè sine authore feciss⁹ existimentur.

Matthiolus epist. 4. ad Stephanum Laureum, medicum Cæsareum, *Cùm*, inquit *argentum viuum nulla alia lethifera facultate (vt Dioscorides inquit) interimat, quàm quòd suo ingenti pondere intestina laceret: nihil sanè verendum videtur minima quantitate id posse moliri vnquam; præsertim cùm sua grauitate, & sphærica forma facilè è corpore per inferiora labatur. Idcircò mirari non debemus, si Brassauolus, tam clarus ætatis nostræ Medicus, ad necandos interaneorum vermes dari pueris argentum viuum nullo incommodo, scriptum reliquit: & eo tam feliciter vsus sit alius quidam clarissimus Medicus Patauinus, quanquam parandi, dandique rationem minimè vnquam docere voluerit. Ac qui ego, etsi hoc medicamento nunquam sum vsus, vidi tamen dari sæpè illud, scrupuli, vel*

seſqui drachma pondere, à Gloritienſibus obſtitricibus, ægrè parturientibus mulieribus, nullo prorſus incommodo, ſed ſelici ſemper euentu. Hæc Matthiolus.

Fallo pius *tract. de morbo gallico cap. 76. Si bibatur,* inquit, *argentum viuum, illud non facit, quod vnctum. Vidi mulieres, quæ libra eius bibebant, vt abortum facerent, & ſine noxa. Ego exhibeo in vermibus puerorum, & nullum parit ſymptoma, ſolum necantur vermes.*

Platerus in curatione lubricorum: *Argenti viui,* inquit, *guttam vnam, vel alteram, vel ℈ß. aliqui deglutiendum propinant: quòd vermes, quibus maximè aduerſum, citò fugat, poteſtque innoxiè, vt alibi etiam dictum, ſumi.*

Apud Fabricium Hildanum *obſeru. 71. cent. 2.* in qua deſcribitur hiſtoria cuiuſdam mulieris, lumbricis laborantis, à Gilberto Saraceno ad dictum Fabricium miſſa ſequentia habentur, poſt quorundam remediorum enumerationem: *Hiſce additum eſt ex hydragyro præſtantiſſimum remedium. Illud enim ad ſeſqui drachmam purum, & per eorum traiectum hauſit, & ab eo infeſtare ceſſarunt eã dira hæc animalia.*

Ioannes Baptiſta Zappata *lib. de ſecretis mirabilibus c. 5.* inſignes proponit hiſtorias lumbricis laborantium, Mercurii vſu ſanatorum, in quibus infinita alia remedia, tum aloe, & abſinthium, fruſtra vſurpata fuerant. Illius autem exhibendi modus duplex ab eo proponitur. Primus talis eſt.

℞. Arg. viui ʒi. pro pueris verò ℈i. vel ij. benzoini ℈ß. aquæ vitæ rectificatæ guttas iv. vel v. Miſceantur ſimul in mortario vitreo cum iſtilo vitreo. Poſteà adde conſeruæ roſar. aut viol q ſ. ad incorporandum, vt fiat bolus, quem capiat æger manè per ſe, vel in pane hoſtiario. Secundus modus talis eſt.

℞. Sacchari valdè rub. (*Thomæ*) parùm, aquæ commun. guttas iii. vel iv. Miſceantur in mortario vitreo ad conſiſtentiam mellis. Deinde adde arg. viui quantitatem dictam Incorporentur ſimul, addendo olei amygdal. dulc. guttas vi. aut vii. quæ impediant, ne Mercurius viuificari poſſit, Miſceantur omnia. Tandem cum pauca conſerua roſar. Fiat bolus.

Baricellus in hortulo geniali hæc habet. *Hydrargyrum, quod à multis venenum exiſtimatur, felicissimo ſucceſſu contra vermes exhibetur tantæq; certitudinis illud in Hiſpania reputatur vt mulieres tenellis pueris, qui lactis vomini laborant, ad quantitatem granorum iij. in propria ſubſtantia propinare audeant. Hac autem via moribus ceſſare videtur frequentatis experimentis. Ego quidem viduam mulierem curaui, quæ nouem dierum ſpatio vomitibus continuis ex vermibus laborauerat & ferè triduo nec comederat, nec cibum retinere valuerat. Huic cum hydrargyri ℈ij. cum tantillo cydonij vuntificatos propinaſſem abſque vlla moleſtia per aluum centum, & plures emiſit vermes, & eadem die liberata eſt & ſolita exercuit domi, & foris negotia, magna profecto parentum admiratione, cum prius debilis & emaciata eſſet. Alijs etiam exhibui & bono ſemper euentu domique continuo aquam habeo, in qua hydrargyrum infuſum retineo, illamque puerulis pro vermibus libentiſſimè concedo: nec adhuc quempiam ex illo noxam accepiſſe expertus ſum. Vſus eſt hoc remedio ad vermes necandos Matthiolus Horatius Augenius, & plerique alij celebres viri qui omnes huius auxilij maximè extollunt beneficia. Datur pueris in ſubſtantia ℈j. grandioribus ℈ij. vel ʒj. Corrigitur illud & mortificatur in mortario vitreo cum ſaccharo rubro, & tandiu conteritur vt in partes inſenſibiles diſſoluatur. Ne autem in priſtinam formam redeat, olei amygal. dulc. guttulas binas addere oportet, & ſic cum ſaccharo roſac. violato, vel cydoniato, ieiuno ſtomacho languentibus propinatur.* Hæc Baricellus.

Sanctorius *in meth. vitand. error lib. 5. c. 11. Niſi* inquit, *in lumbricis necandis ad valida præſidia confugiamus, vt ad aloem non lotam, vel ad Mercurij ℈ j. cum aloes & terebinthina pauxillo, ad pilulæ perexiguæ formam recepti, nihil fit.*

Qui Mercurij crudi vſum reformidant, eodem præparato vti poſſunt, nempè Mercurio dulci, non ſolùm ter. (vt vulgo fit) ſed etiam ſexies ſublimato. Ulteriori enim præparatione malignitas illius magis retunditur, admixtis aliquot granis diagrydij, vt citiùs è corpore eliminetur, ſimulque lumbricos eorumque materiam expellat.

Quantitas autem illius augenda, vel minuenda eſt, pro ratione ætatis. Exempli gratia pueris, octo aut decem annos natis, ita præſcribi poterit.

℞. Mercurij dulcis gr. xij. diagryd. gr. (iij.) v. vel vj. fiat puluis, qui detur cum pomo cocto, ſaccharo conſperſo, vel panatella ſaccharata.

Pro potu ordinario, aqua ſupra laudata erit vtiliſſima, ex hydrargyri infuſione parata, vel in qua hydrargyrum per horam integram in ampulla vitrea ſemiplena agitatum fuerit.

Vtilis etiam eſt aqua, in qua ſtannum fuſum ſæpè extinctum fuerit. Si verò hydrargyro vti ſubeat; ſatiùs eſt aquam cum eo parum bullire: ſic enim efficacior redditur.

Non minoris fortè eſt efficaciæ aqua fontis, cum ſpiritu vitrioli, aut ſulphuris gutts aliq ot acidula reddita: ſunt enim acetoſitates illæ ſpecifica materia, qua moriuntur vermes. Aqua verò, prout puer eſt grandior, magis, vel minus acida eſt efficienda.

Vulgò autem vſurpatur, pro potu ordinario, decoctum graminis aut coriandri præparatum ſyrupo limonum, aut granatorum mixtum. Vel decocto graminis ſaccharum cum aceti tantillo admiſceri poterit.

Dum prædicta remedia vſurpantur, clyſteres toto morbi decurſu frequenter injiciendi ſunt. Primùm, attrahentes lumbricos, ex dulcibus compoſiti, vt ab initio dictum eſt. Qui non ſolum ex decocto liquiritię paſſularum & ficcuum parari poſſunt, ſed etiam ex iuſculo pulli admixto ſaccharo & melle roſaceo, vel ex lacte, ſi febris abfuerit; alioqui facilè corrumpitur.

At ſi lumbricos in craſſis iam inteſtinis eſſe conjiciamus, quia tunc vix amplius in tenuia poſſunt aſcendere medicamenta illos enecantia per clyſterem infundere poſſumus, in hunc modum compoſita.

℞. Rad. gram. Vnc. i. fol. betæ, malu. Mercurial. & portul. an. M. ß. corallinæ P. j. coriandri præpar. & ſem. contra vermes ſeu ſantonici an. Drach. ij. in ℔ ij aquæ fiat decoctio. In colaturæ ℔ j. diſſolue olei roſac. ʒ j. caſſiæ recenter extract. ʒ vj. hieræ picræ ʒ ij. mellis violac. ℥ i. Fiat clyſter.

Si fortiorem deſideres.

℞. Rad. gentian. Vnc. abſinth. vulgar. & abrotani, ana M. j. centaur. min. M. ſem. lupinor. Vnc. ß. ſem. Santonici, Drach. ij Fiat decoctio. In colaturæ q. ſ. diſſolue olei abſinth. j Vnc. j. ſem. ſalis Drach. j ſem. Fiat clyſter, qui iterandus eſt, & in poſteriori; vt vermes enecati educantur, diſſolue benedictæ laxatiuæ, & hieræ picræ, ana Drach. iii. vel Vnc. ſem.

Si præſens ſit alui fluxus, clyſter ſequens injiciendus eſt.

℞. Rad. tormentillæ, & ariſtol. rotund. an. ʒ j. ß. cortic. granat. & myrobalan. ana ʒ j. lentium P. j. baccarum myrti, ʒ j. roſar. rubr. P. j. Fiat decoctio. In colatura diſſolue olei menthæ, vel abſinthij ʒ i. Fiat clyſter.

Exteriùs verò ventri admoueri ſolent topica varia, non ſolùm antea propoſita, ſed etiam ſequentia.

℞. Rad. gentian. ʒ i. rad. ariſtoloch. ʒ vi. cortic. arantior. ʒ i. colocynthid. ʒ i. cornu cerui vſti ʒ ii. croci ʒ ß. Fiat pulvis qui ſubigatur cum oleo de abſinthio, vel amygd. amar. & addita cera, fiat vnguentum.

Item oleum ſimplex cum pulpa colocynthid. decoctum efficaciſſimum eſt.

Item oleum de abſinthio, & hyperico toti ventri manè, & ſerò admouendum.

℞. Ol. abſinthii, menthæ & amygd. amar. ana ℥ ß. ſucci abſinthii. rutæ, ana ʒ i. torm. ntillæ, dictamni albi, zedoar. ana ʒ ß. fellis bubuli ʒ iii. alos ℈ i. Pulueriſentur, & cum modica cera fiat vnguentum. Vel

℞. Colocinthid, Drach. vi. Terantur, & cum felle bouis, & vino imponantur vmbilico. Quo remedio, & vermes interficiuntur & venter ſoluitur.

℞. Myrrhæ ʒ vii. maſtich. ʒ viii. aloes hepat. ʒ x viii. ſal. comm. ℔ i. Contuſa omnia deſtillentur per rectam, lento igne, & magna diligentia. Exibit primò aqua; deinde oleum: Quo ſi illinatur infantium vmbilicus, omnem putredinem corrigit, quæ in eorum meſenterio reſtagnat.

Cataplaſma etiam in hunc modum concinnari poterit.

℞. Farinæ lupinor. ʒ ii. myrrhæ aloes, ana ʒ ii. fellis bouis quantum ſatis, olei de abſinthio, ʒ ii. Fiat cataplaſma ventri ad mouendum.

Si alui fluxus diutiùs perduraverit, cataplaſma ſequens admoueri poterit.

℞. Ol. cydonior. & abſinthii. ana ʒ i. ſucci purtulacæ cum acero extracti Vnc. i. ſem. farinæ lentium Vnc. i. farinæ lupinor, Vnc. ſem. coralli rubr. cornu cerui vſti, ana ʒ iii. Incorporentur ſimul, & cum pauca terebinthina fiant ad formam cataplaſmatis.

Ex

Ex sola hiera picra cataplasma conflatum, efficacissimum est.

Fotus etiam interdùm adhiberi possunt, quando magna ventris inflatio, & tensio apparet, in hunc modum compositi. ℞. Fol. absinthij, abrotani, tanaceti, scordij, maluæ & violariæ, an. M. j. lupinor. contusor. Unc. sem. centaur. P. j. Coquantur in aqua, & aceto. Foueatur totus venter calidè frequenter.

Denique ad latos lumbricos, & ascarides, clyster ex amaris compositus erit vtilissimus. Cui addi debent purgantia toties repetita, donec corporis impuritas, ex qua illi generantur, extirpata fuerit.

CAPVT X.

De Hæmorrhoidum fluxu immodico.

Licèt moderatus hæmorrhoidum fluxus salutaris sit, & à multis morbis, ijsque grauissimis hominem præseruare, ac liberare soleat; quemadmodùm docet Hippoc. in Epidemijs, & Aphoris. nempè pleuritide, peripneumonia nephritide, mania, melancholia, alijsque innumeris: Immoderatus tamen periculosissimus est, alioſque morbos pernicioſos inducit, nempè totius corporis imbecillitatem, omnium viscerum, & præsertim hepatis refrigerationem, atrophiam, cachexiam, & hydropem propter caloris natiui deperditionem, effuso vitæ thesauro, & totius corporis fomento.

Ille autem fluxus immodicus eadem habet causas, quæ alia sanguinis profluuia excitare solent; sanguinem nimirùm quantitate, vel qualitate peccantem. Dum quantitate peccat, & magna copia ad venas hæmorrhoidales defertur, eas impensè dilatat, & oscula illarum aperit, quod quidem fit tunc temporis robore facultatis expultricis: sed nimia interdùm copia sanguis, ad eas venas propulsus, retentricem opprimit, vnde fit, vt illa in officio suo deficiente, fluxus fiat immodicus, qui artis ministerio cohibendus est. Dum verò sanguis qualitate peccat, acrimonia, vel tenuitate nimia; facultatem irritat expultricem, quæ non solùm inutilem, sed etiam vtilem sanguinem per illas venas excernit. Sanguis autem, huiusmodi fluxum immodicum efficiens, acrior redditur ex permistione bilis, aut seri acrioris.

Cognoscitur immodicus hæmorrhoidum fluxus ex viribus prostratis, & imbecillitate, quam æger percipit, & ex diuturnitate fluxus, ac copia sanguinis excreti; tum etiam fœdo totius corporis colore, ad citrinum vergente, vt ægri ictero laborare videantur.

Si à sanguinis quantitate prodeat: affectum præcessere causæ sanguinem multiplicantes, & patientes in principio leuiter ferunt, alacrioresque fiunt: postmodum verò, perseuerante fluxu, debilitantur, ac vires eorum maximè deijciuntur.

Si verò à sanguinis acrimonia, vel tenuitate nimia fluxus immodicus oriatur; causæ bilem generantes aut serum acre multiplicantes præcesserunt: temperamentum corporis adest biliosum, & exustum; sanguis magno impetu effunditur, & effusus admodùm rubicundus, rutilus, ac veluti flammeus apparet, cùm alias, si sola quantitate peccet, subniger, & melancholicus esse soleat.

Prognosis ex prædictis sufficienter colligitur, cùm graues affectus, qui fluxum hæmorrhoidum immodicum consequuntur, enumerauimus.

Quod ad curationem, sanguis immodicè fluens cohibendus, aut saltem moderandus est, quod fiet reuellentibus, deriuantibus, incrassantibus, & adstringentibus remedijs.

Ac primùm phlebotomia, in omni sanguinis profluuio, reuulsorium est remedium. Ideò in profluuio hæmorrhoidum sanguis ex vena brachij erit detrahendus; maiori quidem copia, si plenitudinis quædam signa appareant, & nondùm maxima sanguinis quantitas, per hæmorrhoidas affluxerit. Alioquin in exigua quantitate, & partitis vicibus tantum erit detrahendus.

Sanguinem etiam per dictas venas effluentem reuellunt frictiones, & ligaturæ partium superiorum: tùm cucurbitulæ scapulis, mammis, & hypochondrijs admotæ, quæ ad maiorem reuulsionem in scapulis scarificari poterunt. Omnibus autem locis prædictis plures, & frequenter erunt admouendæ.

Purgatio etiam blanda humores biliosos sanguini impetum conciliantes ad intestina deriuat; eaque fieri debet expurgantibus, adstringendi vi præditis, vt rhabarbaro, myrobalanis, & tamarindis, qualis ad vomitum sanguinis fuit proposita. Docetque Mercurialis, tamarindos præcipuè, ad compescendum huiusmodi sanguinem fluentem, miram quandam potestatem habere tàm decoctos, quàm in substantia vsurpatus. Imò pruna nostratia acidula, quæ aliquo modo tamarindos æmulantur frequenter vsitata ante alios cibos, huic rei etiam conducere. Illorum præterea vsus erit conuenientissimus, vt aluus laxa seruetur; ac si non sufficerint, alia etiam addenda erunt, quæ ad alui adstrictionem fuerunt proposita: quandoquidem vsu medicamentorum adstringentium aluus constipatur, & in conatu, qui ad fæces duriores expellendas necessarius est, hæmorrhoides magis aperiuntur, ac copiosum sanguinem effundunt.

Postmodum ad ea remedia veniendum est, quæ sanguinem incrassant, & venas laxiores constringunt: qualia sunt quæ ad sanguinis vomitum, & sanguinis sputum, in forma iulepi, pulueris, opiatæ, aliorumque supra proposita sunt. Deueniendum etiam ad narcotica, vt ibidem dictum est, si maxima necessitas postulauerit.

Ac præter illa remedia, valdè laudantur ab auctoribus pilulæ de bdellio: quas tamen reijcit Rondeletius, propterea quod verò bdellio Pharmacopœi carent, & illius loco myrrham vsurpent, quæ sanguinis fluxum promouet. Verùm huic obsistit Solenander, illiusque experientiæ propriam opponit, asserens se in vsu harum pilularum, vt sunt præscriptę, atque cum vsitato bdellio compositæ, effectum, quem promittunt, tam euidentem comprehendisse, vt de compositione dubitare vix queat. Nisi quis putet ab adiectis siccantibus, & adstringentibus hoc qualecumque, quod recipiunt myrrhæ, obtusum, superatumque esse. His addere possumus, Bauderonium in Pharmacopœa, alioſque recentiores asserere verùm hodie bdellium Dioscoridis descriptioni conueniens, excludæa nobis affertri, & à myrtha non difficilè distingui. Illarum pilularum vsus talis esse poterit.

℞. Pilular. de bdellio ʒ. j. trochisc. de carab. & de terra sigillata, an. ℈. j. Cum mucila. sem. cydonior. extracta cum aqua rosacea, fiat massa pilularum, de qua capiat ℈. j. bis in die, ante prandium, & cœnam.

Topica remedia eodem tempore vsurpanda sunt, in varias formulas redacta.

Fotus ex verbasci, seu tapsi barbati decocto in aqua ferrata, vel vino adstringente parato, conuenientissimus est: hæc siquidem planta hæmorrhoidum fluori, & polori appropriata est. In vsu verò fomenti diligenter obseruandum, vt frigide, vel saltem temperatè admoueatur.

Magis composita decoctio in hunc modum præscribi poterit. ℞. Radicis bistortæ ℔. ß. folior. plantaginis, verbasci, summitatum rubri, & quercus, ana M. ij. ß. granorum sumachi, balaustior. gallar. viridium, & malicorij, ana M. ß. myrtyllor. ʒ. sem. rosar. rubrar. P. ij. aluminis ʒ. j. Coquantur in tribus partibus aquæ ferratæ & vna vini rubri austeri pro fotu.

Martinus Rulandus fomentum laudat ex duobus sacculis, alternatim calidè admotis, ex rubro panno conflatis, & glandibus contusis, ac quercus foliis repletis, & in forti aceto multùm decoctis, quibus oeyus fluxus consistit.

Ex decoctis superioribus, aucta dosi simplicium, potest fieri insessus, quo vtatur æger subfrigidè, vt de fomento dictum est.

Vnguentum comitissæ ad fluxum cohibendum vtilissimum est, eoque iniugi debent dorsum & hæmorrhoides, vel in rem præsentem tale componi poterit. ℞. Olei rosat. omphacini, & myrtillor, an. vnc. ij. succi plantaginis, & tapsi barbati an. vnc. j. sem. aceti vini rubr. vnc. j. Bulliant ad succorum consumptionem, deinde adde boli armenæ, sanguinis draconis, thuris, & scoriæ ferri subtilissimè puluerat. an. ʒ. j. ceræ q. s. Fiat vnguentum.

Rondeletius magis probat vnguenta, quæ sine oleis parantur, quia magis adstringunt, eaque in hunc modum parat. ℞. Succi plantag. burſæ pastoris, & tapsi barbati, ana vnc. ij. syrup. aceti simplicis vnc. iij. Coquantur simul leuiter. Postea misce sanguinis draconis vnc. j. boli armeni, terræ sigillatę, & radicis bistortæ subtilissimè puluerat. ana ʒ. j. sem. cerussæ lotæ ℈. ij. Misceantur ad formam linimenti.

Si hæmorrhoides sint exulceratæ, sequens parari poterit. ℞. Olei rosac. vnc. ij. thuris, & aloes, an. ʒ. j. sarcocollæ, sanguinis draconis, boli armen. an. ʒ. sem. spodij, carabes, an. ℈. j. amyli

℥. j. amyli ℥. iij. succi plantag. Vnc. j. Fiat vnguentum.

Pinguedo anguillæ, quæ dum torretur, exudat; vnguentis addita, proprietate quadam agens, illa efficaciora reddit.

Cataplasma etiam dictis partibus vtiliter admouetur, in hunc modum compositum.

℞. Boli armenæ, alos, mastiches, thuris, sanguinis draconis, ana Vnc. sem. oss. myrobolan. indorum, & gallarum, ana ℥. j. Subigantur cùm albumine oui, & succo plantag. fiat cataplasma.

Vel pili leporis combusti, & tela aranearum minutissima, misceantur cum albumine oui, & fiat cataplasma, quod ipsi venæ apertæ, si appareat, vtiliter admouebitur, aut in podicem blandè inseretur.

Suppositoria huic vsui sunt valdè idonea, quia penitiùs in partem demittuntur. Horum autem forma talis est.

℞. Colophoniæ, thuris, ana Drach. iij. boli armenæ, Vnc. sem. ceruſſæ, plumbi vsti, ana ℥. j. acaciæ ℥. ſem. Subtilissimè trita excipiantur seuo hircino pro formandis suppositorijs.

Iniectiones per syringam in annum fiunt ex succo plantaginis alijsve supradictis, ad fotum propositis. Sanguis cuiusvis animalis recenter extractus, & adhuc feruidus iniectus, mirabiliter sanguinem ex aluo profluentem cohibet.

Pulmo arteris adhuc calens, & cruentus podici subiectus magnam in sistendo sanguine habet efficaciam.

Suffitus etiam in eundem finem vtiliter vsurpantur: ex decoctis fotuum prædictorum parati. Quibus etiam addi possunt, qui in dysenteriæ curatione fuerunt propositi. Tum etiam sequens.

℞. Thuris, aloes, mastiches, rosar. rubr. myrtillor. & absinthij, ana ℥. ſem. trochisc. de carabe ℥. j. Fiat puluis crassior, carbonibus injiciendus. Cuius fumus recipiendus est in cathedra perforata, per infundibulum amplum, cuius angusto orificio aptetur tubulus ex ligno, vel argento, in annum demittendus.

Suffitus ex decocto tapsi barbati omnium ferè vtilissimus est.

Si venæ ipsi fluenti remedia applicari possint, reliquis ea præferenda sunt. Ideòque, vt illa apparere possit, æger supra mensam collocatus podicem exprimere debet, quasi deijcere velit, donec conspicua sit; adhibito insuper, si opus fuerit, instrumento ad eum nonnihil inuertendum. Tuncque venæ cataplasma prædictum, ex telis aranearum, & pilis leporinis, vel alia remedia validissimè siccantia adhibenda sunt, vel bolus armena, alumen aut vitriolum vstum. Olei etiam vitrioli venam tangere efficax est remedium, vel, in extremo periculo, aqua fortis appellati.

Quibus non conferentibus, Hippocrates *libro de victus ratione in acutis, & libro de Hæmorrhoidibus*, deligationem sectionem, & vstionem hæmorrhoidum proponit, vnica seruata, quæ tamen operatio tamquam laboriosissima, & valdè periculosa, nostris temporibus obsoleuit. Quamquam Massaria hanc semel operationem se vidisse, referat; cuius historiam proponere erit vtilissimum: siquidem ex ea operandi modus, eiusque euentus apertè docetur. Ea autem talis est. *Federicus Corsicus Vincentinus laborauerat primùm dolore, deinde immoderata fluxione hæmorrhoidum. Et cum ille multa præsidia expertus fuisset frustra, tandem Patauium se contulit, vbi Medici communi consensu statuerunt, sanguinem esse cohibendum. Sed cùm ille varia præsidia, tum interna, tum externa, ab ijs viris proposita, frustra expertus fuisset, vno verbo, cum nullum suis malis remedium inueniret, statuit hanc manus operationem experiri. Cùm autem apud nos nullus esset Chirurgus idoneus, aduocato Chirurgo Neapolitano, qui hanc re profitebatur, Fabricio hæmorrhoides incisæ, ligatæ, & combustæ fuerunt. Summa autem huius administrationis est huiusmodi. Homine primùm accommodatè vinciunt, vt nullo modo possit dimoueri. Deinde extrema capita hæmorrhoidum quotquot illa fuerunt ab intestino excoriant leuiter, & separant: tum propria quadam acu, forti obducta filio, ferè ad extremum tora perforant & strictè obuinciunt, consuumque. Hoc pacto demùm, forcipe amputata venarum portiuncula, quæ ex futura supererat, ignito ferro eam comburunt. Opus sanè est dolorificum, & fastidiosum. Augatura, sectione, & vstione Federico febris, atque insignis dolor superuenere. Sed nonnulla sua præsidia adhibente Chirurgo, ille paucis diebus, & à febre, & à dolore, & sanguinis fluxione, non sine multorum admiratione liberatus integram suam sanitatem visus est recuperasse. Verùm tamen non est prætermittendum, cùm ille sibi nimiùm fideret, neque solùm prætermisisset sectionem venæ, & purgationem, vt necessarium fuerat; sed, & nullam probam viuendi rationem seruasset, proximo anno febre pestilenti correptus obijt. Vnde obseruandum venit diligenter Hippoc. præceptum Aphor. 12. sectionis sextæ, vt vna hæmorrhois aperta seruetur. Nisi, vt docet Aetius, maluerit æger, quæ à suppressione imminent pericula, victu frugali, exercitio, venæ sectione & purgatione cohibere.*

In ordinaria autem curatione, quæ per medicamenta fit, hepatis, & lienis ratio habenda est, cùm venæ mesaraicæ viscеribus hisce inferantur, præsertim si hæc calidiora sint, aut debiliora. Ideòque non inutiliter epithemata, atque vnguenta refrigerantia, & roborantia applicantur, qualia in fluxu hepatico fuerunt proposita, & fusiùs in earum partium calida intemperie, & inflammatione describentur. Aliquando etiam obstructiones viscerum, & venarum mesaraicarum huic malo dant originem. Quæ omninò soluendæ sunt, vt æger ab hoc affectu liberetur. Et nos aliquando fluxum hunc communem pilulis ex chalybe, in hepatis obstructione descriptis, prorsus sustulimus.

Toto autem curationis tempore vtatur æger, pro potu ordinario, aqua ferrata, vel decocto millefolij.

Eodem tempore, præ cæteris omnibus, summa cura sanguinis vitium emendandum est, quod primaria huius fluxus causa esse videatur. Ideò si acer, & biliosus fuerit, infuso rhei & tamarindorum, sæpè repetito corrigendus est. Si calidus, & tenuis, incrassantibus, & refrigerantibus. Si aqueus desiccantibus. Si multus, victu tenui. Nam frustrà desistendo fluore consilium suscipitur, nisi mali origo priùs tollatur. Quod abundè obseruauit Sølenander *cons. 22. sect. 4.* sequenti historia, *Memini* (inquit) *me Annam ex Ducibus Cliuensium prognatam, grauissimo hæmorrhoidum, diuturnoque fluxu curantem, magnam diligentia, summoque nisu, quia videbam viribus labefactis, spiritibusque aissolutis summum discrimen imminere, profluuium obstirmasse. Verùm, cùm illa inde primo die recreata sequentibus mirificè grauari et circa præcordia sumere, atque inflari inciperet, reuocatus sexto die, coactus, venis reclusis, profluuium rursus moui. Neque potui securè, & tuto stringere priùs, quam corpori, lenibus vacuationibus, hepatique necessariò alys alterantibus, atque roborantibus prospexissem.*

Curato tandem hæmorrhoidum fluxu, de præcautione cogitandum est, ne iterùm redeat. Quod fiet victus ratione conuenienti, phlebotomia bis, aut ter in anno vsurpata, purgatione vsuali ex syrupo magistrali, aut alio medicamento, cum caustico tibiæ admoto; alijsque huiusmodi, quæ variánda sunt, iuxta varias corporum dispositiones. Præterea aquæ minerales vitriolatæ, aluminosæ, & ferratæ erunt conuenientissimæ. Fonseca commendat ad præcautionem huius affectus decoctum lentisci, vel eiusdem infusionem in vino, paratam hoc modo.

℞. Rasuræ lentisci ℥. ij. Infundantur in libris xii. vini per 24. horas in loco tepido. Deinde colentur, & de hoc vino bibat pro potu ordinario per mensem integrum. Habet enim vires sistendi hæmorrhoides, tum etiam ventriculum roborandi.

CAPVT XI.

De Dolore Hæmorrhoidum.

VEnæ hæmorrhoidales, in recti intestini extremitatem, & anum desinentes; sæpè tumores afficiuntur, ex quo grauissimus dolor non rarò excitari solet.

Fit autem ille tumor ex eadem causa, quæ fluxum hæmorrhoidum excitare potest; sanguine videlicet quantitate, vel qualitate peccante; qui si viam non inueniat, & venarum illarum extremitates aperire nequeat, in ijsdem congeritur, easque replendo tumorem efficit cum inflammatione, & dolore, qui acerbitate suas omnes intentiones curationis ad se trahit. Causa autem præcipua, cur sanguis ex illis venis effluere nequeat, est eiusdem crassities, quippe qui melancholicus est: dicuntur enim vulgò hæmorrhoidales venę, præcipuè internæ; humorem melancholicum à liene excipere, & interdum expurgare.

Multa proponuntur ab authoribus hæmorrhoidum differentiæ, à magnitudine, numero, figura, & loco desumptæ: vnde aliæ magnæ, aliæ paruæ plures, aliæ pauciores, aliæ

vuis,

vuis, moris, verrucis, aut vesicis similes, vnde vuales, morales, verrucales aut vesicales nominantur: aliæ denique internæ, vel externæ dici consueuerunt.

Ex his diagnosis facilè elicitur. Siquidem ex tumore, in ani extremitatibus apparente eiusdemque magnitudine, colore, & consistentia, variæ illius differentiæ cognoscuntur. Præterea tamen alijs affectibus distinguendæ sunt, qui ano accidere consueuerunt, quales sunt rhagades, condylomata, thymi, fici, alijque.

Rhagades sunt vlcera quædam in fissuras diducta, ijs ferè similes, quæ in manibus, & labijs à vehementi frigore excirantur. Nullam habent cum hæmorrhoidibus similitudinem sed eas cum subsequentibus paucis exponimus, vt omnes affectus, anum obsidentes, cum hæmorrhoidibus innotescant: licèt illi ad morbos externos propriè referendi sunt.

Condylomata sunt tumores quidem pelliculæ ani, quæ quum natura sua rugosa sint, si ad eam confluentibus humoribus, ruga aliqua intumescat, affectio illa dicitur condyloma. Distinguitur ab hæmorrhoide, quoniam hæc maior est, nigra, & rotunda, venam aliquam occupans; cùm illa sit oblonga, concolor, & venas non attingens.

Thymi sunt tubercula carnosa, quæ non modò in ano; sed etiam in pudendo virili, ac muliebri solent exoriri, verrucæ consimilia, & florum thymi formam referentia, vnde nomen sortita sunt. Parui sunt huiusmodi tumores, colore candido, vel subrubro, & doloris expertes; cum hæmorrhoides sint maiores, nigriores, & vt plurimùm dolorosæ.

Fici sunt etiam tubercula carnosa; sed magnitudine thymos superantia; tum etiam liuida, & dolorosa; ideò hæmorrhoidibus similiora sunt; Sed ab ijs distinguuntur, quòd carnosa omninò sint; hæmorrhoides verò venarum extrema dilatata, & sanguine turgida repræsentent. Adde, quod fici plerumque vlcerentur, & malignitatem quamdam præseferant, quæ tanta interdum est, vt ad cancri naturam accedant.

Huiusmodi ficis finitimæ sunt carunculæ illę, quæ ano subcrescere solent, cristarum nomine donatæ, in Italia familiares, apud nos verò infrequentes; quandoquidem ex impuro, & præpostero concubitu solent exoriri. Pullorum Gallinaceorum cristas referunt, vnde habent similitudinem, distinctioneque vlteriori non indigent. Hoc saltem pro coronide dicendum; prædictos omnes affectus, ano innascentes, sola chirurgia sanari, vt peculiaris eorum Therapia proponenda non sit.

Quod ad prognosin tumentium hæmorrhoidum spectat: illæ vt plurimùm periculosæ non sunt. Aliquando tamen adeò grauem inflammationem concipiunt, vt gangrenę periculum immineat, aut saltem præ doloris acerbitate, ægrotantem vehementer excrucient.

Hæmorrhoides si suppurentur, aut exulcerentur, fistulam sæpè in ano relinquunt, eamque vt plurimùm incurabilem, propter partis mollitiem, & summam humiditatem, quæ vlceris exsiccationē difficillimè patitur.

Ad huius curationem primò sanguis detrahendus est ex venis brachij, vt fiat reuulsio à parte affecta. Qua sufficienter celebrata, deriuationis gratia vena malleoli etiam aperienda est.

Cucurbitulis etiam idem beneficium consequitur, admotis hypochondrijs, ad reuellendum; coxis verò, ad deriuandum.

Purgantia potentiora in hoc affectu non conueniunt, quia humorem ad partem attrahunt, tumorem irritant. Attamen aluus continuò emolienda est, quia dura excrementa, & cum aliquo conatu emissa, dolorem exasperant. Ad alui autem lenitionem infusum, cassiæ, manè, & serò exhibitum, maximè conuenient, in hunc modum paratum.

℞. Folior. lactucæ, bugloss, & summitat. maluæ, ana M.j. liquiritiæ ras. & passul. mundatar. ana ℥ ß. Folior. bugloss, borragin & violariæ ana P.j. Coquantur ad ℥. viij. In colatura infunde cassiæ, recenter extractæ ℥ j. Colentur, & clarificentur, addendo postmodùm syrup. violacei ℥ j. Capiat bis in die, vt dictum est.

Interdùm etiam, ad humoris acrimonia demulcendam, emulsiones quatuor seminum frigidorum, cum prędicto decocto extractæ, exhiberi poterunt.

Interim topica varia parti admouenda sunt, ad dolorem leniendum, inflammationem, auferendam, & tumorem discutiendum. Oleum amygd. dulcium recenter extractum, parti dolenti admotum, dolorem demulcet. Idque multò efficaciùs præstant olea ex nucleis malorum persicorum vel ex seminibus cucurbitæ, papaueris, & hyoscyami.

Præ ceteris autem efficacissimum est oleum buxi, est enim narcoticum. Et sicuti dentium dolores quoslibet ad miraculum sedat, ita & reliquos dolores, ac præsertim hunc hæmorrhoidalem mitigat, si illius gutta vna supra hæmorrhoides apponatur cum stylo, gossipio inuoluto; aut si cum oleo seminis lini misceantur, ea proportione, vt prędicti olei ℥ ß. olei buxi ℈ j. recipiat.

Quercetanus valdè commendat oleum nucum expressum, in quo mille pedes seu aselli bullierint. In oleo communi, eoque dulci, possunt etiam aselli decoqui, & dolorem mirabiliter sedant.

Oleum ouorum simplex, vel in mortaria plumbeo agitatum, ad idem est efficax.

Linimenta, & vnguenta ad eundem vsum varia præscribi possunt. Quorum alia dolorem tantùm leniunt: alia tumorem etiam discutiunt, exsiccant; alia vlceratis hæmorrhoidibus medentur. Eaque cum linteis, lana, aut gossipio parti admouenda sunt.

℞. Vitellum oui n. j. olei rosac. vel violac. quantum sufficit. Fiat linimentum. Cui si vnguentum populeum addatur efficaciùs erit ad dolorem sedandum: tum etiam dolorem acerbiori apij grana aliquot admisceri poterunt. Uel

℞. Axungiæ gallinæ Vnc. sem. pulpæ pomi cocti sub cinaribus ℥ i. cro. i. orientali Drach. sem. vnguent. popul. Vnc. sem. vitellum oui n. i. Fiat linimentum. Vel

℞. Olei violac. Vnc. ij. vnguenti populei Vnc. ß. Cum ouo integro fiat vnguentum. Vel album oui, cum lacte muliebri agitatum parti admoueatur cum pannis lineis, hoc liquore imbutis. Vel

℞. Mucilag. sem. psyllii, & fœnugr. extract. cum vino, an. ℥. ii. butyri recentis ℥ iii. sæui hœdini, ℥ i. Agitentur simul in mortario plumbeo. Fiat linimentum.

Vel butyrum solum, in mortario plumbeo ductum ad Solem, donec nigrescat, est egregium remedium.

Pomata etiam recens, parti, admota, est valdè anodyna. Vel

℞. Succi portulacæ & meliis, ana Vnc. iv. Misceantur in mortario plumbeo ad formam linimenti. Uel

℞. Vnguenti rosac. vnc. ii. Mercurii crudi Drach. ii. Misce. Fiat linimentum. Vel

℞. Diachyli albi cum oleo chamæmel. mollificati Vnc. ii. croci ℈ i. opii. gr. iii. Fiat vnguentum.

Horstius plurimùm commendat linimentum ex linariæ herba, & floribus coctis cum adipe porcino. Cui expresso, & parumper refrigerato, vitellum oui permiscet, idque cum lana, vel gossipio dolenti parti applicat. Dicitque hoc linimentum eiusmodi dolores ad miraculum vsque confestim sistere, seque illud accepisse à Ioanne Vvolfio, celeberrimo in Hassia Medico, qui Principi suo Hassię Landgrauio tanquàm secretum eximium, reuelare noluit, donec ipsi annuatim bouem saginatum promitteret.

Ad tumorem discutiendum simul, & dolorem leniendum, sequentia linimenta vtiliter vsurpari poterunt.

Porrorum radices, sub prunis cum stupis madefactis decoctæ, & cum butyro pistatæ, dolorem, & tumorem auferunt. Idem præstat cæpa rubra, cum pulpa lilij decocta, & cum oleo myrtino pistata, & subacta. Vel

℞. Ol. nucl. persicor. & olei amygdal. amarar. ana Vnc. ij. styracis liquidæ, bdellij, ana Drach. ii. Omnia, dissoluta in oleo, corporentur in mortario, fiat linimentum.

Balsamum sulphuris, ex floribus sulphuris, & spiritu terebinthinæ paratum, præstantissimum est ad dolorem sedandum, & tumorem discutiendum: tum etiam vlcera earum partium mundificat, & detergit. Idque potentiùs, si loco spiritus terebinthinæ, oleum hyperici, & ouorum substituantur. Tum etiam in tumentibus, & valdè inflammatis hæmorrhoidibus, loco prædicti spiritus oleum rosaceum, aut violaceum subrogari poterit.

Cataplasmata etiam ad eosdem vsus commodè vsurpantur. Ex quibus vulgatissimum est, ad omnes dolores ex inflammatione demulcendos, cataplasma de mica panis compositum ex medulla panis albi in lacte decocti, addendo oleum rosaceum, & vitellos ouorum.

Aqua pendens commendat cataplasma ex plantagine, parietaria, & malua, in aqua coctis, & cum oleo rosaceo decoctis, & subactis, cui interdum, cùm magis exsiccare est animus, farinam hordei, & milij admiscet. Si verò dolor vrgeat, lac omne adiicitur. Idem etiam laudat cataplasma ex radicibus porrorum, in oleo communi, aut myrtino coctis; tum etiam ex scrofularia, in aqua decocta.

Folia sambuci viridis coquantur, ad putrilaginem in aqua com-

communi. Posteà extendantur super pannum, magnitudine volæ manus. Applicentur calidè, ægro prono existente, priùs tamen parte affecta oleo communi illita. Renouetur sæpe applicatio, & continuetur per multas horas ante applicationem foueatur pars decocto eorundem foliorum.

Eadem folia sambuci contusa, & frigidè admota, tertia applicatione dolorem sedant.

Portulaca etiam contusa, & admota dolorem sedat, tumorem imminuit, vlcer consolidat, & excrescentias carneas absumit.

Cæpa alba sub cineribus cocta, & cum butyro recenti subacta instar cataplasmatis, dolorem sedat, & tumorem discutit.

Fotus admouentur eidem parti ad dolorem sedandum, ex decocto tapsi barbati, maluæ, bismaluæ parietariæ, seminis, lini, fœnugræc. althęę, flor. chamęm. & anethi, in lacte parato. Vel lactis defectu, idem decoctum parari potest in hydrelæo, vel iusculo intestinorum veruecis.

Insessus ex eodem, decocto, aucta quantitate simplicium, parari potest.

Aqua frigida sola pro fotu vtilissima. Insessus in eadem præstans, hyeme sit tepida.

Fotus etiam vtilissimus fit ex aqua rosarum, in qua sal saturni dissolutum fuerit præsertim, si pars admodum inflammata fuerit.

Ad tumorem discutiendum conuenit fotus ex alumine, in vino rubro decocto.

Polypodium quercinum, & hypericum coquãtur in equis partibus aquę, & vini, & prono corpore decoctio instilletur in hæmorrhoides, guttatim ex spongia expressa. Hęmorrhoides sensibiliter detumescunt.

Ad idem conferunt aquæ thermales pro fotu cum spongijs admotæ, vel insessus in ijsdem calidiusculè.

Aqua pendens admouet spongiam, ex aqua calcis expressam, & supra partem alligat.

Suffitus ex decocto supradicto, dum feruet, exceptus; vel ex paucioribus, aut solo tapso barbato, in lacte cocto, cum tritico secalino, dolorem quoque compescit. Vel

℞. Semperuiui mai. M. ij. Decoquantur in vino albo, & fumum excipiat æger in sella perforata.

Ad hæmorrhoides absumendas, & exsiccandas conueniet suffumigium ex pulueribus lolij, tapsi barbati, scrofulariæ, super prunas coniectis. At efficacius fiet suffumigium, si sulphur simul vratur. Imò verò ex sulphure solo suffumigium paratur, & per tubulum exceptum hæmorrhoides cæcas, & latentes potenter exsiccat. Suffitus ex lapide pyrite, in aceto extincto, optimus ad hæmorrhoides absumendas.

Ad easdem hæmorrhoides cæcas, & latentes mirum in modum confert iniectio sequens, frequenter, vsurpata.

℞. Succi plantaginis, & olei violac. ana ℥ iv. balsami naturalis Vnc. sem. Misce, fiat iniectio in anum.

Amatus Lusitanus *curatione 91. cent. 2.* suppositorium sequens hisce verbis prædicat. *Romana, quæ ad pontem sancti Angel habitat, cùm vteri procidentiam pateretur, de dolore hæmorrhoidum quærebatur. At cùm illi multa, & selecta medicamenta admota essent, quibus non iuuabatur, ad balanum ex seuo hircino cum opio confectum confugimus quo dolor euanuit, nec postea rediit. At posteà calidis roborantibus locum, prout post admota stupefacientia fieri solet, fouimus.*

Idem Amatus *curatione 6. cent. 3.* sequens topicum commendat his verbis: *Reuerendissimus ille, qui ab hæmorrhoidum dolore grauiter cruciabatur, post varia, & multa à Medicis tentata præsidia, hoc remedio à nobis præsentato vsus fuit, & breui ab illo infestissimo dolore liber euasit. Habet autem remedium sit.*

℞. Arantium pomum, & id cultro excaua, in quo oleum rosaceum, & pseudonardi, lauendulæ, semina infunde, & ad cineres calidos admoue, & calidum applica, & sæpè in noua, est enim mirum.

In communi vsus est pulmo hœdinus, ex animali adhuc calens parti appositus vel illius laminæ, inter duas patinas calefactæ, cum tantillo aquæ etiam admouentur. Sic enim dolor admodum demulcetur.

Ad hęmorrhoides vlceratas conueniunt tum balsamus sulphuris prædictus, tum vnguenta sequentia.

℞. Olei ouor. recentes vnc. ij. Agitentur in mortario plumbeo, & applicentur.

℞. Ol. rosar. Vnc. iv. cerussæ Unc. j. lythargyri. Vnc. ſem. ceræ nouæ ℥ vi. Fiat vnguentum. Vel

℞. Thuris, myrrhæ, croci, ana Drac. j. opij gr. ij. vitellum oui n. j. olei rosac. & mucilag. semin. psyllij, ana q. s. Fiat vnguentum.

Si non facilè resolui possint, post conuenientes reuulsiones aperiendæ sunt, confricando panno asperiori, madefacto in succo ceparum, in quod dissoluta fuerit aloes Drach. j. Est secretum Hartmanni. Promptiùs tamen, & cum minore dolore scalpello, aut hirudinibus admotis aperiuntur.

Per os etiam assumuntur specifica nonnulla, ad dolorem sedandum, & hæmorrhoidas absumendas idonea; quorum præcipua hæc sunt.

Decoctum millefolii in potu ordinario per triduum exhibitum, hæmorrhoidum dolorem feliciter solet discutere.

Semen trifolij hæmorrhoidalis ad Drac. j. cum vitello oui, per plures dies exhibitum, ad idem est efficax.

Tapsi barbati puluis exhibitus cum lacte, vel alio modo, valdè probatur ad hæmorroidas tumentes absumendas. Puluis millefolij, & tormentillæ idem præstare valent.

Succus tapsi barbati per se, vel cum saccharo rosaceo, aut penidiato mixtus; vel cum saccharo in syrupum redactus, ad idem vtilis est.

Denique pilulæ de bdellio, frequenter vsurpatæ, tumentes hæmorrhoidas absumunt, earumque causam insensibiliter detrahunt.

In ijs, qui huic affectui valdè obnoxijs sunt, causticum tibi vtilissimè admouentur.

FINIS LIBRI DECIMI.

OPER. MEDICORVM
LAZARI RIVERII
TOMVS III.

Exhibens

PRAXIN

OPERA MEDICORVM
LAZARI RIVERII
TOMVS III.

Exhibens.

PRAXIN

PRAXEOS MEDICAE

LIBER VNDECIMVS,

DE AFFECTIBVS HEPATIS.

PRÆFATIO.

HEpar, quemadmodum aliæ partes, omnibus morborum generibus obnoxium est. Quatenùs enim ex partibus similaribus componitur, varias patitur intemperies: quatenùs verò est pars organica, tumoribus, & obstructionibus afficitur, ac denique solutione continui, vulneribus putà, & vlceribus tentari solet. Et quamuis hydrops totum abdomen occupet, vt in ascite, & tympanite, vel etiam totum corpus, vt in anasarca: prima tamen illius radix vt plurimùm à vitio hepatis dependet. Nos hic affectus præcipuos, & qui frequentiùs in Praxi Medica occurrunt, exponere aggredimur, eosque sex capitibus comprehendimus: quorum primùm est de calida hepatis intemperie. Secundum, de hepatis inflammatione, abscessu, & vlcere. Tertium, de obstructione. Quartum, de Ictero. Quintum, de scirrho. Sextum, de hydrope.

CAPUT I.

De calida Hepatis intemperie.

CAlida hepatis intemperies in quam plurimis hominibus accusatur, eaque ferè congenita, & à primis generationis principijs oriunda. Quæ cùm in latitudine sanitatis posita sit de ea hic non agimus: sed tantùm de præternaturali, & morbosa, quæ hepatis actiones manifestè lædit.

Illa autem intemperies vel simplex, vel composita esse potest; vel sine materia, vel cum materia coniuncta. Ut plurimùm tamen coniunctam habet materiam, quodquidem calida hepatis intemperies calidos, ac biliosos humores producere consueuit.

Causæ huius intemperiei sunt, calidior aer, exercitationes immodicæ, vigiliæ immoderatæ, ira frequens, & alia animi pathemata grauiora, & præsertim alimenta, vel medicamenta calidiora frequenter assumpta, vel aromatis condita, & vinum meracum, ac potens largiùs epotum. His accedit partium vicinarum caliditas, vt in febribus vehementioribus à calore cordis, & ipsum hepar incalescit.

Signa diagnostica calidioris hepatis intemperiei sunt, cibi fastidium, & præcipuè carnis: sitis, aluus adstricta calor vehemens in toto corpore, præcipuè in volis manuum, ac pedum: macies totius corporis ægri à calidis læduntur, iuuantur à frigidis: & si præterea calidiores humores exuperent, bilis per vomitum, aut secessum interdum excernitur, oris amaror adest, & plerumque febris.

Quod ad prognosin attinet, Calida hepatis intemperies nõ valdè periculosa est, cùm hepatis constitutioni non ita aduersetur, sed multorum morborum, non solum propriorum, verùm etiam aliarum partium causa esse solet. Difficilius etiam est curationes, præsertim si ventriculus frigidus sit vt plerumque contingit. Illa enim, quę ad hepar refrigerandũ exhibentur, ventriculo nocent, & illius intemperiem intendunt.

Curatio omninò consistit in correctione illius intemperiei per refrigerantia remedia, & bilioſi humoris, qui ab ea producitur eamque vicissim fouet; aliorumque morborum causa existit, euacuatione.

Ac primum venæ sectio hepar maximè refrigerat, bilioſi sanguinis portionem educit, & obstructiones à bile soluit. Mittendus igitur sanguis est è basilica dextra, quantitate plenitudine, ac viriùm robori respondente, vel vna vice, vel per interualla, pro affectus magnitudine, & duratione, idque premisso clystere, vel medicamento, primas vias expurgante.

Deinde bilis, quæ in hoc intemperamento continuò luxuriat, educenda est, cholagogo medicamento benigniori, per interualla repetito; aut apozemate, in plures doses exhibito, aut syrupo magistrali, aut etiam syrupo de cichorio composito quadruplicato rheo, qui conuenientissimus est. Siquidem innoxiè biliosos humores expurgat, iecur refrigerat, & corroborat, eiusque obstructiones aperit.

Dictorum remediorum formulæ tales esse poterunt.

℞. Sennæ mundat. ℥ tamarindor. ana. ℥. sem. semin. anisi Drach. j. fol. cichorij, & acetosæ, an. M. j. liquirit. raſ. Drac. iij. flor. quatuor cordial. ana P. sem. Coquantur in aquæ q. ſ. ad Vnc. iij. In colatura dissolue rhab. in aqua cichorij cum spica infusi Drach. j. sem. Cathol. dupl. Drach. iij. syrup. ros. Vnc. j. Fiat potio, detur manè cum regimine.

Pro delicatioribus fiunt potiones clarificatæ, à recentioribus inuentæ, quæ iulepi formam referunt, at gustui parùm ingratæ. In ijsque dupla purgantium quantitas præscribitur, eo quòd eorum vi clarificatione plurimùm amittatur; ita vt robustiora corpora nunquàm sufficienter euacuent, in hac potissimùm regione, quæ propter intemperiem siccam humores minus fluidos, minusque purgantibus obsequentes efficit. At verò Lutetiæ, in alijsque regionibus multò humidioribus huiusmodi medicamenta fæliciùs operantur. Harum igitur potionum clarificatarum sequens esto exemplum.

℞. Sennæ mund. Vnc. j. sem. anisi ℥. j. flor. cichorij, & capill. ven. ana M. j. liquirit. rasæ Vnc. ß. Coquantur in aqu. q. ſ. ad ℥ x. In colat. infunde rhab. elect. Drach. ij. cassiæ recenter extractæ, & cathol. dupl. ana Vnc. j. tamarindorum contusor, Vnc. sem. coriandri Drach. i. syrup. rosacei vnc. i. Colentur. clarificentur, vt artis est, & fiat potio.

Apozema bilem euacuans ita componi poterit.

℞. Rad. acetosæ, gramin. cichorii, & oxylapathi, ana Vnc. j. fol. endiuiæ, cichorii, dentis leonis, & capillor. ven. an. M. j. sem. 4. frig. mai. ana Drach. iii. liquiritiæ rasæ Vnc. i. flor. cichorii, bugloſſi, & violar. ana P. i. sennæ mund. Vnc. ii. tamarind Vnc. i. macis, & caryophyll. an. drach. i. coquantur ad quartaria v. In colat. dissolue expressionem Vnc. sem. rhab. in prædicto decocto cum cinamomo infusi, syrup. de cichorio compositi, & rosati solutiui, ana Vnc. ii. Fiat apozema clarificatum, & aromat. drach. ii. santali citrini, pro iv. dosib. matutinis.

Syrupus magistralis componi potest ex materia prædicti apozematis, triplicata dosi purgantium, & addita sacchari quantitate decocto æquali.

Vsitatissimus apud nos est syrupus ex succis, summæ efficaciæ ad chronicos omnes morbos, qui à calida hepatis intemperie, & bilis flauæ, aut exustæ prouentu oriuntur; & in sequentem modum præparatur.

℞. Succor recenter expressorum, & per residentiam depuratorum ex foliis endiuiæ, cichorii, acetosæ, fumariæ, borag. & bugloſſi ℔. iii. succi pomor. redolentium recenter expressi, & depurati ℔. ii. polypod. querc. recentis ℔. ß. sennæ mundat. Vnc. viii. epithymi Vnc. iii. agarici recenter trochiscat. Vnc. ß. macis, & caryophyl. an. drach. ß. Infundantur, & decoquantur, vt artis est, donec colaturæ ℔. i. ß. superfiti in qua dissolue rhab. elect. in prædictis succis cum spica infusi, & expressi ℥. i. sacchari albi ℔. i. ß. Fiat syrupus perfectè coctus, clarificatus, & aromat. Drach. ii. pulu. electuarii triasantali, qui seruetur in vase vitreo. Dosis Vnc. ij. vel iij. bis aut ter in mense cum iusculo pulli, foljs endiuiæ, cichorij, & acetosæ alterato, vel cum sero lactis.

Ad hepatis refrigerium sequentia vtilissima sunt. Ac primùm pro potu ordinario vsurpatur vel ptisana vulgaris, ex hordeo, & liquiritia confecta: vel addita graminis, aut acetosæ radicæ. Vel huiusmodi decocta permiscentur syrupo de limo-

limonibus, aut capill. ven. Vel ijs, qui palato sunt delicatiori, simplex aqua fontana, prædictis syrup. permixta, exhibetur. Quod si potentius refrigerandum sit, addi possunt spiritus sulphuris, aut vitrioli q. s. ad gratam aciditatem. Et in vehementiori æstu additur etiam salis prunellæ drach. j. Fit etiam ad sitim potus gustui gratissimus ex conserua rosar. cum aqua fontis permixta, & colata. Cui adduntur spiritus sulphuris, aut vitrioli guttæ aliquot, ijsque gratam aciditatem, & calorem rubellum, vino persimilem, acquirit. Huic substitui poterit tinctura rosarum in hunc composita.

℞. Rosar. rubr. siccar. Vnc. j. aquæ tepidæ ℔. iij. spiritus sulphuris, aut vitriol. Drach. j. ß. Infundantur per iij. aut iv. horas. Colaturæ adde sacchari albi quartaria iij. Seruetur ad vsum.

Ad eosdem vsus refertur iulepus Alexandrinus, qui vulgò sic parari solet.

℞. Aquæ fontis ℔. j. aquæ rosar. succi limonum, & sacchari albi, an. Vnc. iv. Coquantur lento igne, dum despumauerint.

Posteriora duo remedia duobus modis solent vsurpari, vel pro potu ordinario, vel in forma iulepi, bis aut ter in die sumendi.

Varij etiam iulepi, hepar refrigerantes, præscribi solent; quorum sequentes formulæ exempli loco esse poterunt.

℞. Radicis acetos. cichorij, graminis, lapathi acuti an. ʒ. j. fol. endiuiæ, cichorij acetosæ, capill. ven. ana. M. j. flor. cichorij, bugloss. & borrag. an. P. j. Coquantur ad ℔. j. In Colatur. dissolue syrup. de limonibus Vnc. iij. Fiat iulep. clarus pro iij. dosibus, bis in die sumendis. Si magis refrigerare studeas, adde singulis dosib. spiritus sulph. aut vitrioli q. s. ad gratam aciditatem. Potest etiam misceri salis prunellæ drach. i. ad maius refrigerium.

In herbarum penuria componantur iulepi ex aquis stillatitijs. V. g.

℞. Aquarum endiuiæ, acetosæ, & cichorii, an. Vnc. iij. syrup. de limon. granatorum, an. Vnc. i. sem. Fiat. iulep. pro iij. dosibus.

Possunt etiam parari iulep. ex succis efficaciss imi, & gustui gratissimi: quorum hoc omnium loco esto exemplum.

℞. Succi pomor. redolent. recenter extracti, & per residentiam depurati Vnc. iv. succi limon. Vnc. iij. aquæ rosaceæ ʒ. ij. succi maior. granat. Vnc. i. sacch. albiss. ℔. sem. Fiat iulep. pro iij. dosibus.

Iuleporum loco iuscula medicata delicatioribus exhibentur, ex herbis prædictis cum pullo gallinaceo parata. Quibus ad maius refrigerium salis prunellæ ʒ. i. addi potest, vel acidula redduntur guttis aliquot spiritus vitriol.

Sanguis cichorii, & chamædryos ad sanguinem depurandum, obstructiones reserandas, & hepar refrigerandum vtilissimus est, in syrupum redactus in hunc modum.

℞. Aquæ cichorii in B. M. paratæ q. v. fol. cichorii partes duas, chamædr. partem vnam. Macerentur simul, & digerantur per triduum in B. M. postea exprimantur; liquori adde noua folia cichorii, & chamædryos; digerantur iterùm per triduum deinde exprimantur, & infusiones illæ octies, vel decies repetantur. Liquor euadet rubeus instar sanguinis, cui adde sacchari parem liquori quantitatem, & fiat syrupus.

Præterea opiatæ, & tabellæ, hepar refrigerantes, & roborantes, ita componi poterunt.

℞. Conseruæ flor. cichorii, violarum, nymphææ, & bugloss. an. ʒ. i. pulu. elect. triasant. ʒ. i. sem. Cum syrupo de limon. fiat opiata, qua vtatur æger frequenter.

℞. Tabellarum triasantali duplicato rheo Vnc. iv. capiat tabellam vnam pond. drach. ii. singulis diebus, manè, duabus horis antè pastum.

Conserua ex fructu cynorrhodi, seu rosæ caninæ, optimè mundato, & cocto cum sacchar o ad formam cydoniati, hepar potentissimè refrigerat, si ea vtatur æger loco opiatæ prædictæ.

Tinctura corallorum, cum succo limonum parata, hepar refrigerat, & corroborat, si eius cochlearia duo singulis diebus exhibeantur, aut saltem bis in hebdomada.

Balneum aquæ tepidæ, frequenter vsurpatum, totum corpus refrigerat, & humectat multò potentiùs, & vtilius, quo vis alio remedio, in emaciatis præsertim corporibus.

Serum lactis ad idem est efficax, si ad 15. dies, aut plures vsurpetur. Elicitur autem commodè per lactis ebullitionem, affundendo parum aceti, vel succi limonum, & postea colando. Amatus Lusitanus ipsum præparat in hunc modum.

℞. Seri lactis ℔. j. syrup. acetosi valdè acidi. ʒ. iij. Misce, & facta vna ebullitione capiat more aquar. mineralium, scilicet per duas aut tres vices, postea deambulando. Antiqui eo vtebantur ad heminas, hoc est ℔. v. Quercetanus verò in hunc modum præpar.

℞. Seri lactis ℔. ij. succini limon. ʒ. ij. succi pomor. redolent. recenter extracti Unc. iij. Omnia simul cum albumine oui priùs agitata ad ignem clarificetur, addendo parùm sacchari. De colatura capi Vnc. vj. vel viij. continuando per 15. aut 20. dies.

At si emaciatum, & consumptum fuerit corpus, lac integrum, & præsertim asininum, in plures dies exhiberi poterit.

Decoctum chinæ, cum succo limonum paratum, huic etiam vsui confert, præsertim si obstructiones adfuerint. Cuius compositio talis esse poterit.

℞. Rad. chinæ tenuiter incisa Vnc. j. aquæ fontis ℔. vj. succi limon. Unc. iij. Macerentur per 24. horas; deinde coquantur ad 3. partis consumptionem; postea colentur per manicam Hippocr. Capiat Vnc. vj. manè, & vesperi, vinumque eo diluatur.

Denique aquæ minerales vitriolatæ, vtpote aperiendi, & refrigerandi vi præditæ, quales sunt nostræ Meynenses, erunt vtilissimæ.

Perseuerante affectu, hæmorrhoides per hirudines aperiantur, semel aut bis in mense.

Ac tandem exteriùs regioni hepatis epithemata, & vnguenta refrigerantia admoueantur. Epithemata fiunt ex aquis acetosæ, cichorij, rosar. plantag. aceto, & caphura; quibus ad robur partis additur puluis triumsantalorum. Vnguenta verò sunt: rosaceum, refrigerans Galeni, & ceratum santalinum.

CAPVT II.

De Hepatis inflammatione, abscessu, & vlcere.

HEpatis inflammatio est tumor calidus, ex sanguine extrauasato, & in illius substantiam effuso oriundus.

Prout autem sanguis, vel purus est, ac sincerus; vel alijs humoribus permixtus; sic varias tumoris differentias producit. Si enim à sanguine puro; phlegmonem exquisitam parit. Si verò ab eodem cum bile, pituita, aut melancholia permixto generetur; phlegmonem erysipelatosam, ædematosam, aut scirrhosam generat. Et vice versa, si prædicti humores sanguini prædominentur, erysipelas phlegmonosum, ædema, aut scirrhum pariter phlegmonosum efficit.

Est, & alia differentia ratione loci, in quo fit inflammatio, prout illa, vel partem gibbam hepatis occupat, vel cauam. Quod tamen ita accipiendum est, docente Gal. 4. *de loc. aff. c.* 7. vt in neutra hepatis parte, exquisitè distincta, inflammatio possit consistere, vt altera integra, & omnis mali immunis conseruetur, quia viscer is caro continua est in omnibus suis partibus, & ideò vna patiente, altera etiam quodammodo afficitur.

Præterea animaduersione dignum est, quod docuit Gal. 13. *meth. c.* 14. Caua hepatis parte laborante, inflammationem necessariò venis mesenterij communicari, quæ ex vena portæ oriuntur. Et docet experientia, in ijs, qui ex tali inflammatione perierunt, abscessum non solùm in hepate, sed etiam in mesenterio repertum esse.

Notandum etiam est ex Hipp. *Aph.* 45. *sect.* 7. inflammationem aliquando solam membranam, hepar vestientem, occupare: aliquando verò ipsam hepatis substantiam, & proprium parenchyma. *Quorum*, inquit, *hepar suppuratum aduritur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt; in tunica enim bis pus continetur. Si verò qualis amurca fuat, pereunt*: Gal. *in comm.* sic loquitur: *Quibus in tunica est pus, nihil patiente substantia hepatis, saluantur omnes, quibus verò vsque ad carnem hepatis corruptio pertingit; non absque ratione moriuntur.*

Causæ huius affectus immediatæ sunt sanguinis quantitas nimia; vel eiusdem efferuescentia, tenuitas, & acrimonia, commotio, & exagitatio in venis, à quibus propter dictas causas facilè extrauasatur, & parte magis dispositas effunditur. Hepar autem magis dispositum redditur ad sanguinem

nem influentem recipiendum, si calidus sit, vel dolore aliquo tentetur: calor enim, & dolor attrahunt; vel denique si natiua quadam, aut aſcititia imbecillitate laboret; quia omnes partes, humore aliquo grauatæ, ad debiliores ſeſe exonerunt. Ad harum etiam cauſarum numerum referri debet hepatis obſtructio, quæ facit, vt humores craſſi retineantur, putreſcant, & à calore præternaturali inflammentur.

Cauſæ verò externæ plurimæ eſſe poſſunt: vt nimia corporis calefactio, ex immodico motu. Sole, vel igne acquiſita: cibi calefacientes, acres, vel aromatibus conditi: vini generoſi, potus immodicus, effrænata venus, excandeſcentia; percuſſio, caſus circa hepatis regionem. Idem præſtant medicamenta calefacientia, regioni hepatis præpoſterè admota: ſicut refert Fabricius Hildanus, cuidam intemperie frigida ventriculi laboranti, emplaſtra, & vnguenta calida ex pipere, cardamomo, oleo garyophyllorum, & ſimilibus admota fuiſſe; atque inde inflammationem hepatis exitatam. Hepar enim ventriculum contegit, vt medicamenta ventriculo admota ipſum primò afficiant.

Idem præſtare poſſunt cucurbitulæ regioni hepatis admotæ. Cuius etiam rei exemplum affert idem Fabricius Hildanus, de quodam hæmorrhagia narium laborante, cui cum magnæ cucurbitulæ ad hepatis regionem admotæ fuiſſent. Sanguis quidem ſubſtitit, ſed hepatis inflammatio ſequuta eſt.

Signa diagnoſtica huius affectibus plurima proponuntur à Gal. aliiſque authoribus, quæ hic ſigillatim exponenda ſunt; quandoquidem ſæpè in recta illius diagnoſi errare Medicos contingit.

Primum ſignum eſt. Grauitas in dextro Hypochondrio, quæ à repletione, & diſtenſione hepatis contingit, quandoquidem viſcus ſuaptè natura amplum, & valdè compactum, ſi humore multo repleatur, ſummam grauitatem naneiſcitur, quæ ab ægrotante præcipuè percipitur, dum ſeſe ab vno latere in aliud conuertit.

Secundum ſignum eſt dolor, qui alias in vno, alias in duobus, & tribus locis percipitur. In ipſa hepatis regione dolor percipitur grauatiuus. Aliquando etiam in nothis coſtis, iſque tenſiuus, quando inflammatio ligamentis hepatis ſuſpenſoris communicatur, quæ coſtis nothis connectuntur. Aliquando etiam dolor communicatur iugulo per continuationem membranarum, quæ communionem habent cum membrana, hepar veſtiente.

Tertium ſignum eſt febris, quæ noctu vt plurimùm exacerbatur, & magis, vel minùs acuta eſt, pro ratione humoris peccantis: in biliosa enim inflammatione ardentiſſima eſt; in pituitoſa, mitis, & in ſanguinea, medio modo ſe habet.

Quartum ſignum eſt difficultas ſpirandi; propterea, quòd hepar diaphragmati contiguum eſt, eique alligatur; atque adeò grauitate ſua illud deorſum trahit, tum magnitudine, & intumeſcentia illud etiam comprimit; ita vt vtroque modo liberum eius motum impediat.

Prædicta ſigna vniuoca ſunt, & pathognomonica. Multa verò alia dantur æquiuoca, & ad certam diagnoſin ſtabiliendam non parùm conferentia; qualia ſunt tuſſis ſicca, & moleſta: pulſus durus, inæqualis, & quodammodo ſerratilis, color linguæ primùm ruber, deinde niger: cibi faſtidium vehemens: ſitis inexplebilis: vomitus bilioſi, & interdùm pituitoſi: color totius corporis pallidus, ad ictericum vergens: vrina rubra, flammea, & acris: decubitus ſupinus facilis, difficiliot ſupra latera, quia in dextro decubitu hepar premitur à ventriculo; in ſiniſtro tenditur, & ſuſpenditur: aluus adſtricta, à calore, omnem humiditatem chyloſæ materiæ abſumente: interdùm tamen liquida eſt, ſi nimirùm inflammationi ſumma hepatis imbecillitas coniungatur; tunc enim liquida excrementa deijciuntur, & loturæ carnium interdum ſimilia.

Signa differentiarum ita inſtituenda ſunt: ſi gibba, vel conuexa hepatis pars afficiatur, tumor adeſt, in dextro hypochondrio tactui conſpicuus, & figuram hepatis, inſtar ſemilunæ referens: dolor inter reſpirandum maior, & vſque ad dextram iugulj partem protenſus, vt detrahi videatur: tuſſis, & reſpiratio crebrior, & grauitas maior.

Si vero cauа hepatis pars laboret; tumor ad tactum non eſt adeò conſpicuus. Attamen quia, vt antea diximus, vna pars hepatis inflammari non poteſt, quin alia etiam aliquid patiatur, dolor aliquis in viſcere tangendo, & comprimendo percipitur: deinde quia hæc pars ventriculo incubat, maius adeſt cibi faſtidium, maior vomitus, ſitis, & ventris laxitas, ex corruptis alimentis in ventriculo, propter viciniam grauiter affecto.

Signa cauſarum in hunc modum ſe habent. Si inflammatio à puro ſanguine oriatur; rubor adeſt faciei interdùm purus, interdùm verò ſubfuſcus; pulſus magnus, mollis, & vndoſus; vrina rubea, & craſſa; corporis habitus carnoſus, dulcedo quædam in ore; ætas iuuenillis; victus præcedens plenus, & liberalis.

Si verò bilis prædominetur; color eſt citrinus in facie: pulſus velox, durus, & inæqualis; vrina tenuis, intensè citrina, & interdùm flammea: habitus macilentus, & extenuatus: oculi concaui: oris amaror; vomitus bilioſi, præceſſerunt cauſæ bilem multiplicantes.

Quia verò inflammatio muſculorum abdominis cum hepatis inflammatione magnam habet ſimilitudinem; ideò hæc ab illa proprijs ſignis diſtinguenda eſt.

In muſculorum abdominis inflammatione cutis circumtenſa eſt: vt, ſi quis digitis apprehenſam attrahere velit, ea minimè ſequatur. Rectorum muſculorum tumores oblongi, & per totum ventrem extenſi, vmbilicum comprehendunt. Sic etiam aliorum muſculorum inflammatio, eorum figuram quodammodò repræſentat. Contra verò hepatis inflammatio partis laborantis figuram, & circumſcriptionem præſefert: cùm ſi muſculi manibus tractentur, tactui cedere videntur, & tumor profundior apparet. Præterea totius corporis color eſt magni momenti ad hoſce affectus diſtinguendos: ſiquidem in muſculorum inflammatione viuidus permanet, & ferè in naturali ſtatu conſtitutus: at in hepatis inflammatione pallidus, & citrinus apparet, ad ictericum vergens, huius rei inſigne exemplum habetur apud Gal. 5. *de loc. aff. c.* 7. de quodam Steſiano, qui cum ab alijs Medicis iudicatus fuiſſet abſceſſum habere in hepate: Gal. vocatus, ex ſola faciei inſpectione ſtatim pronunciauit, non eſſe abſceſſum in hepate, & ventre poſtmodùm explorato eum in muſculis abdominis latere comperuit. Hoc autem ita iudicauit, quòd æger non haberet faciem ita immutatam, vt in hepatis inflammatione, vel abſceſſu eſſe debuiſſet. Simile exemplum habetur apud Valeriolam *l.* 4. *obſeruationum c.* 5. de quadam muliere, quæ ab alio Medico iudicata fuerat habere tumorem phlegmonoſum in hepate. At ille, *Quum verò inquit, ægra me ad curam adhibuiſſet, non pati illam ſecundum hepar phlegmonoſum tumorem iudicaui; ſed in muſculis ſupra poſitis.* Et paulò poſt: *Vt primum, ad hanc vocatus, locum tango, inuenio in hypochondrio dextro tumorem oblongum, qui ſe ad vmbilicum proferebat, tumor porro ſeſe mox tactui offerebat: color in facie rubicundus, viuidus, roſeus, ex rubeo, & albeo mixtus, per omnem morbi decurſum in eodem ſtatu permanens, vrinæ optimæ conſiſtentiæ, coloris, atque contentorum apparebant. Ex quibus omnibus deprehendi non iecur in hac, ſed ſolùm muſculos abdominis ſupra poſitos morbo teneri. Vbi namque hepar afficitur, vitiatum in facie colorem apparere neceſſariò oportet.* Ex colore namque plurimos, ſecundum hepar laborantes, deprehendiſſe Gal. ipſemet teſtis eſt *lib.* 5. *de loc. aff. c.* 7. hepaticorum enim color ad citrinitatem, & albedinem, cum fuſco quodam virore plerumque inclinat.

Præterea pleuritidem ab hepatis inflammatione diſtinguere ſatis operoſum eſt: quemadmodùm apud Gal. 5. *de loc. aff. c.* 7. videre eſt in hiſtoria Siculi Medici, qui in ſeipſo deceptus eſt, ſe pleuritide laborare arbitratus, ex eo, quòd illi adeſſet febris, reſpiratio parua, & frequens, tuſſis exſigua, & dolor inferiores coſtas attingens. Gal. tamen, eum hepatitide tentari, cognouit ex alui deiectionibus, quæ loturæ carnium erant cõ ſimiles. Tales enim deiectiones fluxum hepaticum conſtituunt, & hepar maximè laborare oſtendunt. Verùm illud ſignum facere perpetuò non poteſt ad diſtinguendam pleuritidem ab hepatis inflammatione: ſiquidem docẽte Gal. *loc. cit.* deiectiones huiuſmodi liquidæ, & cruentæ accidunt tantum in hepatis inflammatione, quando cum ea ſumma debilitas coniuncta eſt, alioqui vnum, ex ſignis hepatis inflammationis, ab eodem Galen. propoſitum, eſt aluus adſtricta. Ideò deficiente illa hepatis imbecillitate, quærenda ſunt alia ſigna, quibus pleuritidem ab hepatis inflammatione diſtinguere poſſumus. Si atque inflammatio pleuram verſus dextrum hypochondrium occupet; dolor erit vehementior, & punctorius, difficultas ſpirandi maior, nulla erit coloris faciei mutatio, tuſſis vehementior, ac moleſtior eſt, & non planè ſicca, ſed plerumque, ſaltem procedente malo,

cruento

eruento sputo, aut aliquantulum saltem colorato conjuncta ac denique pulsus durus est, ac serrinus. In hepatis autem inflammatione color mitior est, cum grauitatis sensu coniunctus, color corporis ad flauum accedit, tussicula adest arida, dilucida habens interualla: pulsus minùs durus: tumor denique aliquis in dextro hypochondrio apparet.

Denique si inflammatio sit in mesenterio; tumor infra regionem hepatis apparebit: coloris mutatio in facie nulla erit, alui deiectiones erunt liquidis, in quibus primo tenuis, & cruda quædam sanies conspicitur; posteà materia quædam concocta puris speciem referens, præsertim vbi sanationis spes est.

Prognosis huius affectus ita instituenda est.

Omnis hepatis inflammatio periculosissima est, plerumque lethalis, & si non citò iugulat, in hydropem, aut atrophiam terminatur. Vnica autem salutis spes in virium robore consistit, ex Gal. 10. *meth. c.* 5.

Inflammatio, gibbam hepatis partem occupans, periculosior est ea, quæ cauam obsidet, propter maiorem vicinitatem cordis, septi transuersi, & venæ cauæ.

A bilioso succo inflammatio prouenies periculosior est ea, quæ à puro sanguine fit; quia febris intensior, & reliqua symptomata grauiora.

In hepatis inflammatione singultus, malum; ex Hipp. *Aph.* 17. *sect.* 7. Indicat enim augmentum inflammationis, eiusque malignitatem, quę ventriculum per consensum vehementer afficiat.

Alui fluxus, hepatis inflammationi coniunctus, lethalis est, nisi materia, quæ excernitur, concocta appareat, & fluxus ille criticè auferatur.

Si inflammatio hepatis per resolutionem discuti non valeat, quod rarissimè contingit; in abscessum degenerat, si facultas valida sit; alioqui in grangrænam & sphacelum conuertitur. Et suppuratio vt plurimum intra viginti dies contingit. Et ille abscessus etiam periculosissimus est, ab eoque pauci euadunt. Si tamen exiguus sit, particulam tantùm hepatis exiguam occupans, & pus album, ac æquale per aluum, vel vrinas effluat liberantur. Sic etiam, tumore extimam, & connexam hepatis superficiem occupante, ita vt in summa cute eminentiam faciat cum quodam fluctuationis sensu, cauterio, actuali aperiri potest; & si pus album, & purum effluxerit, euadunt, in tunica enim pus continetur; sin qualis amurca, intereunt.

Rupto abscessu, si æger superstes fuerit; vlcus remanet, quod etiam medico curanti magnum facit negotium. Ac nisi superficiarium sit; in hydropem, aut marasmum ægrotantem perducit.

Potest etiam vlcus in hepate fieri ab humoribus acribus & erodentibus, præsertim biliosis, per hepatis substantiam diffusis, qui, sensim putrescentes, malignam, & virulentam qualitatem acquirunt.

Huius vlceris sine præcedente inflammatione ex humorum acrimoniæ geniti diagnosis difficillima est. Quibusdam tamen signis internosci poterit. Ac primum dolor quidam vlcerosus in hypochondrio dextro percipitur; æger sensim contabescit: & si vlcus sit in cauo hepatis; deiectiones alui purulentæ apparent. Interdum, & quippiam cruentum excernitur cum dolore intestinorum ob materię acrimoniam vt dysenteriam æmuletur, quæ ab hoc affectu distinguitur ex eo, quod sensus grauitatis, & punctiones circa hepar hæreat. Interdum verò iecoris portiunculas per aluum excretas fuisse ab authoribus obseruatum. Si verò in parte gibba vlcus lateat; vrina purulenta apparet absque vllo affectus renum, aut vesicæ indicio. Febris, in progressu morbi lenta oritur, typum non seruans, quæ tandem in hecticam degenerat. Color faciei citrinus apparet, & nonnunquam postulæ paruæ ex humorum adustione in ea efflorescunt. Ciborum præcipuè carnis magnum est fastidium; fætor anhelitus adest; ac tandem frequens animi deliquium accedit.

De prognosin simul dictum est, quòd hæc affectio febrem lentam, & hecticam accersat.

Præterea, nisi vlcus exiguum sit, & superficiale, & inter initia curetur, exitiale est.

Periculosiores sunt hepati exulcerationes, quæ inflammationes, & abscessus sequuntur, quàm quæ sine ijs incipiunt.

Curatio inflammationis hepatis eadem ferè instituenda est, quæ in ventriculi inflammatione fuit proposita. Et in primis, quod ad phlebotomiam attinet, ante purgationem, & alterantia remedia, in principio morbi celebranda est.

Clysteres etiam frequenter iniiciendi, quales in ventriculi inflammatione descripti sunt.

At in progressu iulepi refrigerantes, detergentes, & aperientes erunt propinandi, quales superiori capite fuerunt descripti. Cauendo tamen, ne admodum dulces sint: nam dulcibus hepar inflammatum in maiorem molem attolitur, vt docet Trallianus *lib.* 4. *cap.* 10.

Pro potu vtatur æger decocto hordei, & graminis, cum tantillo liquiritiæ, vel syrup. violaceo, aut capill. ven.

In declinatione adduntur prædictis iulepis radic. apij, & petroselini, fol. agrimonij, capill. ven. &c.

Ac tandem terebinthina cum aqua agrimon. vel petrosel. lota, bis aut ter exhibita, morbi reliquias abstergit.

Si verò morbus sit contumacior, & diutius protrahi videantur, apozema ex aperientibus, & laxantibus erit præscribendum in sequentem modum.

℞. Rad. apij petrosel. an. Vnc. ij. polypod. querc. recent. Vnc. ij. folior. agrimon. pimpinel. ceterach. capill. vener. ana M. j. semin. anisi, fœniculi, & petrosel. ana Drach. j. florum chamom. violar. ana P. j. sennæ mundat. Vnc. j. Coquantur ad quartaria v. In colat. dissolue rhab. in aqua cichorij cum spica infusi drach. ij. syrup. acetosi simpl. Vnc. iv. Fiat apozema pro iv. dosibus alternis diebus sumendis.

Exteriùs verò varia conueniunt topica, in toto morbi decursu admouenda. Ac primum ab initio morbi conueniunt epithemata, linimenta, & cataplasmata refrigerantia, & fluxionem inhibentia, quorum compositio talis esse poterit.

℞. Aqu. endiu. cichorij, acetosæ, plantag. & rosar. an. ℥. ii. aceti rosac. ℥. j. puluer. electuarij, triunsantalor. ʒ. j. 6. camphoræ ϑ. 6. Fiat epithema, admouendum regioni hepatis, tepidè, frequenter. Vel

℞. Fol. endiu. cichor. scatiolæ, plantag. bugloss. borrag. & flor. nymphææ; an. M. j. absinthij roman. M. sem. rosar. rubr. P. ij. santal. rubr. & citrini an. Drach. ij. Coquantur, ad ℔. j. sem. In colat. dissolue aquæ rosar. ℔. ß. aceti rosac. Vnc. j. camphoræ ϑ. j. Fiat epithema.

Si magis refrigerare est animus, prædictarum herbarum succi alterutri epithemati addi possunt.

℞. Olei rosar. ℥ ij. olei de absinthio ℥. sem. Misc. abluantur, oxycrato, & inungatur eadem regio post vsum epithematis. Vel

℞. Olei rosac. & myrtini, ana ℥. ij. succi endiuiæ, & cichorij, an. ℥. j. aceti ℥ sem. Bulliant ad succorum consumptionem deinde adde pulu. santali rubri, & rosar. rub. an. Drac. j. ceræ albæ q. s. Fiat vnguentum.

Vel vnguentum rosac. solùm, aut refrigerans Galeni oxycrato lotum potest admoueri.

In progressu morbi mitescente febres, ac dolore, resoluentia refrigerantibus permiscenda sunt, æquali, vel inæquali dosi, prout morbus ad statum, aut declinationem magis, vel minus accedere videtur, quæ à Medico prudenti temperari debet. Vt tamen eorum materia innotescat, nonnulla exempla annotabimus.

℞. Olei rosac. Vnc. ij. ol. de absinth. Vnc. j. ol. chamæm. Vnc. sem. pulu. trianfantul. ʒ. j. spicæ nardi ʒ. sem. cerę q. s. Fiat linimentum.

℞. Dactyl. mundat. n. x. passular. integrar. Vnc. iij. Coquantur in oxycrato, postea contundantur, addendo flor. chamomill. melilot. rosar. rubrar. an. P. j. spicæ nardi schœnanthi. an. ʒ. j. sem. apij, petrosel. an. ʒ. sem. endiuiæ, portulac. an. ʒ j. sem. olei de absinth. & rosar. ana Vnc. j. farinæ hordei Vnc. ij. Fiat cataplasma.

Vel mimùs calidum sic parabitur.

℞. Farinæ hordei Vnc. iij. santali rubri Vnc. ij. olei ros. Vnc. iij. Misce, cum decocto endiuiæ, & cichorij fiat cataplasma.

In declinatione, febre profligata, resoluentia erunt admouenda, additis emollientibus, neque durities supersit; & nonnullis adstringentibus, & robur partis consequendum.

℞. Rad althęę ℥. iij. rad. cyperi, & calami aromat. ana. vnc. sem. fol. maluæ, violar. agrimon. ana M. j. absinthij vtriusque ana M. j. sem. lini, fœnugr. anisi, & fœniculi, an. Vnc sem. flor. chamæm. melilot. anethi, ana P. j. spicæ nardi, schœnanthi, mastiches, ana ʒ. j. sem. Fiat omnium decoctio, qua foueatur pars affecta calidiusculè.

℞. Ol. cham. mel. lilior. & amyd. dulc. ana Vnc. j. olei de absinthio, & nardo, ana vnc. sem. pulu. schœnanthi, rosatæ nouel-

nouellæ, & absinthij, an. ʒ. ceræ q. s. Fiat linimentum, in declinatione vsurpandum.

Si durities partis persistat, gummi ammoniacum in aceto dissolutum prædicto linimento addere conueniet, vel etiam sequens emplastrum erit admouendum.

℞. Empl. de meliloto, & diachylonis ireati, an. ʒ. j. Misce extendantur super alutam. Fiat emplastrum ad formam semilunæ, admouendum parti affectæ. Uel

℞. Gummi ammoniaci in aceto remolliti. Vnc. j. ladani & mastiches, ana ʒ. ij. olei absinthij, & ceræ, ana q. s. Fiat emplastrum.

Si inflammatio ad suppurationem vergat, quod cognoscetur, ex febris, & doloris intensione, iuxta *Aph.* 47. *lib.* 2. maximum est periculum, & pauci euadunt. Attamen suppuratio adiuuanda est emplastris prædictis, quæ materiam resolubilem resoluent, & suppurabilem suppurabunt; tum etiam admotis cataplasmatis emollientibus: intus verò exhibendo ius pulli, alteratum malua, althæa, caricis, prunis. Rupto abscessu, si pus album effluat per aluum, aut vrinas, abstergendum est aqua hordei, vel sero lactis cum melle rosaceo; tum ijs remedijs, quæ ad vlceris ventriculi, curationem proposita sunt. Si verò suppuratio vergat in partem externam, cultello ignito aperienda est secundum Hippocratem. Et si pus effluat album, & coctum, spes est sanationis. Si verò rubrum, fæculentum, & fœtidum, tendit æger ad interitum.

CAPVT III.

De Obstructione hepatis.

HEpatis obstructio est angustia", & occlusio præternaturalis propaginum venæ portæ, & cauæ, quandoque etiam ipsius parenchymatis, transitum humorum naturalium, alimentique distributionem impediens, à materia ipsarum cauitatem opplente, producta.

Hinc patet, obstructionem esse morbum organicum, nempè in via, & meatu obstructo, qui sanguinis distributionem impedit ad membra nutrienda. Viæ autem illæ, & meatus non solùm venæ sunt, per totum hepatis parenchyma dispersæ, sed etiam pori, & meatus insensibiles, quibus tota hepatis sicut, & reliquarum partium substantia, referta est; quibus ab humore præternaturali occlusis, nec caloris hepatis insitus ventillari, nec halituosa, & tenuia excrementa euacuari possunt.

Materia obstructionem efficiens, vt plurimum est humor crassus, viscidus, & lentus qui libere præterfluere non valens in meatibus illis subsistit, & à calore partis magis, ac magis incrassatur, ita vt obstructiones, quo diuturniores sunt, eò contumaciores euadant.

Interdum etiam humorum quantitas, & copia obstructionem efficere solet, vt docuit Gal. 10. meth. cap. 2. his verbis. *Iam vero obstructionum ipsarum alia est, quæ ex abundantia, alia, quæ ex qualitate succorum, scilicet qui aut lenti aut crassi sint, incidit. Præferetur autem inter remedia in ea, quam copia facit, sanguinis missio: in ea, quæ ex humoris qualitate, consistit, attenuantium vsus.*

Ista autem obstructio, à copia humorum oriunda, præcipuè in vasis, & cauitatibus contingit, quando illa nimis repleta ita distenduntur, vt non possint sese contrahere ad exclusionem materiæ contentæ; quemadmodum sæpè obseruauimus vesicam, à nimia vrinæ copia, ex diuturniori illius retentione distentam, sese contrahere non posse; vnde vrinæ suppressio, aut difficilis illius exclusio succedit.

Non solùm autem humores; sed etiam interdum flatus crassi, & copiosi, qui non facilè discuti possunt (quod illis non pateat exitus, vt in colico dolore contingit,) obstructionis causa esse possunt, docente Gal. 3. *de locis aff.* Quæ tamen causa rarissima est, & à nonnullis absolutè negatur.

Humor crassitie obstruens est in primis pituita, quæ facilè crassitiem, & visciditatem contrahit. Hanc sequitur melancholia, quæ frigiditate, crassitiæ, & fæculentia obstructionem patere potest. Sanguis verò ratione quantitatis, & crassitiei idem præstare valet. Ac denique bilis, in hepate diutiùs hærens, crassescit, & pernicioſas obstructiones parit. Causæ antecedentes, & procatarcticæ sunt, quæcunque humores crassos, & viscosos producere valent: vt aer crassus, & nebulosus, cibi crassi, succi viscidi, ac difficilis coctionis & distributionis, adstringentes frigidi, ad esum parum apti, vt pyra, cydonia, sorba, mespila, fungi, caseus, legumina; caro bouina; & porcina, pisces viscosi, & fumo indurati panis non probè coctus, rapæ, castaneæ, vinum crassum rubrum, stypticum, cereuisia crassa.

Mala autem hepatis dispositio, frigida præsertim intemperies, etiam ex laudabili cibo obstructiones gignere potest; si nempè oblatum chylum non benè concoquat; sed eum in materiam tartaream, & mucilaginosam conuertat. Uentriculi etiam intemperies causa obstructionum esse potest, dum chylum crudiorem generat, qui ab hepate postmodùm rectè subigi non valet, si quidem vitium primæ concoctionis non corrigatur in secunda.

Signa huius affectus diagnostica in varias particulas diuidenda sunt, vt alia morbi speciem, alia partem affectam, alia causam morbum producentem significent.

Signa, morbi speciem indicantia, omnibus partibus naturalibus obstructionibus obnoxijs, communia sunt: Indicant enim solùm obstructiones in imo ventre latitantes, & ita hæc diagnosis obstructionibus lienis, & meseuterij præsertim cognoscendis inseruiet.

Obstructiones igitur in dictis partibus latitantes ostendunt, alui excrementa, à naturali statu recedentia, præsertim liquidiora, humida, alba, chylosa, & interdùm sanguinolenta: vrina alba, tenus, aquosa, & velut transcolata, quia partes crassiores propter obstructiones transire non possunt; sed sola aquositas tenuior impermixta præterlabitur; potest tamen esse citrina, si caliditas adsit: difficilis respiratio, præcipuè si æger concitatiori gressu ambulet, vel montes, aut scalas ascendat, quia partes obstructæ diaphragma deorsum trahunt, eiusque liberum motum impediunt: faciei color pallidus, macies, & segnities totius corporis, pulsus inæqualis; ac denique grauitatis sensus in hypocondrijs illis persimilis, quam percipiunt ij, qui sese cibis plurimis impleuerunt. Ideò Hipp. 4. *de vict. rat. in acut.* grauitatem illam vocat satietatem hypochondriorum, affectionem hypochondrijs tribuens, quæ propriè ventriculo debetur. Quotiescumque enim hepar, & lien prauis humoribus replentur, & intumescunt; ab assumpto cibo etiam tenuissimo, & in pauca quantitate ingesto, conturbantur, & grauitatem inferunt, similem grauitati eorum, qui immodicè cibis, & potibus sese impleuerunt. Hoc signum hypochondriorum obstructionem tam certò indicat; licet nullus dolor, nec tumor in illis partibus appareat, vt Prosper Martianus *comment. in lib. Hipp. prædictum*, asserat, se hoc solo signo, viscerum obstructiones, ante hypochondriorum contrectationem affirmare non dubitasse.

Partem affectam indicant, cum signis prædicti, tensio, & renitentia in dextro hypochondrio, & aliquando dolor in eadem parte, eisque grauatiuus, & obtusus qui à sumpto cibo ingraescit, præsertim si ab huius ingestione vehementior exercitatio subeatur: tussis interdùm sicca, respiratio difficilior propter maiorem cum diaphragmate viciniam, & grauius visceris pondus, quàm reliquarum partium.

Signa causarum sunt. Si fiat ab humoribus; dolor magis grauans, tensiuus, & fixus: si à flatibus, acutior, & vagus. Si à frigidis humoribus; maior grauitatis sensus in dextro hypochondrio, color faciei albidior, nulla febris, neque sitis; victus ratio frigida, crassa, & vita otiosa præcessit. Si à calidis humoribus; grauitas minor adest, maior sitis, facies citrina à bile, rubra à sanguine, febris, & dolor interdum pungitiuus, & victus calidus præcessit.

Prognosis huius affectus in hunc modum instituenda est.

Obstructio recens facilè tollitur, inueterata difficulter.

Obstructio hepatis, nisi citò, penitusque tollatur, infinita mala inferre consueuit; nempè humorum putredines febres, inflammationes, alui fluxos varios, diuturnos, ac vehementes; quia alimenta ad partes nutriendas penetrare nequeunt colicam, icterum, cachexiam, hydropem, scirrhum, alioque infinitos morbos, vt Auicenna obstructionem ægritudinum matrem vocauerit.

Obstructio, quæ fit ab humoribus, deterior est, quam quæ à flatu generatur.

Quæ crudis, & pituitosis humoribus, vel à flatu producitur, febre sup erueniente, interdum dissoluitur, siquidem calor febrilis flatum discutit, pituitam attenuat, & fluxiorem reddit, ac resoluit.

Curatio obstructionis auspicanda est ab vniuersali totius corporis euacuatione, quæ fit primum potione purgante, ægrotantis naturæ appropriata, mox, si quædam plethoræ indicia appareant, imò verò, nisi corpus sit valdè emaciatum detrahendus erit sanguis ex basilica dextra.

Postea verò sequens apozema erit Prescribendum.

℞. Rad. apij petrosel. fœniculi in vino albo per noctem infusar. an. Vnc. j. rad. chelidon. mai. Vnc. ij. rad. filicis, enu æ camp. cortic. rad. cappar. mediani fraxini, & tamarisci, an. ℥. sem. fol. absinht agrimoniæ, capill. ven. chamædr. summitatum hyperici, & centaur. min. an. M. j. sem. apij, petrosel. anisi, & fœniculi, an. ℥. sem. sennæ mundatæ polypod. querc. & medullæ, sem. carthami, an. Vnc. ij. epithimi cretici Vnc. j. zinzib. & caryophyll. an. Drach. j. florum tamarisci, calendulæ, & cicerum rubeor. an. P. j. Fiat decoctio ad quartaria ʒ. In colat. dissolue syrupi de ʒ. radicib. & rosar solut. an. Vnc. ij. Fiat apozema clarificatum, & aromat. Drac. ij. cinamom. elect. pro iv. dosibus matutinis, addendo vnicuique dosi crystalli tartari Drach. j. salis absinthij, & tamarisc. an. scrup. sem.

In vltima dosi dissolue, (si priores sufficienter non purgauerint,) electuar. de citro solut. & diacartham. an. Drach. j. sem.

Prædicto decocto interdum additur vinum album, interdum aceti parùm, pro varia ægri natura.

Si æger fuerit delicatior, & apozematis vsum ferre nequeat, si in eius locum sequentia iuscula erunt vsurpanda.

℞. Rad. apij, petrosel. & asparagi, an. Vnc. sem. fol. agrimon. hyssopi, capill. v n. an. M. j. crystalli tartari ℥. j. Bulliant cum pullo gallinaceo, vel cum frustulo colli veruecini. Fiat iusculum, quod capiat manè per ix. dies.

Melius est crystallum tartari in iusculo iam confecto, & colato dissoluere, quia in decoctione refrigerata concrescit iterùm maiori parte, & ab ea separatur. Imò verò, dum exhibetur cum iusculo, moueri debet diligenter cochleari argenteo immediatè, prinsquam assumatur, alioqui bona illius pars fundo scutellæ relinquitur.

Alternis iusculis infunde, & leuiter decoque sennæ mundatæ. Vnc. ß. sem. anisi Drach. j.

Quamdiù vtitur æger remedijs prædictis, vel etiam post eorum vsum, quoties opus videbitur, foueatur regio hepatis manè, hora vna ante hausturn apozematis, & vesperi hora vna ante cœnam, fotu sequenti.

℞. Rad. altheæ, & bryoniæ an. Vnc. j. sem. rad. ebuli, cyperi, eryngij, cortic. rad. capparis, & mediani tamarisci, ana Vnc. j. Fol. maluæ, altheææ, violariæ, agrimonij, Chamædr. menthæ, & absinthij, an. M. j. Sem. lini, fænugræci, & baccar. iuniperi, an. Vnc. sem. Coriandri & santal. citrin. an. Drach. iij. flor. genistæ, sambuci, chamæm. & melilot. an. P. j. Fiat omnium decoctio in duab. partib. aquæ chalybeatæ, & vna vini albi, sub finem additi. Colaturæ adde aceti ℔ ß. Foueatur pars, vt dictum est.

Post fotum inungatur eadem regio vnguento sequenti.

℞. Ol. lilior. de capparib. an. Vnc. ii. succi rad. bryoniæ, & apij an. Vnc. iii. Bulliant ad succorum consumptionem addendo vnguenti de althæa, & gummi ammoniaci in aceto solut. & traiecti, an. Vnc. i. sem. dauci, & spicæ nardi, ana Drach. i. sem. Ceræ flauæ q. s. Fiat vnguentum, quo vtatur æger, vt dictum est, addendo aceti rosacei parùm, vnctionis tempore.

Post horum remediorum vsum, ad obructionum reliquias conterendas, & partis robur instaurandum, conueniet opiata sequens.

℞. Conseruæ fol. absinthii, capill. ven. & flor. tamarisci an. Vnc. i. conserv. rad. enulæ camp. & cortic. citr. conditi, an. Vnc. ß. myrobalan. condit. n. i. nucis moschat. condit. ʒ. iii. confect. alkerm ʒ. ii. puluer. elect. diarrhod. abbatis ʒ. i. salis absinthii, & tamarisci, an. ℈. ij. croci ℈. i. ambræ grisea ℈. ß. Cùm syrupo condituræ citri, fiat opiata, de qua capiat magnit. castaneæ singulis diebus manè, duabus horis ante pastum, superbibendo vini Hippocr. parùm.

Plurimùm etiam conferent balnea tepida, in quibus emollientia, & aperientia bullierint.

Si obstructiones contumaciores sint, pilulæ sequentes in vsum veniant.

℞. Aloes opt. succ. absinthii diligenter nutritæ, Vnc. sem. gummi ammoniaci aceto soluti & traiecti ʒ. iii. myrrhæ electæ in vino calente solutæ, & traiectæ ʒ. ii. puluer. electuar. triasant. & crystt. tar. an. ℈. i. agarici recenter trochisc. & rhabarb. elect. an. ʒ. ii. salis absinthii, & tamarisci ana ʒ. sem. croci scrup. sem. Cum syrup. rosar. solut. fiat massa pilul. de qua capiat ʒ. sem. duabus horis ante prandium, bis in septimana.

Loco apozematis prædicti, decoctum galli veteris vtiliter substitui poterit, in diuturnis, & contumacibus obstructionibus.

℞. Polypod. querc. & sem. carthami, ana Vnc. j. summit. thymi, & epithymi, ana P. i. sem. anisi, fœniculi, carui, ana Drach. ii. sennæ mundat. Vnc. ii. crystall. tart. Vnc. sem. Contundantur omnia, & misceantur, iisque impleatur venter galli veteris auisserati. Coquantur in tribus aquæ partibus, & vna vini albi, donec galli caro ab ossibus separetur. Fiat iusculum, quod capiat æger in quatuor doses matutinas.

Vel, quod melius erit, ex quarta prædictorum simplicium, parte fiat decoctio pro vna dosi, in singulos dies vsurpanda.

Huic etiam iusculo addi possunt herbæ, & radices aperientes in parua quantitate.

Ad obstructiones inueteratas maximè commendat Quercetanus in Pharmacopœa pluer. rad. aronis compositum, cuius Drach. ii. cum liquore idoneo ad aliquot dies exhiberi possunt.

Sed præ cæteris omnibus medicamentis ad delendas obstructiones inueteratas maximè conferunt remedia ex tartaro, vitriolo, & chalibæ conflata.

Ex tartaro fiunt crystallus, sal, & spiritus, & cum variis medicamentorum formis exhibentur.

Crystalli tartari vsus supra propositus est in apozemate, & iusculis medicatis, tum ex pullo gallinaceo, tum ex Gallo veteri conflatis. Circa hoc medicamentum iuniores medici monendi sunt, id maioris esse efficaciæ, quàm vulgò creditur, quandoquidem illam in vsu practico rarò animaduertimus propter incuriam Pharmacopœorum, & fraudem pseudochymicorum, seu plebeiorum illorum destillatorum, qui chymica medicamenta Pharmacopœis vendunt, quorum nullum ferè sincerum est, sed omnia adulterata. In curia Pharmacopœorum maiori parte talis est, vt crystallum tartari à destillatoribus illis emere malint, quàm propria manu conficere (quamvis nulla medicamentorum præparatio in tota arte facilior reperiatur) quia vtilissimo pretio illis venditur, & nonnisi maiori sumptu ipsimet præparare possent: libra siquidem illius septem vel octo assibus tantùm ab illis impostoribus venditur. Ex hoc solo Pharmacopœi fraudem arguere deberent, damnum potiùs inde emergere videntes, quam lucrum aliquod, si fideliter præparetur. Fraus verò in eo versatur, quòd imposteres illi parum tartari, & multum aluminis decoctis suis admisceant, non quod tartarum carius vendatur; sed quod exiguam crystallorum copiam præbeat; alumen verò totum in crystallos abeat. Hinc medici suo fine fraudantur, cum alumen adstringendi vi præditum sit, aperiendi facultati, quæ ab ijs desideratur, contraria. Aliud præterea damnum huic medicamento infertur, quod nimirùm crystalli huiusmodi eliciuntur per decoctiones factas in cacabis anæis, è quibus maligna æris qualitas medicamento imprimitur. Notissimum enim, & vulgatissimum est Pharmaciæ præceptum, ne acidam vasis æneis decoquantur, quia facilè penetrant, & quandem æris tincturam maximè noxiam attrahunt. At crystalli tartari acidissimi sunt, & à nonnullis acidum tartari nominatur. Qui tamen error, vt plurimum ab ipsis Pharmacopœis committitur, & omnes ferè eorum, qui hos crystallos propria manu præparant, vasis æneis vtuntur, vt viderim interdum apud quosdam Pharmacopœos crystallos tartari colore cæruleo infectos, à viridi æris ex vase cupreo attracto. Plurimùm ergo Medici, & conscientiæ, & existimationi suæ, & ægrorum saluti consulent, si Pharmacopœos cogant crystallum tartari propria manu, & in vasis vitreis, ferreis, aut terreis vitreatis conficere.

Sal tartari maximam habet deobstruendi vim, & apozematis, opiatis, ac pilulis aperientibus vtiliter admisceri potest. Sed præcipuus illius vsus est in ptisana laxante, quæ fit ex sennæ Drach. ij. in aquæ frigidæ ʒ. viij. infusis, cum scr. j. vel Drach. sem. salis tartari, à quo sennæ tinctura potenter extrahitur, vt ptisana hæc multo potentiùs purget quam ptisana vulgaris, & ad multos dies continuata omnes obstructiones soluat, quo effectu non rarò quartanas contumaces huius ptisanæ vsu per xv. dies continuato, radicitùs curatas vidimus. Si salis tartari metuatur acrimonia, corrigi potest spiritu sulphuris, aut vitrioli, vt pro dr. sem. salis sint guttæ xv. spiritus.

Spiritus tartari vsus ex hydropis curationibus in obseruationibus nostris descriptis elici potest, sub nomine spiritus diuretici.

Ex vitriolo verò oleum tantùm, & spiritus vsurpantur in apozematis, syrupis, aliisque remediorum formulis. Exem-

pio

plo esse poterit sequens syrupus in omnibus iecoris, mesenterij, & venarum obstructionibus perutilis; quo plurimi per diuturnas febres in cachexias, ac hydropes deuoluti pristinam sanitatem rursus adepti sunt.

℞. Rad. apij, enulæ campanæ asparagi, eryngij, an. Vnc. ij. fol. agrim. ceterach. capill. ven. cuscutæ, cardui bened. ana M. j. summit. absinthij pontic. & centaur. min. ana M. sem. granorum alKakengi Vnc. j. aquę fontis ℔. vj. Coquantur, donec colaturæ ℔. ii. supersint. In quibus dissolue succorum cichorii, & pimpinellæ depuratorum ana ℔. i. fumaria, & lup. ana Vnc. vi. iœniculi, & petrosel. ana Vnc. iii. aceti scillitici ℔. i. ß. sacchari albi ℔. iv. Fiat syrupus; cui adde olei vitrioli q. s. ad gratam aciditatem, de quo capiat æger cochlearia iii. ante ientaculum, & totidem ante prandium, & cœnam.

Vitrioli autem efficaciam ostendunt aquæ naturales acidæ, & vitriolatæ, quarum vsus frequentissimus, & vtilissimus est in omnibus morbis, ab obstructionibus oriundis.

At spiritus vitrioli cum sale, aut spiritu tartari permixtus valdè commendatur à Spargyricis, ex iisque conficiunt tartarum vitriolatum, & mixturam spiritualem ex spiritu vtrioli tartari, & theriacali aqua conflatam, quæ cum alijs multis aperientibus admisceri possunt.

Denique ex chalybe varia præparantur medicamenta, tum à Dogmaticis, tum à spargyricis, quæ euidenti effectu obstructiones breui resoluentia omnes coegerunt ad vsum eorum frequentem, etiam illos, qui omnia remedia ex metallis petita tanquam naturæ nostræ minimè analoga, atque adeò infesta respuunt & abominantur. Illa autem medicamenta, ex chalybe parata, componuntur in formam vini, syrupi, opiatæ, pilularum, & tabellarum.

Vinum chalybeatum hoc modo confici potest.

℞. Limaturæ chalybis Vnc. iv. rad. eryngij, enul. camp. ana Vnc. j. ß. santali citr. Vnc. j. coralli rubr. raf. eboris, ana Drach. vi. caryoph. nuc. moschat. cinam. an. Drach. ii. flor. genistæ, anthos, & epithymi, ana P. ij. vini albi generosi ℔. vj. Macerentur per octiduum in B. M. vel retrò furnum. Deinde transcolentur per manicam Hippocrat. vt vinum optimè clarificetur; de quo capiat æger ʒ. ij. vel iij. manè, duabus horis ante pastum, per xv. dies aut pluries, si opus fuerit. Vel in hunc modum fieri poterit.

℞. Chalyb. præp. cum sulphure ʒ. j. rad. enul. camp. & cort. med. tamarisci ana Vnc. ß. sennæ Vnc. ij. epithymi Vnc. j. fæculæ bryoniæ, & cinam. ana Drach. ij. pulu. trium santalor. Drach. j. ß. aquæ agrim. & vini albi, ana ß. j. Infundantur per triduum in B. M. Colaturæ capiat Vnc. iij. vel iv. tribus horis ante pastum.

Vulgò autem vsurpatur infusio limaturæ chalybis, facta in vino albo, vel clareto, pro potu ordinario, cum multa aqua permixta, per duos vel tres menses continuanda.

Syrupus ex chalybe ita præparatur.

℞. Limaturæ chalybis in aceto maceratæ, Vnc. ii. cort. med. tamarisci Vnc. sem. ceterach. M. sem. Cinam. Drach. iij. aquar. absinth. & agrim. ana ℔. sem. vini albi ℔. j. Infundantur per dies sex in loco tepido. Colaturæ adde sacchari ℔. j ß. Fiat syrupus; capiat æger ʒ. ii. vel iii. manè singulis diebus.

In prædicta præparatione chalybs maceratur in aceto ad Solem, donec acetum exsiccetur: idque tertio repetitur postea læuigatur super marmore.

Huiusmodi syrupus purgans, & efficacior euadet, si cum saccharo dissoluatur aqua cisternæ ℔. j. in qua sennæ ʒ. iii. rhab. Vnc. ß. per noctem maduerint.

Puluis ex chalybe talis erit, ex Quercetani Pharmacopœa depromptus.

℞. Limaturæ chalybis communiter, vel cum sulphure præparatæ Vnc. j. fæculæ rad. aronis ʒ. i. ß. ambræ grisea ʒ. ß. (pro pauperibus species cordiales loco ambræ sufficient,) corall. & margarit. præpar. ana ʒ. ii. succini præpar. & cinam. ana ℈. iv. sacchari q. s. vt Fiat pulus gustui gratus, cuius capiat cochleare feminis, vel ʒ. ii. cum vino per xv. dies.

Ex eodem puluere, cum saccharo in aqua namphæ dissoluto, & confectione alKermes, possunt fieri tabellæ gustui gratissimæ, eodem modo sumendæ. Vel

℞. Chalybis præp. cum sulphuræ Vnc. sem. Confect. alKermes ʒ. ii. ambræ grisea ℈. i. sacchari in aqua namphę, & rosac. dissoluti Vnc. iv. Fiant tabellæ, capiat ʒ. ii. singulis diebus manè.

Loco pulueris potest vsurpari extractum chalybis, cum vino albo paratum, pro delicatioribus.

Opiatæ ex chalybe variis modis fiunt. Præstantissimæ sunt sequentes.

℞. Conseruæ flor. tamarisc. & capill. ven. ana Vnc. j. sem. Conseruæ rad. enulæ camp. Drach. vj. chalybis præpar. cum sulphure, vel aceto Drach. j. Salis tamarisc. Drach. j. spiritus vitrioli ℈. sem. cum syrupo conditurę citri fiat opiata, de qua capiat Drach. ij. aut iij. singulis diebus, manè. Vel

℞. Limaturæ chalybis ℔. sem. vini albi ℔. j. sem. Misce in vase vitreo. Vas igni apponito, mollissime feruere finito, semper agitando sursum & deorsum, vsque ad x. vel xi. ebullitiones, quousque spumosum sursum feratur. Tunc spumosam, & pinguem chalybis partem, quæ feruore separatur, simul cum vino in aliud vas transpone. Atque id quater fac prædicto modo, infundendo nouum vinum, feruefaciendo, & separando. Deinde separatum vinum ex 4. ebullitionibus igne appone lento, donec leuiter feruens, mellis crassitudinem acquirat, & seruetur in vsum, qui talis est.

℞. Chalybis prædicto modo præparati Drach. vi. sem. petrosel. dauci, specier. diacurcumæ, & diarrhod. abbatis, ana Drach. i. Cinam. drach. sem Cum melle despumato fiat opiata, de qua capiat Drach. iii. vel Vnc. sem. singulis diebus manè. Vel

℞. Chalib. præparat. cum sulphure Vnc. i. Sennæ mundat. rhab. elect. & agarici recenter trochiscat. ana Drach. ii. diarrhod. abbatis Drach. i. croci ℈. i. ß. Cum syrupo rosato solut. fiat opiata, de qua capiat drach. ii. manè, tribus horis ante pastum, continuando per xv. dies.

Pilulæ ex chalybe reliquis remediis non cedunt, & in modum sequentem concinnari possunt.

℞. Chalybis præparat. cum sulphure Vnc. sem. aloes optim. Sennę mundat. Agaric. recenter trochiscat. & rhab. elect. ana Drach. i. puluer. electuar. diorrhod. abbatis Drach. sem. croci ℈. sem. Cum syrupo rosar. solut. fiat pilul. De cuius Drach. i. formentur pilulæ vi. deauratæ, quas capiat manè singulis diebus, tribus horis ante pastum, continuando per xv. dies.

Hisce pilulis addi possunt, pro specie morbi, & ægrorum opportunitate, gummi ammoniacum, sagapenum opopanax, myrrha, gentiana, aristolochia, mastiche, nux moschata aliaque.

In omnibus medicamentis chalybeatis hoc perpetuò obseruandum, vt post eorum assumptionem deambulatione corpus exerceatur, vt huius beneficio medicamenti vires in actum melius reducantur, ac in partes obstructas transmittantur. Eaque deambulatio continuanda est per duas horas. Quibus transactis capiat æger iusculum, in quo herbæ, & radices aperientes nonnullæ decoctæ fuerint.

Præter omnia prædicta remedia, Chymici commendant purgationes Mercuriales, ex Mercurio dulci, præsertim cum pilulis ordinarijs, vel per extracta paratis, quia Mercurius valdè penetrat, & obstructiones aperit.

Bezoardicum minerale plurimum etiam commendatur, & cum Mercurio dulci exhibitum miranda præstat. In hunc autem modum præscribi poterit.

℞. Bezoad. min. gr. xii. Mercurii dulcis gr. vi. conseruæ rosar. Drach. i. vel Drach. ii. Fiat bolus, qui detur per plures dies.

Si obstructio hepatis reperiatur in corpore bilioso, cum calida, & sicca partis intemperie; aperientia frigida, aut temperata erunt vsurpanda. Qualia proponentur in curatione affectionis hypochondriacæ, inter affectus lienis à nobis explicandæ.

Pro potu ordinario vtatur æger aqua, ex infusione chalybis parata, cum vino tenui. Vel vtatur leui decocto tamarisci, agrimon. ceterach. capill. ven. pimpinellę, iisque simul mixtis aut seorsim vsurpatis, etiam cum vino.

Quidam laudant infusionem ligni nephritici pro potu ordinario; alii decocti rad. cynosbati quod potenter aperit, & roborat, eoque solo multos à grauibus affectibus liberatos esse contendunt.

Potentius autem operatur infusio limaturæ chalybis facta in vino albo, vel rubro tenui, cum aquis prædictis, aut etiam aquæ simplici permixta. Hoc enim solo remedio quamplurimæ virgines à chlorosi liberantur. Et adhuc potentius operatur vinum istud chalybeatum, si præter potum ordinarium, meracum manè sumantur ad ʒ. iij.

CAPVT IV.

De Ictero.

ICterus est color flauus totius corporis, à bilis in cutem vniuersam effusione proueniens.

Est igitur symptoma qualitatis mutatæ: verum statim sese offert difficultas illa vulgatissima, ab omnibus propemodum Pathologicis exagitata, quòd ille color flauus in cornea visionem immediatè ladat, efficiens nempè, vt omnia obiecta appareant flaua. Quæ vt vno verbo expediatur (missis aliorum ambagibus) dicendum, est esse morbum in numero aucto; cùm enim cornea debet esse omnis coloris expers, vt species obiectorum puras, & immutatas transmittere possit; si colore aliquo extraneo præternaturaliter afficiatur, laborat morbo in numero aucto eorum, quæ necessaria sunt ad naturalem illius constitutionem.

Authores duplicem Ictèri speciem faciunt, flauum scilicet, & nigrum, Ictèrus niger à liene dependet, & rarissimus est. Ideò hic affectus hepatis exponentes, de flauo tantùm agimus.

Effusio bilis in cutem à multis causis producitur, quæ quidem ad tria capita reduci possunt, prauam scilicet diathesin, vesicæ felleæ obstructionem, & biliosi humoris prauitatem.

Praua hepatis diathesis varia esse potest; vt intemperies inflammatio, obstructio, scirrhus. & quecunque partem ita debilitare possunt, vt bilis excrementitia à sanguine separari non valeat; sed cum eo ad totum corpus distribuatur.

Obstructio cystidis felleæ, bilis commeatum impedit ad intestina, vnde illa in hepate restitat, & inde cum sanguine corpus vniuersum peruadit. Hæc autem obstructio fit vel à pituita cruda; interdum à bile cruda, & copiosa, interdum à calculis, qui sæpè in cystide fellea generantur. Potest denique fieri vesicæ felleæ, aut illius meatuum angustia, à compressione partium vicinarum inflammatione, vel scirrho laborantium.

Prauitas humoris biliosi consistit, vel in quantitate nimia quæ non potest regi à natura, neque à massa sanguinis secerni, aut etiam quando repletur vesica fellea, vt non possit sese contrahere ad illius expulsionem: Vel in praua qualitate, quæ humores corrumpendo debitam eorum secretionem impedit vel etiam interdùm naturam ad subitam illius propulsionem irritat, vt ictero critico, & symptomatico contingit. Corruptio contingit in febribus putridis biliosis, tum etiam ex veneno assumpto, aut morsu quorundam animalium venenatorum, quo totus sanguis in biliosam naturam commutatur.

Signa Ictèri flaui per se manifesta sunt, color scilicet flauus in toto corpore, maximè in albis oculorum conspicuus; quem sequitur corporis pruritus, segnities, linguæ amaror vomitus biliosus, interdum, & singultus.

Signa causarum ex propriis fontibus desumenda sunt. Si enim calida hepatis intemperies, inflammatio, obstructio, aut scirrhus huic malo originem dederint; eorum affectuum diagnosis ex propriis capitibus desumenda est.

Obstructionem cystidis felleæ peculariter indicant, fæces albæ, & aluus adstricta, ex bilis defectu, quæ fæces colore flauo, vel rufo tingere consueuit, & facultatem expultricem intestinorum excitare, vt se habeat instar clysteris naturalis. Vrinæ sunt colore flauo intensè saturato, ad rubrum vergente, infectæ; quæ linteum immersum colore flauo imbuunt.

Si à prauitate humoris biliosi fiat, fæces alui sunt valdè colloratæ, tum etiam vrinæ; præsertim si febribus putridis succedat, quando Ictèrus est symptomaticus; tumque febris post Ictèri aduentum perseuerat. Si verò criticus sit; febris cessat, tum alui excrementa, & vrinæ benè coloratæ apparent. Causæ externæ, vt venenum assumptum, & morsus animalium venenatorum ab ægro, & adstantibus referendæ sunt.

Prognosis Ictèri varia instituenda est: pro varietate causarum. Curatu facilior est, qui ab obstructione vesiculæ felleæ producitur, quia illius meatus intestinis proprior est, & materiæ illis adhærescentes ad ea facile decutiuntur modò obstructio non sit à calculo, qui cum dissolui non possit, morbum facit incurabilem.

Ictèrus ab inflammatione, aut scirrho hepatis proueniens, periculosissimus est, illa enim plerumque in abscessum, hic, in hydropem degenerat.

Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum Hipp. *Aph. 62. sect. 4.* cui Aphorismo opponitur alia eiusdem Hippocratis sententia, quæ habetur 4. *de victus rat. in acutis*, his verbis. *In febre biliosa morbus regius ante septimum diem natus, cum rigore morbum soluit; sine rigore, pestiferum.* Huic etiam sententiæ ratio adstipulatur. Cum enim die tertia, quarta, & quinta, contingant crises salutares per sudores, vrinas, & alui fluxum, quidni etiam Ictèrus criticus ijsdem diebus poterit contingere? Et testatur experientia, à multis probatis authoribus proposita, sæpè ictèrum ante septimum diem salutariter contingere. Illi autem authores prædictum Aphorismum ita interpretantur, quod nempe Hippocrates per diem septimum intelligat quemvis diem criticum: septimum enim enumerat, tamquam nobiliorem criticum, vt præ alijs omnibus intelligatur. Verè autem criticus ille audiendus est, quem legitima concoctio materiæ febrem efficientis præcessit.

Curatio Ictèri ad causarum sublationem dirigenda est. Si enim à calida hepatis intemperie, aut aliquo eiusdem viscèris tumore oriatur; illorum affectuum curationes ex superioribus capitibus depromendæ sunt. Qui verò in febribus putridis contingit si criticus sit; nulla curatione indiget. Si verò symptomaticus sit; curatio illius dependet à curatione morbi, à quo exoritur.

Qui verò à cystidis felleæ obstructione dependet, illius ablatione curandus est: quæ conuenienter perficietur remedijs superiori curatione propositis. Quibus suppositis, nonnulla etiam huic affectui magis propria, & specifica subnectenda sunt.

Primò igitur humoris peccantis portio educetur bolo sequenti.

℞. Elect. de succo ros. & diaprun. solut. an. Drach. iij. rhab. pul. Drach. j. croci ℈. sem. Cum saccharo fiat bolus, qui semel atque iterum exhiberi poterit, si cacochymia vrgeat. Vel apozema aperiens, & purgans erit exhibendum.

Quod ad phlebotomiam spectat, licet ea improbetur à Galen. quemadmodùm ratione ipsius affectus non prodest: tamen si multitudo sanguinis in venis contineri videtur, illius imminutio vtilissima est.

Post vniuersales euacuationes sequens infusum, per sex, vel septem dies vsurpatum, ictericum affectum plerumque radicitus euellit, si recens adhuc, ac minimè inueteratus est.

℞. Rad. rub. tinctorum ℥. ß. fol. chelidon. mai. M. j. summit. absinthij pontici, centaur. min. an. P. j. cinam. ʒ. ß. croci ℈. sem. Infundantur per noctem cum ℥. viij. vini albi. Colaturæ adde sacchari albi ℥. sem. Capiat manè tribus horis ante pastum.

Vel potest fieri sequens decoctum.

℞. Chelidoniæ cum toto M. j. Fol. & flor. hyperici, ana M. ß. rasuræ eboris; pulu. stercoris anseris an. ʒ. iij. croci ʒ. ß. Puluis stercoris anseris, & crocus ponantur in nodulo, & omnia coquantur ex æquis partibus vini albi, & aquæ absinthij, ad ℔. j. In colat. dissolue saccharj Vnc. j. Detur in tres doses matutinas, quæ postmodum iterari poterunt.

Ad hunc vsum valde commendat Quercetanus stercus anserculi, verno tempore herbam pascentis: tum etiam stercus album gallinæ exiccatum, & ad ʒ. ß. vel ʒ. j. exhibitum per aliquot dies; dicitque horum aereorum animalium stercora esse nitro sulphurea, & miram habere incidendi, attenuandi, ac dissoluendi facultatem.

Commendat Dioscorides succum marrubij ad morbi regij curationem, & post eum recentiores, ac præsertim Forestus, qui non nullos refert vsu syrupi ex succo marrubij fuisse persanatos cum multa alia remedia frustra vsurpata fuerint.

Gesnerus laudat radicem vrticæ, in hunc modum præparatam.

℞ Rad. vrticæ ℔. j. croci ℈. j. Contundantur diligenter, & cum vino albo succus extrahatur, de quo capiat æger, ʒ. iv. per 4. aut 5. dies manè, postea tegatur, vt sudet.

Dum interna remedia exhibentur, illinatur regio hepatis sequenti linimento.

℞. Succor. apij petrosel. & cichorii, ana ℥. i. aceti albi Vnc. sem. olei Tamarisci Vnc. ii. Bulliant ad consumptionem succorum, & aceti. Mox adde santali citrini, & spicæ nardi, ana Drachm. i. ceræ q. s. Fiat linimentum.

Sublatis obstructionibus flauus ille color breui euanescet, discusso humore cuti imbibito per solum nativi caloris ministerium. Vt tamen promptius euanescat parari potest balneum aquæ tepidæ, corpus in eo confricando sacculo, farina hordei, & fabarum referto.

CA-

CAPVT V.

De Scirrho Hepatis.

SCirrhus hepatis est tumor durus, renitens, & indolens, ab humore crasso, in hepatis substantia impacto, atque indurato genitus.

Duplex autem est scirrhus, exquisitus, & non exquisitus. Exquisitus tantùm proposita definitione comprehenditur, qui indolens est, & sensus omninò expars.

Non exquisitus verò quædam habet doloris sensum, & fit à materia minùs indurata. Uno verbo, est scirrhus incipiens, & nondum confirmatus; exquisitus verò est confirmatus, ita vt differant tantùm per magis, & minùs.

Duobus modis in hepate scirrhus generari solet, per fluxionem scilicet aut congestionem humoris crassi, & glutinosi in partis substantia; vel ab inflammatione, aliisque tumoribus induratis, per resolutionem partium tenuiorum humoris, illos committentis, relicta, ac superstitie parte crassiori.

Materia prioris est humor pituitosus, aut melancholicus vel ab alijs partibus transmissus, vel in ipsa visceris substantia, ex praua homiosi genitus, & coaceruatus. Huic humori producendo non parùm facit victus ratio praua, ex crassis frigidis, ac viscosis alimentis constans; pituitosum, aut melancholicum temperamentum, & natiua hepatis angustia. Unde Gal. 13. *meth.* scirrhum in hepate, liene, & renibus facilè generari docet. In hepate quidem, quòd viæ strictæ sint, & sanguine crasso nutriatur. In liene verò, quòd sanguinem crassum recipiat. In renibus denique, quòd sanguine crasso nutriantur.

Posterioris scirrhi, seu alijs tumoribus succedendi causæ sunt, immodicus discutientium medicamentorum vsus, vel etiam repellentium, quæ refrigerando, & constringendo materiam incrassant, eiusque resolutionem impediunt. His accedunt materiæ morbificæ frigiditas propria, & crassities, quę resolutioni non cedit, vel partis imbecillitas, quæ diaphoresin sufficienter promouere non potest. Ac denique victus ratio refrigerans, & incrassans.

Signa scirrhi in hepate geniti sunt, durities, & renitentia in dextro hypochondrio, hepatis circumscriptionem referens, & multò maior, quàm in obstructione: grauitas in eadem parte, & ponderis sensus, præcipuè quando magna fit respiratio: febris carentia, & doloris, quibus distinguitur ab inflammatione, aut saltem dolor est exiguus in scirro non exquisito, difficilior decubitus in latus sinistrum; quoniam hepar durum, & graue ventriculum comprimit, eique dolorem infert; color faciei pallidus, & quasi vitescens; quia sanguis laudabilis in hepate scirrhoso non generatur. Corpus etiam emaciatur, quia neque hematosis, neque anadosis rectè perficiuntur.

Prognosis huius affectus à Galen. proponitur 2. *ad Glauc. cap.* 4. his verbis; *Scirrhus insensibilis curationem non recipit: qui verò difficulter sentit, non incurabilis quidem est, non tamen facilè curationem admittit.* Idem Gal c. 5. *eiusdem libri, Scirrhum,* inquit, *tecoris ab initio sanauimus sæpiùs vbi vero ad plures dies fuerit extensus, neque ipse potui sanari neque alium vidi, qui posset.*

Scirrhus inueteratus, & incurabilis in hydropem insanabilem degenerat; & pereunt quidem nonnulli tempore longo alij verò breuiori, quibus scilicet alui fluxus superuenit, & diutiùs perseuerat. Scirrhus ictero succedens, aut illum generans perniciosus. Unde Hippocr. *Aph.* 42. *sect.* 6. morbo regio laborantibus, si fiat hepar durum, malum.

Scirrhi curatio fiet primum causæ antecedentis ablatione, per apozema, in obructione hepatis descriptum. Cui etiam alia remedia, obstructionibus reserandis idonea, subijci vtiliter poterunt.

Post modùm verò materia indurata emollientibus, & aperientibus discutienda est. In hunc finem maximè conuenient pilulæ ex chalybe suprà descriptæ, præcipuè si ijs addantur bdellium ammoniacum, & sagapenum.

Si verò durities contumacissimum fuerit, sequentes pilulæ ad multos dies erunt vsurpandæ.

℞. Gummi ammoniaci in aceto soluti, & traiecti, atque iterum inspissati ʒ. ij. bdelli, styracis, ana ℈. iv. Misce, capiat ʒ. j. alternis diebus.

Intermedijs verò diebus vtatur opiata, vel tabellis roborantibus, & aperientibus, in obstructionis curatione descriptis.

Sequens verò pilulæ, ad scirrhum emolliendum ac dissoluendum, mirabilis sunt efficaciæ.

℞. Aloes optimæ, & gummi ammoniaci in aceto soluti, & traiecti per setaceum, atque iterum inspissati an. ʒ. sem. Mercurij dulcis Drach. ij. dagrydij ʒ. j. Cum oxymel. scillit. Fiat massa pilular. de qua capiat ʒ. sem. quatuor horis ante prandium, singulis diebus per 20. aut 30. dies.

Zacutus Lusitanus *obs.* 41. *lib.* 1. *Praxis admir.* refert, scirrhum contumacem, conseruа marubij 40. diebus vsurpata, curatum fuisse.

Quidam Practici commendant vsum terebinthinæ in hunc modum præparatæ.

℞. Terebinthinæ lotæ cum vino albo ʒ. j. ℈. sacchari puluer. Unc. sem. Capiat Drach. j. singulis, vel alternis diebus: est enim remedium aperiens, vrinam mouens, & aluum emolliens.

Toto curationis decursu vtatur æger pro potu ordinario, vino albo, aut clareto tenui, ex infusione chalybis parato.

Tum etiam aliæ chalybis præparationes suprà descriptæ, hic etiam maximè conuenire poterunt.

Exteriùs verò admoueri debent fomenta, vnguenta, & emplastra, in sequentem modum composita.

℞. Rad. althææ, bryoniæ, & lilior. an. ʒ. j. fol. maluæ viol. parietariæ, absinth. agrimon. an. M. j. Sem. lini, fœnugr. aneth. an. ʒ. sem. flor. chamæm. melilot. rosar. an. P. j. Coquantur in tribus partibus aquæ, & vna vini albi, sub finem additi: vel in aqua, & aceto. Colatura foueatur regio hepatis manè, & serò.

Si scirrhus sit contumacior, addantur decocto radic. ireo nostrat. cucumer. agrest. & ebuli. Et paretur decoctio in aqua decoctionis intestinorum veruecis, & vino albo.

℞. Ol. lilior. chamæm. melilot. & amygdal. dulc. an. Unc. j. ol. rosat. & absinth. an. Unc. sem gummi ammoniaci in aceto soluti ʒ. iij. ceræ ʒ. ij. Fiat linimentum, quo inungatur dicta pars post fotum.

Si fortiùs linimentum desideres.

℞. Succor. bryon & cucumer. agrest. an. Vnc. ij. ol. de capparib. & tamarisci, an. Unc. iij. vini albi Unc. j. Bulliant ad succor. & vini consumpt. deinde adde absinthij puluerat. ʒ. ii. gummi ammon. in aceto soluti Vnc. sem. ceræ parùm, fiat linimentum.

℞. Massæ empl. de mucilag. Unc. j. empl. de melilото Vnc. sem. gummi ammoniaci liquati in succo absinthij ʒ. iij. Malaxentur cum ol. absinthij, & lilior. Fiat empl. admouendum post inunctionem.

Vtiliter etiam parti admouentur folia hyoscyami in aceto decocta, addito ol. amygd. amarar. & in formam cataplasmatis redacta.

His etiam addere licet semicupia, ex emollientibus, digerentibus, & roborantibus parata, qualia pro potu descripta sunt, ijsque alternatim æger vti poterit.

Ac denique causticum tibiæ dextræ inurendum, vt materiæ peccantis portio per id loci deriuetur.

CAPUT VI.

De Hydrope.

DVæ hydropis differentiæ reperiuntur apud Hippocr. vniuersalis scilicet, & particularis. Vniuersalis dicitur ille, qui totum corpus, vel abdomen vniuersum occupat. Particularis verò, qui vnicam tantùm corporis partem. Vnde hydrops capitis, pectoris, & vteri, de quo hic non agimus, sed tantùm de vniuersali.

Cuius autem hydropis vniuersalis tres proponuntur species à Galen. ascites, tympanites, & anasarca, seu leucophlegmatia.

Ascites est Humor abdominis, ab humore seroso in illius capacitate collecto, oriundus.

Neque solum abdomen vt plurimùm intumescit, sed etiam pedes, tibiæ, femora, & scrotum eodem tumore plerumque afficiuntur. Quinimò ascites non rarò à pedum tumore incipit, qui postmodum tibias, deinde cruca, ac tandem abdomen ipsum inuadit.

Humor autem ille serosus, seu aquosus, quatenùs aquæ naturam retinet frigidus, quidem est: sed quatenùs etiam salsedinis est particeps, calorem in se habet, qui tum è viscerum vicinia augetur; tum etiam, & multò intensius, ex putredine, quam diuturna mora contrahit; vnde febris exoritur, &

fitis, à vaporibus salsis, ac putridis os ventriculi inficientibus excitatur.

Contingit autem interdum, vt humor ille aquosus non in cauitate abdominis; sed in veficulis quibusdam, partibus ventris inferioris adnatis, contineatur. Cuius rei historię proponuntur à Schenkio *l. 3. obser.* & Mauritio Cordeo *com. 3. & 5 in Hipp. li. 1. de morbis mulierum*. Censuit Galenus (eumque sequuta est tota ferè Medicorum tum antiquorum, tum neotericorum cohors,) omnem hydropem fieri ab hepate frigidiore, & hæmatosin non exactè perficienti, ita vt pro laudabili sanguine, multa aquam pituitam, aut flatum generet. Quæ sententia, vt de anasarca erissima est, & omnium consensu receptissima; sic de ascite, & tympanite à recentioribus nō paucis controuertitur, propterea quod in multorum hydropicorum dissectionibus hepar incolume, & illesum inuentum sit, vt ex pluribus historijs constat ab authoribus propositis. Præterea Hipp. 2. *Prorrhet.* differrè asserit, hydropem fieri vel ab hepate, vel parte inani. Per partem verò inanem intelligit totū illud spatium, quod à costis ad illa extenditur, & partes in eo contentas. idem Hipp. 4. *de morb. & 1. de morbis mulierum*, hydropem ex iene describit. Quibus authoritatibus vulgò responderi solet, hepar perpetuò affici, primario, vel secundariò ita vt nunquam hydrops contingat quin hæmatosis vitietur, & loco laudabilis sanguinis, aquosus generetur. Verùm duæ rationes hanc doctrinam acriter vrgent. Prima desumpta est ab experientia supra proposita, quod nimirùm si necessarium sset hepar perpetuò affici, in dissectione cadauerum nunquam illæsum reperiretur. Secunda, quod si hepar sanguinem aquosum generaret; ille in totum corpus distribueretur, quemadmodum in anasarca sanguis pituitosus in omnes partes transfertur. Neque sufficiens ratio reddi potest, cur serosus humor, in hepate genitus, in solum abdomen, non in alias partes deferatur.

Quod ad frigidam hepatis intemperiem spectat, illa etiam impugnatur Tralliani, Auicennæ, & aliorum authoritatibus qui statuunt, etiam à calida intemperie hydropem excitari, & non nisi refrigerantibus remedijs curari. Quod etiam Hipp. authoritate fulciri potest *ex 2. Progn.* mutuata. *Hydrops* inquit, *morbo acuto superueniens, malus: febrem enim non tollit.* Si igitur hydrops superuenit, per seuerāte febre, manifestum est calidam intemperiem permanere. Neque mihi vnquam placere potuerit, quod vulgo dicitur à Gal. mancipijs, à calida intēperie calorem natiuum dissolui ac plurimū imminui, & calorem illum imminutum frigiditatis nomine donari. Sic enim in febre hectica, febribus alijs diuturnis in quibus calor natiuus plurimum imminuitur, frigida intemperies esset perpetuo accusanda, & symptomata, quæ illas sequuntur, huic intemperiei essent adscribenda, non autem caliditati. Vnde magnam confusionem in symptomatum causis inquirendis excitari, quis non videt?

Inter recentiores Carolus Piso, quē sequutus est Sennertus. in veras hydropis ascitis causas altiùs penetrauit, statuitque hūc generari ex materia serosa in potu, & cibis humidioribus contenta, quæ ab aliqua causa præternaturali, in venis portæ, & cauæ diutiùs retenta & in totum corpus non distributa (vt in statu naturali fieri consueuit) in abdominis capacitatem effundatur. Retinetur autem humor ille serosus in venis & ad totum corpus non distribuitur, ex læsa, vel impedita facultate attractrice partium, ad quas deferri solet: vel ob errorem externum.

Partes autem præcipuæ, quæ primùm serosam materiā attrahere solēt sunt hepar & lien. Illa enim viscera chylosā materiam ad se trahunt, in qua substantia humida, & aquosa ciborum, & potuum continetur. Tum etiam lien potulentam materiam ad se trahit puram, & permixtam, vt docuit Hippocr. & testatur experientia, eos, qui potui maximè indulget, illius portionem effatu dignam emittere per vrinas statim à pastu, quod fieri, dicunt authores peritissimi, à liene aquosam illam materiam attrahente, antequam ciborum concoctio in ventriculo peracta sit.

Læditur autem hepatis & lienis attractio à varijs causis: præcipuè ex defectu, seu imbecillitate caloris natiui. Debilitatur autem calor natiuus à frigida, vel calida intemperie, & à suffocatione.

Frigida intemperies à nimio alimentorum refrigerantium vsu, larga sanguinis euacuatione, spiritus confestim exhauriente, vel quauis alia causa excitata, cum per se calori aduersa sit, etiam natiuum hepatis, & lienis calorem obtundit, eiusque actiones lædit.

Calida verò intemperies natiuum calorem dissipat, vnde ille debilior factus, actiones hepatis, & lienis minùs fœliciter exercet. Inducitur autem calida illa intemperies à febribus ardentibus, vini meracioris largo potu, ciborum, & medicamentorum calidorum vsu nimio.

Denique debilitatur calor natiuus per suffocationem, quādo sanguis nimia copia redundat in venis, præcipuè impurus, qualis cumulari solet in mensium, vel hæmorrhoidum suppressione: per illas siquidem euacuationes corporis impuritates expurgari solebant quæ ijsdem suppressis, retentæ totam sanguinis massam inficiunt.

Læditur etiam, vel impeditur prædictorum viscerum attractio ab obstructionibus, quæ liberum materiæ serosę transitum intercipiūt. Sic scirrhum hepatis, & lienis hydrops consequitur, non tantum quod illæ partes debilitatæ sanguinem laudabilem generare nequeant; sed præcipuè quod totam illam materiam, quæ potu assumitur, attrahere non valeant, & ad alias partes transmittere.

Hic obijci potest in hydrope totum corpus nutriti sanguine, in hepate genito ex chylosa materia, quam ad se necessariò attrahit. Cum autem chyli portio, ex qua sanguis generatur, crassior sit serosa materia; nihil impedit quò minus serosa illa materia etiam attrahatur. Respondemus primùm hepar melius attrahere, quod sibi familiarius est, & idoneum vt in sanguinem conuertatur, illud autem attrahit, minori copia, quam par sit, propter attractricis imbecillitatem, vnde totius corporis macies exurgit, & cum ea chyli portione, sibi magis analoga portionem etiam serosæ substantiæ pro vehiculo trahit; reliquam verò in venis mesaraicis, & epiploicis relinquit, quæ ibi moram faciens in abdominis capacitatem sensim effunditur.

Non negamus tamen in hydrope sanguificationem lædi. Præsente enim frigidiori, aut calidiori intemperie, aut graui obstructione, vel scirrho, non potest esse sanguificatio integra, Sed negamus illam esse proximam, & immediatam hydropis causam; imò potiùs consectarium quid, & interdùm hydropis affectum, cum scilicet aqua in abdomine contenta corrumpitur, sibique innatantia viscera corrumpit.

Post nepar, & lienem, serosam materiam ad venam cauam translatam attrahunt renes & totum corpus à superflua illius copia liberant. ita vt si functio eorum cessauerit, maxima seri copia in venis retineatur, quæ in abdomen effusa, hydropem ascitem breui producit. Cessare autem potest renum attractio ex multis causis, frigidiori intemperie, tumoribus, vlceribus, & obstructionibus quæ functionem eorum imminuere, abolere, vel intercipere valent.

Denique ob errorem externum seri distributio impeditur, quādo magna copia aquę frigidę hauritur, quę nō possit regi à natura, & in venas sufficienter distribui. Sic refert Carolus Piso quēdam adolescentem tertiana laborantem, cùm in paroxysmo aquā intemperantius bibisset, in ascitem incidisse, à quo tamen vnius tabellæ diacarthami vsu liberatus est, aqua in abdomine restitante confertim reddita. Si tamen diutius continuatus fuerit nimius ille aquæ potus, hydropem inducit non adeò facilè curabilem, propterea quod graues inde fiant obstructiones, & frigida inducatur viscerum intemperies, calore natiuo admodum labefactato, vnde hydrops curatu difficili emergit.

Per quas autem vias serosa illa materia è venis in capacitatem abdominis transferatur à nonnullis dubitatū est. Quibus tamen simpliciter satisfieri posset, dicendo ex doctrina Hip. in corpore viuente omnia esse transfluxibilia, & permeabilia, ita vt vrgente necessitate, non solùm humores tenues, ac serosi; sed etiam crassiores permeatus insensibiles partium transmittantur. Sic in pleuritide sanguis, & pus, densam pleuræ, & membranæ pulmonem vestientis substantiam penetrant, ac per anacatharsin expelluntur. Sic in tibiæ ac cruris fractura, quæ illæsis musculis, & cute contingit, sanies, ex osse facto manans, prædictarum partium substantiam penetrat, & inficit lintea fasciarum. Sic in hydrope ipso sæpe ingens aquæ quantitas vna die per aluum excernitur, exhibito hydragogo potentiori, quod fieri non potest, nisi aqua in abdomine contenta tunicas intestinorum peruadat.

Neque obstat, quod à Fernelio obijcitur: frustra conditas forte à natura tot patentes vias, si per cęcos meatus humores transferri possent.

Respondemus in motu humorū ordinario, & naturali totius corporis nutritioni destinato, necessarios esse ductus, per quos illi continuò, facilè & affatim fluere possint: Sed in casu extraordinario, & vrgente prouidam naturā vias extraordinarias

narias inuenire, per quas materias noxias excernat, aut saltem in locum minùs incommodum deponat.

Obijcit iterum Fernelius, in ijs, qui ex vrina per 20. dies suppressa extincti sunt, aquæ nihil deprehensum esse per cæcos illos ductus in abdomen defluxisse.

Respondemus, naturam non semper eodem modo operari circa causas præternaturales, neque humores noxios ad eadem loca deponere, sed ad eas partes præsertim, quæ magis dispositæ sunt eorum receptioni, vtpotè imbecilliores. Sic in vrinæ suppressione, serosus humor per venas, & arterias patenter decurrit, easque implet, & si quædam pars debilior reperiatur, in eam impetu ruit, vnde fit, vt quidam comatosi, alij orthopnoici, alij ex alterius partis insignis læsione moriantur. Sic etiam nihil impedit, quin si partes abdominis, ad quas venarum & arteriarum extrema desinunt, debiliores reperiantur; humor serosus in illius capacitatem transferri valeat.

Neque verum est, quod Fernelius adstruere velle videtur, nunquam hydropem ex vrinæ suppressione exoriri. Imò multoties ab hac causa produci, ratio, & experientia docent; quemadmodum nos supra ostendimus, ex læsa renum attractione, ab aliquo insigni illius vitio, hydropem contingere.

Hoc tamen aduertendum est, vrinæ suppressionem seri redundantiam efficere in venæ cauæ magis, quàm in portæ ramis, per quos in primis humorem aquosum in abdominis capacitatem effluere ex sequentibus apparebit.

Posset igitur satisfieri quæstioni propositæ, simpliciter dicendo, per cæcos, & insensibiles partium ductus serosos humores transferri in abdominis capacitatem. Facilè tamen est ductus conspicuos, & patentes indicare, per quos liber est humoris serosi à venis in capacitatem illam commeatus.

Horum autem ductuum notitiam nobis indicauit Hippocr. *Aph. 55. sect. 7. Quibus*, inquit, *iecur aqua repletum in omentum eruperit, his venter aqua repletur, & moriuntur.* Cuius Aphorismi sensus talis est (à Galeno non satis perspectus) aquam ab hepate in ramos venæ portæ per omentum sparsos influere, & cum illi repleti fuerint, vel tunicis eorum rarefactis per diapdesin, aut osculis patefactis per anastomosin, in cauitatem abdominis deferri. Idem in liene potest contingere, & forte frequentiùs; cùm lien aquam magna copia è ventriculo trahat, vt ex multis Hippocratis locis innotescit. Et ex liene in omentum traduci constat eiusdem Hippocr. sententia *lib. 4. de morbis*, proposita, his verbis *In ventriculum autem etiam potus fertur, quo cùm expletus fuerit ab eo lien recipit, & ad venas omentum transmittit.* Ex prædictis videre est, per omenti venas præcipuè, quæ Epiploicæ, & Gastrepiploicæ, nominantur, aquam in abdomen effluere; quamuis per alias etiam venas extillare possit.

Præter causas hydropis prædictas, quæ frequentiores sunt, & magis ordinariæ, aliæ dantur minus frequentes ab Authoribus relatæ, & quibusdam obseruationibus confirmatæ quæ scilicet ex peculiari quarundam partium vitio contingunt, non solùm hepatis, & lienis; sed etiam mesenterij, pancreatis, ventriculi intestinorum, renum, vesicæ, & vteri: læsa nimirùm illarum partium homoiosi à graui quodam affectu, vt proprium alimentum corrumpant, & in serosum humorem colliquatione quadam conuertant. Sic apud Galen. *comment. Aph. 55. sect. 7.* vesiculæ hydatides in hepatis superficie interdum excitantur, quæ disruptæ serosum humorem profundunt in capacitatem abdominis, ex cuius collectione hydrops emergit. Sic Fernelius existimat, hepar valdè exsiccatum findi, & rimis quibusdam dehiscere instar terræ liceæ, ac per illas rimas serum continuò efluens abdominis capacitatem replere. Alij verò dicunt, ex intestinis hydropem, fieri posse, si illa perforentur, & homo statim non moriatur; sed humor aquosus in abdominis capacitatem ex ijs stillet. Tum etiam ex renibus, si valdè vlcerentur, & per ea vlcera serosus humor erumpat. Sic refert Platerus, in quodam hydropico vtrumque renem multis vlceribus perforatum fuisse, vnde sanies, & serum in abdominis cauitatem effluxerat. Hydropis denique ex vteri vitio prognati habetur historia apud Sennertum, ex Ioanne Heinzio, de ancilla quadam hydropica cuius viscera omnia salua inuenta sunt, exceptis testibus, qui tumidi sunt reperti ad magnitudinem capitis infantis recens nati, tum etiam liuidi, fungosi, & plurimis vlceribus conspersi, ex quibus serosa materia hydropem committens effluxerat.

Hydrops tympanites à tympano nomen habet; siquidem abdomen instar tympani tensum est, &, si manu percutiatur sonum consimilem edit: tensio autem illa est à flatibus, in abdominis capacitate conclusis. Aliquando tamen contingit, flatus, tympanitem efficientes, non in capacitate abdominis, sed in cauitatibus intestinorum contineri; quod obseruauit Platerus dicens, in quibusdam, qui tympanici putabantur, post mortem dissectis, nullum flatum è ventris cauo erupisse, nec ventrem subsedisse; sed intestina, præsertim tenuiora, flatibus adeò distenta, & conuoluta prosilijsse, vt in ventrem denuò reponi nequirent.

Obseruandum autem est, rarò flatum tympanitem efficientem solum in abdomine contineri; sed plerumque aquæ permixtum, quemadmodum etiam in ascite non aqua sola; sed flatus etiam in abdomine continetur, & vterque à prædominante nomen mutuatur. Si nimirùm maior flatuum, minor aquæ copia collecta sit, dicitur tympanite: si verò aqua flatibus præualeat; ascites nominatur: si denique æqualis vtriusque portio cumuletur? ambigit inter vtrumque, vt dubitare liceat, vtrum ascites, vel tympanites talis hydrops dici debeat.

Flatuum causa materialis est humor crudus, & crassus, siue pituitosus ille sit, siue melancholicus, qui à calore exagitatus, & attenuatus, vapores crassos emittit, qui difficillimè discutiuntur, & illi vapores flatus nominantur.

Humor autem ille crudus, & crassus, in ventriculo, & intestinis aliqua ex parte residet, sed multò magis intra diaphragmatis, & intestinorum membranas continetur, vnde difficiliùs, quàm à cauitatibus partium prædictarum, euelli potest. Huius rei fortem coniecturam facit Aphorismus Hipp. 11 *sect. 6. Quibus tormina, & circa vmbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque medicamentis, neque aliter soluuntur, in hydropem siccum firmantur.* Cum enim mesenterium parte anteriore intestinis alligetur, posteriore verò lumbis; facile videre est, dolores, ad vmbilicos, & lumbos spectantes, ex mesenterio prodire. Adde, quod dolorem contumacia causam denotat, in profundo corporis & partium substantia conclusam; quę nullo modo deturbari valeat. Si enim in ventriculi, & intestinorum cauitatibus contineretur, facilius excludi posset.

De causa verò efficiente discrepant inter se Authores, alijs frigidam intemperiem accusantibus, alijs verò calidam. Qui frigidam intemperiem accusant, se fautorem habere putant Galenum, dicentem flatus generari à calore debili. Quibus respondendum est, calorem posse dici debilem respectu materiæ, quæ ab eo non potest discuti, ac resolui. Sed hoc potiùs ad scribendum est ipsius materiæ defectui, non caloris, qui sæpè intensior est, ac præternaturalis. Et certè agnoscendum est, cum doctissimis Authoribus, materiam tympaniti generandæ magis idoneam esse humorem melancholicum adustum, & atrabilarium, qui à calore viscerum correfaciente generatur. Qui quidem calor eandem materiam exagitat, & ex ea flatus crassos, ac difficilè resolubiles educit.

Hydrops anasarca fit ab humore pituitoso, in totum corporis habitum effuso, qui ideò tumidus, & albus apparet, vnde leucophlegmatia, nominatur. Generatur autem humor ille pituitosus ab hepate frigidiori, quod pro laudabili sanguine crudum, & pituitosum producit, qui cùm substantiæ partium in homoiosi sufficienter agglutinari nequeat; portio illius crudior, & nutritioni inepta restat in partibus easq; tumidas reddit, hincq; anasarca, seu leucophlegmatia exurgit.

Affectus incipiens dicitur cachexia, quæ ab eadem causa procedit, & eadem habet generationis principia; ita vt facile cachexia in leucophlegmatiam degeneret, cum differant tantum secundùm magis, & minùs.

Causæ antecedentes sunt, quæcunque hepar impensè refrigerare valeant, illiusque vim concoctricem plurimùm infringere, vt alimenta frigida, & humida largius assumpta suppressiones mensium, & hæmorrhoidum, obstructiones, & tumores frigidi, quales sunt scirrhosi: tum etiam hæmorrhagiæ copiosæ, aliorumque humorum magnæ, ac diuturnæ euacuationes, à quibus calor natiuus plurimùm imminuitur.

Signa hydropis, & cuiusque illius specie ex prædictis satis manifesta sunt. In ascite enim aquosus humor, in abdomine contentus, indicatur ex abdominis molle grandiori, tumore molliore, ac latiore, qui per latera compressus, fluctuationis sensum manifestum repræsentat; & æger ipse, dum sese in alterutrum latus conuerrit, murmur velut fluctuantis aquæ percipit, tum vniuersa ventris moles in latus

illud prouoluitur. Hinc pedes, & scrotum intumescunt, superiores verò partes graciliores euadunt ac contubescunt; vrinæ sunt paucæ, crassæ, atque interdum rubræ, quia exigua seri quantitas ad renes, & vesicam transit, in ijsque diu moratur & in illa mora crassescit, ac coloratur. In progressu morbi difficultas respirandi adest, ob aquæ copiam, diaphragmati incumbentem, præcipuè dum æger decumbit, vt ea de causa erectus manere, ac sedere cogatur. Sitis etiam adest molesta ex humoris salsedine, cui ventriculus innatat. Ac denique febris continua, & lenta excitatur ex eiusdem aquæ putredine, quæ viscera omnia sibi innatantia tandem labefactat, & corrumpit.

In tympanite verò venter percussus instar tympani sonum edit, moles abdominis minùs grauis est, quàm in ascite; tormina præcesserunt circa vmbilicum, & lumborum dolor; ægro supino iacente, venter distensus, ac durus manet, neque dum se conuertit æger, ad latera deuoluitur.

In anasarca denique non solum venter & crura, & tibiæ, sed etiam manus, brachia, pectus, facies, totum corpus intumescit, & vbicumque digito premitur, vestigium relinquit. Color cutis pallidus, & cadaueroſus, carnes molles, & laxæ; vrinæ tenues, & albæ, respiratio difficilis, febris lenta non rarò consequitur.

Quod ad prognosin attinet, omnis, hydrops periculosus est, & curatu difficilis: eoque difficilior, quò magis inueteratus. Sed inter species anasarca minùs habet periculum: ascites verò & tympanites inter se ambigunt: vt nunc hic, nunc ille periculosior sit, pro maiori vel minori grauitate causarum, à quibus dependent. Sic ascites à scirrho hepatis ortundus, aut ab vlcere alicuius partis internæ, periculosior est tympanite: si verò à nimio aquæ potu, aut obstructionibus non adeò inueteratis, minùs infert periculum.

Hydrops facilius curatur in seruis, quàm in liberis: in rusticis, quam in nobilibus: quia cùm desideret famem, sitim, & multa alia tædia, longamque patientiam, promptiùs succurritur his, qui facile coguntur, quàm quibus noxia libertas est.

Hydrops à duritie lienis minùs periculosus est, quàm à duritie hepatis: quia lien minus princeps membrum est, quam hepar.

Hydrops morbo acuto superueniens, malus: neque enim sedat febrem, sed dolorem admodum infert, ac mortem. Hippoc. 2. *Prognost.*

Quibus hepar aqua plenum erumpit in omentum, iis venter aqua impletur, & moriuntur. Hippocrat. *Aph.* 55. *sect.* 7.

Ab aqua inter cutem habita, aqua, quæ in venis est, in ventrem confluxerit, morbi fit solutio. Hipp. *Aph.* 14. *sect.* 6. Hic aphorismus priori contrarius videtur. Sed contrarietas soluitur, dicendo Hippoc. in priori per ventrem intelligere capacitatem abdominis, in hoc vero aluum. Si nimirum aqua per aluum est uxerit, morbi fit solutio. Quæ sententia clariùs explicatur ab eodem Hippoc. *in Coacis*, his verbis; *Incipiente hydrope alui profluuium sine apepsia, seu cruditate proueniens, morbum soluit.* Notanda est illa conditio, *incipiente hydrope*: nam si morbo inueterato cõtingat profluuiũ alui, non est adeo tutum; quia vt plurimùm vitium aliquod, per morbi longitudinem contractum in visceribus relinquitur, vt scirrhus, aut substantiæ corruptela, quod nouæ aquæ prouentum efficit, & mortem tandem inducit. Vnde idem Hippoc. *in prorrhet.* eos; qui ab hydropes seruari debent, ἀκαχεῖνο, esse debere affirmat; hoc est, sana, & integra viscera habentes, seu à grauioribus illis affectibus immunia. Alioqui si cum scirrho, aut hepatis corruptione contingat alui fluxus, citissime moriuntur, docente Galeno 2. *ad Glauconem cap* 5. & Auicenna qui sic loquitur. *Constrictio anhelitus, & solutio ventris, in tribus diebus mortem significant.*

Vrinæ paucitas in hydropicis mala, & quo minor illius quantitas redditus: eò deterior est morbus, quia materia potulenta in ventrem confluit, nihil ferè illius ad renes peruenit. Hinc Hippoc. *in Coac. hydropico febriculoso vrina pauca turbataq; lethalis. Cõtra verò si vrinæ quantitas augeatur, bene speranaum.* Quod eleganter à Celso proditum est, *Et tum demum* inquit, *secundæ valetudinis spes est, cùm plus humoris per vrinam excernitur, quàm assumitur. Ideò bonum est singulis diebus vrinam & potum metire: tum etiam ventrem, lino circumducto, præsertim dum remedia vsurpantur vt videamus, num ille decrescat, quod in bonis habendum est. Si vero augeatur, non obstantibus remedijs res in angusto est.*

Abscessus, vel maculæ in hydropicorum cruribus erumpentes lethales. Hoc confirmat Hipp. 7. *epid.* historia Biontis, & Cresiphontis, quorum ille, oborto abscessum genu sinistro, & suppurato, obiit. Huic verò, paulò ante mortem, collectio cum rubore aliquantulùm liuido in femore dextro apparuit.

Hydropici, qui remediorem efficacia liberantur, si in eundem affectum reciderint, desperati sunt. Hip. *in Coac.* Significatur enim vitium aliquod immedicabile intra viscera latitare, quod, euacuatis aquis, nouam earum generationem promouet.

Si ager εὔσπλαγχνος sit, & bonis visceribus, ac constantibus viribus, cibum libenter assumat, benè concoquat, nec ab eo ingesto affligatur, benè spiret, non doleat, neque tussis, neque sitis adsit, lingua, ne in somno quidem non inaresca t, aluus medicamentis celeriter moueatur, extra purgationem non admodum cita sit, & naturaliter excernat, vrina pro victus ratione mutationem subeat, lassitudinis expers, si hæc omnia adsint; ager benè se habet; si plurima, aliqua conualescentiæ spes est: si nulla, res desperata est.

In sicco hydrope stillicidium vrinæ malum est. Hippocr. *in Coacis.*

Tympanites in corpore atrabilario, aut qui fit ab atrabile multa in corpore redundante, lethalis est, & frustrà illi remedia adhibentur.

Si leucophlegmatia detento fortior diarrhœa superuenit, morbum soluit, Hippoc. *aph.* 25. *sect.* 7. Talis autem diarrhœa morbo incipiente, aut saltem non inueterato fieri debet, & viribus adhuc constantibus. Si enim ægrò iam debili existente contingat, periculosa est.

Hydropis curatio versatur in materiæ heterogeneæ euacuatione, siue illa in abdomine, siue in toto habitu contineatur, causæ illam materiam producentis ablatione, & viscerum, præsertim hepatis, roboratione. Causę autem præcipuè, & magis ordinariæ sunt obstructiones graues, & contumaces; tum etiam scirrhi: quorum affectuum curationes ex proprijs capitibus desumendæ sunt. Si verò illæ non sufficiant, ad sequentia hydropis magis appropriata erit progrediendum, eaque pro varietate causarum, & corporum ægrotantium, à prudenti Medico erunt varianda.

Ac primùm purgatio solemnis instituenda est, per apozema aperiens, phlegmagogum, & hydragogum in hunc modum compositum.

℞. Rad. eryngij, rubiæ tinctorum, apij, petrosel. & enulæ camp. an. ℥ j. rad. valerianæ, asari, ebuli, & ireos nostratis an. ℥ ß. cortic. rad. cappar. median. fraxini, & tamarisci, an. ℥ vj. fol. agrimon. ceterach. capill. ven. chamædr. hyperici, absinthij, centaur. min. ana M. j. foliorum Lunariæ M. ß. Semdauci, petrosel. macedon. & fœniculi, an. ℥ ß. liquiritiæ ras. & passul. mundat. an. ℥ j. sennæ mundat. vnc. j. ß. agarici in nodulo ligati ℥ iij. sem. ebuli, & rad. ialapæ an. ℥ j. Sem. zinzib. & caryophyll. an. ℥ j. flor. genistæ, sambuci & tamarisci. an. P. j. Coquantur in equis partibus aquæ chalybeatæ, & vini albi sub finem additi, ad quartaria quinque. In Colatur. dissolue syrup. de cichorio compositi cum rheo ℥ iv. fiat apozema clarum. & arom. ℥ iij. cinam. pro iv. dosibus matutinis.

Post purgationem vniuersalem vtatur æger semel in septimana puluere sequenti.

℞. Sennæ mundat. turbith. gummosi, hermodactyl. Sem. ebuli, ialapa, mechoacan. an. ℥ j. cremor. tart. ℥ ij. guttę gummi ℥ j. sem. pulu. diambræ, diarrhod. abb. & sem. fœnic. an. ℈ j. sacchari candi ℥ iij. fiat omnium puluis, cuius ℥ ij. vel ℥ ij. ß. infundantur per noctem in vini albi ℥ iv. Capiat manè vinum, & puluerem.

Syrupus rhamni cathartici, ex succo fructus illius cum saccharo compos. ad ℥ j. exhibitus, aquas mirabile educit. Sumendus est immediate ante prandium.

Vel vtatur syrupo magistrali, ex decocto apozematis conflato, aucta dosi purgantium, vel etiam sequenti.

℞. Succi rosar. pallid. ℔ ij. succor. rad. ebol. ireos nostratis, fol. cichorij, & agrim. ana ℔ ß. sem. ebuli rad. mechoac. & rhab. elect. an. ℥ ij. spicæ nard. ℥ ij. santali citrin. ℥ ij. crystalli tart. ℥ j. sem. Infundantur per noctem, & post leuem ebullitionem colentur. Deinde adde sacchari albi parem colaturæ quantitatem. Coquantur in syrupum, cui adde salis absinthij ℥ sem. Capiat, ℥ ij. cum iusculo aperiente, semel in septimana,

Vel loco syrupi, aut alternatim cum ipso, pilulæ sequentes vsurpari poterunt, quæ simul humores noxios expurgant, & obstructiones referant.

℞. Aloes

℥. Aloes opt. succo absinthij diligenter nutritæ vnc. sem. Gummi ammoniaci in aceto soluti, & traiecti, myrrhæ electæ, & croci Martis cum sulphure parati, ana ʒ.iij. salis absinthij, tamariſci, ana ʒ ij. diagrydij, & trochiſc. alhandal. ana ʒ j. croci, zinzib. & salis gemmei, an. ℈.j. Cum ozymelite ſcilit. fiat massa pilul. de qua capiat ℈.ſem. bis in ſeptimana, duab. horis ante prandium.

Vina etiam purgantia ad hydropis curationem valdè commendantur, quorum variæ extant formulæ. Hæc verò efficaciſſima eſt.

℥. Rad. aſati, & mechoc. ana vnc. ij. rad. ieros noſtrat. cortic. rad. ebuli, & ſambuci, an. vnc. j. rad. enulæ camp. vnc. ſem. abſinthij ſicci, & epithymi, ana P. j. ſennæ mundat. ʒ. j. ſoldanellæ ʒ. ij. trochiſc. de rhab. & de eupator. ana ʒ. j. macis, & cinam. an. ß. ſcammonij ℈. iv. vini albi ℔. ij. ß. Infundantur per triduum in B. M. vaſe probè clauſo. Seruetur ſine colatura. Capiat ʒ ij. vel iij. mane, bis, aut ter in ſeptimana.

Inter remedia, aquis extrahendis idonea, maximè laudatur ſuccus ireos noſtrati, cum vino albo extractus, qui ad Vnc. iij. exhiberi poteſt, aluum enim, & vrinas potenter mouet. Quia verò aſperitate ſua faucibus, & ventriculo moleſtus eſt, cum manna, aut melle permiſceri ſolet. Maſſaria ita præſcribit.

℥. Succi ireos recenter extracti ʒ iij. mannæ calabrinæ ʒ j. ß. Miſce fiat potio.

Platerus in obſeruationibus: *Hydropico*, inquit, *cuidam propinaui ſuccum ireos, vt biberet ad ʒ.ij. addito melle, vndè plurimùm & ſæpiùs minxit, & deiecit. Et poſtquàm repetiſſet bis, vel ter, detumuit venter, pedeſque ſubſederunt, ſicque ſanatus eſt.*

Rhabarbarum à nonnullis commendatur, quia purgando humores noxios hepar valdè roborat. Et Stocherus ſe multos curaſſe refert vſu rhab. ad ʒ. j. vel ij. tertio, aut quarto quoque die exhibiti cum decocto aperiente. Tum etiam apud Scoltzium in Epiſtolis, habetur inſignis hiſtoria cuiuſdam hydropici ſolo vſu rhab. perfectè ſanati, quod ſingulis diebus deglutiebat ea quantitate, quæ neceſſaria videbatur ad aluum ſubducendam.

Trochiſcide rhab. ab omnibus authoribus laudantur. Et Matthæus de Gradi. refert, ducem quendam Mediolanen. hoc ſolo remedio fuiſſe curatum, cuius ʒ ij. ſumebat bis in hebdomada.

Iiſdem trochiſcis ſe alium hydropicum curaſſe teſtatur Michael Paſchalius, quos in pilulas efformabat propter amaritudinem

Chymici extractum hellebori nigri, aquilam cæleſtem, & Mercurium vitæ commendant, eaque alijs medicamentis vulgaribus permiſcent, vnde copioſa ſequitur ſeroſi humoris euacuatio. Sed viribus admodum robuſtis opus eſt ad horum medicamentorum.

Mitiùs operatur Mercurius dulcis, & Mercurius diaphoreticus. At ſine manifeſta euacuatione antimonium diaphoreticum, cum ſale petræ ad albedinem calcinatum; ac multò efficaciùs diaphoreticum ex butyro antimonij paratum, omnes hydropis ſpecies curat.

Verùm in omni purgantium adminiſtratione obſeruandum eſt, purgantia, ſaltem validiora, non eſſe frequentiùs vſurpanda, vt docet Galen. 9. κατὰ τόπους, quia corpus debilitant, vt poſteà maior aquarum prouentus exoriatur. Ideò roborantia, & aperientia frequentiùs, quàm purgentia erunt præſcribenda. Et experientia nos docet, euacuationem in hoc morbo, quæ ſit per vrinas, meliùs ſuccedere ea, quæ ſit per aluum.

Purgationem vice clyſteres injici poſſunt, quibus ſtatus diſcutiantur, aquæ educantur, & venter imminuatur, in hunc modum compoſiti.

℥. Fol. maluæ, Mercurial. braſſicæ rubr. ana M. j. ſoldanellæ M. ß. ſem. aniſi, cari, & anethi, an. ʒ.iij. flor. chamom. melilot. ſtœchados, & geniſtæ ana P. j. Coquantur ad ℔. j. in colat. diſſolue cathol. ici ʒ. j. hieræ picræ ʒ. ß. olei anethi, liliorum, & mellis comm. an. ʒ. ij. Fiat clyſter, bis in hebdomada injciendus. Vel

℥. Fermenti acrioris ʒ. ß. ſalis comm. P. j. Coquantur in aquæ q. ſ. in colat. diſſolue vrinæ pueri impubis ʒ iv. olei rutacei ʒ.iij. mellis deſpumati ʒ. j. Fiat clyſter, quem valdè commendat Ualeriola.

Sequens verò clyſter inſignem aquarum copiam educit.

℥. Pulpæ colocynth. ʒ. i. Infunde per noctem in vini albi ʒ iv. Colaturæ adde decocti inteſtinorum verueci s ℔. i. olei communis ʒ. ii. ſalis petræ fuſi ʒ. i. aceti fortis cochl. i. Fiat clyſter. Uel.

℥. Pulpæ colocynthid. ʒ. i. furfuris macri M. i. Decoquantur in vino albo, & fiat clyſter. Uel

℥. Sem. carth. Vnc. i. agarici opt. Vnc. ß. pulpæ colocynth. ʒ. iii. fol. centaur. minor. chamædr. & abſinthii vtriuſque an. M. ß. Coquantur ad ℔. i. In colat. diſſolue olei chamæmel. rutæ, & de dappar. an. Vnc. i. mellis roſac. Vnc. ii. Fiat clyſter. Vel

℥. Decocti emollient. ℔. i. vini emetici turbidi ʒ. iv. diaphæn. Unc. i. Fiat clyſter.

Venæ ſectio in hoc affectu meritò reiicitur, niſi fiat à ſuppreſſione menſium, vel hæmorrhoidum. Et tunc etiam, non niſi ab initio morbi vena eſt aperienda, antequam hepar frigidam diathesin contraxerit.

Cauteria, veſicatoria, & ſcarificationes in hydropicis grangrænam ſæpè afferre ſolent, quia calor partium puſillus facilè extinguitur. Ideòque ſatius eſt, ab huiuſmodi remediis prorſus abſtinere, licet nonnullis aliquando profuerint.

Paracenteſis etiam rarò, aut nunquam celebranda eſt, quin ex ea pauci euadunt, præſertim cum ægri, & affines illorum, eam operationem fieri nolint, niſi confirmato morbo: quando videlicet, corruptis viſceribus, nulla ſalutis ſpes eſt. Ideò vt plurimùm, ſecundo, aut tertio ab operatione die intereunt. Prudentiores volunt apertionem eſſe faciendam in principio, vel augmento morbi, antequàm viſcera labem contraxerint. Sed neque tunc temporis neceſſaria eſt, cum alijs remedijs iſque tutioribus, morbus adhuc leuior curari valeat.

Inter euacuantia remedia huic affectui proficua recenſenter ſudorifica, quæ vt in anaſarca perpetuò profunt; ſic in tympanite, & aſcite aliquando nocent, ſi nempe hepatis ſiccitas, vt non rarò fit, morbo originem dederint. Adde, quod in hydropicis ſudorem elicere vt plurimùm impoſſibile ſit. Si tamen illa hepatis ſiccitas abfuerit; ſudorifica in omni ſpecie hydropis conuenire poſſunt, præcipuè in declinatione morbi, ad ſeroſi humoris reliquias per habitum diſcutiendas. Sic Valeriola refert à ſe curatum aſciticum decocto ligni ſancti per 40. dies exhibito. Vtile autem erit, idem decoctum, cum aqua chalybeata, & vini albi portione componere. Chymici commendant antimonium diaphoreticum.

Martinus Rulandus ſudorificum parat ex baccis iuniperi quæ cum vrinas etiam mouendi vim non exiguam habeant; vtraque ratione plurimùm prodeſſe poterunt. Illius compoſitio talis eſt.

℥. Granor. iuniperi contuſ. M. iij. Vini generoſi q. ſ. Decoquantur ad medias, & exhibeantur Vnc. vi. ſingulis diebus manè, corpuſque optimè tegatur.

Horatius Reſerus apud Scholtzium, ſe multos pueros, & nonnullas mulieres, anaſarca laborantes, curaſſe gloriatur vſu ſyrupi ſancti Ambroſij, qui ſudorificus eſt, illiuſque deſcriptio habetur in veteri diſpenſatorio, quod Luminare maius appellatur, quæ ita ſe habet.

℥. Milij excoriati Vnc. ij. aquæ fontis ℔. ß. Bulliant donec. Vnc. iij. vel iv. illius aquæ ſuperſint. Quæ percolata, cum æquali vini albi generoſi portione miſceatur, deturque calidum hydropico: copioſiſſimè enim ſudabit, ſi texeris diligenter.

At verò cæteris præſtant medicamentis, quæ per vrinas ſeroſos humores euacuant, & felicior vt plurimùm curatio hac via ſolet ſuccedere.

Inter præcipua habetur ſuccus, cherefollij, cuius Vnc. ij. exhibentur manè cum vino albo per plures dies.

Vina aperientia diuretica in hoc caſu plurimùm etiam conferre ſolent: quorum exemplum tale eſſe poteſt.

℥. Rad. enulæ campan. apij, fœniculi, iridis, ſiccarum ana ʒ. j. ſem. rad. valerianæ, gentianę, aſari, ſcillæ, ana ʒ. j. corticis med. ſambuci, & ligni ſaſſafras, ana Drach. vj. fol. abſinthij, agrim. chamædr. capill. ven. ſiccor. an. Drach. ij. ſummit. centaur. min. & flor. geniſt. an. Drach. j. ſem. petroſel. ammeos anethi, an. Drach. j. ſem. cinamom. Drach. ij. ſpicæ nardi Drach. ſem. Conquaſſentur omnia, & infundantur in vini albi menſuris ij. vel iij. per aliquot dies; deinde hoc vino vtatur omni manè.

In eundem, vſum referri poteſt vinum chalybeatum compoſitum, in obſtructione hepatis deſcriptum.

In eſt diuretica etiam cenſendum eſt decoctum iuniperi ſuprà relatum. Quod etiam, ſi nimia eius caliditas timeatur,

in

in aqua parari poterit, eique ſpiritus vitrioli tantillum admiſceri.

Fonſeca commendat vſum terebinthinæ cum aqua hordei lotæ eiuſque ʒ ſem. exhibet bis in ſeptimana.

Ac denique ſpiritus ſalis tartari, & vitrioli, iuſta doſi exhibiti, cum apozemate, aut alio decocto aperiente, per aliquot dies, miranda præſtant: quia ſumma tenuitate prædi-ti in omnes corporis meatus facilè penetrant, eoſque aperiunt. Idem præſtant ſales abſinthij, iuniperi, ſtipitum fabarum, & ſimiles cum vino albo exhibiti, Vel alium defectu lixiuia ex eorum cineribus parata ſufficiant.

Matthiolus *ad c.87. l.b. 1. Dioſcorid. Lixiuium*, inquit, *ex vino albo, & iuniperi cinere paratum 4. aut 5. vnciarum pondere potum, valentiſſimè vrinam pellit, ita vt nonnullos viderim hydropicos hoc tantum auxilio ſanatos.*

Cæterea in toto curationis decurſu roborantia hepar numquam omittenda. Quia fruſtrà aquas educimus niſi nouam earum generationem inhibeamus. Quod non niſi hepar reficiendo, & ad priſtinam temperiem reuocando conſequi poſſumus.

Inter præcipua roborantia recenſeri debet aqua cinamom. Cuius cochlear vnum mane, vel ante cœnam interdum exhiberi poterit.

At maximè laudatur à Galen. 8. electuarium cyphoides, ab Arabibus *de vino* appellatum. Cuius Vnc. ſem. mane exhiberi poterit. Illius compoſitio ab Hollerio correcta ita ſe habet

℞. Paſul. corinth. mundat. ℔. ſem. Coquantur in vino veteri generoſo ad puluis conſiſtentiam. Tuſas excerne per ſetaceum. Tum admiſce conſeruæ anthos, cortic. citri conditi, cinam. acuti inter. an. ʒ j. puluer. aromat. roſar. diamarg. calidi, diacinam. an. ℈ ij. ligni aloes odorif. ʒ ſem croci ℈ ſem. Miſce, fiat electuarium molle.

Opiata ad obſtructiones hepatis præſcripta hic etiam erit vtiliſſima.

Plurimum etiam valet conſerua abſinthij pontici, ex vna parte comatum illius, & tribus ſacchari partibus compoſita. Cuius vſu nonnullos hydropicos percuratos fuiſſe teſtatur Matthiolus, *cap. de. abſinthio.*

Poterius opiatam componit ex conſerua roſar. ſpecifico ſtomachico, croco martis, & ol. vitriol. quo ſolo remedio ſe hydropicos curaſſe gloriatur. Specificum autem ſtomachicum eſt antimonium fixum.

Cæterùm in potu hydropicorum maximum verſatur curationis momentum. Illius ideirco curam exactam habere opus eſt, vt parciſſimè bibat æger, & ſitim tolleret quantum poteſt. Multos enim omnimoda potus abſtinentia, & aſiorum vſu, ſine alio remedio conualuiſſe notum eſt. Pro potu vtetur æger vino enulato, vel abſinthite, vel iuniperino, vel chalybeato, vel prædictis etiam chalybeatis. Iubet Auic. ne aquam quidem videant hydropici. Si tamen nimia calefactio, aut exiccatio metuatur, vel æger ſit abſtemius; vti poterit decocto iuniperi, ligni ſancti, & ſaſſafras, vel decocto rad. rubiæ tinctorum, quæ vrinas potenter mouet; iiſque vel ſolis, vel cum vino albo permixtis. Cùm autem, vt antea dictum eſt, potus abſtinentia maxima eſſe debeat, ſitis tamen admodum vrgeat; illa per vices fallenda eſt, vel oris colluione, cum aqua chalybeata, & aceto, frequenter mandendo grana aliquot maſtiches, vel quid vis eiuſdem facultatis. Aquam enim plurimam in os eliciet. Non vt quibuſdam videtur, è capite ſolo, ſed ex ventriculo, & ex abdominis capacitate; ſicque multis eſt nominibus profutura.

De cibis, hoc tantùm dicemus, ſicciores eſſe eligendos, & dulcia, vt peſtem, eſſe fugienda.

Dum remedia interna celebrantur, externa etiam adminiſtranda ſunt. Illa enim non parùm conferunt ad ventris tumorem diſcutiendum. Ad hanc rem componuntur fomenta, ſacculi, vnguenta, cataplaſmata, & empaſtra, quorum præcipua in hunc modum ſe habent.

℞ Rad. altheæ, lilior. cyperi, cort. rad. cappar. mediani fraxini, tamariſci, ebuli, & ſerpentariæ maior. a ʒ iv. fol. abſinthij, agrim. maioranæ, origani, calamenti, pulegij, rutæ, chamædr. chamæp. abrotan. & ſambuci, an. M. j. ſem. petroſel. anethi, & cumin. an. ʒ j. Flor. chamæm. melilot. & geniſtæ an. P. ij. ſpicæ nardi, ſchænanthos, nuc. moſch. caryophyll. & cinam. ana. ʒ ſem. ſalis, & aluminis, an. ℔ß. Fiat omnium decoctio in lixiuio, facto ex cinerib. quercus, vel ſarmentorum, qua foueatur totus venter calidè ante cibum, cum ſpongijs in ea imbutis, & expreſſis. Vel

℞. Vrinæ pueri mund. ℔ iv. ſalis prunellæ Unc. iij. Bulliant ad tertiæ partis conſumptionem pro fotu.

Aqua pendens aquam calcis prædicat, in qua ſpongiam nouam, quæ totum abdomen comprehendat, exprimit, eamque ſuperligat. Sic enim aquas hydropicorum inſenſibiliter abſumi, & frigidam, humidamque viſcerum intemperiem tolli, & lienem induratum aliquando ſanari aſſerit. Claudinus vero calcem in aqua thermali ſalſa, ſulphurea, aut nitroſa extinguit; ſpongiam in ea expreſſam faſcijs arctè ventri alligat, & diu ibi detinet, ſub indeque permutat.

Sacculi parari poſſunt ex materia prioris fomenti, in vino albo decoqui & calidè ventri admoueri.

Poſt fotum liniatur venter ol. anethino, rutaceo, irino, cum puluere ammoniaci, galangæ, aneth. baccarum lauri, & ſimilibus.

Inunctio ex ol. ſcorpion. Matthioli, cum pauco ol. roriſmarini vtiliſſima eſt.

Multi vnguenta, & linimenta componunt ex purgantibus validioribus, quę hydropicorum aquas potenter detrahunt, & diſtentum abdomen remittunt.

Verum illa periculoſa ſunt. Inſerta namque muſculis, & membranis vis purgatoria, lethale ſæpe alui profluuium ciet.

Poſt linimenta, vel etiam ijs omiſſis, cataplaſmata, vel emplaſtra imponi poterunt. Sequens præſtantiſſimum eſt.

℞. Rad. cucum. agreſt. optimè contuſæ & in aceto ſcillit. per 24. horas macerat. ℔ j. mellis deſpumati ℔ ij. Miſce. & bulliant ad conſiſtentiam cerati, & in fine adde cumini ſubtiliter puluerat. ʒ. iv. Fiat emplaſtrum abdomini applicandum, & ſingulis diebus renouandum. Vel

℞ Stercoris boumi ſiccati ℔ j. ſulphuris viui, & ſem. cumini puluerat. an. ʒ ij. ſapæ, vel vrinæ pueri q. ſ. Fiat cataplaſma.

Cataplaſma ex raphanis contuſis, vmbilico, & lumbis admotum, aluum, & vrinas mouet.

Galenus commendat, cataplaſma ex cochleis cum ſuis teſtis contuſis, quod ventri ad motum ibi detinendum eſt, donec ſponte cadat, aquas hydropicorum potenter abſumit.

In emplaſtri formam redactum tale componitur à Valeriola.

℞. Stercoris vaccini ℔ j. ſterc. caprini ℔ ſem. Bulliant ſimul in aceto fortiſſimo, & in mortario contundantur, addendo ſulphur. viui Vnc. ij. alumin. ʒ. j. ſuccor. rhymelææ, & ebuli recent. extractorum an. ʒ. ij. farin. lupin. & orobi, an. ʒ. ij. puluer. ſoldanell. quart. j aniſi, marathri. cumini, an. ʒ ij. ſalis comm. torrefacti ʒ. ij. terebinth. ʒ. iv. picis nauallis ʒ vj. Miſce, fiat emplaſtrum.

Obſeruatione dignum eſt, quod ſibi experientia compertum eſſe teſtantur V Vierus, & Varignana, bufonem ſylueſtrem, qui in nemoribus reperitur, per ventrem ſectum, & renibus obligatum aqua hydropicorum per vrinas educere, & cum amplius euacuare volumus, applicationem eſſe renouandam.

Petræus verò refert eiuſdem bufonis puluerem in clibano ſiccatum, & calcinatum, ʒ. ſem. pondere in vino, vel alio liquore propinatum, per vrinas hydropem mirificè expellere. Cuius experimenti inuentor primus mortis acceleratione ex eo querens, imperato conualuit. Sequens etiam ceratum ex bufone paratum vtiliſſimum eſt.

℞. Bufonum ℔ ij. ſucci ebu. ℔ iij. olei ℔ j. ceræ ℔ ß. Bulliant in olla luttata ad mediæ partis conſumptionem. Colentur, fiat ceratum, quod extendatur ſupra altam, & regioni lienis applicetur; aquas omnes euacuat.

Toto curationis decurſu roboranti ventriculo admouenda ſunt. Et in primis hepati dum tumor ſubſidere incipit, aut non eſt adeo inſignis, vt topicorum penetrationem ad hepar impedire queat.

℞. Ol. flor. arantiorum ʒ. j. olei de ſpica Drach. iij. vnguenti roſac. cerati ſtomachici Galen. ana ʒ. ij. ol. maſtich. ſtillatitij ℈. ij. ol. abſinthij ſtillat. ℈. j. ol. nucis moſchat. Drach. j. ſem. Ceræ albæ parum. Miſce, fiat linimentum ventriculo applicandum.

℞. Comar. abſinthij pontic. ʒ. iij. marrubij toriſm. an. ʒ. ij. roſar. rubr. P. ij. flor. chamæm. mel. lauri, an. M. ß. cortic. arantiorum, ligni aloes odorif. an. ʒ. ij. rad. cyperi, ſchœnanthos, ſpicæ nardi, an. ʒ. ſem. Cum vini optimi partibus duabus aquæ abſinthij, & agrim. ana parte vna, fiat decoctio, qua foueatur regio hepatis cum ſpongia, vino abſinthite elota.

℞. Un-

℞. Unguenti rosac. cerati santal. an. ℥ iij. rosar. rubr. semendiu. & acetosæ, an. Drach. j. spicæ nardi, schœnanth. absinthij sicci, styrac. calamit. an. Scrup. iv. ol. mastich. vel de absinthio q. s. Fiat linimentum applicandum eidem parti post fotum.

Vt plurimùm in hydrope crura, tibiæ, & pedes œdematoso tumore afficiuntur; ad eumq; discutiendum conueniet. lixiuium, in quo rad. ebuli, & enulæ camp. fol. rorism. maioran. thymi, lauri, origani, sal. & alumen incocta fuerint.

Quamuis autem vt plurimùm proposita curatio vsurpanda sit; aliquando tamen minùs conueniens est, quando nimirùm hydrops in calido, & sicco temperamento, à causis calefacientibus, calorem natiuum dissipantibus, productus est: quemadmodum in febribus biliosis, & vehementibus solet accidere. Tum enim hepatica frigida cum aperientibus minùs calidis conueniunt, qualia in febribus diuturnis vsurpari solent. Tum etiam syrupus magistralis suprà descriptus, ex succis rosar. cichorij, & agrimon. compositus in hoc casu maximè conueniet.

Pro potu sumatur decoctum rad. cichorij, & calcitrapæ gustui non ingratum, vel aliorum aperientium temperatorum; sed liberaliore quantitate, quàm quæ suprà proposita est, quæ nimirùm sitim leniat, iecoris ardorem temperet, idque resiccatum humectet. Quam doctrinam (quamuis ab Auicenna, Italiano, alijsque sancita est, quia tamen à nonnullis paradoxa videtur, & magni est in vsu practico momenti,) non erit inutile insigni exemplo confirmare, à Baptista Montano relato *consil. 263.* his verbis: *Vidi* inquit, *Venetus religiosum quemdam Ordinis Prædicatorij, hydropicum ex ascite, & tympanite, qui fuit curatus. Ad fuerunt mecum excellentissimi Medici plurimi, scilicet Papiensis Eugubinus Trincauella, & alij. Habebat is, vt dixi, ascitem cum tympanite, & tabem cum febre hectica. Oportebat tum exsiccare & humectare. Quare eramus in maxima discordia. Ego volebam, vt multùm biberet, sed quæ aperirent, quia habebat plurimas obstructiones, præterea vt humectaretur, quia ad tabem peruenerat. Ordinabam ergo syrupum acetosum cum omnibus, quæ prouocant vrinam. Eugubinus nolebat quicquam esse bibendum, & narrabat de quodam historiam, qui per sicca fuit curatus. Papiensis, vt litem dirimeret, concluſit neque liberaliter, neque omninò nihil esse bibendum. Res extrahebatur vsque ad noctem. Deducebant nobiles vnumquemque Medicum ad suam cymbam. Ibi tum Papiensis, quòd antea dissimulauerat, conuersus ad magnificum quemdam, dixit. Si vltis curare hunc dominum, profectò non aliud erit faciendum, quàm quod consuluit Baptista Montanus.*

In hoc etiam casu maximè conuenient medicamenta ex chalybe, tartaro, & vitriolo, quia citra insignem calefactionem potenter aperiunt, & vrinas mouent.

Ac cæteris remedijs palmam præripiunt in hoc casu aquæ minerales acidulæ, & vitriolatæ, quæ viscera potenter deobstruunt, aquas per vrinas euacuant, & viscerum intemperiem corrigunt. Vnde experientia constat, multos hydropicos quotannis aquarum Spadanarum vsu percurari.

Narrat Auicen. *cap. de cura ascitis*, historiam mulieris cuiusdam, *quam hydropisis attriuit*, vt ipse loquitur, *& magnificata est super eam, & ipsa mulier comedit quantitatem malorum granatorum; tam maximam, quod eius relatio est incredibilis, & sanata est.*

Et Varignana refert ex Plateario, quòd quædam vetula coxit in olla succum plantaginis ad medietatem, & dedit hydropico de causa calida, ad bibendum quotidiè, & sic curatus fuit.

Quibus exemplis patet, hydropem aliquando refrigerantibus curari. Isque addere possumus Christophori à Vega testimonium, qui *lib. 3. art. medic. sect. 8. c. 12. Tympanitem*, inquit, *vidimus à calida iecoris intemperie natum, quem refrigerantibus curauimus iecori superponentes succum endiuiæ, & cichorij, cum pauco aceto, & cichorium edendum dantes, atque indiuiam.*

PRAXEOS MEDICAE

LIBER DUODECIMVS.

DE AFFECTIBVS LIENIS.

PRAEFATIO.

QVamuis lien omni morborum genere tam similari, quam organico, & communi affici valeat; nos tamen eos solummodo, qui in praxi frequentiùs occurrere consueuerunt, explicare decreuimus, & sex capitibus comprehendere. Quorum primum erit de lienis inflammatione. Secundum, de dolore. Tertium, de obstructione, & tumore seu inflammatione lienis. Quartum, de scirrholienis. Quintum de melancholia hypochondriaca. Sextum, de scorbutica affectione.

CAPVT I.

De Inflammatione lienis.

INflammatio lienis eiusdem est naturæ cum hepatis inflammatione. In eo tantùm differt, quòd rariùs fiat à sanguine puro, frequentiùs à sanguine melancholico. Eadem etiam habet causas, tàm coniunctas, quàm antecedentes. Diagnosis verò diuersa est.

Signa igitur inflammati lienis sunt, tumor & dolor sinistro hypochondrio, qui interdum ad diaphragma, & sinistrum humerum extenduntur, grauitas etiam ad est, & pulsatio in eodem hypocondrio, febris assidua, cibi fastidium, sitis, lentor nigricans linguæ adhærens, molestus dexter decubitus, propter visceris grauitatem ventriculo incubantis; interdum etiam sinister, si tumor ingens fuerit, quia comprimitur tunc à ventriculo, & hepate: tumor interdum lienis figuram retinet, interdum totum sinistrum hypochondrium implet, interdum etiam infrà vmbilicum apparet, multiplicata materia, & inflammatione vicinas partes, præcipuè vmbilicum occupante.

Intensiora autem, & remissiora prædicta signa apparent cum aliqua etiam varietate, pro varia humorum miscella. Si enim sanguini melancholico bilis admixta sit; vrinæ sunt rubicundiores os amarescit, sitis intensior febris ardens, & tertio die ingrauescens, vigiliæ intensæ, & interdum deliria Si sit admixta pituita, color est pallidus, febris, & sitis minor, ac dolor remissior. Si verò sanguis melancholicus purus sit; durities maior est, & color corporis nigricat, & interdū vrina, aliaque dominātis melancholiæ indicia apparēt.

Prognosis ferè eadem est, quæ hepatis inflammationis, attamen paulo minùs periculosa, cùm hepar sit nobilius. Si ægrum non interimat, vel crisi terminatur, vel resolutione soluitur, vel suppuratione, vel induratione, qua in scirrhum degenerat. Crisis bona sæpe contingit per hæmorrhagiam naris sinistræ vrinæ, vel alui profluuium.

Curatio huius affectus eadem instituenda est, quæ in hepatis inflammatione fuit proposita, si sequentes tantum adhibeantur differentiæ.

Primò

Primò quòd venæ sectio, lienę inflammatio, in brachio sinistro celebranda sit, & non tam frequenter, vt in hepatis inflammatione: quia hepar, fons sanguinis, largiori indiget euacuatione. Quod verò de apertione saluatellæ ab Authoribus circumfertur, quàm lienem peculiariter exonerare aiunt, superstitiosam quibusdam, & iam ferè in vsu practico obsoleuit. Vtilius enim multò è basilica vena ad omnes implendas indicationes, sanguis detrahitur, ex multorum opinione.

Secundò, quòd topica, quæ inflammatione hepatis hypochondrio dextro admouebantur; & sinistro applicentur.

Tertiò, quòd in dictorum topicorum vsu, adstringentia non sint tanta cura, & tam diu continuanda: quia tùm lien sit pars minùs princeps, illius robori, tantoperè studendum non est.

Reliqua ex inflammationis hepatis curatione desumantur.

CAPUT II.

De Dolore lienis.

DOlor interdum lienem affligit citra febrem, & duritiem, quæ tactui renitatur, ijsque à flatu exoritur, qui non solùm lienis substantiam, quæ ferè insensilis est, sed etiam membranam ipsum vestientem distendit.

Ab inflammatione facilè distinguitur per febris, & renitentiæ absentiam. Difficiliùs vero à colico dolore, quia color intestinum splenisubiicitur, & incumbit: distinguuntur tamen, quòd dolor splenicus grauis sit & in vno loco fixus, colicus verò distendens, acutus, mobilis, & ad totum ventrem excurrens.

Curatio huius doloris perficitur clysteribus carminantibus, purgatione conuenienti, fomentisque emollientibus, ac discutientibus, aceto adicto. Tum etiam linimentis compositis ex ol. lilior. chamæm. capparum, absinthii, cum modico spicæ, & aceti.

Si post horum remediorum vsum dolor persistat, cucurbitula sinistro hypochondrio erit admouenda, modò nulla inflammationis, aut fluxionis suspicio fuerit.

CAPUT III.

De obstructione, & tumore, seu inflatione lienis.

LIen obstructionibus obnoxius est non minùs, quàm hepar, imo, & frequentius; quandoquidem crassior sanguinis partı recipiendæ destinatus est, ac magis faculentæ, quæ ideo faciliùs in venis illius retinetur, vel in meatibus insensibilibus hæret propter mollitiem, & laxitatem partis; crassorum humorum receptioni magis idoneam. Et quando humor crassus substantiæ lienis hæret, tumorem in parte efficit, ac inflationem. Et quidem si humor ille diuturna mora crassescat, ac duritiem nanciscantur, scirrhum generare solet; quam diu vero liquidior manet admixtione pituitæ, ad œdematosi tumoris naturam accedit, qui illis præcipue familiaris est, qui in locis paludstribus, humidisque degunt: vel qui frigidis alimentis vescuntur, aut frigidè potu largiori vtuntur. Si verò tumor ille mollior, & laxior fuerit, inflatio simpliciter appelletur, cuius causa est materia partim pituitosa, partim flatulenta. Huiusmodi obstructionibus, tumoribus, & inflationibus affecti, lienosi vulgo nominantur.

Causæ, lienis obstructiones generantibus, eædem omninò sunt, quæ in hepatis obstructione fuere propositę, & hanc, vel illam partem afficiunt, pro vt magis vel minùs dispositę sunt ad eas recipiendas. Non rarò autem vtrumque viscus simul afficitur. Vix enim humores crassi possunt in vno viscere luxuriare, quin portio eorum ad aliud quoque deferatur.

Distinguitur obstructio lienis ab obstructione hepatis, ex situ partis affectæ. Grauitas enim percipitur in sinistro hypochondrio, & interdùm dolor, præsertim in cursu, vel concitatione ambulatione, aut equitatione, & contrectandò hypochondrium, tensiò, & renitentia quædam inuenitur, tùm color faciei liuidos percipitur, & reliqua melancholiæ dominantis indicia apparent.

Affectus est pertinax, & diuturnis ob partis mollitiem, & laxitatem, cuius ratione ab humore imbibito sese facilè expedire non potest; & si in vetustatem abeat, nec citò curetur, in scirrhum degenerat.

Curatio eadem competit, quæ in hepatis obstructione fuit proposita addendo ea, quæ peculiariter lienem respiciunt, & humori melancholico præparando, expugnandoque dicata sunt.

His autem pilulæ de ammoniaco sequentes tanquam efficacissimę addendæ sunt, in frequenti vsu habendæ.

℞. Ammoniaci pinguis in aceto scillitico soluti ʒ. j. extracti aloes ʒ. sem. Crystalli tart. ʒ j. myrrhæ, croci an. ʒ. sem. mastiches, benioini, salis fraxini, & absinthij an. ℈. j. Cum oxymel. scillit. fiat massa pilular. Dosis ʒ. sem. bis in septimana, purgationibus interiectis.

In apozematis, alijsque aperientibus remedijs liquidioribus, oxymel. simplex, & scilliticum vtiliter dissoluuntur, ad crassos, & terrestres humores potenter dissecandos.

Præ cæteris autem remedijs, quæ ex chalybe componuntur, ad lienis obstructiones reserandas sunt efficacissima.

Imò verò pro potu ordinario aqua ferrata, vel chalybeata vsurpanda est, quæ lienem imminuere, vt inquit Celsus, ex eo cognoscitur; quòd ea animalia, quæ apud fabros ferrarios educata sunt exiguos habent.

Formentis acetum addatur loco vini albi, quòd maiorem penetrationem conciliet, quæ necessaria est in humore crassiori. Adde, quod Gal. in affectibus lienis acetum valdè commendet, in remedijs tum internis, tum externis vsurpatum.

Caraplasmatis addatur cicuta, tanquam efficacissima ad tumores emolliendos, & discutiendos:

Efficax fit caraplasma ex nicotiana viridi, cocta, in oleo, & vino albo.

Ex oleo etiam cocto cum nicotiana, & vino albo, ad vini consumptionem fieri potest litus admodum efficax. Amatus Lusit. *curat. 61. cent. 5.* curationem proponit obstructionis lienis, à quartana febre relictæ, quæ sublata est decocto radic. chinæ, per 20. dies, post conuenientes purgationes vsurpato.

CAPVT IV.

De Scirrho lienis.

MAteria lienis obstructionem efficiens diuturna mora crassescit magis, ac magis, & scirrhosam duritiem contrahit. Cùm autem eadem sit natura scirrhi lienis & hepatis; quæcunque de hepatis scirrho à nobis dicta sunt in hunc etiam locum transferri possunt.

Diagnosis etiam scirrhi lienis eadem est cum scirrhi hepatis diagnosi, nisi quod in illo durities, & renitentia percipiantur in sinistro hypochondrio.

A tumore flatuoso, seu inflatione distinguitur; quòd in scirrho maior sit grauitas, quàm in flatuoso tumore, qui etiam digitis compressus cedit, & murmur, ac sonum edit, quæ in scirrho non reperiuntur.

Si à sola melancholia fiat, in signa atque euidentia prædominantis melancholiæ signa apparent: si verò pituitam admixtam habet, cachexia pituitosa in toto corpore apparet.

Prognosis etiam eadem est cum hepatis scirrhi prognosi, nisi quod lienis scirrhus faciliorem aliquantulùm curationem obtineat, propterea, quod viscus ignobilius fortiora citra noxam toleret remedia.

Ac denique curatio scirrhi lienis eadem omninò est cum ea, quæ pro hepatis scirrho fuit proposita.

Quia tamen per gradus ineunda curatio est, & à mitioribus ad valentiora progrediendum, ea priùs remedia vsurpanda erunt, quæ obstructionibus hepatis, & lienis conuenire diximus. Et inter medicamenta chalybeata ibidem laudata, maximè conueniunt pilulæ ex chalybe, de ammoniaco, alijsque compositæ, in obstructione hepatis descriptæ.

Ex remedijs, verò pro hepatis scirrho propositis, magno in precio habendæ sunt pilulæ ex aloe, ammoniaco, & Mercurio dulci: quę tamen non abundè satisfaciunt. Opiata sequens vtramque paginam implebit, nisi morbus sit prorsùs incurabilis.

℞. Gummi ammoniaci, opopanacis, & bdelij, an. ʒ. ij. Dissoluan-

soluantur in vino albo, colentur, coquantur, deinde adde confect. hamech. & diaphœn. ana. ℥ ij. catholici dupl. ℥ ß. pilular. fætid. ℥ ij. Fiat opiata de qua capiat ℥ ß. addendo Mercurij dulcis gr. xx. continuando per plures dies consequentes, sicque tumor, & durities euanescent.

Ac præter illa remedia, & præcepta in prædictis curationibus proposita, sequentia in hoc morbo obseruanda veniunt.

Primò, quòd de sanguinis missione valdè dubitetur. Hæc tamen difficultas resoluitur, concludendo, eam conuenire posse in principio: at morbo inueterato minimè prodesse.

Secundò, inter specifica remedia commendatur à Solenandro, & Fonseca vrtica mortua, quæ Galiopsis dicitur, seu lamium Plinij, Itali herba [illegible]is vocant. Hanc cum vino tenui decoctam ad ℥ j. exhibent, vel pulueris illius Drach. j. cum eodem vino, aut alio liquore idoneo, felicissimo successu.

Tertiò, præter fomenta ibi enumerata, Aqua pendens in Chirurgia, abdominis fotum, ex spongia in aqua calcis expressa admotum prædicat, eoque scirrhum lienis, & hydropem curatum asserit.

℞. Ol. comm. ℔ iij. medullæ crurum bouis ℔ j. butyri recentis ℔ ß. succi bryoniæ, & cyclam. an. ℔ ß. Bulliant lento igne, ferè ad consumpt. succorum. Colaturæ adde ceræ citrin. ℥ vij. ceterach. cortic. capparis, tamarisci, sem. agni casti, an. ℥ ij. Misce, fiat vnguentum.

Ita describitur ab Amato. Sed nimia est illius quantitas pro vnico ægrotante. Poterit, ergo imminui in hunc modum.

℞. Ol. comm. ℥ iij. medullæ cruris bouis ℥ j. butyr. recent. ℥ ß. sem. Bulliant lento igne, ferè ad consump. succorum. Colat. adde cer. citrin ℥ j. pulu. ceterach. cort. capp. tamarisci, & Semin. agni casti, an. ℥ ij. Fiat vnguentum.

Quinto, cataplasmata sequentia maximæ sunt efficaciæ.

℞. Rad. cucumer. agrest. ℔ j. fol maluæ, & violar. an. M. iij. Coquantur ad putrilaginem Contundantur, & trajciantur per setaceum: deinde adde ol. de cappar. & tamarisci, ana ℥ j. aceti scillit. parùm. Fiat cataplasma.

℞. Fermenti acrioris ℔ ij. Coquantur in æquis partibus olei, & vini ad formam cataplasmatis.

Denique præter emplastrum in scirrho hepatis propositum, sequentia erunt efficacissima.

℞. Gummi ammon. ℥ iv. Dissoluantur in aceto forti, postea colentur, & bulliant ad consumptionem aceti; deinde addæ ceræ parum. Fiat emplastrum.

℞. Cicutæ M. iv. ammoniaci ℔ ß. Infundantur aceto dies octo, deinde bulliant dum ammon. soluatur, hinc per pannum lineum validè exprimatur, iterumque expressus liquor ebulliat parùm, & adiecta cera, & oleo amygd. fiat emplastrum.

℞. Succi, maluæ, cressonis, caulium, & rad. filicis, an. ℥ ii. gummi ammoniac. ℥ iv aceti parum. Dissolue simul lento igne, posteà coquantur postremò colentur, tandem recoquantur ad syrupi consistentiam, & cum ℥ j. ol. de capparibus, & ceræ q. s. Fiat spanadrap. regioni lienis applicandum, & tertio quoque die renouandum.

Aqua pendens loco citato lienes induratos sequenti emplastro pluries sanatos fuisse asseuerat, quod fit ex duabus partibus ammoniaci ex aceto dissoluti, vna succi nicotianæ, vna resinæ pini, terebinth. & succi ebuli, vna ol. de cappar. & ceræ nouæ q. s. ad emplastri, seu cerati formam adipiscendam.

CAPVT V.

De Melancholia Hypochondriaca.

Licet omnes partes hypochondria constituentes in hoc morbo afficiantur; lien tamen pars affecta præcipue censetur; cùm sit humoris melancholici conceptaculum, vt non ineptè inter morbos lienis collocari valeat.

Fit igitur hæc affectio à melancholia præternaturali, quæ atra bilis nominatur, & ex alijs humoribus exustis, ac torefactis generatur, præcipuè sanguine, aut bile, aut melancholia naturali.

Hic tamen humor melancholicus, purus ac sincetus non est; sed plerumque alijs humoribus, ijsque vitiosis permixtus, putà biliosis pituitosis, ac serosis, ex quibus magna symptomatum varietas exurgit, inferius referenda. Generantur verò humores isti vitiosi in liene, præsertim calidiori intemperie affecto, tum etiam in hepate pariter intemperato: vnde fit, vt cibum, & potum crudum, & non satis coctum ad se trahant, & quidem tenuem, & aquosam chyli partem matutiùs, crassam verò tardiùs: hinc posteà crassior, vehiculo destituta, in venis mesaraicis subsistit, ibique diutiùs hærens vlteriùs incrassatur sæpèque aduritur, & postmodum; ad prædicta viscera perueniens, non rectè concoquitur. Adde, quòd concoctio illorum viscerum, quæ in statu naturali per elixationem fieri debet, ab ijs intemperatis per assationem potiùs fiat, vnde humorum adustio maior consequitur. Fieri tamen potest, vt citra viscerum intemperiem hæc affectio generetur ex prauis scilicet alimentis, & sanguini melancholico producendo idoneis: Imò verò ex ipso sanguine laudabili, diutiùs in vasis retento, & quantitate superfluo, quod in suppressione mensium, & hæmorrhoidum contingit, qui quidem sanguis, in prædictis vasis diutinam moram trahens, exuritur, & atræ bilis naturam induit.

Oriri etiam potest hæc affectio ex vitio ventriculi alimenta probè non concoquentis; sed ea in nidorosam cruditatem conuertentis, ex qua deinde in hepate, & liene vitiosi illi succi generantur. Imò verò Gal. 3. *de loc aff. c.* 7. Dioclem sequutus, censuit, propriam melancholiæ hypocondriacæ sedem esse in ventriculo, ex eo quod vt plurimum in hoc affectu ventriculi laborantis indicia appareant. Veritati tamen magis consonum est, ventriculum frequentiùs secundariò affici, hepatis, aut lienis vitio ipsi communicato, vt in sequentibus clarius ostendemus.

Colliguntur autem vitiosi illi humores in venis, & arterijs, quæ in infimo ventre continentur, ramis præsertim venæ portæ maioribus, splenicis, mesentericis, epiploicis, gastricis, & gastropiploicis. In quibus magnas, & sæpè horrendas fermentationes patiuntur: vnde anathymiases tetræ, & malignæ ad cerebrum, cor, & diaphragma eleuantur, quæ symptomata varia in ijs partibus excitant, inferiùs enumeranda.

In ipsis etiam visceribus humores prædicti continentur, liene præsertim, & pancreate, glandulisque in mesenterio residentibus, quarum omnium partium substantia mollis, & spongiosa prædictis humoribus facilè imbuitur, & semel imbibitos difficillimè deponit. Præterea glandulæ per totum mesenterium dispersæ, vt venis, & arterijs fulcimento, & firmamento sint, & obstent, ne illæ à repletis intestinis, vel alia de causa comprimantur. Si præter modum intumescant, ipsa vasa comprimunt, & liberum humorum commeatum impediunt: vnde obstructiones in illis ductibus generantur.

Pueri, & adolescentes huic affectui minimè obnoxij sunt, propter humidum temperamentum, humori melancholico generando ineptum: sed ætati consistenti frequentissimè contingit; quia humores in iuuentute à calore acriore aduruntur, & vbi calor ille deferbuit, tenuioresque partes exhalarunt, magnus fit humoris melancholici prouentus.

Causæ huius affectus antecedentes, & procatarcticæ sunt, primò, cibi praui succi, concoctu difficiles, & qui generando humori melancholico idonei sunt; vt panis furfuraceus, aut non benè fermentatus, aut crusta eius legumina, caseus, oua indurata, & frixa, aues aquaticæ carnes bouinæ, ceruinę, leporinæ, & omnes sale, & fumo induratæ, aliaque innumera alimenta, crassiori, & duriori substantia prædita.

Secundò animi pathemata grauia, & diuturna, præcipuè mœror, & mœstitia, ad hunc affectum generandum maximam vim habent; ab ijs enim maxima fit spiritum dissipatio, cuius ratione coctiones debilitantur; & magnus fit cruditatum prouentus, quæ à visceribus calidioribus exustæ in humorem atrabilarium degenerant.

Tertiò, quies, & otium huic malo producendo occasionem præbent, quia efficiunt, vt plurima excrementa in corpore retineantur; imprimis, si meditationes plurimæ, ac lucubrationes accedant. Vnde litterati, & qui vitam sedentariam agunt, huic affectui maximè obnoxij sunt.

Denique suppressio mensium, & hæmorrhoidum: non solùm ratione quantitatis, vt antea dictum est, etiam qualitatis morbum hunc producere potest. Cùm enim per venas

hæmor-

hæmorrhoidales sanguis melancholicus à natura euacuari solcat, & cum eo multi humores salsi, & adusti: tum in purgationibus menstrui multi etiam humores vitiosi educantur, si vacuationes illæ subsistant, fit refluxus illorum humorum ad hypochondria, qui huic morbo occasionem præbent.

Diagnosis huius affectus ex symptomatis petenda est, quę illum consequi solent, eorumque maximus est numerus: etenim omnes propemodum corporis partes in hoc affectu labem aliquam percipiunt, quando is ad summum exaltationis gradum peruenit. Eorum seriem explicare aggredimur, hoc priùs admonendo, non omnibus ægris contingere; sed alia his, alia illis pro varia humorum peccantium natura, & variis partibus, quæ afficiuntur.

Primò igitur ventriculus vt plurimum laborat, non quidem primario affectu, vt Galenus ex Diocle censuisse visus est: sed potiùs secundariò: quando scilicet sanguis pro nutritione ventriculi è venæ portæ ramis effluens non benè se habet: vnde ventriculus malè nutritus malè alimentum concoquit, idque in alienam, ac vitiosam substantiam conuertit. Hinc reciproca quædam, & circularis noxa exortitur, dum hepar, & lien prauum sanguinem ventriculo nutriendo suppeditant, & ventriculus demum prauum chylum generat, ex quo iterum sanguis vitiosus producitur.

Ventriculus igitur in hoc affectu plerumque cibos malè concoquit, & bonam eorum partem in materiã nunc aquea, nunc acidam vel acerbam, nunc viscidam mutat: quæ cum ab intestinis, & venis mesereacis, vtpotè alendo inepta, non attrahatur, in ventriculo moratur, & nunc sursùm repens linguam, & os saliua, & humiditate aquea replet, vt continuo ægri ex puere cogantur, sæpe etiam per vomitum humores illos in ventriculo collectos reijcere.

Sæpè etiam materia in ventriculo contenta ebullit, & fermentatur: vnde flatuum copia excitatur, qui non solum ventriculum: sed etiam vicinas partes distendunt, ac tantam in præcordijs molestiam pariunt, vt ægri interdùm in lypothymiam incidant. Interdum verò flatuum illorum pars per superiora, & inferiora reijcitur, pars vero per insensibilem transpirationem discutitur, aut eorum materia per vomitum excluditur.

Aduertendum tamen est, non omnia, quæ vomitu reiiciuntur, in eo generari: sed jetiam non rarò à liene, aliisque partibus transmitti. Humores etiam interdùm euomuntur tanta acriditate præditi, vt stuporem dentibus afferant, quos è liene in ventriculum per vas breue trasfundi, minimè dubium est.

In aliis sanguis è liene in ventriculum per vas breue cum humore atrabilario, aliisque vitiosis humoribus transmittitur, qui partim per vomitum, partim per fecessum reiicitur, vt in vomitus sanguinis theoria fusiùs expositum.

Ructus etiam frequentes hoc affectu laborantibus, tum etiam rugitus, & murmura hypochondriorum solent contingere propter copiam flatuum, qui ex crudis, ac melancholicis humoribus generantur: vnde ab antiquis hic morbus affectio flatuosa nominatus est. Quomodo autem flatus ex melancholico humore suscitentur, id in tympanite dictum est.

Dolores etiam non rarò in ventriculo, & hypocondriis ab iisdem flatibus excitantur, & interdum ad dorsum, & lumbos extenduntur, vt nephriticos æmulentur: præsertim, si vrina rubra, & crassa, hypochondriacis familiaris, excernatur.

Aluus adstricta sæpè est in hoc affectu, quòd nimirùm cibus in materiam viscidam, ac glutinosam commutatur, quæ cùm intestinis hæreat alui constrictionem parit, cum facultas expultrix viscidum illum humorem excernere nequeat, nisi à medicamentis adiuuetur. Quo fit, vt huiusmodi melancholici frequentiùs catharticis, aut enematis aluum resoluere cogantur.

Alui fluxus etiam interdum contingit, si humores acrimoniam acquirant, & bilem, ac feruidam melancholiam admixtam habeant.

Æstus in hypocondrijs percipitur, & inflammatorius quidam affectus cum ardore & feruore interno, nunc in vno nunc in vtroque hypocondrio ægros affligente, ex humoribus calidis ac feruidis in iis contentis. Et solet isti calor, ac æstus sese magis exerere, quando humores illi calidi ab aliqua causa interna, vel externa commouentur, & exagitantur; ita vt ex vaporibus inde eleuatis facies incalescat, ac rubore suffundatur, imò verò interdum febris ephemera excitetur ex ijsdem vaporibus in totum corpus diffusis.

Vrina in hoc affectu varia est, nunc tenuis, nunc crassa. Tenuis quidem, quando humores crassi vrinæ vias obsident, per quos illa quodammodo transcolatur, vt partes tantùm tenuiores, & serosæ permeare valeant. Crassa verò, rubra, & turbida ob materię crassę admixtionem, quę multò sale saturata est, & ideo tartarea nominatur, tum in fundo matulæ instar sedimenti crassitiei colligitur; vel etiam quædam illius portio matulæ parietibus adhæret instar arenularum rubrarum, quæ multis calculi metum incutiunt, quamuis immeritò, cùm huiusmodi arenulæ non in renibus, sed in hepate generentur ex materia adusta, & salina. Cuius rei indicium est, quod huiusmodi arenulæ, digitis attritæ, facilè dissoluantur, salis instar; quod in arenulis, à renibus oriundis, non contingit.

Cordis palpitatio in hoc affectu interdùm accidit, ob vapores ad cor ascendentes, quos dum expellere nititur, ipsum violenter, & inordinatè mouetur: & tunc ægri se in magno vitæ periculo constitutos existimant, & auxilium anxiè requirunt.

Pulsatio in sinistro hypochondrio nonnunquam percipitur, quando scilicet humores feruidi in ijs locis exagitantur, & vapores inde excitati arteriarum systolent, & diastolen maiorem efficiunt, ita vt tum ab ægrotantibus, tum ab abstantibus, manum hypochondrio admouentibus, pulsatio illa percipiatur, quæ tum in primis commouetur, quando ægri ab ira, motu vehementiore, aut meri largiore potu incalescunt. Et hęc in primis palpitatio in arteria cœliaca fit, quæ insigniore est in illa parte. Aliquando etiam continua est, & indesinens in morbo inueterato, & quocunque tempore manum admoueas, perpetuò pulsationem aduertis, quod morbum habitualem, & incurabilem significat. Continuam autem illam pulsationem interdùm sequitur aneurisma, ex arterię cœliacæ, aut alterius cuiusdam arteriæ insignioris dilatatione, a sanguine feruidiori in ijs contento, qui valdè attenuatus, & multis, ac feruidis spiritibus permixtus arteriam continuò dilatat, ac distendit, donec aneurisma integrum contraxerit, quale obseruauit Falopius, *lib. de tumorib. prætern. c.* 14. in vetula quadam, cuius cadauere aperto, inuentum est aneurisma in abdomine, in quod pugnum immittere potuit, & immisit. Vbi obiter notanda est summa naturæ prouidentia, quæ arteriæ disruptionem præcauens, ex nimia dilatatione, tunicam illius adeò indurauerit, vt ossea appareret, sicut annotauit Fallopius, loco citato. Paræus etiam lib. 6. sui operis cap. 28. similem historiam refert aneurismatis, non quidem in abdomine, sed in thorace reperti, scilicet in arteria venosa, quæ in eam amplitudinem distenta erat, vt manum in pugnum complicatam capere potuerit; tum etiam tunica illius interna ossea euaserat. Et nos etiam similem casum ante duos annos in hac vrbe vidimus, nempe aneurisma in pectore ex arteriæ dilatione, quæ pueri quindecim annorum pugnum recipere poterat; tunica verò arteriæ cartilagineam crassitiem, ac duritiem acquisierat.

Vapores autem tetri, ab hypochondrijs eleuati ad partes superiores, quã plurima symptomata producunt. Ad palatum enim, & linguam transmissi, eas partes exsiccant, & sitim leuem inducunt: diaphragma verò & pulmonem obsidentes, difficilem respirationem efficiunt; dum vero ad membranas cerebri feruntur, dolores capitis inducunt; & dum cerebrum ipsum impetunt, aurium tinnitus, oculorum caliginem, vertiginem, metum, mœstitiam, deliria melancholica diuersa inferre consueuerunt. Quod si vapores illi summam acrimoniam, aut malignitatem induant, epilepsię causa efficiuntur: si verò ijdem vapores neruos occupent; in ijs etiam conuulsiones generant; ac si virtute narcotica præditi sint: torporem & paralysim spumariam inferunt, tũ etiam comatosos affectus, & apoplexiam, si cerebrum penitùs inuadant. Si autem vapores illi calidi, & sicci fuerint, cerebrum exsiccant, & vigilias molestas, aut somnos perturbatos, insomniaque terrifica efficiunt. In primis verò vigiliæ post mediam noctem plerosque infestare solent. Etiamsi enim post cœnam ad mediam noctem, aut paulo vlteriùs satis bene dormiant; postea tamen euigilant & alij duabus, vel tribus horis vigilant, & iterùm manè circa horam tertiam, vel quartam dormire incipiunt, alij verò iterùm dormire non possunt. Quorum euentuum, ratio talis reddenda est, quod nimirum, cum chylus ad partes secundę concoctioni destinatas, vel inseruientes defertur, tum humores

vitiosi

vitiosi in membris, & vasis latentes agitantur, ex ijsque vapores eleuantur, qui per venas, & arterias ad caput delati, vigilias excitant; & si breui discutiantur, somnus iterùm reuertitur, si verò diutius perseuerent, reliqua noctis pars insomnis transfigitur.

De his omnibus symptomatis anteà dictum est, & iterum repetendum, omnia in omnibus non reperiri; sed plura, vel pauciora, pro humorum, & partium affectarum varietate.

Hoc etiam annotatum est, non esse de essentia melancholiæ hypochondriacæ, vt in hypochondrijs tensio, durities, dolor, & tumor percipiantur, cùm mali fomes plerumque in ramis venæ portæ, & arterijs vicinis hæreat, & inde vapores ad cor, & cerebrum transmittat. Sæpè tamen tensiones in hepate vel liene reperiuntur, quæ humores illis partibus hærentes significant. Si verò nullę adfuerint signum est, humores vitiosos in venis mesenterij, omenti, pancreatis, & ventriculi latitare. Ventriculum autem præcipuè affici demonstrant peculiaria illius symptomata, vt ructus acidi, nidrosi, nauseæ, vomitus, apepsiæ, & interdum alui fluxus.

Quod ad prognosin attinet, affectus iste vt plurimùm lethalis non est, sed longissimus esse consueuit, & sæpè toto vitæ decursu perseuerat, vnde vulgò dicitur opprobrium medicorum, ex eo quòd non satis feliciter curatio succedat: & si tandem post multa remedia ægri conualescere videantur; posteà tamen intrà paucos menses malum recrudescit, & omnia symptomata redintegrantur. Dicitur etiam flagellum medicorum, quia huiusmodi melancholici noua quotidie postulant remedia, iisque statim satiantur, & assiduis querimonijs Medicos infestant, eosque sæpissime mutant.

Hæmorrhoidum fluxus, melancholia hypochondriaca laborantibus superueniens, plurimùm iuuat, modò fuerit moderatus: si enim diutius duret, periculum portendit.

Vrina crassior melior est in hoc morbo tenui, & aquosa, quæ crassos humores in corpore retineri arguit. Nigræ quoque vrinæ sine febre sæpè hunc morbum soluunt.

Aluum in hoc morbo laxam habere, bonum, adstrictam verò habere, malum. Vomitus quoque cum συρφετῶν sæpè vtilis: diu verò perseuerans, perniciosus.

Vertigo, & diuturnus capitis dolor in melancholia hypochondriaca, in epilepsiam, vel cæcitatem, vel apoplexiam degenerat.

Curatio huius affectus in tribus potissimùm indicationibus versabitur; obstructionum apertione, intemperiei viscerum correctione, & humoris peccantis euacuatione, non omissis roborantibus, quæ dictarum partium vires reficiant, & instaurent. In hunc finem sequentia remedia, abhibito sapientis Medici iudicio, & delectu, vsurpari poterunt.

Præmisso clystere sequens potio primùm exhibeatur.

℞. Sennæ mundatæ ʒ ſem. seminis anisi, & crem. art. an. ʒ i. fol. borrag. fumar. acetosæ ana M. ß. liquirit. Drach. iii. Coquantur ad ℥ iij. In colatura dissolue rhabarb. in aqua buglossi cum spica infusi drach. j. sem. Cathol. dupl. Drach. iij. syrup. de cichor. compos. Vnc. i. Fiat potio, cui addere vtiliter licet in valdè melancholicis confect. alKermes Drach. i.

Postridie potionis plebotomia celebranda ex alterutro brachio, prout hepar aut lien magis laborare videbuntur, sed præcipuè e sinistro.

Postea sequentium iusculorum vsum æger aggrediatur.

℞. Rad. asparagi, gr. & cichor. ana ℥ ſem. fol. agrim. ceterac. n. cappill. ven. buglossi & cichor. an. M. ſem. Crem. tart. ʒ i. Coquantur cum pullo gallinaceo, & fiat iusculum per x. aut xii. dies continuandum. Ad magis refrigerandum, & efficaciùs obstructiones aperiendas, vtiliter addi possunt spiritus vitrioli gutt. iv.

Prædictis etiam simplicibus addi possunt in diuturnis obstructionibus, rad. chinæ, lignum sassafras, santalum album, rad. apij, filicis maris, fol. betonicæ, scabiosæ, semen coriandri præpar. passulæ, & similia.

Si aluus sit adstricta, aut cacochymiæ copia, in tertio quoque iusculo sennæ Vnc. ß. cum sem. anisi vtiliter infundi poterit.

Vel loco iusculi, ad materiam peccantem potentiùs educendam, apozema sequens erit conuenientissimum.

℞. Rad. buglossi, asparag. cichor. & acetos. an. Vnc. j. cort. median. fraxini, & tamarisci, an. Vnc. ß. fol. agrim. ceterach. capill. vener. cuscutæ, cichorij, fumariæ, lupulor. buglos. & borrag. ana M. j. Sem. quatuor frig. mai. anisi, & fœniculi, an. ʒ. ij. vuarum corinth. ℥. j. sennæ mundat. & polypod. querc. recent. an. Vnc. ij. epithymi ℥. j. agarici recenter trochisc. & rhab. elect. seorsim infusor cùm cinam. an. ʒ ij. macis, & caryophyll. an. Drach. j. flo. iv. cordial. an. P. j. Coquantur ad quartaria quinque. In colatur. dissolue syrup. de cichorio compos. cum rheo, & rosat. solut. an. Vnc. ij. Fiat apozema clarificatum, & aromat. Drach. ij. santali citrini, pro iv. dosibus matutinis.

Loco apozematis vtiliter subrogari potest decoctum galli veteris, in hunc modum compositum.

℞. Radic. asparagi, brusci, cortic. rad. capparis, & mediani tamarisci, an. ℥. ſem. fol. agrim. ceterach. capill. ven. an. M. j. sem. anisi, & card. bened. an. Drach. j. sennæ mundat. Vnc. sem. polypod. querc. & epithymi an. Drach. iij. cinam. scrup. j. Crystal tart. Drach. j. Coquantur omnia secundum artem cum media parte galli veteris, fiat iusculum, quod capiat manè per iv. dies.

Post sufficientem purgationem balneum aquæ tepidæ conuenientissimum est, per aliquot dies vsurpatum, vtiliter in eo coquuntur herbæ refrigerantes cum bona quantitate pomorum redolentium. Vel fieri non rarò solet ex hordeo, & amygdalis contusis sacculo inclusis, & in aqua decoctis. Frequenter iterandum est, si tempus anni fuerit opportunum, quandoquidem Gal. refert. 8. *de loc. affect. c. 6.* solis balneis aquarum dulcium se multos melancholicos curasse, absque alio medicamento. Si tamen æger ferre frequenter nequeat integrum balneum, semicupium subrogari poterit.

Et ne lotio frequens ventriculo noceat, sub ingressu balnei inungetur ventriculus oleo nucis moschatę, aut alio simili linimento.

Ab exitu balnei inungatur hepatis regio cerato santalino, vel vnguento rosaceo, in oxycrato lotis.

Post vltimum balneum proritentur hæmorrhoides, subditis balanis acrioribus, vel anum confricando folijs siculneis, aut panis lineis asperioribus; & affixis partibus eminentioribus hirudinibus duabus, aut tribus, extrahantur sanguinis vnc. v. vel vj. Eademque hæmorrhoidum prouocatio vere, & autumno, imò interdum singulis mensibus iterari debet.

In ijs, qui assueti sunt pati fluxum hæmorrhoidum, qui tamen iam diu suppressus sit, & vbi hæmorrhoides non apparent, admota ano cucurbitula patefiunt.

Si postquam hirudines saturatæ ceci derunt, sanguis nimiũ profluat, vt non raro contingit; sistetur luto, aut carbonis puluere, aut aranearum tela, aut gypsi puluisculo, aut pulueribus adstringentibus, albo, oui, & stupis exceptis.

At si hæmorrhoides commodè aperiri nequeant, opportunum erit ex venis inferioribus sanguinem detrahere, vt sanguis fæculentus per ea loca deriuari queat.

Causticum, tibiæ sinistræ inustum, ab humoribus excrementitijs lienem, aliaque viscera repurgat; ideòque non erit omittendum.

Quia verò hic affectus contumaciſſimus esse consueuit, & post vniuersales euacuationes nouus prauorum succorum cumulus temporis progressu solet succrescere, purgationes periodicæ instituendæ sunt, vt per interualla ab eorum noxa corpus liberetur. Quod commodissimè fiet syrupo magistrali, in sequentem modum composito.

℞. Succor. recenter express. & per refidentiam depur. ex fol. borrag. buglos. endiuiæ, cichor. fumar. & oxalidis ℔. iij. succi pom. redolent. recenter expressi, & depurati ℔. ij. polypod. querc. recent. ℔. ß. sennæ mund. Vnc. viij epithymi ℥ iij. agar. recenter trochisc. ati Vnc. j. zinzib. & caryophyl. ana ʒ. j. Infundantur, & decoquantur, vt artis est, donec colaturæ supersint quartaria quinque. In quibus dissolue expressionem Vnc. j. rhab. in prædictis succis cum cinam. seorsim infusi, sacchari albi quataria quinque. Fiat syrup. perfectè coctus, clarif. & aromat. ʒ. ij. puluer. elect. triasant. qui seruetur in vase vitreo, & de eo capiat æger Vnc. ij. bis, aut ter in mense, cum iusculo pulli, vel hœduli, fol. endiuiæ, acetosæ, borrag. pimpinel. alterato.

Vel loco syrup. pilulæ vsurpari poterunt, hyemis præsertim tempore, quales in hepatis obstructione fuerunt propositæ, vel si earum nimia caliditas metuatur, sequentes magis correctæ in eundem vsum componi poterunt.

℞. Polypod. querc. Vnc. sem. Rad. asari, summit. genistæ, an. Drach. j. passul. corinth. Drach. iij. crystali tart. Drach. j. ß. flor. buglos. & borrag. an. P. sem. Coquantur in aquæ font. q. s. De colat. opt. clarif. cap. ℔. sem. succi pomor. redolent. opt. depurat. Vnc. iv. quibus infunde sennæ mundatæ

vnc. j.

Unc. j. turbith. & agar. aā. ʒ. iij. macis, caryophyll. cinam. & epithymi ana ʒ. j. Digerantur per quatriduum in B. M. posteà colentur, & exprim. Colat. adde extracti aloes, facti in aquâ endiuiæ, & acetosæ, ʒ j. myrrhæ in vino ad ignem dissolutæ colatæ ʒ ij. salis tart. dr. j. Euaporentur omnia & inspissentur ad lentum ignem, addendo sub finem, dum ferè euaporata erit materia, specier. diarrhod. abbat. lætif. Gal. & trochisc. dialacca, an. ℈. ß. Reducantur in massæ pilularis consistentia, de qua capiat æger dr. ß. semel in septimana, duabus horis antè pastum.

Pereda sequenti puluere multos melancholicos curatos esse testatur, eumque benedictum, & diuinum appellat.

℞. Epithymi ʒ ß. lapid. lazuli opt. & agar. recenter trochisc. ana. dr. scammon. dr. j. caryophyll. numero xx. Misce, fiat puluis, de quo capiat dr. ij. bis, aut ter in mense, cum sero lactis, vel aqua borraginis.

Si purgantia medicamenta satis frequenter exhiberi nequeant, aut ægri morbi diuturnitate fracti assumere nolint; consultissimum erit, clysteres alternis diebus injicere, vt vapores sursùm se effetente, reuellantur, & humoris peccantis portio educatur. Si enim intestina penitus subierint, à venis mesaraicis maiorem illuuiei partem exhauriunt. Nouimus enim quemdam nobilem virum, affectione hypochondriaca diu, & grauiter affectum, qui ex clysteribus frequenter iniectis ita leuatus fuit, vt omninò curatus videretur, cùm multa alia remedia frustra vsurpata fuissent.

Dum purgationes periodicæ vsurpantur, intermedijs temporibus curandum est, vt corpus vniuersum balneis humectetur, aut saltem semicupijs, vel fomentis quibus, & humoris peccantis inclementia frœnatur, eiusdemque reliquiæ conteruntur, & corpus humidius, ac fluidius redditur.

Roborantia etiam intermedijs temporibus vsurpanda sunt, quæ simul obstructionum apertioni inseruiant, eaque frequenter componi solent, in formam opiatæ, vel electuarij solidi, in tabellas redacti, in hunc modum.

℞. Conseruæ rad. bugloss. ʒ. ß. conseruæ flor. borrag. viol. ana. ʒ. j. conseruæ ros. & cortic. citri conditi, ana ʒ. ß. myrob. condit. num. j. confect. alKerm. ʒ. iij. rasuræ eboris, cornu cerui, & lapidis bezoart. an. ʒ. i. puluer. electr. lætif. Gal. & diarrhod. abbatis, an. ℈. ii. coralli præpar. & margarit. præp. an. dr ß. ambræ grif. ℈ ß. moschi opt. gr. v. fol. auri nu. iii. cum syrupo de pomis, vel conditura citri, fiat opiata, de qua capiat magnitudinem castaneæ, horis duabus ante pastum, singulis diebus, superbibendo vini albi parùm.

Simplicior, & gustui gratior opiata fit ex parte vna conf. alKerm. & quatuor partibus conseruæ flor. borrag. Ad potentiùs obstructiones aperiendas, si calidiora non multùm metuantur, addi possunt opiatæ conseruæ flor. tamarisci, rad. enulæ campanę, fol. absinth. capill. ven. & sales absinth. tamarisci, &c.

Tabellæ in sequentem modum componi poterunt.

℞. Pulu. diambræ, diamoschi dulcis & lætif. Gal. ana ℈. i. confect. alKerm. dr. iii. sacch. aqua borrag. & rosar. soluti ʒi. Fiat tabel deauratæ pond. dr i. Capiat vnam singulis diebus, horis duabus ante pastum. Uel gustui gratiores ita parabuntur.

℞. Confect. alKerm. dr. ii. ambræ grif. ℈. i. sacch. aqua boragin. & rosarum dissoluti ʒ iv. Fiant tabellæ.

Ambra gritea sola ad gr. v. vel vi. singulis diebus exhibita cum vino, aut aqua rosarum spiritus, & calorem nativum viuificat, & cor maximè exhilarat.

Authores nonnulli lapidis bezoartici vsum valdè probant aduersùs omnes morbos melancholicos, vtque qui vires cordis mirùm in modùm reficiat; eiusque grana v. vel vi. cum aqua rosar. aut alio liquore exhiberi debent.

Corpore sufficienter expurgato, tempestate idonea, ni mirùm vere, aut æstate, serum lactis vtiliter exhibebitur per 15. aut 20. dies: sic enim viscerum obstructiones aperientur & calida eorum intemperies emendabitur. Extrahetur autem serum lactis per ebullitionem, & clarificationem, eique commodè infundentur per noctem epithymi dr. ii. vel Unc. sem.

Quantitas illius ad robur ventriculi metienda est. Si tamen facilè venas iam aliquatenùs apertas peruadere queat, & per aluum, & vrinas ejci; in maxima quantitate exhibitum, instar aquæ mineralis, vt in calida hepatis intemperie docetur, multum proderit: hac cautione adhibita, vt ventriculus muniatur sacculis, alijsque remedijs infra describendis, & vespertinis horis opiata roborans singulis diebus exhibeatur. Loco autem epithymi aliquando permiscentur syro succus cichorij, & boraginis, aut alij refrigerantes, & appropriati, in hunc modum.

℞. Seri lactis caprili. ℔. iv. vel v. succi limon. recent. Unc iv. succi pomol. redol. nouiter extracti ʒ vi. conseruæ rosar. aut violar. aut sacchari albiss. ʒ i. cum duobus album. ouor. clarificentur. Capiat manè pocula tria, vel quatuor, vel plura, si stomachus ferre valeat.

In corporibus valdè emaciatis, reseratis aliquantisper obstructionibus, lactis asinini vsus conuenire poterit cum sacch. rosaceo, & si obmurmurantia sint hypochondria, tantillum aromatici rosati; vel diarrhod. abbatis erat vtilissimũ.

At cæteris remedijs præstant aquæ minerales acidulæ, & vitriolatæ, quæ viscerum intemperiem torrigendo, obstructiones referant potentissimè. Tales sunt in Occitania nostra Meynenses, & Vallenses. Illæ magis refrigerant. Hæ calidiores quidem, at obstructionibus tollendis, & humori terreno attenuando, ac detergendo, multò efficaciores.

De potu aquarum thermalium non leuis est inter Authores discrepantia. Nonnulli, vt Sennertus, omninò probant, quod huiusmodi aquæ ob mineralia, à quibus suas vires habent, & primas vias eluant, & vitiosos humores, qui in illis hærent, per aluum, & vrinas educant, ventriculum calefaciant, hepar, & lienem roborent. Calefactionem autem, & exsiccationem ab huiusmodi aquarum externo vsu, non autem interno esse metuendam. Alii, vt Claudinus, omninò reiiciunt, propter dictam exsiccandi vim. Alii, denique nec omninò reiiciunt, nec omninò admittunt huiusmodi aquarum vsũ, vt Montanus, qui eas conuenire sentit propter frigiditatem ventriculi, quæ huius affectus comes est indiuidua, & obstructiones. Ratione autem hepatis calidioris, & feruidi sanguinis, vult muniendum esse hepar, & lienem vnguento refrigerante Gal. Tum etiam vniuersam lumborum regionẽ eodem vnguento inunguendam. Hoc modo ait non nocere aquam, quia magis figitur in ventriculo, & locis frigidioribus, alia verò viscera solùm pertransit, nec in iis moram facit. Nos verò earum aquarum vsum conuenire posse censemus, si ventriculus frigidior magnam crassæ, & viscidę pituitæ copiam cumulet, & non admodùm insignis fuerit hepatis caliditas. Cuius partis noxa maiori ex parte declinari poterit; si non solùm vnguentum prædictum admoueatur; sed etiam iuscula refrigerantia post eiectas aquas exhibeantur, & post integrum earum vsum balnea refrigerantia, & humectantia per aliquot dies vsurpantur.

Non parum præstare consueuerunt ad obstructiones hypochondriacas aperiẽdas medicamenta ex chalybe composita, qualia in obstructionibus hepatis, & lienis fuerunt proposita, vitando tamen ea, quæ multùm calefacere, aut exsiccare valent. Imò verò, in corporibus calidioribus conuenient, chalybem cũ sulphure, aut aceto præparatum conseruę borraginis, & cichorij, ad formam opiatę permiscere.

In delicatioribus conueniet syrupus ex chalybe, prędicto loco descriptus aut spuma, quæ manet in vase vitreo post vini pluries chalibeati euaporationem, cum dictis conseruis permixta.

At cæteris omnibus remedijs palmam præcipit sal, seu vitriolatum martis, quod obstructiones aperit, viscera corroborat, eorumque calidam intemperiem emendat. Dosis illius est à gr. xij. ad xx. cum liquore idoneo, syrupo, aut conserua. Sed quia sapor illius admodùm ingratus est, soleo ego id in pilulas reducere cum mucilagine gummi tragacanthi. Vsus illius debet esse diuturnus, & ideò magna illius quantitas habenda est, quæ facilè comparari non potest, modo à Beguino alijsque descripto. Nos facillimam illius compositionem paucis cognitam hic subnectemus.

℞. Olei vitriol. aut sulphuris ℔. ß. spiritus vini ℔. j. ponantur in sartagine noua, & munda, & assere conteganturintra quindecim dies fiet per se salina concretio, quæ soli postmodum exponenda est, vt omnino exsiccetur, mouendo interdùm cum spatula ferrea. Hyeme poterit exsiccari suprà ignem leuissimum, aut in hypocausto. Sal propè exsiccatum in phiala vitrea recordatur benè obturata, nam aeri expositum facilè humectatur. Pilulæ etiam ex eo compositæ cum mucilagine tragacanthi duriores fieri debent addendo puluerem ipsius tragacanthi, ac postmodùm in phiala reondi, alioqui humescerent. Per mensem vnum, vel plures potest continuari huius remedijs vsus, non solùm innoxiè, sed semper cum vtilitate summa.

Ad obstructiones sensim aperiendas, & humorem melancholicum sensim expurgandũ, ac contemperandum, laudat Fonseca pillulas sequentes, quas diatartarum appellat.

℞. Sen-

℥. Sennæ puluerat. & salis tartar. an. Drach. j. cinamom. puluerat. ℈. sem. Cum syrup. de limon. fiat massa, cuius capiat pilul. iij. pond. Drach. sem. per horam ante cœnam, vt bis, aut ter deijciat. Habet enim sal tartari magnam vim domandi humores melancholicos, & atros; nam trahit ad se proprietate quadam acerositates, vt videre est, quando permiscetur aceto, aut spiritui vitrioli, quorum aciditatem tollit. Sciendum autem est. Fonsecam per salem tartari crystallum intelligere. Attamen non minus efficaciter senna infundi poterit cum sale tartari, & guttis aliquot spiritus vitrioli in liquore idoneo.

Ad dictas obstructiones aperiendas, nonnulli Authores commendant decoctum radicis chinæ, vt in obstructione lienis dictum est; quod à prudenti medico vtiliter interdum in vsum reuocari poterit.

Alij verò laudant succum absinthij concretum in forma pilularum, per se, vel cum gummi ammoniaco exhibitum, cui statim oxymel, factum ex decocto rad. asari, ac liquiritij superbibatur. Alij verò testantur decocto absinthij, aut vino absinthite per 30. vel 40. dies vsurpato, melancholiam hypochondriacam fuisse curatam.

Succus bugloss non quidem ad obstructiones aperiendas quemadmodum absinthium; sed ad humorem atrabilarium contemperandum efficacissimus est. Ideò illius Unc. ij. cum sacchari Dr. ij. vel cum vini optimi æquali portione per x. aut xij. dies manè vtiliter exhiberi poterunt.

Inter præcipua huius curationis hoc habendum est, vt aluus semper laxa seruetur. Ideò æger plura medicamenta habere debet familiaria, quibus frequenter vtatur ante cibum modò hoc, modò illud, ne vllum ei veniat in fastidium. In hunc finem vsurpari poterunt syrupus magistralis, & pilulæ prædictæ, tum etiam ea, quæ ad aluum adstrictam suprà descripta sunt. Quibus addere licet ex Montano, terebinthinam cypram, quam deglutiendam esse præcipit ad quantitatem auellanæ, tribus horis ante prandium, semel aut bis, aut ter, singulis septimanis. Nam præterquàm quòd aluum mollem efficit, ventriculum etiam purgat, obstructiones aperit, vrinam prouocat, calefacit ventriculum neque propterea hepar lædit, imò, & illi mirum in modum confert aperiendo, abstergendo, & mundificando.

Pro potu ordinario vti poterit aqua extinctionis auri, vel infusionis tamarisci, agrimon. pimpinellæ, cum vino tenui simplici, vel medicato, tempore vindemiarum cum rad. bugloss. & borrag. adiectis floribus anthos in parua quantitate, & santalo albo.

Decoctum radicis cynosbati pro potu ordinario à quibusdam plurimùm laudatur, aperit enim, & roborat partes omnes naturales.

Decoctum ligni nephritici viscerum obstructiones citra vllam manifestam corporis alterationem refert. At frequentiùs vsurpatur aqua ex infusione chalybis parata. Quę omnes aquæ decocta vino commodè misceri possunt.

Dum remedia interna proposita, aut eorum nonnulla vsurpantur; externa etiam admouenda sunt, nimirùm fomenta, & vnguenta hypochondrijs, qualia ad obstructiones hepatis, & lienis descripta sunt, vitando calidiora.

Ventriculo etiam robortantia admouenda sunt; quoniam illa pars in hoc affectu perpetuò laborat. Ideòque fomenta, vnguenta, emplastra, & scuta, in affectibus ventriculi proposita, in vsum reuocari poterunt. Tum etiam interna, quæ hepar minùs calefacere possunt, ac præcipuè pulus pepticus à pastibus sumendus. In paroxysmo, quando vapores, ab hypochondrijs eleuati, cor, cerebrum, aliasque partes afficiunt, & grauia symptomata producunt, vt animi defectiones, palpitationes, tremores, conuulsiones, dolores capitis, & similia; ea remedia vsurpanda sunt, quæ in syncope, & affectus hysterico vsurpari solent. At inter cætera laudanum, prudenter vsurpatum, miranda præstat.

CAPUT VI.

De Scorbutica affectione.

SCorbutus septentrionalibus regionibus familiaris est, & non paucis earum plagis endemius. In nostris verò meridionalibus hactenus ferè incognitus, ita vt omnes Medicinæ practicæ scriptores, qui medicam artem exercuerunt, nullam illius mentionem faciant, & nos etiam ipsum penitus omittere debere videamur, qui in huius libri præfatione protestati fuimus, nos morbos tantùm lienis vsitatiores, & qui frequentiùs in praxi occurrere consueuerunt, esse descripturos. Uerùm vsus nõ docuit, hanc nostram regionem hoc affectu non omninò carere, qui ii omnibus circumstantijs stipatus non sit, quæ ab Authoribus septentrionalibus referuntur; quædam tamen symptomata præseferat, ad illius naturam stabiliendam sufficientia. Siquidem prædicti Authores vnicum symptoma, scorbuto peculiare, sufficere aiunt, ad morbum istum detergendum: Nos verò sepè huiusmodi symptomata non pauca in plurimis ęgrotantibus animaduertimus. Quia tamen scorbutus hisce regionibus, vt antea dictum, non est familiaris, & nos ab illo prorsus immunes esse omnes Medici nostrates existimant; noluimus eum absolutè scorbuti nomine donare; sed satiùs esse duximus, affectionem scorbuticam appellare, quæ scilicet ad scorbuti naturam proximè accedat, verus tamen scorbutus non sit.

Est autem scorbutus nihil aliud, quàm affectio hypochondriaca, peculiarem quemdam malignitatis gradum adepta, à qua quidem malignitate nonnulla symptomata oriuntur suprà illa, quæ in affectione hypochondriaca solent contingere. Illa verò malignitas fit ex humoris melancholici corruptione, non qualibet, siquidem sæpè corrumpitur, ac putrescit humor melancholicus, ex quo alij affectus producuntur, non autem scorbutus, vt febris quartana, & abscessus mesenterij, aliarumque partium; sed peculiari, & propria, cum tali malignitate analoga. Hæc autem malignitas innotescit ex contagio, quod in hoc affectu reperitur: siquidem contagiosum esse, ab omnibus Authoribus, qui de eo scripserunt, sancitum est. Quemadmodum autem omnes malignitatis gradus, & species, in humoribus latentes, ex quibus varij morbi producuntur, nos latent, & humanam cognitionem effugiunt, sic malignitas scorbutica etiam occulta est. Et certe mirum est, quanta morborum varietas emergat, ex varijs malignitatis gradibus in humores introductis; ex quibus febres malignæ, & pestilentes, variollæ, & morbili, cancer, & elephantiasis, lues venerea, alijque quamplurimi, ac diuersissimi affectus oriuntur. Et speciatim elephantiasis ex malignitate quadam peculiari, in humore melancholico residente, ducit originem. Scorbutus etiã ex peculiari malignitate in eodem humore melancholico latente producitur: cum tamen isti duo morbi toto cœlo differant inter se, & nemo possit varios illos malignitatis gradus explicare.

Magnam scorbuti, & melancholiæ hypochondriacæ similitudinem ostendunt symptomata varia, vtrique affectui communia. Omnia enim symptomata, superiori capite à nobis ennumerata, quæ in melancholia hypochondriaca reperiri diximus, in scorbuto etiam reperiri solent, vt cruditates ventriculi, dyspepsiæ, saliuationes frequentes, vomitus materiæ pituitosæ, acidæ, aut nidorosæ, murmura, & rugitus hypochõdriorum, eructationes, & flatuum per inferiora explosiones, sanguinis vomitiones, & per aluum excretiones, dolores, ab ijsdem flatibus, in ventriculo, & hypochondrijs excitati, aluus adstricta interdum, & aliàs alui fluxus, æstus hypochondriorum, vrina nunc tenuis, nunc crassa, cordis palpitatio, pulsatio sinistri hypochondrij, sitis, & oris siccitas, difficilis respiratio dolores capitis, aurium tinnitus oculorum caligines, vertigines, metus, & mœstitia, & deliria melancholia diuersa, conuulsiones, epilepsiæ, torpores, comatosi affectus, vigiliæ, somni perturbati, & insomnia terrifica. Quorum omnium symptomatũ rationes, superiori capite proposita, in affectione scorbutica etiam hic militare poterũt.

Si verò præter symptomata prædicta alia etiam appareant, quæ in melancholia hypochondriaca non reperiuntur, neque ab Authoribus illi tribuuntur, neque ad aliam affectionem cum hypochondriaca complicatam reuocari possunt; magna debet esse scorbuti coniectura. Horum autem symptomatum præcipua in hunc modũ se habent, quæ in vno ægrotante omnia non reperiuntur; sed vnicum sufficit ad indicandum, talem morbum ad scorbuticam affectionem accedere.

Primùm igitur, atque euidentissimum scorbuti signum est, affectio gingiuarum, oris, & dentium. In gingiuis contingit rubor, pruritus, ac putrefactio, & exijs plerumque sanguis effunditur, nec non deterrimus odor exprirat. Quæ affectiones interdum faucibus, & palato communicantur; tum etiam dentibus, qui vacillantes, ac nigredine infecti redduntur.

Secundum atque euidens scorbuti signum petitur à maculis crura, & tibias inuadentibus, quæ in principio rubræ, & in progressu purpureæ, liuidæ, ac nigræ apparent. Nonnunquam verò in tibijs spatia latiora, imò verò interdum totam

partem occupantia, liuida, vel cum nigrore, aut liuore purpurea apparent. Fiunt autem huiusmodi maculæ ex serosa, atque ichorosa sanguinis parte ad corpus alendum inutili, quæ ideò à natura extra venas in cutem protenditur per nauisosin venarum, vt loquitur Hipp. *lib. de fracturis*. Quod quidem frequentiùs in tibijs, & cruribus contingit. quia natura vitiosos humores ad partes ignobiliores, ac remotiores expellere consueuit. Aliquando tamen, vbi maior est materiæ copia, in dorso, brachijs, ceruice, ac facie efflorescunt.

Tertium signum est, difficilis respiratio, & pectoris angustia, quæ fit plerumque à crassis vaporibus, ex hypochondrijs eleuatis, ac diaphragma impetentibus: tum etiam ex tumoribus atque inflationibus earundem partium, à quibus diaphragma comprimitur: præsertim verò à tumore pancreatis, quòd vt plurimùm in hoc affectu humore illo crasso, ac melancholico impletur; vnde ægri nihil de thorace conqueruntur sed locum affectum, in quo grauitatem sentiunt, & cuius causa difficilè spirant, sub diaphragmate, & ventriculi regione ostendunt, vt diligenter annotauit Eugalenus qui in hoc morbo sese plurimum exercuit, & multas circa illius phænomena collegit obseruationes. Huius tamen grauitatis causam, nempe tumorem pancreatis, non agnouit: neque vllus alius eorum, qui de scorbuto scripserunt, illius mentionem facit. Nos tamen eum obseruauimus in Domino Audeyer in Senatu Gratianopolitano Præside, quem affectione scorbutica laborare existimauimus, vt in prolixiori eius historia videre est, à nobis relata in obseruationibus nostris, *curat. 3. obser. 85*. Cum autem valdè macilentus esset, ac strigosus, facilè fuit, summos digitos profundiùs adigendo duritiem, ac renitentiam, eamque dolorificam percipere in ea regione, in qua pancreas situm est: & partem contrectando, æger ipse pronunciabat, difficilem respirationem, ac pectoris angustiam, qua ipse continuò premebatur; inde totam exoriri.

Quartum signum est, lassitudo spontanea, & grauitas corporis præcipuè verò in cruribus, quæ fit à serosis, ac vitiosis humoribus per venas ad habitum corporis, & musculosum genus delatis.

Quintum signum petitur ex vrinis, quæ quidem variæ sunt, vt in melancholia hypochondriaca; sed in hoc differunt interdum, quòd claræ, & rubræ sint instar lixiuij, ab humoribus salsis, magna copia admixtis. Illa autem rubedo eò intensior est, & ad fuscum declinans, quo maior salsæ materiæ quantitas permiscetur. Quemadmodum enim lixiuium eo maiorem rubedinem acquirit quò plures salsæ, & adustæ partes ipsi insunt: sic etiam vrinæ quo plus salsi, & adusti humoris ijs admiscetur, eò rubicundiorem colorem acquirunt. Interdum verò sunt admodum crassæ, sedimentum rubrum, ac crassum instar farinæ laterum habentes. Ac tanta interdum est materiæ huius crassæ, & tartareæ copia, & acrimonia, vt vrinæ ardorem, atque stillicidium excitet, præcipuè ijs, quibus suppressio hæmorrhoidum malo originem dedit; tum etiam post subsidentiam vrinæ, tertia, vel quarta pars matulæ, crassa illa, mucosa, & nigricante materia repleatur, quæ incautioribus calculi, aut vlceris vesicæ suspicionem parit.

Sæpè etiam ita variant vrinæ sine causa manifesta, vt quę hodie turbidę, ac crassę, cras tenues & aqueæ appareant; hodie pallidę, cras citrinę, aureę, vel rubræ.

Sextum signum ex pulsu desumitur, qui nunc debilis est, & inæqualis, ac ferè formicans, vt mirum sit, hominem cum tali pulsu viuere posse; nunc magnus, & durus absque inflammatione. In eo etiam hoc notatur, quòd imminente animi deliquio, in summis illis angustijs, quibus ægri sæpè diuexantur, pulsus maior, ac fortior sit, quàm alijs temporibus. Quòd procedit ex contentione cordis, vapores crassos, à quibus tunc temporis maximè affligitur expellere conantis.

Septimum signum petitur ex doloribus, varias corporis partes affligentibus. Adest enim interdum dolor crurum obtusus, aliquando tensiuus plerumque ῥοικοκτος, alias dolores excitantur in suris; aliàs circa talos; alias in plantis pedum; alias circa manuum, & digitorum extrema: alias ingenuum, vel coxæ, aliarumque partium articulationibus, cæterisque corporis partibus, provt humores salsi, acres, & serosi ad eas deferuntur: nonnunquam ventris dolor contumax, & acerbus ægrotantem exercet, qui colicam biliosam æmulatur, fitque à prædictis humoribus, in peritonæum effusi. Isti autem dolores, præsertim, qui brachia, coxas, & tibias occupant, dolores illos æmulantur, qui lue venerea infectos affligere solent, & Medicis facilè imponere possunt, in hac potissimum regione, in qua scorbutus rarissimus est, lues autem venerea frequentissima. Verùm distingui possunt ex eo quod dolores venerei plerumque internodia occupent, seu medias artuum partes, & si diu perseuerent, exostoses in ijs partibus generantur; tum etiam alia luis venereæ symptomata adsint, aut alias adfuerint, vt gonorrhœa, caries pudendi, bubo venereus, & similia; aut impurus concubitus præcessit. Doloris autem scorbutici quascumque partes indifferenter inuadunt; alia adsunt scorburi indicia, aut saltem temperamentum melancholicum admodum prędominatur, & res certò determinari poterit, si æger constanter asseueret, se cum impuris mulieribus rem non habuisse. Quod suspicionem nostram confirmauit in Magistratu Nemausensi, qui grauissimis pedum, tibiarum, & crurum doloribus diu affectus fuerat, & ad extremam maciem deductus, vt in marasmum omninò incidisse crederetur, & cum nulla remedia per longum tempus vsurpata ipsi profuissent nos ex temperamento illius valde melancholico, & quibusdam alijs signis, præsertim quod castissimam vitam egisset, & quod à multis annis sanguis illi è gingiuis per interualla fluere consueuisset, scorbuticum affectum esse coniecimus, & antiscorbuticis remedijs, per aliquod tempus, vsurpatis, omninò conualuit.

Interdum etiam in hypochondrijs dolores isti residunt; interdum verò lumbos afficiunt, vt ægri quasi elumbes reddantur, ac vix progredi, & sese loco monere possint. Vnde à nonnullis hic affectus lumbago nominatus est.

Quandoque verò dolores isti nephriticos æmulantur, & cum ijs vrinæ impensè rubræ, aut etiam atræ minguntur, & nisi diligenter considerentur, procruentis habentur, & è renibus à calculo læsis prouenire creduntur: cum tamen ex materia tartarea, & scorbutica, à liene viciniisque partibus ad vrinæ vias effusa, prouenianț.

Nonnullos etiam, atque eos præcipuè, qui ex suppressione hæmorrhoidum hoc malum contraxere, capitis dolor, & calor circa vesperam infestant, ex vaporibus ad caput ascendentibus, & posteà tota nocte, calor quidam præter naturam, instar febrilis, in toto corpore sentitur, qui manè per sudores euanescit.

Dolor dentium aliquando frequens, ac præter rationem recurrens, hunc affectum comitatur: qui non eodem loco persistit; sed vagus est, nunc dentem hunc, nunc illum inuadens, ac relaxans: qui rursus sponte firmantur, dolore ac tumore discusso.

Latera etiam interdum inuadit scorbuticus iste dolor, pleuritidem ementitus, à qua tamen facilè distinguitur, quòd febris non adsit, aut saltem admodum lenta: respiratio parum læditur, nulla tussis, nulla anacatharsis, neque dolor est continuus; sed per interualla recurrens.

Articulos etiam inuadere dolores istos scorbuticos, anteà dictum est. Sed, quomodo à vera arthritide distinguantur, explicare oportet. Arthritis enim scorbutica, fixa, & permanens non est, atque in vno, & eodem loco consistens; sed per varios articulos vagatur, & ab vno in alium atque alium eiusdem, vel oppositi lateris transfertur; interdum etiam euanescit, ac subinde reuertitur, vt qui iam à dolore prorsùs liberatus, & integræ sanitati restitutus videbatur, iterùm, & ex improuiso, dolore, cum, & sine tumore, corripiatur. At vera arthritis locum raro mutat, & ad solutionem vsque partem, quàm apprehendit, obsidere non desinit. Habet etiam hoc peculiare arthritis scorbutica, quòd plerumque cum leui paralysi iuncta sit, ob quam membrum affectum mouere ægri nequeunt, & illa cessante, dolor cessat; eoque redeunte, reuertatur.

Octauum signum desumitur ex varijs motus læsionibus. Interdum enim contingit in huiusmodi ægrotantibus spuria quædam paralysis cuius exempla quædam in obseruationibus nostris proposuimus, & à vera paralysi distinguitur, quòd hæc permanens sit, neque vlla habeat interualla: in illa verò sæpè accidit, vt qui heri pedem vix loco mouere poterat, hodie cruribus insistat, & leui adminiculo nixus ambulet; paulò post verò omni motu iterùm priuetur. Deinde, cum ea coniungunțur sæpè motus tremuli, & conuulsiui, quod in vera paralysi non contingit. Fit autem huiusmodi paralysis à materia quadam ichorosa, vel vaporosa, ac musculos inuadente. Quod si materia illa acrimoniæ particeps fuerit; partes neruosas vellicando, tremores, & conuulsiones efficit.

Non

Non solum autem in parte aliqua peculiari conuulsiones contingunt ; sed etiam interdum in toto corpore , epilepsiæ characterem referentes , vaporosa , aut serosa materia , acrimonia atque malignitate prædita , ad cerebrum eleuata , quæ discussa sæpè inducias dat , atque iterum collecta , nouas conuulsiones inducit.

Contractio membrorum in hoc affectu etiam contingere solet , interdum omnium , vt ægri nullum articulum habeant , quem extendere valeant : aliàs verò vnum, aut alterum, & hoc præcipue in cruribus contingit, tendinibus, ad eius mouendum destinatis, duris, ac rigidis in poplite euadentibus . Talis autem contractio indè exoritur , quò tartareus humor , multò sero dilutus , ad neruos , & tendines deferatur : parte verò serosa , & tenuiori successu temporis discussa , crassiores exsiccantur , & indurantur , vnde contractiones neruorum , ac tendinum efficiuntur.

Interdum etiam contractio in œsophago contingit , vt ægri cibum cum summa difficultate deglutiant , & in strangulationis metu versentur . Quod fit ex vaporibus stypticis œsophagum contrahentibus.

Nonum signum desumitur, ex alui fluxu, vel simplici, vel sanguineo . Simplex à vulgari alui fluxu in eo tantùm distinguitur , quòd excrementa in eo crassiora reddantur , & maiori parte stercorosa , ac ciborum assumptorum quantitatem superantia , cum vulgaris alui fluxus liquidior sit, & ex solis ferè humoribus compositus . At sanguineus alui fluxus à dysenteria distinguitur , quod sine ventris dolore , ac tormínibus efferatur : fitque à sanguine crasso,& fæculento , qui per arterias mesaraicas in intestina effunditur . Interdum etiam venæ hæmorrhoidales sanguinem istum fæculentum recipiunt , & per alui fluxum euacuant . At si diu talis alui fluxus persueret, venæ illæ varicosæ euadunt , & dilatatæ non solùm copiam sanguinis , sed etiam multos alios humores tartareos , & mucilaginosos educunt.

Decimum signum est , oris grauis anhelitus , qui omnibus scorbuticis familiaris est , vt testatur Eugalenus; ita vt astantes cum vix ferre possint , & nares auertere cogantur.

Undecimum signum est horror frequens , quem nullus , aut minimus calor sequitur , & eodem die bis, ter, vel etiam pluries inuadit.

Duodecimum signum petitur à febribus intermittentibus quæ interdùm scorbuticis accidunt , & caracteres habent , à vulgarium febrium characteribus longè diuersos. Pulsus enim in ijs debilis est, tardus , & inæqualis , præsertim in declinatione : in vigore enim plerumque magnus, & durus esse consueuit . Præterea in principio accessionum tantæ plerumque fiunt membranarum in varijs partibus , cruribus præsertim , vellicationes, vt carnes lacerari, atque diuelli videantur : quibus interdum motus conuulsiui iunguntur. At licet nonnunquam quotidianæ , tertianæ , aut quartanæ typum seruent ; sæpè tamen rariores , & inordinatos paroxysmos habent , vt semel tantùm , aut bis in mense sine certis periodis inuadant.

Decimum tertium signum petitur ex tumoribus , qui in varijs partibus varij contingunt, nunc duri, nunc molles , & vesicarum speciem referentes , nunc ad erysipelatis naturam accedentes.

Decimum quartum signum est atrophia , quæ tanta interdum in hoc affectu contingit , vt nihil præter ossa , & pellem in ægris remaneat , hique sceleton repræsentent , præsertim affectu diu perseuerante . Quod fit à vitioso sanguine , & à naturali statu valdè recedente , ita vt partibus alendis assimilari nequeat.

Plura alia scorbuti signa proponuntur ab Eugaleno , Sennerto,alijsque quorum nonnulla quamplurimis alijs morbis communia sunt , quæ nos supprimenda censuimus , ne confusio quædam in hac diagnosi inducatur. At licet (vt ab initio diximus) scorbutus in hac regione familiaris non sit, vt in Polonia , alijsque locis septentrionalibus , imò apud nos ferè sit incognitus ; si quis tamen in Medicina facienda omnia melancholicorum symptomata penitus inuestigaret, quosdam reperiet , ad scorbuticam affectionem accedentes, in quibus nonnulla ex superioribus symptomatis , scorbuto peculiaribus apparebunt.

Quod ad prognosin spectat , morbus iste curatu difficillimus est quemadmodum omnes , ab humore melancholico oriundi . Sed hic multò magis , in quo humor melancholicus prauam , atque malignam qualitatem adeptus est , quæ corporis œconomiam crudeliùs euertit , & maximam remediorum partem contemnit.

Periculosus etiam est , quia ægros non rarò in atrophiam aut hydropem deducit , alios morte subitanea per apoplexiam , syncopem , alioſque acutissimos morbos subripit.

Curantur tamen non rarò , qui pro deploratis habebantur, magis in hoc morbo , quàm in alijs quamplurimis . Et nos vidimus nonnullos , in omnimodam atrophiam perductos , ex diuturnis doloribus , aut consumaci alui fluxu sanguineo (quos affectus ex multis circumstantijs scorbuticos censuimus,) feliciter conualuisse.

Præterea sæpè deludit pulsus , qui in febrium paroxysmis præcipuè tam frequens, paruus , & inæqualis interdum fit, vt æger intra paucas horas moriturus videatur , qui tamen finito paroxysmo surgit è lecto , & ad consueta munia reuertitur ; vt peculiariter annotauimus in studioso Hollando , ad quem vocati in vigore paroxysmi , eum breui moriturum existimauimus . Postquam verò eum postridiè benè habentem vidimus; reliquis morbi circumstantijs diligentiùs examinatis , cum scorbuto laborare comperimus quem ille ex patria sua , in qua frequentissimus est , ad nos attulerat.

Curatio huius affectus eadem instituenda est, quæ in hypochondriaca melancholia fuit proposita : quandoquidem,vt ab initio dictum est,ab eodem humore generatur , sed à statu naturali magis recedente. Idèò plerumque potentioribus indiget remedijs . Quia tamen hæc est generalis medendi regula , vt omnis curatio à lenioribus incipiatur , ad fortiora postmodùm progrediendo, si illa non suffecerint, optimum erit in hoc affectum integram melancholiæ hypochondriacæ curationem instituere,& remedia,proprio capite à nobis descripta , sigillatim vsurpare ; quandoquidem morbus iste chronicus , & contumax non nisi longo remediorum vsu euinci potest . Et si morbum penitùs extirpare nequiuerint, ad ea tandem veniendum erit, quæ proprietate specifica illum oppugnare creduntur. Non erit tamen inutile, etiam ab initio nonnulla eorum illis admiscere .

Illa autem remedia specifica , antiscorbutica dicta , plurima proponuntur ab authoribus , qui de hoc morbo scripserunt , quorum vis præcipuè dependet à sale quodam volatili , cuius magna copia in ijs reperitur , & cuius opera humorem illum crassum , terrestrem , ac tartareum attenuant,fluxiorem reddunt, ac tandem discutiunt. Imo verò virtutem quandam alexipharmacam habent contra venenum illud scorbuticum , humori melancholico impressum. Inter illa autem primo loco laudatur cochlearia Batauica, quæ in nostris regionibus non reperitur . Alia verò sunt, nasturtium vtrumq; (præfertur tamen aquaticum) becabunga , seu anagallis aquatica, raphanus rusticanus, chelidonium minùs, absinthium, & fumaria. Quibus etiam adduntur alia quamplurima, sed minoris efficaciæ, suntque ea omnia, quæ melancholicum humorem præparare, corrigere , & edomare valent . Vnde non sine ratione dictum est à nobis , curationem , aduersus melancholiam hypochondriacam institutam , hic etiam plurimùm conferre . Illa autem sunt, carduus benedictus, ceterach , & capillares omnes, hyssopus, chamædrys, betonica, agrimonia, borrago, buglossum , radices enulæ campanæ , asari , oxylapathi, polypodium quernum , cortices capparum , fraxini , & tamarisci , flores eiusdem tamarisci , sambuci , & ephithymum.

In harum autem plantarum delectu hoc perpetuò obseruandum , vt illæ, quæ calidiores sunt, minori dosi vsurpentur : frigida verò aut temperata semper admisceantur , idque vt plurimùm in maiori dosi, præsertim in nostris plagis meridionalibus , in quibus humor melancholicus adustus est, & ad atræbilis naturam accedit. Ac præter capillares herbas , borraginem , buglossum, & agrimoniam , suprà enumeratas , vbi febris adest aut calor magis mutatur, addi possunt endiuia , cichorium , acetosa , succus citri limonum , arantiorum , imò, & spiritus sulphuris , aut vitrioli , aut etiam serum lactis.

Ex prædicti autem plantis quam plurimæ remediorum formulæ parari possunt , quæ omnes à Sennerto collectæ sunt,& ab omnibus authoribus excerptæ: quas vnusquisque pro arbitrio suo imitari poterit. Hoc saltem diligenter annotandum , quod ad omnibus authoribus proponitur , plantas prædictas efficaciùs operari , si expressus earum succus vsurpetur , vel in conseruas redigantur : quia sal illud volatile, in quo tota eorum efficacia residet , per decoctionem euanescit, tum si planta exsiccetur , maiori parte resoluitur.

Nos verò formulas sequentes feliciter vsurpauimus.

℥. Succorum depuratorum nasturtij aquatici, & becabungæ. an. Unc. j. succi fumariæ Unc. ij. sacchari albi Drach. ij. fiat potio. Uel

℥. Succi fumariæ, & nasturtij aquat. an. Unc. ij. Misc. Uel

℥. Succorum acetosæ, fumariæ, & nasturtij aquatici, ana Unc. ij. Misce

Succus acetosæ augeri potest, si impensiùs refrigerare est animus, tum succus limonum, aliique refrigerantes addi possunt.

Maior erit remedij efficacia, ad dissoluendum tartarum illud tenax, & glutinosum, si sal tartari addatur ad Drach. j. cum spiritu sulphuris, aut vitrioli ad ℈. j. vel Drach. ß. Et quia in vsu huiusmodi remediorum purgationes frequenter vsurpandæ sunt, optimum erit in prædictis succis sennę Drach. j. vel ij. per noctem infundere, & singulis, vel alternis diebus, vel tertio quoque die exhibere.

His verò chalybeata remedia per vices adiungere, operę pretium est, qualiæ in melancholiæ hypochondriacæ curatione proposita sunt, tum etiam opiatæ roborantes, & aperientes, aliaque remedia ibidem descripta interserenda, pro prudentis Medici arbitrio.

Ac denique aquæ minerales, acidulæ, & vitriolatæ, conuenienter, & debito tempore vsurpatæ, ad huius affectus curationem plurimùm conferre poterunt.

PRAXEOS MEDICAE

LIBER DECIMVSTERTIVS.

DE AFFECTIBVS MESENTERII, PANCREATIS, ET OMENTI.

PRAEFATIO.

IN explicandis Mesenterij, Pancreatis, & Omenti affectibus, authores admodum steriles sunt, & maior pars illorum penitùs eos omiserunt, quòd cognitu difficillimi sint, & maiori parte nonnisi ex dissectis cadaueribus innotescant, vt ex historijs constat, à Schenkio Sennerto aliisque collectis. Frequentissimi tamen esse consueuerunt. Vnde verè Fernelius asserit, sæpè in Mesenterio latere plurimorum morborum causas vt choleræ melancholiæ, diarrhœa, dysenteriæ, cachexiæ, atrophiæ, languoris, lentarum, errantiumque febrium, vomitionum, dolorum colicorum tumorum, & abscessum. Syluis vero Mesenterium infinitorum morborum parentem nominabat: ab alijs autem Medicorum nutricula vocatur. Idem depancreate, & omento dici potest. Sunt enim partes illæ ignobiliores, & velut corporis sentina, ad quam membra nobiliora excrementa sua deponunt. Licet autem prædictę partes, quemadmodum, & reliquæ totius corporis omnibus morborum generibus afficiuntur, similaribus, organicis, & communibus, variaque inde symptomata emergant: nos tamen ijs tantùm inhærentes, quæ ad vsum praxeos maximè faciant, vniuersum hunc tractatum quinque comprehendemus capitibus. Quorum Primùm erit de obstructione mesenterij. Secundùm, de inflammatione mesenterij. Tertiùm, de abscessu, scirrho, & vlcere mesenterij. Quartùm, de morbis Pancreatis. Quintùm, de morbis Omenti.

CAPVT I.

De Obstructione Mesenterij.

OBstructiones in Mesenterio ab ijsdem causis generantur, quæ in hepatis, & lienis obstructionibus propositæ sunt, sed frequentiùs, & facilius contingunt propter venarum mesaraicarum angustiam, & præcipuè lactearum, quæ chylosam materiam deuehunt ad secundæ concoctionis officinas; & cum illa materia chylosa crudiori & crassiori succo sæpè referta sit, fit, vt illa liberum commeatum non habens, in illis venulis hæreat, & obstructiones pariat. Uenæ etiam mesaraicæ obstruuntur ab humoribus crassis, ab hepate, liene, aliisque partibus transmissis, ibique diutiùs remorantibus, in qua mora maiorem in dies crassitiem acquirunt, ita vt interdum tumorem, scirrhosum generent. Humoribus etiam interdum flatus crassi commiscentur, qui grauissimorum symptomatum causæ esse solent. Ad obstructionem etiam, vel potiùs angustiam illarum venarum referimus compressionem, quæ fit à glandulis, per totam mesenterij substantiam dispersis: illæ enim, præter modum increscentes, vt in strumosis dispositionibus contingit, venas meseraicas comprimunt, & tum chyli, tum sanguis commeatum impediunt.

Signa obstructionum diagnostica in tres classes diuidenda sunt, vt in hepatis obstructionibus factum est, quæ scilicet morbi speciem, vel partem affectam, vel causam eum producentem significant.

Signa morbi speciem indicantia, id est, ostructiones in hypochondrijs latitantes, tum etiam earum causas, communia sunt obstructionis hepatis, lienis, & mesenterij: ideò ex diagnosi obstructionibus hepatis repetenda. Quæ verò mesenterium peculiariter affectum significant, sunt tensio, & renitentia in medio ventre, & sub ventriculo, ac regione vmbilicali: grauitatis sensus in eadem regione, & interdum dolor obtusus, nonnunquam etiam acutissimus, quando flatus in ijs partibus continentur: dolor etiam aliquando in dorso percipitur, propterea quòd mesenterium huic parti alligatur: murmura, & rugitus in ventre fiunt, ructus excitantur, vapores in caput attolluntur, vnde varia symptomata contingunt: ac denique ea omnia, quę in melancholia hypochondriaca accidere consueuerunt, mesenterij obstructiones indicant: quandoquidem illa ab huiusmodi obstructionibus producitur, ac fouetur.

Quod ad prognosin attinet, affectus ex se periculosus non est, quia pars ignobilis grauia mala terre potest sine vitæ periculo: deinde remedia generosa ad illius curationem adhiberi possunt, quæ conuenienter administrata, exoptatum effectum vt plurimùm consequuntur: nisi melancholia hypochondriaca inde exorta fuerit, quæ opprobrium Medicorum vocari consueuit, propter rebellem humoris melancholici naturam. Cùm tamen hæc pars sensu exquisito donata non sit, & obstructiones plerumque graue incommodùm ægrotantibus non afferant; sæpè negliguntur, & aliorum morbum maxime periculosorum causæ esse solent.

Curatio huius affectus eadem instituenda est, quæ in hepatis obstructionibus fuit proposita, eaque inde erit repetenda.

CA-

CAPVT II.

De Inflammatione Meſenterij.

CVm Meſenterium, vt anteà dictum eſt, ſit velut ſentina, ad quam partes nobiles ſuperfluitates ſuas deponunt, quæ poſtmodùm per vomitum, aut feceſſum à natura excluduntur: vt in nonnullis videre liceat, inſignem vitioſorum humorum copiam, per interualla, vomitu aut feceſſu excerni: ſi vacuationes illæ impediantur, obturatis vijs, per quas ferri ſolebant, vel alia quapiam cauſa, humores illi retenti, & diu in parte commorantes, calorem præternaturalem concipiunt, vnde putredines, inflammationes, febres variæ, & abſceſſus oriuntur. At inflammatio ſpecialiter concitatur, quando ſanguis, in venis meſaraicis cumulatus, per alicuius rami apertionem in meſenterij ſubſtantiam effunditur: cùm autem in ijs venis propter obſtructiones maximè cumuletur, ideò omnes obſtructionum cauſæ, ad inflammationis cauſas etiam referri poterunt.

Ad hanc etiam inflammationem efficiendam plurimùm confert humorum congeſtorum acrimonia, & eroſio: lapſus aut percuſſio regionis hypogaſtricæ: facultatis hepatis attractricis, concoctricis, aut retentricis debilitas: corporis calefactio nimia, vel refrigerantium vſus intempeſtiuus: motus criticus naturæ, in febribus malignis, aut variolis, humores peccantes in hanc ſententiam demandantis diarrhœa, vel dyſenteria, intempeſtiuè ſuppreſſa.

Signa inflammationis Meſenterij diagnoſtica ſunt, febris languida occulta, & lenta, abſq; ſiti, & grauioribus ſymptomatis: anorexia: tenſionis, & grauitatis ſenſus ſubter ventriculum, citra magnam duritiem, & non niſi preſſu digno ſcitur; citra dolorem etiam, ſaltem effactum dignum, quia pars obtuſo ſenſu donata eſt egeſtiones chyloſæ, quas plerumque ichor tenuis conſequitur, ſine vllo doloris ſenſu, modò ſeorſim, ac ſincerus, modò fecibus permixtus.

Mitiora ſunt omnia ſymptomata prædicta, ſi meſenterium ſolum inflammatione afficiatur: ſi verò hepar, aut lien, aut inteſtina ſimul inflammatione tententur; vehementiora ſunt omnia ſymptomata, ac prætereà peculiaria prædictarum partium affectarum ſigna apparebunt, ex ſuis capitibus deſumenda. Cùm enim huius partis inflammationes, & abſceſſus maximè lateant, ſi ſolitarij ſint, propter obtuſum partis ſenſum, & quia nullam in corpore edit actionem, cuius leſio internoſci valeat, ſed vſum tantùm habet, chyli, & ſanguinis diſtributioni inſeruientem, ideò oblique magis, quàm directè, & artificioſa coniectura internoſcendi ſunt; ſi nimirum preſente febre, aliiſque ſymptomatis, nulla affecti hepatis, lienis, aut inteſtinorum ſigna appareant. Speciatim verò inteſtina ſimul cum meſenterio inflammari; oſtendit febris hemitritæa, quem obſeruauit Spigelius plerumq; ab harum partium inflammatione exoriri. A muſculorem etiam abdominis inflammatione diſcernitur hic affectus, quòd tumor, ac dolor ſecundum eorum ductum, & figuram, ac poſitum procedant. Plerumque verò illi muſculorum abdominis tumores oblongi ſunt, aut per totum ventrem diffuſi, & partes exteruas magis occupantes, vt leui contracta ſtatim percipiantur, & inſignem dolorem, ac febrem inferre ſoleant.

Denique diſtinguendus eſt hic affectus à diaphragmatis tumoribus, qui paucißimis hactenùs Medicis innotuerunt. In illis autem perpetuò inſignis eſt reſpirandi difficultas, hypocondria reuulſa, pulſus durus, ac paruus, citra omnem tumorum in hypocondrijs ſenſum aut apparentiam. Tum ſi tumor fiat à materia calida; febris acuta, dolor intenſus, delitia, & conuulſiones inſequuntur, quæ ſymptomata in Meſenterij inflammationibus ſolitariis nunquam contingunt.

Quod ad prognoſin attinet: periculoſiſſimus eſt hic affectus, qui plerumque in abſceſſum degenerat; vel putredo, ac corruptio Meſenterio inducuntur. Sæpè etiam materia morbifica aliò à natura tranſmittitur, non tamen planè tollitur, vnde malum recrudeſcit, & ſæpè ad multos annos, & per totum vitæ tempus perſeuerat, nunc febre redeunte, nunc eadem in colicos dolores permutata, ac; inflammatione, vel phlogoſi ſaltem redeunte.

Curatio inflammationis Meſenterij, ab hepatis, & lienis inflammationis curatione abſimilis non eſt, illa ideò è ſuis capitibus huc erit transferenda.

CAPVT III.

De abſceſſu, vlcere, & ſcirrho meſenterij.

INflammatio Meſenterij ſæpè in abſceſſum degenerat. Omnis tamen abſceſſus Meſenterij non fit ab inflammatione; ſed plerumque à vitioſis humoribus, in ea parte cumulatis, ac putreſcentibus: ita, vt huiuſmodi abſceſſus ſenſim producantur ſine febre præcedente, aut alio graui ſymptomate; quemadmodum videmus in alijs partibus atheromata, ſteatomata, & melicerides, & alia abſceſſuum genera, ſine inflammatione præcedente generari. Et dum illi abſceſſus diſtumpuntur, euacuato pure, vlcus remanet, quod difficilem curationem recipit. Si verò illi humores valdè pituitoſi ſint, aut melancholici, & putredini, ac corruptioni reſiſtant; concreſcunt non rarò, & indurantur, atque in ſcirrhum degenerant: imò verò interdum lapideam duritiem acquirunt, prout multorum obſeruationibus conſtat, lapides in Meſenterio fuiſſe repertos.

Diagnoſis abſceſſuum Meſenterij interdum facilis eſt, interdum verò difficillima. Si enim ab inflammatione eiuſdem partis fiat; ea antea percepta ſignis, ſuperiori capite propoſitis, & diutiùs perſeuerante, indicium eſt, inflammationem diſcuti non potuiſſe, ſed fuiſſet ſuppuratam; atque in abſceſſu conuerſam. At verò, quando abſceſſus ab humoribus prauis in Meſenterio diu commorantibus, ac tandem putreſcentibus exoritur; difficillima eſt illius diagnoſis, ita vt plurimi Authores, qui talium abſceſſuum obſeruationes ſcripſerunt, eos non niſi poſt mortem, & diſſecta cadauera, innotuiſſe referant. Licet enim vt plurimùm tactu dignoſci valeant, aliquando tamen tam altè ſepulti ſunt, vt neque ipſo tactu deprehendi poſſint, & partis ſenſus adeò eſt obtuſus, vt nullo dolore ſeſe interdum prodant. Quia tamen iſta varijs modis contingunt in ſequentem modum diſtinguenda ſunt.

Si abſceſſus Meſenterij tumorem habeat conſpicuum; ille primum ab inflammatione, & ſcirrho diſcernendus eſt. Ab inflammatione diſtinguitur: ſi ab ea ortum non duxerit, nulla adeſt febris, aut certè perexigua, & nulla etiam præceſſit, neque alia ſigna, quæ inflammationem indicare potuerint. Si verò inflammationem ſequatur; non aliter diſtingui poteſt, quàm duratione, ac perſeuerantia: ſi enim inflammationis ſigna per 30. aut 40. dies, aut amplius perſeuerauerint; ſignum eſt eam in abſceſſum abiiſſe. A ſcirrho verò diſtinguitur per duritiem, quæ maxima eſt in ſcirrho, in abſceſſu vero quædam mollities apparet; tum etiam ex doloris carentia omnimoda, cum in abſceſſu aliquis ſemper dolor perſentiatur, ſaltem ex violenta compreſſione. Prætereà ille tumor ab aliarum partium tumoribus diſcernendus eſt per ſitum, quemadmodum ſuprà de inflammatione Meſenterij dictum eſt.

Si verò abſceſſus in Meſenterio lateat ſine vllo tumore conſpicuo; nulla dari poteſt certa illius teſmaſis: artificioſa tamen coniectura ad magnam illius ſuſpitionem peruenire poſſumus: ſi nimirùm cibi faſtidium nauſea, vel vomitus adſit, citra ventriculi vitium manifeſtum; & magna, veluti ſatietas poſt aſſumptum cibum, etiam pauciſſimum. laſſitudines totius corporis, ac languores ſine cauſa manifeſta; aluus, vel ſuppreſſa præter conſuetudinem, vel fluidior, ex qua fœti diſſima excrementa deijciuntur & interdum ſanguinolenta citra vllam dyſenteriæ ſuſpicionem. Quibus addere licet vigilias continuas, & ſi ſomnus aliquando irrepſerit, eum ægri difficile ferunt, & animi exſolutionem, ac ſudores frigidos incurrunt. Ac licet interdùm nulla febris, nulluſque dolor appareat; vt plurimùm tamen febris quædam lenta conſpicitur, cuius ſi nulla cauſa manifeſta appareat, ab hoc malo dependere coniiciendum eſt, ſi nonnulla ex ſignis propoſitis adiuncta fuerint. Tum etiam, ſi abdomen violenter comprimatur, dolor aliquis interiùs ab ægrotante percipitur. Uerùm quidem eſt, in partibus etiam ſanis dolores excitari vehementi compreſſione; attamen ſi maior dolor in vna parte abdominis percipiatur, quàm in alia, ita vt cum omnes partes illius, & omnia loca ſigillatim contrectantur, dum manus contrectans ad certum, & peculiarem locum peruenit in eo perpetuò, & contrectatione iterata, maior dolor percipiatur; magnam facit coniecturam abſceſſus, in eo loco latitantis.

Si verò tandem purulenta materia excernatur; tunc abſceſſus latens fiet manifeſtus. Ut plurimùm autem per alium pus excernitur, varijs conditionibus donatum, pro varia par-

tis affectę, & vicinarum diathesi. Hinc modò pus sincerum, & albicans, magna copia, nulloq; doloris sensu, per vasa mesaraica, & in intestina profunditur; modo abscessu ad crassiora, & postrema intestina vergente, facibus alui permixtum redditur: modò ad renes propellitur & cum vrinis excernitur; modò, inter peritonæum & abdominis musculos copiosè profusum, vel in cauitatem ventris, rupto peritonæo, profluit, vel per abscessum exteriùs erumpit; ita vt interdum magna puris copia per vmbilicum effundatur, & nonnunquam vermes ex mesenterij corruptela geniti cum pure emittantur. Et quidem per aluum excretum pus (quæ via frequentior est,) modò sincerum, vt antea dictum est, modò sanguini, aut saniei permixtum apparet: modò sanguis niger, ac fœtidus, modò alia materia nigra, aut variis coloribus infecta excernitur. Utrum verò purulenta materia à mesenterio, hepate, liene, aut alia parte procedat, ex proprijs cuiusquę partis affectæ, signis innotescet.

Rupto abscessu, & puris effluxu perseuerante, vlcus in mesenterio latere certissimum est, quod interdum breui curatur, interdum diutissimè permanet, & nonnunquam partem vniuersam in putredinem, ac sphacelum perducit.

Quod ad prognosin attinet. Abscessus mesenterij periculosissimus est. Si enim in parte diutissimè asseruetur, vt sæpè contingit, malignam acquirit putredinem, & vel parti gangrænam inducit, vel ægrum in tabem, aut hydropem præcipitat. Si verò rumpatur, & vlcus citò non curetur, praua mque conditionem acquirat; similem habet exitum, gangrænam, atrophiam, aut hydropem inducens. Interdum etiam, rupto abscessu, & pure validè corrupto in abdominis capacitatem effuso, æger subitò perimitur. Scirrhus verò mesenterij minùs periculosus est, & si recens fuerit, curationem admittit. Si vero admodùm inueteratus sit, in hydropem ægrotantem perducit.

Curatio horum affectuum iuxta eorum diuersitatem varianda est. Ac primùm abscessus iam genitus sui apertionem, & euacuationem indicat: eaque mo tenda erit aperientibus & purgantibus medicamentis, qualia in obstructionibus hepatis, & lieni proposita sunt, non omissis externis emollientibus, & rellaxantibus, fomentis, cataplasmatis, & linimentis, quæ materiam abscessus attenuant, & vias relaxant, vt commodiùs euacuatio puris obtineri valeat.

Aperto abscessu, vlcus, detergendum, & consolidandum est. Cui vsui plurimum conferre poterunt remedia, in vlceribus ventriculi, hepatis, renum, & vteri proposita; quorum delectum prudens Medicus habere poterit, pro varia corporum, & affectum diathesi.

Scirrhus verò mesenterij ijsdem remedijs curandus est quę pro hepatis, & lienis scirrho proposita sunt.

CAPUT IV.

De Morbis Pancreatis.

PAncreatis actionẽ ãtiqui Anatomici nullã antiqui agnouerunt; sed vsum tantum vt vasa fulciat, nè ruptionis periculo sint exposita, & vt ventriculo sit puluinaris instar, ne nimirùm repletus à vertebrarum duritie lædatur. At recentiores Anatomici actionem ipsi, eamque magni momenti tribuerunt; nimirùm primam chyli præparationem, illiusque defæcationem, vt magis elaboratus hepati subministretur. Cuius rei coniecturam manifestam exhibere videntur venæ lacteæ quæ in pancreas omnes deferuntur, ac in illius substantiam variis anfractibus disseminantur. Præterea in medio pancreatis ductus patens reperitur, qui ad intestina protendit, per quem chyli excrementa repurgari, rationi consentaneum est: ideò pancreas suos etiam patitur morbos, qui maxima toti corpori noxam inferre possunt; ac præsertim obstructiones atque tumores quemadmodum mesenterium, quando materia chylosa crudior, ac crassior, neque satis in ventriculo elaborata, ad ipsum transfertur, ab eoque liberum non habet effluxum.

Scirrhũ pãcreatis obseruauit Riolanus in Augusto Thuano, (qui sui temporis historiam latino idiomate elegantissimè scripsit) qui cũ per quatuor annos inter alia symptomata grauitatis sensum in regione stomachi continuo percipe ret, præcipuè dum staret, vel ambularet, hypochondria verò nec tumida, nec dura apparerent; post obitũ tandẽ pancreas inuentum est, hepar magnitudine æquans, totumque scirrhosum, multis globulis, specie oui columbini refertum.

Cùm autem pancreas à ventriculo tegatur, tumores illius difficilimè tactu deprehendi possunt. Et hæc causa est, cur eorum mentio vulgò à practicis nulla fiat, & qui eos obseruarunt, post obitum tantùm, & dissectis cadaueribus deprehenderint. Non exigua tamen eorum coniectura haberi potest ex ijs, quæ in Thuano Riolanus notauit, si nempè ponderis, & grauitatis sensus in regione ventriculi percipiatur, & nullus tumor, nullaque durities in hypochondrijs appareant: alia tamen obstructionum latentium indicia adsint, qualia in hepatis, lienis, ac mesenterij obstructionibus proposita sunt. Quibus etiam signis addi possunt dolor, & alia symptomata ventriculi, propter viciniam patientis, respiratio difficilis, ob diaphragmatis compressionem. Quibus signis aliàs coniecimus nos D. Audeyerium, in Senatu Gratianopolitano Præsidem, scirrhum habere in pancreate, eumq; etiamnùm tactu deprehendere potuimus, manu ad latera ventriculi versus medium profundiùs adacta, cùm esset valdè macilentus, & duritiem in ea parte animaduertimus, quæ digitis compressa dolorem ipsi non mediocrem inferebat: quæ historia fusè à nobis descripta est obseruatione 81. cent. 3. Et in Scorbuti diagnosi hoc annotauimus (quod à nullo hactenùs eorum, qui de scorbuto scripserunt, est animaduersum,) in omnibus propemodum scorbuticis tumores huiusmodi pancreatis generari, cùm in ijs angustia oppressio, & grauitas in regione ventriculi percipiantur, & hoc signum veluti pathognomonicum scorbuti ab Eugaleno, Sennerto, alijsque proponatur.

Abscessum etiam in pancreate repertorum historiæ nonnullæ apud Authores reperiuntur, qui viuis ægrotantibus detecti non fuerant. Attamen ex symptomatis, quibus affecti fuerant, aliquatenùs internosci possunt, quorum nonnulla cum prædictis, scirrhum eiusdem partis indicantibus, communia sunt: ijsque addi possunt febris lenta, abscessuum internorum (saltem maiori parte,) comes indiuidua; vigiliæ iuges, ac somni breuissimi, ab ijsque labores, lipothymiæ, & sudores frigidi.

Curatio obstructionis, scirrhi, & abscessus pancreatis eadem esse debet, cum ea, quæ ijsdem morbis hepar, lienem, & mesenterium affligentibus adscripta est. Ea ideò ex illis capitibus erit depromenda.

CAPVT V.

De Affectibus Omenti.

CVm Omentum pars mollis sit, & adi posa, & recipiendis humoribus, aliundè confluentibus, propter laxitatem maximè idonea; pluribus etiam morbis, non minùs, ac mesenterium, atque pancreas, obnoxium est, qui tamen ab authoribus non describuntur, quia vix ac ne vix quidem in viuentibus discerni queunt, sed ex apertione cadauerum tantùm innotescunt, vt ex historijs quibusdam, in obseruationibus propositis, videre est. Sic narrat Vesalius, se in dissecto cadauere omentum vidisse, adeò tumefactum, vt quinque librarum pondus æquaret, cùm naturaliter sese habens vix librę semis pondus excedat. Rousletus *lib. de partu Cæsareo*, refert, Lutetiæ in apertio cadauere insignem abscessum in omentum fuisse repertum. Riolanus in Anthropographia, se omento nobilis adolescentis 19. annos nati, vidisse testatur, multis glandulis refertum, quibus insignem humorum illuuiem exceperat, mesenterio, & pancreate ex abscessu putrefactis, & liene valdè imminuto, ac penè consumpto. Nos verò in Canonico Monspelienſi omentum vidimus scirrhosum, totam Epigastrij regionem occupans, & quatuor digitorum transuersorum crassitudinem æquans: ille autem tumor lienis colorem referebat, vt verisimile fuerit, humorem melancholicum à liene in eam partem translatum, & cumulatum fuisse, cùm æger temperamento valdè melancholiço donatus fuisset, & via patentissima sit, per ramos splenicos à liene ad omentum: per quos etiam ramos in hydrope non rarò, (vt docuit Hippocrates) aqua fertur à liene ad omentum, à quo in capacitatem abdominis sensim extillat.

Cùm autem omenti tumores à mesenterij tumoribus nulla arte distingui valeant; ideò certa illorum diagnosis statui non potest. Verùm quidem est, tumores omenti primo contactu facilius percipi, cùm peritonæo immediatè subiectum sit; mesenterium verò profundiorem obtineat situm: sed tumores mesenterij grandiores ad peritonæum ascendunt; imò verò cum eo, & musculi Epigastrij ita interdum vnjun-

vniuntur, vt suppuratione facta per vmbilicum, aut partes alias externas expurgentur.

Hęc tamen diagnosis difficultas curationi non officit, quandoquidem omnibus tumoribus eiusdem speciei ventris inferioris partes occupantibus, eadem adhiberetur medela: quæ tamen in omento infeliciùs succedit, quandoquidem non habet vias ita idoneas, quemadmodùm reliquæ partes, per quas expurgari valeat.

PRAXEOS MEDICAE

LIBER DECIMVS QVARTVS.

DE AFFECTIBVS RENVM, ET VESICÆ.

PRAEFATIO.

RENES, & vesicę varios, & omnis generis patiuntur affectus, similares, organicos, & communes: ex quibus varia etiam symptomata, tum in actionibus læsis, tum in vijs excretorum, oriuntur. Nos horum affectuum præcipuos nouem capitibus complectemur. Quorum Primùm erit de calculo renum, & dolore nephritico. Secundum, de calculo vesicæ. Tertiùm, de inflammatione renum, & vesicæ. Quartùm, de mictu sanguinolento. Quintùm, de vlcere renum, & vesicæ. Sextùm de diabete. Septimùm, de vrinę incontinentia. Octauum, de iscuria, & stranguria. Nonum, de dysuria, seu ardore vrinę.

CAPUT I.

De Dolore Nephritico, & calculo renum.

DOlor nephriticus ille nominatur, qui renes, aut vreteres affligit. Apud vulgus colica nephritica dicitur, propter maximam affinitatem, quæ ipsi cum colico dolore intercedit: ita vt sæpè non parùm difficile sit, vtrumque affectum inuicem distinguere, vt in diagnosi patebit.

Multiplex huius doloris causa statuitur: frequentissima tamen est calculus, aut pituita crassa. Calculus in rene moram trahens dolorem, aut nullum, aut obtusum efficit propterea, quòd renum substantia obtuso sensu donata sit. Si verò in caput vreteris demittatur, vel illius canalem subeat, eumque distendat, neque ad vesicam propter magnitudinem propelli valeat; tunc dolores atroces mouet, & ægrotantem mirum in modum excruciat. Pituita verò crassa, vreteribus impacta, eos etiam distendit, & dolorem nephriticum producit.

Minùs verò frequentes causæ sunt, grumus sanguinis, vreteribus impactus, vel pus crassius è renibus, aut alijs partibus superioribus in vreteres deductum. Interdum etiam flatus in vreterum cauitates sese insinuant, & dolores atrocissimos inducunt.

De calculo, doloris nephritici præcipua causa, & magis ordinaria, quam plurimæ apud authores agitantur controuersiæ, quas accuratè persequi instituti nostri ratio non patitur. Sed ea tantùm attingemus, quæ ad illius naturam & causas stabiliendas necessaria sunt.

Ac primùm dubitatur, sub quo affectuum genere calculus constituendus sit. Galen. inter morbos in numero collocat eorum, qui sunt toto genere præter naturam, quemadmodum, & lumbricos. Licet enim proprie morbus in numero respiciat partes viuentes, quarum numerus auctus, vel imminutus, morbum istum organicum constituit; ea tamen quæ præternaturaliter addita sunt numero eorum, ex quibus corpus naturaliter componitur, ad morbos in numero referri debent; ita vt etiam qualitates nudæ interdum ad morbos in numero referantur, quando immediatè actiones lædunt, vt color flauus in oculo ictherici, sonitus excedens in aure, & sapor amarus in lingua.

Plerumque tamen calculus inter causas morbificas collocandus est, quatenus obstructionem, vel distensionem parit.

Inter symptomata etiam collocari potest, excreta scilicet, & retenta. Si enim in renibus, vreteribus, aut vesica retineatur, cum excerni melius foret; ad præternaturaliter retenta reuocandus est: dum verò excernitur, ad excretum toto genere præter naturam est referendus.

At verò circa calculi causam tum materialem, tum efficientem, maior est difficultas. Galenus cum assectis censuit, causam calculi materialem esse materiam pituitosam, crassam, viscidam, & lentam, concretioni idoneam, & vt recentiores loquuntur, fæculentam, limosam, & tartaream: efficientem verò calorem, materiam illam exsiccantem, & indurantem, atque in lapidem tandem conuertentem. Quæ doctrina grauissimis impugnatur rationibus.

Primò enim, si ex materia pituitosa, viscida, & crassa calculi generarentur, in cerebro, & ventriculo frequenter producerentur, in quibus talis pituita maximè redundat. Neque sufficit dicere, in illis partibus calorem non esse sufficientem, ad concretionem efficiendam. Siquidem ex Hippocrate, & Galen. doctrina, calor remissus, actione diuturniori, sufficit ad concretionem efficiendam. Et hic ratio petitur, cur senes ad calculorum generationem sint magis dispositi, cum iuuenes habeant renes longè calidiores? quia nimirùm materia calculi diutiùs moratur in renibus senum, propter imbecillitatem facultatis expultricis, & ita diutiùs concoquitur à calore renum, ab eoque tandem induratur, licèt longior remissior sit.

Secundò, ex Aristotel. 2. *meteor. cap.* 4. quæ concrescunt à calore, liquantur ab humido: sic lutum, à calore solis induratum, in humido liquatur. Calculus autem nunquam dissoluitur in aqua. Neque obstat dicere, fortem calorem tantam concretionem efficere, vt in humido solui nequeat: quemadmodum in lateribus contingit, qui probè cocti in fornace, postmodùm in aqua non soluuntur. Nam primùm in corpore humano tantus calor non reperitur, deinde laterum concretio, ab aqua non solubilis, minimè dependet à calore intensiori; sed potiùs à dispositione argillæ, ex qua lateres conficiuntur, quæ habent materiam, lapideæ consistentiæ, & indolis ibi acquirendæ idoneam. Lutum enim ex terra vulgari conflatum, quantumvis coquatur in fornace, nunquam lateritiam consistentiam acquiret; sed perpetuò in humido liquescet.

Tertiò, ex eodem Arist. *loc. cit.* calor, concretionem efficiens debet esse siccus: hoc enim præstat per exsiccationem, & partium humidarum resolutionem. At perpetua fit humiditatis serosæ effusio in renes, & vesicam. Ergo talis exsiccatio, & induratio in ijs partibus non potest fieri.

Quartò, in fluuijs, & fontibus lapides generantur, in quibus nullus est calor, imò verò, in cauernis, & speluncis frigidioribus nonnullis aqua stillans condensatur in lapidem, vnde pyramides, & aliæ figuræ exurgunt. Ergo alia causa efficiens inquirenda est præter calorem, & alia materia, præter humorem viscidum, ac glutinosum.

Quintò, pituita indurata gypseam induit naturam, & semper friabilis est, vt in tophis articulorum videre est; at calculi non rarò silicei sunt, quam consistentiam ex pituita obtinere non possunt. Neque tantus calor in corpore

humano reperitur, qui siliceam illam consistentiam tali materiæ indere possit.

Omnium sæculorum Medicos decepit mucosa illa pituita, quæ in multorum calculosorum vrinis reperitur, ipsamque proximam calculi materiam esse putauerunt; in quo tamen longè à veritate aberrarunt. Nam primò, in renum calculo mucosæ illæ vrinæ vt plurimùm non apparent; sed frequentiùs in calculo vesicæ. Si autem hæc esset calculi materia, in vtriusque partis calculos æqualiter appareret. Ergo ex affectu vesicæ proprio, & peculiari hæc materia maximè dependet. Est nimirùm vesicæ male affectæ excrementum: hic autem vesicæ affectus talis est. Docuit autopsia, in eorum cadaueribus, qui ex calculo vesicæ obierant, & humorem illum mucosum diu, multumque cum vrinis excreuerant, vesicæ corpus carnosum euasisse, & digiti, aut pollicis crassitiem adeptum esse, ita vt totam illius cauitatem interdum impleat, & ipsum calculum proximè amplectatur, donec tandem vrinam supprimens ægrum miserè iugulet. In ijs verò, qui vrinam tenuem, claram, & aquosam reddiderant, vesicæ substantia membranosa, & in statu naturali constituta apparuit. Quorum euentum ratio desumitur ex Hipp. *aph. 66. sect. 5. Si in vulneribus prauis, & magnis tumor non appareat ingens malum.* Rationem reddit Gal. quia suspicio oritur, humores, qui ob dolorem ad vlcera defluunt, iam ad partes principaliores transmeare: Præterea omnibus partibus insitum est, docente eodem Gal. *lib. de different. febr. c. 11.* vt quecunque robustior est, id quod noxium est, aut superfluum, ad debiliorem transmittat, nec cesset illa transmissio, donec ad imbecillimam ventum fit. Cùm autem pars vulnerata, admodum debilis sit, ac proindè ad excipiendos humores maximè disposita: si illi ad eam non deferantur, signum est, alias partes admodum esse debiles, quæ talem transmissionem moliri nequeant, aut alias esse vulnerata debiliores, ad quas humores deferantur. Non solum autem humores vitiosi ad partem vulneratam deferuntur; sed etiam sanguis laudabilis, quem natura maiori copia ad partem afflictam transmittit, vt illi suppetitus ferat, quantùm potest. Hæ, omnia locum habent in vesica, à calculo oppressa. Calculus grandior, aut inæqualis, vel aculeis præditus, vesicæ tunicam interiorem vellicat: vnde dolor, & imbecillitas parti accedit. Natura vero illi suppetias ferens, solito copiosiorem sanguinem ad eam mittit; tum reliquæ partes robustiores, superfluitates suas ad eam deponunt. Hosce humores vesicæ substantia concoquit, & assimilat, quantùm potest, sicque ex copiosiori sanguine copiosius sumens alimentum, accrescit, & crassior, atque carnosior euadit. Cùm autem totum sanguinem affluentem, multò minus humores vitiosos sibi assimilare nequeat; inde multa exoritur excrementorum illuuies, quæ ex propria partis natura pituitosam illam, ac mucilaginosam formam induere consueuit. In ijs autem calculosis, qui vrinam claram tenuem, & aquosam reddunt, vel quiescens calculus, dolorem non parit, qui talis attractionis causa sit; vel aliæ sunt partes vesica debiliores, ad quas reliqua membra sese exonerant.

Quia verò hæc doctrina præconceptam multorum sæculorum opinionem dirut, luculento veteri exemplo roboranda est. Uteri substantia, sicut, & vesicæ, membranea est: et in prægnantibus tota pene carnea euadit, atque tam crassa, vt postremis mensibus duorum digitorum crassitiem æquet. Quia natura toto gestationis tempore multum sanguinem ad vterum mittit, fœtus nutriendi gratia, qui cum à fœtu totus non absumatur, portio quædam illius vtero apponitur, & inde cum fœtu ad partum vsque continuò augetur. Idem in vesica contingit quamvis præternaturaliter, (cum in vtero naturaliter id fiat,) vt quando maior sanguinis quantitas ad eam confluit; portionem illius in propriam substantiam conuertat, & illa inde maiorem crassitiem acquirat. Si verò contingat, extra grauiditatem, vterum intemperie aliqua insigni, aut alio quovis affectu laborantem; debiliorem reddi; tum humores superfluj ab alijs partibus ad eum transmittuntur, qui cum sufficienter assimilari nequeant, multa inde emergit excrementorum illuuies, quæ per fluorem muliebrem, seu menstrua alba, quotidie expurgatur. Et ille fluxus albus mulierum est proprium vteri excrementum, quemadmodum mucilaginosa vrinæ portio est excrementum vesicæ. Idem in renibus contingit, quamuis non adeò frequenter, vt quando à calculo, eorum substantiæ impacto, dolor, atque imbecillitas ijs inducitur, ad eos natura multum sanguinem multosque humores demittat, qui cùm parti assimilari nequeant, saltem maiori parte, in excrementum crassum, ac mucilaginosum conuertuntur, quod magna copia cum vrinis excernitur, idque adstantes, ac Medici vulgares purulentam materiam esse putant, quæ tamen merè pituitosa est, aut saltem exiguo puri permixta, quando scilicet à calculo per attritionem vlcus in renibus genitum.

Recentiores nonnulli, prædictis rationibus conuicti, causam materialem calculi statuerunt succum lapidescentem; efficientem verò spiritum quemdam lapidificum. Succum lapidescentem vocant humorem quemdam, innata, & peculiari vi præditum, vt in lapidem conuertatur. Hunc verò probare contendunt ex generatione lapidum, quæ fit, in maiori mundo. Siquidem quamplurimis historijs constat, à non paucis Authoribus collectis, aquas quorundam fontium in lapides, & saxa conuerti; alias, quæcunque injciuntur, ligna, stirpes, animalia, intra paucos dies, crusta lapidea obducere; liquores in quorundam montium cauernis, in stirias, & columnas conuerti: ac denique videmus quandam vini portiunculam, lapideam duritiem acquirere, quæ doliorum parietibus adhæresit, & tartarum nominatur; tum etiam in ipsis vrinis, quæ claræ, ac limpidæ redduntur, postquam refrigeratæ sunt, in lapideam quandam substantiam concrescere, & matulæ parietibus adhærere. Quamvis autem peculiaris illa materiæ aptitudo, vt in lapidem conuertatur, satis cognita non sit; nonnulli tamen eam inuenisse putant, dicentes; hoc ex salibus prouenire, cum terrea quadam portione permixtis. Sales quidem soli facilè concrescunt; sed in humido etiam facilè soluuntur, at si cum materia terrestri, aut lutosa sibi analoga coniungantur, causæ efficientis vi lapideam naturam acquirunt. Sic videmus in vino, salem istum, cum materiæ fæculentæ portione mixtum, in lapideam duritiem iuxta dolium concrescere: tartarum enim calcinatum totum ferè in salem abit, quòd ostendit, illud ex sale potissimum coagmentari. Sic etiam in vrinis, plurimùm salem in se continentibus, præcipuè illis, quibus limosa, ac lutosa materia permiscetur; tartaream, ac lapidosam materiam concrescere videmus, matulæ parietibus adhærentem. Hæc autem salina materia, quæ cum vrinis permiscetur, prouenit ab esculentis, & potulentis, quæ huiusmodi salibus abundat, cui corpore benè se habente foras ejiciuntur, neque in renibus retinentur, absente præsertim causa efficiente, quæ siue potens fuerit in ipsa materia, siue ex proprio renum diathesi dependeat; calculorum concretionem promouent in renibus, & vesica.

Causam igitur efficientem calculi vocamus spiritum lapidificum. Fernelius verò appellat calculosam dispositionem, quæ renibus insita est, hæreditario iure vt plurimùm adepta, cùm iste affectus inter hæreditarios principem ferè locum obtineat. Nos verò satius esse ducimus, causam istam efficientem spiritum lapidificum appellare, qui multò latiùs patet, quàm calculosa illa Fernelij, arenosaque renum dispositio. Nam primo, in ijs, qui talem à natura, aut hæreditario iure, renum dispositionem non habent, calculi etiam generabuntur, si alimentis continuò, & maxima copia vtantur, quæ plurimùm succi lapidescentis in se contineant, aut aquas bibant, tali succo abundantes, quia in illis aquis, aut cibis non solùm adest causa materialis; sed etiam spiritus lapidificus illis insitus est, qui seminis instar, lapidis formam inducit: vnde non male Hermetici causam lapidum efficientem ad propria semina referunt, quæ in materia disposita, suæ speciei lapidem producunt.

Præterea à spiritu quodam lapidico calculos generari, ostenditur historijs iuculentis, à variis Authoribus relatis, hominum, brutorum, aliarumque rerum, à spiritu quodam è terra exspirato, in lapides, & saxa conuersorum. Sic apud Auentinum *l. 7. Annal. Bauar. ic.* ligere est, anno 1343. ex terræmotu plures, quam quinquaginta rusticos, item vaccas emulgentes, cum ipsis vasis extinctos dirigusse, & corpora in salinas, ac lapideas statuas redacta fuisse. Sic narrat Ortelius *in descriptione Russiæ*, de pecudum gregibus, & armentis illico putrefactis. Sic refert Cameratius de aura meridionali, certis anni temporibus flante, in locis montanis Prouinciæ Chilensis, in Armenia, cuius afflatu integræ equitum turmæ in statuas lapideas subito conuersæ sint, steterintque in via, eo aciei ordine, quo ante metamorphosin erant dispositæ.

Ille autem spiritus lapidificus non solum in calculosorum renibus residet; sed etiam in succo lapidescente, ab esculentis, & potulentis separato: ita vt, dum potentior non

est,

est, vtriusque concursus necessarius sit, vnde multi reperiuntur, qui cibis vtentes ad calculi generationem aliquantulum idoneis, calculos producunt: concurrente calculosa renum dispositione, vel spiritu lapidifico renibus infixo. Si verò renes à spiritu illo immunes sit; ex talibus cibis calculi non fiunt, quia vis illorum lapidifica satis potens non est, vt, sine renum concursu, materiam illam in lapideam duritiem conuertere valeat. Contra verò, si vis lapidifica longè potentior sit in ijs, quæ assumuntur, & frequens sit eorum vsus; calculi producentur, etiamsi renes tali dispositione, aut spiritu lapidifico orbati sint. Sic videmus in quibusdam locis, vbi aquæ, vel vina succo lapidescente plurimo abundant, maximam incolarum partem calculis laborare, vt de Ciconibus apud Ouidium videre ex his versibus.

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit.
Viscera, quod totis inducit marmora rebus.

Et vice versa, si vis illa lapidifica in renibus calculosis maximè vigeat, ex quibuslibet alimentis, quanquam laudabilibus, calculos generabit. Sic ante triennium mihi videre contigit virum quendam, qui per tres aut quatuor menses plusquam duodecim calculos exiguos singulis diebus cum vrinis reddebat, cum tamen toto illo tempore solis iusculis; aut panatellis, lecto affixus, & grauiter laborans, vesceretur.

Causæ calculi antecedentes, & procatarcticæ vel ad materiam calculi suppeditandam faciunt; vel respiciunt constitutionem renum, ob quam calculi facilius concrescunt.

Materiæ calculi generandæ, ac cumulandæ plurimum conferunt ventriculus, hepar, lien, & renes. Ventriculus primùm, si non benè concoquat, crudus chylus in hepar deducitur, indeque impuri, ac terrestres succi cum sero in renes deriuantur. Hepar calidius materiam chylosam torret, & calculo generando idoneam reddit, tum etiam frigidius sanguinem crudum producit, huic etiam operi aptissimum. Lien debilis, vel obstructus, aut quoquo modo intemperatus, fæculentam sanguinis partem sufficienter non expurgat, eiusque portionem ad renes amandat, quæ ad calculosæ materiæ elaborationem facilius disponitur. Ac denique renes, præter causam coniunctam, quæ est calculosa dispositio, duplici nomine causæ antecedentis rationem habere possunt, scilicet ratione temperaturę, vel conformationis. Ratione temperaturæ calidioris, materiam calculosam attrahunt impensiùs, eamque magis incrassant: ratione verò conformationis, si venæ emulgentes laxiores sint, vt materiæ illæ crassæ, & tartareæ faciliùs in renibus recipiantur, vreteres verò angustiores, vt & vasa, serosam materiam ad eos transmittentia, vt materiæ illæ crassæ liberum exitum non habeant; sed in renibus retineantur.

Præcipuæ verò materiam calculi suppeditant alimenta crassa, & viscosa, salsoque excremento referta, vt carnes bubulæ, porcinæ, leporinæ, anserinę, & quæ fumo aut sale conditæ sunt: pisces saliti duriores, & oltrace, & anguillæ, legumina, caseus, omniaque lacticinia, ouа indurata, castaneæ, pyra, cydoniæ, mespila, panis azymus, & oryza, vinum crassum, austerum, & nigrum, vel nouum, & nondum defęcatum aquæ lacustres, aut succo lapidescente refertæ.

His addantur alimenta valdè calida, vt piper, zinziber, alia, capæ, vinum vetus, & potens, quæ hæpar, & renes impensè calefaciunt: diuretica nimis fortia, quæ materiam morbificam potenter ad renes deturbant: vestimenta densiora, lecti plumei nimis calefacientes, balnea, venus immoderatior, quæ renibus est inimicissima, exercitium vehemens præsertim à pastu, nimia repletio, aut fames diuturna, ira vehemens, & alia animi pathemata.

Signa calculi diagnostica, seorsim spectata æquiuoca sunt, & alijs morbis communia, & tamen omnia simul, & coniunctim considerentur; certam diagnosin efficient.

Primum signum est, dolor fixus, & stabilis circa lumborum regionem, qui vt plurimùm grauatiuus est, quando calculus infixus est parenchymati: illud enim, obtusiori sensu donatum, grauantem dolorem percipit. Quoties verò calculus in caput vreteris sese insinuat, tunc dolorem acutum, & pungentem excitat, qui dolor nephriticus appellatur, tamdiu perseuerans, quamdiu calculus ibi hæret: neque ægrum excruciare desinit, donec calculus, aut in vesicę cauitatem protrusus fuerit, aut in renis cauum remeauerit.

Secundum signum est, vrina cruenta, quæ fit ex apertis venulis aut erosis, in renis substantiam dispersi, ab attritione, quæ fit à calculo, ipsius parenchymati inhærente. At si paucissimus sanguis excernatur, colorem sanguinis amittit, cum vrinam permixtus, & vrina lixiuium repræsentat. Perpetuum non est istud signum, & ab alijs cauis non rarò dependet. At quando apparet; vnum ex præcipuis est, quod dolorem nephriticum à colico distinguit. Excitari autem solet ab equitatione, ambulatione multa, & alia qua vis exercitatione vehementi; quia tunc calculus, si asper, & angulosus, sit, è sua sede dimotus, tenerrimam renis carnem proscindit, ac dilacerat.

Tertium signum est, vrina tenuis, aquosa, & pauca, circa initium paroxysmi nephritici, quàm interdùm suppressio integra consequitur, si ambo vreteres fuerint obstructi. At dum soluitur paroxysmus, & calculus, vreteri impactus, in vesicam demittitur, vrinæ crassæ, turbidæ, & copiosæ excernuntur, arenosum sedimentum habentes.

Quartum signum est; arenularum, & lapillorum frequens excretio. De calculis res ipsa loquitur. Si enim æger nonnullos antea excreuerit; quantum vis exiguos, quoties doloribus affligitur, à calculo affectum prouenire, certa coniectura est. At de arenulis non adeò certò pronuntiare licet. Plurimos siquidem videre est, qui tota vita multas arenulas cum vrinis profundunt, nunquam tamen calculo laborant. Non rarò enim arenulæ prouenient ab humorum adustione, quæ in hepate ac venis fit; & ille vitri parietibus adhærent, nec in fundo subsident, vt illæ quæ è renibus proueniunt. Præterea digitis contritæ dissoluuntur, & salinam substantiam referunt, cum aliæ digitis non cedant, & dissolui nullo modo valeant. Ac denique, cum huiusmodi arenulæ sallinam habeant substantiam, in calida vrina dissoluuntur, neque vllo modo in ea apparent, dum adhuc calida est postquam verò refrixerit, coalescunt, & maculæ parietibus adhærent, non secus ac crystalli tartari, quę in aqua calente dissolutæ, dum illa refrigeratur, concrescunt, & vasis parietibus adhærent, ita vt valdè similis sit huiusmodi arenularum & crystalli tartari natura.

Quintum signum est, & omnium certissimum, calculus excretus. Si enim aliquod signum ex superioribus, quantumvis æquiuocum, appareat, & alias calculus ab ægro excretus fuerit, calculosum esse affectum, certò pronunciare possumus.

Sextum signum est, stupor cruris è directo renis laborantis. Calculus enim grandior neruum illum comprimit, qui in musculos lumbares inseritur, renibus subiectos, & ab Anatomicis ψοας nominatos, qui musculi ad coxam deseruntur, motui eiusdem inseruientes. Talis stupor percipitur ex sessione supra femur, ob compressionem, vel etiam in brachio, ex decubitu supra illud diuturniori.

Septimum signum est, testis retractio eius lateris, in quo dolor est. Renes enim, & vreteres, doloris acerbitate irritati sese vehementer contrahunt, simulque vasa spermatica, & partes omnes vicinæ contrahuntur, quæ, quidem vasa testiculum sibi annexum sursùm retrahunt, vt inguini aliquando infixus videatur. Et ista partium prædictarum retractio vsque ad vesicam, & intestina extenditur. Siquidem, in summa doloris acerbitate, vrinæ, & alui excretio supprimitur ita tunc temporis medicamenta purgantia nihil operentur, contractione illa eius actioni obsistente.

Octauum signum est, nausea, & vomitus ob connexionem renum cum ventriculo per membranam à peritoneo mutuatam, & per neruum sextæ coniugationis, cuius duo rami à stomacho in tunicam renum interiorem deferuntur. Ideò cum partes illæ sentientes vellicantur in renibus, ventriculus compatiens ad rei noxiæ exclusionem irritatur, & primum pituitam reijcit, mox bilem flauam, ac postmodùm æruginosam, si malum protrahatur: quandoquidem ex diuturnis doloribus, & vigilijs sanguis in venis alteratur, & portio illius magis disposita in bilem æruginosam commutatur.

Denique dolor nephriticus cum colico dolore tantam habet similitudinem, vt Galenus ipse in eorum distinctione deceptus fuerit, sicut à nobis relatum est in colicis doloris diagnosi. Vbi etiam signa proposuimus, quibus hi duo affectus à se inuicem distingui valeant, vt non opus sit ea hic repetere.

Signa hactenus proposita æquiuoca esse diximus, & vix vnicum eorum certam diagnosin posse constituere. Alia tamen nonnulla à quibusdam Authoribus proponuntur, quæ adhuc magis sunt æquiuoca, & valdè incerta; sed cum alijs iunèta diagnosin adiuuant, illa ideò enumerare non erit inutile.

Hip.

Hipp. *Aph.34.sect.7. Quibus* inquit *bullæ in vrina natãt, nephritica mala, diuturnamque ægritudinem significant*, fiunt enim huiusmodi bullæ à crassis humoribus flatu crassioris refertis, qui vel in renibus congeruntur; vel aliunde in eo transferuntur. Materia autem illa calculis gignendis idonea est, & non nisi longissimo tempore edomari potest, vnde diuturnam ægritudinem significat. Galenus *in com. huius aphoris.* dicit, ab acritudinem vrinarum aperiri ora arteriarum, quę renibus conducuntur, atque ita prodire spiritum aliquem, qui vrinæ permixtus, bullas facit. Attamen verisimile non est, ex arterijs spiritum tam crassum, & stabilem emanere posse, vt vrina etiam refrigerata per longum tempus permanere valeat, quemadmodum videmus bullas huiusmodi per multas horas vrinis innatare. Deinde, apertis arteriarum osculis ab vrinæ acrimonia sanguis ab ijs etiam efflueret. Imò verò orificia venarum tenuiori tunica constantium facilius aperirentur, & ita perpetuò vrinæ cruentæ eum huiusmodi bullis apparerent.

Idem Hipp. *Aph.76. sect.4. Quibuscunq; cum vrina crassa caruncułę paruę, ac veluti capilli quidam exeunt, ijs è renibus excernuntur*. Caruncułæ ab vlcere renum exeunt, de quibus infra dicemus. Filamenta verò à Gal. *in com.* referuntur in crudam, lentamque pituitam, calore renum intensiori in oblongam, & teretem figuram conglobatam. Attamen idem Gal. *6. loc. aff. ca.3.* palam profitetur, se, post anxiam & tædiosam venationem, causam tantæ longitudinis nescire, Auicenna dicit, filamenta suam sortiri longitudinem in vasis renum, vel alijs; cùm enim per diuretica sanentur, fateanturque ægrotantes, se ex renibus laborare, in renibus formam nancisci credibile est. Actuarius præcisè ad vreteres refert. Quando enim renum sinus pituita abundat, cum vrina ad vreteres labitur, & lentore suo insigni vreteribus adhærens, tum præ calore crassescens, longam, ac teretem effigiem, pilo consimilem acquirit, Fernelius verò scribit, se animaduertisse ea filamenta è vasis parastatis deriuari, in quibus teretem, & pilarem formam fortiuntur, ex seminis materia, quæ vi morbi sensim defluens, calore crassescit: apparere autem plurima in iis, qui fœda, exulceratąque gonorrhœa non ita pridem affecti fuere, & iis mulieribus, quibus albicantes menses profluunt, aut vterus fœda colluuie turget; & item, & sæpe numerò in vrina, quę prima redditur à concubitu. Alij denique arbitrantur, crassos eiusmodi, & lentos humores, è quibus ista filamenta nascuntur, in venis quidem primitùs procreari; sed consistentiam, & effigiem pilorum accipere in angustis renum meatibus, per quos veluti per cribri foramina capillari traiiciuntur, postea verò descendere in vreteres, in quibus adhuc magis exsiccantur, donec à lotio in vesicam protrudantur, neque ob tenacitatem disrumpuntur.

Quidquid sit, cùm excommuniori authorum sententia constet, hæc filamenta à pituita crassa in renibus genita, vel ad eos, ab aliis partibus transmissa prouenire certum est, eam in calculum coagmentari posse, si causa efficiens, calculi generandis idonea, concurrat, atque adeò ista filamenta signum calculi æquiuocum suppeditare.

Quod ad prognosin spectat, Calculus renum valde periculosis est, grauissima enim mala, vt inflammationem, exulcerationem, dolores atroces, vigilias, virium dejectiones, febres, vrinæ suppressiones, aliaque symptomata pernicosa inferre consueuit.

Si affectus hæreditarius sit à parentibus contractus; incurabilis est.

Cum vitia renum, & vesicę in senibus difficulter curentur, ex Hipp. *Aph.6. sect.6.* calculus renum in ea ætate curatu difficilis, vel potius insanabilis est.

Si dolor nephriticus ad plurimos dies perseueret, neque vllis medicamentis curari valeat, mortis adest periculum; eaque iam in propinquo est, cum frigiditas partes extremas, & sudor frigidus faciem occupat. Vrinæ, quæ primum tenues, postmodum verò crassæ apparent, & arenæ in fundo residentes, morbi solutionem portendunt.

Calculus cum vlcere renum coniunctus, incurabilis est. Illa enim, quæ lapidem frangunt, vlcus valdè exasperant.

Curatio doloris nephritici, & calculi, renibus, aut vreteribus inhærentis, perficitur viarum dilatatione, ac relaxatione, calculorum, aut alterius materiæ, dolorem efficientis, exclusione, causæ antecedentis reuulsione, ac sublatione, & doloris ipsius mitigatione. Quibus indicationibus sequentibus satisfiet remedijs.

℞. Rad. althææ, & lilior. an. ℥ j. fol. maluæ violar. parietar. branc. vrsinæ, an. M. j. sem. lini, & fœnugræci, ana Vnc. ß. ficuum pinguium par. iij. flor. cham. & meliloti, an. P. j. Coquantur ad ℔ j. In colat. dissolue cassiæ, & catholici, ana Drach. vi. ol. lilior. & violar. an. Vnc. i. ß, butyri recentis Vn. ii. fiat clyster, iniiciendus statim.

Reiecto clystere, aperiatur vena Basilica cubiti dextri, vel sinistri, & mittantur sanguin. ℥ viii. vel ix. pro viribus, aut plenitudine ægrotantis: maximè enim necessaria est phlebotomia ad præcauendam inflammationem, quæ à dolore perseuerante excitari potest.

Post venę sectionem clyster sequens iniiciatur.

℞. Flor. Chamæm. & meliot. summit. anethi, parietariæ, rutę, ana M. ß. Sem. aniſi, feniculi, cumini, ana Vnc. sem. Fiat decoctio ab ℔ j. In qua dissolue diaphœnici Vnc. sem. terebinth. vitello oui dissolutę Vnc. j. ol. anethini, & scorpionum, ana Vnc. iij. Misce, fiat clyster.

Ad magis emolliendum, & dolorem leniendum, ex oleis componi potest in hunc modum, præmisso laxante.

℞. Olei anethini, & chamæmel. ana ℔ ß. sem. olei amygdal. dulcium ℥ ij. olei rutacei ℥ j. Misce, fiat clyster.

Eodem tempore fotus admoueantur parti dolenti, ex decocto primi clysteris, (additis seminibus aniſi, & fœniculi,) facto in hydrelæo, cum spongijs in eodem expressis.

℞. O., scorpionum compositi ℥ ij. butyri recentis, axungiæ gallinę. ol. lilior. & amygd. dulcium, an. Vnc. j. Fiat linimentum, quod illinatur post fotum. Vel tale cataplasma admoueantur.

℞. Fol. maluæ, pariet. an. M. ij. petroselini cum rad. M. rad. raphani Vnc. ij. Decoquantur ad putrilaginem, & contundantur, addendo cæpas sub cineribus coctas n. ij. ol. lilior. amygd. amar. & butyri recentis, an. Vnc. ij. Fiat cataplasma, quod duobus linteis rarís inclusum ventri applicetur calidè, secundum longitudinem vteteris, & quoties refrixerit, recalescat in sartagine.

Applicari etiam solet placenta ex parietaria, vel sola, vel ouis permixta, frixa in sartagine, cum olea chamæmel. amygdal. amar. scorpionum, linteo raro obuoluta.

Vel fieri potest etiam placenta ex cæpis minutim diffectis, in sartagine frixis, cum axungia porci, aut oleis prædictis, ad ditis ouis v. vel vj. calidè applicanda.

Quia verò magna crudorum humorum saburra hunc affectum plerumque comitari solet, post aliquot clysteres iniectos, (qui subinde repetendi sunt, dolore perseuerante,) purgans aliquot medicamentum exhibendum est, præcipuè in forma boli, ne tam facilè reuomatur, quia huiusmodi ęgrotantes plerumque solent esse nauseabundi.

℞. Cassiæ recenter extractę cum amygdal. dulcium Vnc. j. diaphœnici ℥ iij. rhabar. pulu ℥ j. cum puluere liquiritiæ, & traganthi fiat bolus.

Si ęger non possit bolum deuorare, dissoluantur purgantia in decocto maluarum.

Diligenter autem animaduertendum est, purgans medicamentum non esse exhibendum, priusquam dolor fuerit aliquantulùm remissus. Nam dolore valdè vrgente, cathartícum exhibitum, etiam vehemens, sæpè non purgat, quia tunc temporis omnes, partes sese contrahunt, & medicamento non opitulantur.

Attamen eo tempore vomitus poterit conuenire, quo etiam saburra humorum educitur, & fit reuulsio à parte affecta, & non rarò natura ipsa per se, vrgentibus doloribus, hanc molitur euacuationem, eaque absoluta, leuamen subsequitur.

Vomitorium blandum ita componi poterit, quod, & dolorem demulcebit.

℞. Aquæ tepidæ ℥ iv. ol. crudi ℥ j. syrupi acetosi simplicis ℥ j. ß. Fiat vomitorium.

Si vehementioribus vti lubeat, ad salem vitrioli, aut Mercurium vitæ confugiendum erit, quibus se nephriticos dolores citò fugauisse Angelus Sala gloriatur.

Ante, & post purgationem per os exhibenda sunt, quæ vias laxant, & dolorem leniunt. Cui vsui confert syrupus de althæa Fernelij, frequenter exhibitus. Sed quia hic syrupus paratus semper non habebitur in officinis, simplicior in hunc modum parari poterit.

℞. Rad. althææ ℥ iij. Coquantur ad ℔ j. In colatura dissolue sacchari ℔ ß. sem. Vtatur frequenter.

Iulepus sequens ad vias leniendas frequenter exhibendus.

℞. Hordei integri P. i. cicer. rub. P. ß. Sem. maluæ, & althææ,

thæ, an. ℥. ij. sem. quatuor frig. mai. ana Drach. j. ficcum pinguium paria iv. sebesten. paria iij. liquirit. rai. Vnc. sem. Coquantur ad ℔. j. sem. In colatura dissolue syrupi capill. ven. Vnc. iv. Detur in quatuor doses, bis, aut ter in die.

Pro potu decoctum ex rad. alth. Vnc. j. sem. hordei P. ij. liquirit. Drach. vj. in aquæ ℔. v. ad ℔. j. consumptionem, erit vtilissimum.

Uel fiant iuscula ex malua, althæa, & ciceribus rubris, cum multo butyro, & modico sale; vel eadem decoquantur in iure pingui.

Vel exhibeantur emulsiones, ex quatuor sem. frig. maioribus paratæ.

At præ cæteris remedijs vias emollit, & laxat, dolore mque lenit, ol. amygd. dulcium, recenter extractum, quod ad Vnc. iij. iv. per se, vel cum vino albo, aut decocto maluæ, althææ, liquirit. & cicer. rubrorum exhiberi poterit. Vel fiat potio ex olei amygd. dulc. & amararum partibus æqualibus, quia amygdalæ amaræ ad expellendum calculum etiam conferunt.

Postero die, ab hac venæ sectione venæ etiam poplitis, aut malleoli aperienda est, è directo partis affectæ. Sic enim ab ipsa fit deriuatio, ex eaque vt plurimùm ægrotantes leuamen maximum solet percipere. Quod præceptum ab Hippocr. nobis traditum est *6. epid. par. 1. Aph. 6.* & ab Aetio *lib. 11. cap. 5.*

Imò verò, affectu vlterius procedente, apertio hæmorrhoidum erit vtilissima, iuxta Apu. Hipp. 11. *sect. 6. Melancholicis, & nephriticis hæmorrhoides superuenire, bonum,* Nam ex eodem ramo splenico venæ sparguntur ad renes, vesicam, & hæmorrhoides.

Si fomentis, linimentis, & cataplasmatis prædictis dolor non satis leniatur, in semicupium æger demittendus, ex decocto emollientium compositum, addito vino albo; hoc enim mitescit dolor vt plurimùm, saltem quamdiu æger in eo residet. Non tamen frequentiùs ægri demergendi sunt, quandoquidem vires diuturniori balnei vsu admodùm exsoluuntur.

Ac denique dolore nimiùm sæuiente, ex quo vigiliæ diuturnæ, ac virium exsolutio sequatur, ad narcotica confugiendum est, & philonij romani ℥. ij. clysteri admiscendæ, Vel laudani opiati gr. v. aut vj. Vel eiusdem laudani, gr. (ij.) iij. aut iv. per os exhibenda. Vel denique syrupi de papauere ℥. j. in iulepo conuenienti.

Prædictis topicis vsurpatis, in dolore diuturniori, non parùm proderit emplastrum de meliloto, cum ol. chamæmel. vel anethio malaxatum.

Hisce remedijs, aut etiam eorum nonnullis methodicè vsurpatis, dolor nephriticus vt plurimùm curari consueuit, iterata etiam purgatione, si opus videatur, aut medulla cassiæ frequenter exhibita. At verò, si post eorum vsum dolor adhuc excruciet, certum erit, calculos grandiores renes, & vreteres obstruere, qui diureticis remedijs, calculum frangentibus, & expellentibus, deturbandi erunt. Quorum tamen remediorum delectus habendus est, vt primo mitiora vsurpentur, & magis temperata, antequam ad acriora veniatur, quæ sanguinem, & renes inflammare valent. Vbi etiam corporis habitus ratio ineunda est. Nam obesum corpus magis tenuantia; gracile verò, minus perferre potest.

Horum autem remediorum, calculos imminentium, frangentium, vel expellentium materia, infinita penè reperitur apud authores. Nos selectiorem tantùm hic proponemus.

℞. Rad. apij, petrosel. brusci, gram. & asparigi, ana Vnc. j. rad. maluæ, & althææ, ana Vnc. ß. fol. parietariæ M. ij. Sem. anisi, fœniculi, anethi carui, dauci, ameos, carthami, rutæ, cumini, & bacci lauri, an. ℥. ij. chamomill. melilot. anethi, & stœchados, ana P. j. Coquantur in vino albo ad medias. In colat. ℔. j. dissolue butyri recentis ℥. iv. mellis rosac. Vnc. ij. sacchari rubri Unc. j. benedictę laxatiuę. ℥. ß. vitellum oui numero j. olei nucum, anethi, vel lini ℥. ij. Misce. fiat clyster, qui retineatur duabus horis, si fieri possit.

℞. Aquar. fragariæ, & saxifragiæ, an. Vnc. ij. Vini albi generosi Vnc. vj. ol. amygd. dulc. Vnc. ij. spirit. vitrioli Drach. j. Misce pro tribus doubus. Prima detur calidè, quantum ferre potest. Post horas sex detur secunda pari modo. Si etiam hæc inefficax, (quod rarò contingit,) tertia propinetur.

Paratu facilior fit iulepus ex aqua saxifragiæ, & syrupo violaceo, cum spirit. vitrioli guttis 15. aut 20.

℞. Succi parietariæ sine igne extra ℥. iij. succi limonum recentis, & olei amygd. dulcium extracti sine igne, ana Vnc. ß. Misce. fiat iulep. qui detur tribus, aut quatuor vicibus, manè, & serò. Uel

℞. Succi limon. & vini albi, ana, ℥. ij. sacchari candi ℥. ß. Capiat loco iulepi.

De Succo limonum hoc notandam est, cautum esse debere illius vsum, quia frequentiùs, aut nimia copia exhibitus, aphthas facit in ventriculo, vnde lienteria succedit.

Pilulæ sequentes sunt efficacissimæ.

℞. Salis prunellæ, crystalli tartari, salis baccarum hederæ, & fol. nasturtij, ana partes æquales. Cum syrupo aliquo appropriato, vel terebinthina, fiat massa pilul. de qua capiat ℥. j. singulis diebus manè.

Puluis sequens à Quercetano valdè commendatur in Pharmacopœa.

℞. Tunicæ interioris ventriculorum gallinæ, & stercoris albi eiusdem, ana Unc. sem. pulueris pelliculæ interioris, quæ in putaminibus ouorum reperitur, drach. ij. sem. herniariæ, cinamom. ana ℈. iv. nucleor. mespil. Drach. ij. semin. anisi, fœniculi ana ℥. j. Reducantur in puluerem tenuissimum, de quo capiat ℥. ß. vel ℥. j. cum vino albo.

Cinis corticum ouorum a dustorum, à ℥. ß. ad ℥. j. exhibitus cum vino albo potenter expellit calculum in vrinæ meatibus hærentem.

Sanguis hirci præparatus ab omnibus tum antiquis, tum neotericis commendatur, tanquam remedium excellens ad dissoluendum calculum. Dosis illius erit à ℥. ß. ad ℥. j. Aquę ex sanguine hirci destillata, per vitrea organa, in B. M. miranda præstat. Sed hircus per mensem nutriendus est saxifragia pimpinella, baccis iuniperi, petroselino, alijsque diureticis sine vllo potu.

Hartmannus vrinam hirci, tanquam stupendum remedium commendat his verbis: *In obstructione renum à calculo totali, vel etiam vbi veteres, & vesica à calculis, in eam regionem detrusis omninò fuerint obstructi, vt ne gutta quidem vrinæ prolabi possit, præstantissimum est, si vrina hirci, recentissimè ex viuente adhuc hircò cum vesica extracta, potanda detur, & omentum cum intestinis, ventri, pubi, & peritonæo fuerit applicatum. Sic enim calculus repentè consumitur sine læsione vasorum, & patiens liberabitur.*

Puluis millepedum ad dissoluendos calculos præstantissimus est, illiusque vsus docebitur in calculo vesicæ.

Infusum etiam millepedum, in vino albo paratum, & diu continuatum, ad idem est efficax.

Uinum alKeKengi ab Arnaldo Villanouano maximè cõmendatur, eoque materiam calculosam ita educi refert, vt manu colligi possit. Fitque hoc vinum contundendo fructus alKeKengi cum vino albo, & colaturam exhibendo.

Sequentia verò in communem vsum reuocari poterunt.

℞. Lapidis Iudaici, pulu. lithontriptici iustini, ana ℥. j. nucleor. persicorum, gummi tragacanthi, & nucleor. cerasorum, ana ℥. ß. Reducantur in puluerem, & cum terebinthina fiat bolus, qui detur in tres doses, manè, & serò sumendas.

℞. Raphani acerrimi derasi ℥ ij. Vini albi ℥. iv. Macerentur per aliquot horas, deinde fortiter exprimantur. Colaturam capiat æger bis, aut ter, horis conuenientibus.

Aqua sabinæ ad ℥. j. Vel ℥. ij. sumpta, calculum, & arenulas potenter expurgat.

℞. Rad. bismaluæ in Uino albo mundat ℥ vj. radi bardanæ, & graminis ana ℥. iv. rad. asari, petroselini, valerianæ, fœniculi contusarum, ana ℥. ij. fol. capill. Veneris, saxifragiæ, pimpinellæ, virgæ aureæ, betonicæ, ana M. iv. sem. basilici, bardanæ, cardui benedicti, sileris montani, nucleor. mespil. & persicor. ana ℥. j. milij solis ℥. j. lapidis lyncis, Iudaici, ana ℥. j. ß. terebinthin. ℥. iij. sanguinis hirci præparati Unc. ij. ß. Croci ℥. ij. Uini albi ℔. iv. Contundenda contundantur, & misceantur omnia. Distillentur in B. M. Huius aquæ capiat æger Vnc. ij. tribus horis ante cibum, superbibendo Vini albi Unc. iv.

℞. Cortic. rad. card. benedicti ℥. j. liquirit. ℥. ij. Coquantur ad ℥. vj. Colaturam capiat per multos dies. Calculos, & arenulas, renibus inhærentes, mirabiliter expellit.

℞. Cęparum albarum minutim concisarum ℔. iv. sacchari albi ℔. ij. Vini ℔. j. ß. Distillentur in B. M. ad siccitatem. Dentur manè ℥. ij. vel tres per multos dies.

Apud Practicos commendatur cinis scorpionum, ad ℈. j. exhibitus, cum aqua graminis, parietariæ, aut Vino albo cuius tamen vsus rarissimus est. At frequentius vsurpatur

oleum

oleum scorpionum Matthioli; cuius drach.j. per os exhibita cum prædictis liquoribus calculi excretionem egregiè accelerat.

Chymici suos sales ad calculorum exclusionem maximè prædicant. Inter quos non infimum locum obtinet sal siliquarum, & stipitum fabarum, cuius ʒ.ß. cum vino albo egregiè operatur. Idem præstat tartarum vitriolatum, eadem dosi. Ab ijsdem etiam laudantur spiritus salis vitrioli, & Mercurius dulcis, cum proprijs vehiculis vsurpati.

Exterius verò calculorum exclusio adiuuari potest, si tota renum, & vreterum regio, calentibus manibus, oleo scorpionum inunctis, assiduè perfricetur.

Tum cucurbitulæ plures, à rene affecto ad pubem descendendo; secundum longitudinem vreteris, sine scarificatione applicentur.

Illinatur denuò eadem pars oleo scorpionum Matthioli, aut cantharidum subtilissimè puluerat. portiuncula addatur. Vel fiat linimentum ex olei ceræ, de lateribus, & scorpionum partibus æqualibus, maximè penetrans, & summæ efficaciæ, modò renum inflammatio non timeatur.

In vsu medicamentorum, calculum frangentium, & expellentium, obseruandum est, non semel ea, aut bis esse vsurpanda; sed pluries, donec viæ obstructæ fuerint reseratæ. Dum autem exhibentur, renes, & vesica fouendi sunt balneis, fomentis, vnctionibus, & cataplasmatis, quò faciliori negotio operentur. Nec non liquores aliqui tenuium partium quale est vinum album vinosum, propinandi sunt per vices, & vsurpanda interna emollientia, laxantia, & vias lenientia, vt viæ magis dilatentur, & aliorum remediorum acrimonia temperetur.

Hisce remedijs curatur dolor nephriticus, & calculorum dissolutio, atque exclusio promouetur. Quia verò huic affectui dispositi, & curati sæpè solent recidere; ideò illius prophylaxis instituenda est, vt quantùm fieri potest, recidiua inhibeatur.

Ac primùm, si plethora adfuerit, vel calida hepatis, & renum intemperies, confert venæ sectio vere; & autumno celebrata, præmisso clystere, aut leuiori aliquo cathartico. Deinde materia calculo generando idonea euacuanda est, antequam ad renes deducatur. Quod fieri poterit vomitu, bis, aut ter in mense excitato in ijs, qui facilè vomunt.

Vel purgatio instituenda est bolo, ex cassia, diaphœnico & rhab. composito, in curatione descripto: aut conuenienti alio medicamento, singulis mensibus, aut bimestri, vel trimestri spatio, secundum ægri habitum, & humorum copiam idque in vltima lunæ quadra commodius fiet.

Vel si cacochymia magis vrgeat, apozemate conueniente, vere, autumnoue vsurpato, expurganda erit. Eo enim non tantùm antecedens causa, & remota subtrahitur, sed etiam coniunctæ portio quædam; tum obstructiones viscerum quæ hunc affectum frequenter comitari solent, admixtis incidentibus, & detergentibus, conuenientes dissoluuntur.

Vel apozematis vice decoctum galli veteris vsurpari poterit, in hunc modum compositum.

℞. Polypod. querc. fem. carthami, ana Vnc.j.ß. thymi, & epithymi, ana P.j. sem. cumini, anisi, anethi, fœniculi, carui, cardui benedicti, ana ʒ.ij. fol. sennæ Vnc.j. ß. turbith. gummosi Vnc. sem. cinam. ʒ.j. crystalli tartari Drach.ij. Contundantur, & misceantur simul ex qua mixtura venter galli veteris euisceratì impleatur, deinde coquantur, donec galli caro ob ossibus separetur. Colatum iusculum capiat quatuor dosibus matutinis.

Vel vsurpari poterit puluis sequens, à Solenandro commendatus, cuius vsu testatur, multos à doloribus nephriticis fuisse præseruatos, imò verò liberatos, nam dolore præsente eum exhibet cum successu.

℞. Fol. sennæ Vnc.ij. rhab. opt. ʒ.ß. turbith. Drach.ß. hermodactyl. ϑ.ij. polypod. ʒ ß. cinam. zinzib. milij solis saxifragiæ sem. genistæ, ana ʒ.j. Pulueretur subtilissimè. Dosis autem à ʒ.i. ad ʒ.i.ß. cum vino albo, vel rubello tenui, semel in mense.

Carolus Piso puluris sequentis singulares effectus prædicat.

℞. Anisi, marathri, carui, cumini, ana ʒ i. coriandri præparat. ʒ.ß. liquir. sem. bardanæ, ana ʒ.i sem. cinam. galangæ, ana ϑ.i. fem. milij solis genistæ, ana dr.ß. pulu. diatrag. frig. dr. ii. diagridii ϑ.i. sennæ orientalis ad pondus omnium, fiat puluis. Dosis dr. j. cum iusculo cicerum rubrorum.

Vel syrupus magistralis in hunc modum componi poterit.

℞. Rad. asparagi, gram. altheæ, brusci petroselini, ana Vnc.i. fol. betonicæ pimpinellæ, saxifragiæ, parietariæ, adianti, polytrichi, ana M. i. sem. ocymi, petrosel. macedonici, milii solis, genistæ, bardanæ, sileris montani, ana dr.ii. liquiritiæ rasæ, passularum mundatarum, & polypod. querc. ana Vnc.i. fiat decoctio ad ℔.i. fem. In colat. infunde sennæ mundatæ. Vnc.iv. agarici albi Unc.ii. zinziberis scrup.ii. Bulliant parùm, & fiat expressio. In qua dissolue sacchari albi ℔. i. Fiat syrupus perfectè coctus de quo capiat Vnc. i. semel, aut bis in mense, cum decocto hordei, graminis, & cicerum rubrorum.

Vel in magna cachochymia fiant pilulæ ex aloe, & agarico quarum duæ, vel tres assumantur, alternis diebus ante prandium.

Post purgationem quædam diuretica vsurpanda sunt, vt materia mucilaginosa, tum etiam arenulæ, circa vias vrinarias oberrantes educantur.

In hunc finem parari possunt decocta ex diureticis, in syrupo magistrali descriptis, composita, & cum saccharo in iulepi, vel apozematis formam redacta. Vel etiam cum pullo gallinaceo, vel carne hœdina, aut veruecina, parari possunt iuscula, in multos dies sumenda, bis in anno post purgationes vniuersales.

Tum post singulas purgationes nonnulla ex sequentibus vsurpari poterunt, & semel, aut bis in hebdomada continuari.

℞. Caudicum, & flor. fabarum ℔.iii. calcitrap. ℔.i. Contundantur, addendo sacchari candi ℔. i. succi limonum ℔.i.ß. succi arantiorum ℔.ß. Decocti maluæ, & althææ, facta forti expressione ℔. ii. mellis ℔. i. distillentur lento igne, & non permittantur comburi, neque liquores ex toto consumi. Huius aquæ capiat æger ʒ. iv. manè, vt dictum est.

℞. Nucleor. mespil. & pulu. electuar. diatriagacanthi frig. an. ʒ.i. rad. ononidis siccæ, liquirit. raf. sem. melonum, & milii solis, ana dr.ii. sem. saxifragiæ, genistæ, raphani, brusci, calcitrap. an, dr.i. sem. althææ, & asparagi ana ϑ.i. sacchari candi ʒ. ii. Fiat omnium puluis, de quo capiat cochlear. i. manè, ter singulis mensibus, nempè circa nouilunium, plena luna, & media; superbibendo parum vini albi, aut decocti cicerum rubrorum, rad. eryngii, & glycyrrhizæ, fortiter postea se agitando, aut deambulando.

Carolus Piso eximiè laudat puluerem sequentem, eumque cum puluere purgante, supra ex eo descripto, vsurpatum plures pyxides fragmentorum lapidum excussisse refert, in quodam Præside Lotharingo.

℞. Sem. Althææ, & violarum, ana ϑ. ß. sem. milij solis, & rad. liquirit ana. ϑ.j. lapidis Iudaici, & lapid. spongiæ, an. g.vi. pulu. ossis dactylorum mespillorum, ceraforem ana ϑ.ii. sem. melonum dr.iii. fiat puluis, dosis dr.i. sumēda cum pane azymo, vino albo madefacto, tribus diebus interluniì cuiusque & superbibendo iusculum cicerum rubror. alteratum rad. althææ, fœniculi, eryngi, ononidis, petroselini, & grans iuniperi contusi, addendo vinum album, mel, butyrum, & succum limonum.

Electuarium sequens à Zappata describitur insignis efficaciæ

℞. Sem. hyperici probè exsiccati, & in tenuissimum puluerem redacti ʒ.iij. conserue rosarum, aut violar. ℔.j. Misce fiat electuarium, de quo capiat æger ʒ.ß. manè per biduum, tribus horis ante pastum, duabus primis septimanis; postea semel in septimana per 15. dies, ac deinde semel in mense, vel per longiora interualla secundum affectus vrgentiam.

Conserua rosarum melior, quia corrigit odorem terebinthinæ à semine hyperici impressum: licèt conserua violarum renibus magis conueniat.

Tabellarum sequentium vsus poterit esse tutissimus, & efficacissimus.

℞. Quatuor sem. frig. maior mundat. glycyrrhizæ rasæ, ana ϑ. j. sem. pimpinellæ, ocymi petrosel. macedon. nucis mosch. an. dr.ß. pulu. aromat. rosat. ϑ.ij. sacchari in aqua alKekengi dissoluti ʒ.iv. Fiant tabellæ pond. dr.iij. Capiat vnā manè tribus horis ante pastum, superbibendo aquæ ononidis, aut herniariæ Vnc.iv. cum vini albi Vnc. ii.

Vinum alKekengi in curatione descriptum, si per interualla exhibeatur, omnem materia calculorum educere, asserit Villanouanus.

In omnium diureticorum vsu hoc perpetuò obseruandum

dum, ea non esse frequenter vsurpanda, quia trahunt ad partem affectam: ideò semel, aut bis in mense, vel aliquando per maiora interualla exhibere sufficiat, corpore tamē priùs purgato, ne aliarum partium cacochymia ad renes deducantur.

Attamen terebinthina in vsum frequētiorem venire poterit. Refert enim Amatus Lusitanos *curatione 68. cent. 2.* monachum quendam, cum articulari morbo, simul, & nephritico corripi soleret, & nullo remediorum genere, multis frustra tentatis, conualescceret, tandem terebinthinę vsu intra sex menses liberum a dictis morbis euasisse. Deglutiebat autem singulis diebus terebinthinæ particulam nucis magnitudine saccharo admixtam. Ratio autem, cur terebinthina frequentiùs vsurpata non noceat, sicut alia diuretica, ea est, meo iudicio, quia vrinas mouendo simul aluum laxat, ita vt crassiores humores per aluum deturbentur, qui ab alijs diureticis ad renes deducerentur.

Vulgò autem vsurpatur terebithina per interualla, quemadmodum alia diuretica tum sola, tum alijs medicamentis admixta, in hunc modum.

℞. Terebinthinæ in aqua saxifragiæ, vel parietariæ, decies locæ Vnc. ß. Cum saccharo fiat bolus. Vel

℞. Cassiæ recenter extractæ dr. vj. terebinthinæ Vnc. ß. pulu. liquir. dr. ij. Misce, fiat bolus. Vel.

℞. Terebinthinæ ℥. ß. pulu. lithotriptici dr. ij Misce, fiat bolus. Vel

℞. Terebinthinæ Vnc. ß. rhab. pulu. dr. j. Misce, fiat bolus.. Vel

℞. Terebithinæ ℥. iv. Innutatur in lamina ferrea candente, vt possit in puluerem reduci, cuius dosis erit ad dr. ij. cum liquore idoneo.

Zacutus Lusitanus *obser. 58. lib. 2. Prax. admir.* balsami naturalis vires ad calculos expellendos mirè prædicat, eoque liberatum esse virum sexagenarium, qui per dies octodecim vrinæ suppressionem à copia calculorum passus fuerat. Is primò guttulas aliquot balsami cum oleo amygdalino hauriens, dosin vtriusque augendo, singulis diebus, ita vt tandem ab balsami ℥. ß. & olei amygd. Vnc. iij. ascenderit, intra decem dies calculos sex excreuit, & eiusdem auxilij beneficio in posterum præseruatus est, dimidiam ol. amygdalini vnciam, sex balsami guttulis permixtam ieiuno stomacho absorbens; cuius præsidij ope, fabulosam vrinam excernens, in multos annos vitam produxit. Si balsamum Orientale desit. Peruuianum erit vsurpandum. Idem Zacutus *in eadem observatione*, aquam nicotianæ prædicat his verbis. *Memini me plures calculos magnos, renum cauo tenaciter impactos, vsu stillatitiæ aquę ex nicotiana viridi extractę, in potum exhibitę, per vrinam deturbasse. Si ea desit, eius decocto vtere cum vtilitate multa.*

Sapientissimus Varandæus, Præceptor meus, mirùm in modum probat ad prophylaxin huius affectus, vsum aquarum nostratum Balerucanarum, cuius etiam nos admirandos sæpè vidimus effectus. Huius autem verba, summo iudicio exarata, & ex diuturna magni illius viri experientia deprompta, hic subnectimus. *Nullum est* inquit, *me quidem iudice, potentius præstantiusue remedium post accuratam corporis purgationem, ad vias istas excrementis suis liberādas, & mundificandas, quam potus aquarum nostrarum Balerucanarum; suo enim calore, ex bituminali vena profecto, fundunt, liquantque quoscumque crassiores mucos, & ipsos calculos si adhuc sint teneriores; nitrosa autem substantia abradunt quasi, & detergunt sordes istarum viarum, & quantitate mirabili, qua assumuntur, solent impuritates non tantum intestinorum: sed etiam renum, & vesicæ quasi torrente quodam abripere. Vnde incredibile est dictu, quantam viderimus ex calculosis istis hominibus saburram, illarum potu cum vrinis deturbatam. In quibus autem timuimus calefactionem viscerum, præscripsimus tunc temporis vini abstinentiam, iuscula quoque pullorum, herbis refrigerantibus temperata, iulepos temperantes, & similia. Quibus ita consideratis, ne veremur etiam pituitosos, ac pingues homines (dummodo firmissimis viribus) in balneum dictarū thermarum præcipitare, semel tantum in die circa aurorā, munitis prius renibus, & hepate, propriis quibusdam unctionibus, atq; etiā duplici linteolo involutis: vt deinceps sudoribus concitatis, viisq; istis relaxatis, excrementa huiusmodi copiosè vacuentur. Licebit etiam postea dum erunt domi, si ita videatur; emendare quidquid empyreumatis contraxerint, vsu balnei domestici ex aqua dulci, & refrigerantibus, ac humectantibus parati.*

Conferunt etiam non parùm, ad huius affectus præcautionem, aquæ minerales acidulę, & vitriolatæ; quia non solum materiam mucilaginosam, atque tartaream, ex qua coagmentantur calculi, dissoluunt, & arenulas deturbant; sed etiam hepatis, & renum calidam intemperiem corrigunt; ideòque in calidioribus dictarum partium intemperaturis huiusmodi aquæ erunt conuenientissimæ.

Cùm autem naturę calidiores à prędictis remedijs diureticis, maiori ex parte calidis, aliquantulùm lædantur; eorum loco alia magis temperata illis substitui poterunt, quorum præcipua sunt.

Aqua foliorum, & siliquarum fabarum recentium, vel aqua herniariæ.

Aqua limonum destillata etiam commendatur. Limones integri in taleolas diuiduntur, & destillantur in B.M. Ad magis refrigerandum cum lacte destillantur vtiliter.

Conserua fructus cynorrhodi, quæ diuretica est, attamen refrigerat, & à Cratone in hoc casu laudatur.

Conserua flor. althææ, vel maluæ, quæ leniendo, & humectando vias vrinarias, arenularum exclusionē adiuuat.

Succus portulacæ inspissatus, & in pilulas redactus dr. j. pondere exhibitus, renes potenter detergit.

Flores granatorum exsiccati, & dr. j. pondere sumpti calculosam materiam expurgant.

Idem præstat spongia bedegaris exsiccata, & pari pondere cum liquore idoneo propinata.

Butyrum recens cum saccharo cando partibus æqualibus mixtum, quotidie manè sumptum ieiuno stomacho, vias vrinæ lenit, & abstergit, ac calculi generationem impedit.

Idem præstant amygdalæ amaræ, si quotidie x. aut xij. comendatur.

Nec minoris sunt efficaciæ nuces auellanæ, antepastum comestæ, quæ à Cratone commendantur, dicente, se compertum habere, non paucos, sæuis cruciatibus calculi diu affectos, vsu auellanarum, liberatos. Quod quidem disertè confirmat Amatus Lusitanus *curat. 78. cent. 7.* vbi sic loquitur *Vir, qui nephritim patiebatur, & de renibus non raro capillos rubentes per virgam mittebat, multùm quærebatur, lumborum, namque, & illorum, imò totius ventris dolores, & rugitus sæpè sentiebat. Pro quibus abigendis symptomatis multis est vsus remedijs, frustrà tamen. At cum præter spem ex cuiusdam commendatione auellanis, in victu vteretur, liber, & sanus à tantis affectionibus euasit. Consuluerat autem illi vir quidam, si morbum profligatum vellet, auellanas cum internis suis membranulis comederet initio prandij, & cœnę. Cæterum ille remedium considerans familiare, non solum initio mensæ eas comedebat, sed medio, & fine. Quarum assiduo vsu ita valuit, vt nunquam posteà morbum persenserit.* Addit Amatus Lusitanus in scholio. *Non solùm vir hic, de quo agimus, per auellanarum esum sanus ex hac mala affectione fuit, sed plures alij. Sunt autem auellanæ hæ vulgares ponticæ nuces dictæ, quas Auicennas inter eas medicinas, quæ lapidis renum materiam absumunt, reponit; Sed qua facultate operentur dubium est. An fortè sua siccitate, & facultate, in membranula interiore comperta? Sed non desunt alij, qui hoc operari sua nuclei parte oleosa contendunt.*

Chymici spiritum salis laudant, illiusque guttas aliquot manè cum iusculo, aut alio liquore exhibent.

Aqua tepida excocta à Zechio commendatur, sex, vel septem vnciarum pondere, ante omnium cibum bis, aut saltem semel in die pota; *Nihil enim* inquit, *adeo renes, à recrementis vacuos temperatos reddit. Igneus enim eorum calor aquæ tempore tandem extinguitur, ita vt in posterum calculos procreare non possint.*

Pro potu vtatur æger vino tenui, & paucifero, cum decocto radicis eringij. Quod quidē decoctum pro potu ordinario à Grotone commendatur. Et nos egregios illius vidimus effectus. Sed eryngium marinum vulgari multò præstantius est.

Nonnulli à calculo præseruati sunt vsu ad potum ordinarium vini expressi ab vuis acidulis, quæ vulgo apud nostrates *vnies*, nominantur, ita vt vineam ex illis vuis ad hunc vsum de industria condiderint.

Ad prophylaxin etiam huius affectus non parùm conducit, renum intemperiem calidiorem corrigere, cui rei proderunt remedia, in calida hepatis intemperies descripta, quę etiam renum intemperiem emendare valent. Præterquam quòd caliditas immodica renibus non rarò ab hepate communicatur.

Inter cætera vero serum lactis, per mensem integrum, verno tempore vsurpatum, præstantissimum est. Tum etiam

aquæ

aquæ minerales, acidulæ, & vitriolatæ, omnia viscera interna potenter refrigerant.

Inter externa balneum aquæ dulcis tepidæ frequenter vsurpatum, & natatio in flumine, æstatis tempore, erit conuenientissima.

Epithema sequens renibus etiam frequenter admoueri poterit.

℞. Aquarum lactucæ, nymphææ, & rosar. ana ʒ. iij. aceti rosacei ʒ. ij. Misce, admoueantur valdè tepidè, manè, & serò.

Conuenit etiam sequens linimentum præcipuè hyemis tempore.

℞. Ol. rosac. nymph. & violar. in aceto, & aqua rosac. lotorum, an. ʒ. j. mucilag. althææ extractæ in aqua parietariæ ʒ. vj. ceræ tantillùm, fiat linimentum pro vnctione renum, manè, & vesperi.

Temperatur, & renum caliditas immodica, lamina plumbea perforata, supra regionem renum continuò gestata.

Ac denique, quia ventriculi cruditates materiam suppeditant calculis generandis; illius etiam ratio habenda est, & roborandus ventriculus sumptis, & admotis, in illius partis imbecillitate descriptis.

CAPVT II.

De Calculo Vesicæ.

QVamuis ordinis ratio postulare videatur, vt omnes renum affectus seriatim prosequamur; tamen ordo doctrinæ postulat, vt calculo renum vesicæ calculum subnectamus; cum eadem vtriusque sit natura, & conditio: & maxima pars eorum, quę de calculi renum generatione diximus etiam calculo vesicæ conueniat.

Causæ igitur materialis, & efficiens calculi vesicæ eædem omninò sunt, quas ad calculi renum productionem concurrere, supra retulimus. Hęc tantùm in eorum generatione differentia annotanda est: quòd pueri magis calculo vesicę laborent, senes verò calculo renum magis afficiantur. Cuius euentus ratio à Galeno tradita est *in 6. epid. sect. 3.* quia nimirùm crassities vrinarum, quæ in pueris frequenter ob ingluuiem contingit, à calore illorum blando dissoluitur, ac simul diffunditur, nec in renibus moram trahit, adiuuante facultate expultrice renum, quæ fortior est in ea ætate: sed lapsa in vesicam, ibi residet, ac moratur diutiùs, quia pueri ludicris intentis, & diuturno somno indulgentes, longiora faciunt meiendi interualla. Adde, quòd vrina minùs acris, vesicæ expultricem non irritat, donec copia grauans efficiatur; & sic fæx ista retinetur, neque potest deinde commodè expurgari per exiguum adhuc vrinæ caniculum. Præterea, vesica ab vrinæ copia valdè distenta, non potest tam exactè sese contrahere, vt totam vrinam euacuet, sed aliqua eius portio in fundo remaneat, quæ est crassa illa fæx, calculis coagmentandis idonea. Senes contra frequenter emingunt eam materiam, quæ in vesica continetur; ampliореque ductus patet ad eius expulsionem. In renibus autem crassamentum illud moratur quia viscidius est, neque potest dissolui ab effœto calore, aut transcolari ob siccitatem, & quasi ariditatem, in renibus iam contractam; vnde Hipp *in coacis*, vult lapidem in vesica non generari à decimquarto ætatis anno, vsque ad sexagesimum, nisi priùs exiterit.

Fernelius nouam de calculi vesicæ ortu opinionem proposuit, dicens, omnem calculum, in vesica contentum, rudimentum è renibus traxisse, & in vesica postmodùm incrementum sumpsisse. Quando nimirùm calculus è renibus excidit per dolorem nephriticum, si grandiusculus sit, in vesica subsistit, ibique nouæ materiæ appositione sensim accrescit. Asserit etiam, se in contritis vesicæ calculis nucleum quendam in medio reperisse, è renibus exturbatum, diuersi à reliquo integumento coloris, & substantiæ. Neque vnquam se aliquem offendisse, calculum in vesica habentem, qui nephriticis, doloribus antea diuexatus non fuerit.

Verùm hæc sententia à probatis Authoribus non paucis reijcitur, qui sua experimenta prædictis contraria afferunt: quam plurimos nimirùm calculos, ex puerorum vesicis extractos, se vidisse asserentes, nucleos habentes, à reliquo integumento, nec colore, nec substantia, vllo modo dissimiles. Et certè vulgaris experientia nobis aperte demonstrat, pueros calculo vesicæ laborantes, nunquam doloribus nephriticis affectos fuisse: quod sæpissimè contingeret, si calculorum rudimenta à renibus extruderentur. Verum quidem est, in adultioribus non rarò calculos, è renibus deturbatos, in vesica contineri, & per nouæ materię additionem, paulatim increscere. Sed illud semper ita fieri, negandum est, & constanter asserendum, quam plurimos calculos exordium sumere in ipsa vesica.

Diagnosis calculi vesicæ difficillima est, præcipuè in principio, quando calculus exiguus est? grandior enim factus satis euidentes notas præ se fert: Nos vero eam, quantum artis beneficio præstari potest, elucidabimus.

Primum signum est: Dolor in collo vesicæ, qui circa finem mictionis exasperatur, & ad glandis extremum exporrigitur, omninò similis illi; qui in dysuria contingit, & ab ea vix distinguitur in principio, donec alia signa apparere incipiant.

Secundum signum: Proritus in pudendo, qui ęgros cogit illud sæpè scalpere, & contrectare, ac veluti discepere, molestiam illam auferre conantes.

Tertium signum. Pondus in peritonæo, & tota pectinis regione, cum dolore grauante, quòd sit à calculo grandiori.

Quartum signum. In calculo grandiori summa mingendi difficultas, cum summo conatu, parturientium more, & vrinæ stillicidio, guttatim effluentis, cum micturitione frequenti.

Quintum signum. Vrinæ suppressio inter mingendum, vt in medio cursu subitò supprimatur, calculo ad vesicæ orificium cum vrina delato; illudque obturante.

Sextum signum. Facilior exitus vrinæ, resupinato corpore, quia calculus in ea positura à canali vesicæ longiùs recedit. Tum quando vrina intermingendum supprimitur, si corpus resupinetur, & concutiatur, liber fit vrinæ exitus, calculo ad vesicæ fundum translato.

Septimum signum. Frequens virgæ erectio, quæ tum à retentione vrinæ procedit, tum à phlogosi vesicæ, quæ calculi attritione inducitur.

Octauum signum. Tenesmus, ac frequens desidendi cupiditas, quæ mingendi cupiditatem sequitur, propter consensum iphincteris ani, & vesicæ. Vno enim irritato, alter etiam irritatur, quia ramor recipiunt ab eodem neruo.

Nonum signum est, quòd ægri quiescere non possunt, & in vno loco manere, sed valde inquieti sunt, crebro moueantur, & crura alternatim exagitant: & si maior sit calculus, vix recti stare possunt, equitare, vel ambulare per salebrosa loca, quia tunc temporis ceruix vesicæ à lapide commoto valdè contunditur.

Decimum signum est, quòd ægri à nullo remedio leuantur, sed vt plurimum peius habeant. Quia medicamenta quacumque vrinæ vias peruadunt, vel nouam materiam ad vesicam deducendo, malum augent, vel pituitam abstergunt, quæ lapidi circumducta eum mitiorem reddit, & contrà is denudatus acriùs mordet tunicam vesicæ interiorem.

Vndecimum signum ex eo depromitur, quòd cùm æger doloribus nephriticis obnoxius sit, & in fine paroxysmorum calculos excernere soleat, quos eorum dolorum causas fuisse certum est, si aliquando post dolores illos calculum nullum excreuerit, vt antea solebat, signum est eum calculum, qui dolorem efficiebat, in vesicam fuisse detrusum; in eaque retentum; vbi sensim incrementum sumit, & prædicta symptomata sensim inducit. Ideò si quis, dolore nephritico liberatus, nullum calculum excreuerit, & post aliquod tempus vrinæ difficultate vrgeri incipiat, maxima, est retentis calculi coniectura.

Duodecimum signum desumitur ex Hipp. *Aph. 79. sect. 4. Quibus in vrinis arenosa subsident, his vesicæ calculo laborat.* Qui Aphorismus multorum ingenia torsit. Gal. *in illius commentario* dicit, eum manifestè mancum esse, quòd Hippocrates dimidiam illius partem omiserit: siue enim in renibus siue in vesica calculi generentur, arenosa cum vrinis simul egrediuntur, & ipse Hippocrates huic contradicit Aphorismo *lib. de internis affectionibus*, vbi veteres Medicos reprehendit, putantes arenam esse signum calculi in vesica. Cardanus *in comm. eiusdem Aphorismi* testatur, se ab annis triginta arenulas primò rubras, postmodùm verò albas, quotidiè, & copiosè excreuisse, sine vlla calculi renum, aut vesicæ suspitione. Asserit etiam, vix è decem vnum reperiri, qui arenas cum lotio non excernant; rarus tamen esse, qui renum calculo laborent, ac rariores multò qui vesicæ. Referunt etiam, Hispanos magna ex parte arenas cum vrinis excernere, qui tamen parum lithiasi obnoxij sunt.

Nos

Nos superiori capite arenas distinximus, quæ calculum significare possunt, ab ijs, quæ nullo modo indicant; sed diximus, esse signum valdè æquiuocum. Fit enim plerumque, vt robore facultatis expultricis arenulæ illæ penitùs excludantur, nec vllo modo retineantur in renibus, & vesica. Et quamvis huiusmodi arenulæ certiùs indicarent; nunquam tamen soli vesicæ tribui possent. Atque adeò Aphorismus, vt verba illius sonant, semper falsitatis conuincitur.

De huius Aphorismi interpretatione lis maxima orta est inter Beuerouitium, & Salmasium (viros doctissimos, & in Authorum sententijs obscurioribus, aut mutilatis, restituendis peritissimos) quæ integra vtrinque peperit volumina, Nostrum non est, neque instituti nostri ratio patitur, in ijs diutiùs immorari: hoc vnicè statuentes, pro omnium criticarum dissensionum resolutione, Authorum sententias, quæ prima fronte veritati, & quotidianæ experientiæ contrariæ videntur, ad eum perpetuò sensum esse retrahendas, qui veritati magis conformis, & consentaneus est; etiamsi termini sententiarum eum sensum pati non possint, qui in tali casu censendi sunt suppositicij, & ab alijs (forte imperitis) adiecti, aut fortè illas sententias integras esse ab alijs insertas, vt sæpè Galenus dicit de quibusdam Hippocratis sententijs, quas ab alijs adiectas prounciat, vtpote Hippocratis maiestatem præ se minimè ferentes. At verò Beuerouitij interpretatio circa arenosam subsidentiam ad mentem Hippocratis non videtur instituta, neque magni vsus in actu practico. Primò non videtur menti Hippocratis respondere qui in precedentibus Aphorismis signa desumit ex vrinæ contentis; quòd suum propositum sequens, sumit etiam signum ex arenulis in vrina subsidentibus, quas dicit calculum vesicæ significare. At Beuerouitius, sensum illum inuertens dicit, Hippocratem esse intelligendum de arenulis, quæ per vrinas antea excerni solebant, si subsistant in vesica, id est retineantur, & non ampliùs excernãtur, signum est, illas arenulas retentas calculum in vesica coagmentare. Hæc interpretatio, vt dictum est, menti Hippocratis non respondet; deinde nihil confert ad vsum praxeos. Illi enim, qui arenulas cum vrinis emingere solent, quædam habent inturualla, in quibus tamen non fit calculus in vesica. Neque magnam habet vim, quod Beuerouitius notat, in alijs Aphorismis Hippocratem, vbi ponit signa ex vrinæ contentis desumenda, non vti verbo subsidentiæ, sed potiùs excretionis. V.g. *Quis pus, aut sanguinem mingunt. Quibus cum vrina crassæ furfuroſæ exeunt* &c. At hic vtitur nomine subsidentiæ, vt aliud quippiam significare videatur.

Verùm nos ad vsum artis omnia reuocantes, dicimus, Hippocratem in hoc Aphorismo non potuisse vti nomine quoddam, excretionem tantùm significante, quia distinguere debebat illas arenulas, quæ calculum significant, ab illis, quæ nullo modo eum indicare possunt: illæ autem arenulæ (vt cap. superiori diximus) subsident in fundo matulæ; aliæ verò minimè, sed tantùm matulæ parietibus adhærent, & ideò rectè Hippocrates, vt illas arenulas ab his distinguat, dicit quibus fabulosa subsident, quia aliæ arenulę, quę non subsident, non sunt calculi indicium.

Quandoquidem igitur hic Aphorismus ad veritatem, & vsum artis reuocandus est, quantùm fieri potest, existimamus, intepretationem à Ioanne Zechio (in artis operibus exercitatissimo) propositam reliquis omnibus esse anteponendam, cuius beneficio signum pathognomonicum stabilitur calculi vesicæ, & magnus Aphorismi vsus elicitur in Medicina faciendа, cum secundùm omnes alias interpretationes inutilis reddatur. Atque vt debitus honor Zechio reddatur apud eos, qui eius operibus carent, operæ prætium duximus ipsa illius verba transcribere, quæ habentur in libro consultationum medicarum, consultatione 58. *Hippocrates*, inquit *Aph. 79. sect. 4. à nullo, neque ab ipso Galeno hactenus, vt decet, explicato, hanc protulit sententiam. Quibus in vrina fabulosa subsident his vesica calculo laborat. Quamquidē sententiam, si ea ratione admittamus, quam interpres Galenus sequitur, falsam prorsùs esse, ex eo facile constat, quod infiniti fermè homines vrinam fabulosam, toto eorum vitæ tempore mingere obseruentur, (& vnus illis sum) citra tamen vllam vesicæ lithiasis suspicionem. Quo fit, vt non possim non valdè Galenum, tantùm virum, & omnes alios Post ipsum scriptores admirari, quippè qui tanti momenti ad Medicinam faciendam Aphorismum, vel non intellexerint quod quidem vix adduci possum, vt credam, vel saltem ob aliquam in eo ambiguitatem dissimularint. Tota autem propositæ difficultatis explicatio ex illius verbis,* (fabulosa) *proprio significatu palam desumitur; etenim hac voce*, fabulosa, *Græcè* ψαμμώδεις, *nihil aliud summus Hippocrates intelligere voluit, quam sabulum crassum, cui veluti terra pinguis sit admixta: hoc est, lutosum, siue argillosū quid veluti narium mucus, matulæ fundo tenaciter inhæresces. Signum sanè lapidis maioris in vesica concreti pathognomonicum. Sed quoniam in rebus humanis nihil est perpetuū, mirari non oportet, si interdùm consimili affectu laborantes hoc signo destituantur, quod lapis in vesica sit exiguus, vt in Illustrissimo, ac Reuerendissimo Cardinali Paleoto obseruauimus. Causam autem huius cœnosi excrementi alias fusiori sermone explicauimus.* Hactenus Zechius. Vbi autem cœnosi illius excrementi causam reddiderit, compertum nobis non est. Nos verò eam dilucidè exposuimus capite superiori, vbi ostendimus, mucosam illam materiam essæ vesicæ malè affectæ proprium excrementum, quando nimiam sanguinis copiam, & superfluos umores ad se transmissos concoquere, & assimilare non potest, eosque in mucilaginosam istam materiam conuertit; & illam prauam vesicæ diathesin à calculo vt plurimùm excitari. Relegantur illa hoc loco, quia ad eorum, quæ suprà dicta sunt, intelligentiam plurimùm faciunt.

Sed vna ad hucremanet difficultas quòd nonnulli aliquãdo materiam pituitosã, & mucilaginosam quotidie cum vrina excernant, quamvis à calculo vesicæ immunes sint. Et refert Cardanus *loco supra citato*. Leonem quemdam monachum Diui Augustini, tantum pituitæ lentæ in matula concretæ sæpè illi ostendisse, vt ouum anseris magnitudine superaret; & tamen lapidem nunquam habuisse.

Cui dubio respondemus materiam mucilaginosam, è vesica prodeuntem, in eo distingui ab illa, quæ ex alijs partibus procedit, quod quæ à vesica, magis tenax, & glutinosa sit; ita vt fundo matulæ, aut vitri ouroscopi tenaciter abhæreat, nec post vrinæ effusionem vehementi concussione excuti valeat. Quæ verò est ab alijs partibus, fundo matulæ non adhæreat; Sed ea inuersa statim cum vrina effluat. Hoc vsus non docuit, quod à nullo Auctore hactenus est animaduersum. Illa autem glutinositas maior in excrementis vesicæ, à propria illius natura dependet, quæ membranea est, & glutini huic producendo idonea; quemadmodum videmus, ex pellibus membraneis aliorum animalium gluten, seu collam confici firmissimam, ad varios vsus mechanicos idoneam.

Hanc autem materiam glutinosam seu argillosam, vt vocat Zechius, à praua vesicæ dispositione ex calculo contracta prouenire, nos inde probare possumus, præterea, quæ superiori capite dicta sunt, quod aliàs obseruauimus puerum duodecim annorum calculo vesicæ laborantem, qui quotidie cum vrina mingebat materiam glutinosam, fundo vitri adhærentem. Postquàm vero calculus sectione ademptus esset; puer ille per mensem integrum eandem materiam post sectionem cum vrina excreuit, postmodùm verò nihil tale emisit. Quod apertè demonstrat, illam materia ex vesicæ mala dispositione prodijsse, quę cum non illicò post exsectionem curari potuerit, sed per aliquod tempus perseuerauerit; illa etiam continuauerit materiæ glutinosæ excretio, sed vitio vesicæ curato: nunquam amplius apparuit talis materia, quod ostendit eam non aliunde, quàm è vesica prouenisse.

Sciendum etiam pro coronide, hanc quidem materiam mucilaginosam prædictis conditionibus stipatam, quoties apparet, calculi vesicæ præsentiam indicare: non tamen contra, quando non apparet, eiusdem absentiam significare: quia sæpè contingit, vt calculus leuis, & politus, & nulla asperitate donatus, aut quantitate minor, vesicam tantopere non offendat; vt inde praua illa diathesis oriatur, & tunc vrinæ claræ perpetuò redduntur. Igitur signum istud pathognomonicum dici potest, quatenus præsens calculi vesicæ præsentiam indicat quamuis absens eiusdem absentiam non significet.

Neque præterea digna esset viro cordato hæc obiectio, vel potiùs cauillatio, quòd ex nostra obseruatione supra proposita, talis materia cum vrinis excreta sit, quamuis calculus non esset in vesica, qui antea per excisionem ademptus fuerat. Sufficit enim, calculum, antea & nuperrimè adfuisse, quibus affectus causa fuerit. Atque adeo talis materia significat calculum, qui vel iam adest, vel nuperrimè adfuit.

Ultimum difficillimæ istius diagnosis signum petitur ab exploratione, quæ fit per catheretem, & digiti in anum immissionem; ad quam tandem confugiendum est, vt illa omni-

omnino indubia reddatur. Quod etiam intelligendum est de ijs, quæ vt plurimùm contingunt; non de ijs, quæ semper. Aliquando enim calculus substantia mucosa, vel etiam cystide obuolutus est, vt certa illius exploratio fieri non valeat, & lithotomos aliquando in eo decipi videamus. Quod tamen de cathetere præcipuè audiendum est: nam exploratio, quæ fit per immissionem digiti in anum, longè certior est, & non solùm calculum adesse ostendit, sed etiam illius differentias quoad magnitudinem, figuram, & numerum patefacit.

Prognosis huius affectus non nisi laboriosa, & periculosa, institui potest. Laboriosa quidem ex eo, quòd minimi tantùm calculi per angustum vesicæ meatum excludi possint; grandiores verò, si duriores, ac veluti silicei, conteri, ac dissolui nequeant; si verò molliores, gypsei, aut tophacei, aut alio quovis modò friabiles dissolui quidem possunt longo efficacium remediorum vsu quem vtplurimum ægrotantes ferre nequeunt, & ideò talis curatio rarissimè succedit, ita vt sæpissimè ad sectionem veniendum sit, quæ quàm plena sit terroris, quotidianus euentus docet, cùm plurimi ex illa operatione moriantur. Vnde Hippoc. in iuramento discipulos suos monet, ne hanc sectionem aggrediantur, sed eam lithotomis perficiendam relinquant. In mulieribus tamen facilior est operatio, & periculi expers, quod latiorem habeant meatum vrinarium, & nulla sectione, sed simplici dilatatione perficiatur.

Curatio calculi, in vesica concreti, easdem habet intentiones, quæ suprà in renum calculi curatione propositæ sunt, vt nempè materia illius antecedens euacuetur, reuellatur eiusdemque generatio prohibeatur, materia verò coniuncta, seu calculus ipse imminuatur, atteratur, & dissoluatur. Quibus intentionibus prosunt remedia, etiam ibidem proposita.

Ex quibus maximè est efficaciæ aqua, ex cæpis destillata, cuius vsu per 40. dies continuato, nos calculum fabæ magnitudinem superantem è vesica excretum vidimus.

Attamen, & grauissimorum Authorum sententia, & quotidiana experientia docet, medicamentis ore assumptis vix, ac ne vix quidem calculum vesicæ dissolui posse. Vnde fit, vt ad lithotomiam, seu calculi chirurgicam extractionem, vt plurimum confugiendum sit. Quia tamen nonnullæ inueniuntur historiæ calculo laborantium, per medicamenta curatorum, nos præcipuas hic annotabimus, vt cuique liberum sit, efficaciora experiri remedia, priusquam periculosissimæ, & terroris plenæ Chirugiæ sese committat. Adde quòd reperiuntur aliquando calculi tam molles, & arenosi, aut recenter concreti, vt eos dissoluere non sit impossibile. Nam durorum, & siliceorum dissolutio minimè separabilis est.

Horatius Augenius *tom. 2. epist. medicinalium lib. 6. epist 8.* *Ego* inquit, *bis in hunc diem calculum vesicæ fractum vidi, primò casu, mox deliberatione, atq; matura cõsultatione addita. Casus fuit Filium sancti, Pontificij Typographi, Romæ expurgandum suscepera mus, vt posteà tutior ad ipsam sectionem accederet: Tentauerat enim antea omnia remediorum opera, tùm à Medicis Venetis, tum Florentinis præscripta. Cùm verò nullam vtilitatem subsequi deprehenderet secari cupidus, Sacerdotem iussit accedere vt si ex sectione moreretur, animæ suæ consultum. Requisitus fuit ex Societate Iesu, qui audita confessione ab ægroto, & cognito morbi genere, proponit illi pharmacum, vt dicebat, magni vsus, de quo, & in seipso, & in alijs periculum fecisset. Experiri placuit, neque facti pœnituit. Nam qui proxime incidi debebat, liber ab omni calculo nono die fuit. Pharmacum autem a Iesuita ei datum, hoc erat.*

℞. Pulu. millepedum Drach. j. ad summum ℈. iv. aquæ vitæ Unc. sem. iuris ciceum rubrorum. Unc. ix. Vel x. Capiat horis ante prandium quinque.

Ego verò iuuenem annorum 18. calidi, & sicci tẽperamẽti totius corporis curaturus, duxi, imminuendam quantitatem aquæ vitæ & vbi singulis diebus datum alteri fuit antidotum, huic alternis dari iussi, & pro refrigeratione totius corporis, aquæ fabarum, & fragorum, ana ℥. v. propinari inter remedio die cum gutt. vj. olei de chalchanto, & unc. j. iulepi violati. Hoc autem modo pharmacum phœbebant.

℞. Pulu. aselior præp. ℈. j. aquæ vitæ ℈. ij. decoct. cicer. rubr. Unc. viij. Misce, capiat horis sex ante cibum. Hæc Augenius.

Sennertus *cap. de calculo vesicæ*, memorabilem historiam refert VVilhelmi Lauremberg ij, Professoris Rostochiensis, ab eodem acceptam, qui prouecta iam ætate calculo vesicæ affectus, ac sectionis auxilio periculosissimo sese committere nolens, de alijs remedijs cogitare cœpit. Primò ergo liquorem illum nephriticũ celeberrimum, magnoque apud Principes in pretio, & vsu habitum expertus est, qui ita paratur.

℞. Salis tartari albi Vnc. j. Affunde aquę petrosel. ℔. j. Misce, & per chartam. bibulam cola, & liquori color croceus corticibus aurantiorum concilietur. Vsurpauit etiam gemmam illam indicam, *Igiada* Hispanis dictam, ad calculum frangendum celeberrimam. Sed vtriusque remedij nullam vim deprehendit. Ergo inter reliqua, quæ ad calculum comminuendum commendantur, pharmacum ex aselli experiri voluit, quo duos adolescentes vesicæ calculo laborantes feliciter sanatos esse Horatius Augenius profitetur.

Ad cuius imitationem, præmissis vniuersalibus, & exquisita victus ratione instituta, accepit aselior. præparat. ℈ j. spiritus iunipetrini ℈ iij. iuris cicer. rub. Vnc. x. quo manè assumpto, prima, & secunda vice à sumpto medicamento, tribus, aut quatuor horis, quandam pectoris compressionem percepit, & quasi imminens animi deliquium, vt necesse haberet theriacæ Drach. j. potioni admiscere. Atque ita remedio hoc totos 15. dies vsus est. Sed toto hoc spatio, ne minimum sabuli expurgari reperit. Itaque alia addenda ratus, sequenti medicamento vsus est.

℞. Aselior. præp. Vnc. ij. leporis prepar. sang. hirci prepar. spongiæ rosar. sylueſtrium, sem. viol. purpur. ana Vnc. j. specierum lithontrip. ℥ ij. Misce, fiat antidotum. Cuius accepit ℈ ij. decocti diuretici ℥ x. spiritus iuniperi ℈ ij. Quod medicamentum vbi mane hora quinta hausisset, secunda vice, post horas plus minùs quatuor, sub pubis osse, ad regionem ostij vesica, magnos sentire cœpit dolores. Paulò post parùm vrinæ profluebat, & cum ea lamellę exiguæ, instar squamæ piscis subrubeæ: quæ licet aliquam visciditatem habere viderentur, ad tactum tamen in sabulum resoluebantur, ita vt manifeste appareret tumorem, vel crustram esse à maiore calculo solutam. Cuius medicamenti vsum cùm continuaret; interdum quarto, nonnunquam quinto die; huiusmodi lamellę crassiores, & fragmenta sæpè grandiuscula profluxerunt, præsertim vbi lauacro aquæ dulcis vteretur. Cùm verò, & à calculo, & ab eius fragmentis orificium vesicæ esset sauciatum, ad leniendum dolorem, medicamentis vsus est. Atqui horum medicamentorum vsu, 17. septimanarum spatio, à calculo liberatus est. Decoctum hoc fuit.

℞. Rad. glycyrrhizę ℈ iv. altheæ; gram. ononidis, ana ℥ ß. baccar halicacabi, n. xx. cicer. rub. ℥ iv. uar. passar. ℥. j. sem. quatuor frig. maior. ana ℈ j. hordei M. ij. Coque in aquæ alKekengi, ononidis, fragorum, flor. fabarum, ana ℔ j. sem. Colaturæ adde syrupi de althæa ℥ iv.

Millepedes ita præparantur.

℞. Aselior. viuorum ℔. ij. Abluantur aqua ononidis, & à sordibus purgentur deinde vino Hispanico Petrosimeno dicto inebrientur, eoque sensim effuso, conijciantur in ollas vitreatas, quamò plures, tantò meliùs, cum in vnam ollam conlecti, citra combustionem vel putrefactionem difficulter exsiccari possint. Hæ ollæ, luto diligenter occlusæ, in furnum, à panis coctione calentem; collocentur, vt moderato calore exsiccentur, & in puluerem redigi possint. Huic puluerì rursùm affundatur sensim Vinum Hispanicum, quantùm imbibere poterit, & rursùm exsiccentur. Itaque imbibito, & exsiccatio tertiò repetatur. Quarta vice hoc liquore irroretur.

℞. Aquæ fragor. ℥ iij. spiritus Vitrioli ℥ ß. Misce.

Iterùm puluis exsiccetur, & tenuissimè contritus in vitreo vsu seruetur.

Præter dicta remedia, vsus aquæ sanguinis hirci destillatę, vel vrinæ hirci recenter mactati, tentari potest, modo in calculo renum proposito.

Si medicamentis calculus frangi nequeat, ad operationem deuenire, quantumuis periculosissimam, necessitas exigit: ne æger grauissimis, & diuturnis doloribus tandem conficiatur. Ea autem peritum artificem, & valdè exercitatum desiderat, vt debitè administretur, sic enim vtplurimùm solet succedere, nosque quam plurimus hoc modo sanatos vidimus.

Medici autem hac in parte est, ante operationem corpus præparare per venę sectionem, purgationem, vitamque idoneam, prout rei status indicabit. Notandum autem, minimè periculosam esse in mulieribus calculi extractionem, quippe quæ sola meatus vrinarij, qui breuissimus est, dilatatione perficitur.

Si æger curationem per sectionem reformidet, aut desit peritus Chirurgus; interim, ne lapis Vesicæ cruciem, in

quam

quàm sæpè incumbit, asperitate sua exulcerat, lenientia remedia vsurpanda sunt, qualia pro adrore vrinæ infrà describentur.

Quod si fortè lapis in ceruicem vesicæ impactus, vrinam supprimit, supino decubitu, cruribus eleuatis, & corpore agitato decutiendus est: dein fotu aut insessu emolliente, tum cathere intromisso, qui lapidē in capacitatem vesicę impellat.

CAPUT III.

De Inflammatione renum, & vesicæ.

QVia inflammatio renum, & vesicæ ijsdem curatur remedijs, ideò vtramque in eodem capite includimus quamvis, in diagnosi quandam habeant differentiam, quæ in sequentibus explicabitur.

Est autem inflammatio renum, & vesicæ, & tumor illarum partium, ex affluxu humoris sanguinei, vel bilioſi, in propriam illorum substantiam effusi.

Non admodum frequens est partium istarum inflammatio, ob substantiam earum solidam, ac densam; interdum tamen fieri solet, quia renes carnoso prædicti sunt parenchymate, sanguini recipiendo idoneo. Vesica verò, licet exanguis & membranosa sit, cùm tamen sāguinem ad sui nutritionem per venarum propagines recipiat non est dubium, quin illo nimia copia influente, & extrauersato, inflammatio fieri possit; quemadmodum in alijs corporis membranis, vt menyngibus cerebri, pleura, mediastino, alijsque.

Dicimus: istas inflammationes ex affluxu humoris sanguinei, vel bilioſi produci: quandoquidem pituita, & melancholia, in sanguine redundantes, illum crassiorem reddunt, quo minùs densam earum partium substantiam subire possint: aut saltem exigua debet esse crassorum istorum humorum portio, sanguini permixta, vt hunc affectum producat, quod etiam rariùs contingit.

Causæ, hunc affectum producentes, ex rebus naturalibus, non naturalibus, ac præternaturalibus desumuntur.

Ex parte rerum naturalium, infirmitas illarum partium congenita, & à parentibus contracta, vel magna substantiæ laxitas, feruor, & caliditas excedens illis ab ortu impressa cuius ope humores copiosos attrahunt, ætas iuuenilis, & feruida, ad inflammationem inducendam plurimùm conferunt.

Ex parte verò rerum non naturalium, ad huius affectus productionem plurimùm possunt. Venus immodica, partes istas maximè debilitans, & plurimùm sanguinem, alioſque humores ad ea afficiens crapula, & vsus vini generoſioris ac meracioris tum ciborum salsorum, & piperatorum, animi pathemata grauiora; supinus decubitus in culcitra molliori, exercitationes vehementiores, aut labores insueti, intignium euacuationum suppressiones, vt mensium, hæmorrhoidum, aut hæmorrhagiæ è naribus, quæ causas internas plethoram scilicet, & cacochymiam multiplicant, & humores ad interiora viscera quasi refluxu quodam propellunt.

Res denique præternaturales, ad huius affectus productionem concurrentes sunt, ictus, aut vulnera, renum, aut vesicæ regione inflicta compressio nimia, aut contusio illarum partium, febres continuæ, impuritates omnium alorum, vel aliquarum partium, suam illuuiem expurgatium per vrinæ vias vt in pleuritide, empyemate, lienis obstructione, mesenterij infarctu & similibus contingit: ac denique ipsarum partium affectus peculiares ad inflammationem, in ijs accersendam, plurimùm conferunt, vt calculus, dolor vehemens, à quacunque causa excitatus, exulceratio, vrinæ ardor, vel suppressio, & similia.

Signa inflammationis renum diagnostica sunt: Dolor in renum regioni grauis, & aliquando pulsans, si locus quo sunt arteriæ, afficiatur: & ille dolor ad partes vicinas extenditur: vt ægri neque sese erigere, neque pedibus inniti valeant, tum etiam difficilè in latus oppositum sese conuertere, neque in illud, neque in ventrem decumbere possint, quia suspenditur pars inflammata ideò perpetuò in dorsum residere cogūtur, & si sternutatio, vel alia corporis commotio accidat; dolor valdè exasperatur. Stupor aut etiam dolor in crure eiusdem lateris percipitur, ob nerui, qui inde ad crus tendit, condolentiam. Dysuria etiam laborant ægrotantes, ob ardorem vrinæ communicatum, & ichores ei permixtos, à parte inflammata exundantes. Vrina in principio tenuis est, & flaua, in progressu verò rubicunda, & crassior euadit febris assidua, & acuta ægrotantem affligit, quam sæpè sequuntur vigiliæ, deliria, aliaque grauia symptomata, nausea, & vomitus sæpè affligit, quo bilioſa, pituitoſa ac varia reijciuntur.

Colon intestinum aliquando inflammatione afficitur, quæ si eam partem occupet, quæ renibus vicinia est; similia parit symptomata: in eo tamen distinguitur, quod in renum inflammatione dolor ad costas notas, dorsum, & vesicam se extendat; coli verò inflammatio magis versus ventrem: & maior apparet mutatio in alui deiectionibus, quam in renum inflammationes.

In vesicæ verò inflammatione dolor pubis regionem occupat, & perinæum, in quibus etiam partibus calor, & interdum rubor apparet. Ardor vrinæ perpetuus est, sed illa etiam supprimitur, aditrictio vesicæ ductu à tumore partis. Rectum intestinum affligitur propter viciniam, vnde crebra deſiniendi cupiditas cum ardore procedit, aliquando etiam alui suppressio, intestino à vesica inflammata compressio. Adsunt etiam alia symptomata communia, quæ in renum inflammatione enumerata sunt, vt febris, vigiliæ, delirium, sitis, & alia huiusmodi.

Prognosis horum affectuum non nisi mala, & valdè anceps proponi potest. Internæ etiam inflammationes, præcipuè in partibus ad vitam necessarijs, perpetuò mortis periculum minantur. Magis autem lethales sunt si ijs delirium, aut conuulsio, aut grauia alia symptomata succedant. Ac si sudores frigidi, ac perfrigerationes extremorum appareant mors in propinquo est.

In renum inflammatione, si hæmorrhoides, superueniant, bonum.

Si renum inflammatio suppuretur, & rupto abscessu per vrinæ vias pus euacuetur, sa utis spem præbet. Si verò per emulgentes, ad hepar, & intestina viam moliatur, periculoſa est.

Leuis vesicæ inflammatio, cum hypostasi in vrina alba, & æquali, spem salutis polliceturs.

Vesicæ inflammatio soluitur aliquando, erysipelate in cute repentè oborto, & vrina copiosè emissa.

Curatio inflammationis in renibus, & vesica perficitur remedijs reuellentibus, deriuantibus, refrigerantibus, ac modicè repellentibus, anodynis, resoluentibus, vel suppurantibus, si opus fuerit, aliusque, quorum materia, & vtendi modus sequentibus exponetur.

Ac primùm phlebotomia maximè necessaria est, aperienda quę basilica, respondens affecto renibus, ter quater, & pluries, modo vires constent, usque donec fluxio subsistat, quod ex doloris remissione cognoscitur. In vesicæ verò inflammatione eligenda est pars dextra propter hepar, ex quo, velut sanguinis fonte, præsumitur eiusmodi materia profluere.

Dempta sanguinis multitudine, & fa ta reuulsione sufficientis per venas superiores; inferiores etiam aperiendæ sunt, deriuationis gratia, in poplite, vel malleolo, tum etiam hæmorrhoidales aperiendæ, potissimùm si tumefactæ, aut prominentes appareant.

Ad reuulsionem etiam non parùm conferre poterunt cucurbitulæ, superioribus, & inferioribus partibus admotæ cum scarificatione; frictiones, & ligaturæ dolorificæ extremarum partium, ad reuocandos versùs exteriora humores.

Ante, & post venæ sectionem clyster emolliens, & refrigerans injiciatur, ac moderate laxans, eiusque parua sit quantitas, ne tumorem comprimat, hac forma.

℞. Rad. althææ Vnc. j. fol. maluæ, violar. lactucæ ana M. j. prun. dulc. pariā iv. hord. mundat & flor. violar. ana P. j. Fiat decoctio ad Vnc. viij. vel x. In colat. dissolue cassiæ, vel diapruni simplicis Vnc. j. ol. violac. Drach. iv. vitellos ouorum num. ij. Fiat clyster.

Sanguinis feruor inhibeatur iulepis, & emulsionibus, in hunc modum compositis.

℞. Aquar. endiuiæ, lactucæ, & portulacæ an Unc. iv. syrupi granat. Unc. ij. syrupi nymphææ Vnc. j. Misce, fiat iulep. pro iij. dosibus, manè, & serò sumendis. Vel

℞. Rad. acetosæ Vnc. ij fol. maluæ, plantag. portulacæ, & endiuiæ, an. M. j. summitat. papau. albi M. ß. sem. anisi, & lactucæ, an. Drach. j. flor. borrag. violar. & nymphææ, an P. j. Coquantur ad ℔ j ß. deinde adde succi granat. Vnc. iv. Vel

℞. Amygdal. dulc. excorticat. ℥. j. Pineorum recentium ℥. ß. sem. lactucæ, acetosæ, portulacæ, & papaueri albi, an. Vnc. ij. Contundantur, vt artis est, sensim affundendo aquæ hordei, vel lactucæ, aut portulacæ ℔ j. ß. In colat. dilolue sacchari rosacei Vnc. j. Fiat emulsio pro ij. dosibus; in qua omissa fuerunt semina frigida maiora; quia diuretica

cùm sint, aliquid versus istas partes deducere possent, præcipuè dum fluxio adhuc est in motu: nam in declinatione ex vsu esse poterunt. Vtiliter etiam addetur emulsioni syrupus de papau. ad fluxionem potentiùs cohibendam.

Per clysteres etiam partes inflammatæ refrigerari poterunt, paratos ex decocto iulepi prædicti, cum olei rosat. aut violat. Vnc. ij.

In principio harum inflammationum purgatio non conuenit, quia metus est, ne exagitati humores magis præcipitentur ad partes affectas; ita vt etiam alui fluxus ingens, eo tempore superueniens, cohibendus sit, propter eandem causam. At se data aliquantulum inflammatione, & inclinante morbo; purgatio cõuenire poterit, ex benignioribus composita, vt manna, cassia, rhab. tamarindis, diaprun. simpl. cachol icone, & syrupo rosaceo, cum decocto lactucæ, portulacæ, aliorumque refrigerantium, in iulepis descriptorum. Vel ex prædictorum nonnullis bolus componi poterit.

Exteriùs verò ab ipso morbi initio, adhibenda erunt medicamenta refrigerantia, & modica reppellentia, vt epithemata liquida ex aquis, vel succis plantaginis, acetosæ, endiuiæ solani rosarum, cum pauco aceto, santalo rubro, & camphora. Linimenta ex oleo rosaceo omphacino, violac. cerato santal. vnguento albo refrigerante, vel populeone, solis, aut mixtis, addito pauco aceto quæ applicari debent partibus prædictis singulis horis subtrigidè.

Vel poterit fieri linimentum ex ouo integro fortiter agitato, effundendo parùm olei, & aceti rosacei.

Vel poterit parari optimum ex oleo rosaceo omphacino, cum aceto, & succo polygoni aut portulacæ cui etiam adde, si iubet recentem oui vitellum. His imbuti panni admouean tur subfrigidè.

Si dolor acerbissimus vrgeat, non erit alienum in huiusmodi epithematis, & linimentis parum opij, & croci dissoluere.

Poterit etiam fieri cataplasma ex farina hordei, cum succo intybi portulacæ, & solani adiecto oleo rosaceo, & vnguento populeone. Sed illum frequenter immutandum est, priusquam incalescat.

Huic autem tria diligenter obstruanda. Primò, non esse diu immorandum in illis refrigerantibus, ne impediatur materiæ coniunctæ diaphoresis, vel ne tumores isti scirrhescant. Secundò, in vesicæ inflammatione minùs adstringentia, & refrigerantia esse admouenda, ne accidat Ischuria, quod symptomata per se est valdè frequens in hoc malo, ac valde periculosum. Tertiò cataplasmata in vesicæ inflammatione minùs conuenire, quàm vnguenta, & linimenta, quia partẽ ponderis suo grauant, ita vt difficilius multo dilatari valeat.

Postquam igitur per breuissimum spatium refrigerantibus hisce remedijs vsus fueris, ijs dimissis post iteratam scilicet phlebotomiam, & fluxione magna ex parte cohibita, ad mollientia, leniter resoluentia & calastica dicta veniendum. Talia erunt fomenta ex decocto rad. althææ, fol. maluæ, violar. parietar. fem. lini, fœnugr. maluæ, bombacis, cum flor. chamæm. meliloti, anthos. & rosar. ad robur. partis seruandum.

Deinde admouenda erunt linimenta, ex oleo lilior. rosac. cum pauco chamæmelino.

Inter chalastica autem, & anodyna si mul, non est præstantius vllum cataplasmate de mica panis, quod in hunc modum componitur.

℞. Medullæ panis albiss. ℔. j. Coquantur in lacte caprillo ad pultis consistentiam. Deinde adde vitellos ouorum n. iij. olei rosac. Vnc. iv croci ℈. sem. Fiat cataplasma, sæpè immutandum. Poterit addi tantillum opij, & camphoræ, si dolor fuerit acerbior.

In vesicæ inflammatione, si metus sit grangrænæ, conueniet cataplasma corroborans ex farinis fabarum, orobi, lupinorum, in vino decoctis.

Vbi iam maxima pars inflammationis sedata videbitur, tum putè resoluentibus decoctis, & linimentis vtendum, vt reliquiæ absumantur, quod est maximè optandum.

In toto morbi decursu, symptomatibus grauioribus, vt febris, dolori, vigilijs suppressæ vrinæ, & alijs, ventriculo, alijsque partibus compatientibus erit, accurate prospiciendum.

Et quidem quod ad febrem, dolorem, & vigilias attinet, certum est, vacuantia & alterantia proposita plurimum facere ad illorum mitigationem. illis tamen addi possunt epithemata, linimenta, & oxyrrhodina, quę hepatis, cordis, & cerebri regioni admoueri solent; nec non, summa vrgente necessitate, narcotica, tum assumpta, tum per clysterem iniecta.

Peculiariter verò ad vesicæ dolores leniendos parari possunt glandes anodynæ, vel noduli ex vitellis ouorum cum pauco opio, & succo hyoscyami, vel similibus confecti, in anum immittendi.

Ischuriæ verò, aut dysuriæ, vesicæ inflammationi frequenter accidere solitæ, remedia ex proprijs capitibus erunt desumenda.

Si renum inflammatio propositis remedijs discuti non potuerit, sed ad suppurationem tendat, quod dignoscetur ex febris doloris, aliorumque symptomatum augmento, tum etiam horrore, & vomitu, pondere circa partem maiore, tùm præcipuè apparente, cùm æger in partem sanam inclinat; motus naturæ adiuuandus est admotis cataplasmatis, ex radicibus, & herbis emollientibus, sem. lini, flor. chamæm. Quibus coctis, tusis, & cribratis adduntur, farinæ, butyrum, axungiæ, & olea, ijsdem viribus prædita. Quibus nisi absessus ruptus cum vrinis sese expurget; pus in abdominis capacitatem irrumpit, vnde mors repentina, vel febris hectica succedit. Aliquando tumor foras prodit; tumque vel cauterio potentiali, vel scalpello aperiendus est.

Contigit etiam aliquando, tumores istos indurari, & scirrhosam naturam adipisci, cessante febre, dolore, tamen perseuerante, cum ponderis sensu maiore, & circumrectarum partium quodam stupore. Quod malum plerumque insanabile est, in cachexiam, & hydropem hominem coniiciens. Tentanda tamen illius curatio est mollientibus, incidentibus, & dirigentibus remedijs, qualia in scirrhi hepatis curatione fuerunt proposita.

CAPUT IV.

De Mictu sanguineo.

SAnguis à multis partibus ad vrinæ vias transferri potest, & vrinæ permisceri eamque sanguinolentam reddere, sed cùm id raro contingat, & nos hic tantùm renum, & vesicæ affectus elucubremus, de illa tantùm vrina cruenta agere instituimus, quę è renum, aut vesicæ vitio contingit. Effluit autem sanguis ab illis partibus, quemadmodum ab omnibus alijs (vt in hæmorrhagia narium, hæmoptysi, vomitu sanguinis, & fluxu hæmorrhoidali diximus) per anastomosin, rixim, aut diabrosin, rarissimè verò per diapedesin venarum, quæ ad illas partes deferuntur.

Cauæ frequentiores sunt, sanguinis copia, vel acrimonia vel calculus renibus impactus: à copia sanguinis præsertim ruptio venarum potest contingere; ab acrimonia, erosio, vel apertio, sed anastomosis; à calculo, etiam erosio, seu attritio venularum, & ipsius renum parenchymatis, quando calculus impactus per equitationem, ambulationem celerem, aut aliũ quempiam motum celerem commouetur, & in eo motu partes illas asperitate sua dilacerat.

Aliæ autem causæ præter repletionem, aut sanguinis copiam, ruptionem vasorum efficere possunt, vt casus, ictus, ponderis grauioris, eleuatio, vel gestatio, motus corporis vehemens, & similia.

Qui à plethora inducitur fluxus sanguinis per vrinas, non semper morbosus est aut symptomaticus, sed interdum contingit bonis ægri rebus, natura onus superfluum per illas vias deponente, sicut refert Aretæus, nonnullos per quosdam circuitus sanguinis mingere, eoque circuitu cessante, capitis dolores, oculorum caligines, & vertigines excitari.

Vesica etiam sanguinem effundere potest, si à calculo asperiori vulnerentur, aut humore acri erodatur; sed pauca est illius quantitas, quia vesica membranosa est, & exsanguis. Si autem sphincter musculus afficiatur, aut virga canaliculus, inde copiosior sanguis emanare potest, vt in effrænata venere interdum contingit, in primis, si prostratum inflammatio ex gonorrhœa adfuerit.

Diagnosis hujus affectus respicit illius speciem, partem affectam, & causam illam committentem. Affectus species sẽsibus obuia est. Facilè enim est, sanguinem vrinæ permixtum agnoscere; est enim loturæ carnium similis, & interdum exigui quidam thrombi in eius fundo residen t. Alias verò vrina lixiuio similis est, quando diutiùs moratur in vesica, siquidem in illa mora sanguis denigratur. Partem affectam situs dem in illa mora sanguis denigratur. Partem affectam situs doloris ostendit. Si enim in regione lumborum percipiatur renem affectum significat; si verò in regione hypogastri, vesicam.

cam. Deinde sanguis è renibus profluens, vrinæ exquisitè miscetur: ex vesica verò purus frequenter, & impermixtus effunditur. Hanc diagnosin expressit Hippoc. duobus Aphorismis, nempe *Aph. 78. sect. 4. Quicunque spontè, & repentè sanguinem mingunt, ijs in renibus venula rupta significatur, & Aphor. 80. eiusdem sectionis: Si sanguinem mingant, aut grumos, vel stillicidium vrinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinem, & perinæum, ad vesicam labor est.*

Si à calculo mictus sanguinis procedat, illius signa apparebunt, capite proprio relata. In horum defectu conijciendum est, sanguinis copiam, vel acrimoniam hunc affectum producere. Copia sanguinis, ex signis plethoræ apparebit; acrimonia verò ex signis bilioſi, aut melancholici humoris, in corpore dominantis; tum etiam pituita salsa, quæ per vrinas excernitur, grauem dysuriam, & mictum sanguinis efficere consueuit, quod in senibus frequenter contingit, huic pituitæ salsæ generandæ valdè obnoxijs. Et hac ratione præsertim discernitur mictio sanguinolenta, quæ fit ab acribus humoribus, ab ea, quæ fit à calculo, quòd in hac nephritici dolores, aut etiam lapillorum excretiones præcesserunt; in illa verò æger nunquam antea calculo laborauit, & vrinæ claræ, ac limpidæ, nullis heterogeneis contentis infectæ apparent. Et non solùm ab exercitijs immodicis, (quod vtrique causæ commune est,) sed etiam à solis animi pathematis affectus excitatur, quando ab humoribus acribus procedit, qui ab huiusmodi pathematis maximè commouentur ita vt huic affectui obnoxij post iram, aut mœrorem, aut animi contentionem grauem in mictum sanguinis plerumque soleant incidere.

Quod ad prognosin spectat, Copiosa, vel frequens sanguinis per vrinas euacuatio valde periculosa est: potest enim in tabem, & hydropem ægrotantem deducere. Si verò diuturna sit, vlcus excitare potest in ea parte, vnde sanguis emanat. Si affatim sanguis vna vice emingatur, metuendum est, ne periculosam excitet ischuriam, in vesica concrescens, vel alia grauia symptomata pariat, in eadem concrescens, & prauam induens qualitatem.

Curatio huius affectus pro varietate causarum varianda est.

Ac primùm, si à sanguinis copia, vel acrimonia producatur, curandus est primùm phlebotomia, è directo renis affecti celebrata, parca manu, & frequenter, vt maior fiat reuulsio. Cui etiam conferre poterunt cucurbitulæ, frictiones, & ligaturæ in partibus superioribus. Imò si sanguis copiosè fluat, cucurbitulæ hypochondrijs erunt admouendæ.

Ad deriuationem verò, sectio malleoli, & apertio hæmorrhoidum conuenire poterit.

Quando humores serosi, aut bilioſi sanguinis excretionem promouent; illi expurgandi erunt purgationibus, in hæmoptoe propositis, per interualla repetitis. Quibus etiam sequentia, pro Medici arbitrio, subrogari poterunt.

℞. Rhab. parùm torrefacti puluerat. Drach. j. coralli præparat. ℈. sem. seri caprilli, aut aquæ plantag. Unc. iij. Fiat potio.

℞. Cassiæ recenter extractæ Unc. sem. pulpæ tamarind. Drach. vj. boli armen. orient. ℈. sem. Cum saccharo fiat bolus.

Post debitas reuulsiones, & euacuationes, vel etiam dum illæ celebrantur, si res vrgeat, ad ea veniendum est, quæ cohibere sanguinem, ac venas constringere & glutinare possunt. Quæ tamen statim, apparente sanguinis fluxu vsurpanda non sunt; nec citiùs quàm par sit cohibitus, incrassatus alicubi grumescat. In hunc vsum maximè commendatur succus plantaginis recenter extractus, ad Vnc. iv. v. exhibitus, manè, & serò sumptus, qui etiam ad quamcunque hæmorrhagiam vtilissimus est. Si tamen nimia ventriculi refrigeratio timeatur, cum saccharo non nihil decoquendus est.

Lac ouillum maximè laudatur à Foresto *libro 24. obseruat. 13. Sæpè*, inquit, *sanguinis mictum, solo lacte ouillo, nempè sumendo ℥. iv. lactis, & Drach. j. boli armeni veri, curaui.*

Hoc idem expertum à Gatinaria. Qui tamen præcipit, ne post eius assumptionem aliquis dormiat, neque se exerceat. Laudant etiam Hollerius, & Duretus, ex Hipp. & Auicenna.

Decoctiones etiam ex centinodia, equiseto, portulaca, & summitatibus rubi, ad hunc rem sunt efficaces, addita tertia parte succi granatorum acidorum, vel cydoniorum.

Vel ad feruorem sanguinis temperandum, vtatur apozemate in plures doses, manè, & serò, in hunc modum compositio.

℞. Folior. lactucæ, portulacæ, plantag. & consolidæ maior. ana M. j. Sem. frigid. & minor. ana ℥. j. iuiubar. par. iij. liquirit. Unc. sem flor. nymphææ, violar. & rosar. ana P. j. Fiat decoctio ad ℔. j. sem. In colat. dissolue gummi tragacanthæ Drach. j. sem. syrupi violac. & de rosis siccis, ana Vnc. j. sem. salis prunellę Unc. sem. trochiscor. al Kekengi sine opio Drac. sem. Fiat iulep. pro quatuor dosibus.

Ad magis incrassandum, & sanguinem potentiùs cohibendum, poterit addi prædicto apozemati syrupi de papau. Vnc. j.

Pulueres etiam, sanguinis fluxum cohibentes, vt coralli rubri, lapid. hæmat. boli armen. terræ sigillatæ, exhiberi possunt cum aqua rosar. & plantag. aut decoctis prædictis.

Si morbus fit diuturnius, opiata in hunc modum parari poterit.

℞. Conseruæ rosar. & rad. symphyti maior. ana Vnc. ij. terræ sigillatæ, boli armen. sanguinis draconis, corall. rubr. lapid. hæmat. & trochisc. de carabe, an. ℥. j. hypocistidos, granor. Kermes, & sem. plantag. ana ℈. j. Cùm syrupo de papauere, & myrtino, ana part. æqual. fiat opiata, de qua capiat magnitudinem castaneæ, manè, & serò, superbibendo parùm aquæ plantaginis.

Affectu etiam perseuerante, conuenientissimum erit, ægro per interualla exhibere decoctum myrobalanorum, in serò lactis, aut alio liquore paratum.

Hollerius affirmat, & cum eo Duretius, ad mictum sanguinis curandum trochiscos Gordonij esse instar omnium.

Christophorus à Vega trochiscos de carabe commendat, cum aqua plantaginis exhibitos: ijsque, semel tantùm hora somni exhibitis, se hunc affectum curasse affirmat.

Pro potu ordinario conueniet infusum lentisci cum vino mixtum, quod etiam manè instar iuleporum exhiberi poterit. Huius compositio talis erit.

℞. Lentisci sicci minutim concisi Vnc. j. aquæ fontis ℔. iv. Infundatur per horas xij. in B. M. valdè tepido, vase benè clauso. Colatura seruetur ad vsum dictum.

Quia verò sanguinis grumi nonnunquam in vesica retineri solent, & sæuissima symptomata inducere, pro illorum dissolutione conueniet posca tepida adhibita per interualla, ex aqua maluæ & aceto non valde acri. Acetum verò sit in minima quantitate, vt vix gustu sentiatur.

Exteriùs verò topica admouentur regioni lumborum, refrigerationi, & constrictioni sentiatur.

℞. Rad. bistortæ, & symphyti maior. ana Vnc. j. folior. plantaginis, portulacæ, equiseti, pollygoni, burs. pastoris, ana M. j. malicorij Vnc. ß. granor. sumach. myrtil. lor. hypocist. ana Drach. ij. calycum glandium, santali rubri & citrini: ana Drach. j. rosar. rubrarum P. iij Coquantur in aqua ferrata, & pauco aceto. Colatura fouean tur renes tepidiusculè.

Ex eodem decocto poterit fieri insessus, aucta dosi simplicium.

℞. Vnguenti comitissæ, & refrigerant. Galen. ana Unc. j. semis. Abluantur oxycrato diligenter, & inunganeur lumbi frequenter. Vel ad magis constringendum.

℞. Succi plantaginis, sanguinariæ, ana Vnc. ij. aceti Vnc. sem. olei omphacini Vnc. j. Bulliant ad succorum consumptionem. Deinde adde sanguinis Draconis; mastiches, cortic. granator. ana Drach. ij. camphoræ Drach. sem. vnguenti comitissæ Vnc. iv. ceræ q. s. Fiat linimentum, addendo aceti parùm, vnctionis tempore.

Lamina etiam plumbea, multis foraminibus perforata, & supra renes gestata, huic vsui erit valdè idonea.

In eo sanguinis mictu, qui fit ex humorum acrimonia, iecoris ratio ineunda est, epithematis, & vnguentis illius regioni applicitis.

Quando à calculo, & arenulis fit sanguinis mictus præmissis euacuantibus, reuellentibus, & acrimoniam demulcentibus propositis, ad ea deueniendum est, quæ leniter abstergendo, renes ab infarctu liberare possunt. Eiusmodi sunt sequentia.

℞. Massæ pilular. de terebinth. cum rhab. Unc. j. Capiat Drach. sem. manè cum syrupi de althæa cochlear. ij. alternis diebus.

Diebus verò vacuis ab vsu pilular. summat. æger. alternatim puluerem, & morsulos sequentes.

℞. Glycyrrh. rasæ Drach. ij. sem. 4. frigid. maior. mundat. ana Drach. j. sem. portulacæ, lactucæ, ana ℥. sem. trochiscorum de carabe, ac cornu cerui vsti præparat. ana ℈. j. saccharo ad pondus omnium. Fiat puluis tenuis, de quo capiat ℈. j.

cum aqua maluæ, in qua semen cydoniorum aliquandiu infusum erit.

℞. Amygdalar. excorticat. & pineor. mundat. an. ʒ. sem. Semin. althææ, alKekengi, ana ℈. j. Sem. lactucæ, papaueris albi, ana ℈. sem. amyli, tragacanth. ana ʒ. sem. glycyrrhiz. ʒ. ij. sacchari ʒ. vj. Cum aqua parietariæ fiat confectio in morsulos. Capiat manè & vesperi ʒ. sem.

Efficaciora diuretica non conueniunt, vt potè quæ sanguinis fluxum promouere valent.

Ac denique aquæ vitriolatæ ad sanguinem cohibendum, renes refrigerandos, & calculos expellendos, sunt efficacissimæ.

CAPVT V.

De Vlcere renum, & Vesicæ.

VLcus in renibus, & vesica à tribus excitatur causis, absceſſu disrupto post inflammationem suppuratam; humorú acrimonia; qualis est ea, quę mictum cruentum efficit quæ intensior facta, aut durans diutiùs, eas partes exulcerat: aut à calculo aspero, dictas partes erodente. Postrema hæc causa frequentior est, ac fere ordinaria, reliquæ verò infrequentissimè.

Inter signa diagnostica, primùm, ac principuum est, puris excretio cum vrina, quæ diutiùs perseuerans, vlcus in partibus vrinarijs latens certissimè ostendit. Vtrùm verò renes, an vesica vlcere afficiantur, cognoscitur ex situs doloris, provt vel in regione lumborum, vel in pube, aut perinęo infestat. Prætereà pus, à renibus procedens meliùs coctum est, album scilicet, leue, & minimè fœtidum: quia parenchyma renum carnosum meliùs concoquit; tum pus copiosius est, ac vrinę magis permixtum, quę lacti similis profunditur, donec longe post mictionem pus ab ea separetur, & in fundo resídat. E vesica verò emanas purulenta materia, pauca est, neque multùm vrinæ permixta, neque adeò concocta; sed cruda, variegata & graueolens: pars enim exanguis, & debili calore prædita materiam sufficienter elaborare nequit. Ex collo autem vesicæ aut meatu vrinario sincerum pus, absque vrina sæpè excernitur. His adde, quod in vlcere vesicæ, aut illius ceruicis, perpetua adsit dysuria, & continuus doloris sensus partem istam infestans, quod in vlcere renum minimè fieri solet, sed dilucida sunt dysuria, & doloris interualla.

Profundiori vlcere existente, sanguis interdùm copiosus effunditur, qui difficilè cohibetur, sæpiusque ramenta partium cum purè, vel sanguine excernuntur, nempè carunculę ex renibus, minutulæ vt plurimùm, aliquando crassiores, quæ, per vreteres difficilem transitum habentes, dolorem nephriticum pariunt: è vesica verò squamulæ, seu pelliculæ membranosæ, ac veluti furfuracæ crustulæ dimanant.

Ac denique in vlcere vesicæ diuturno, & calloso mucosa illa pituita producitur, quæ in calculo vesicæ descripta est.

Quod ad prognosin attinet, cum omnia vlcera interna periculosa sint; ista etiam formidolosa, & curatu difficilima censenda sunt, quandoquidem perpetuus fit ad eas partes humorum afluxus. Licet enim serum suapte natura detergendi vi præditum sit, hoc tamen locum habere potest in statu naturali, quando serum alienis qualitatibus infectum non est: si verò praui humores, acres, & salsi cum eo permisceantur, exulcerationem efficere, eamque fouere possunt.

Recentia renum, & vesicæ vlcera curationem recipiunt: inueterata verò incurabilia sunt.

In senibus non curantur renum, & vesicæ vlcera: in iuuenibus aliquando, sed non nisi magno labore.

Vlcera, quæ à calculo fiunt, & fouentur, nonnisi priùs extracto calculo, curari possunt.

Dolor, aliaque symptomata, quæ vlcera prædicta comitantur, vigilias pariunt, corpus consumunt, homoque tandem in cachexiam, vel attrophiam deducitur.

Curatio vlcerum renum, & vesicæ, quemadmodum, & omnium aliorum vlcerum, detersione, & exsiccatione, seu consolidatione perficitur. In hunc finem sequentia vtiliter vsurpari poterunt.

Ac primùm si plethora adfuerit, vel in parte affecta inflammatio quædam, phlebotomia celebranda est, primum in brachio, postea verò in poplite.

Postmodum purgatio instituenda est, eaque frequenter repetenda, vt vitiosi humores, in toto corpore redundantes, & ad partem affectam confluentes, educantur. Quæ tamen fieri debet medicamentis blandioribus, & tantùm lenientibus, vt cassia, manna, syrupo rosar. rhab. & agarico in formam boli, aut alia solidiorem redactis; quia in forma liquida ad vias vrinæ facilius deferuntur, eiusque acrimoniam augent. Sic opiata sequens vsurpari poterit.

℞. Polypod. querc. & glycyrrhiz. rasa. ana ʒ. ß. sem. quatuor frig. maior. ana Drach. j. flor. viol. & borrag. ana P. sem. iuiubar. par. vj. prunor. damasch. par. iij. passular. minor. Vnc. sem. sennæ mundat. Vnc. ij. ß. infundantur in aqua hordei per noctem. Manè bulliant, & colentur. Postea dissolue mannæ, in q. s. decocti solutę & colatæ Vnc. j. sem. Cassiæ recenter extractæ Vnc. iij. Coquantur ad opiatæ consistentiam, addendo in fine rhab. puluer. Vnc. sem. Dosis erit Vnc. j. semel in septimana duabus horis ante pastum. Vel

℞. Cassiæ ʒ. ij. mannæ ʒ. j. sem. pulpæ sebest. & tamarind. an Vnc. j. mucil. sem. psylli Drach. vj. quatuor sem. frig. maior. ana Drach. j. succi liquir. Drach. ij. Cum syrup. rosar. solut. Fiet opiata.

Vtiliores erunt opiatæ prædictæ, si addatur Mercurius dulcis, aut alius optimè præparatus. Si quidem Mercurius eximiam vim habet omnia vlcera interna, & externa mundificandi, ac consolidandi.

Inter purgantia recensetur terebinthina, & in hoc affectu valde commendatur, quia simul aluum laxat, & vlcus abstergit. Eaque cùm puluere liquiritiæ exhibenda est ad Vnc. sem. cum aqua plantaginis lota. Præcipuè vero conuenit, quando vrina valdè crassa, & mucosa est.

Vomitum in hoc affectu valdè commendat Auicenna, *cap. de vlceribus renum. Melius*, inquit, *quo renum vlcera curantur, est vomitus, propterea quòd mundificat, & euacuat, & trahit ad contrarium partis renum.* Actius verò *c. de Iuppuratis renibus. Si quis*, inquit, *omni mense audacter vomat, fortè, & renum vulcus & quicquid inde mali accidere posset dissoluet.* Hos sequuntur neoterici complures, quorum nonnulli aquæ, & olei repentis ante pastum exhibitione vomitum excitant. Quo solo remedio, sępè repetito, referunt hunc affectum curatum fuisse. At Rondoletius vult à cibo id fieri, cùm à cibo meliùs vomant, & aquam tepidam exhibet cùm pauco oleo, simul inungendos os ventriculi oleo liliorum ad eiusdem relaxationem. Aduertendum tamen vomitum proritandum esse in ijs tantùm qui facilè vomunt; nam vehemens vomitus vlcus irritat.

Post debitas euacuationes, & reuulsiones, ad detergentium vsum progrediendum est. Quorum præcipua sunt serum lactis, matutinis horis in magna copia exhibitum, hydromel tenue, quod etiam manè sumi poterit ad Vnc. vi. vel viij. & in potu ordinario vsurpari. Decoctum hordei, & liquiritiæ cum saccharo, eodem modo etiam vsurpatum. Cui pro potu hydro saccharum simplex substitui poterit. In hydromelite autem, si caliditas illius metuatur, semina frigida maiora, vel ad magis leniendum, radix liquirit. & summit. maluæ, coqui poterunt. Lac etiam asininum non solùm detergit serosa sua parte, sed, & calefosa consolidat. Non tamen exhibendum præsente febre. Vel ad detergendum simul, & leniendum, decoctum sequens componi poterit.

℞. Rad. althææ Vnc. sem. fol. plantag. acrimon. capill. ven. & summitatum maluæ, ana M. j. sem. maluæ, & melonum, cum corticibus contusor. ana Vnc. sem. granor. alKekengi Drach. vj. liquirit. ras. Vnc. j. hord. integri P. j. Coquantur ad ℔. ij. In colat. dissolue mellis rosac. Vnc. iij. sacchari candi Vnc. ij. Fiat iulep. de quo capiat Vnc. viij. manè per decem dies. Quæ ad renum, vesicæ, & vteri affectus exhibentur, magna dosi sunt præscribenda, ne eorum vis in media via dissipetur.

Loco istorum omnium, vtiliter vsurpari possunt aquæ minerales, aluminosa, & ferratæ, quales sunt aquæ nostræ Meynenses. Quarum diuturno vsu corrigi potest intemperies calidior, vlcus mundificari, & ad cicatricem perduci.

Nonnulli commendant ad ichores, vlcus fouentes, abluendos, internaque vlcera expurganda, & consolidanda (in ægris potissimum temperamenti pituitosi: vel si lue venerea aliquando infecti fuerint, & febris, ac sanguinis fluxus nõ adfuerint,) decoctum sudorificum ex radic. chinæ salsæ parillæ, aut ligno sassafras, vel etiam guaiaco per triginta, aut etiam plures dies exhibitum, cum decocto secundario, ad potum ordinarium, victuque tenui, & exsiccante, interea tamen, ne viscera nimis inflammentur vsu istius

decocti, iusculis refrigerantibus, circa vesperam exhibitis, & inunctionibus renum, ex vnguentis refrigerantibus, temperari possunt.

Tutius, & vtilius in quolibet casu decoctum sequens vsurpari poterit.

℞. Rad. sal. sæpar. Unc. iij. raſ. ligni lentisc. Unc. ij. ligni sassafras Unc. j. rasuræ eboris. & cornu cerui, ana ʒ. iv. iuiubar. & sebest. ana Unc. sem. ligni nephrit. Unc. iv. hord. mund. ʒ. ij. Infund. per hor. xii. in aquæ fontis ℔. v. Coquantur ad ℔. iij. pro vi. dosibus bis in die sumendis, aromatizentur Drach. ij. cinnamomi.

Post vsum detergentium, vbi vlcus satis mundificatum fuerit, (quod cognoscitur, quando pus cum vrina minore quantitate excernitur, idque album, & æquale, ac minimè fœtidum,) ea quæ exsiccant, astringunt, glutinant, & consolidant, exhibenda sunt; quales sunt trochisci sequentes.

℞. Boli armen. terræ sigill. corallı rubr. ana ʒ. iij. gummi arabic. & tragacanth. ana Unc. sem. Cum aqua agrimon. fiant trochisc. pond. ʒ. ij. Capiat vnum manè, & serò cum lacte ouillo vstulato, vel decocto symphyti maioris.

At reliquis præferuntur, imò instar omnium habentur, ad vlcera renum, & vesicæ detergenda, & conglutinanda trochisci Gordonij, qui simul dolorem leniunt, & ardorem vrinæ contemperant. Eorum dosis est ad ʒ. ij. vel iij. cum hydromelite, vel decocto hordei, quando magis est detergendum; vel cum lacte caprillo, aut potius ouillo, cum magis glutinandum est.

In eundem vsum opiata sequens potest vsurpari.

℞. Conserux ros. antiquæ Unc. iij. sem. portulacæ, plantag. myrtill. boli armen. terræ sigill. sang. draconis, ana ʒ. j. rasuræ eboris, & trochisc. alkekengi ana ʒ. sem. cum syrup. deros. siccis, fiat opiata, de qua capiat magnit. castaneæ bis in die.

Iulepi verò consolidantes in hunc modum componi possunt.

℞. Rad. symphyti maior. Unc. ij. fol. plantag. & piloſellæ, ana M. j. summit. maluæ & capill. ven. ana M. sem. liquirit. raſ. Unc. sem. amyli, gummi arabici, tragacanthæ boli armen. ana Drach. j. Sem. lactucæ, & portul. ana Drach. j. sem. ros. rubr. P. j. Fiat decoctio aquæ pluuiatæ ad ℔. sem. in colatur. dissolue sacchari Unc. iv. penidiati Unc. ij. Fiat iulep. de quo capiat Unc. viii. manè per x. aut xii. dies.

Pilulæ etiam sequentes non parùm conferre poterunt.

℞. Terebinth. aquæ plantag. lotæ Drach. j. succi liquir. & gummi tragacanth. ana ʒ. ij. boli armen. & trochisc. alkek. ana scrup. sem. Cùm succo equiseti fiant pilulæ, capiat drach. sem. manè, & sero.

Maioris efficaciæ in sequentem modum compositæ.

℞. Rad althææ & symphyti mai. ficcar. ana Drach. ij. gummi arabici, ceraſi, & prunor. ana Drach. j. olibani, myrrhæ, ana ʒ. iv. sem. papau. alb. & alkek. a a ʒ. j. ß. camphoræ ʒ. ij. Terantur omnia subtilissimè, & addita tertia parte ponderis omnium cerussæ anim. seu diaphoretici vulgaris fixissimi cum q. s. terebinth. Venetæ, fiat massa pilular. de qua capiat Drach. j. manè, & serò, longe a pastu, superbibendo parùm aquæ potus ordinarij.

Si dolorifica sit operatio terebinthinæ, eius loco succus liquiritiæ sumatur, in aqua parietariæ dissolutus, ad formandam massam.

At præ cæteris lac vaccinum recenter multum, ad cyathi vnius quantitatem, cum boli armeni veri ʒ. ß. hausturn singulis diebus matutinis, maximè conferre testatur Foreſtus, ad vlcere consolidationem; dicitque hoc vnum esse ex arcanis Præceptoris sui Hildei, quod vicus expurgat, & simul consolidat.

Quercetanus in Pharmacopœa commendat aquam ad gonorrhœam. Quæ cùm vlcera ex gonorrhœa contracta consolidet idem in renibus præstare potest.

Hartmannus vero laudat opiatam, confectam ex conserux ros partibus duabus, & pulueris sem. hyperici parte vna, in fine curæ per aliquot dies vesperi exhibitam. Idem curationem vlcerum feliciter absolui posse asserit vsu Mercurij dulcis ad gr. ij. vel iij. in aqua plantag. quotidie semel, atque iterum exhibitis.

Maioris est efficaciæ Mercurius diaphoreticus; exacta, ac frequenti calcinatione paratus, vt fixus tandem euadat, & igni satis valido resistat, qui omnibus vlceribus internis persanandis, iusta dosi, ac diu vsurpatus, mirabiliter conducit.

In vlceribus admodum inueteratis decoctum aristolochiæ rotundæ, in vino albo paratum, & sacchato addito multùm confert.

Præterea animaduersione dignum est, quod scribit Garcias ab Horto, in vrbe Goa aloen probè tusam, & cum lacte mixtam ijs propinari, qui vlcere renum aut vesicæ laborant. vel qui purulentas excernunt vrinas, & ægros illicò curari.

Exterius verò, ad consolidationem vlceris adiuuandam, sequens vnguentum admoueri poterit.

℞. Succi plantag. & solani, ana ʒ. iv. ol. ros. omphacini ʒ. iij. aceti ʒ. j. lithargyri tenuiss. pulu. rati ʒ. i. ß. ceruſæ lotæ ʒ. ß. thuriæ subtilissimè puluerat. ʒ. ii. Sang. Dracon. ʒ. i. Reducantur omnia ad formam nutriti.

Sequens etiam admoueri poterit, absente inflammatione.

℞. Olei ros. mastich. & lentisc. an. ʒ. ii. myrrhæ, aloes, sarcocollæ, sang. draconis, an. ʒ. i. amyli, tragacanth. an. ʒ. iv. styrac. calamit. ʒ. j. ceræ albæ q. s. Fiant vnguentum.

In vlcere vesicæ peculiariter conueniunt iniectiones, bis in die vsurpatæ, primùm detergentes, ex hydromelitæ, serò lactis, aut decocto hordei, cum pauco melle rosaceo; posteà verò adstringentes, & consolidantes ex aqua ferrata, in qua rad. symphyti, myrrha, alumen, sarcocolla, & tragacanthum bulierint. Maxime verò conferent trochisci Gordonij in lactæ dissoluti.

Fabricius Hildanus vlcus insigne vesicæ iniectione sequenti cum nonnullis alijs remedijs curauit, *obseruat. 69. cent. 3.*

℞. Rad. consolid. maior. Unc. j. hordei integri M. j. fol. agrimonij, veronicæ, scordij, alchymillæ, saniculæ, an. M. ß. Coquantur ad ℔. j. In colat. dissolue mellis rosac. Drach. ij. Misce, fiat iniectio.

Aduertendum, iniectiones istas non tantùm per syringam immittendas esse, vt vulgo fit, quia in vesicæ cauitatem non penetrant, obstante musculo sphincter exquisitè clauso; sed immisso in vesicam catheri syringa aptanda est, sicque iniectio ad locum affectum facile deferetur.

Quia verò in huiusmodi vlceribus dolores plerumque inteſti esse solent; eorum mitigatio, in toto curationis decursu, quoties vrgebunt, molienda est anodinis, interius, & exterius vsurpatis. Interna erunt syrupus de papauere, laudanum opiatum, & huic vsui peculiariter destinati trochisci alkekengi. Tum etiam emulsionis sem. frig. cum sem. papau. albi, addito, si opus fuerit, ipso papaueris syrupo; ac denique conserua florum althææ frequenter exhibita.

Exterius verò fomentum sequens admoueri poterit regioni renum.

℞. Rad. althææ Unc. ij. fol. maluæ parietariæ, violariæ, an. M. j. sem. lini, fœnugr. alkekengi, an. Drach. iij. flor. chamæmel. meliloti, nymphææ, an. P. j. Fiat decoctio, qua foueatur pars cum filtris, non autem cum spongijs, propter salsedinem quam a mari habent.

Post fotum linimentum sequens admoueatur.

℞. Olei violac. & amygd. dulc. an. Unc. j. ß. olei ros. ʒ. j. mucilag. sem. althææ, & fænugr. an. Unc. ij. croci ʒ. j. Fiat linimentum.

Ad veſicæ dolores sequens iniectio parabitur.

℞. Sem. fœnugr. & cydonior. an. ʒ. j. Macerentur per horam in ℔. j. ß. decocti hordei. Postea per linteum exprimantur. Fiatque mucilago satis liquida. Cui adde ol. amygd. dulc. Unc. ij. mellis rosat. colat. Unc. j. Misce, fiat iniectio.

At verò lac repens, recenter mulctum, frequenter iniectum, præstantissimum est anodynum. In quo si trochisci Gordonij dissoluantur, omnes scopi, tum doloris sedandi, tum vlceris curandi adimpleri poterunt.

CAPUT VI.

De Diabete.

Diabete est celerrima, ac copiosissima potus non transmutati per vrinas emissio, quam sequitur sitis intenta, ac indesinens, & totius corporis colliquatio.

Dicitur diabetes, ἀπὸ τῦ διαβαίνειν, a permeando, seu transecundo, ob celerem vrinæ transitum seu traductionem, sicut aqua per siphonem trajicitur, quam Mechanici, teste Columella διαβήτιον vocant. Dicitur etiam ὁ ἄψακος a siti inexplicabili, & hydrops ad matulam, propter vrinæ copiam, quæ assiduè profunditur. Rarissimus est affectus, quem Galen. se bis tantùm vidisse refert 6. *de loc. affect. cap.* 3.

Causa proxima, & immediata huius affectus ex eodem

Gal. *loco citato*, & omnibus illius sequacibus est calida renum intemperies, cuius opera serum hi è vasis copiosissimè trahant, & ad uesicam transmittunt, tantam eius copiam retinere nequeuntes: uasa exhausta à Corde eandem trahunt materiam. Cor ab intestinis, & uentriculo, unde sitis continua exoritur, potusq; ingens cupiditas, qui simul atque assumptus est, à uenis, & renibus denuò abripitur, & copia sua expultricem irritans, ac retentricem grauans, denuò ad vesicam deturbatur.

Nonnullis hæc causa videtur insufficiens, cùm calida renum intemperies frequentissimus sit affectus, diabetes verò rarissimus, ideò aliquid aliud valdè infrequens hic contingere aiunt, nempe humorem acrem, aut salsum renum parenchymati imbibitum, id est, bilem, aut pituitam salsam, quæ virtutem partis attractricem continuò irritat, quemadmodum in febrium bilio sarum paroxysmis continua sitis vrget, quæ nullo potu sedatur, ex humore bilioso, tunicis ventriculi impacto, aut vaporibus bilio sis, à partibus vicinis (vbi bilis restagnat, & in paroxysmo febrili commouetur,) eleuatis, & ventriculum impetentibus. Quæ sententia probabilis est. Illi tamen hoc addi posse existimamus, non solos renes in hoc casu tentari, cum bilis, & alij humores adusti, in hepate primùm generentur, atque ita eos non posse magna copia in renes influere, quin hepar eadem intemperie, eodemque vitio afficiatur. Imò verò, si vlterius nobis in re obscura, & in naturæ silentio recondita, per analogissimum ratiocinari liceat, possumus dicere, venenatam quandam qualitatem, huic symptomati generando idoneam, præcipue concurrere. Cùm enim illud serpentis genus, quod dipsas appellatur, & in Lybia præsertim reperitur, morsu suo venenum quoddam in homines insinuet, à quo sitis inextinguibilis inducitur; simile etiam venenum in corporibus nostris ex certa ac peculiari humorum corruptela, generari poterit, ad similem sitim inducendam idoneum; cùm ipso Galen. Authore, venena varij generis in corporibus nostris generari possint. Et magis adhuc præcisè, si venenum in corporibus nostris generari possit, maximam, & horrendam potus auersionem inferens, quod in hydrophobia contingit, vt ægri ne visum quidem aquæ, alterius usue rei potulentiæ ferre queant: quidni etiam aliud venenum contrarijs dotibus præditum generari poterit, vt summam, & incompescibilem potus appetentiam excitet? Inde etiam ratio desumi potest, cur iste affectus adeò rarus sit: quia nimirùm rarissima est talis veneni generatio; cùm tamen bilis, & pituitæ salsæ productio, & morbi ab ijs orundi frequentissimi contingant. Ac denique, sicut fames canina diabeti comparatur, quod in ea sit insatiabilis ciborum cupiditas, & occultæ cuidam qualitati à cordarioribus ascribitur; sic etiam immane istud potus desiderium, qualitati cuidam peculiari, & occultæ adscribi potest.

Signa huius affectus diagnostica ex ijs, quæ dicta sunt, satis eluceſcunt, quando scilicet immodicum adest urinæ profluuium, cum sit immensa, quæ assumpto potu nihil sedatur, quia statim atque assumptus est, subitò reijcitur, & totum corpus celeriter contabescit: cum materia enim potulenta humiditates corporis alibiles simul excernuntur, facta totius corporis colliquatione. Licet autem non tarò urinæ profluuia copiosa contingant in febribus acutis, alijsque casibus; illa tamen ad diabetem referenda non sunt, quoniam in ijs symptomata prædicta, vt sitis inexhausta corporis colliquatio, aliaque non reperiuntur.

Prognosis huius affectus non nisi funesta instituti potest: malum enim incurabile est, nisi in principio curatio adhibeatur, & hominem ad tabem celerrime perducit. In senibus etiam periculosior est tum etiam, si post immodicam venerem, aut febres chronicas contingat.

Illius curatio consistit in calida renum, aliorumque viscerum intemperie corrigenda, eorundem imbecillitate, ac laxitate reparanda, humorum ad eos confluentium tenuitate incrassanda, & maligna qualitate oppugnanda. Quæ omnia sequentibus auxilijs præstari poterunt.

Venæ sectio in principio morbi, viribus adhuc satis validis existentibus, reuulsionis, & refrigerationis causa conuenire potest parua quantitate, & partitis vicibus celebrata. Si tamen vires iam dejectæ fuerint, aut hic affectus alteri succedat, non erit locus huic remedio.

Euacuatio excrementorum per mollientes, & lenientes clysteres molienda est, in hunc modum compositus.

℞. Fol. lactucæ, portulac. maluæ, & plantag. ana M. j. hordei mundati, & ros. rub. ana. P. j. Fiat decoctio ad ℔. j. sem. In colat. dissolue diaprun. simpl. Drach. vj. mellis rosac. & ol. omphacini, ana Vnc. ij. Fiat clyster, frequenter injiciendus.

Tum etiam purgatio blanda instituenda est, medulla cassiæ, & pulpa tamarindorum; vel decocto plantag. portulac. lactuc. tamarindor. & myrobal. cum syrupo rosaceo.

Vomitus etiam à nonnullis commendatur ex decocto seminis raphani, & ebuli, cum oxymelite, qui vacuat, & reuellit à partibus vrinarijs.

Ad intemperiem autem dictarum partium corrigeneam, & humores incrassandos, conueniunt tulepi, ex aquis, vel decoctis lactucæ, portulacæ, plantag. cum syrupo myrtino, cydon. & similibus, atque etiam de papauere, in modica quantitate; addendo puluerem diatragacanthi frig. trochiscos terræ sigillatæ, & similia.

Vel ad magis adstringendum in hunc modum componi poterunt.

℞. Rad. consolid. maior. & plantag. ana Vnc. j. fol. plantag. M. j. balaustior. & myrobal. citrin. ana ℥. j. sem. plantaginis, & portulacæ, an. ℥. sem. ros. far. rubr. P. j. Coquantur ad ℔. j. In colatura dissolue syrupi cydonior. Vnc. iij. Fiat tulep. pro iij. dosibus.

In eundem finem puluis, vel opiata confici poterit, in hunc modum.

℞. Sem. plant. portulac. coriandri præp. & rosarum rubr. ana Vnc. j. coralli præp. boli armen. margaritarum præp. & radicis tormentillæ an. ℈. j. nucis moschat. ℥. sem. Misce, fiat puluis.

℞. Conserue ros. antiquæ Vnc. iv. boli armeni, corallii præpar. & cornu cerui vsti, an. ℈. j. cum mua cydonior. fiat opiata.

Eraſtus valdè commendat syrupum, ex radice symphyti maioris, & prunis syluestribus confectum, quem se summa cum felicitate in affectibus huic malo similibus vsurpasse testatur.

Narcotica etiam, vt theriaca recens, syrupus de papauere, & laudanum opiatum, prudenter vsurpata, in hoc affectu plurimùm prodesse poterunt.

Perseuerante affectu, lac ouillum, aut bubulum, aut asininum erit conuenientissimum: modò priùs serum absumatur, iniectis frequenter silicibus candentibus. Eoque æger vti poterit manè, prout in alijs affectibus dictum est.

Sudorifica etiam ab Authoribus commendantur, quibus serosus humor ad corporis superficiem euocatur. Ea tamen suspecta meritò esse debent, quandoquidem summam cum diureticis cognationem habent, viscerumque intemperiem augent. Si tamen ijs locus aliquis vnquam esse videatur, ex temperationibus, vtpote rad. chinæ, aut salsæ parillæ, cum folijs endiuiæ, borrag. acetosæ, decoctum parari poterit. Imò verò in consumptis fieri poterit ex decocto pulli, aut gallinæ iunioris, vt simul renutritioni corporis consulatur. At vero tutiùs esse censemus, externis remedijs sudores elicere, puta vapore decocti conuenientis, in ligneo instrumento, (vt vulgò fieri solet) nudo corpore suscepto.

Prædictorum sudorificorum loco maximè conueniunt diaphoretica, quæ simul malignam qualitatem oppugnare possunt: qualia in febribus malignis proposita sunt, ex quibus ol. vitrioli præcipuum est, quia ad sitim extinguendam, fluxum cohibendum, & malignitatem infringendam præstantissimum est.

Pro potu vtatur æger aqua ferrata, cum syrupis acidis, & adstringentibus, vel decocto prunorum syluestrium, & corticis interioris quercus. Quo remedio ferè solo se hunc morbum in puero curasse testatur Eraſtus.

Exteriùs verò admoueatur fotus regioni lumborum, ex decocto rad. acetosæ, fol. plantag. cortic. granat. sem. fumach. & similibus, quibus aceti parùm addatur. Vel quod vtilius erit, paretur insessus ex eodem decocto.

Eademque pars inungatur vnguento rosaceo, santalino, & comitissæ, simul mixtis, vel sequenti linimento.

℞. Olei rosac. & myrtin. ana ℥. j. santali rubri, ros. far. rubr. & corall. rubr. an. ℈. j. succi plantag. ℥. j. ceræ q. s. Fiat vnguentum.

Denique symptomata hunc affectum comitantia, vt sitis, vigiliæ in consumptio, aliaque remedijs, proprijs capitibus descriptis, mitigantur.

CA-

CAPUT VII.

De Vrinæ Incontinentia.

VRinę incontinentia in retentricis vesicę actionis lęsione consistit; quemadmodum diabetes in vitio attractricis, & dysuria expultricis. Illa verò duobus modis solet contingere, vigilantibus nempe, & tunc causa grauior est, aut dormientibus, quod leuius esse consueuit, quandoquidem tunc temporis functiones animales minùs liberè exercentur. Et hoc etiam duobus modis fit; nempè debilitate, & laxitate musculi sphincteris vesicæ, quod pueris omnibus lactentibus, multis decrepitis & quibusdam adultis accidit, aut imaginationis errore: non pauci enim reperiuntur, qui vel ex nimio potu, aut exquisitiore sensu vesicæ, aut acriori vrina lectum permingunt, concurrente quodammodo voluntatis imperio, dum per somnum imaginantur, se in parietem, aut alium loco vrinam effundere, & huic vitio ita assuescunt, vt sine vlla vesicæ, aut sphincteris eiusdem praua diathesi id fiat, neque tam medicamentis liberentur, quàm praua illis imaginationis mutatione, vt in pueris flagro, vel in adultis, si locus ille, quem per insomnia permingere putant, rebus quibusdam pretiosis, aut venerandis exornetur, & illis sæpè spectandus proponatur.

Affectus autem præternaturalis, & verè morbosus, vrinæ incontinentiã committens, in musculo sphincteře consistit, qui vel sympathicè afficitur, vel idiopathicè. Sympathicè quidem variis modis, vt quoties accidit summa totius corporis imbecillitas, & caloris natiui exolutio, sicut in morti proximis; vel quando totum corpus, aut dimidia illius pars afficitur paralysi; aut illæ tantùm nernorum propagines, quæ ab osse sacro exortæ, ramum vesicę communicant. Fit etiam aliquando hæc musculi resolutio, ob simplicem condolentiam, & vicinitatem, vt in grauidis mulieribus, & recti intestini affectibus.

Idiopathice verò musculus sphincter varijs modis afficitur, per vulnera scilicet illi inflicta, vt in lythotomia contingit; aut vlcera profundiora, illius contractionem, & occlusionem impedientia. Potissima tamen causa, & frequentissima est frigida, & humida intemperies, quæ ad partem istam debilitandam, & relaxandam aptissima est. Ad quam intemperiem producendam plurimum conferunt natiuum temperamentum frigidum, & humidum, ætas puerilis, aut senilis, sexus muliebris, & morbi totius corporis, aut quarundam partium, à frigida, & humida intemperie oriundi: quibus addi possunt causæ externæ, huic intemperiei producendæ idoneæ, sæpè alias recensitę.

Hic tamen dubitare licet, quomodo contrarij affectus ab eadem causa producantur. Hip. enim *in Coacis* à frigida intemperie vrinę suppressionem fieri pronunciat. *Ex refrigeratione*, inquit, *interceptio vrinæ pessima*. Incontinentia verò interceptioni contraria est. Dicendum est, quando frigida intemperies solùm vesicæ sensum imminuit, vel abolet, fieri suppressionem vrinæ, quia vesica non irritatur ad expellendum: si verò facultas motiua læsatur, quæ est in musculo sphincteře, ab eadem intemperie fieri incontinentiam, eo musculo relaxato.

Signa huius affectus diagnostica, alia sympathicum affectum demonstrant, quæ desumenda sunt ex affectibus, incontinentiæ vrinæ producendę idoneis, suprà commemoratis, quæ si adfuerint, inde affectum exoriri coniiciendum est: illis autem absentibus, de idiopathico affectu cogitandum est: qui si à vulnere, vlcere, aut alia affectu conspicua sphincteris procedat, facilè cognoscitur: at verò si nihil horum appareat, ad intemperiem partis frigidam, & humidam animus conuertendus est: eaque deprehendi poterit ex causarum tam internarum, quam externarum constitutionem, & effectibus, qui ab illis dependent: quales sunt, totius corporis mollities color albicans, neruosi generis, & partium genitalium laxitas, ætas puerilis, aut senilis, cacochymia pituitosa, & similia.

Quod ad prognosin spectat, affectus iste in senibus immedicabilis est ob exuperantem humiditatem, & caloris natiui exsolutionem, quę irreparabilis est.

In febre acuta excretio vrinę inuoluntaria ad modùm periculosa est: vel enim à delirio procedit: vel à summa facultatem omnium exsolutione, quæ caloris natiui extinctionem consequitur.

In pueris curatur vrinæ incontinentia ætatis mutatione, cuius beneficio humiditas superflua sensim absumitur, & partes laxiores constringuntur. Si verò ante 25. annum non curetur; immedicabilis est.

Curatio incontinentiæ vrinæ ad frigidam, & humidam intemperiem, & musculi sphincteris laxitatem corrigendam dirigenda est. Quę enim per sympathiam ab alijs primarijs affectibus procedit, ad illorum affectuum curationem referenda est. Tum etiam, quæ à vulneribus, vlceribus, alijsque affectibus conspicuis exoritur, ab eorum curatione dependet. Hanc itaque curationem ita proponemus, vt tum pueris tum grandioribus sufficere valeat, modò remediorum delectus à perito Medico habeatur. Vt nempè leuiora tantùm in pueris vsurpentur, & pro maiori vel minori annorum numero, eorum quantitas, & efficacia augeatur, vel minuatur.

Primò igitur phlebotomiæ locus hic rarò esse potest, cum frigida intemperies, & pituitosa illuuies hunc affectum producat. Nisi fortè totius plethora in iuuenili corpore eam suadere videatur.

Purgatio autem in hoc affectu semper necessaria est; eaque componatur ex phlegmagogis medicamentis, quibus adstringentia quædam misceantur, non solùm alterantia, sed etiam purgantia, vt rhab. myrobalani, & similia.

Posteà verò, ad exsiccandam materiam illam pituitosam, partemque relaxatam constringendam, pulueres, opiata, vina medicata, & similia vsurpari possunt, in hunc, vel similem modum composita.

℞. Nucum cupressi, & myrtillor. torrefact. tasure eboris, coriandri præpar. coralli rubri, & Karabes, ana Drach. ij. spondij Drach. j. radic. cyperi, & galangæ, an. Drach. ß. Cum syrupo condituræ citri fiat opiata, de qua capiat magnit. castaneæ, manè & sero, superbibendo parùm vini rubri.

Vel puluis ex prædictis, aut eorum nonnullis confiatus, an. 3. ß. ad 3. j. cum vino rubro exhibeatur, bis in die: longè à pastu.

℞. Rad. consolid. maior. ℥. ß. rad. cyperi, galangæ, an. ℥. j. fol. plantag. equiseti, pentaphylli cum rad. an. M. j. nucum cupressi, calycum glandium, an. ℈. iv. sem. rutę, agni casti, thuris, & rasuræ obroris, ana ℈. ß. rosar. rubr. P. j. vini rubri ℔ iij. Infundantur per 24. horas. Colentur per manicam Hippocratis, addendo cinam. ℥. ß. sacchari q. s. Fiat claretum, de quo capiat ℥. iij. vel iv. bis in die.

Multa, & specifica proponuntur ab Authoribus ad huius affectus curationem maximè conducentia. Gal. *in medicamẽtis localibus*, & *in lib. de facilè parabilibus*, laudat cerebrum, & testiculos leporis combustos. Item cochleam cum sua testa combustam potandam exhibet. Recentiores stercus leporis præbent, cinerem murium tostorum, vngulam apri torrefactam, cinerem ossium dactylorum, auellanas albas, puluerem corticum ouorum. Sed præ cæteris laudatur puluis agrimonij, & tunicæ interioris ventriculorum gallinę exsiccatæ; quæ seorsim, vel simul mixta exhiberi possunt cum vino rubro.

Testatur Solenander, se felicissimum vidisse successum ex medicamento à Gilberto Horstio Hollando Medico Romano celebertimo, in vsum reuocato. Accipiebat guttur galli, vrebat, vt non consumptum, sed tostum, exsiccatumque teri posset. Exhibebat pulusculum autem cœnam, cum tantillo vini rubri, & si æger vino vti non posset, cum hausiu oxycrati dulcissimi, idque per aliquod dies iterabat.

In grandioribus, ratione causæ antecedentis, ad exsiccandum totum corpus, conueniunt decocta sudorifica per xx. dies vsurpata, ex ligno guaiaco, aut sassafras parata. Quibus, & substitui poterunt thuphæ, laconica, & in primis thermæ sulphureæ, nitrosæ, quales sunt nostræ Baleucanæ.

Pro potu vtatur æger vino rubro austero meraciori, vel pauca aquæ ferrata dissoluto. Hydropotæ verò sola aqua ferrata vel in qua semen coriandri, aut tantillum mastiches bullierit. Vel denique, a magis adstringendum, aqua, in qua tegulæ recentes ignitię extinctæ fuerint. Eademque aqua omnes cibi decoqui possunt. Parùm autem bibendum est, præsertim in cœna. Tum sub ingressu lecti vrinam reddat æger, ac rursùs media nocte excitetur ad mingendum, nec non, & ante auroram. Hoc non minimùm facere poterit ad mingendi in lecto consuetudinem immutandam.

Exterius verò, pubi scilicet, & permæo, topica admoueantur,

tur, quæ calefaciant, roborent, & exsiccent, in hunc modum composita.

℞. Rad. ennlæ camp. calami arom. rad. acori, cyperi, in ʒ. ß. fol. menthæ, sauiæ, origani, calamenti, absinthii an. M. ß. nucum cupressi, myrtill. gallar. & balaustior, an. ʒ. j. rosar. rubr. P. j. Coquantur in æquis partibus aquę fabror. & vini rubri, ad ℔. ij. In colat. dissolue salis, & aluminis, an. ʒ. i. Foueatur regio pubis, & perinæi, calidè, manè, & serò.

Vel ex eodem decocto, aucta dosi simplicium, fieri poterit insessus, per multos dies vsurpandus.

Post fotum, vel semicupium, inungi poterunt eędem partes linimento, parato ex oleis, vulpino, rutaceo, irino, vnguentis, martiato, aregon. cum puluere mastiches, cyperi, myrtillorum.

Vel admoueri potest vtiliter storax liquida, vel balsamum indicum, pauco vino dissolutum: vel pro ditioribus moschi, & zibetæ grana aliquot, in oleo moschatelino dissoluta.

Vel emplastrum sequens dictis partibus applicetur.

℞. Ladani, mastiches, an. ʒ. ij. ligni aloes, styrac. calamitæ, cinam. terebenth. an. ʒ. i. myrtillor. rad. cyperi, an. ʒ. ß. succi menthæ, & equiseti cum vino rubro extract. q. s. Fiat emplastrum.

Denique si fluxio à capite in partes inferiores delabi videatur, quæ infirmitatem illam concilier, deriuetur errhinis, masticatoriis, caustico, occipiti, vel brachio admoto, aliisque remediis, in catarrhi curatione propositis.

CAPVT VIII.

De Ischuria, & Stranguria.

VRinę suppressio omnimoda ἰσχουρία ab Autorib. nominatur; immutata verò mingendi actio, στραγγουρία dici solet: quamuis hoc vocabulum latius multò pateat, & simpliciter omne vrinæ stillicidium comprehendat, quod si absque dolore fiat, & vrina stillatim effluat, etiam cum aliquo conatu, imminuta est ischuria: si verò fiat cum dolore; ad dysuriam potiùs, seu vrinæ ardore referenda est.

Ischuria igitur, seu omnimoda vrinæ suppressio, duplex statuitur, vera scilicet, seu legitima, quæ fit vesica plena existente: & notha, seu spuria, quæ fit, cum vesica vacua est, nihilque ad eam è renibus descendit.

Vera, & legitima ischuria à tribus causis dependet, quarum prima est, sensus abolitus in vesica propter nerui, qui ad eam defertur, paralysin, & obstructionem; aut spirituum auersionem; quorum defectu efficitur, vt vesica stimulum non sentiat, & ad expulsionem non irritetur, vt in deliriis, & soporosis affectibus contingit.

Secunda causa est frigida vesicæ intemperies, à causis refrigerantibus, seu internis, seu externis contracta, quatenus sensim vesicæ habetat, eiusque expultricem debilitat.

Tertia causa est angustia ceruicis vesicæ vrina exclusionem præpediens. Huius autem angustiæ tres assignantur causæ à Gal. 1 *de loc. affect c.* 1. Aut enim musculus ceruicem vesicæ circumdans, in tantum tumorem attollitur, vt meatus inde occupetur: vt si vel inflammatione, vel scirrho, vel abscessu, vel alio quopiam tumore affectus sit; aut in meatu caruncula quædam adnascatur ex præcedente vlcere; vel callus, aut alia quædam res ex crasso, lentoque humore paulatim, longo temporis tractu generetur. Obstruitur etiam meatus à calculo, crudo, crassoque humore, grumo sanguinis, vel pure.

Præterea exitum vrinæ intercludit compressio ceruicis vesicæ, à tumore partium vicinarum incumbentium: nimirùm vteri, ex fœtu grandiore turgidi, intestini recti, fæcibus duris impleti; vel ani, grandioribus hæmorrhoidibus tumefacti.

Fit etiam interdum hæc suppressio à nimia vrinæ copia, diutiùs retenta, quæ totum vesicæ corpus ita distendit, vt ad expellendum se se contrahere nequeat, ex qua tensione meatus etiam contrahitur, & obturatur. Repletur autem vesica ab vrina nimis diu retenta duobus potissimum casibus. Primò, quando sanus aliquis, vrgentibus negotijs, in foro senatu, concionibus, comitijs, conuiuio, curru, aliisque casibus, ob loci, & temporis non satis idoneam opportunitatem, vrinam sponte suppримit. Deinde vesica nimis repletur, & distenditur, vt contrahere se ampliùs nequeat, dum vrinæ stimulus non percipitur propter obtusum vesicæ sensim, affectis neruis, qui ad vesicam deferuntur: cum tamen illi, qui musculo sphincteri constringendo dicati sunt, incolumes remaneant, quod cuidam accidisse testatur Gal. 6. *de loc. aff. c.* 4. luxatis spinæ vertebris.

Notha verò ischuria illa nominatur, in qua vrina suppримitur, vesica vacua existente, quia nihil seri ad eam defluit, & descendit. Causa, cur nihil seri ad vesicam descendat, duplex est: vel quia renes vrinæ materiam non attrahunt, deorsumque demittunt, vel quia vreteres non suscipiunt. Renum igitur attractrix, vel expultrix læditur. Attractrix læditur, vel læsa facultate, vel errore obiecti. Facultas læpitur à valida intemperie, frigida præsertim; vel impeditur ob aliquam obstructionem, in renibus aut venis emulgentibus residentem. Fiunt autem illæ obstructiones à calculo; pituita crassa vel pure, ab aliqua parte superiore ad illas vias confluente. Fit etiam interdum, obstructio venarum emulgentium à repletione nimia, ex sanguine, & sero copioso, in ijs collecto, cuius rei historiam habemus in obseruationibus nostris, *obserու. 1. cent. 1.*

Obiecti vitio renum attractio læditur, cum serum, vel absumitur, vt in febribus ardentibus, vel ad alias partes transumitur, vt in hydrope contingit.

Expultrix similiter læditur ab ijsdem causis, intemperie scilicet, obstructione à calculo, sanguinis grumo, pure, pituita crassa, vel ab inflammatione.

Vreteres serum non suscipiunt, nec ad vesicam demittunt propter inflammationem, vel obstructionem à calculo, sanguinis grumo; pure, vel pituita crassa; vel ob compressionem à tumoribus partium vicinarum.

Notandum est, vtrumque renem, aut vreterem debere esse affectum, vt omnimoda vrinę suppressio contingat: alterutro enim, aperto, & libero existente, vrinæ fluere potest.

Causæ omnes prædictæ, si graviores sint, integram vrinæ retentionem facere possunt, quæ ischuria nominatur: si verò remissiores, partialem tantùm, & imminutam excretionem efficiunt, quæ stranguria dicitur. Vterque autem affectus ab ijsdem causis, per magis, & minùs tantùm differentibus, dependet.

Dignoscitur vera, & legitima ischuria ex pondere, & tensione hypogastrij, ac tumore circumscripto, vesicæ figuram referente. Causæ illius dignoscuntur ex rebus prægressis, & concomitantibus. Si enim fiat ex quantitate vrinæ collectæ copiosiori, quæ vesicæ contractionem impediat, ex relatu ęgrotantis percipitur, illum ob diuturniorem equitationem, loci, aut personarum præsentiam, & dignitatem, mictionis officium longiori temporis spatio omisisse, & nullum anteà in illis partibus affectum habuisse. Si vero delirio, paralysi, aut alio affectu laborauerit; ex ijs, quæ in causis enumerati sunt, illis meritò vrinæ suppressio erit referenda.

Adstrictiones, quæ fiunt à tumoribus illarum partium, aut vicinarum, vel alijs causis suprà propositis, ex proprijs illorum affectuum indicijs innotescent. Obstructiones verò canalis vesicæ dignoscentur immissa candela, vel catheteræ, quæ si penetrare non possunt, sed in via subsistunt calculum, aut caruncularn, aut aliam quampiam materiam obstruentem adesse demonstrabunt. Et illæ materiæ ita distinguentur: quòd nimirùm, si calculus adsit canali impactus, dolores nephritici præcesserunt; si ille renibus sit deciduus, aut si in vesica genitus, vel diu commoratus fuerit, signa præcesserunt calculi vesicæ, saltem leuiora, qualia suo loco proposita sunt. Si caruncula vrinę commeatum impediat, præcessit gonorrhœa virulenta, aut vlcus, in meatu virgæ, longo tempore, materiam purulentam emittens. Si denique sanguinis grumus, pus concretum, vel pituita crassa obstructionem efficiat, portiunculæ quædam eorum per virgam excretæ, vel immisso catheteri adhærentes, satis patefacient.

Spuria verò ischuria ex eo cognoscetur, quòd nulla tensio, nullusque tumor, aut pondus existat in pubis regione; sed potiùs vacuitas quædam in ea percipiatur: nullum adest mingendi desiderium, nullaque irritatio in vesica; & immisso catheteræ, liber canalis aditus reperitur, & nulla vrina educitur. Præcesserunt autem signa calculi in renibus, aut vreteribus, inflammationis, aut magnę plenitudinis; aut potus largior præcessit, quem non sequuta est vrina copiosa, vnde venarum nimia repletio potuit contingere; aut denique febris ardęs, vel hydrops præsens, seroseque materię auersione testatur.

Pro-

Prognosin quod attinet, vrinæ suppressio valde periculosa est, & si septimum diem excedat, plerumque certum affert interitum: serum enim retentum in venis iecur opprimit, sanguinem inficit, & inquinat, ac in totum corpus regurgitat, suffocationis periculum infert, & ad cerebrum delatum, comatosum affectum inducit.

Suppressio vrinę, quę ad saucitatem spinę, aut casum, aut vertebræ luxationem accidit incurabilis est.

Si odor vrinę naribus, & ore ægrotantis emittatur lethale prorsùs est.

Vrinæ suppressioni si tenesmus superuenerit, in septimo moriuntur. Eidem singultus superueniens, mortem proximam denuntiat.

Curatio suppressionis vrinæ, siue illa totalis sit, siue partialis, ad causarum sublationem dirigenda est. Ac primùm illa, quæ spuria dicitur, & à renum, aut vreterum affectibus dependet, ex inflammationis doloris nephritici, aut calculi renum curatione desumenda est. Quæ verò fit à repletione venarum emulgentium, larga sanguinis missione, & hydragogis medicamentis curanda est. Legitima verò ischuria curatur remedijs, causas eam producentes auferentibus. Ac primum si fiat à vesicæ, aut partium vicinarum inflammatione, remedia ex vesicæ inflammationis curatione mutuanda sunt.

Si verò suppressio fiat à calculo, vesicæ ceruici impacto, sequentibus remedijs auferenda est.

Primò ager supinus collocetur, cruribùs elatis, mox plurimùm, diuque concutiatur, vt calculus in vesicam relabatur. Et si hoc modo deturbari nequeat, immisso catheterę impellatur. Si verò calculus altius penetrauerit in penis meatum, omnimoda illius exclusio procuranda est, digitis molliter impellendo, & deducendo ad extremum virgæ: tum virgam in aquam tepidam, aut in lac tepidum demittendo, aut ægrum in semicupium mergendo, vt meatus laxetur, & amplior fiat. Si verò neque foras extrahi, neque intrò impelli valeat; docent Practici, ligato pene, in superiori & inferiori loco, partem sectione facta aperire, & calculum eximere.

Obstructio verò colli vesicæ, quæ ab inflammatione fit, proprijs inflammationis remedijs curabitur. Interim tamen, si vrina diutiùs retineatur, candela cerea, oleo amygdal. dulcium illita, blandè immitti poterit, omninò vitando catheterem, ne dolore excitato inflammatio augeatur.

Quæ verò à caruncula fit vrinę suppressio, caruncułę ipsius extirpatione curatur. Hæc autem remedijs appropriatis perficitur, per candelam ceream immissis, quæ à perito artifice, in huiusmodi Chirurgia apprimè exercitato, administranda sunt, Vrgente tamen symptomate, quandoquidem caruncula interdum intumescit, & totum canalem obstruit, necessitas cogit, immisso catheterę, vrinam educere, quamuis periculum sit, ne irritata pars magis incumescat. Prius tamen tentandum est reuulsionibus per venæ sectionem, & vomitorijs celebratis, tum reppellentibus pubi, & & perinæo adhibitis, caruncułæ inflationem imminuere, vt retentæ vrinæ pateat.

Si à pituita crassa oriatur vrinæ suppressio, conueniet, primùm purgatio ex diaphœnicone cum Rhab. in boli formam redacto, ac deinde therebinthina, cum puluere liquiritiæ frequenter exhibita, postmodum radicum aperientium decoctum, cum oxymel. aut syrup. byzantino exhiberi poterit. Non omissis interim clysteribus, fomentis, & semicupijs emollientibus, & aperientibus. Eaque omnia conuenient, quę ad calculum dissoluendum, & expellendum fuerunt proposita. At inter cætera peculiari efficacia sequentia conferre experientia docuit.

℞. Benedictæ laxatiuæ ʒ ß. trochisc. de myrrha ℈ ij. decocti sabinæ ʒ iij. Misce fiat potio, qua vrinæ suppressio in quadam muliere breui curata est.

Si redundantis pituitę copia in toto corpore, vel capite luxuriare videatur; purgatio vniuersalis per apozemata, ad tres, vel quatuor dies instituta ab ipso morbi principio, erit vtilissima, præmissa phlebotomia.

Non parum etiam huic affectui prodesse potest iulepus, ex succo parietariæ, fœniculi marini, & limon. cum ol. amygd. dulcium, in curatione calculi renum descriptus.

Syrupus Fernelij de raphano, ad ʒ ii. per vices exhibitus est etiam vtilissimus.

Refert Dodonæus *lib. obs. cap.* 48. quendam octogenatiũ, Lixiuio, ex quorum testis in cinerem redactis, cum vino Rhenano permixtis, semel tantum assumpto, ab vrinæ stillicidio integrè fuisse liberatum.

Arnoldus Villanouanus vinum alKekengi commendat sequenti historia, *in libro de vinis* conscripta. *Fuit tempore meo Cardinalis quidam, qui iam per quatriduum vrinæ abnegationẽ passus est: turgidus, & vt dicitur, desperatus, nullis alijs proficientibus medicinis: qui de consilio parui Medici per potum vini alKekengi liberatus est & solutæ est vrina in quantitate, vt impleretur quasi cõcha vna. Ex eo solo experimẽto Medicus ille cum parua scientia, & pauper factus est magnus, & diues, & multis quidem Deus dat gratiam, & affert vtilitates & contra, & totum est, quia iudicia Dei abyssus multa.* Fit autem huiusmodi vinum, vt ibidem docet Arnoldus, accipiendo fructus alKekengi ʒ. aut 7. aut plures, & contundendo cum vino albo; postea colando, & exhibendo.

Aselli etiam, cum vino albo triti, & exhibiti, ad vrinam prouocandam efficacissimi sunt. Oleum scorpionum Matthioli, ad gutt. v. vel vj. exhibitum, cum iusculo, aut alio liquore, vrinam potenter educit.

Crystalli mineralis vsus frequens suppressam vrinam mouet, præcipuè, vbi metuitur inflammatio, quæ ab ipsa vrina diu retenta sæpissimè concitatur in tunica interiori vesicæ.

Spiritus salis idem præstat, & multò efficaciùs.

Ex vulgaribus succus parietariæ depuratus ad ʒ iv. exhibitus, cum succhari ʒ ß. multum prodest. Illi admisceri potest sal prunellæ, vel spiritus salis.

Si huiusmodi suppressiones vrinæ, à materia pituitosa oriundæ frequenter recurrant; nihil erit præstantiùs aquis thermalibus nitrosis, & sulphureis, quales sunt nostræ balerucanæ, quæ tum potu, tum balneo materiam illam mucilaginosam dissoluere, abstergere, & absumere facilè poterunt.

Quidam vir nobilis huius vrbis, ab vrinæ suppressione, multos dies perseuerante, post alia remedia frustrà tentata, sequenti clystere iniecto, & per duas horas retento, liberatus est.

℞. Rad. apij petrosel. brusci gram. asparagi, maluæ, bismaluæ ana ʒ ij. parietar. M. ij. Sem. anisi, fœniculi, anethi, carui, dauci, ameos, carthami, rutæ, cumini, & baccarum lauri, an. ʒ. sem. flor. chamæm. melilot. anethi, & stœchad. an. P. ij. Coquantur in vino albo, ad medias. In colaturæ ℔ j. dissolue butyri recenti ʒ iv. melli rosac. ʒ ii. sacchari rubri ʒ j. benedict. laxat. ʒ ß. vitell. ouin. 1. olei nucum, anethini, & sem. lini, an. ʒ j. Fiat clister.

Chymici sua etiam remedia ad hunc affectum prædicant, nimirum spiritus salis, vitrioli sulphuris, & terebinthinæ, quos ad ℈ ß. exhibent cum aquis appropriatis, vel iusculo pulli. Commendant, & salem tartari, & salem stipitum fabarum à ʒ ß. ad ʒ j. exhibitum.

Nec non, ad reuulsionem humorum à parte affecta, vomitoria surpant: eorumque beneficio non paucos fuisse, confestim liberatos gloriantur.

Toto curationis decursu fomenta, linimenta, cataplasmata, semicupia, aliaque externa vsurpanda sunt: quæ non alia esse debent quam, quæ ad dolorem nephriticum sup. prà fuere proposita. Inter cętera valet cataplasma parietariæ frixæ cum butyro, vel melius cum oleo scorp. Item vesica oleo semiplena: melius erit, si in hoc oleo canthatides coquantur.

Vulgo admouetur regioni pubis, & lumborum cataplasma ex cæpis frixis cum axungia porci, additis oleis quibusdam.

At longè efficacius operantur cæpæ albæ crudæ in mortario fusæ, addito oleo in formam cataplasmatis, & renibus admotæ, atque vreteribus, & regioni pubis.

Cataplasma ex raphanis contusis idem præstare potest.

Quando à grumo sanguinis ischuria producitur, illius dissolutioni incumbendum est, exhibitis ijs, quæ id præstare apta nata sunt. In hunc censum referuntur trochisci de carabe, coagulum hœdi, leporis, mumia, oxymel simplex, & scilliticum, syrupus acetosus, & similia. Exteriùs vero stercus bubulum mira præstat, iuxta sententiam Aetij *tetrab.* 3. *serm.* 2. *cap.* 27.

Cùm denique à pure vrinæ suppressio, aut stillicidium producitur, tergentibus, & incidentibus opus est, qualia potissimum in renum, & vesicæ vlcere proposita sunt.

CAPVT IX.

De Dysuria, seu ardore vrinæ.

DYsuriæ, seu vrinæ difficultatis nomine, omnem dolorificam mictionem intelligimus, quam etiam nomine ardoris vrinæ. Recentiores enuntiare solent. Cum stranguria ferè confunditur à quamplurimis Authoribus, qui in hac dolorificam etiam mictionem constituunt, sed etiam à dysuria in hoc tantùm differre volunt, quod maior vrinæ quantitas in dysuria excernatur, minor verò in stranguria, quæ etiam ea ratione vrinæ stillicidium nominatur. Uerùm maluimus nos, clarioris doctrinæ gratia, vrinæ quantitatem imminutam, quę sine dolore fit, stranguriam nominare, & sub vno capite cum ischuria comprehendere, ex eo quòd vtrique eadem curatio adhibenda sit: omnem verò mictionem dolorificam sub dysuriæ nomine in hoc capite explicare, propterea quòd ab ijsdem causis omnes producantur, ijsdemque remedijs curentur.

Causa proxima, & immediata mictionis dolorificæ est, solutio continui in musculo sphinctere, vel canali vesicæ. Atque adeò quæcumque solutione continui in illis partibus inferre valent, dysuriam, seu ardorem vrinæ excitare possunt.

Inter illas causas, præcipua, & magis frequens est vrinæ acrimonia, aliquando simplex, & sine aliorum humorum permixtione, quam viscerum, vel totius intemperies calidior, vel acriorum, & calidiorum ciborum vsus excitauit; sæpiùs verò ex permixtione humorum acriorum, vt bilis, & pituitæ salsæ, comparata. Aliquando pus, ex renibus, aut vesica vlceratis emanans, talem vrinis conciliat acrimoniam. Nonnunquam etiam materia alba, & quasi lactea cum vrina copiosè emittitur, & ardorem vrinæ inducit, quam quidem materiam vulgus Medicorum purulentam esse existimat, & à renibus oriundam. Quam sententiam reprobat *Sennertus*, huic innixus rationi, quod nimirùm, etiamsi toti renes in pus resoluerentur, non posset tanta eius copia, quanta interdùm per aliquot septimanas singulis diebus excernitur, inde suppeditari. Sed arbitratur ipse hanc materiam prouenire ex vitiata coctione, primò quidem ventriculi, deinde etiam hepatis; cum error primæ coctionis non possit corrigi in secunda, vnde chylus, & posteà etiam sanguis crudus relinquitur, neque à partibus salsis, & tartareis mundatur, quæ in prima coctione separari debent, & illæ postmodùm renibus attractæ, & ad vesicam transmissæ dolorem inter mingendum pariunt. In eam sententiam se deductum esse profitetur ex eo, quod vir quidam doctus, qui per aliquot septimanas ardore vrinę laborabat, & vrinam quidem satis copiosam, sed tali materia alba ita refertam, vel dimidium vrinalis occuparet, cum maximo dolore excernebat, & varijs adhibitis remedijs nihil leuaminis sentiebat, tandem solius vini maluatici potu curatus fuit.

Calculus etiam in vesica latens, vbi inter mingendum ceruici vesicæ alliditur, dolorem excitat; quòd etiam præstare possunt arenulæ crassiores, canalem in exitu vellicantes.

Inflammatio denique, vel vulcus istarum partium vrinæ ardorem excitat: quandoquidem sensus exquisitior ab illis affectibus redditus, ab vrina etiam benè temperata grauiter afficitur, quemadmodùm videmus, partes externas inflammatas, aut vlceratas ab obiectis etiam proportionatis, vel leui contactu, dolore affici. Sic in gonorrhœa, quamdiu adest parastatarum inflammatio, ardor vrinæ continuò percipitur.

Diagnosis huius affectus ex se manifesta est: dolor enim inter meiendum tàm euidens est, vt ægri non rarò ex illius molestia eiulare cogantur. At signa causarum ita distinguenda sunt.

Si ex vrinæ acrimonia procedat, illa tenuis apparebit, ac intenso colore, atque interdùm flammeo prædita; vel admistio biliosæ, pituitosæ, aut purulentæ materiæ conspicua fiet; viscerum aderit intemperies, vel alimenta calida, & acria; æris æstus, & similes causæ calefacientes præcesserunt.

Calculi denique, & inflammationes illarum partium ex proprijs suis locis innotescent.

Quod ad prognosin attinet, hic affectus per se periculosus non est; sed magnam affert laboranti molestiam, & pro varia causarum dispositione difficilem non rarò curationem recipit; in senibus præsertim, qui si decrepiti sunt, morbo commoriuntur. Atque in quacunque ætate, si diutiùs perseueret, vesicam tandem, & illius ceruicem exulcerat.

Curatio primùm ad causæ sublationem dirigenda est: Atque ita si à calculo, inflammatione, vel vlcere vesicæ, aut ceruicis illius dysuria oriatur, ex proprijs capitibus eorum affectuum curatio desumenda est: leniendo tamen symptomati, quæ inferiùs proponentur, plurimùm conferre poterunt.

Quæ verò ab vrinæ acrimonia, & humoribus calidioribus, vi permixtis, oritur; sequentibus remedijs oppugnanda est.

Ac primùm phlebotomia ad hepatis, aliorumque partium intemperiem corrigendam, necessaria est. Eaque pluries repetita, pro plethoræ magnitudine, aut inflammationis periculo, ex brachio dextro primùm, ad euacuationem, & reuulsionem: postmodùm verò, ex venis inferioribus, ad derivationem à parte affecta, cuius ratione Hipp. eumque sequutus Galen. in omnium partium infrà renes positarum affectibus, venas inferiores aperire præcipiunt.

Purgatio, etiam in hoc affectu conuenit, sed ex lenientibus tantùm, & refrigerantibus composita; alioqui ardorem vrinæ maximè exasperaret. Ideoque multi bolum ex cassia simplici, non audent transcendere. Et illa certè reliquis præferenda. Magis tamen refrigerans efficietur, si pulpa tamarindorum etiam adijciatur. Vel dilutum cassiæ, ex decocto lactucæ, portulac. & summitatum maluę paratum, ad plures dies exhiberi poterit, vt acres humores, in partes vrinarias confluentes, ad intestina sensim deriuentur. Si tamen humorum prauorum copia maiorem purgationem postulare videatur, ad sequentem potionem transcendere poterimus.

℞. Fol. lactucæ, portulac. plantag. & summit. maluæ, ana M.ß. tamarind. Vnc.ß. myrobal. citrin. ʒ.j. Coquantur ad ʒ.vj. in colatura infunde cassiæ recenter extractæ Unc. j. Colentur iterùm, & postea dissolue rhab. in aqua lactucæ cum santal. citrin. infusi Drach. j.ß. mannæ, & syrup. ros. an. Vnc. j. Fiat potio.

In diuturna dysuria conueniet opiata purgans, in vlcere vesicæ descripta.

Uomitus blandis remedijs concitatus, præstantissimus est: reuellit enim à parte affecta, & incommoda arcet, quæ à purgantibus per interiora induci consueuerunt. In ijs igitur erit proritandus, qui sine magno labore illum ferre possunt, & semel, aut bis in septimana iterandus.

Per clysteres etiam frequenter iniectos, non solùm humores acres ad intestina deriuari, sensimque expurgari, sed etiam vesicæ, partiumque annexarum intemperies, atque inflammationes demulceri poterunt, quorum formula talis esse poterit.

℞. Rad. altheæ, ʒ.j. fol. maluę, violariæ, lactucæ, ana M.j. flor. nymphææ, & hordei mundati, an. P.j. Coquantur ad ℔.j. In colatura dissolue cassiæ recenter extractæ Vnc. j. ouum integrum vnum, olei violac. Vnc. ij. Fiat clyster.

Mucilagines sem. althææ, cydonior. fœnugr. Clysteribus vtiliter admiscerì possunt, ad dolorem leniendum.

Verùm ad contemperandum dolorem, & ardorem clysteres ex lacte puro, vel cum prædictis admixto, efficaces esse consueuerunt, vt quosdam viderimus ægrotantes, qui in diuturnis doloribus ex hoc solo remedio, & semicupio, de quo postea dicetur, leuamen susceperint.

Per os autem exhibenda quamplurima, in vsu practico comperta non parùm conferre ad ardorem vrinæ demulcendum, & partium affectarum intemperies corrigendas, quorum præcipua sunt, quæ sequuntur.

℞. Aquar. portulac. lactucæ, rosarum, & nymphææ, ana Unc. j. syrupi violacei, & nymphææ, ana Drach. vj. talis prun. Drach. j. Misc. fiat iulep. sæpè iterandus. Uel

℞. Rad. althææ Vnc. j. fol. lactucæ, endiuiæ, portulac. & summit. Maluæ, an. M.j. sem. melon. cucurbitulæ maluæ, lactucæ, & papau. albi, an. Drach. iij. iuiubar. tebesten. ana par. vj. flor. violar. ros. & nymphææ ana P.j. Coquantur ad quartaria quinque. In colatura dissolue syrupi violac. iuiubini, & de papauere, an. Vnc. j. sem. Salis prunell. Unc. sem. Fiat iulep. pro iv. dosibus, bis in die sumendis.

Emulsiones etiam vsurpari poterunt, quamvis sint diureticæ, quia refrigerant, & vesicæ meatus leniter expurgant in hunc modum compositæ.

℞. Quatuor sem. frig. maior. & papau. albi, an. drach. iij. amygdal.

amygdal. dul. excortic. & in aqua frig. infusar. ℥. sem. Contundantur in mortario marmoreo, sensim effundendo decocti hordei excorticati, liquir. portulac. & summit. maluæ ℔. j. sem. Fiat emulsio pro ij. dosibus, addendo vnicuique dosi syrup vialoc. ℥. j. salis prunellæ ʒ. j. Si dolor. sit acerbior, aliquid syrupi de papauere admisceri potest. Tum etiam gummi arab. pulu. ʒ. j. vtiliter additur, vel syrup. alth. Fern. de mucilaginibus.

Iusculæ etiam parari possunt in hunc modum.

℞. Rad. althææ ℥. sem. maluæ M. j. liquirit. ℥. ß. sem. cydon. ʒ. j. Bulliant cum iusculo pulli, vel gallinæ, Fiat iusculum, per plures dies iterandum.

Conueniet etiam non parùm serum lactis caprilli, magno haustu exhibitum, vt in calida hepatis intemperie dictum est.

Imò & maiori efficacia, absente febre, lac integrum, præsertim asininum, propinari poterit; quod non solùm detergit; sed etiam dolorem mulcet, & humorum acrimoniam contemperat.

In diuturno autem affectu aquæ minerales refrigerantes, præsertim aluminosæ, & ferratæ, aut parùm vitriolatæ plurimum conferunt. Experientia enim compertum est, aquas nostras Meynenses, simili virtute præditas huiusmodi affectus, quamuis inueteratos, interdum subtulisse.

Loco iulepornm prædictorum, simplex maluę decoctum cum syrupo violaceo vsurpari poterit, quo seipsum Forestus, *obser. 4. lib. 25.* à grauissima dysuria liberatum refert, dicitque nihil æque iuuisse, ac dictum decoctum, eoque se alios ægros similiter laborantes curasse.

Idem Forestus *obser. 3. eiusdem libri* dicit, quemdam Iacobum Iohannis Pharmacopœum, aqua rosacea cum albumine oui concussa, & ad medicum scutellæ ebibita seipsum & alios curasse.

Tradit etiam ibidem Forestus, senem quemdam Delphen. sem. decocto flor. chamæmeli cum lacte bubulo ex mulierculæ consilio fuisse curatum.

Amatus Lusitanus *curatione 58. cent. 6.* dicit, quamdam mulierem, dysuria laborantem, quæ multis remedijs ibidem recensitis curari non potuerat, vsu conseruæ florum maluæ fuisse personatam. Sumebat autem illius conseruæ ʒ. j. mane & vesperi, super bibendo aquæ maluæ ℥ iij. Eadem *curatione sequenti 59.* dicit, senem quemdam, ab excreto lapillo dysuria laborantem, eadem conserua, eodem modo vsurpata, intra triduum fuisse liberatum. Conserua flor. althææ est eiusdem, vel maioris efficaciæ.

Quidam Practici commendant trochiscos alKekengi ad ʒ. j. cum liquore idoneo exhibitos, quia diuretici sunt, vrinæ acrimoniam obtundunt, & itupefacit.

Dolore admodum vrgente, non inutile est, dum vrina redditur, penem demergere in lac tepidum, vel decoctum maluæ, & sem. papau. albi. Imò & aqua sola tepida non parùm conducit, ad huiusmodi dolorem, & ardorem minuendum.

Pro potu leue decoctum maluæ, cum syrupo violaceo, aut conserua rosarum agitatum erit vtilissimum.

Ad eundem verò ardorem leniendum, fiunt etiam iniectiones in vesicæ ductum, ex lacte, emulsione sem. frig. aqua plantag. sero lactis, quibus addi potest liquor. albuminis oui probè concussi, vel trochiscor. alKekengi ℈. j.

Externa etiam remedia ad huiusmodi ardores temperandos non parùm conducunt, qualia sunt balnea, vel semicupia, & fomenta pubi, & perinæo admota, ex decocto herbarum refrigerantium parata. Linimenta ex oleo rosac. nymphææ, vnguento rosaceo, refrigerante Galeni, populeone cum caphura, & mucilagin. psyll. extr. cum aqua plantag. Renibus etiam, & iecori admouenda epithemata refrigerantia, & linimenta prædictarum ea, quæ ad iecoris, & renum intemperiem calidiorem supra proposita sunt.

Quando humores acres, & bilioſi fluunt ab hepata, ab eorum derivationem conueniet causticum tibiæ dextræ, tùm apertio hæmorrhoidum, quæ omnibus renum, & vesicæ affectibus vtilissima est; iuxta Aph. 11. sect. 6. quandoquidem ab eodem ramo splenico ad renes, vesicam, & hæmorrhoides venę dissemınantur.

PRAXEOS MEDICAE
LIBER DECIMUSQUINTUS.
DE MORBIS MVLIERVM.

PRAEFATIO.

MORBI mulierum appellantur ij, qui mulieribus proprij sunt, & a vitio illius partis emanant, quæ mulieribus propria est, vteri *nimirùm, de quo non sine ratione dixit Democritus in epistola ad Hippocratem, & eum sexcentarum ærumnarum, & innumerarum calamitatum authorem esse. Nos igitur, vt affectus vteri præcipuos, & in Praxi Medica frequentius occurrentes quadam methodo exponamus; eos ita diuidemus vt alij vasis vteri dependeant; alij in ipso* vteri *corpore, illiusque cauitate resideant; alij verò præcipuam illius actionem, & opus nobilissimum, nempè generationem respiciant. A vasis vteri male affectis & causis præternaturalibus, ea obsidentibus, dependent choloroſis, mensium suppressio, & fluxus immodicus, fluores albi seu fluor muliebris, fluor vterinus, & hysterica passio. In ipso vteri corpore, illiusque cauitate resident inflammatio vteri, scirrhus cancer, gangræna & sphacelus, hydrops vteri, procidentia, & clausura. Illi autem affectus generationi quidem officere possunt, sed tantùm per accidens. Affectus verò totum generationis opus, nempè conceptionem, grauiditatem, & partum respicientes, sunt sterilitas morbi acuti, & chronici prægnantium, abortus, partus difficilis, fœtus mortuus, secundinę retentæ, fluxus lochiorum immodicus, suppressio lochiorum, tormina à partu, & morbi acuti puerperarum. Quos omnes affectus breuissima ratione, quantùm rei dignitas ferre poterit, elucubrare aggredimur.*

CAPVT I.

De Chloroſi, seu pallidis virginum coloribus.

HIc affectibus ab Hipp. Chloroſis, à recentioribus febris alba, febris amatoria, morbus virgineus, pallidi virginum colores, & icterus albus appellatus.

Definiri potest, vitiosus corporis habitus, ab obstructione venarum hepatis, lienis, ac mesenterij, & præcipuè earum, quæ sunt circa vterum, quam sequuntur plerumque grauitas membrorum palpitatio cordis, difficultas spirandi, rerum absurdarum appetitus, & alia symptomata.

Pendet igitur hic affectus immediatè ab obstructionibus partium infimi ventris, præcipuè earum venarum, quæ sunt circa vterum, quæ liberum sanguinis affluxum ad vterum impediunt, vnde ille copia luxurians in virginibus, quando menstruæ purgationes apparere incipiunt, si ab illis obstructionibus impediantur, sanguis refluit ad partes superiores, & cor, hepar, lienem, diaphragma, aliasque partes opprimit, earum-

earumque calorem natiuum obruit, & vasa obstruit, vnde vitiosa fit in viscеribus concoctio, & hinc crudi humores in toto corpore cumulantur, qui ad habitum corporis dilati, cachexiam excitant; in reliquis verò partibus varia symptomata producunt. In hypochondrijs enim viscerum intumescentiam pariunt, à qua diaphragma comprimitur, vndè difficultas spirandi emergit. Qui verò sanguis crassus, & flatulentus spiritus per venæ cauæ, & magnæ arteriæ ramos ad cor deferuntur, quorum noxam hoc excutere contendens, ne suffocetur, frequenti arteriarum motu eluctatur; palpitatio cordis emanat, quam etiam temporum pulsationes frequentes consequuntur. Præterea cibi fastidio huiusmodi virgines frequenter corripiuntur, quia ob malam concoctionem, & distributionem, ventriculus magna crudorum excrementorum copia refertus est. Quæ excrementa vitiosam ex peculiari quadam corruptela qualitatem adepta prauorum eduliorum, imò & rerum absurdarum minimè alibilium appetentiam inducunt, vt salis, aromatum, gypsi carbonum, cinerum, & similium, qui affectus pica, & malacia nominantur, & à nobis inter affectus ventriculi, capite proprio fusè explicantur.

Causæ obstructionum, quæ in venis vteri, & hypochondriorum contingunt, sunt humores crassi, viscidi, & crudi, ex praua plerumque victus ratione geniti. Virgines enim ista largo aquæ frigidæ potu hora somni, vel manè ieiuno stomacho vtuntur: aliæ acetum, olera, fructus immaturos, vel ipsam niuem, & glaciem auidissimè deuorant: vndè calor partium natiuus obruitur, & magnus fit crudorum excrementorum prouentus: aliæ nimio somno indulgent: aliæ otio immodico, vt quæ, fuendi causa, puluinaribus toto die affixæ, maximo sæpè frigore torquentur: aliæ intempestius vigiliis, & exercitationibus vtuntur; vt choreis, statim à pastu, quas in longam noctem cum suis amatoribus perducunt, quibus vt plurimum accedunt grauissimæ curæ, & varia animi pathemata, ex quibus coctiones ordinariæ plurimùm euertuntur, & multa cacochymia inducitur.

Diagnosis ex sequenti symptomatum seriæ manifesta euadet.

Primò sese offert facies, & totius corporis color pallidus, & subalbidus; interdum verò plumbeus, liuidus, aut virescens. Cum enim in hoc affectu humores crudi, pituitosi ac serosi abundent, & ad habitum corporis deferantur, colorem toto corpori inducunt, & si pituita, bilis, aut melancholia permisceatur, color inde subflauus, virescens, aut liuidus efficitur.

Secundò, inflatio & quædam intumescentia in facie, & palpebris apparet, præcipuè post somnum, quia per noctem concluſus calor plures vapores eleuauit, quàm dissipare potuerit. Crura quoque & pedes, præcipuè circa malleolos intumescunt, totumque corpus laxum, & molle euadit, ob eodem, pituitosorum, ac serosorum humorum abundantiam.

Tertiò, & grauitas, & segnities totius corporis adest, crurum ac pedum tensiua lassitudo, deuolutis sua grauitate humoribus ad partes illas decliuiores.

Quartò, respiratio difficilis est, præsertim cum se vehementer mouent, aut loca alta, & accliuia conscendunt. Tum enim sanguis crassus incalescit, ex coque multi vapores eleuantur, qui difficultatem spirandi pariunt.

Quintò, cordis adest palpitatio, & pulsatio in arterijs temporum, dum corpus commouetur, & exagitatur, propter eandem euaporationem, quæ ab humoribus crassis excitatur, aucto per exercitationem calore.

Sextò, dolor capitis grauans, ac diuturnus sæpè ægrotantes affligit, & interdum in occipitio, dum vterus compatitur; in syncipite verò, ac fronte, dum ab hypochondrijs magis vapores eleuantur.

Septimò, pulsus est celer, & frequens, vt febricitare videantur, & ideò hic affectus dicitur febris alba, propter illam pulsus frequentiam, quæ talis efficitur, quia cum facultas vitalis debilis sit, vndè pulsus paruus emergit, natura paruitatem frequentia cogitur compensare.

Octauò, somnus grauis est ac profundus, ita vt ad meridiem vsque somnum producant, nisi expergiscantur, qui à vaporibus crassis ac copiosis, ex illuuie pituitosa eleuatis, excitatur.

Nono, ingens adest ciborum, præcipua euchymorum fastidium, propter maximam humorum crudorum in ventriculo, ac vicinis partibus collectionem; qui humores, deteriorem tandem conditionem adepti, picam, & rerum absurdarum appetitum inducunt.

Denique malo ingraueſcente, & multiplicatis obstructionibus, suppressio mensium tandem consequitur, quæ prouectum affectum, ac veluti confirmatum ostendit.

Quod ad prognosin attinet. Affectus iste vt plurimùm periculosus non est, & ad longum tempus perseuerat. Si tamen nimium negligatur, & altas radices agere permittatur, ita vt magna nutritionis deprauatio contingat; partium naturalium graues affectus, vt scirrhi, alijsque tumores, tum etiam propriæ substantię corruptiones contingunt quæ per hydropem, febres longas, aliosque graues casus ad interituro perducunt.

Quando leuior est affectus, & à venarum vteri obstructionibus potissimùm oriundus, in iuuenculis virginibus coniugio feliciter curatur.

Mulieres, quæ diutiùs hoc affecto laborarunt, aut steriles fiunt; aut prolem morbosam, debilem, ac parùm vitalem edunt.

Magna salutis spes elucet, quando menstrua status periodos repetunt, & debita quantitate, & qualitate donata progrediuntur.

Curatio huius affectus perficitur obstructionum apertione vitiosorum humorum ex toto corpore vacuatione, & intemperiei viscerum correctione, eorumque roboratione.

Obstructiones auferuntur ijsdem remedijs, quæ in obstructionum hepatis, & lienis curationibus fuere proposita; additis nonnullis, quæ vterum respiciunt, & ad venarum eius obstructiones referendas magis appropriata sunt.

Primò igitur medicamentum purgans exhibendum est, laborantis naturæ, & temperamento congruum, ex benignioribus compositum, vt primam tantùm regionem euacuet, idque præmisso clystere, si aluus non sit libera.

Posteà verò venæ sectio erit celebranda, si affectus non fuerit inueteratus admodùm, & puella valdè exanguis, vel ad cachexiam inclinans. Vena autem brachij ab initio erit aperienda, quamvis menstrua suppressa fuerint. Si enim ex pede sanguis tunc temporis detrahatur, maiores fient venarum vteri obstructiones, aucta earum plenitudine. Ex brachio denique sinistro sanguis detrahetur, si lien magis obstructus sit; è dextro verò, si hepar obstructiones magis inuaserint.

Educta ex sanguinis quantitate, quæ necessaria fuerit, solemnis purgatio instituenda est apozemate aperiente, & purgante, quale in obstructionis hepatis curatione fuit propositum. Cui addentur herbæ vtero peculiares, vt artemisia, matricaria, pulegium, & si lien obstructus fuerit, addi etiam poterunt, quæ illum peculiariter respiciunt, vt cortex capparis, ceterach, scolopendrium. Si verò biliosum fuerit temperamentum, & calidioris, & siccioris hepatis indicia apparuerint, calidiora omnia simplicia apozemati erunt detrahenda, & aperientia frigida eorum loco substituenda.

In puellis delicatioribus, loco apozematis iuscula in dicta curatione obstructionis hepatis descripta, vsurpari poterunt, eiusdemque simplicia immutari, vt de apozemate dictum est.

Interim fotus, & linimentum, dicto loco descripta, admoueri debent, non solùm regioni hepatis, sed etiam lienis, & vteri.

Peracta solemni purgatione, paretur sequens balneum, ad vasa aperienda, & relaxanda, & materiam obstructionum fundendam, atque digerendam. Cuius tanta est efficacia, vt aliquando viderimus, quibusdam ægrotantibus menstruas purgationes in tertio aut quarto balneo profluere incæpisse, quæ per longum tempus antea delituerant.

℞. Rad. althææ, liliorum, enula campanæ, bryoniæ, cucumeris agrestis, ana ℔ß. ij. foliorum maluæ, violariæ, Mercurialis, pulegii, matricariæ, melissæ, an. M. iiij. seminis lini, & fœnugr. leuiter contusi, ana Vnc. ij. Coquantur in aqua fontis pro balneo, quod ingrediatur tepide, bis in die, sine sudore, longè à pastu, per biduum, singulis diebus decocto renouato.

Postridiè vltimi balnei, si mensium suppressio adfuerit; aperiantur venæ inferiores, & emittatur sanguis ad Vnc. iij. Idque bis, aut ter repeti poterit eo tempore, quo menses fluere solebant. Aut si nunquam adhuc apparuerint, quo tempore ægra magis affici, & grauiùs laborare solita est.

Absolutis hisce remedijs, ad viscera roboranda, & obstru-

structionum reliquias conterendas conueniet opiata aperiens, & roborans dicto loco descripta. Cui vtiliter fæcula bryoniæ, & sal artemisiæ vtriusque ad Drach. ij. addi poterunt.

Quia verò non rarò adeò contumaces sunt obstructiones, vt primis remedijs non cedant; in hoc casu syrupus magistralis parari poterit, ex materia apozematis præscripti, aucta purgantium dosi, quo vtetur ægra bis, aut ter in mense.

Pilulæ etiam vsuales erunt efficacissimæ, quales in dicta obstructionis hepatis curatione fuerunt propositæ, quibus vtiliter addentur remedia ex tartaro vitriolato, & chalybe composita, ibidem descripta.

Zacutus Lusitanus *obseru. 99. lib. 2.* proponit historiam cuiusdam mulieris, quæ chlorosim per decennium cum mensium suppressione passa erat, & varijs purgantibus & aperientibus remedijs, quibus chalybs etiam accesserat, curari non potuerat. Hanc ipse curauit conserua artemisiæ, triginta dierum spatio exhibita, superbibendo aquam stillatitiam sabinæ, in qua per noctem rhabarbarum maduerat.

Idem Zacutus *obser. 117. lib. 3.* aliam proponit historiam cuiusdam virginis, quæ multo sale sese ingurgitans, ex diuturno, atque assiduo illius vsu incidit in diarrhœam biliosam, cum tabe implicatam. Quam ipse curauit post totius prouidentiam lacte caprino chalybeato, & frigidis hepati applicitis.

In contumacissimis, & diuturnis obstructionibus caustica cum tibię dextrę, vel sinistrę (pro vt hepar, aut lien afficitur) inustum, plurimùm conferre poterit.

Reseratis magna ex parte obstructionibus, humores pituitosi, ac serosi, tum in venis residui, tum præcipuè in habitu corporis stagnantes per sudores resoluendi sunt. Cui vsui conueniet decoctum guaiaci in naturis frigidioribus, vel radicis chinæ, ac salsæ parillæ in calidioribus, per quindecim, aut viginti dies exhibitum. Hac cautione adhibita, vt quarto, aut quinto quoque die, intermisso sudore, cathartica detur quod humorem circum viscera collectum, præparatum, ac concoctum (ad sudores ineptum) per aluum detrahat. Alioqui intus, si resistet, ibi obdurescens, & putrescens, febris, & aliorum morborum occasio erit. In eundem finem thermæ sulphuræ vsurpari poterunt, quales sunt nostræ Balerucanæ, tam potu, quàm balneo. Potu enim istarum aquarum, expeditis priùs, & liberatis vijs, remedijs antea propositis, detergitur, excluditurque humor in prima, & secunda corporis regione contentus, per alui & vrinæ profluuium, tertia verò regio, excitatis à balneo sudoribus, ab humorum sarcina liberatur.

Ac denique congressus, si legitimè fieri possit; post deobstruentium remediorum vsum, erit vtilissimus: illo enim calor naturalis in partibus naturalibus multùm excitatur, quo vteri vasa impensè dilatantur. Et docet experientia interdum prima coniugij nocte pallidis istis mensium fluxum excitari: alijs verò, quæ optima fruuntur valetudine, tempus consuetum anticipare.

CAPVT II.

De Suppressione Mensium.

MEnsium suppressio adesse dicitur, quando in fœmina, ætate matura, quæ nec lactat, nec grauida, sanguinis per vterum euacuatio, quæ naturaliter singulis mensibus fieri consueuit, rarius, aut parcius procedit, aut omnino supprimitur.

Causa illius suppressionis vel ad vterum referenda est vel ad vasa illius, vel ad sanguinem, qui per illas fluit, aut fluere debet.

Vteri varij morbi suppressionem istam efficere possunt, intemperies nimirum frigida, & sicca, densando, & constringendo corpus vteri: vel calida, & sicca, partem eandem exsiccando, vel eiusdem alimentum exurendo, vnde praui humores generantur aliqui parti infixi liberum mensium effluxum prohibent. Morbi etiam organici eiusdem partis, nempe inflammatio, vel scirrhus, distorsio osculi interioris, vel compressio, facta à tumoribus partium vicinarum, aut omenti crassioris, ipsius vteri densitas, & crassities nimia, vlcera, & cicatrices ab ijs relictæ, aut ex laceratione cotyledonum in violento aborsu.

Vasa vteri non rarò obstructiones patiuntur, quia frequentissima est causa mensium suppressionis, ab humoribus frigidis, & crassis oriundæ. Interdùm etiam à constrictione earum venarum suppressio hæc contingit, quæ fit à partibus vicinis distentis, vel tumefactis, vt de ipsius vteri adstrictione dictum est.

Sanguis quantitate, qualitate, vel motu peccans, causa esse potest suppressionis mensium. Quantitate peccat aucta, vel imminuta. Aucta, si nimia copia in venis redundet: tunc enim venas nimiam distendit, vt sese contrahere nequeant ad expulsionem; quemadmodum vesica nimis replera vrinam emittere nequit ob eandem distensionem. Imminuta verò, quia paucus, & imminutus sanguis in corpore retinetur ad illius nutritionem.

Sanguis qualitate peccat, dum crassior, & viscidior est ex se, & propria natura, propter frigidam hepatis, aliarumque partium intemperiem, vel ex humorum crassorum, pituitosorum scilicet, aut melancholicorum permixtione, vnde plerumque obstructiones oriuntur.

Motu vero peccat, cùm per alias vias excernitur, vt per nares, vomitum, sputum, vrinas, hæmorrhoides, & multas alias partes. Vidi puellam, pustulam habentem in capite, quæ singulis mensibus aperiebatur, & satis copiosum sanguinem fundebat. Multas vero vidimus sanguinem periodicè per pulmonem reijcientes, quæ euacuatio purgationis menstruæ vicem gerebat.

Causæ externæ suppressionem sanguinis promouentes, sunt frigidior aer, & siccior, vt Aquilonia tempestas; ingressus præceps in aquam frigidam, aut nimia in ea mora, præcipuè dum fluunt purgationes menstruæ, cibi pauciores, vel copiosiores, crassiores, & frigidiores, vel adstringendi vi præditi; calidiores etiam id faciunt, vt nimius salis vsus, & aromatum, exsiccando hepatis, aliarumque partium substantiam, & sanguinem ipsum absumendo, atque exasfando, vnde crassitiem acquirit, obstructionibus efficiendis idoneam: exercitationes vehementes, & vigiliæ immodicæ, sanguinem valdè absumentes: somnus diuturnus, & otium immodicum, calorem natiuum eneruans, & cruditates multiplicans: excreta, & retenta, naturæ limites excedentia, vt hæmorrhagia narium, aut hæmorrhoidum, diarrhœæ, aliæque euacuationes diuturnæ, per vomitum, vrinas, aut sudores. Ac denique animi pathemata grauiora, vt iracundia vehemens, timor subitus, mœror perseuerans, zelotypia, grauis, & similia.

Diagnosis suppressionis mensium ex ipsius ægrotantis relatu mutuanda est. Sed quia illa vel à causis præternaturalibus procedit; vel à naturalibus, puta grauiditate, signa vtriusque suppressionis distinctiua proponenda sunt, ne Medicus à Mulierculis, grauiditatem ex illegitimo concubitu contractam tegere conantibus, decipiatur; neue remedia menses prouocantia grauidæ mulieri temere præscribat.

Primò igitur grauidæ vt plurimùm naturalem retinent colorum, qui in alijs valdè immutatur, & pallidus, ac fœdus efficitur.

Secundò, symptomata, quæ grauidis in principio accidere solent, in dies paulatim mitescunt: contrà verò in simplici mensium suppressione, quò diutiùs menses subsistunt, eo magis symptomata augentur.

Tertio, in grauidis post tertium mensem, motus, & situs infantis sensibiliter percipitur, admota ventri inferiori manus in aliis verò sentitur quidem aliquis tumor, sed œdematosus, ac minimè durus, qui circumscriptionem non habet semper cum vtero limitata.

Quartò, si osculum vteri interius a perita obstetrice tangatur, non ita exactè clausum, vt in grauidis, percipitur; sed potiùs durum, contractum, & quodam dolore affectum.

Quintò, grauidæ vt plurimum hilares sunt, & parum in animi pathematis mutantur: contrà verò in suppressione mensium plerumque mœstæ fiunt, & tristitia afficiuntur.

Signa causarum in hunc modum se habent.

Vteri vitia, quæ suppressionem mensium efficere valent, sequentibus capitibus erunt explicanda; maxima tamen pars eorum ex relatu ægrotantis, inspectione item, & contractu earum partium percipi potest.

Obstructiones, & angustiæ vasorum vteri cognoscentur ex labore, & molestia, quę in lumbis, & partibus vtero vicinis instante potissimum menstruæ purgationis tempora

perci-

percipiuntur, & si quid tunc temporis effluat, mucosum, subalbidum, aut sub nigricans apparet. Affectus verò partium vicinarum, qui vteri os, aut venas occludere possunt, ex proprijs signis appa rebunt.

Sanguis in venis redundans sese euidenter profert ex venis admodùm distentis in cruribus, & brachijs. Tum si fœmina carnosior, & rubicundior euaserit, cibisque lautioribus sese per multum tempus impleuerit. Defectus verò sanguinis erit conijciendus, si fœmina obesior fuerit; si febrem diuturnam, longam inediam, aut cibi fastidium passa fuerit. Praua verò sanguinis qualitas, ex prauo corporis habitu, hepatis, aut aliarum partium vitio, & præsertim ex ipsius sanguinis consideratione, si tantillum ex eo effluat, innotescet. Motus verò sanguinis præposterus, quando nempe per alias vias effluit, per se satis sensibus manifestatur.

Quod ad prognosin attinet: mensium suppressio periculosissima est, ex eaque multi, atque grauissimi morbi oriuntur, & quidem alij in ipso vtero, vt tumores, abscessus, & vlcera: alij in toto corpore, variisque partibus, vt febres, obstructionis, cachexię, cibi fastidium, hydrops, cardialgia, tussis, difficilis respiratio, lipothymia, ophthalmia, mania melancholia, capitis dolor, arthritis, & alij non pauci. Progressum noxarum, quæ ex suppressione mensium oriuntur, eleganter proposuit Hippocr. *lib. de morbis mulierum*, his verbis. Tertio mense post suppressa menstrua, incipiunt sentire suffocationes, & horrores, lumborum grauitatem, & quandoque febrim. Quod si suppressio diutius perseuerat; iam illi obdurescit venter, vrina copiosior mingitur, cibi fastidium, & vigiliæ ingraueſcunt, ita vt inter dormiendum dentibus strideat, & si adhuc retineantur, quinto mense his, omnibus, & maximè doloribus vrgebitur grauiùs, sed sexto mense insanabilis morbus redditur, qui antea curari poterat. Et cum hoc anxia fit, & animo linquitur, pituitam vomit, siti magna vexatur, dolebunt partes ventris, & pectinis, febris accedit, supprimenturque alui excremēta, atque vesicæ, spina dorsi dolore vexabitur, estque & quasi balbuties. Post hac autem intumescunt crura, pedes, vēter, & vrina mingitur rubra, sanguineaque, & dolor totum occupat corpus, maximè collum, spinam, & inguina, atque sic moriuntur, scilicet ex hydrope. Hæc Hippocrates. In hoc contextu dubium facit, quod dicit author sexto mense morbum esse insanabilem: contrarium enim docetur experientia: & ipse Hippoc. 4. *epid.* refert ancillam quandam, cui per septenium suppressa fuerant menstrua, illis tandem redeuntibus, sanitati fuisse restitutam. Conciliari potest Hippocrates cum se ipso, dicendo, vltra sex menses morbum esse insanabilem, quando menstrua in ipso corpore, aut cauitate vteri retinentur, quia ibi putrescunt, aut suppurantur, vt in retentis lochijs contingit: hoc tamen non de quacunque suppressione esse intelligendum.

Minùs periculosa est illa suppressio, quæ à multitudine sanguinis laudabilis exoritur, vel à pinguedinis copia, hæmorrhagia, & vacuationibus alijs, causæ enim illæ, si non multùm inualuerunt, tolli facilè possunt.

Difficiliùs verò curatur, quæ è succorum grauitate, vasorum obstructione, vel anguitia dependet: quia rebellis iste humor, in penitiores illos meatus insinuatus, non nisi multis remedijs, & diuturna opera, cuius mulierculæ sunt impatientes, educi potest.

Suppressio mensium, quę ex proprio vteri affectu proficiscitur, omnium pessima est: quia pars illa, per idiopathiam læsa, difficilè curari potest, ob perpetuum excrementorum affluxum, quorum receptioni ea maximè disposita est; ita vt corpori totius sentina, ac cloaca à nonnullis nominetur.

Curatio huius affectus pro causarum varietate variè instituenda est. Ac primùm si à nimia copia sanguinis suppressio oriatur; illius quantitas minuenda est phlebotomia, in brachio larga manu celebrata. Si enim venæ inferiores priùs aperirentur, traheretur magis sanguis versus vterum, vbi maiorem obstructionem, & vasorum distentionem efficeret, cum ruptionis eorundem, aut etiam vteri inflammationis periculo.

Sublata plethora, & sanguinis multitudine, sanguis ad inferiora retrahendus est, apertis venis inferioribus circa illud tempus, quo anteà laborans purgari consueuerat; tum etiam frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, tàm siccis, quàm scarificatis.

Hisce præmissis, partes vterinæ emolliendæ, & relaxandæ sunt fomentis, semicupijs, & inunctionibus humectantibus, & emolientibus. Quibus si affectus pertinacior fuerit; addere poteris purgationes hystericas, & particularia medicamenta, menses mouentia, quæ in posterum proponentur, eligendo ex ijs, quæ interiora, & magis temperata fuerint.

Si propter sanguinis penuriam menstrua non procedant vt post febres diuturnas, magnas euacuationes, & quauis corporis insigni extenuatione; eorum prouocatio molienda non est, priusquam conuenientibus alimentis, puta analepticis, corpus instauratum fuerit, & sufficiens sanguinis copia procreata, ac morbus omnis, qui extenuationis causa esse potest, debitè expugnatus. Quibus præstitis, vt plurimùm contingit, menstrua sponte profluere. Quod si non fiat, & natura sui muneris oblita ad pristinum officium non reuertatur: apertis venis inferioribus, erit incitanda, cum alijs remedijs supra descriptis, ita tamen, vt quantitas sanguinis, qui educetur, valdè sit moderata, metu virium iam dejectarum, & ne ægra in tabem præcipitetur. Hic autem diligenter est aduertendum, quamuis corporis extenuationem penuriam sanguinis non indicare; sed eam tantùm, quæ magnis euacuationibus, alijsque causis consumentibus succedit. Fit enim interdum, vt menses suppressi, & in venis retenti, prauam accersant qualitatem, ob quam alendis partibus minimè idoneus sanguis efficiatur; vnde corporis macies, & extenuatio succedit, licet venæ multo sanguine, prauo tamen refertæ maneant, & tum temporis venæ sectio, etiam larga manu celebrata, plurimùm conferre solet. Quod quidem luculento Galen. experimento confirmatur, qui *comment. 3. in lib. 6 epidem.* *Ego*, inquit, *cuidam mulier culæ, iam octo menses purgationis menstruæ suppressione laboranti, extenuatissima cùm esset, haud exiguo detracto sanguine, breuissimo tempore proprium habitum restitui, sicut, & alias nō paucas eodem modo ad sanitatem reduxi. Sed quòd illi mulieri accidit (neque enim erat ignobilis) fuit valde celebre. Ipsi quidem rescissa vena est. Medicis ex remedio futuram vtilitatem firmiter polliceri verentibus, quin etiam nonnulli mihi aduersari audebant non solùm propter mulieris maciem; sed etiam propter inappetentiam, ex venæ sectione sequuturam esse noxam affirmantes. Profectò hæc melius est longiori sermone persequi, quam vtrius Prodici Hippocrates mentionem fecerit diligenter inuenire conari. Vtrum recentiores Medicis ad magis sophisticam doctrinæ speciem deflexerunt ægrotis euenientia diligenter obseruare & ipsorum affectus causasque, ex quibus curationis inuentio acquiritur, indagare negligentes, quæ & ipsa per experientiam diiudicatur. In muliere jane quam mormoraui, primo die sanguinis sesquilibram detraxi, rursùm posterò die libram vnam, tertio non multò plus semilibra, erant enim vnciæ octo.* Hæc Galenus. Quibus patet, in mulieribus, mensium suppressione laborantibus, etiam extenuatis, sanguinem larga manu interdum esse detrahendum; quamvis huius sęculi mulieres tantam sanguinis euacuationem, quæ Galeni temporibus educebantur, ferre minimè valeant.

A motu sanguinis præposterò suppressio mensium cōtingit, quando is per narium hæmorrhagiam, vomitum, aut sputum, aut hæmorrhoidas, aliaque non naturalia excernitur: eiusque curatio perficitur, repellendo sanguinem à partibus, per quas fluit præternaturaliter, eundemque retrahendo ad vteri vias. Primum perficitur (dum sanguis per superiora loca irrumpit) lotione brachiorum, capitis, & faciei, ex aqua frigida, & priuatione exercitij earundem partium, præcipuè cantus, & vociferationis. Secundum verò absoluitur venæ sectione partium inferiorum, facta biduo, aut triduo, antequam sanguis erumpat: cucurbitulis femoribus, & suris adhibitis, interdum siccis, sæpè etiam cum scarificatione; prouocatione hæmorrhoidum frictionibus, ligaturis, deambulationibus, fomentis, semicupijs ex herbis aperientibus, inunctionibus, pessarijs, clysteribus vterinis, alijsque infra describendis. Præcipuè verò commendatur balnei naturalis vsus, sulphurei, ac bituminosi, quod laborans pluries ingrediatur, longè à pastu, dummodo aqua hypochondriorum regionem non superet: eodemque tempore, superiores partes flabello refrigerandæ sunt, nec calido balnei aere etiam incalescant.

Si per hæmorrhoides fluat sanguis, & ab vtero auertatur difficilima erit curatio. Si enim trahentibus ad inferiora vtaris, eadem ad sedem trahent. Si verò adstringentia sedi adhibeas, ea etiam propter vicinam repellent, quæ feruntur ad vterum. Hæc igitur vna medendi ratio conferre potest,

rerit, vt postquam trahentibus ad inferiora vsus fueris, localia vtero adhibeas, quæ humorem commotum magis ad vterum alliciant.

At verò omnium frequentissima est, illa mensium suppressio, quæ fit ab obstructionibus venarum vteri. Cuius curatio eadem propemodum est cum ea, quæ in pallidis virginum coloribus fuit proposita, nonnullis tantùm additis, quæ vterum magis specificè respiciunt.

Primò igitur ea omnia sigillatim vsurpari poterunt, quæ ad chlorosis curationem fuere descripta. Et vt plurimum contingit, vt reseratis viscerum obstructionibus menses sponte profluant. Quorum tamen eruptionem adiuuare poterunt, quæ motum humorum ad inferiora promouent; vt sectio venarum inferiorum, circa consuetam menstrorum periodum celebrata; vel vicariæ eius cucurbitulæ, coxis, & suris admotæ, tum sicca, tum scarificatæ: frictiones earundem partium, & ligaturæ dolorificæ.

Si rebellior affectus prædictis remedijs non cedat, ad ea progrediendum est, quæ peculiari virtute, & proprietate specifica menses promouere valent, quæ sub varijs formulis vsurpari solent. Ac primùm pulueres efficacissimi, & gustui gratiores ita comparantur.

℞. Cinnam. & succini, an. ℈. j. croci ℈. ß. Misce, fiat puluis sumendus aliquot matutinis. Vel

℞. Pulu. radic. rubiæ tinctorum, & sacchari pulueriz ati, an. ʒ j Misce, diuidatur in tres partes quarum vna detur tempore mensium, cum vino calido, summo mane in lecto, in quo maneat ægra benè cooperta per horas quinque. Si non fluxerint menses, rursùs in secunda periodo exhibeatur secunda pars. Si adhuc non apparuerint; rursùs in tertia. Vel

℞. Rad. aristol. rotundæ ʒ. ß. fol. sabinæ sicc or. ʒ. j. ß. dictamni cretici, & trochiscor. de myrrha, sine assa fœtida ob fœtorem, an. ʒ. j. cinam. electi ʒ. ij. sacchari albi. ʒ. ij. Fiat omnium pulvis subtilissimus, de quo capiat ʒ. ij. manè per aliquot dies, cum iusculo cicerum rubrorum, in quo cinnam. ʒ ij. croci Drach. ß. bullierint.

Pilulæ præstantissimæ in hunc modum componuntur.

℞. Trochisc. de myrrha Drach. i. castorei ℈. mez. Cum succo artemisiæ fiant pilulæ paruæ.

Inter familiaria remedia, & euporista habentur flores lauendulæ cum melle per multos dies comesti, vel conserua flor. calendulæ ad ʒ. ii. exhibita.

Maximas autem habet vires sanguis hirci syluestris, tum etiam domestici, ad menses suppressos educendos, iuxta præparationem, & dosin, in pleuritidis curatione propositam.

In calidioribus naturis cremor tartari per plures dies vsurpatus in iusculo, vel decocto aliquo melanagogo, menses suppressos promouet.

At maximè laudantur pilulæ Montagnanæ, quæ ita se habent.

℞. Trochisc. de myrrha Drach. j. mez. sem. petroselini, castorei, cinam. an. ℈. j. moschi gr. x. Cum succo apij formentur pilula xxij. deauratæ, capiat duas manè, vel in ingressu lecti per aliquot dies. Vel

℞. Rad. rubiæ tinctorum, & aristol. rotundæ, an. Drach. ij. agar. & cinam. an. Drach. j. croci scrup j. Cum succo artemisiæ fiat massa pilularum, cuius dosis est Drach. j.

Fermentum vetus à multis commendatur, magnitudine castaneæ cum pari sach. quantitate, per tres dies continuos exhibitum. Magis tamen proderit, si puluis trochisc. de myrrha, dictamni, aut similis permisceatur.

Decocta vsitatissima sunt, eorumque vtilissima in hunc modum se habent.

℞. Rad. petrosel. & rubiæ maioris, an. ʒ. ij. cicerum rubr. P. ij. Coquantur ad ℔. j. ß. In colatura dissolue puluer. cinam. ʒ. j croci ʒ. ß. mellis q. s. Misce, capiat ʒ. vj. calidè, manè, bis in die, antequam menses prorumpant; vel etiam ijs fluere incipientibus, si lentè procedant. Vel

Rad. apij, asparagi, fœniculi, an. ʒ. j. fol. matricariæ, capill. veneris, nepetæ, pulegij, an. M. j. coquantur ad ℔. ij. Colat. Vnc. iv. adde syrupi de artemisia Vnc. j. Bibat calidum bis in die, vt supra. Vel

℞. Rad. cyperi, angelicæ, valerianę, & rub. tinct. an. ʒ. mez. fol. artem. pulegij, sabinæ ana M. mez. sem. dauci, & seseleos, an. ℈. j. dictamni cretici ʒ. j. mez. cinam. electi ℈. iv. croci scrup. j Fiat decoct. ad Vnc. iv. in Colat. dissolue syrup. de artem. & hyssopo an. Vnc mez. Fiat iulep. prodosi vnica, quę alternis diebus exhibeatur.

Quercetanus in Pharmacopœa duo decocta valdè commendat, quorum primum ita se habet.

℞. Milij solis, anisi. vi sci querciui, an. ʒ. iij. dictamni cretici ʒ. j. croci ℈. j. Contundenda contundantur & macerentur per viginti quatuor horas, in vino albo generoso. Deinde parùm buliant. De hoc decocto exhibe Unc. iv.

Alterum decoctum ita describitur.

℞. Solenem bouis integrum. Hunc in frusta incisum in phialam vitream capacem inijce, ita vt ad medietatem vsque impleatur; addendo cinnam. crasso modo contusi ʒ. i. caryophyll. ʒ. ß. croci ʒ. ii. vini albi optimi q. s. ad humectandam solùm materiam. Uas probè clausum ponatur in B. M. ferentissimo, adeò vt ebulliat per vigintiquatuor horas, donec splen in particulas minutissimas coctus & consumptus fuerit, magnaque iuris exquisitissimè cocti, & fragrantissimi copia restet, do quo æ ra capiat manè Vnc. iv. continuando per quatuor, aut quinque dies cùm menses fluere debent.

Aquæ stillatitiæ cæteris liquoribus præferendæ sunt, vtpotè gustui gratiores, & quæ propter subtilantiæ tenuitatem facilius penetrant ad vasa vteri obstructa. Præ cæteris sequens à Mercato, Roderico à Castro, & Sennerto commendatur.

℞. Panem ferè ad fermenti naturam redactum, mediocriter coctum, & calidum, cui ablato cortice adde mellis ʒ. xij. pulueris seminum vtricę dauci, ameos anisi, & fœniculi, ana ʒ. j. trochisc. galliæ mosch. myrrhæ rubiæ ana ℈. j. cotulæ fœtidæ ʒ. ß. Infundantur omnia in ℔. iij. infrascriptæ decoctionis, quæ recipit phaseolorum rub. cicerum rubr. ana P. ß. seminis iuniperi Vnc. j rad. rubręiusci, raphani syluestris, asparagi, apij, & petrosel. an. ʒ. sem. chamędr. recentis M. j. ameos, anisi, fęniculi, an. Unc. ij. Coquantur omnia secundum artem. Deinde in B. M. stillatitium liquorem extrahes, cuius Vnc. ij. summo manè laboranti porriges. Addi etiam potest syrupus capill. ven. de duabus rad. de artemis. Dosis etiam sequentibus diebus augeri potest, si ventriculus non offendatur.

Guaiaci, aut sassafras decoctum in pituitosis corporibus vtile est, etiam cum dictamno cretico, si per duodecim, aut quindecim dies sumatur, sine sudoris prouocatione, illius experimentum refert Iacchinus in nonum Rhasis: cap. 66. *Ego inquit lignum Indicum coxi, & adiunxi dictamnum. Vnde mulieri, quæ iam per quinque annos nihil purgabatur, & sterilis erat, & purgationem euocaui, & partum.*

Chymici commendant tartarum vitriolatum, spiritum tartari, mixturam spiritualem, sales artemisiæ, melissæ radic. chelidoniæ, valerianæ.

℞. Theriacę vet. Vnc. v. myrrhę tubræ Alexandrinę Unc. ij. ß. cinam. electi, croci, orientalis, ana Drach. sem. camphoræ Drach. ij. Affunde optimum vini spiritum, ad eminentiam trium digitorum, & in leni calore tincturam extrahe. Cui per inclinationem effusæ adde spiritus tartari sextam partem. Dosis cochlear. j. cum vino, aut aqua appropriata.

Dum prædicta remedia vsurpantur, clysteres frequenter iniecti maximè conueniunt, ob incumbentem recto intestino vterum, & ita componi possunt.

℞. Rad. lil. Unc. j. irecos. valerianę an. Vn. ß. Mercurialis M. ij. artem. sabinæ, an. M. j. flor. chamem. lauendulæ, an. P. j. sem. carui, nigellæ, an. ʒ. j. Coquantur ad ℔. j. Incolatura dissolue hierę simplicis, & benedictæ laxatiuæ, an. Unc. ß. olei chemerini vn. ij. electi de baccis lauri, ʒ. sem. Misce, fiat clyster.

Imò verò purgationes, per interualla repetitæ, erunt præstantissimæ, quæ varijs modis institui possunt.

Ac primùm laudantur maximè à Gal. pilulæ de hiera simplices, & compositæ: quia præterquam quòd educant conuenienter humores superfluos, habent etiam facultatem vias aperiendi, & expurgandi vterum. Uel

℞. Aloes ʒ. i ij. massæ pilul. coch. min. dr. j. Cum succo sabinæ formentur ex dr. j. pilulæ xv. de quibus exhibeantur n. iij. vij. ad x. ante prandium, tertio quoque die. Vel

℞. Aloes dr. j. Rhab. electi. dr. j. ß. diagrand. ℈. i. myrrhæ, rad. asari, ana dr. ß. spicæ ℈. i. Cum syrupo de artemisia fiat massa pilul. Dosis à ℈. ii. ad dr. i. Vel

℞. Massæ pilular. cochar. minor. dr. sem. Mercurij dulcis gr. xx. Cum syrup. rut. solut. formentur pilulę v. vel vi. capiat summo mane.

Externis verò mensiu m suppressorum prouocatio adiuuari solet topicis sequentibus, ad vias dilatandas, humores attenuandos, & facultatem expultricem excitandam.

Ra-

℞. Radic. bryoniæ, lilior. cyperi, valerianæ, angelicæ, iſari, iteos, & petroſelini, an. ℥.j. fol. artemiſ. lauri, rutę, ſabinę, thymi, rorimar. pulegij, nepetæ, maluæ, Mercurialis, ana M.j. flor. ſambuci, chieri, chamomillæ, ana P.ij. gran. iuniperi ℥.ij. Coquantur in aqua & vino albo. Colatura foueantur venter, & inguina cum ſpongia.

Eodem decocto, aucta doſi, poteſt parari ſemicupium, in quo ægra vmbilico-tenùs ſedeat, & herbæ coctæ ſacculo incluſæ ventri applicentur. Caueat tamen à ſudore, qui menſes potiùs ſiſtit.

℞. Ol. lil. aneth. & rutacei, ana ℥.j. ſem. Vini generoſi ℥.iij. iunci odorati, rad. cyclam. angelicæ, ariſtol. vtriuſque, fol. ſabinæ, an. ℥.ſem. Bulliant ad vini conſumptionem. Coletur, & exprimatur oleum, quo inungatur regio pubis, & pudendorum, calidè poſt fotum, vel ſemicupium.

Suffitus humidi fiunt ex vapore decocti fotus, & ſemicupij, quod modicè calens operiatur patella perforata, cui annecti debet fiſtula oblonga, quæ collum matricis attingat excipiatque fumum manè, & ſerò veſtibus contecta.

Siccus ſuffitus ita confici poteſt.

℞. Caryophyll. cinnam. macis, an. ℥.ij. bac. iuniperi ℥.ſem. ſeminis nigellæ ℥.j. ſtyrac. calam. Drach. ij. Fiat puluis craſſior, qui carbonibus injiciatur, fumuſque excipiatur, vt ſuprà. Vel

℞. Styrac. calamit. ℥.ij. thuris ℥.j. benioini, aliptæ moſc. ana ℥.ſem. Caryoph. ligni aloes, cinnam. an. ℈.ij. Cum mucilag. gummi tragacanth. cyttacta cum aqua cinam. Fiant trochiſci pro ſuffumigio.

Peſſaria in hunc modum fieri poterunt.

℞. Fol. Mercurial. contuſ. M.j. pulueris hieræ picræ, & benedictæ laxatiuæ, ana ℥.ij. pulu. ariſt. longæ ℥.j. mellis, & ſucci Mercurialis q.ſ. Fiat peſſarium. Uel

℞. Agarici, myrrhæ, ana ℥.ij. galbani Drach. ſem. croci ℈.j. Cum melle deſpumato fiat peſſarium, quod linteo raro inducatur, & non diu in vtero relinquatur, metu inflammationis.

Pilulæ cochiæ minores in parui peſſarij formam redactæ menſes egregiè mouent.

Iniectiones etiam in vterum fieri ſolent quæ metrenchytę, ſeu clyſteres vterini appellantur: abluunt enim ſordes, vteri parietibus adhærentes, & orificia vaſorum interna reſerant. Parantur autem ex decocto fotus præſcripti, demptis acrioribus, vel ficuum pinguium cū artemiſia pulegio, Mercuriali; vel ex ſolo ſucco Mercurialis depurato, in quo parùm benedictæ laxatiuæ ut diſſolutum. Ad acriora enim aſcendere nefas eſt, metu inflammationis. Imò poſt vſum iſtorum, quæ intus per horam tantùm vnam morari debet, vtile erit decoctum maluæ, hordei, & violarum injicere, vel parùm hydromel. ſero caprillo diluti.

In affectu inueterato cauteria, tibijs admota, plurimùm conferre poterunt. Quam viſe enim illa à Sennerto reprobentur, ex eo quòd ab vtero potiùs deriuent, & humoribus, qui cum ſanguine ex vtero fluere ſolent, aliam viam concilient, & inclinationem eorum ad vterum prohibeant; attamē maximè prodeſſe Mercurialis, Uarandæi, & aliorum frequentibus experimentis comprobatum eſt. Per iſta enim vlcuſcula ſuperflui humores perpetuò vacuantur, & humorum curſus ad inferiora dirigitur. Ac tantum abeſt vt humorum ſuperfluorum deriuatio ab vtero fluxum menſium auertat; quin potiùs eum prouocet, ſanguinem puriorem, & naturæ regiminis magis obedientem efficiendo, qui cū dictis humoribus ad cauteria retrahit. Adde, quod iſti humores, niſi per has vias reducantur, retenti in venis, obſtructiones geminent, & ita ſuppreſſionem augeant. Exiſtimamus tamen, reſtitutis menſtruis purgationibus ad naturalem ſtatum, cauteria eſſe occludenda, vt natura per vterum ſuperflua excludere aſſueſcat.

In prædictorum remediorum vſu quædam præcepta notatu digniſſima obſeruanda ſunt.

Primùm, nunquam tentandum eſſe remedijs menſes mouētibus, niſi præmiſſis vacuationibus vniuerſalibus; ne humores, ad venas vteri copioſiùs promoti, obſtructiones augeant, aut valdè attenuati ad partes alias irruant, & grauia mala producant. Quemadmodum narrat Schenkius in obſeruationibus, quemdam Medicum Venetum mulieri, ſuppreſſione menſium laboranti, non euacuata priùs pituita, venas obſtruente, apozema quoddam dediſſe, quo aſſumpto paulò poſt illa in paralyſin incidit.

Secundum, In menſes mouentium exhibitione à leuioribus eſſe incipiendum, ad validiora ſenſim progrediendo.

Tertium, Medicamenta menſes mouentia in maiori copia eſſe exhibenda, quia eorum virtus retunditur in via à ventriculo ad vterum.

Quarum, Medicamenta prædicta eſſe exhibenda, vel horis matutinis ieiuno ventriculo; vel etiam aliquando ſub ingreſſu, aut egreſſu balnei; ita enim in calidum, ac ſolutum corpus illabens medicina, vires ſuas potenter exerit; & multo adhuc efficaciùs, ſi antè venarum inferiorum apertionem illa exhibeantur.

Quintum, Peſſaria, & clyſteres vterinos nuptis, & viro vtentibus duntaxat præſcribi debere; virginibus vero fomenta, inſeſſus, & ſuffumigia ſufficere.

Sextum, In biliоſis, aut melancholicis temperamentis calidiora omnia medicamenta eſſe deuitanda, ac mitiora tantùm vſurpanda, ijſque aperientia temperata, & humectantia, atque emollientia eſſe permiſcenda.

CAPVT III.

De Fluxu menſium immodico.

MEnſium fluxus moderata quantitate, ac debito tempore procedens, naturalis eſt; ſi verò quantitatis modum excedat, vel frequentiùs redeat, vel diutiùs perſeueret, immodicus, ac præternaturalis cenſendus eſt.

Cauſæ menſium fluxus immodici eædem ſunt, quas in hæmoptyſis productione concurrere, ſuo loco diximus: nempe anaſtomoſis, diapedeſis, diæreſis, & diabroſis, quę fiunt à ſanguinis quantitate nimia, caliditate, tenuitate, vel acrimonia, ictu, caſu, aut vulnere, quæ in hæmoptyſis theoria fuſiùs expoſita ſunt, vt hic repetere non opus ſit. Ideò lectorem ad dictum caput perlegendum remittimus.

Diagnoſis ad ipſum affectum, illiuſque cauſam dirigenda eſt. Fluxum menſium immodicum, & præternaturalē oſtendunt difficilis tolerantia; virium lapſus, inappetentia, cruditas & cachexia, calor cadaueroſus, pedum intumeſcentia & alij affectus grauiores, qui caloris natiui exſolutionem conſequuntur.

Cauſarum verò diagnoſis in hunc modum inſtituenda eſt.

Per diapedeſin ſanguinem fluere oſtendunt, rarus corporis habitus, & carnium mollities, cibi, & potus vſus, ſerum multiplicare idonei: ac præſertim ipſe ſanguis dilutus, ac ſeroſus, qui facilè in linteis dignoſcitur.

Per anaſtomoſin, vel rhixin ſanguinem fluere oſtendunt, vulnera, caſus, aut contuſiones prægreſſæ, ſaltus, clamores, & geſtatio ponderis inſoliti in corpore plethorico, & multo ſanguine referto, vel igens æſtus, frigus immodicum, coitus immodicatus, iracundia inſignis, & ſimilia. Idem contingit poſt partus laborioſos, vel ab imperita obſtetrice miniſtratos, poſt aborſus, vel diuturnam menſium ſuppreſſionem, quæ collectum nimia copia ſanguinem, confertim deinde effluere facit.

Diabroſi ſeu vlcerationem in vtero factam indicant, ſanguis paulatim extillans, cum ſenſu doloris, & acrimonię, humores ſalſi, & acres in corpore redundantes. Sanguis verò effluens primò ſanioſus, ichoroſus, nigricans, aut flauus profunditur, poſtmodùm verò, ſi vlceratio augeatur, fruſtula quædam partis deraduntur, à quibus deinde magna ſequitur ſanguinis effuſio, quam ſiſtere difficile eſt. Præceſſerunt cauſæ, cacochymiam generantes, vt vſus ciborum acrium, ſalſorum, putridorum, & ſimilium.

Prognoſin quod attinet, Omnis hæmorrhagia copioſior, vel diuturnior periculoſa eſt, præcipuè ex vtero, quæ non ſolùm indiuiduo; ſed etiam ſpeciei noxia eſt.

Diapedeſis omnium minimè periculoſa eſt, quia minorem efficit caloris, & ſpiritum iacturam, diutiùs tamen perdurat, propter crudioris, & ſeroſioris ſanguinis prouentum.

Rhixis, & anaſtomoſis maius inferunt periculum, quia magnam ſubitò profundunt ſanguinis copiam; citiùs tamen curantur, quia corporibus benè ſanis, & plethoricis vt plurimùm contingunt.

Diabroſis verò omnium difficillima eſt, quia in vlcere ſit ſubſtantiæ deperditio, quæ nouum iſtarum partium coalitum impedit.

Si virium debilitas, & ſymptomatum vehementia nullo modo minuantur, ſed in dies augeantur, ægræ interitum portendit.

In

In senescente muliere menstruorum nimius fluxus plerumque incurabilis, & lethalis est.

Curatio mensium fluxus immodici eadem fere esse debet, quæ ad immodicum hæmorrhoidum fluxum fuit proposita.

Primò enim phlebotomia reuulsionis gratia in brachio celebranda est, partitis vicibus, & digito per vices foramini admoto. Magna copia sanguis detrahendus est, quantùm vires ferre possunt. Testatur Hollerius *comment. Aph.* 50. *sect.* 5. se multas vidisse mulieres, quæ detracto multo sanguine è vena, conualuerunt, cum nullis alijs remedijs posset reprimi fluxus sanguinis.

Frictiones, ligaturæ, & cucurbitulæ, ad reuulsionem etiam conueniunt, vt in dicta curatione, præcipuè verò mammis, iuxta Aph. Hipp. citatum: *Mulieri, inquit, si placet menstrua sistere cucurbitulam quàm magnam ad mammas appone.* Si tamen admota cucurbitula difficultas spirandi oriatur, subitò auferenda est.

Purgatio pariter eadem, vt in dicta curatione, conuenire potest: eaque semel, aut bis in hebdomada erit repetenda, donec impuritati viscerum & venarum sit prouisum. Sublatis enim biliosis, & serosis humoribus, qui sanguinem fluidum reddunt, ipse sponte consistit. Si serum magis abundare videatur; radix mechoacan cum rhabarbaro conuenit.

Purgatio etiam per vomitum potenter reuellit, & ab Hipp. laudatur 2. *de morb. mulierum.* Blanda autem debent esse vomitoria, & frequenter iterata, aut etiam digito in os immisso vomitus prouocari poterit. Imò verò sufficiet, eritque vtilissimum, ante prandium vomitum ciere, attamen non vomere, sed solùm id tentare.

Postmodùm iulepi, pulueres, opiatæ, pilulę, aliaque remedia incrassantia, & adstringentia, in dicta curatione proposita hic etiam conuenient, additis etiam narcoticis, si vrgeat necessitas. Quibus sequentia vtiliter addi poterunt, à doctissimis viris experta.

℞. Cortices duorum ouorum recentium vstos, thuris, mastiches, ana Unc. sem. margarit. præparat. coralli rubri præp. carabes, ana dr. j. lapid. hæmatit. smaragdi præp. ana ℈. sem. farinæ hordei sine furfure P. ij. albumina ouorum numero iv. & si opus fuerit, adde parùm aquæ chalybeatæ, & fiant duæ placentæ, quæ in furno coquantur, vt possit in puluerem redigi. Dosis à dr. sem. ad dr. j. cum iusculo pedum veruecis summo mane. Hoc puluere multas mulieres hoc affectu satis antiquo curatas fuisse testatur Ioannes Michael Paschalius. Laudatur quoque puluis solus corticis qui ad dr. j. exhibitus in aurora per aliquot dies, & habetur pro secreto.

Forestus sequentem puluerem commendat, quem dicit esse vnum ex arcanis præceptoris sui Helidęi. Accipit turturem moderatè pinguem ab intestinis repurgatum, & lotum vino rubro adstringente, & aqua rosacea. Deinde mastiche Unc. j. in ventre ponit, & assuit, ne elabi possit: atque in vero ad ignem rotat, & inter assandum, loco buryri, aceto rosaceo aspergit, pinguedinem ex eo defluentem colligit, & vsui seruat. Post perfectam assationem, turturem in ollam nouam vitream conijcit, lutho philosophico obturatam, & in furnu calidum immittit, vt turtur perfectè exsiccari possit; quem postea in puluerem redigit. Cuius cochleat vnum exhibet omni manè, cum aqua plantaginis, aut decocto adstringente. Et pinguedine reseruata regionem renum pubis, & inguinum inungit.

Nostrates mulieres vulgare habent remedium ex floribus chamęleontis, quibus lac condensare solent. Exhibent cum iusculo, aut alio liquore. Aliæ vtuntur coagulo hædi, vel leporis ad ℈. sem. quod & sanguinem fluentem sistit, & concretum in vtero dissoluit.

Succus plantaginis inter aliqua remedia præstantissimum censetur à Galen. si recenter extractus ad ℥. ij. vel iv. exhibeatur.

Solenander dicto succo colophoniam addit, & infallibile remedium asserit, his verbis. *Ad constringendum menstruum rubeum antiquum, Accipe succi plantaginis cyathum vnum. Impone dr. j. colophoniæ puluerizatæ, & tribue ægræ. Id fiat quater, & erit curata infallenter Deo dante.*

Succus millefolij huic vsui etiam conuenientissimus est, si eius ℥. ij. vel iij. exhibeantur cum syrupo corallorum, aut alio conuenienti.

Succus vrticæ prædictis non cedit, vel etiam efficacior est: exhiberi potest solus, vel alijs permixtus: vel ex ijs fieri potest syrupus ad vsum frequentem.

Aqua ex tenerrimis, & rubentibus quercus folijs extracta prædictum profluuium sistit.

Sequens autem aqua valdè efficax à Mercato in hunc modum componitur.

℞. Panem ex amylo, farina hordei, & oryza confectum. Affunde aquæ chalybeatæ ℔. vij. Quibus adde rosar. rubr. sicc. P. iij. succi plantag. ℔ j. t. ad. consolidæ maior. virentis, & conquassatæ ℥. ij. caudæ equinæ M. j. cacnis pyrorum agrestiũ & cydoniorum, ana ℥. ij. portulacæ M. ij. boli armen. Unc. j. balaust. & santal. omnium, ana Unc. sem. Destillentur omnia per alembicum, huius aquæ capiat ℥. iij. cùm syrupi de portul. aut de rosis siccis ℥. sem.

Pro fœmellis delicatioribus poterunt parari iuscula ex decocto pedum vituli, & fol. plantaginis, vel sanguinariæ. Vel ad incrassandum sanguinem, poterit fieri iusculum, ex aqua rosarum pura, & vitellis ouorum recentibus. Ijsdem quoque confert conserua fructus cynorrhodi, frequenter exhibita, præsertim si calida hepatis intemperies adfuerit.

Ad omne sanguinis profluuium Practici vtuntur oxycrato, largo haustu per os exhibito. Verùm in mensium fluxu pertimescendum est, quia vtero (vtpotè parti membranosæ) est inimicum.

Inter specifica recensentur radix filipendulæ, & cortex radicis mori, quorum pulueres exhibentur ad dr. j. cum liquore idoneo.

Flores nucum, quando sunt maturi, & cadere incipiũt, collecti, & in puluerem redacti exhibeantur ad dr. j. cum vino calido manè per plures dies. Ex hoc medicam ne omnes habentes fluxum menstruorum sanantur, vt testatur Solenander. Specifica etiam vi suffocationibus vteri medetur.

Spica nardi tenuissimè puluerata, & sumpta ad drac. j. cum liquore idoneo, menstrua cohibet; tùm etiam si ex ea nascale componatur.

Lac chalybeatum per plures dies epotum in affectu inueterato multùm prodest: humorum enim acrimoniam contemperat eosdemq; incrassat, corpus reficit, & fluxui resistit. Hoc commendat Auicenna, Rhasis, alijsque Arabe, & Augenius ad cælum extollit. Cauendum tamen ab eo est, vbi aliquid vitiosi humoris in corpore superesse suspicio fuerit.

Aquæ minerales acidulæ, vitriolatæ, ferratæ, vel aluminosæ in fluxu diuturno cohibendo, causis eiusdem auferendis; & visceribus roborandis; plurimùm conferunt.

Chymici tincturam, coralliorum valde commendant, tum etiam vitriolum Martis, & multa alia è suis Authoribus repetenda.

Pro potu vtatur ægra decocto mastiches, vel millefolii, lentisci sicci. In vino etiam lignum lentiscinum infundi poterit, eoque nigro, & austero, quo maximè viscera roborantur, & fluxiones cohibentur.

Diligenter obseruandum est, in affectu inueterato, multùm adstringentia, & incrassantia non esse diu vsurpanda. Periculum enim est, ne meatus obstruant, occludant, & constringãt; atque ita obstructiones generẽt, & visceribus præcipuis (quę insigne damnum in hoc affectu recipere solent,) plurimùm officiant. Sed multo præstabilibus est hepar roborantibus insistere quæ quidem adstringunt: attamen tam moderatè, vt adstrictione obesse nequeant.

Ludouicus Septalius *lib. 7. Animadu. medic. art.* 144. decoctum corticum arantiorum, tanquam remedium certum, ita commendat, vt propria eius verba transcribere non inutile fuerit. *Post inquit, huiusmodi remedia ex ratione facta, cum ea, quæ, aut incrassandi facultate, aut adstringendi maximè conuenientur, vnum in præsentia omittendum nullo modo esse censui, quo infinitas propemodùm mulieres ab hoc morbo liberaui, inter secreta aliquando reseruatum, post adolescentibus, qui sub nostra tutela ad praxim medicam addiscendam exercentur, etiam communicatum, nunc omnibus ad communem vtilitatem, commune factum: quo ferè numquam frustratus sum, modo ab exulcerato aliquo vase vtero fluxus in menstruorum aliquam non habent occasionem. Est autem omninò euporiston, & facillimè parabile. Recipit autem aquæ ℔. viij. In qua incoquo corticis trium arantiorum acidorum, aliquanto adhuc subuiridium, aut illos in phillyras incido, & excoquo ad duarum partium consumptionem, & facta colatura Unc. viij. vel ix. potandas manendo. Quod si valentius medicamentum parare hoc ipsum volo, manipulum herbę pilosellæ in fine excoquendum addo. Validius adhuc redditur, si in aqua Villensi decoctio fiat, aut si in octo libris aquæ fiat, vbi duæ tertiæ partes per coctionem absumptæ fuerint, & excolatum reliquũ chalybe indito ignito sæpiùs, adhuc magis roboretur.*

Exterius verò topicis medicamentis fluxus mensium immodicus cohiberi solet,

Ac primùm fomenta in hunc modum parari poterunt.

℞. Rad. bistortæ, tormentillæ, & corticum granatorum, an. ℥. ſ. fol. plantaginis, centinodiæ, bursæ pastoris, equiseti, ana M. j. nucum cupressi, balaustiorum, granorum myrti, sumach. an. ℥. j. Bulliant in aqua ferrata, & vino austero. Colatura foueatur regio pubis valdè tepidè.

Item spongia marina in aceto forti bulliat, quæ supra pubem mulieris posita menstrua potenter sistit.

Semicupium ex priori decocto fotus paratum, aucta dosi, etiam conuenit. Sed cauendum, ne calidum administretur, sed tantùm subfrigidum: alioqui calore suo vasa vteri magis aperiet. Efficacissimum est balneum decoctionis alumnis; sed sterilitatem inducit.

Linimentum, vel vnguentum post fotum, vel semicupium admouendum est pubi, perinæo, & lumborum regioni, in hunc modum compositum.

℞. Olei myrtini, de mastiche & cydoniorum, ana ℥. j. bolli armenæ, sanguinis draconis, & Karabes, ana drach. j. aceti cochlear. j. Fiant linimentum.

Vel admoueri poterit vnguentum comitissæ, aut vnguentum de bolo recenter dispensatum, vel ceratum sequens summè efficax,

℞. Picis nauallis ℥. sem. thuris masculi ℥. j. mastich. ℥. sem. terebinthinæ ℥. j. sang. draconis, rosar. rubrar. ana ℥. ij. Fiat ceratum, renibus applicandum.

Emplastra etiam vmbilico, & lumbis vtiliter admouentur, & massa emplastri contra rupturam, pro matrice, de mastiche, solis, aut simul mixtis: vel ex massa, emplastri de Vigo pro factutis, quod præstantissimum est, & absque calefactione operatur.

Cataplasmata sequentia multò efficaciùs operantur, & in largo sanguinis profluuio, vnde vitæ periculum immineat, plurimùm possunt.

Parantur autem, si vel bolus armena cum succo plantaginis, & pauco aceto incorporentur, & admoueantur. Vel pulueris gypsi ℔. j. cum gummi arabici rorrefacti ℥. x. & quatuor albuminibus ouorum incorporentur, & placentulis gossipij emplastrentur partes prædictæ. Dicit Solenander, hoc cataplasma omnem muliebrem fluxum sistere vno die.

Benigniùs operatur, & specifica quadam vi potius, quàm adstrictione, cataplasma ex vrtica cocta in sartagine, pubis regioni admotum.

Iniectione etiam fiunt in vterum per metrenchytem, ex succo plantaginis solo, qui valdè est efficax, & à Practicis celebratus. Ex succo polygoni idem præstari poterit. Tum ijsdem succis addi interdum solent mucilaginis gummi tragacanthæ ℥. j. amyli ℥. j. aquæ peculi rosarum ℥. iij. Et in vterum infunduntur. Vel

℞. Fol. Polygoni, plantag. millefolij, bursæ past. caudæ equinæ, ana M. sem. Coquantur ad ℔. sem. In colat. dissolue acaciæ dr. iij. sang. dracon. boli armen. & lapid. hæmat. an. ℥. j. Misceantur, fiat clyster vterinus.

Suffitus ex aceto supra laminam candentem effuso, & in sella perforata receptus, vtilissimus est. Vel in hunc modum componi poterit.

℞. Thuris, mastiches ana ℥. ij. myrtillorum, ladani, ana ℥. j. succini, rosarum rubr. balaustiorum, ana ℥. sem. Cùm infusione tragacanthæ in aqua rosarum, fiant trochisci pro suffumigio.

Suffitu ranarum combustarum testatur. Ioannes Michael Paschalius, se fœminam quandam curasse, quæ septem ferè mensibus hoc fluxu laborauerat. Idem etiam suffitum vngulæ mulæ hunc fluxum mirificè sistere, expertum esse scribit.

Pessaria adstringentia hic etiam vsurpantur. Quæ tamen parum vtilia sunt, cum vix ad orificia venarum aperta possint pertingere. Si tamen venæ ceruicis vteri apertæ sint, locum habere possunt, & in hunc modum componi.

℞. Succi plantag. vel centinodiæ ℥. ij. pulu. trosch. sc. de carabe, & acaciæ, an. dr. j Misceantur cum albumine oui, & panno serico inuoluantur. Fiat pessarium. Vel

℞. Pulu. hypocystidis, acaciæ, boli armeni, sang. draconis, rad. consolidæ, anagallidis, gallarum, ana dr. sem. Succi portulacæ, vel plantag. vel syrup. de rosis siccis, aut myrtillorum q. s. Excipiantur bombace.

Parantur etiam pessaria ex folijs portulacæ, plantag. aut polygoni, vel alterius herbæ conuenientis contusæ, & in linteo inuolutæ; aut ex vnguento comitissæ lana excepto, & vtero indito.

Neque omittenda est lotio tibiarum in aqua frigida, aut decocto adstringente, à Practicis vsitata, quæ cohibendo mensium fluxui non parùm confert.

Circa topicorum administrationem hoc aduertendum, ne scilicet adstringentia medicamenta, saltem fortiora admoueatur, priusquam reuulsiones sufficienter celebratæ fuerint, præsertim illa, quæ venæ sectione perficitur. Periculum enim est, ne tumores in vtero, aut grauiores alios affectus concitent. Ideò semper, quantùm morbum dare inducias poterit, tùm reuellentibus, tùm incrassantibus, atque adstringentibus internis curatio tentanda est, priusquam ad topica illa deueniatur.

Suprà descripta curatio fluxui mensium aptari poterit, siue ab anastomosi, siue à diapedesi, sine à rhixi, seu ruptione vasorum dependeat; adhibito iudicio. At si ab erosione, seu exulceratione oriatur: illius curatio erit instituenda, pro vt in vlceris vteri curatione docebitur.

In toto morbi decursu, dum prædicta remedia vsurpantur, viscerum roborationi, & correctioni sanguinis incumbendum erit, quemadmodum in fluxu hæmorrhoidum dictum est.

Ac denique sedato symptomate, prophylaxis ibidem instituta, hic etiam conferre poterit.

CAPVT IV.

De Fluore muliebri.

FLuor muliebris, vteri profluuium, seu menstrua alba dictus sit, quando humores excrementitij ex vtero profluunt, vel continentur, vel saltem nullo ordine, nullo que circuitu.

Illi autem humores excrementitij modò albi sunt, & pituitosi, sero lactis, aut hordei cremori persimiles; modò pallidi, aut flaui, aut virides, ex bilis permixtione modò aquosi, ex serosis humoribus: modo subnigri, ex humore melancholico admixto: modò acres, & erodentes, vt partes, vterinas exulcerent; modo tetri, & graueolentes, modò nullo odore molesti.

Fœminas adultiores, & ætate, maturas, plerumque malum hoc solet corripere; virgines tamen ab eo non semper sunt immunes, quod perperam nonnulli asserere ausi sunt, viarum anguſtiam accusantes & temere pronunciantes corruptas esse virgines, quibus fluores albi promanãt. Et enim si virgines satis amplas habeant vteri venas, vt per earum ductus menses ordinarij fluere valeant; quidni etiam fluores albi per easdem vias stillare poterunt; cum sæpè materia illius fluoris ipso sanguine tenuior, & fluidior sit, & vtpote serosa, vel biliosa? Idipsum confirmat experientia, à doctissimis Medicis prolata, & quoti diano vsu à nobis etiam confirmata, castissimas, atque integerrimas virgines, de quibus nulla corruptionis suspicio esse potuit, hunc affectum passas esse. Et testatur Fernelius, se puellam vidisse octauo ætatis anno, hoc malo obsessam, ac diu postea grauiter afflictam.

Generantur autem humores isti excrementitij vel in toto corpore, vel in aliqua parte principali, vel in ipso vtero.

Si à toto corpore isti profluant humores, vel ex prauo alimento; vel ex vitioso, & habituali totius corporis temperamento generantur, & ad vterum confluunt, tanquam totius corporis sentinam, ac veluti cloacam, ad quam reliquæ partes sese exonerant.

Partes verò peculiares, quarum consensu in hoc morbo vterus afficitur, potissimùm sunt cerebrum, ventriculus, hepar, lien, mesenterium, & vesica, quæ sua excrementa ad partes debiliores, & receptioni magis dispositas mandant.

In vtero generantur humores isti excrementitij, quia proprium alimentum commutare nequit, ob debilitatem retentricis, aut concoctricis, ideò illud maiori parte in excrementitium humorem facessit, cùm imperfectè conficiatur, vel potiùs corrumpatur. Imperfectè conficitur, in frigida vteri intemperie: corrumpitur, in calidiori. Et cum vterus ex concoctionis defectu nutritione sua frustretur, nouum alimentum continuò attrahit, quod in excrementum conuersum, ab eo tanquam inutile expellitur, ac noua omninò fit attractio, vnde continuus, & copiosus fit praui illius humoris per vterum effluxus. Debilitatur vterus, & horum excrementorum receptioni magis idoneus redditur, & à grauiditate, partu, aborsu, contusione, inflammatione, abscessu, aut exulceratione.

Dia-

Diagnosis ad ipsum affectum, partem affectam, & causam illum producentem dirigitur.

Affectus ipse ex ægrotantis relatu facilè dignoscitur, eumque non ratò varia symptomata consequuntur: nempè color faciei pallidus, appetentia deiecta, nausea, spirandi difficultas, virium deiectio, oculorum tumor, & inflatio, mœror, & tristitia, vrinæ crassæ, & turbidæ, aliaque non pauca, quæ pro humoris peccantis diuersitate varia esse solent, vt inferiùs distinctè magis explicabitur.

Partem affectam, & locum, in quo humores excrementitij florem istum efficientes generantur, sequentia indicabunt.

In toto corpore materiam istam generari, indicant, lassitudo spontanea, & grauatiua, à qua leuatur ægra, copia humoris excreta, & rursus grauari incipit noua collecta materia, venarum plenitudo, torpor pedum, manuum, ac crurum, quę signa plenitudinem præcipuè ostendunt. Cacochymiam verò in toto corpore redundare significant, prauus totius corporis habitus, manuum, & pedum inflatione, pruritus, & mordacitas in toto corpore, si humor acrimonię sit particeps, & alia non pauca.

In aliqua verò parte peculiari materiam peccantem ostendunt symptomata, & excrementa cuique parti proprio, & particularia. V.g. iecoris dolor, calor, aut tumor, & cum excrementis biliosis, iecur esse affectum significant; eadem verò symptomata in sinistro hypochondrio apparentia, cum excrementis, humorem melancholicum referentibus, ex liene fluxum procedere ostendunt. Pituitosa excrementa, nausea inappetentia, & aliquando ingens fames, frequens ciborum corruptio, & ructus acidi; vel nidorosi, certa sunt affecti ventriculi indicia.

Dolor capitis, spumosa excrementa, consueta per os, & nares euacuatio suppressa à capite humores affluere testantur. Si nulla prædictarum partium læsarum signa appareant ab ipso vtero fluxum procedere coniiciendum est. Præterea fœmina est boni caloris, materia fluens pauca est, cùm solius vteri sit excrementum. Præcesserunt causæ, vterum labefactantes, vt partus laboriosus, vel abortus, casus supra ventrem, aut dorsum, coitus immoderatus, præsertim si fœmina nimis iuuenis coniugio tradita sit; tumores, vlcera, aliique affectus vterum obsidentes, quorum signa proprijs capitibus proposita sunt.

Humorem verò, fluxum istum efficientem, testantur, in primis colores humoris effluentis in linteis, quibus ille excipitur, si, vt docet Hipp. 2. *de morbis mulierum*, lintea illa aretacta simplici aqua lauentur, ac in vmbra exsiccentur. Tunc enim manifestè colorem referunt humoris in excrementis dominantis; quibus addi possunt ex semeiotica generali signa humoris, in toto corpore redundantis.

Signa denique proponenda sunt, quæ istum affectum à consimilibus distinguere valent. Consimiles autem sunt, excretio materię purulentæ ex matricis vlcere, & gonorhœa.

A materia purulenta distinguitur, ex ipsius vlceris signis, proprio capite describendis, tum etiam, quia pus ipsum longè est crassius, & albicans, & minoris quantitatis, si ritè concoctum sit: si verò saniosum, & ichorosum fuerit, quodam cruore perfusum est, & interdum filamentis partium, & cum insigni doloris sensu exire solet; tum etiam mulieres, vlcera patientes in vtero, aut illius cervice, non admittunt coitum, nisi cum molestia, quæ affectum ipsum exasperat: quæ vero muliebre profluuium patiuntur, liberè, & patienter venereos amplexus sustinent. In gonorrhœa verò materia effluit in minori copia, crassitie, maiore, albedine splendidiore, & longioribus interuallis, ac rarissimè tætet; tum si gonorrhœa sit virulenta, ex impuro concubitu contracta, ex ardore vrinæ pudendi vsculis, alijsque signis malignitatem indicantibus, innotesceret.

Prognosis huius affectus ex vna parte bona est, ex altera verò mala. Bona dici potest, quatenùs vt plurimum vitæ periculum non infert: mala vero, quatenus affectus est contumax ac diuturnus, & curatu difficilimus: si quidem humorum superfluorum affluxus, qui semel hanc viam affectauit, difficilimè auertitur, cum vterus, vt anteà dictum est, sit sentina totius corporis, per quam, etiam in statu naturali, humores superflui singulis mensibus expurgantur.

Si grauior euadat affectus multa alia mala inducere potest nempè sterilitatem, vteri procidentiam, exulcerationem, cachexiam, hydropem, tabem.

Fluxus liuidus, cruentus, aut fœtidus, deterior est albo, pallido, & minimè fœtido.

Quò diutiùs durauerit hic affectus: eò curatu difficilior est.

Vetulas hoc malum plerumque ad mortem comitatur, ob pituitæ copiam, & facultatis concoctricis imbecillitatem.

Curatio huius affectus incipienda est ab vniuersali humoris peccantis euacuatione, quæ illius naturæ conueniat. Et quia huiusmodi fluxus à pituitosis, & serosis humoribus plerumque fieri consueuit, illos humores, purgantia medicamenta erunt præcipuè vsurpanda, ijsque cholagoga, aut melanagoga erunt admiscenda, pro vt biliosi, aut melancholici humores admixti fuerint. Præscribi ergo poterit apozema conueniens, alterans simul, & purgans, pro quatuor, aut quinque dosibus, pro solemni euacuatione, hoc continuò aduertendo, medicamentis purgantibus quædam astringentia, & roborātia esse permiscenda, ne humores commoti versùs vterum magis præcipitentur.

De venæ sectione dubitatur, an scilicet in hoc affectu conueniat. Cùm enim hic fluor à cacochymia dependeat, & illa per phlebotomiam ad venas attracta massam sāguinis inquinare possit; nullus videtur esse venæ sectioni locus. Adde, quod in chronico hoc affectu vires valdè deijciantur, & corpus non ratò ad tabem perducatur, hincque venæ sectione ampliùs labefactandum, & alimento suo fraudandum non videatur. Ita tamen deciditur. Quod si fluor ille non sit purus & solitarius; sed sanguini aliquo modo permixtus, & subruber appareat, tunc celebrari potest venæ sectio; tum etiam, si insignior sit iecoris caliditas, & biliosi succi acrimonia huic fluxui coniuncta. In alijs verò casibus, præsertim quando hic affectus inueterauit, melius est à phlebotomia abstinere.

Ligaturæ in superioribus partibus, & cucurbitulæ scapulis, & dorso ad reuulsionem erunt vtilissimę; tum præcipuè frictiones ex linteis primùm mollioribus, mox asperis, quibus quotidie Gal. vtebatur in vxore Boethi, quam intra tredecim dies curauit, vt ipse refert, *lib. de præcognitione ad Posthumum*, *cap. 8.*

Ac præter purgationem vniuersalem supra propositam vsuales etiam purgationes administrandæ sunt, & frequenter repetendę, vt magis illa excrementorum illuuies sensim educatur, & natura assuescat humores per aluum expurgare, qui ante ad vterum confluebant. In hunc finem syrupi magistrales, pilulæ, & opiatæ vsuales componi poterunt, ægrotantis temperamento, & humoribus peccantibus congruæ. In affectu pituitoso laudat Mercatus syrupum ex decocto ligni guaiaci, cum senna, turpetho, & agarico; tum etiam pilulas sequentes.

℞. Pilular. de hiera dr. j. agarici trochisc. dr. j. ß. Cum melle rosaceo fiant pilulæ xxv. quarum summo mane capiat laborans sex, aut septem, tertio quoque die: postea verò earum tres tantùm quinto, aut sexto quoque die. Vel ad magis astringendum simul, & purgandum, in quocumque temperamento, ita confici poterunt.

℞. Rhab. electi, succo rosarum frequenter irrigati dr. ij. myrobal. citrinorum, chebulorum, & indorum, infusorum in succo rosar. an. dr. j. mastiches ϑ. j. spicæ ϑ. ß. Cum syrupo rosaceo fiat massa pilularum, cuius dosis erit dr. j. bis in septimana.

In fluxu seroso radix ialapæ est præstantissima, eaque in hunc modum vsurpari poterit.

℞. Rad. ialapæ subtilissimè puluerizatæ dr. j. cinam. puluerizati ϑ. ß. Misceantur, & cum iure pulli fiat potio, quam sumat sub aurora.

Ptisana laxans, per mensem quotidie exhibita, contumax vteri profluuium curauit, quod aliis remedijs non cesserat, vt in obseruationibus nostris videre est:

Vomitus etiam in hoc affectu maximè commendatur in iis præsertim, quæ facilè vomunt, qui humores crudi, qui circa ventriculum cumulari solent, euacuantur, tum etiam ab vtero potenter reuelluntur. Inter idonea medicamenta ad concitādum vomitum, laudatur diasatum Fernelii cuius vnc. sem. data cum aqua mulsa, vel cùm oxymelitis Unc. i. & iure pulli tepido, bis, aut ter in mense, sine vllo labore vomitum ter, vel quater mouet.

Post sufficientes purgationes, ad discutiendas humoris superflui reliquias, sudores excitari poterunt, quibus etiam num fiet conueniens reuulsio fluxionis, ad vterum decumbentis. Huic rei conuenit decoctum guaiaci, & sassafras in pituitosis, vel chinæ, & salsaparillæ in biliosis, & melancholicis; additis etiam herbis refrigerantibus, vel temperatis, ne

magis iſti ſucci exaſperentur, & acriores euadant. Vel prouocabuntur ſudores herbarum calidarum decocto, vt nepetæ, calamenti, fœniculi, hyſſopi, enulæ, chamom. anethi, & ſimilium, cuius euaporatio in ſolio idoneo recipiatur. Ex quo etiam decocto balneum fieri poterit, à quo ſudores excitentur. At in calidioribus naturis ſufficiet balneum aquæ dulcis tepidè, in quo modici tantùm ſudores, blandique prouocentur.

Thermæ etiam ſulphureæ ſudores potenter excitant, & huius morbi reliquias abſumunt: harumque vſu nonnullas mulieres curatas vidimus, quę alijs remedijs reſtitui nequiuerant.

De diureticis non leuis eſt difficultas, an ſcilicet huic affectui conueniant; illa enim non ſolùm vrinas, ſed etiam menſtrua prouocant, calefaciendo ſcilicet, & attenuando humores, in venis contentos. Attamen ab omnibus Autoribus approbantur, & à Gal. ipſo, qui ijs vſus eſt in vxore Boethi. Et ratio eſt, quia diuretica vrines primariò prouocant, menſes verò ſecundario, & quaſi ex accidenti. Deinde renes continuò ſeroſam materiam attrahunt, vterus verò excipit tantùm. Vnde credibile eſt, maximam iſtarum humiditatum partem ad vias vrinæ profecturam.

Diureticum autem, in dicta muliere à Galeno vſurpatum, fuit decoctum aſari, & apij in aqua communi; attamen magis temperatum efficietur in aqua cichorij.

Magis compoſitum decoctum in hunc modum parari poterit.

℞. Rad. aſari, apij an. ℥. j. fol. calamenthi, ſoldanellę, an. M. j. fol. ſambuci M. ſem. polypod. & ſem. carthami, ana vnc. ſem. Coquantur ab ℔ j. Colaturæ detur ℥. v. mane. Et ſi purgans efficere volueris, adde decocto aliquid agarici, vel turpethi in ligatura incluſi.

Dubitatur de cauſticis tibiæ admouendis. Cùm enim humores alliciant ad inferiora, fluorem iſtum vterinum augere poſſunt. Attamen in diuturnis affectibus conuenire, experientia docuit, quòd per hęc emiſſaria inutilis materię portio educatur.

Si humores bilioſi, & acres in vitio fuerint, non ſolùm exhibenda ſunt purgantia cholagoga; ſed etiam alterantia, refrigerantia, incraſſantia, & leuiter adſtringentia, quales ſunt iulepi ſequentes.

℞. Fol. cichorij cum rad. endiuiæ, borrag. lactucæ, & portulacæ, ana M. ſem. iuiubarum, & ſebeſten recentium ana num. vij. ſem. quatuor. frig. maior. & papau. albi, ana Drach. ß. roſar. rubr. P. j. Coquantur ad ℔ j. In colat. diſſolue ſyrup. cydon. vel de roſis ſiccis Vnc. iij. Fiat iulep. pro iij. doſibus.

Si verò humores melancholici redundent, remedijs etiam, illos reſpicientibus, alterandi, & expurgandi ſunt.

Vtrique autem cauſæ maximè conferre poterit lactis chalybeati vſus per 40. dies exhibiti manè ad Vnc. iv. vel v. Cui addi poterit circa finem tantillum boli armenę, aut terræ ſigillatæ.

In toto curationis decurſu aduertendum eſt, an aliqua pars corporis vitio aliquo laboret, vt poſſit eſſe pars mandant illius fluxionis; atque ita illi parti erit medendum.

Si enim à cerebro fluentes humores huic morbo originem dederint, remedia ad eam partem dirigenda ſunt, præcipuè fluxionem reuellentia, & deriuantia, vt cucurbitulæ ſcapulis, & dorſo admotæ frequenter, errhina, maſticatoria, veſicantia, & cauſtica occipiti, vel brachio inuſta, quorum vicem, & multò efficaciùs ſubeunt ſetacea. Refertque Fabricius Hildanus *curat. 41. cent. 1.* ſe mulierem quandam diuturno, fluxu muliebri laborantem, & inde ortam ſterilitatem, adhibito ſetaceo curaſſe.

Si à ventriculo, hepate, aut alia quadam parte humores defluant, illi remedia appropriata adhibenda ſunt.

Corpore prępparato, & materia morbifica magna ex parte vacuata, vel deriuata ad roborantia, & adſtringentia veniendum eſt. Quę tamen nunquã ſunt adhibenda, donec antecedens materia probè euacuata, & deriuata ſit. Alioqui humores illi recenti ad partes nobiliores ruunt, & grauiora ſymptomata excitant. Quemadmodũ ſcribit Gal. *loco citato*, vxori Boethi contigiſſe, cui ab vſu adſtringentium præpoſtero venter intumuerat, retentis ſeroſis humoris, qui antea euacuari ſolebant. Illud etiam aduertendum, vt dum vtimur adſtringentibus, materia antecedens aliò diuertatur, illiuſque generatio prohibeatur remedijs prædictis. Inter præcipua roborantia theriaca recenſetur, in corporibus pituitoſis vſurpanda. Cui confertur roſarum, & abſinthij admiſceri poterit. Uel opiata ſequens erit componenda.

℞. Conſeruę anthos ℥. j. conſeruæ rad. acori vulgaris dr. ij. ſpecier. diarrh. abbat. & aromat. roſat. ana dr. j. coralli rubri prępparati ß. theriacę 3. ij. Cum ſyrupo condit. cortic. citri fiat opiata. Vel

℞. Conſeruæ roſar. antiquę rad. ſymphyti, bugloſſi, & cortic. citri, an. Vnc. j. coralli rubri vſti, raſurę eboris, bolli armenę, terræ ſigillatæ, ſang. drac. an. dr. j. Cum ſyrupo de roſis ſiccis fiat opiata.

Puluis ex ſaluia, ſalſap. & balauſt. ſumptus manè ſinguliſ diebus, cum iuſculo, eſt remedium aulicarum mulierum.

Zecchius ſequentem opiatam commendat, ſe cum fœlici ſucceſſu ſępè vſurpatam.

℞. Gummi arabici, tragacanthi, an. dr. ij. coral. vtriuſque, cinerum putaminum ouorum, cornu cerui, ſeminis anethi, ſuccini, an. ℈. iv. mellis roſat. q. ſ. Fiat opiata, cuius vnc. ß. horis duabus ante cibum deuoranda exhibeatur. Deinde ſtatim ſuperbibat ęgra aquę plantag. Vnc. iv. cũ vini rubri dr. ij.

Iulepi fieri poſſunt ex aqua roſar. centinodię, plantag. cum ſyrupis myrtino, de roſis ſiccis, & ſimilibus, adiectis quibuſdam pulueribus ex ſupradictis.

Mercurialis decoctum foliorum quercus cum coagulo leporis ſe in frequenti vſu habere teſtatur, eoque ſe multas mulieres hoc affectu laborantes curaſſe, idque remedium ita parat.

℞. Decocti fol. quercus. Vnc. v. vel vj. coaguli leporis dr. j. Capiat per viij. vel x. dies.

In affectu bilioſo ſequens ſyrupus roborans, aſtringens, & refrigerans parari poterit.

℞. Aquę roſar. ℔. iv. ſpiritus vitrioli q. ſ. vt aqua reddatur acidula, ac vix talis ſentiatur ad guſtum, roſar. rub. ſiccarum P. iij. Infundantur frigidè per biduum. Colaturæ adde ſacchari roſacei q. ſ. vt fiat ſyrupus.

Ac denique adſtringentia medicamenta, in menſium fluxu immodico deſcripta, huc transferri poterunt.

Pro potu ordinario conueniet bochetum ex radic. chinæ, vel ligno lentiſcino, cum vino adſtringente.

Dum adſtringentia, & roborantia vterum per os exhibentur, topica, & externa admouenda ſunt, videlicet fotus, ſemicupia, vnguenta, emplaſtra, iniectiones, ſuffitus, & peſſaria, qualia in fluxu menſium immodico præſcripta ſunt.

Antequam autem aſtringentia hæc topica in vſum reuocentur, vterus probè detergendus eſt. Alioqui impuritates illæ in eo retinerentur, quæ ſurſum remeantes, grauiorum morborum cauſa eſſent. In detergendo autem habenda eſt ratio humoris morbifici. Alia enim detergentia debentur humori pituitoſo, alia humori bilioſo.

Si humor ſit bilioſus, fiant iniectiones ex qua hordei, ſero lactis, aqua ſaccharata. Si verò pituitoſus ſit, parentur ex hydromelite, vel decocto abſinthij, matricariæ, & ſimilium.

Peſſarium detergens etiam fieri poterit ex theriaca, & terebinthina; vel ex ſolijs Mercurialis contuſis, & panno lineo ratò inuolutis.

Hiſce vtetur ante adſtringentia, donec vterus probè deterſus fuerit. Quod cognoſcetur ex nullo, aut pauco humorum per eam partem tranſitu.

Ab vſu detergentium ſuffitus primùm adminiſtrandi ſunt quia vterum exſiccant, & roborant. Iſque commodè parabuntur ex thure, ladano, maſtiche, ſantalis, nuca moſchata, roſis rubris. Poſtmodùm verò ad alia adſtringentia progrediendum erit.

CAPVT V.

De Furore vterino.

FVror vterinus eſt ſpecies maniæ, ab intenſo, & effrænato coeundi appetitu orta, qui mentem de ſede ſua deijcit; ita vt laborantes obſcœna & impudica verba paſſim effutiant, abiecta omni verecundia venerem furioſè expetant, & ad eam viros mittent.

Producitur immodicus iſte coeundi appetitus à ſeminis copia, acrimonia, & feruore, naturæ leges excedente quæ in vaſis ſeminalibus immodicè turgens, genitalia vehementer excitat ad veneris appetitum, eaque veluti inflammat. Ex ea verò materia vapores ad cerebrum tranſmittuntur, qui rationem perturbant, eamque è ſede ſua deijciunt, quamvis ipſe coeundi appetitus immodicus, ſine vaporum concurſu, per ſe rationem ſuperare poſſit, & obruere, quemadmodum

omnia

omnia pathemata vehementiora idem præstare possunt, præsertim amor immodicus, qui eroticus affectus nominatur.

Illas autem qualitates acquirit semen, quando nimis retinetur in corporibus salacibus, & multo calore præditis; atque adeò hic affectus virginibus, aut viduis iunioribus proprius est; quamvis etiam nuptis contingere possit, quæ scilicet ignauos habent coniuges, aut non satis adamates, vt vasa spermatica sufficienter deplere, aut appetitum venereum satiare nequeant.

Quidam volunt semen etiam putrescere, & malignam qualitatem inducere, quę grauia ista symptomata producat. Verùm non facilè ijs est differentiam ostendere, quæ inter hunc affectum & hystericam passionem intercedit, quæ à semine corrupto, & malignitatem adepto producitur. Licèt enim varij putredinis gradus varior etiam malignitatis gradus efficiant, vnde magna symptomatum varietas exurgit; sufficiunt tamen qualitates manifestæ, nempè seminis copia excedens, caliditas, acrimonia, & turgentia nimia, cum phlogosi partium genitalium, ad istum affectum generandum.

Causæ verò, calidum istud semen, acre, & copiosum producentes sunt, ætas iuuenilis, temperies sanguinea, & biliosa, vel melancholiæ adustæ particeps; cibi euchymi, & opipata mensa, idque magis, si edulia aromatibus condiantur; odor ipse aromatum frequens, vt moschi, zibetæ, & similium; somni longiores, & in lecto, plumis mollioribus referto, blanditiæ amasiorum, lectio librorum impudicorum, choreæ, & aliæ voluptates, in adolescentium consortio susceptæ.

Diagnosis huius affectus ex ijs, quæ dicta sunt, facilè elici potest. Sed quia sensim, & per gradus apparere solet, illius progressus exponendus. In principio igitur, dum adhuc mentis compotes sunt mœstiores, ac taciturniores euadunt, sed cum oculorum iactatione, ac lasciuia, & faciei rubore, qui per interualla intenditur, præcipuè verò rei venereæ facta commemoratione, ad quam respiratio, & pulsus immutantur, per sympathiam cordis, vndè Galenus, se expulsu cognouisse gloriatur furibundos mulierum amores, quod eiusmodi amantes varias subitò mutationes in pulsu patiantur, dum obiecta expetita illis offeruntur, vel in memoriam reuocantur; Postmodùm verò, dum malum exacerbatur, incipiunt rixari, & lachrymari, ac subinde in risum effundi, multa colloqui inconcinè, & imprudenter, ex quibus nihil certi colligas. Deinde respiscunt, donec alterius paroxysmus, ex materiæ motu inordinato, & sine vlla certa periodo redierit. Hoc furore percitæ mulieres, morbo ad statum progressso, viros ad coitum palàm, & coram omnibus inuitant, rem veneream proprio, & vernaculo nomine passim inculcantes.

Quod ad prognosin attinet, Morbus iste curabilis est, si maturè medela adhibeatur. Si verò diutiùs perseuerauerit, & firmas radices egerit, in veram maniam degenerat.

Magna salutis spes est, quando longiora incipiunt esse interualla, aut quando corpus emaciatum instaurari incipit, & commemoratio rei venereæ, coram illis facta, eas non, amplius multum afficit, & perturbat.

Curatio huius affectus eò dirigenda est, vt calida intemperies tum viscerum, tum vteri præsertim, tum sanguinis, & seminis corrigatur, & humores acres, ac materia seminalis euacuentur. Quod quidem sequentibus remedijs perfici poterit.

Ac primùm phlebotomia, pluries repetita, quantum vires ferre possunt, celebranda est, vt tota humorum massa, & ipse vterus refrigerentur, & sanguis feruidus ab vteri venis reuellatus.

Si verò mensium suppressio adfuerit, tundendæ postmodum erunt venæ inferiores, vt cursus ille naturalis humorum concitetur.

At, si versùs hæmorrhoidales venas sanguis pergere videatur, quod ex tumore, & rubore illarum dignoscitur: admotis hirudinibus, aperiendæ sunt.

Postmodum purgatio instituenda est, ex benignioribus composita; bilem, aut melancholiam educentibus, pro vt alteruter humor redundauerit.

Purgationi succedent iulepi præparantur humorem peccantem, refrigerantes scilicet, & leuiter aperientes, per triduum vsurpandi.

Mox purgans validius exhibendum erit, ad humores illos penitùs infixos euellendos. Cui vsui conferre poterunt illa medicamenta purgantia, quæ in maniæ curatione fuere descripta, quæ per interualla erunt repetenda.

Iterata purgatione, ad vterum & vniuersum corpus refrigerandum, humorisque feruorem temperandum, sequens balneum erit vtilissimum, idque pluries in morbi decursu erit repetendum.

℞. Fol. lactucæ, salicis, nymphęę, vitis, portulacę, vmbilici veneris, an. fasc. j. flor. violar. nymphææ, & rosar. an. M. ij. Coquantur omnia pro balneo, quod ingrediatur ægra tepidè, sine sudore, bis in die, longè à pastu.

Quia verò balneum integrum tàm facilè ad multos dies continuari nequit; saltem semicupium ex prædicti decocti portione, imò verò ex aqua simplici paratum frequenter iterandum est, & valdè tepidè administrandum: summa etenim huiusce curationis in eo consistit, vt vterus valdè refrigeretur. Quod confirmatur insigni experimento, ab Haruæo proposito, in tractatu de partu nobilis fœminæ à furore, & melancholia vterina, vltra decennium delirantis, cui postquam omnia frustra tentata essent, contigit vteri prolapsus, qui non fuit repositus, donec à frigore externo illius intemperies deferbuisset. Successit res ex sententia; breuique plane conualuit, atque vterus demùm loco suo restitutus est.

Ad vlteriorem corporis refrigerationem, serum lactis, per multos dies exhibitum, conuenire poterit.

Ac denique ea omnia, quæ ad maniam, & affectionem hypochondriacam proposita sunt, in hoc affectu etiam conferre poterunt, prout bilis, aut melancholia illi dederit originem.

Quibus omnibus addi possunt illa, quæ proprietate specifica semen extinguere, ac refrigerare valent, in quorum numero sequentia recensseri debent.

℞. Fol. nymphææ, salicis, viticis, an. M. iv. fol. lactucæ, portulacæ, vmbilici veneris, ana M. j. Sem. quatuor frigid. maior. lactucæ, & papaueris albi, ana ʒ. ß. anethi Drach. ij. flor. nymphææ, & violarum, ana M. j. Contundantur omnia recentia, & irrorentur succo limon. & destillentur in B. M. ac singulis aquæ libris addatur camphoræ ʒ j. Capiat Vnc. j. frequenter.

Vel ex prædictis simplicibus, vel eorum nonnullis potest fieri decoctio, & saccharo dulcorati ad plures dosses, addendo camphoræ parum.

Vel fiat emulsio ex sem. frig. maior. lactucæ, & papaueris albi, extracta cum aquis nymphęę, lactucę, & salicis, cum syrupo violaceo.

Opiata in hunc modum præscribi poterit.

℞. Conseruę flor. nymphęę, violar. & viticis, seu agni casti, ana. ʒ. ß. conseruæ rosar. ʒ. sem. caudicum lactucæ condit. ʒ. j. coralli, & smaragdi præparat. ana ʒ. j. Cum syrupo violac. & nymphææ, fiat opiata.

In summa delirij vehementia somnum conciliantia vtilissima sunt, tàm interna, quàm externa, pro vt in phrenitidis, & maniæ curatione discripta sunt.

In toto morbi decursu, clysteres refrigerantes, & blandè purgantes vsurpandi sunt, cauendo ab acrioribus, & vehementer purgantibus, quæ materiam in vtero, aut in eius vasis contentam exagitant, vnde symptomata exacerbari solent.

Iniectiones etiam fieri possunt in vterum ex decoctis herbarum, pro balneo, alijsque remedijs præscriptarum, quibus vtiliter sal Saturni addi poterit.

Clysteres frequentes ex oxycrato ad hoc quoque conferre poterunt.

Exteriùs etiam linimenta refrigerantia, lumbis, pubi, & perinæo admouenda sunt, ex ol. nymphææ, vnguento rosac. vel albo refrigerante, cum succis solani, hyoscyami, nymphææ dissolutis, addendo parùm camphoræ.

Tum lamina plumbea perforata supra renes continuò gestanda.

Ratione causæ coniunctæ, quandoquidem seminis illius acrioris, & corrupti euacuatio morbum soluere potest; optimè consultum foret, in morbi principio, antequam deliria sint valdè conspicua, aut in eorum interuallo, si satis diu licidum extiterit, huiusmodi virgines viro iuueni, ac valido iungere; Sic enim satiato vtero, & effusa materia, quæ in vasis illius continetur, eas curari contingit.

Si verò non ita facilè nuptiæ celebrari valeant, aut vitæ conditio id minimè patiatur; consulunt nonnulli, vt à perita obstetrice fiant frictiones, & contrectationes partium genitalium, à quibus excernere possunt magnam istius seminis copiam. Sed quia illud nefas est; sufficiet, dum ægra est in

balneo, perfricare leuiter longè à pudendis vteri partes, vt aquæ tempore illæ attemperentur, & madore laxiores fiant, discutiaturque sua spontè seminale excrementum; ita vt manus nihil aliud præstet, quam leuem aquæ subingressum ad penitiores vteri partes, quò tantùm aqua operetur, quantum aliud auxilium ex ijs, quæ aduersus semen pugnant.

Ad eundem vsum pessaria componi poterunt ex folijs Mercurialis contusis, cum pauca myrrha, aut puluere aristolochiæ. Quæ supponi debent, dum ægra est in balneo, ne nimiùm incalescat vterus, & post vnius horæ spatium auferri. Moxque fiat iniectio in vuluam ex sero lactis, vel decocto hordei, eum pauco succo solani, semperuiui, aut cicutæ, quæ in hoc affectu peculiariter commendatur.

Ad semen expurgandum sequens bolus erit vtilissimus.

℞. Terebinth. Venet. ʒ. iij. agarici trochisc. Drach. sem. dauci, cannabis pulu. ligni aloes, ana gr. viij. Cum sach. fiat bolus.

Si affectus perseueret, applicentur cauteria cruribus. Nihil enim præstantius est, quàm materiam ad inferiora per istos fonticulos deriuare.

Quod si lienis tumores, & obstructiones superuenerint, vt sæpè fit, illis diligenter erit prouidendum proprijs remedijs.

Quia denique in hoc affectum cerebrum, & cor grauiter afficiuntur, ob vapores ab vtero sursùm elatos; vtrique prouidendum erit cerebro quidem, frictionibus, ligaturis ad inferiora, cucurbitulis suprà coxas, & inguina frequenter admotis; cordi verò epithematis, tàm liquidis quam solidis, in vitium imbecillitate præscriptis.

CAPVT VI.

De Hysterica Passione.

DVm semen, & sanguis menstruus præter naturam retinentur in mulieribus, putrescunt, ac corrumpuntur, nec non malignam, & venenatam qualitatem acquirunt: vnde vapores maligni eleuantur, & ad varias corporis partes deferuntur, propter mirum consensum, quem vterus habet cum omnibus propemodùm corporis partibus. Inde verò varia accidunt symptomata, tàm diuersa, vt iure dixerit Democritus *in epistola ad Hippocratem*, sexcentarum ærumnarum, innumerarumque calamitatum authorem esse vterum: & ipse Hipp. scripserit, *lib. de morbis virginum*, multis, & incomprehensibilibus ferè affectionibus premi miserrimas mulieres. Nos illas omnes affectiones hoc capite explicare aggredimur, & vnico hystericæ passionis nomine comprehendimus, Galenum imitantes, qui *lib. 6. de loc. aff. c. 5.* dicit, hystericam passionem vnum quidem nomen esse, varia tamen, & innumera accidentia sub se comprehendere. Quamvis neoterici ferè omnes suffocationem hystericam sub titulo hystericæ passionis explicent, symptoma peculiare generis nomine donantes, propterea quod omnium frequentissimum, & molestissimum esse consueuit. In hoc tamen maximè superflui esse videntur Authores præcipui, qui de morbis mulierum scripserunt, quòd diuersis capitibus varios ex vtero affectus exponant, nempe hystericam suffocationem, capitis dolores, conuulsiones epilepticas, cordis palpitationes, arteriarum in hypochondrijs, & dorso pulsationes, ventriculi, hepatis, & lienis affectus ex vtero oriundos, & varios in varijs partibus dolores ab eodem concitatos quod omnes illi affectus ab ijsdem causis oriantur, & ijsdem remedijs curari debeant, ita vt Authores prædicti in varijs capitibus eadem sæpius, non sine lectorum tædio repetere cogantur.

Nos igitur, vt breuiter, & methodicè omnes istos affectus exponamus, operæ pretium ducimus, causas eorum vniuersales premittere, vt deinceps sigillatim ostendamus, quomodo illi affectus ab his causis oriantur.

Diximus itaque ab initio, duas causas præcipuas horum omnium affectuum esse, semen muliebre, & sanguinem menstruum, dum præter naturam retinentur, & corrumpuntur, malignamque, ac venenatam qualitatem acquirunt, ex quibus maligni vapores eleuantur, variasque partes afficiunt. Cui doctrinæ, generatim propositæ, duo alia maximi momenti adiungenda sunt, quorum primùm est, non solùm semen, & sanguinem menstruum hystericas affectiones producere; sed etiam varios humores excrementitios, in vterum confluentes, qui diuturna mora putrescunt, & tetros vapores emittunt. Huius rei fidem faciunt vetulæ non paucæ, quæ sanguine menstruo, & ex semine destitutæ, hystericis tamen affectibus sunt plurimùm obnoxiæ. Alterum est, quod non solùm, vapores ex prædictis substantijs eleuati, hystericos affectus producunt, sed etiam ipsi humores, qui liberum exitum non inuenientes per vias vteri (ad quem, veluti sentinam, natura humores superfluos deponit,) ob suppressionem mensium, vel fluoris vterini, ad partes superiores regurgitant, easque inficiant praua illa qualitate, quam in vasis vteri, diuturniori mora, aut per contagium seminis, aut menstrui corrupti contraxerunt.

His ita constitutis, videndum est, quomodo hysterici affectus à prædictis causis excitentur, à suffocatione incipiendo, quæ omnium præcipua, & magis frequens huiusmodi mulierearum affectio esse solet, multisque alijs, isque grauissimis plerumque stipatur symptomatis. Nam præter læsam respirationem, quæ interdum etiam aboletur, totius corporis refrigeratio, vocis, & pulsus interceptio, imò interdum motus, & sensus abolitio contingit, vt ægræ quasi mortuæ iaceant, & quædam pro mortuis habitæ, sepulturæ destinatæ fuerint, cùm tamen posteà reuixerint.

Inuadit autem hoc malum per paroxysmos, qui nunc frequentiùs, nunc ratiùs redeunt, nunc breuiore, nunc longiore tempore durant, pro materiæ copia, quæ nunc citiùs, nunc tardiùs colligitur, nunc etiam citiùs, nunc tardiùs discutitur. Habent enim eiusmodi causæ in corpore humano sua digestionis, & exaltationis tempora quæ vbi attigerunt, subito, & quasi in momento ad agendum erumpunt. Imò verò collecti anteà in corpore huiusmodi humores, in corpore aliquandiu latere possunt, donec à causa aliqua interna, vel externa commoti, venarum auram in alias partes effundant. Frequentissimæ autem, & notissimæ causæ, huiusmodi commotionem, & agitationem efficientes, sunt res odoratæ, naribus admotę, vel alimenta dulcia assumpta, à quibus promptissimè mulieres, affectibus hystericis obnoxiæ, paroxysmum incurrunt: quod etiam non rarò præstant ita vehemens, terror, aliaque animi pathemata.

Varij autem sunt huius affectionis gradus, pro varia materiæ morbificæ copia, & malignitate. Aliquando enim suffocatio, & respirationis læsio leuis est, & citò soluitur, aliquando grauis, vt omnino auferatur, & alias affectiones hystericas, vt vomitum, deliria, conuulsiones, syncopem adiunctas habeat.

Communiter tamen ex semine corrupto grauiora excitantur symptomata, quam ex sanguine menstruo; aut alijs humoribus corruptis. Quantò enim semen propriam seruans naturam essentiæ suæ bonitate menstruum superat; tanto etiam ex superueniente corruptione, in maiorem, & deteriorem venenositatem degenerat.

Aliæ etiam huius suffocationis hystericæ differentiæ annotandæ sunt, quod, nimirùm aliquando mulieres hystericæ magnam respirationis difficultatem patiantur; alias sese strangulari dicant, quasi fauces illis fune constringantur; aliàs verò respiratio maximè imminuatur, aut aboleatur, sine vlla molestia, aut suffocationis sensu. Cuius diuersitatis ratio inde petenda est, quod simplex suffocatio, & respiratio difficilis pendeat à flatuum copia, qui interdum magna copia cumulantur in mulieribus hystericis, præsertim, quando hysterica passio hypochondriacæ iuncta est; qui quidem flatus diaphragma, & pulmonem comprimunt, vt in asthamate flatulento contingit. Sensus verò strangulationis, in quo potissimum fauces constringi videntur, à peculiari auræ venenatæ indole dependeat; quemadmodum alia venena reperiuntur in macrocosmo, quæ hanc fauces constringendi & strangulationem efficiendi vim obtinent, vt de quadam fungorum specie notum est. Varias autem esse venenatas illas qualitates, quæ in hystericis mulieribus generantur, satis innuit Galen. *6 de loc. aff. c. 5.* dum huius vaporis malignitatem torpedinis veneno, phalangij morsui, & ictui scorpionis comparat: quæ venena; etsi mole sibi exigua, viribus tamen maxima, in corpus humanum recepta, exiguo temporis spatio illud grauissimè afficiunt; & vehementissima symptomata inducunt. Imminuta verò, aut abolita respiratio fit ab ijsdem vaporibus, & narcotica quadam vi præditis; qui cordi maximè, & spiritibus vitalibus aduersi actionem eorum impediunt, vnde sequitur totius corporis refrigeratio ex defectu spiritus influentis, & respirationis cessatio deficiente vsu. Cum enim respiratio ad cordis refrigerium necessaria sit, dum ab aura ita venenata cor impensè refrigeratur; non indiget illo refrigerio, sibi per respira-

spirationem communicato, & ità cessat respiratio, cessante vsu. Dicere etiam possumus, auram illam venenatam, & narcoticam cerebrum impetere, & spirituum animalium influxum impedire, vnde motus diaphragmatis, & musculorum, respirationi inseruientium, impeditur. Adde, quod destructo spiritu vitali, animalem etiam destrui necesse est, qui ex eo generatur.

Dubium soluit Galenus *loco citato*, ex eo deductum, quod passim circumfertur, hominem viuere non posse sine respiratione, atque adeò mulieres hystericas respirationis abolitionem pati nullo modo posse. Dicit enim, ex summa cordis refrigeratione tolli respirationis necessitatem, quæ si vigente corde impediretur, promptus sequeretur interitus; sed exiguum calorem, qui adhuc supereſt in corde, sola transpiratione foueri, quemadmodum animalia, in latibulis per hyemem degentia, sola transpiratione, viuunt, quia frigidissima sunt, & exiguum habent calorem, qui respiratione non indiget.

Præter causam suprà commemoratam hystericæ suffocationis, nempe vaporem malignum, & venenatum, quidam aliam addunt, scilicet vteri ascensum ad partes superiores, quo ventriculus, ac diaphragma comprimuntur, & inde non solùm suffocatio hysterica, sed etiam alia symptomata emergunt. Hunc vteri ascensum proposuit Hippocrates *lib. de natura muliebri*, his verbis. *Conuersi vteri impetunt hepar, & ad præcordia irruunt, sursum enim ad humiditatē feruntur, à labore nimium resiccati. Hepar autem gratiosi humoris fons est.* Fernelius verò *lib. 6. pathologiæ, c. 16.* hunc vteri ascensum se frequenter tactu deprehendisse affirmat, eúque instar globi cuiusdam in ventriculum elatum, ac grauiter opprimentem, vnde sæpè manu depressus est, manifesteque in propriam sedem propulsus. Idem testatur Eustachius Rudius *lib. 2. Practicæ cap. 51.* se nimirùm proprijs manibus vterum ipsum vsque ad vmbilicum, & nonnunquam supra ipsum eleuatum contrectauisse, & in propriam sedem paulatim propellendo deduxisse. Galenus verò *6. de loc. aff. c. 5.* hanc sententiam oppugnat, docetque, etsi vterus aliquo modo moueri possit, atque ascendere, id tamen perexiguum esse: neque fieri vllo modo posse, vt vterus vsque ad ventriculum ascendat, tantùm abest, vt illum prætereundo, ad septum transuersum pertingere possit. Ratio firmissima ex Anatome petitur. Siquidem vterus quatuor validissimis ligamentis in sua sede ita firmatur, vt sursùm tanto spatio attolli minimè valeat. Ad hanc tamen respondent huius opinionis defensores, in procidentia vteri ligamenta illius ita laxari, vt extra pudenda prodire soleat; atque adeò quantùm descendit ad inferiora, tantùm posse ascendere ad superiora, ligamentis ita relaxatis. Respondemus, vteri procidentiam fieri paulatim, & longissimo tempore per emollitionem, & humectationem ligamentorum, à diuturno humoris pituitosi defluxu excitatam: vteri verò ascensum, quem vocant, fieri in momento, & citissimè restitui, ac cessare. Et omninò necessarium foret antea relaxata fuisse illa ligamenta, atque adeò vteri prolapsu laborarent omnes mulieres, quæ huic ascensui obnoxiæ essent, quandoquidem cessantibus causis, quæ illum ascensum promouere possunt, sponte & proprio pondere vterus ad inferiora prorueret, & continua procidentia laboraret.

Difficilius est respondere autopsiæ à Fernelio, Rudio, alijsque propositæ, quæ se manu propria vterum percepisse aiunt globi instar, ad vmbilicum, & vlteriùs ascendentem, & compressione ad suum locum propulsum. Ad hoc respondet Sennertus, corpus illud, quod tactu deprehenditur, non ipsum vterum esse; sed testes, & vas illud cæcum, quod tuba Fallopiana dicitur à Fallopio inuentore, qui tubæ extremo orificio id comparauit. Cùm enim testes vteri sint, penduli, & corpus tubæ fistulosum, laxum, & vagum, dum semine corrupto, & humoribus vitiosis, ac flatibus replentur, & turgescunt, per hypogastrium hinc inde moueri, & ad vmbilicum vsque ascendere possunt. Talem autem tumorem rotundum in testibus, & tuba vteri posse contingere, qualis interdum in fœminis deprehenditur, docere potest Riolani obseruatio in Anthropographia proposita, vbi refert, se in hystericis virginibus testes deprehendisse pugno grandiores, seroso semine turgentes, quin etiam tubam vteri amplificatam, & valdè dilatatam. Vesalius verò simile quippiam obseruauit in nobili quadam puella, vteri strangulatu laborante, in qua alter testis instar maiusculæ pilæ protuberabat croceo humore, simulque grauissimè olente, ac venenosum quid, & tetrum spirante refertus, qui humor conterminas sedes tingebat non secus, ac colon intestinum, qua sub iecore fertur, à cystide fellea luteum reddi cernimus.

Uerùm non valdè recedit Sennertus à prædictorum sententia. Posito enim, quod ille asserit, testes, & tubam vteri, dum semine corrupto, & humoribus vitiosis, ac flatibus replentur, & turgescunt, per hypogastrium, hinc inde moueri, & ad vmbilicum vsque ascendere posse: cùm partes illæ vtero sint contiguæ, per hypogastrium, & ad ipsum hepar moueri nequeunt; quin vterus simul moueatur, atque adeò toti vtero, ex partibus suis integrantibus, eique connexis composito, motus iste facilè tribui potest. Deinde, si testes, & tuba vteri, dum vitiosis humoribus, aut flatibus replentur, variè commoueri possunt, quidni etiam vterus, ijsdem humoribus, aut flatibus refertus, ijsdem motibus fieri potest? Conuincit quidem ratio Sennerti à Galeno mutuata, vterum quatuor ligamentis constrictum ad diaphragma non posse ascendere, imò ne quidem ad ventriculum, sed ad vmbilicum vsque proferri posse, vbi Authores prædicti globum illum perceperunt, quod negandum non est: tum quia ligamenta illa aliquantulum extendi possunt à materia turgente, tum quia vterus, dum inflatur, locum ampliorem occupat, & versùs vmbilicum percipi potest. Siue igitur totus vterus, siue partes illi annexæ, nimirum testes, & tuba vteri sursum moueantur; semper ascensum vteri nominare possumus, doctrinæque Hipp. inhærere.

Dolor capitis ex vtero varijs modis contingit: interdum enim totum caput obsidet, alias sinciput, alias occiput inuadit, alias circa oculos percipitur, vt è sede sua quasi erupturi videantur.

Fiunt autem isti dolores à prædictis vaporibus acribus, & malignis ad caput eleuatis, & partes illius membranosas vellicantibus: humores etiam praui, ab vtero translati hunc dolorem excitare possunt. Sanguis enim vitiosus, ex vasis vteri regurgitans, & præsertim tenuior, ac serosior illius portio, ad caput vsque ascendit, & in membranosas partes effusus, dolores illos procreat, qui dolor interdum pungens & vlceroſus est, ex vaporum, aut humorum acrimonia: interdum tensiuus à copia, & multitudine, tensionem efficiente; interdum verò pulsatorius, quando vapores, aut humores per arterias feruntur, vel quando arteriæ partis alicuius capitis peculiaris sanguine feruido replentur.

Epilepsia ex vtero ab ijsdem vaporibus acribus, & malignis excitatur, qui dum insignem acrimoniam, atque magnitudinem adepti sunt, partes neruosas vehementius, & acerbius feriunt, vnde fit, vt illæ contrahantur, & ad exclusionem rei noxiæ motibus conuulsiuis agitentur.

Palpitatio cordis ab ijsdem vaporibus sæpè contingit, ex vtero ad cor eleuatis, illiusque facultatem expultricem irritantibus.

In arterijs etiam dorsi, & hypochondriorum pulsatio contingit ex sanguine feruido, ex vtero in illas arterias translato, easque distendente, vnde pulsatio maior fit, quæ partes vicinias feriens, pulsationis sensum in ijs inducit. Fiunt tamen interdum huiusmodi pulsationes in melancholia hypochondriaca, quæ in horum affectuum diagnosi erunt distinguendæ.

Varij etiam in ventriculo, hepate, & liene affectus oriuntur ex vtero. Ventriculi læsiones delectam appetentiam, vel eandem intensiorem, vel ad absurda propensam: vel singultus, vomitus, aut ructus, aut cardialgiam excitant. Quæ omnia symptomata à prædictis vaporibus, in ventriculum transmissis, per arterias hypogastricas, & cœliacas, vel alios cæcos ductus excitantur. Varia autem illa symptoma vapores isti inducunt, pro diuersa eorum natura, diuersoque putredinis, & malignitatis gradu. Prout enim calidi sunt, inappetentiam, & sitim excitant. Si verò frigidi fuerint, coctionem lædunt. Absurdorum verò appetentia ex maligna humorum, & vaporum qualitate dependet, vt in pica à nobis ostensum est: hæc pro diuersa malignitatis specie fit, vt appetitus magis ad hanc, quàm ad illam rem feratur, vt aliæ carbones, aliæ gypsum, salem, cinnamomum aliaque absurda appetant; Ex certa etiam malignitatis specie dependet quorundam eduliorum peculiaris auersatio, & quod mirabilius est, in quibusdam apparuit potus omnimoda auersio; sicut narrat Lud. Mercatus de Illustri quadam muliere, potum omninò auertente, & de alia, quæ licèt potum sibi porrigi expeteret, eum tamen vomitu reijciebat, simulque grauibus alijs symptomatis vexabatur. Vbi conijcere licet, humores prauos in ea muliere malignitatem fuisse adeptos, illi consimilem, quæ in hydrophobia generari solet. Negandum

dum tamen non est, partium diuersitatem, ad quas humores illi, & vapores maligni deferuntur, non parùm conferre ad symptomatum varietatem efficiendam. Si enim ad os ventriculi ferantur, appetentiam lædunt, & cardialgiam inducunt. Si in ventriculi cauitatem effundantur, ructus, & vomitus excitant: Si ventriculi tunicis hæreant, nauseam perpetuam inducunt. Si acrimonia insigni præditi sint, singultum, aut dolores efficiunt; quin etiam dolores à copia grauante, ac distendente exoriri possunt.

Hepatis læsiones ex sanguine menstruo retento, & per venas ad eam partem refluente, facilè generantur, hinc morbus virgineus à sanguine prauo ab vtero in hepar, & ab hepate in totum corpus effuso generatur. Hinc tumores, febres, alijque affectus quamplurimi in toto corpore, varijsque partibus oriuntur, cùm omnes ab hepare nutrimentum capiant.

Si verò sanguis ille vitiosus ab vtero in lienem refluat; tumores, obstructiones, & affectiones melancholiæ, atque hypochondriacæ excitari solent.

Ac denique mulieres varios in lumbis cruribus, alijsque partibus dolores patiuntur, ex vitiosis humoribus, atque vaporibus, ab vtero ad eas translatis. Quæ omnia symptomata, ex vtero oriunda, ab alijs naturæ consimilis, aliunde prouenientibus, & ab alijs causis productis, sequenti diagnosi distinguetur.

Primò igitur diagnosis hysterice suffocationis ab ijs, quæ supra relata sunt, maiori parte desumi potest. Apparent enim in ea symptomata enumerata, non omnia quidem in omnibus, sed quædam in ijs, alia in illis, pro varia causarum dispositione. Illa autem symptomata sunt læsa respiratio, in quo nonnunquam strangulari videntur; aliàs verò respiratio imminuitur, aut aboletur sine vlla molestia, aut suffocationis sensu; totius corpori refrigeratio; vocis, & pulsus interceptio, interdùm etiam motus, & sensus abolitio; interdùm deliria, conuulsiones, syncope, vomitus, & singultus prædictis sociantur.

Verùm ad clariorem diagnosin signa priùs proponenda sunt, quæ affectum imminentem indicant: qualia sunt, murmur abdominis cum ructu, vel nausea, lassitudines, oscitationes, & pandiculationes à materia flatulenta, quæ ab vtero in varias partes eleuari incipit: tristis aspectus, & pallor faciei, à retractione caloris natiui versùs suos fontes excitatus.

Ingrauescente affectu sensus strangulationis vrgere incipit, quasi ex grandiori bolo deuorato, quem in faucibus se habere putant. Postmodùm respiratio intercipitur, & suffocatio augetur. Ac tandem actiones omnes vitales, & animales depranantur, imminuntur, vel abolentur. Hinc deliria, conuulsiones, aliaque simptomata grauia. In quibusdam vterus sensibiliter agitatur, & quasi conglobatur, & in varijs abdominis partibus globi instar percipitur. Declinante verò affectu, seu paroxysmo hysterico, humor quidam è locis mulieribus effluit, intestina obmurmurant, oculi attolluntur, genæ rubore suffunduntur, actiones animales restituuntur, corpus incalescit, suspiria profunda emittuntur, sicque ægra sensim restituitur.

Ex signis propositis affectio hysterica à cognatis, & consimilibus affectibus, puta syncope, apoplexia, & epilepsia facilè distinguitur. Differentia tamen, quæ inter illos affectus intercedit, peculiariter annotanda est.

Ac primùm tribus signis generalibus conijcere possumus symptomata, quæ hysterice passioni, è prædictis affectibus sunt communia, ab vtero dependere potiùs, quàm à primario cordis, aut cerebri vitio. Quorum primùm est, quod, si ægra hysterici affectionibus sit obnoxia, & prædicta symptomata pati non rarò consueuerit dum illa de nouo aduenient, de alio affectu cogitandum non sit. Secundum est, quod mulieres, dum symptomata illa pati incipiunt, de vtero malè affecto conqueruntur. Tertium est, quod hysterice mulieres fœtidis, naribus admotis, & suaueolentibus, in pudenda immissis, magnum leuamen percipiant, quòd in alijs affectibus non contingit.

Peculiariter verò à syncope distinguitur hysterica affectio, quod in illa respiratio, & pulsus omninò amittantur; in hac verò aliquantulùm remaneant, licet valdè imminutè, donec ad extremum periculum peruenerint. Secundò, syncope promptiùs inuadit, & quasi de repente corripit ægrotantem. At in hysterico affectu signa euidentia præcedunt futuræ accessionis. Tertiò, pallor faciei maior est in syncope, minor autem in hysterica suffocatione. Imò verò nonnullæ mulieres hystericæ in paroxysmo faciem habent rubicundam, & tunc hoc solo signo affectus certissimè distinguitur. Quartò, in syncope vt plurimùm sudores frigidi, & diaphoretici apparent, qui in suffocatione hysterica non reperiuntur. Quinto, syncope breuior est, & citò ad salutem, vel ad mortem terminatur; hysterica verò suffocatio, diuturnior est, & ad diem vnum, vel plures interdùm perseuerat. Hoc tamen aduertendum est, syncopem cùm hysterico affectu aliquando complicari, quando nimirùm cor grauiùs afficitur, vel vires admodum debilitatæ sunt ex diuturniori affectu, & tunc mixta esse possunt vtriusque affectus symptomata.

Ab apoplexia distinguitur suffocatio vterina. Primò, quod in hac partes non sint ita resolutæ, neque sensus tactus omninò abolitus sit, vt in apoplexia; sed si pungantur, aut pilli auellantur, manu sufficienter indicant, se dolorem sentire. Secundo, in apoplecticis stertor perpetuò apparet: in hoc vteri affectu minimè. Tertiò, hystericæ mulieres post accessionem meminerunt eorum, quæ dicta, aut facta sunt quod in apoplexia non contingit.

Ab epilepsia distinguitur. Primò, quod conuulsiui motus non perpetuò coniuncti sint cum hysterica suffocatione; nec, vbi adsunt, ita vniuersales sint, vt in epilepsia, sed vnum, vel alterùm tantùm membrum concutiant. Secundò, pulsus in epilepticis maior est etiam, quàm in statu naturali: in hystericis verò contrario modo se habet. Tertiò, in epilepsia spuma circa os apparet: in hoc verò affectu minimè. Quartò, epileptici non meminerunt eorum, quæ circa ipsos facta sunt; quod in hystericis fieri dictum est. Quintò, hystericæ mulieres in fine paroxysmi vt dormientes, excitantur, cum murmure ventris inferioris, quasi vtero quiescente, & in suam sedem redeunte, & interdum magna humoris copia per vterum effluente, quæ in epilepticis non contingunt.

Oportet etiam inquirere, quomodo hystericæ mulieres à mortuis distinguantur, cum plurimis historijs proditum sit, nonnullas pro mortuis habitas, & sepulturæ destinatas aut sepultas fuisse. Id quidem Authores varijs modis explorant. Vel enim lanam carptam, aut plumas leuiores ori admouent, quæ si non moueantur, ægram pro mortua habent: vel speculum tersum ori apponunt, quod halitu emisso infici debet, si ægra vel tantillum spiret: vel cyathum aqua plenum pectori imponunt, & si aqua nullo modo moueatur ægram pro mortua habent. Hæc signa vt plurimum locum habent; sed perpetua non sunt, nec omnimodam certitudinem præ se ferunt, cùm anteà dictum sit, quasdam mulieres hystericas sola transpiratione viuere, instar animalium in latibulis degentium hyemis tempore, & omninò aboli tam in ijs esse respirationem. Quod licet rarissimè contingat, cautio tamen illa obseruatione digna est, ne mulieres, affectu hysterico defunctæ, ante tertium diem sepeliantur, aut saltem donec fœtore incipiant.

Signa causarum etiam proponenda sunt, quæ ternario numero fuere comprehensæ, illæ sunt semen retentum, & corruptum: sanguis menstruus, item retentus, & corruptus: & cacochymia in vteri vasis, aut cauitate contenta.

Si à semine retento, vel corrupto hic affectus oriatur, adeerunt, vel præcesserunt omnes causæ, quæ illud augere, coacernare, & corrumpere in vasis potuerunt, vt florens ætas. Veneri matura, aut illi priùs assueta, quam postmodùm intermiserit, temperamentum sanguineum, vita otiosa, & voluptatibus dedita: victus lautus & opiparus, tum vsus ciborum facilè corruptibilium. In his si contingat hysterica passio menstruis commodè fluentibus, concludendum erit, a retento semine dependere.

Si à sanguine menstruo retento, & corrupto affectio hysterica dependeat, illius suppressio, aut imminutio aderit, atque insufficiens expurgatio, muliere interim sufficiente coitu vtente. Et suppressionem illam quædam symptomata sequentur, vt melancholia, iracundia, torpor, somnolentia, capitis dolor, mammarum inflatio, grauitas lumborum, & crurum.

A cacochymia verò exoriri affectum vterinum ostenditur, si menstruis commodè fluentibus, cum sufficienti Veneris exercitio hic affectus contingat, & mulier senio vicina sit, aut valdè cacochymia, vel aliquo alio vteri affectu laboret.

Aliorum verò symptomatum, ex vtero prouenientium, & supra descriptorum diagnosis paucis proponenda est.

Dolor capitis, ex vtero prouenies, cognoscitur ex eo, quòd

quòd menses non debitè procedant, dolor præcipuè infester, vel augeatur, instante, vel apparente fluxu menstruorum, & uterus non rectè se habeat. Distinguere etiam possumus, an vapor, vel humor hunc affectum excitet. Si enim dolor grauatiuus non sit, & per interualla recurrat, à vapore fieri certum erit. Si verò continuus sit, cum grauitate coniunctus, humorem in parte contentum indicabit: qui si bilioſus fuerit, dolor erit mordax, pungens, & acutus: si pituitoſus, torporem inducet: si melancholicus, tristitiam.

Cordis palpitationem, & arteriarum in hypochondrijs, & dorso pulsationes, ventriculi hepatis, & lienis affectus, tum etiam dolores varios, ex utero prouenire coniiciendum erit, si alia uteri affecti signa, & symptomata supra enumerata simul adfuerint. Tum etiam, si graueolentia naribus, & suaueolentia pudendis admouendo, quodammodo miteſcant.

Quoad prognoſin attinet. Rarò hic affectus interficit ęgrotantes, ſed valdè chronicus esse consueuit. Aliquando tamen propter syncopem superuenientem, aut insignem conuulsionem, vitæ periculum ægrotantes incurrunt. Tum etiam, si affectus sæpiùs repetat, & difficilè soluatur, periculum est, ne respiratione totes læsa, calor natiuus suffocetur, & vita deficiat.

Illa passio hysterica est deterior, in qua plures partes in consensum trahuntur: tum etiam illa, quæ à semine corrupto exoritur, vel diuturna suppressione mensium.

In senioribus vix curatur hic affectus propter insignem cacochymiam, qua scatere solent. In iuuenibus plerumque cessat, quando parere incipiunt.

In prægnantibus, & puerperis periculosum est malum. In illis quidem, propter metum abortus. In his verò, ob virium post partum imbecillitatem.

Sternutatio hystericæ mulieri superueniens, bona. Robur enim significat cerebri: & illo motu maligni vapores, cerebrum obsidentes, discutiuntur: tum humores vitioſi, in utero contenti, euacuantur.

Curatio hysterici affectus duplex instituenda est: vna in paroxysmo, altera extra paroxysmum. In paroxysmo vapores, illum efficientes, discutiendi, & reuellendi: humores in utero contenti, vnde vapores illi eleuantur, euacuandi, & uterus ad proprium sedem, quando ab ea dimouetur, vt sæpe fit, iuxta doctrinam Hippocratis, reducendus. Quæ omnia sequentibus remedijs impleri possunt.

Primo itaque ægra in lecto ita collocanda est, vt ceruicem, & scapulas acclines, & elatas habeat. Inguina vero, & femora declinia; ita enim uterus facilius reducitur.

Posteà verò fieri debent ligaturæ dolorificæ partibus inferioribus, tum etiam frictiones celebrandæ earundem partium: nec non cucurbitulæ coxis admouendæ. Tum etiam cucurbitula magna, pectini admota, multùm prodest. Cauendo tamen, ne supra vmbilicum applicetur, quod multi imperitè faciunt, sic enim uterus sursum retrahitur. Vbi conuulsiones adsunt, vel animi deliquia, frictiones asperæ conueniunt in plantis pedum, etiam cum sale, & aceto, tum etiam auulsiones pilorum capitis, & pudendorum, contorsiones digitorum, inclamationes alta voce, & alia huiusmodi.

Utile etiam, in plantis pedum admouere cataplasma epispasticum, in hunc modum compositum.

℞. Fol. artemis. matricar. rutæ, an. M. j. saluiæ M. sem. stercor. colum. puluer. ʒ. iij. saponis nigri Vnc. j. ß. succini, thuris. mastiches puluerat. an. ʒ. j. ß. succi rutæ, & oxycrati q. s. Fiat cataplasma.

Eodem tempore fœtida, & graueolentia naribus admouentur, vt plumæ perdicum combustæ, vetera coria vsta, & sulphur accensum; oleum gagatinum, pomum ex assa fœtida, castoreo, galbano, ruta, malaxatis cum syrupo artemisiæ, vel aceto; fertur ex ruta, tanaceto, abſinthio. Ab ijs tamen, quæ extam dictis fortiora sunt, abstinendum, si fœmina epileptica fuerit; quia ab ijs cerebrum offensum agitatur, vnde humores in illius ventriculos præcipitantur, ac symptomata ingraueſcunt.

Fumus tabacciori, & naribus ægrotantis insufflatus, eam à paroxysmo cit illimè liberat.

Contra verò suaueolentia utero admouenda, vt moſchi, aut zibetæ grana aliquot, cotone inuoluta.

Naribus puluis sequens insuffletur.

℞. Piperis albi, sinapi, pyrethri, castorei, an. ʒ. j. Fiat puluis tenuissimus.

Si mulier valdè sepulta videatur; proritetur sternutamentum, iuxta *Aph.* 44. *sect.* 5. *Mulieri, quæ hystericis moleſtatur, aut difficulter parit superueniens sternutatio, bonum.* Quod quidem etiam à præfecto puluere non rarò proritatur. Sin minùs tantillum hellebori albi, aut euphorbij correcti adijciantur.

Naribus quoque oleum succini, vel etiam gagatinum illiniri poterit.

At verò clysteres laxantes, & carminantes præ cæteris remedijs conferunt, ad discutiendos vapores tetros paroxysmum producentes, quorum formula talis esse poterit.

℞. Fol. mercurial. pariet. artemisię, pulegij, rutæ, calamenti, an. M. j Sem. carui, cumini, & baccarum lauri, an. ʒ. ij. Coquantur ad ℔ j. ß. In colat. dissolue hieræ picre & bened. laxat. an. Drach. vj. olei rutacei Vnc. iij. camphoræ ϑ. ß. Misce, fiat clyster.

Si primus clyster non sufficiat; iterandus erit ex eodem, aut simili decocto dissoluendo diaphœnici Drach. x. terebinthinæ, vitello oui dissolutæ ʒ. j., cum oleo prædicto, camphoræ in oleo nenuph. solutæ ϑ. sem.

Ac denique perseuerante affectu, tertius merè hystericus, & discutiens, non autem purgans injciendus est, qui valdè efficax ita componi poterit.

℞. Olei rutac. ʒ. iv. aquæ vitæ ʒ. j. vini generosi quartaria iij. galbani ʒ. ij. Misce, fiat clyster, qui injciatur, præmisso clystere laxante.

Clysteres ex oxycraro hystericum paroxysmum statim cohibet, vapores illum efficientes comprimendo, & coagulando.

Idem præstat oxycrati eiusdem cyathus, ore assumptus.

Consulunt etiam Authores ventrem supra vmbilicum fascia fortiter alligare, vt reducatur uterus, & vaporum ascensus pronibeatur.

De venæ sectione est magna dubitatio, vtrùm scilicet in ipso paroxysmo conueniat. Cum enim tum ingens adsit virium dejectio, & aliquando de vita dubitatio, & refrigeratio totius corporis, à malignis vaporibus, cor, & cerebrum infestantibus, qui nullo modo per venæ sectionem excludi possunt, non est dubium, quin ex vsu illius accessionis tempore, maximum imminear periculum. Huic sententiæ adstipulantur Varandæus, & Sennertus. Contra verò Mercatus, & Rodericus à Castro statuunt, in talo venam esse aperiendam, quando affectus producitur à languinis mentrui copia, atque retentione: & nullo alio remedio vires onere pressas vias nimia redundantia obscœcatas, & suffocationis periculum, leuari posse. Si quidem in hoc casu neque fœtida, neque odorata, neque cucurbitulæ, ægrè à paroxysmo suscitare solent. Philippus Hocen Hetterus *observationum parte secunda*, nonnullis historijs ostendit, venæ sectionem in pede plurimum profuisse. Ita vt virgo quædam monialis, quæ aphona, & conuulsa per biduum fuerat, post duas horas à venæ sectione fari cœperit, comedere, ac bibere. Existimamus nos, venæ sectionem posse celebrari, si pulsus fuerit validus, & manifestæ plenitudinis notæ appareant. Si verò pulsus languidus appareat, esse abstinendum, & interuallum esse expectandum, in quo tutius sanguis detrahi possit.

Emplastra vtiliter sub vmbilico admoueri solent, ex massa emplastri ceronei composita, quod emollit, & discutit, atque ita melius est emplastro pro matrice vulgari, quod aliquantulum adstringit, & sic vapores, & humores malignos retinere potest. Fiunt etiam emplastra ex galbano, & assa fœtida, vel ex gummi caranna, & tacamahaca, vel solis, vel admixtis quibusdam aromatis. Exempli gratia.

℞. Gummi carannæ ʒ. sem. pulu. nucis moſch. & caryophyl. an. ʒ. ß. olei succini gutt. iv. terebinth. ʒ. ij. Fiat empl. Huiusmodi emplastra ad formam scuti fieri debent, & in parte acuta, quæ ad vuluam vergere debet, apponenda grana aliquot moſchi, vel zibetæ, vt gratum odorem vtero inspirent, ipsumque retrahant, Moſchi gr. iij. excipiantur cotone, pauco oleo humectato; & intrudantur in foramen vmbilici. Deinde admoueatur emplastrum paruum ex galbano liquato. Hoc quædam mulieres pro secreto vtuntur.

Vel camphoræ gr. iv. dissoluantur in oleo amygd. dulc. & vmbilico inuantur, admoto desuper emplastro diapalmæ.

Si flatuum copia affectum fouere videatur; conuenient fotus, & semicupia, ex decocto fol. rutæ, artemisię, thymi, & calamenti, sem. fœniculi, anisi, cumini, baccarum lauri, flor. chamæm. anethi, & similium.

Sac.

Sacculi etiam parari poterunt, quibus includantur cuminum, anisum, semen dauci, sal, ruta, furfur, & benè calidi applicentur, ac sæpè iterentur. Vel

℞. Olei rutacei Vnc. iv. spiritus terbinth. Vnc. ß. Misce, immergatur panis recenter è furno extractus, & vmbilico applicetur.

Inunctionis quoque ventris inferioris, & totius vteri regionis, pectinis, & iumborum, non erunt inutiles; eò quòd vias dilatent, vapores attenuent, & discutiant. Eæque parabuntur ex oleo nardino, de spica, anethino, de samino, de croco, lilior, & amygdal. dulcium.

Maximè commendant Authores suffitum ex verrucis, quæ tibijs equorum adnascuntur: quæ si in calente furno exsiccentur, & in puluerem redigantur, ac naribus suffumigium nat, tanquam præsentaneo remedio, & magna adstantium admiratione. Solent mulieres fere in instanti à paroxismo liberari.

Si à semine retento affectus oriatur; nihil coitu conducibilius est, cùm mulier fuerit excitata, si viro coniuncta sit.

In coitus penuria multi consulunt pudendorum confricationem, atque titillationem, ab obstetrice factam, immissis digitis in vteri cervicem, oleis aromaticis perunctis. Verum, cùm id sine scelere fieri nequeat, à Medico Christiano nunquam est præscribendum.

Ad vapores istos malignos, paroxysmum hystericum producentes, discutiendos, multa per eos exhiberi solent, è quorum numero sunt theriaca vetus, ad Drach. j. exhibita cum aqua artemisiæ, pulegij, melissæ; trochisci de myrrha ad scrup. ij. vel ol. succini ad gut. v. vel sex cum ijsdem liquoribus.

Pilulæ in frequenti vsu esse consueuerunt, quarum præcipuè ita componi possunt.

℞. Castorei, myrrhę & assæ fætidę an. scrup. j. fæculę bryoniæ scrup. ß. sem. rutæ & croci, an. gr. vij. Cum syrupo de artemisia fiant pilulæ xij. Capiat tres, vel quatuor: quas si ægra deuorare nequeat, dissoluantur in aqua artemisiæ.

Ad vehementissimum paroxysmum sequentes vtilissimæ sunt, eumque certò sedare solent.

℞. Assæ fætidæ scrup. j castorei gr. vj. laudani gr. iij. Fiant pilulæ tres, vel iv. Capiat statim.

Pilulæ fætidæ maiores, licet purgantes sint, tamen in paroxysmo vtiliter exhibentur ad ʒ. ß. Blandè enim euacuant, nec nisi sedato priùs paroxysmo purgare consueuerunt; ita vt ab operatione nullum sit metuendum periculum.

Aquæ etiam multæ exhiberi solent in paroxysmo: nimirùm aqua vitæ, cinamomi, vel theriacalis.

Vel aqua specifica in hunc modum componi poterit.

℞. Rad. zedoar. sem. dauci, rad. leuistici, an. Vnc. ij. myrrhæ rubræ, castorei, an. Vnc. ß. rad. pœoniæ Vn. iv. visci quer. decrescente luna collecti vnc. iij. Præparatis affunde aquæ matricariæ ℔. iv. sem. Spiritus vini ℔. sem. Degerantur per triduum postea distillentur. Dosis cochl. j. per se, vel cum aqua conueniente.

Paratu facilior, & gustui gratior, neque minùs efficax ita componi poterit.

℞. Succor. melissæ, borrag. depurator. an. ℔. ij. croci opt. ʒ j. Infundantur, & destillentur in balneo Dosis cochl. i. cum iusculo. Hæc potiuncula in communi vsu habetur.

℞ Aquæ cinnam. Vnc. ß. aquæ naphæ Vnc. iv. castorei gr. iv. Misce, fiat potio.

Oleum succini, ad gutt. iii. vel iv. exhibitum, cum aqua flor. arantiorum, vel alia specifica, paroxysmum hystericum citissimè discutit.

Potio sequens plurimùm conferre solet, vt in obseruationibus nostris videre est.

℞. Aquar. attem. rosar. & flor. arant. an. Vnc. i. aquæ cinnam. ʒ. m. cont. ct. de hyacyntho Drach. i. pulu. electi. diamarg. frig. scrup. mez. croci gr. iv. Fiat potio.

Aquæ naphæ sola ad Vnc. iij. vel iv. vtiliter exhibetur. Sed cum muscho, & sang. draconis permixta, miranda præstat; quod testatur Solenander his verbis. *Mulier quædam sæuissimis symptomatibus affligebatur, dolore capitis, ructu, cōtractione corporis, dolore inguinis, stridore dentium, aliquando in terram cadens sine voce, ore clauso, vt aperire non posset, atque ex matricis vitio omnia. Remedijs multis frustra factis, superueniens mulier quædam vetula dedit tredecim grana moschi, & totidem sanguinis draconis vulgaris ex ʒ iv. aquæ flor. arantiorum: sanata est nec vnquam in posterum istos dolores passa est. Idem medicamentum simili casu à me exhibitum semper profuit, exhibitum autem aliquoties.*

Vngula alces ad hunc affectum est etiam vtilissima, iuxta experimentum Apollonij Menabei, *tract. de alce cap.* 10. his verbis: *Contra matricis suffocationem vnguem alces præsentaneum esse remedium, & ab alijs audiuisse, & periculo facto me cognouisse fateor. Nam accersitus, vt medicam manum adhiberem cuidam mulieri suffocatione oppressæ, data huius vnguis rasura cum radice zedoariæ, alijsque auxilijs ex arte adhibitis, optatum finem cum honore sum consequutus. Cum præterea intelligerem eandem sæpe numero eo ipso morbo tentari, vt partem huius vnguis collo appensam iugiter portaret, iniunxi. Quod cum sedulò feciisset, quamdiu ego interfui, tribus nempè mensibus, eo semper molestia caruit, vnde mihi multoties gratias egit.*

Camphora accensa & in aquam coniecta, ibique manens, donec extinguatur, præstans est remedium, ad ʒ. i. exhibita, vt, & aqua illa pota.

Iuli, seu catuli nucis iuglandis, in epistolis à Laurentio Scholtzio collectis; epistola à Thoma Mouseto ad Petrum Monauium scripta, hoc elogio commendantur. *In vteri strangulatu habeas singulare remedium. Iulos, siue catulos iuglandis in puluerem exsiccatos contunde. Dentur ad scrup. ij. cum guttulis duabus olei succini. In eo affectu nihil vnquam noui præstantius.*

In forma pulueris duo parari possunt remedia efficacissima, & à nobis pluries experta.

Vnum fit ex secundina primi partus in camino, exsiccata, & in puluerem redacta. Cuius dosis est Drach. j. in liquore idoneo; confestim liberat à paroxysmo.

Alterum fit ex duabus partibus sulphuris, & vna nucis moschatæ. Rediguntur in puluerem, & Drach. j. pondere exhibentur.

Puluis gagates ad Drach. sem. vel Drach. j. exhibitus multum potest.

Puluis granorum actes, seu sambuci Quercetani, cùm vini cyatho sumptus Drach. j. pondere epilepsiam hystericam submouet, illiusque recursum impedit secunda exhibitione.

In pulueris illius defectu, fuligo camini exhiberi potest, eadem dosi, in ouo sorbili.

Quia verò vterus non rarò prauis, & excrementitijs humoribus refertus est, vnde tetri vapores eleuantur. Illius expurgationi incumbendum est, quod commodissime fiet pessario sequenti.

℞. Diaphœnici Drach. j. pulu. hieræ picræ Drach. ß. terebinthinæ Drach. iij. Excipiantur stupis, & fiat pessarium.

Pro potu ordinario bibat ægra leue decoctum cinnamomi, vel carui, vel anisi.

De vino est controuersia, an in paroxysmo hysterico sit exhibendum. Hipp. 1. *de natura mulierum*, commendare videtur. Illius que sententiæ ratio maximè fauet. Nam summa corporis refrigeratio, & virium languor non possunt melius subleuari, quam exhibito vino generoso. Auicenna tamen omninò prohibet. Et certè, quia hic affectus vt plurimum dependet à retento semine, vel sanguine, & vaporibus tetris qui ab vtero eleuantur: vinum tenuitate sua, & summa penetrandi vi materiam morbificam magis exagitat. Vndè communi experientia videmus, mulieres hystericas ex vsu vini in ipso paroxysmo male se habere. Vt hæc difficultas dirimatur, dicimus, vinum ordinariè non esse exhibendum tempore paroxysmi; sed tantum extraordinariè: quando scilicet ratione virium summè collapsarum, complicatæ syncopes, vel instantis mortis, cogimur ad præsentaneum illud auxilium recurrere, iam omnibus alijs frustra tentatis.

In hac curatione diligenter aduertendum est, in prægnante muliere, hysterico affectu laborante, prudenter remedia esse administranda, neque vehementiora illa, ac valdè fœtida esse exhibenda, ne abortus concitetur, & externis remedijs magis, quàm internis, rem esse absoluendam.

In curationis decursu, cordis, & cerebri ratio habenda est, & si valdè opprimi videantur, propijs remedijs illis subueniendum est. Cordi, admouendo epithema ex vino, & aqua florum arantiorum, & imperialis; aut ex theriaca in vino dissoluta; aut animalia calentia eidem applicando. Capiti verò, vsurpando ea remedia, quæ in soporosis affectibus fuere proposita.

Extra paroxysmum curatio in prophylaxi versatur, vt accessionis reditus impediatur, aut saltem retardetur. Quæ qui-

quidem cauſarum ablatione, & vteri corroboratione perficitur.

Primò igitur, tempore conuenienti, præcipuè vere, vel autumno, ſolemnis euacuatio inſtituetur, incipiendo à potione purgante, vel alio medicamento, ægrotantis naturæ congruo, additus, perpetuò quibuſdam hyſtericis.

Deinde, ſi ſanguis redundare videatur; mittendus erit primum ex branchio, poſteà verò ex pede, eligendo, quantum fieri poteſt, tempus medium inter duas purgationes menſtruas.

Poſt modùm verò, vt prauorum humorum illuuies ſufficienter præparetur, & expurgetur; componendum eſt apozema alterans, aperiens, & purgans, ad quatuor, vel quinque doſes exhibendum.

Si natura ad ſanguinis euacuationem per hæmorrhoides inclinare videatur; aperiendæ ſunt, admotis hirudinibus Eaſque in hoc affectu plurimùm profuiſſe teſtatur Mercatus *conſ.13. & 14.*

Poſt vniuerſam purgationem, ad materiæ morbificæ reliquias diſcutiendas, conueniet decoctum ſudorificum, per plures dies exhibitum ex ligno ſaſſafras, aut guaiacino, cum ſemine fœniculi, rutæ, & viticis paratum.

In eundem vſum maximè conuenient thermæ ſulphureæ, & bituminoſæ, quales ſunt noſtræ Balerucanæ, quarum vſu multas optimè habere quotidiana experientia patefacit.

In affectu diuturno, præter dicta remedia, conueniunt purgationes frequentes, per pilulas vſuales, ſyrupos, aut potiones. Quorum remediorum formulæ ita componi poſſunt.

℞. Agarici trochiſcati ʒ j. ß. hieræ diacolocynth. ʒ.j. Sem. dauci, viticis, an. ϑ.j. myrrhæ, caſtorei, diagrydij, an. ϑ.ß. terebinth. q. ſ. Fiat maſſa pilul. de qua capiat ʒ. ſem. vel ϑ. ij. bis, aut ter in menſe.

Syrupus ſequens à Mercato maximè laudatur, tanquam mirabilis, & omnibus hyſtericis mulieribus maximè proficuus, *conſ.13.*

℞. Succi mercurialis, & lactis ſeminis carthami, ana ℥.vj. aquæ ſcorzoneræ ℥. vij. ſacch. q. ſ. vt fiat ſyrupus. Cui adde, dum coquitur, in ligatura, confectionis de hyacintho, alKermes, & pulueris electuar. de gemmis, ana ʒ.ij. Doſis ʒ.ij. vel iij.

℞. Rad. bryoniæ ʒ.iij. fol. ſennæ ℥.ß. agarici ϑ.ij. zinzib. ϑ. j. cinamom. ʒ.j. Infundantur per noctem in aqua fontis. In colat. diſſolue ſyrup. roſac. ℥. j. Fiat potio, ſumenda bis, aut ter in menſe.

Pilulæ fœtidæ maiores, bis in menſe ad ʒ. ſem. exhibitæ, ſunt vtiliſſimæ.

In ijs, quę facilè vomunt, vtile eſt vomitum proritare ſemel, aut bis in menſe, in hunc modum.

℞. Agarici trochiſcati ϑ.j. ß. oxymel. ʒ.j. aquæ meliſſæ, & artemiſiæ, ana ℥. iij. Fiat vomitorium.

Chymici ſal vitrioli in aqua appropriata exhibent à ʒ. ß. ad ʒ. j. & hyſtericis affectibus ſpecificum prædicant.

Poſt ſingulas euacuationes roborantia nonnulla exhibenda ſunt, qualis eſſe poterit opiata ſequens.

℞. Conſeruæ anthos, betonicæ, meliſſæ, ana ℥.j. ß. pul. electuar. diamoſchi, & diacaminth. ana ʒ. ß. Cum ſyrup. de artemiſ. Fiat opiata.

Theriaca ſola huic vſui eſt aptiſſima, quæ in calidioribus naturis temperati poterit admixtis conſeruis nymphææ, capill. ven. & ſimil.

Sed longè efficacior eſt puluis ſequens, qui diuturnas, & contumaces effectiones hyſtericas ſanat, ſi frequenter aſſumatur ʒ.j. pondere cum vino, aut pane hoſtiario, vel in boli formam redactus, cum ſyrupo artemiſiæ.

℞. Rad. gentianæ, dictamni albi, tormentillæ, pyrethri, rhapont, biſtortæ, ariſtolochiæ rotundæ, carlinæ, baccarum lauri, angelicæ, imperatoriæ, ſem. coriandri præp. ſem. aniſi, grani iuniperi, maſtiches, boli armenę orientalis, tertiæ ſigillatæ, ana. ℥.ij. ß. croci orient. ʒ.ij. ß. Fiat puluis tenuiſſimus in vaſa benè clauſo reſeruandus.

Neque omittenda ſunt illa medicamenta, quæ virtute ſpecifica hyſtericis affectibus mederi conſueuerunt. Quæ quia maiori parte odore, ac ſapore ingrata ſunt, in forma pilularum frequentiùs exhibentur, quarum exemplum tale eſſe poterit.

℞. Aliæ fœt. ϑ. ß. caſtorei, myrrhæ galbani, ſagapeni, ana ϑ.j. Cum melle mercuriali fiat maſſa, de qua capiat ϑ. ß. vel ϑ.j. frequenter.

Platerus etiam ex vehementer odoratis pilulas componit in hunc modum.

℞. Moſchi gr. vj benz. ʒ. ß. ſacchari ʒ.j. Cum aqua cinam. fiant pilulæ ϑ. ſem.

Aquæ hyſtericæ ſupra deſcriptæ, in paroxyſmo exhibendæ extra paroxyſmum etiam vtiliter vſurpari poterunt, ſumendo cochlear. j. vel ij. mane per interualla.

Matthiolus bryoniæ radicem valdè prædicat his verbis: Bryonia mulieres, vuluæ ſtrangulationi obnoxias, mirum in modum iuuat, adeò vt eas à ſtrangulatu liberet, & ſanet. Equidem noui mulierem, quotidiè ferè, per annos hoc morbo vexatam, quæ tandem à quodam vulgari herbario edocta, vt vinum album biberet, in quo vitis albæ radicis ʒ. j. efferbuiſſet, dormitum it ura, ſemel in hebdomada: cum hac medicina per annum vſa fuiſſet; optimè ex illo morbo conualuit.

Hepar lupi exſiccatum, & ʒ.j. pondere exhibitum, epilepſiam hyſtericam præcauere poteſt, ſi ter, aut quater exhibeatur poſt vſualem purgationem.

Chymici ad hunc affectum vitriolatum Martis commendant, eiuſque granum vnum, vel duo, cum dupla ſacchari portione exhibent, per multos dies cum vino, aut liquore idoneo.

Imò verò ad gr. xij. xv. & xx. exhiberi poteſt cum conſerua idonea; vel in pilulas efformari cum mucilagine gummi tragacanthi.

Cremor tartari frequenter exhibitus huic etiam affectui curando vtiliſſimus eſt.

Hæc duo remedia non ſolùm aperiendo, ſed etiam refrigerando conferunt. Sæpè enim calida intemperies in hoc affectu, vtero infixa eſt, à ſanguine intra illius venas retento, & excalefacto oriunda: quemadmodum dicit Galenus, in melancholia hypochondriaca eſſe phlogoſin in hypochondrijs, à ſanguine, in ijs propter obſtructiones retento, & ſupercalefacto: ideò ea, quę vterum refrigerare poſſunt, hic maximè conuenient; qualia ſunt ſemicupia, oxycratum ore aſſumptum, & per clyſteres iniectum, & ſimilia. Quibus addere licet hiſtoriam ad Haruæo relatam in tractatu, & partu mulieris, hyſtericis ſymptomatibus nulli remediorum generi cedentibus, diu laborantis, quæ tandem poſt multos annos ab vteri prolapſu ſanitatem recuperauit. Quia nimirum vterus aeri externo expoſitus, refrigeratus eſt; ſicque phlogoſis illius, & calida intemperies repreſſa.

Ipſius etiam chalybis vſus à quibuſdam Practicis maximè commendatur, tanquam omnibus affectibus vterini opportuniſſimus. Cuius præparationes deſumentur ex curatione obſtructionis hepatis.

Cauteria cruribus admota maximè etiam conferunt. Ab vtero enim prauos humores deriuant ratione venarum, quæ vtero, & cruribus communes exiſtunt.

Neque negligenda amuleta de collo ſuſpenſa ſupra regionem vmbilici, quemadmodum antea monuimus, vngulam alces hoc modo conferre. Alij laudant radicem peucedani geſtatam. Et noſtrates mulieres non infeliciter geſtare ſolent fruſtulum aſſæ fœtidæ, linteo raro incluſum. Alias vidimus, quæ vulpis veretrum exſiccatum teſticulis, de collo ſuſpenſum, ſupra vmbilicum gerebant, & ſeſe hoc modo ab inſultibus hyſtericis præſeruabant.

Aliæ geſtant fruſtulum carnis lupinę exſiccatæ, vel hepatis, lupi, non ſine fructu.

Quod ad remedia externo attinet; poſt ſingulas purgationes, aut ſaltem ſemel in menſe, octo, vel decem diebus ante purgationem menſtruam, conuenient fotus, aut ſemicupia, vt coliquatus humor morbi cauſa per reſeratas vias facilius effluat. Et parari poterunt ex rad. altheæ, lilior. bryoniæ, ireos, rubiæ, valerianæ, angelicæ, fol. artemiſiæ, nepetæ, matricariæ, meliſſæ, baccis lauri, & ſimilibus.

Ad materiæ morbificæ reliquias diſcutiendas, & vterum roborandum poſt fotum, vel inſeſſum, emplaſtrum ſequens ſub vmbilico admoueri poterit.

℞. Gummi tacamahacæ, & caragnæ, ana ʒ. ij. aliptæ moſchat. ℥. ß. Sem. agni caſti ʒ.j. med. ſantal. omnium, ana dra. med. terebinth. ladani, ceræ, an. q. ſ. Fiat emplaſtrum.

Si à ſemine retento hic affectus oriatur; vſurpentur illa remedia, quæ ad ſemen extinguendum, & diſcutiendum ſupra in furoris vterini curatione deſcripta ſunt.

CA-

CAPVT VII.

De vteri Inflammatione.

VTeri inflammatio est tumori illius partis à sanguine in illius substantiam effuso.

Illa autem inflammatio, vel totum vterum occupat, vel aliquam illius partem. Et vel à puro sanguine producitur, ac phlegmone simpliciter appellatur: vel bilem ipsi permixtam habet; & phlegmone dicitur erysipelatodes: vel iungitur cum pituita, aut melancholia; & phlegmone œdematodes, aut scirrhodis nominatur.

Causæ, ad hunc affectum producendum; aut promouendum idoneæ, variè esse possunt: temperamentum scilicet sanguineum, plethoricum, aut biliosum; naturalis vteri laxitas, & viarum amplitudo; aer impensè calidus humores inflammando, vel frigidius constringendo, & profluentia menstrua, vel fluere parata, coercendo; vehemens exercitatio, coitus immoderatus, ictus, vel casus supra regionem vteri; animi pathemata grauiora, præsertim iracundia; alimenta acriora, & calidiora, & quæcunque alia assumpta acrimonia insigni, atque erodendi facultate prædita, vt de cantharidibus authores referunt, quas non solùm vesicæ, sed etiam vtero valdè infensas asserunt; pessaria acriora diutiùs vsurpata, medicamenta cathartica, aut alterantia, qualia plerumque vsurpantur à sterilibus mulieribus vndecunque exquisita; mensium retentio plethoram augendo, vel nimia profusio vias relaxando, & motum humorum à toto corpore in hanc partem promouendo, cucurbitulæ etiam pubis regioni admotæ attrahere possunt violenter ad regionem vteri, in eaque cohibere sanguinem, & alios humos. Idem præstare possunt partus laboriosus, abortus, contrectatio violenta partium genitalium ob obstetrice imperita, & gestatio fœtus molesta.

Signa diagnostica sunt, tumor, calor, & dolor in regione vteri, cùm febre continua. Sed quia rectum intestinum, & vesica eandem regionem occupant, ideò aliis signis vteri inflammatio distinguenda est: qualia sunt mensium suppressio, aut diminutio, eorumque color pallidus, aut citrinus, ac dolorifica excretio; & in mensium absentia ichores quidam fœtidi, ac putridi resudant, & locos muliebres irrigant. Quorum etiam inuestigatio claram affert diagnosin. Osculum enim interius tumidum, retractum, & dolorificum apparebit: cervix vteri rubicunda, & inflammata erit, tumentibus venulis per eam dispersis.

Si totus vterus laboret; omnia symptomata erunt vehementiora. Si magis vteri cervicem inflammatio teneat, calor & dolor maximè ad inguina, & pudenda extenduntur. Si anterior pars laboret, maior erit vesicæ sympathia; si posterior, rectum intestinum magis laborabit, & dolor ad lumbos exporrigetur. Si pars dextra, aut sinistra inflammetur tumor, & dolor circa alterutrum inguen apparebit; & crus eiusdem lateris grauitate quadam afficietur.

Signa causarum ita inuestiganda sunt. Si à sanguine puro inflammatio fiat, omnia symptomata sunt mitiora; si vero bilem admixtam habeat, febris est ardentior, & omnia symptomata sunt vehementiora. Si vero sanguis putrefactus sit, aut melancholicus, febris erit minùs acuta, sed morbus diurnior, ac contumacior. Tum etiam ad istam diagnosin referenda erunt signa humoris, in toto corpore prædominantis.

Si Inflammatio in suppuratum abeat; dolor, & febris augetur, & horrores sæpe sine ordine oriuntur, plerumque tamen circa vesperam recurrunt. Omnia etiam reliqua symptomata intenduntur. Suppuratione facta, omnia mitescunt, & tumor magis attollitur; ex quo interdum aluus, aut vrina supprimitur. Si vero inflammatio sine suppuratione discutiatur, tumor imminuitur, symptomatis mitescentibus.

Si denique in scirrhum degeneret, febris, dolor, & reliqua symptomata imminuntur, tumore perseuerante, & duritiem maiorem adipiscente; tum etiam pondus, & grauitas permanent, non solùm in vtero, sed in partibus etiam circumiacentibus, vt ægra corpus difficilè mouere queat.

Prognosis huius affectus bona instituì non potest, quia periculosissimus est, & vt plurimùm lethalis. Maius tamen vel minùs periculum portenditur pro magnitudine morbi causæ, & symptomatum in hunc modum.

Si inflammatio totum vterum occupat, morbus est deploratus: si verò aliquam tantùm partem, salutis spes adest.

Si mulieri grauidæ in vtero sit erisipelas, lethale ex Hipp. *Aph. 43. sect. 5.* fœtus enim propter insignem inflammationem emoritur, vnde sequitur abortus, qui in grauissimo morbo accedens matrem iugulat Galen. *in comment. huius Aphor.* dubitat, num hæc sententia de omni inflammatione pronuncianda sit, & num vtero inflammationem patiente, fœtus possit aliquando viuere.

Inflammatio vteri facilè in grangrænam degenerat; quia vterus, veluti totius corporis cloaca, excrementorum illuuiem recipit, à quibus calor natiuus facilè suffocatur.

Vteri inflammationi delirium, conuulsio, singultus, extremorum frigiditas, sudor diaphoreticus superueniens, mortem breui aduenturam portendunt.

Si inflammatio vteri suppuretur; solutio illius speranda est sed vlcus sordidum sequetur, à quo ægra lenta febre contabescit, vel in hydropem incidit.

Si inflammatio in scirrhum mutetur; malum diuturnum euadit, & sæpè hydropem accersit.

Ad curationem huius affectus, sanguinis ad vterum fluxus reuellendus, repellendus, & deriuandus est, qui fluxit, & in parte continetur, resoluendus: Et, si tumor ad suppurationem vergat; ea adiuuanda est, ruptoque abscessu, pus euacuandum. Quod fiet sequentibus remedijs.

Præmisso igitur clystere emolliente, & refrigerante, mittatur sanguis è basilica lateris magis affecti, vel ab vtraque, si totum vterum tumor occupet; & phlebotomia reiteretur bis, ter, quater, pro ægræ viribus, & phlegmones magnitudine.

Post sufficientem reuulsionem, & transacto morbi augmento, vbi nulla amplius suspicio est fluxionis adhuc fientis; venæ inferioris aperiendæ sunt ad deriuationem à parte affecta. Quod sensu audiendus est Gal. *lib. de sang. missione, & 13. meth.* cùm docet, in vteri inflammationibus venas poplitis, & malleoli esse aperiendas. Attamen quandiu aliqua reuellendi indicatio perseuerat, satius est venas brachij aperire.

Ad reuulsionem etiam conueniunt frictiones, & ligaturæ superiorum partium, item cucurbitulæ scapulis, lumbis, & dorso admotæ.

Si vitiosi humores, præcipuè biliosi in corpore abundet, qui reliquorum humorum in fluxu quasi vehiculum sint; ij lenibus medicamentis euacuanti, vt syrupo rosaceo, & violato solutiuo, manna, rhab. catholicone, vel electuario lenitiuo: fortiora enim humores nimiùm commouendo fluxionem excitarent.

Vomitoria autem, licèt præscribantur ab Auicenna, minimè conuenire videntur. Si enim blanda, & mitiora sint, nihil penè euacuant. Si fortiora, magnam corporis agitationem efficiunt, vnde humores commoti magis in partem irruere possunt.

Propter insignem febrem refrigerantia medicamenta vsurpanda sunt, vt iulepi, & emulsiones: quibus, si immensæ vigiliæ, dolor, & inquietudo ægrotantem vehementer afficiant; narcotica erunt permiscenda; quæ etiam seorsim exhiberi poterunt.

Post primas euacuationes, topica admoueantur imo ventri, inter vmbilicum, & pectinem, & circa renes: primò repellentia, & refrigerantia, in forma linimenti, epithematis, & cataplasmatis.

Linimentum fit ex oleo rosaceo, loto in aceto; vel vnguento rosaceo, cerato santalino refrigerante Gal. addito pauco aceto.

Epithema fiet ex aquis, vel decocto plantaginis, acetoso, solani, summitat. papau. albi, & rosarum, addendo boli armenæ, sang. drac. vel teriæ sigillatæ tantillum.

Cataplasma parabitur ex mica panis albissimi cum lacte cocta, cui parum olei rosacei, succi hyoscyami, vel solani, cum vitellis ouorum addatur. Vel ex farina hordei, semin. lini, fœnugr. cum oleo rosaceo, quibus etiam prædictæ plantæ contusæ addi poterunt.

Iniectiones in vterum fieri debent, in hunc modum compositæ.

℞. Fol. plantag. nymphææ, solani, endiu. ana M. j. ros. rubr. P. ij. Coquantur ad tertias, & adde olei myrtini Vnc. j. aceti. ℥. ß. Fiat iniectio.

Ex ijsdem herbis contusis, cum oleo rosaceo, & aceto, fieri debent pessaria, & in vterum immitti.

Neque

Neque verò diutiùs vtendum est repellentibus, & refrigerantibus, ne tumor indurescat, & in scirrhum degeneret. Ideoque repellentibus emollientia, & resoluentia permiscenda; ea cautione, vt quò longiùs phlegmone à principio distat, maior sit quantitas digerentium. Sic prædictis remedijs malua, althæa, artemisia, fœnumgræcum, chamomila, melilotus (aucta, vel imminuta eorum dosi) admisceri poterunt.

Interim si aluus est dura; emollienda est blandè purgantibus. Imò verò, ad temperandam inflammationem, clysteres refrigerantes frequenter iniecti plurimùm prodesse poterunt, cùm vterus recto intestino incumbat. Eorum autem minima sit quantitas, vt diutiùs retineantur, & ne vterum comprimant; quorum tale sit exemplum.

℞. Rad. alhææ Unc. j. fol. maluæ, violar. lactucæ, ana M. j. solani M. ß. flor. violar. ros. ana P. j. prun. acidor. num. x. Coquantur in aqua hordei. Colat. ʒ. vj. adde olei rosacei ʒ. iij. Fiat clyster.

Si dolor valdè vrgeat, prædictis clysteribus addi poterunt vitelli ouorum, axungia gallinę, lac muliebre, mucilago sem. fœnugræci, lini, vel maluæ, imò, & cantillum, opij, cum pauco croco.

Tum etiam fiant iniectiones in vterum ex lacte caprillo, vel ouillo, cum opij, & croci ana. gr. iij. vel iv. & pauca aqua rosarum.

Vel pessarijs addatur opij modicum cum pauco croco, vitellis ouorum, & oleo rosaceo. Vel etiam fiant pessi ex philonio Romano cum cotone, Vel fotus anodynus in hunc modum paretur.

℞. Althææ cum rad. maluæ, violar. ana M. j. chamomillę. meliloti, rosar. ana P. j. Coquantur pro fotu.

Inclinante affectu, purgatio iteranda est blandioribus catharticis. At affectu ad resolutionem vergente, (quod ex remissione symptomatum, & minori partis grauitate dignoscetur,) discutientia maiori copia prædictis remedijs addantur. Vel fiat tale cataplasma.

℞. Pulueris rad. althææ Unc. j. flor. chamomillæ, meliloti, ana Drach. ij. fol. artemisiæ, pulu. farinæ hordei, & fabarum ana Unc. sem. Coque parum in vino austero; adde pinguedinis porcinæ recentis, olei chamæmel. & liliorum alborum, ana Vnc. j. Fiat cataplasma.

Fotus, & insessus resoluentes hic etiam conferre poterunt.

Si tumor resolui nequeat, sed ad suppurationem vergere videatur; adiuuanda est hæc sequenti cataplasmate.

℞. Pulueris radicis althææ, flor. chamom. meliloti, farinę sem. lini, fœnugræci, ana Vnc. j. ficuum pinguium num. viij. Coquantur ad pulpis consistentiam. Deinde adde vitellos ouorum num. iv. croci Scrup. med. olei lilior. & butyri recentis, ana ʒ. j. Fiat cataplasma.

Confecto pure, quod ex caloris, & doloris remissione, ac quadam inundatione, tangendo, dignoscitur; abscessus disruptio procuranda est motu corporis, tussi, sternutatione, cucurbitulis admotis, iniectionibus detergentibus, & attenuantibus, vel pessarijs rumpendi vim habentibus, Exempli gratia.

℞. Adipis anserini Vnc. sem. terebinthin. ʒ. ij. pulueris sem. rutæ, nitri, radicis iridis, ana dra. ß. Misce, & cum lana fiat pessarium.

Rupto abscessu, puris expurgationi, & vlceris detersioni, ac consolidationi incumbendum est, pro vt in vlceris vteri curatione iam describenda docebitur.

CAPVT VIII.

De Vlcere Vteri.

INflammationem vteri suppuratam sequitur vlcus, quod etiam ab alijs causis dependet, quæcunque scilicet in vtero erosionem efficere consueuerunt.

Causæ igitur illius sunt, abscessus disruptus, humores acres in vterum confluentes, acria, & erodentia medicamenta in vterum immissa, vel etiam assumpta, vt de cantharidibus supra relatum est.

Causę antecedentes sunt illæ omnes, quas inflammationem efficere posse supra documus, vt partus difficilis, violentus, & effrænis concubitus, fluor muliebris acrior, & diuturnus, vulnera casus, & contusiones, præcipuè gonorrhœa virulenta, ac lues venerea, cuius contagium vtero, illiusque cerui- si facile communicatur.

Differentiæ petuntur à loco, magnitudine, figura, & complicatione cum alijs affectibus.

Ratione loci, nempe variarum vteri partium, modò vlcus ceruicem vteri occupat, & internum illius orificium; modò infundo residet, quod rarius contingit. Aliquando, & frequentiùs internam vteri superficiem obsidet; aliquando, sed rariùs externam inuadit; vnde fit nonnunquam, vt pus, ab huiusmodi vlceribus emissum, per vesicam, vel intestina vacuetur; vel si in cauitate abdominis subsistat, abscessus circa inguina appareant, de quibus loquitur Hippocrate *Aph. 47. sect. 5.*

Ratione magnitudinis: quædam magna, quædam parua multum scilicet, vel parum spatij occupantia, in vtero dicuntur. Quæ si sint parua, & superficiaria, parùm à scabie, & pruritu differunt: si verò magna, & grauia, ac veluti depascentia, nomæ ab Hippocr. nominantur.

Ratione figuræ, vlcera dicuntur rotunda, oblonga, sinuosa, aut fistulosa.

Ratione complicationis cum alijs affectibus, dicuntur phlegmonosa, cancrosa, scirrhosa, dolorifica, saniosa, virulenta, & contagiosa.

Signa diagnostica vlceris, in vtero geniti, sunt, dolor, & mordicatio in vtero, vel illius ceruice, & purulentæ materiæ ex vtero emissio. Quæ diagnosis amplius illustrabitur, si causæ vlcus producentes supra relatę præcesserint.

Si vlcus ceruicem vteri occuper; ipso visu deprehenditur immisso speculo matricis: tum etiam contactu, manu obstetricis; vel in concubitu, in quo ægra dolorem percipit molestum. Si verò vlcus fuerit in vteri fundo; dolor percipitur versùs regionem pubis, excrementa profluunt copiosiora.

Si vlcus penetrent ad extremam superficiem; vrinæ, aut deiectiones purulentæ apparent, vel fluctuatio quædam in abdomine percipitur, vel tumor versùs inguina, in quibus abscessum minatur.

Si vlcus simplex fuerit, & benignum; pus effluit paucum, album, & minimè fœtidum. Si verò fuerit malignum, & depascens; sanies erit viridis, liuida, & varij coloris, cum fœtore, & magno cruciatu effluens.

Si ex lue venerea duxerit originem; præcessit gonorrhæa, vel adhuc præsens est, & alia luis venerea indicia apparebunt.

Prognosis desumitur ex Hipp. *lib. 1. de morb. mulier.* nullum scilicet vlcus vteri esse contemnendum, quia fit in parte, exquisito sensu prædita, quæ sympathiam habet cum præcipuis corporis nostri partibus, & ab ijs illuuiem excrementorum recipere valdè disposita est.

Si vteri vlcera cancrosa, phagedænica, sinuosa, aut fistulosa euaserint; sunt vt plurimùm insanabilia, & toto vitæ curriculo miseras ægrotantes crudeliter exercent.

Vlcera ceruicem vteri occupantia facilius curantur, quia remedia ijs immediate admoueri possunt.

In mulieribus, quæ ab hoc morbo, conualescunt, perfectæ valetudinis signum est, quando concipere incipiunt, & semen virile commodè recipere, aut menstrua conuenienter & sine dolore effundere.

Curatio vlceris vterini eò dirigenda, vt humorum acriũ, vlcus vel generantium vel fouentium defluxus prohibeatur, & vlceris detersio, ac conglutinatio procuretur. Ad quem finem sequentia in vsum reuocari poterunt.

Ac primùm, si corpus sit plethoricum, vel vlcus coniunctam habeat phlogosim, venæ sectio ex brachio celebranda est, eaque toties repetenda, quoties nouæ fluxionis periculum instare videbitur. Tum præcipuè instante purgatione menstrua maximè conuenit, vt illa imminuatur, quæ vlceri materiam suppeditare solet, & aliorum humorum in vterum affluxum promouere.

Purgatio etiam maximè necessaria est, vt à cacochymia corpus liberetur. Eaque institui debet ex benignioribus catharticis, vt senna, rhabarbaro, tamarindis, myrobalanis, catholicone, & similibus; quæ frequenter iteranda est, vt vitiosi humores ab vtero auertantur: eaque tanti est hac in re momenti, vt testetur Forestus *obseru. 48. lib. 28.* Ioannem Thiengium, Medicum Amstelrodamensem, nobilem matronam ab vlcere vteri saluti restituisse, cui dabat de quarto in quartum diem ʒ. v. decocti sennæ, epithymi rosar. tubr. myrobalanorum Indorum, saccharo dulcorati, & abstringentia decocta in vterum injiciebat.

Ad vsum frequentem syrupus magistralis componi poterit in hunc modum.

℞. Rad.

℥. Radic. symphyti maioris, & polypod. quer. recentis, ana Unc.j. corticis citri ʒ.vj. fol. plantag. vincæ peruincæ, saniculæ, acetosæ. capill. veneris, ana M.j. liquiritię rasæ, & passularum mundatarum, ana ʒ.j. sennæ mundat. ʒ.vj. sem. carthami contusi ʒ.ij. agarici recenter trochiscati in ligatura positi ʒ.x. sem. melon. & anisi, ana Drach. iij. flor. cordialium, anthos, & epithymi, ana P.j. Fiat omnium decoctio in aqua hordei. In cuius portione infunde rhabarbari electi ʒ.ß. cinamomi ʒ.j. In colat. ℔.j. ß. dissolue syrupo rosat. solut. ʒ.iij. sacchari q.s. Fiat syrupus perfectè coctus, de quo capiat ʒ.ij. vel iij. bis, aut ter in mense, cum decocto agrimoniæ, & plantag. vel infuso rhab. in aqua endiuiæ.

Si ægra facilè vomat; purgatio per vomitum erit præferenda, quia humores ab vtero reuellit.

In purgationum interuallis decoctum vulnerarium diu vsurpandum est, quod in hunc modum componi poterit.

℥. Fol. agrimon. pimpinellæ, centinodiæ, plantaginis, ana M.ß. rad. chynę ʒ.iij. sem. coriandri ʒ.j. passul. min. ʒ.ß. santali rubri ϑ.j. Coque in iure pulli gallinacei. Colat. capiat manè, & sero. Vel

℥. Fol. artemis. plantag. mille folij, ana M.j. rhapont. ʒ.ß. sem. viticis ʒ.j. Coque in mensura vini albi, & dulcorentur saccharo. Capiat ʒ.ij. vel iij. manè.

Si febris vrgeat, & magna saniei copia excernatur; serum lactis erit vtilissimum, manè ad Vnc. viij. vel plures exhibitum, addendo mellis rosacei, vel sacchari parum.

Si corpus tabescere incipiat cum vestigio febris hecticæ; lac præsertim asininum cum saccharo rosaceo per integrum mensem exhibeatur.

Sudorifica, absente inflammatione, & calidiori intemperie, etiam conferre poterunt ad vlcus exsiccandum, reuellendosque humores serosos versùs habitum corporis.

Terebinthina lota in aqua, vtero conuenienti, vt artemisiæ, matricariæ vel vlceri idonea, vt plantag. rosarum, cum saccharo rosaceo sumpta per interualla vlcera detergit, & consolidat.

Pilulæ de bdellio ad Drach. j. pro vna vice exhibitæ, vel singulis, aut alternis diebus, ad ϑ.j. valdè etiam conferunt, & si sanguis fluat, eum compescunt.

Vel recentes eodem modo vsurpandæ, sic parari potestunt.

℥. Bdellij ʒ.iij. myrrhæ, thuris, ana ʒ.j. sarcocollæ, styracis, succini, myrobalanorum chebulor. ana ʒ.ß. coralli rubr. ϑ.ij. Cum syrupo de papau. fiat massa pilularum, cui in dolore vehementi tantillum opij admisceri potest.

Trochisci alkekengi cum opio, dolore vrgente, etiam sopiti puluerati propinantur.

Ad dolorem etiam leniendum vsurpari possunt eadem remedia, quæ in vteri inflammatione pro eodem symptomate fuerunt proposita.

Puluis sequens ad vlcus exsiccandum erit non parum efficax.

℥. Acaciæ, hypocist. ana ʒ.j. sanguinis draconis, amyli, radicis plantag. aristolochiæ rotundæ, ana ʒ.ß. boli armen. ʒ.j. mastiches, sarcocollæ, ana ʒ.ß. Fiat puluis tenuissimus cuius dosis erit Drach. j. cum aqua plantag. rosarum, vel chalybeata.

Zacutus Lusitanus *obser. 87. & 88. lib. 2.* opiatam, & aquam proponit, quibus se desperata vteri vlcera, ad curationem perduxisse testatur. Earum descriptiones ex dictis locis repetere quis poterit.

Ad vlceris detersionem, exsiccationem, & conglutinationem variæ parantur iniectiones. Quæ tamen vsurpandæ non sunt, quin prius inflammatio auferatur, quæ non raro huiusmodi vlceribus solet esse coniuncta; simulque dolor demulceatur, qui non solum valdè molestus est, sed etiam partem irritando fluxionem augere solet.

Ratione igitur inflammationis illius, & acrimoniæ iniiciantur prius in vterum emulsiones seminum frigidorum serum caprinum, vel lac integrum, aut solum, aut cum succo plantaginis, & bursæ pastoris permixtum: vel si necessitas vrgeat; decoctum capitum papaueris, & summitatum malvæ. Quidam Practici sola aqua repente plurimum iuuari existimant huiusmodi ægrotantes, si frequenter injiciatur; nec immerito. Sic enim seruor, & inflammatio temperatur, dolor demulcetur, & sordes vlceri adhærentes abluuntur. Valescus de Taranta etiam frigidam probat, his verbis: *Noui*, inquit, *aliquas mulieres se sentientes habere huiusmodi vlcera. Lauabant ea cum aqua frigida, mundabant deinde, & cum pannis lineis exsiccabant, & in matricem mittebant frequenter. Atque ijsdem præsidijs sæpè mutatis, hæc ipsa per se sæpè ad integram curationem sufficiebant.*

Ablata intemperie calida, & dolore sedato, aut saltem magna ex parte imminuto, ad detergentia veniendum est, à mitioribus ad fortiora progrediendo.

Mitiora sunt serum lactis cum saccharo; decoctum hordei cum saccharo, vel melle rosaceo, maioris detersionis gratia; vel hydromel simplex.

Paulò validior erit decoctio ex hordeo, lentibus, fabis non excorticatis, & folijs apij, parietariæ, plantaginis parata, addito melle rosaceo.

Vbi valdè sordidum est vlcus; decoctum vulnerarium aqua catapultarum vulgò dictum, Principem locum obtinet; cuius compositio talis est.

℥. Rad. gentianæ rhapontici, zedoariæ, & aristolochiæ rotundæ, ana Vnc.j. vini albi ℔.vj. Bulliant ad tertiæ partis consumptionem. In colat. dissolue sacchari albi ℔.sem. Seruetur ad vsum.

Uel sequens decoctio parari poterit.

℥. Hordei integri, furfuris macri, & rosar. rubr. ana P.j. fol. agrimon. absinthi, caprifolij, & apij, ana M.j. fabarum, & lentium, ana ʒ.iij. liquirit. rasi. radic. ireos Florent. & zedoariæ, ana ʒ.ij. Fiat omnium decoctio addendo circa finem parùm vini albi.

Si vlcera admodum fœtida, & putrilagine infecta fuerint, decoctioni addi poterit parum vnguenti Ægyptiaci, collyrij Lanfranci, vel puluerис Mercurij dulcificati.

Vbi vlcus probè detersum, atque mundificatum fuerit; ad exsiccantia, & solidantia veniendum est, quorum formula talis esse poterit.

℥. Rad. consolidæ maior. bistortæ, ana Unc.j. fol. plantag. caudæ equinæ, bursæ pastoreis, saniculę, pilosellæ, mille folij, ana. M.j. rosar. rubr. M.sem. Coque in mensura aquæ, pro iniectione.

Prædictæ, aut simili iniectioni puluis sarcoticus sequens admisceri poterit.

℥. Rad. ireos, aristolochiæ, consolidæ maior. ana ʒ.sem. myrrhæ ʒ.j. a leos, Drach. iij. Fiat puluis. cuius ʒ.sem. miscetur in quâlibet iniectione.

Terebinthina lota cum aqua plantagin. ad ʒ.ij. & dissoluta cum melle, & oui vitello, iniectioni mixta valde prodest, idque magis, si puluis sarcoticus etiam addatur.

Vnguenta pompholygos de ceruſa, de plumbo, similiter cum iniectionibus, ana Drach. vj. pro vna dosi mixta vsurpantur. Sed reliquis præstat oleum ex vitellis ouorum in mortario plumbeo agitatum.

Suffumigia ad vlcera profunda versùs vteri fundum inhærentia penetrant, eaque desiccant; qui ita parari poterunt.

℥. Thuris, myrrhæ mastiches, styracis calamitæ, gummi iuniperi, ladani, an. Unc. j. terebinth. q. s. Fiant trochisci pro suffumigio.

In vlcere contumaciſſimo cinnabaris, addita suffumigio, omne ferret punctum.

Thermæ quoque siccantes, sulphureæ, & aluminosæ, in vlceribus diuturnis vsurpantur: eoque mulieres desperatas, tamquam ad extremum remedium, Medici, ablegare solent.

Emplastra etiam conuenientia epigastrio applicare non inutile fuerit. Siquidem eorum vires ad interiora vsque per insensibiles meatus deferuntur.

Si vlcus sit in collo vteri, linimentis inungendum est detergentibus, & exsiccantibus. Detergentia in hunc modum componi poterunt.

℥. Succi apij Vnc. ij. mellis rosac. Vnc. j. sem. terebinthinæ Unc. sem. farinæ hordei, vel orobi q. s. Leuiter bulliant, & fiat instar linimenti. Vel

℥. Aristolochiæ rotundæ Vnc. ß. marrubij, centaur. min. agrim. ana M. sem. Coquantur in s. q. hydromel. Colaturæ adde pulu. rad. ireos Florent. Drach. ij. farinæ orobi, mellis despumati, ana q. s. Fiat linimentum.

Admouetur etiam vnguentum diapompholygos, addendo thus, mastichem, myrrham, aloen, prout vlceris ratio requirit.

Ulcere sufficienter mundato, exsiccans, & cicatricem inducens vnguentum admouendum est, cuius forma talis esse poterit.

℥. Tuthiæ lotæ Vnc. ß. lythargyri, ceruſsæ, sarcocollæ, Drach. ij. olei, & ceræ q. s. Fiat vnguentum.

Interdum contingit vlcera vteri ad rectum intestinum pene-

penetrare, interdum verò ad vesicam, quod ostendit vt pure, per illas partes excreto.

Si per intestinum rectum pus effluat; clysteres lenientes, detergentes, exsiccantes vsurpandi sunt, quales in dysenteriæ curatione fuere propositi.

Si verò per vesicam pus effluat; conuenient diuretica leuiora, & refrigerantia, quæ vacuent istas sordes in vesicam transmissas, & vlceris curationem promoueant: quales sunt emulsiones sem. frig. maior. quibus succedent terebinthina, aliaque remedia, pro vlcere vesicæ præscripta.

Si vlcus in fistulam degeneret, quod præcipuè contingit dum exteriùs versùs coxam aperitur, quamvis etiam ipso vtero eiusdemque ceruice idem fieri possit, aduertendum erit, vtrum magis conducat ægrotanti meatum iam assuetum relinquere intactum, per quem natura vacuationem excrementorum multiplicium molitur, vel eiusem curationem suscipere. Illud si magis è commodo ægrotantis sit, cura, saltem palliatiua dicta, instituenda per purgationes frequenter repetitas & sudorifica bis singulis annis exhibenda; tum iniectiones detergentes, & roborantes, atque emplastra diapalmæ, diuinum, & similia superimponenda. Si verò sanatio sperari possit; eadem remedia vsurpanda sunt, quæ ad aliarum fistularum curationem adhiberi solent.

Si à lue venerea in pudendo, vel sinu vteri fiant vlcera, citra vniuersam huius luis curationem sanari minimè possunt. In qua perficienda, per varios modos, ille, qui per suffumigia cinnabaris fit, maximè confert: non solùm enim ea conducent ad luem illam è toto corpore auferendam; sed etiam peculiariter, si vteri sinu excipiantur, vt hęc vlcera citius sanentur, efficient. Tum etiam in cura, quę per inunctionem hydrargyri fit, vnguenta Mercurialia in penitiora illa loca erunt demittenda.

In quibus vis vteri vlceribus, si pruritus molestus illius ceruicem afficiant, vt non rarò solet contingere, ob humoris acris, & salsi in eam partem defluxum; ad eum demulcendum conueniet pessarium, imbutum vnguento enulato cum mercurio; aut Ægyptiaco dissoluto in aqua marina, aut aqua aluminosa, aut butyro recenti, in quo hydrargyrum extinctum sit, addito sulphure.

CAPVT IX.

De Scirrho Vteri.

SCirrhi in vtero geniti natura, differentiæ, & causæ eædem sunt, quæ in hepatis scirrho fuere propositæ, vt eas frustra hic repetere non opus sit, sed inde erunt depromendæ.

Inter causas tamen antecedentes hęc vteri scirrho propria est, eaque satis frequens, dum scilicet mulieres, fluxum menstruorum, aut lochiorum patientes, sese imprudenter aeri frigido exponunt, aut aquam frigidam potant, vnde sequitur fluxus cohibitio, sanguisque retentus crassescit, & condensatur, ac tandem in parte tumorem scirrhosum producit.

Signa scirrhi in vtero geniti sunt, durities, & renitentia in vteri regione, illius circumscriptionem referens, grauitas in eadem parte, & ponderis sensus, præcipuè quando ægra stat, quasi vteris prolapsurus sit in pudenda: sedentibus verò, aut decumbentibus, grauitate sua rectum intestinum premit, febris carentia, & doloris, quibus distinguitur ab inflammatione, aut saltem dolor est exiguus in scirrho non exquisito, cùm in vero nullus sit. Si inflammationi succedat; cessat febris, & dolor, manente duritie, & renitentia. Si in ipso vteri corpore sit; regionem pubis contrectando facilè dignoscitur: si verò in ceruice; digiti contactu explorari potest. A mola distinguitur ex causis præcedentibus: tum quod in mola, menses si fluant, inordinate fluunt: in scirrho autem si fluant ordinem seruant, in mola etiam mammæ lacte turgent, in scirrho autem extenuantur.

Quod ad prognosin attinet, omnis scirrhus curatu difficillimus est. Durities enim valida, semel contracta vix emolliri potest. Adde, quod calor natiuus in parte scirrho affecta admodum debilis sit, vt ægrè materiam crassam, & ferè lapideam discutere possit.

Magnus, & contumax scirrhus hydropem tandem accersit.

Scirrhus vteri, sicalidioribus, & nimium humectantibus remedijs tractetur, in cancrum degenerat.

Curatio huius scirrhi ad duo dirigenda est, scilicet ad causam antecedentem & coniunctam.

Ratione causę antecedentis, phlebotomia instituenda est. Primùm è venis brachij, si affectus non fuerit admodum inueteratus. Posteà verò ex venis inferioribus, præcipuè quando suppressa sunt menstrua.

Hæmorrhoidum apertio hic etiam vtilissima est. Nam & sanguinem fæculentum euacuant, & ab vtero deriuant, propter venarum communionem, quam habent cum vtero.

Purgatio etiam necessaria est, per interualla repetita, ex medicamentis, melancholiam educentibus, vsurpando primùm mitiora, mox ad fortiora transeundo.

Purgantibus autem præmittenda erunt præparantia humorem melancholicum, & aperientia, in forma apozematum, iuleporum, aut iusculorum, iuxta dispositionem ægrotantis.

Ac præter aperientia vulgaria, etiam remedia ex chalybe vsurpanda sunt, quibus validissimi isti in fæctus rebellium, & crassorum humorum, in vtero, aliisque partibus dissoluuntur.

Vt verò humores superflui ab vtero deriuentur; vtiliter admoueri poterunt cauteria cruribus, tamdiu gestanda, donec purgationes menstruæ (quæ vt plurimùm in hoc affectu supprimuntur,) ad consuetum ordinem, ratione temporis quantitatis, & qualitatis, redierint.

Ratione causæ coniunctæ emollientia, & resoluentia medicamenta exteriùs admouenda sunt, in hunc modum composita.

℞. Rad. althæę, & liliorum, an. ℥. ij. fol. maluæ, violariæ, althææ, brancæ vrsinæ, ana M. j. fol. artemisiæ, nepetæ, ana M. ß. sem. lini, & fœnug. an. ℥. j. flor. chamęm. & meliloti, an. P. j. Fiat decoctio qua foueatur regio pubis, & inguinum, cum spongia in ea imbuta, & expressa.

Ad magis emolliendum, potest fieri decoctio in aqua, & oleo dulci, vel in decocto intestinorum veruecis.

Possunt etiam addi decocto, vt potentius euadat, radices bryoniæ, & cucumeris agrestis. Nam à mitioribus incipiendum est, ad validiora progrediendo.

Ex eodem decocto, aucta dosi simplicium, potest parari semicupium, quod huic rei est efficacissimum, & fotu potentius.

Clysteres etiam frequentes, tum iniectionis in vterum, ex eodem decocto erunt conficiendæ, quibus olea lilorum chamæmel. aut amygdalarum dulcium addi poterunt.

℞. Olei lilior. & amygdal. dulc. ana Drach. iii. mucilag. sem. fœnugr. extractæ cum vino albo Unc. j. pingued. gallinæ, anseris, & anatis, ana Vnc. j. ß. butyri recentis, & axungiæ porci, ana Vnc. ij. ceræ, & terebinth. q. s. Fiat vnguentum.

Sequens verò in omni scirrho probatur, & à Rhasi describitur 7. *ad Almansorem.*

℞. Bdellij, ammoniaci, galbani, ana partes æquales. Terantur in mortario cum oleo de been, & liliorum. Deinde adde mucilaginum sem. fœnugr. lini, & ficuum parem quantitatem. Fiat vnguentum.

Ex eadem materia, addita cera, fit etiam emplastrum efficacissimum, admouendum regioni vteri antè, & retrò. Vel admoueatur emplastrum diachylum ireatum.

Cataplasma fiet ex residentia decocti fotus prædicti contusa, & per setaceum traiecta, addendo farinæ sem. lini, fœnugr. ana ℥. j. ficuum num. vj. pulueris rad. iridis ℥. ij. croci ℥. ß. pingued. gallinæ, olei amygd. dulc. ana q. s. Fiat cataplasma.

Lutum bituminosum thermarum sulphurearum, & bituminosarum, vtiliter instar cataplasmatis admouetur.

Suffitus ex lapide pyrite candente, in aceto extincto, mirris laudibus effertur à Galeno, ad omnes tumores scirrhosos dissoluendos, ita vt instar incantamenti operetur. In dicto aceto satureia, & parietaria incoqui poterunt. Aduertendum tamen est, ne lapis pyrites sit plumbarius, quia maximè nociturnus esset.

Ac denique omnia remedia tam interna, quam externa, quę suprà in hepatis, & lienis scirrhi curationibus fuere proposita, hic etiam conferre poterunt.

Hæc tamen medicamenta in toto curationis decursu, summo iudicio, ac prudentia moderanda sunt, ne vel indurescat scirrhus, vel, quod multò peius est, in cancrum degeneret. Quod omnes Practici verentur, ex incauta, vel diuturniore

niore auxiliorum administratione, à qua melius est per interualla desistere, vt eorum successus aduertatur. Frustrà enim pugnatur, quando scirrhus, omninò indolens, lapideam naturam adeptus est.

CAPVT X.

De Cancro Vteri.

CAncer vteri est tumor durus, ac renitens in vteri corpore, vel ceruice, dolorem acerbissimum punctorium, & lancinantem præ se ferens.

Fit ab humore atrabilario in ea parte collecto, vel à scirrho malè curato, qui facilè in cancrum degenerat, in ea præcipuè parte, ob sanguinis copiosum affluxum, qui in venis scirrho vicinis retentus, nec sufficienter per menstruas purgationes euacuatus, aduritur, & malignam corruptionem ac quirit.

Duplex vulgò statuitur, vlceratus, & non vlceratus.

Quamdiu materia morbifica minoris acrimoniæ, & malignitatis particeps est cancrum efficit non vlceratum. Acrior verò facta per putredinem, vel adustionem, tumorem exulcerat, & cancrum vlceratum producit.

Diagnosis ex definitione proposita facilè elicitur. Si enim tumor, durus, ac renitens in vteri corpore, aut ceruice percipiatur, quid dolorem punctorum, ac lancinantem efficiat; cancrum esse pronuntiare possumus. Euidentius tamen distinguitur, si oculus percipi possit, vt quando est in vteri ceruice, speculo matricis adhito: apparebit enim tumor inæqualis, ac tuberosus, liuescens, aut nigricam, venarum propaginibus quasi radicibus circumsetus. Si verò vlceratus sit, saniem quandam emittit fuluam, aut nigram, & grauiter olentem; interdum etiam sanguinem, ob erosionem venarum, quæ in partem decurrunt; tanta copia nonnunquam, aperto aliquo vase insigniore, vt ægra vitæ periculum incurrat. His accedit febricula, anxietas, nausea, pudendorum ardor, & simili.

De prognosi hoc tantum pronuntiare licet: cancrum esse incurabilem, siue vlceratus, siue non vlceratus sit. Quod quidem vt de omni cancro, etiam partes externas obsidente, verum est; sic potiori iure de eo, qui vterum occupat, sentiendum est, ob continuam superfluitatum illuuiem, quæ ad eam partem decurrit.

Cùm igitur curatio integra sperabilis non sit; ad alteram quæ palliatiua dicitur, confugiendum est. Eaque eo dirigenda, vt cancri non vlcerati vlceratio prohibeatur, & ne vlceratus maius incrementum suscipiat: & in vtroque doloris atrocitas temperetur. Quod nec primùm vniuersalibus corporis euacuationibus, & alijs remedijs, quæ humorem melancholicum, & atrabilarium alterent, euacuent, eiusque generationem impediant. Equorum numero sunt missio sanguinis ex brachio, malleolo, hæmorrhoidibus; potiones, apozemata, iulepi iuscula, lac, serum lactis, aquæ minerales frigidę, & alia huiusmodi, quæ ad cuiuslibet cancri, in quacunque parte sit, curationem à Practicis vulgo præscribi solent. Et purgationes præsertim frequenter iterandæ sunt, vt antecedens cancri materia subtrahatur.

Tum etiam admouenda erunt topica, quæ moderatè refrigerent & adstringant, sine vlla mordicatione; linimentorum forma in primis vsurpantur, quorum præcipua ita componi poterunt.

℞. Ol. myrtini, & rosat. ana Vnc. ij. succini solani, & semperuiui, ana Vnc. j. Agitentur omnia in mortario plumbeo, cum pistillo plumbeo, donec nigrescant. Deinde adde litharg yri, & ceruſſæ in aqua scabiosæ lotor. ana ℥. iij. tutiæ præp. ℥. ij. camphoræ ℈. ß. Fiat linimentum, quo illinatur ter, aut quater in die. Vel.

℞. Olei ex vitellis ouorum, & rosac. ana ℥. j. sem. sacchari Saturni ℥. j. Agitentur in mortario plumbeo, donec colorem mutent.

Sequens cæteris præcellit, eoque tumores mammarum, qui cancrosi putabatur, prorsùs curari sunt.

℞. Ol. ex vitellis ouorum ℥. ij. succi solani, & veronicæ, vel semperuiui, an. ℥. sem. Mercurij crudi ℥. ij. Agitentur in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo, donec craſſitiem linimenti acquirant.

Linimenta prædicta in vterum immitenda sunt cum tundis oblongis, vel candelis cereis linteolo obuolutis. Iniectiones tamen multò facilius immitti poterunt, in hunc modum compositæ.

℞. Aquæ hord. ℔ß. sem. aquæ solani & plantag. an. Vnc. ij. aquæ veronicæ Vnc. j. trochiscorum alb. Rhas. drach. ij. sacchari Saturni Drach. j. Fiat iniectio.

Si dolor atrociter vrgeat, adde Vnc. iv. iniectionis syrupi de papauere Vnc. j.

Foueatur etiam pars affecta aquis plantaginis, & solani, vel eorum decoctis; quibus addi poterunt folia symphæ, papaueris albi, rosæ rubræ, & camphora. Quod etiam decoctum injici frequenter poterit in vterum; fietque multò efficacius, si in mortario plumbeo agitetur, vel saccharum Saturni eidem permisceatur.

Inter specifica commendantur ranæ lotæ, & coctæ, & cataplasmatis loco impositæ; vel earum decoctio per iniectionem adhibita. Tum etiam decoctum, aut succus cancrorum fluuiatilium in vterum iniectus. Sicut, & herba Roberti sumpta, vt admota.

Si cancer vlceratus sit; linimentis prædictis mineralium dosis augeatur, ijsque cinis cancrorum fluuiatilium vtiliter addi poterit. Iniectionibus verò trochisci albi Rhasis, & aqua hordei cum superiori iniectionis materia, permisceri.

Si dolor valdè vrgeat, fomenta ex malua, altheæa, nymphæa, papauere, hyoscyamo, coriandro viridi, anetho, semine psylli, lacte, croco, & similibus, per interualla vsurpanda; vel cataplasmata ex ijs parata imponenda. Ex quibus etiam decoctis iniectiones, & semicupia parari poterunt.

Hæc tamen omnia aliquando non sufficiunt ad immanissimum dolorem placandum, qui interdum nullum quieti, & somno locum relinquit. Vnde cogimur non rarò ad narcotica recurrere, quæ in hoc affectu, propter intensum humorem feruorem, minùs nocent. Et vidimus nos mulierem, cancro in mamme laborantem, quæ singulis noctibus, per quatuor menses, laudani gr. ij. vel iij. innoxie, & cum maximo solatio sumebat.

Si ex cancro vlcerato multus sanguis prodeat, vt sæpè fit; injiciatur in vterum succus plantaginis cum tantillo thuris.

CAPVT XI.

De Vteri gangræna, & sphacelo.

GAngræna est corruptio, seu mortificatio partis incipiens: vbi autem omninò corrupta, & emortua fuerit; sphacelus, seu syderatio nominatur.

In mulierum genitalibus facilè hic affectus generatur, propterea quod illæ partes humidiores sint, & molliores, totiusque corporis excrementa facilè recipiant.

Inflammationi, abscessui, vlceri, vel cancro malè curatis sæpissimè succedit, quando calor vitalis partis suffocatur, aut destruitur. Suffocatur in magis inflammationibus, quando plus sanguinis affluit, quàm insitus calor partis digerere, aut in pus commutare valeat. Destruitur vel à frigida intemperie, illum extinguente, vel à calida dissipante, ac resoluente.

Cognoscitur gangræna incipiens ex eo, quod calor insolitus in parte percipiatur; horror, ac tremor inuadit cùm pulsu languido, ac frequenti, & animi deliquio. Et cùm vt plurimum ceruicem vteri magis hic affectus inuadat, atque adeò pars affecta oculis explorari possit; ea mollis, liuida, nigra, & cadaueroſa apparet, vt sine sensu pungi, ac secari valeat, tùm fœtidum, ac cadaueroſum halitum expirat.

Quod ad prognosin attinet, Malum hoc grauissimum est, ac periculosissimum, imò vt plurimùm lethale. Obseruatum tamen est à quamplurimis Authoribus, vterum putredine, & gangræna corruptum, vel sponte cecidisse, vel sectione ablatum fuisse, cum incolumitate mulierum: quas Authorum obseruationes magno numero colligit Schenkius *lib. 4. obseruationum.*

Curatio perficitur ijsdem remedijs quæ ad aliarum partum gangrænas adhiberi solent, si gangrænas sit in ceruice vteri, vel ad externas partes vergat; vt sicarificationibus, & ablutionibus, decocto absinthij, myrrhæ, & similibus: vnguento Ægyptiaco, cataplasmate de tribus farinis dicto, quod sic habet.

℞. Farinæ hordei, fabar. orobi, ana Vnc. ij. oxymel. ℔ß. Coquantur ad formam catapl. Cui si addatur farina lupinorum, myrrha, aloe, & absinthium, efficacius erit.

Quod omnino corruptum, & emotuum est, amputandum sectione, aut vteri procidentia, ligatura in dies magis,

gis coarctata, & constricta. Quarum operationum exempla quamplurima à SchenKio collecta *lib. 4. obseruationum.*

Refert etiam Vvierus in obseruationibus, à se curatâ mulierem anorum 25. cui æstuante canicula tuberculum quoddam in sinu muliebri, ex violento forsam mariti concubitu, productum fuerat. Illi autem cùm imperitus Chirurgus cataplasmata minùs idonea admouisset, intra dies non multos pars vniuersa putrescere, nigrescere, & emori cœpit, & incredibili celeritate anum versus malum progressum est. Ipse autem sequenti methodo eius curationem instituit. Primò solani, & plantaginis succum vberrimum syringa in vtrumque meatum ter vel quater in die iniecit, deinde horis illis intermedijs linis hapsumijs succis, admixto aceto, imbutum applicuit, qui ex succus eodem rursùs permaduit liquore. Ac in eiusmodi repetita aliquoties applicatione perseueratum est, donec restingueretur feruor, & desinet & putrefactio. Assumebat interim quoque potionem, singulis diebus ter, ex decocto acetosæ, scabiosæ, pimpinellæ, prunor. damasc. summit. borrag. bugloss. flor. calendulæ, cum aqua, saccharo, & aceto, ad syrupi acidi longi formam apparatam. Victus erat paucus, sed refrigerans, & acidus putredinis occasionem prescindens. Tertio die incendij furia, sæuitiaque putredinis remisit. Quare carnem nigram, mortuamque exiguo forcipe attrahi circumquaque à viuo, sine doloris sensu, separari, resecarique iussit. Inde reliquum ad viuum vsque Ægyptiaco vnguento absumpsit. Eodemque modo ad cicatricis inductionem, vt in alijs vlceribus, progressus est.

Toto curationis decursu cordis roborationi incumbendum est, tam assumptis, quàm admotis. Tum etiam enemata emollientia, abstergentia, & refrigerantia frequenter infundenda, quæ propter viciniam parti affectæ plurimùm opitulantur.

CAPUT XII.

De Vteri inflatione, & hydrope.

VTeri inflatio, & hydrops ab omnibus propemodum Authoribus confunduntur: ita vt inflationem vocent illum hydropem, qui sit à flatibus cùm hydrops simpliciter dictus ab humore aquoso generetur. Distinguuntur tamen, & datur quædam vteri inflatio, quæ hydros dici non debet, quando nimirùm à flatu subitò irruente vterus inflatur, ac distenditur, vnde dolor intensus excitatur, quemadmodum in colico dolore contingit; atque adeò si illa inflatio non diu perseueret, sed breui discutiatur; hydropis nomen non meretur: talis sæpè accidere solet in hystericis affectibus.

Duplex igitur hydrops vteri statuendus est, vnus à flatibus, qui tympaniti assimilatur; alter verò à seroso humore, qui asciti analogus est: quiddam tertium addunt à pituita, vt etiam leucophlegmatiæ similem speciem constituant, quæ in vsu practico rarò contingit. Nos tamen nobilem mulierem vidimus, quæ vna die tantam pituitæ crassæ copiam ex vtero excreuerat, vt sex vel septem librarum pondus æquare potuerit: quæ proculdubio pituita diutius retenta hydropem vteri producere potuisset.

Flatus, & serosus humor, vteri hydropem efficiens, vel in cauitate vteri, vel intra membranas illius, aut vesiculas continetur. De cauitate vteri est aliqua dubitatio, quomodo flatus, & humores in ea contineri valeant; cùm facilis pateat exitus per vteri osculum, & ceruicem. Respondemus, orificium vteri internum pluribus modis occludi posse, vel à pituita crassa, illi parti impacta, & indurata, vel à tumore scirrhoso, vel aliqua alia causa. Mercatus censet, pituitam mucosam excerni per orificia venarum, quæ purgatione menstruę destinatæ sunt, & ex illa pituita fieri quandam pelliculam, totam vteri superficiem internam obducentem, in qua pellicula serum, & flatus contineantur. Aetius verò putaci ex illa pituita per venas vteri transmissa quosdam produci folliculos, quibus serosus humor contineatur. Fernelius verò putat, sine osculi vitio, & ex simplicis illius constritione, aquam in vtero contineri posse. Omnes isti modi recipiendi sunt, & varijs exemplis confirmari possunt.

Ac primum flatuum in cauitate vteri contentorum exempla referuntur à Sennerto *pract. lib. 4. part. 1. sect. 2. cap 10.* quorum primum desumitur à Valesco de Taranta, cuiusdam ludæ Vlyssiponensis, quæ cum prægnantem se esse putaret, eo tempore, quo partus aduenturus putabatur, magna flatuum copia exclusa, vterus detumuit. Secundum est ex Matthæo de Gradi, qui idem propriæ vxori contigisse refert. Alia etiam exempla ex Dodoneo, Thadæo Duno, & alijs desumpta, similes casus ostendunt; & in vsu practico talia videre non rarò contingit. Quibus addere licet historiam, à nobis infra in curatione ex Solenandro relatam, mulieris, quæ ex suffitu nucis moschatæ flatum emisit ex vtero cum strepitu, instar scopleti, edito.

Aquæ verò seu materiæ serosæ, in vteri cauitate contentæ, exempla proponuntur ab eodem Sennerto, ex Rhasi, qui vidit fœminam, ex cuius vtero viginti quinque cotylæ aquæ effluxerant: tum etiam ex Iacobo de Partibus, & Dodonæo, simile quippiam referentibus. Uesalius verò fœminam diseecuit, in cuius vteri cauitate serosę materiæ plusquam sexaginta mensuræ Augustanæ, quæ singulæ tres capiunt libras repertæ sunt: os verò vteri mirum in modum occalluerat.

Interdum verò aquam intra vesiculas contineri in vtero, plurimi testantur Authores, qui huius rei exempla viderunt in quibusdam mulieribus, quæ tales vesiculas aqua plenas per vterum excluserant. Ex eorum numero sunt Aetius, Ualeriola, Christophorus à Vega, Mercatus, Platerus, & Fabricius Hildanus.

Aliquando etiam hydrops vteri, cum grauiditate complicatur, vt de propria vxore, narrat Fabricius Hildanus, cuius venter in monstruosam magnitudinem intumuerat, & tempore partus primùm aquæ libras octodecim exercuit, post semihoram verò iterum libras nouem, & consequenter puellum sanum, & robustum peperit. Similis casus habetur apud SchencKium, sed euentu contrario, mulieris, quæ à partu fœtus viui ventris tumorem retinuit, qui successu temporis, magis ac magis increscens, ægram de medio sustulit, vtero verò aperto, ingens aquę copia in eo reperta est.

Denique ex sola osculi vteri contrictione, siue peculiari illius vitio; aquæ in vtero retentæ exemplum habetur apud Fernelium *lib. 6. pathol. cap.* 15. cuiusdam mulieris, hydrope vteri correptæ, quæ, quoties appetebat menstrua purgatio, omnem aquarum illuuiem ex vtero profundebat, puluesque sex, vel octo complebat aqua citrina feruentissima, dum vterus totus subsideret. Collecta proximo mense par colluuies stato tempore profluebat.

Causa mediata inflationis, & hydropis vteri est caloris natiui imbecillitas, quæ vel in hepate, & liene residet, ex quibus partibus flatus, pituita, aut serosi humores in vterum transmittuntur, vel in ipso vtero; vnde prædictæ materiæ in eadem parte, per congestionem cumulantur.

Causæ autem, quæ calorem natiuum debilitare valent, vel per se, vel per accidens, quãplurimæ sunt; ex rebus præsertim nonnaturalibus petitæ. Sic aer frigidior, præsertim post partum imprudenter vtero receptus, grauissima est huius affectus causa; quem etiam producere potest, si fluentibus menstruis importunè aeri occuratur: demersio frequens in aquam frigidam, præcipuè fluentibus mensibus, idem præstat: tum etiam ciborum frigidorum, aut flatulentorum, vt fructuum, olerum, leguminum, & aceti vsus diuturnus: aquæ frigidæ potus copiosus & intempestiuus: somnus longior, & profundior partus, vel abortus laboriosus ijsque frequenter recurrens; mensium fluxus immodicus, calorem natiuum exhauriens, vel suppressio, eundem suffocans. His adde peculiares vteri morbos, vt tumores, vlcera, & similia, quę calorem partis resoluunt; vel etiam osculum vteri occludunt & sanguinis menstrui, atque excrementitiorum humorum exitum impediunt.

In diagnosi huius affectus multa inquirenda sunt. Primò quomodo iste hydrops vteri peculiaris ab vniuersalis totius corporis distinguatur.

Secundò, quomodo species illius diuersæ dignoscantur, vtrum à flatu, sero, vel pituita producatur. Tertiò, vtrum à primario ipsius vteri affectu, vel ex vitio aliarum partium oriatur. Quartò, vtrum materia peccans in cauitate vteri, vel intra membranas illius, aut vesiculas contineatur. Quintò, quomodo ab alijs vteri tumoribus. Sexto, quomodo à grauiditate. Septimò, quomodo à mola distinguatur.

Quod ad primam quæstionem attinet. Ab hydrope abdominis vniuersali distinguitur ex eo, quod in hydrope vteri tumor fundum ventris magis occupet, hydrops verò vniuersalis abdomen vniuersum æqualiter distendat. Præterea, in hydrope vteri non tam citò apparent pallor, & extenuatio totius corporis, quemadmodum in hydrope vniuersali, in quo etiam plerumque sitis, & linguæ siccitas conspicua est, non autem in hydrope vteri, tùm etiam in eo reliqua

omnia symptomata sunt longè mitiora. Duricies etiam, & renitentia quando fit à flatibus; aut fluctuatio, quando ab aqua generatur, tantum spatium non occupat, quemadmodum in hydrope vniuersali. Ac denique in eo aliquid flatus per interualla ex vtero erumpit; aut tantillum aquæ efluit, quæ manifestè ostendunt, flatum, vel aquam in vtero contineri.

Secundę quęstioni satisfaciendũ est in hunc modum. Species hydropis vteri ita inuicem distinguuntur. Si à flatibus excitetur; imus venter percussus sonitum edit, venter doloribus premitur pungitiuis, qui interdum per septum transuersum: ventriculum, lumbos, vmbilicum, aliasque partes, excurrunt; nonnunquam flatus per vteri cervicem euidenter erumpunt. Sentiunt quoque sępenumerò mulieres vterum ad ventriculum instar globi cuiusdam efferri. Respiratio interdùm difficilis est, & ægra à somno excitata, sępe cum anxietate spiritum ducere cogitur. A cibo, & potu quocunque malum exacerbatur. Frequenter eructant, & à ructu meliùs habent. Suffocationem vteri sępe incurrunt. Dolorem interdum in regione hypogastrica percipiunt, vt admotam manum ferre nequeant. Hęc signa inflationi vteri etiam conueniunt, cùm illa fiat quoque à flatibus: & in eo tantùm differunt inter se hi duo affectus, vt antea diximus, quod inflatio breuioris sit durationis, hydrops verò à flatibus, multo longioris.

Si vero vteri hydrops ab humore serosо fiat, regio illa mollis, & flaccida apparet; cum flatus tensionem efficiant, grauitas maior adest in parte, & sonus veluti fluctuantis aquę aliquid aquę nonnunquam è pudendis extillat. Ac denique, si à pituita oriatur, maior erit mollities, & flacciditas partis quę in dies incrementum sumit, & partes circumstantes, nempè hypogastrij, pubis, perinęi, ac lumborum, tumore œdematoso affectæ conspicuntur.

Ad tertium quęsitum ita respondemus. Si apparentia sint totius corporis malè affecti indicia, vt per febres acutas diuturnas, hęmorrhagias immoderatas fluxiones à capite graviores, ventriculi imbecillitates, lienis, vel hepatis tumores, aliosque eorum partium affectus contumaces, cũ quibus vteri hydrops inceperit, & cum ijs incrementum susceperit; maxima erit coniectura, vterum ab illis partibus, per viam rheumatismi, materiam hydropis suscipere. Si verò, toto corpore satis benè valente, tumor iste acciderit, & particularibus ipsius vteri affectibus successerit, quales sunt, partus laborioſi, suppressiones mensium, vel nimię eorum profusiones, vlcera, tumores phlegmonosi, vel scirrhosi; coniciendum erit, hydropem vteri à peculiaribus dispositionibus dependere, & materiam, illum producentem, per congestationem depravata illius homiosi cumulari.

Quarto quęsito satis fiet, dicendo, materiam, quę in vteri cauitate continetur, multò ampliorem tumorem efficere quàm dum intra membranas continetur. Deinde, quando si ex serosa materia, maior fluctuatio percipitur, quam vbi intra membranas coercita est. Si vero quædam vesiculę aqua repletæ, ex vtero deijciantur: signum erit certissimum, serosum humorem in vesiculis contineri.

Ad quintum quęsitam respondendum est, hydropem vteri à tumoribus eiusdem partis phlegmonosis, vel erisipelatosis distingui ex eo, quod hisce febris adsit, & dolor, ad leuissimum contactum sese exasperans: tum inflammatio vsque ad partes genitales exporigitur. A tumoribus verò scirrhosis, & cancrosis distinguitur, quod in eo non sit tanta duricies, quæ digitis comprimentibus resistat, sed potius cedat, ac veluti in foueam deprimatur.

Sexto quæsito satisfaciendum est in hunc modum. In grauiditate tumor non est iam æqualis, ac depressus; sed acuminatus, & fastigium, atque eminentiam quandam circa vmbilicum præ se ferens. Secundò, in grauiditate post aliquot menses mulieres meliùs se habent vt plurimum, quia grandior fœtus maiorem humorum partem absumit, qui primis mensibus laborem faciebant. At hydrops, quo vlterius progreditur, eo maiores procreat molestias. Tertio, in grauiditate fœtus commotio manifestè percipitur post tertium mensem, vel quartum; quod in hydrope non contingit. Fit tamen aliquando, vt quando hydrops à flatibus exoritur palpitatio quędam in vtero sentiatur. Sed illa amotu infantis facilè distinguitur, qui magis æqualis est, & plures ventris partes occupare solet. Quartò, in grauiditate mammę intumescunt, in hydrops verò extenuantur, ac graciliores euadunt.

Ad septimum quęsitum respondemus, in mola grauitatem quandam à mulieribus in ventre sentiri, quæ in hydrope vteri non apparet; quando ægræ decumbunt in alterum latus, pondus eas percipere in illud lapidis instar deuolui. Deinde, in mola fluxus mensium effrenes per interualla, tertio scilicet, aut quarto quoque mense contingunt, quod in hydrope vteri non fit. Ac denique, in mola mammę intumescunt, & aliquando lac in ijs apparet: cuius rei contrarium accidit in hydrope.

Quod ad prognosin attinet. Simplex vteri inflatio, quia diuturna non est, periculo vacat. Si tamen citò non curetur, in verum hydropem degenerare potest.

Hydrops vteri, si ab humore benigno, & minimè corrupto producatur; solet quidem malum esse diuturnum: successu tamen temporis curationem recipere potest, imò interdum ex vtero aqua sponte effluit, & mulier conualescit.

Si verò humor prauus sit, acer, aut putridus, quod ex symptomatibus grauibus innotescit; morbus periculosus est, & plerumque lethalis. Si enim à proprio vteri vitio affectus dependeat, integram denotat functionum naturalium istius partis ruinam, vndè vniuersalis hydrops tandem accensitur. Si verò vterus per consensum aliarum partium patiatur; hepatis nempè, lienis, aut ventriculi, eò maior erit labes, & inde totius corporis ruina impendet. Hinc rectè Actius, qualis est vterus in muliere, tale est vt plurimùm reliquum corpus.

Si flatus, aut aqua in vteri cauitate contineatur, facilius curatur, quàm si intra membranas, aut vesiculas concludatur.

Huius affectus curatio ijsdem fere remedijs perficitur, quæ ad hydrops, & chloroseos curationem fuere proposita. Quibus etiam peculiaria quædam, huic affectui magis appropriata, subnectenda sunt. Ac primùm quod ad phlebotomiam spectat, in affectu recenti, à suppressione mensium producto, & plenitudine aliqua adhuc apparente, illa conuenire poterit. Alioqui noxia futura est cùm calor natiuus admodùm debilitatus, atque imminutus sit, & contumaces obstructiones, ab humore frigido productæ, hydropis vniuersalis metum incutiant.

Purgatio verò omninò necessaria est, eaque frequenter repetita, quemadmodum in prædictis affectibus præcepimus.

Post sufficientem purgationem, aperientia, diuretica, & menses mouentia erunt vsurpanda, in prędictis etiam locis descripta, quibus addi poterunt sequentia.

℞. Rad. apij, & rubiæ tinctor. an. ʒ. ß. fol. sabinæ, matricariæ, pulegij, ana. P. j. sem. ʒ. j. Coquantur in iusculo pulli columbini, colaturam capiat manè per plures dies.

Ante iusculi assumptionem vna ex sequentibus pilulis deglutiatur.

℞. Castorei opt. myrrhę, rubiæ tinct. an. ʒ. ß. croci ϑ. j. Cum succo limon. formentur pilulæ ix.

A quibus medicamentis valido exercitio vtendum est. Quodquidem non solum excrementa, in visceribus & in corporis ambitu concepta, calore mediante dissipari possunt; verùm & totum id, quod in vtero continetur, ruptis exercitij vehementia pelliculis, foras euocari potest.

Si mulier facilè vomat; bis in septimana vtiliter vomitus prouocabitur. Quod non solum humores, ad vterum confluentes, reuocabuntur, & educentur, sed etiam dictæ pelliculæ vtero inhærentes, & interdum aquosum humorem continentes, motu, & agitatione vehementi disrumpi forsan poterunt, vndè humoris noxij fluxus consequetur.

Ad dictum humorem in vtero contentum discutiendum; bolus sequens erit efficacissimus.

℞. Borracis mineralis ʒ. ß. croci ϑ. ß. Cum succi sabinæ, fiat bolus bis in septimana sumendus.

Sudorifica etiam in hoc affectu non parùm proficua sunt ijs enim humores serosi, & pituosi, siue in vtero, siue in toto corpore contenti, discutiuntur, & euacuantur.

Interim innatus ventriculi calor roborabitur, tam assumptis, quam admotis in affectuum illius partis curationibus descriptis.

Exteriùs verò topica remedia admouenda sunt, ad vterum roborandum, & humores in eo contentos discutiendo idonea.

Ac primùm parari poterunt fomenta, & semicupia, ex decocto radicum bryoniæ, cucumeris agrestis, foliorum, ebuli, mercurialis, sambuci, origani, calamentæ, absinthij, rutæ, saluiæ, maioranæ, thimi, lauri, pulegij, artemisię, seminum genistæ, dauci, cumini, anisi, fœniculi, baccar. lauri & iunt-

& iuniperi; florum chamomillæ, meliloti, roriſmarini. Ex quibus etiam fieri poterunt ſacculi, decocti in vino albo. Vel decoqui poterunt prædicta, aut eorum nonnulla in lixiuio cinerum ſarmentorum.

Vt autem meliùs operentur prædicta fomenta, applicanda ſunt ante, & retro: ægraque ſudare debet, ſi poſſit, in lecto, vel ſtupha commodè parata. Quod quidem ſemicupij beneficio præſtari etiam poterit.

In hydrope flatuoſo fotus ſicci magis erunt proficui ex ſacculis, paratis ex milio, ſale, cumino, furfure, in ſartagine torrefactis, & vino irroratis.

Poſt fotum liniatur infimus venter oleo nardino, anethino, rutaceo, abſinthite, abrotani. Quæ ſi arte chimicha fuerint elicita; multò efficaciora futura ſunt.

Alitu admouebitur emplaſtrum de baccis lauri; vel cataplaſma ex ſtercore vaccino, ouillo, ſeminibus apij, petroſelini, cumini, & melle cocto.

In eundem vſum commendatur pellis recens mactatæ ouis, vino meraciori calido irrorata, & ventri calide admota.

Clyſteres frequenter injciendi ſunt, ex decocto abſinthij, origani, pulegij, rutæ, centaurij, & ſimilibus. Vel ex oleo rutæ, nucum, anethi, & vino albo, aut Hippocratico, aut maluatico. In quibus diſſolue benedictam laxatiuam, diaphœnicum, hieram diacolocyntidos, terebinthinam, confectionem è baccis lauri, mel anthoſatum, & ſimilia.

Iniectiones in vterum humoribus in eo contentis euacuandis, plurimùm conferre poterunt, in hunc modum compoſitæ.

℞. Rad. aſari ʒ iij. fol. pulegij, calaminthæ, an. M. ſem. ſabinæ P. j. mechoacam Drach. j. Sem. aniſi cumini, ana Drach. j. ſem. Coquantur, & in colat. Vnc. vj. diſſolue olei irini, & ſambucini, ana Unc. j. Fiat iniecto.

Ad eundem finem peſſaria conficientur ita parata.

℞. Colocynth. & mechoac. ana ʒ j. ſalis nitri ℈ ß. mellis cocti q. ſ. Fiat peſſarium. Vel

℞. Rad. cyclam. eſulæ, ana ʒ j. ſem. nigellæ romanæ ʒ ß. mellis q. ſ. Fiat peſſarium. Vel

℞. Eleaterij ʒ ß. caricarum contuſar. q. ſ. Fiat peſſarium.

Quando inflatio ſit à flatibus, maximè conducit ſuffitus ex nuce moſchata, à Solenandro commendatus, his verbis. Mulier quædam puerpera ſe intempeſtiuus ante tempus debitum ventis committens, & aeri, incidit in intolerabiles dolores, neque potuit reſtitui. Tandem ſuperuenit obſtetrix vetula benè exercitata. Iuſſit ſibi afferri nuces tres myriſticas, groſsè contuſas. Tum ſupponebat fictilem teſtam cum carbonibus ignitis ęgræ mulieri, & ſtatim inſperſo nucum myſtericarum puluere, teſtam ita ſuppoſuit, vt inſperſi pulueris ſuffitum exciperet pudendis, per infundibulum inuerſum. Per ſuperiora eodem tempore eundem ſuffitum excepit. Qui vbi penetraſſet, mulier ſtatim exclamat, Neceſsario reddenda mihi aluus. Qua voce vix edita, auditus eſt ſibilus, & ſtrepitus, qualis eliditur, cùm puluis tormentarius, alicui pyxidi anguſtæ incluſus, accenditur. Qui ſpiritus vbi eliſus proruperat, ipſo protinus momento mulier ſanitati reſtituta eſt. Iſta experientia monitus, in ſimili caſu, aliquoties poſtea idem remedij genus admotum, vtile, & prouuum inueni ſæpe numero.

In eodem caſu vtiliter admouetur cucurbitula vmbilico cum multa flamma, flatus enim egregiè diſcutit.

In affectu verò humorali cauteria cruribus admouenda, vt per eos fonticulos vteri ſentina ſenſim exhauriatur.

Sic etiam thermæ ſulphureæ, & nitroſæ à pleriſque laudantur, tam potu, quàm balneo: dummodo inſignis feruor iecoris, aut totius corporis non ſit illi coniunctus.

Ad vteri dolorem, in hoc affectu ſæpè infeſtantem, commendat Amatus Luſitanus aquam, vel decoctum florum chamæmeli, ad ʒ iiij. vel v. exhibitum.

Ac denique ſi à partu inflatio contingat, non opus eſt alia purgatione, quàm ea, quæ per vterum fit. Quæ ſi non ſatis procedat, iuuanda eſt peſsarijs attrahentibus, & cucurbitulis femoribus affixis, cæteriſque remedijs, in menſium ſuppreſſione deſcriptis. Et ſi flatus adfuerit, ſuffitus ex nuce moſchata ſupra propoſitus erit opportuniſſimus.

CAPVT XIII.

De Vteri Procidentia.

QVando vterus ſitum ſuum naturalem amittit, & verſùs pudenda prolabitur, vteri procidentia, ſeu prolapſus nominatur.

Variæ ſunt illius differentiæ ſecundùm magis, & minùs tantum differentes. Interdum enim ſola ceruix interior prouoluitur in vuluam: alias totum vteri corpus procidit, ſed non prominet extra vuluam, & in illius margine apparet oſculum vteri interius, inſtar glandis virilis, aut oui anſeris perforati. Alias fundo etiã inuerſo prominet extra vuluam, inſtar ſcroti virilis, aut oui ſtruthiocameli, cum tamen rugoſus ſit, ac ſuperficie inæqualis prædictus: ac denique aliquando ita relaxatur, vt ad fœmora vſque deuoluatur.

Cauſa proxima vteri procidentiæ eſt ligamentorum, illius corpus, & ceruicem in ſuo loco naturali continentium, ruptio, vel relaxatio.

Ruptio ligamentorum fieri poteſt ab omnibus cauſis violentis, vt ictu, caſu, ſaltu, oneri grauioris ſubleuatione, vel geſtatione, compreſſione abdominis violenta, tuſſi vehementi, & diuturniori, ſternutatione violenta, præcipuè in puerperio, alui compreſſione forti, partu difficili, auulſione violenta fœtos, aut ſecundinæ, conato vehementi vteri ad expellendum aliquid ſibi moleſtum, vt fœtum mortuum, molam, aut ſecundinam: tunc enim contingit vtero, docente Galeno *lib.* 3. *de facult. nat.* quod duobus Athletis, cum ſeſe mutuò deijcere conantur, vterque in terram prolabitur; his adde frequentem cucurbitularum admotionem femoribus, & quamlibet corporis, & animi agitationem vehementem.

Relaxatio ligamẽtorum excitatur etiam ex varijs cauſis, vt catarrho diutumiori, cruditatibus varijs, quæ in vterum velut ſentinam totius corporis amandantur. Hinc mulieres quæ fluore albo diutius laborant, vix hoc malum euitare poſſunt præcipuè ſeniores, qui illi maximè ſunt obnoxiæ. His accedunt cauſæ, vt balnei vſus frequentior, & præſertim in aqua frigida aer auſtrinus, & humidior, præcipue poſt partum in vtero ſuſceptus: alimenta humidiora, potus vberior; otium, ſomnus prolixior, & omnes aliæ cauſæ, quæ humoris pituitoſi prouentum, eiuſque in vterum confluxum promouere poſſunt.

Signa diagnoſtica ſenſibus ipſis patent. Vterus enim in pundendo obuius fit inſtar oui gallinacei, vel anſerini, aut glomeris fili, cum ſenſu ponderis pudendo incumbentis, dum erecto corpore ſtant. Dum verò ſedent, aut aluum exonerant, dolor vehemens percipitur circa regionem pudendi, & oſſis ſacri. Si multum promineat, dolor & ardor maior ſentitur; vrina paulatim egreditur, & vuluam intranſitu mordet.

Cauſæ procidentiam excitantes ita diſtingui poſſunt. Si à laxitate ligamentorum fiat; ſenſim generatur, minorem habet dolorem, & præceſſerunt purgamenta alba, vel aliæ cauſæ vterum humectãtes, eiuſque ligamenta relaxantes. Si verò fiat à ruptione ligamentorum dolor eſt vehementior, & ſanguinis interdum erumpit, ac præceſſerunt cauſæ, quæ violenter ligamenta rumpere potuerunt.

Quod ad prognoſin attinet, Affectus per ſe periculoſus nõ eſt; valdè tamen turpis, & moleſtus, progreſſionem, ac deambulationem liberam, conceptionem, & conuenientem menſtruorum expurgationem impediens.

Interdum tamen mortem inferre poteſt, ſi dolor febris, conuulſio, aut alia quædam grauia ſymptomata accedant.

Interdum etiam ab aeris intemperie, aut violenta impulſione corrumpitur, & gangræna afficitur, quę partem amputari cogit.

Recens affectus, in quo vterus non valdè prominet, facilliùs curatur, quàm ſi inueteratus ſit, & magis egrediatur.

In iunioribus facilliùs, quàm in adultioribus vterus in proprium locum reſtituitur.

Quæ à ruptione ligamentorum orta eſt procidentia incurabilis eſt.

Ad curationem, vterus in ſuum locum naturalem, trudendus eſt, ibidemque continendus, & ligamentorum vitium corrigendum. Si nempè diſrupta fuerint, agglutinantibus, ſi relaxata; exſiccantibus, adſtringentibus, & roboranti-

bus. Quæ omnia sequentibus præsidijs perfici poterunt.

Primò itaque, quo vterus in suum locum facilius reponatur, aluus, & vesica exonerandę sunt, ne cruicem vteri comprimendo, illius reductionem impediant: siquidem cruix vteri recto intestino incumbit, sibique incumbentem habet vesicam.

Postmodum verò mulier, in dorsum supina recumbens, diuaricatis cruribus, genibusque sursùm attractis, manibus vterum introrsùm premat; surfumque in cruicē trudendo, sicque inuertendo adigat, donec in sinum vsque omnia remearint. Vel, si ægrè succedat; obstetricis opera id peragat vt bacillo crassiori obtuso, linteis inuoluto, hoc faciat, quo & in sinum profundiùs, quam solis manibus, potest repelli. Aut vt minùs lędatur, pessarium ex panno lineo sæpiùs conuoluto, filoque strictè ligato paretur, & huic vsui accommodetur.

At si prolapsus vterus intumuerit, ita vt sinū denuò subire non possit; tumor ante omnia erit tollendus. Et si inflammatio sit, quæ huic sanandæ competunt, erunt adhibenda. Si alia inflatio, quę eam discutiunt, vsurpanda: fotus nimirùm, insessus, & inunctiones emolientes, & resoluentes. Rodericus à Castro tumentem vterum betæ decocto abluit, deinde aceto, & sale subiende insperso, ac sic imminuto tumore reducit.

Idem Rodericus scribit, ad vteri repositionem plurimùm conferre, si Medicus, vel Chirurgus cauterium actuale, aut illud ferrum candens manu ostentent, & in vterum inferre velle fingat. Ita enim natura contrahitur, & cum ea vterus ipse, tùm etiam quæcunque alia pars extra prominens. Refert enim quemdam exercitatissimum Chirurgum intestina per vulnus abdominis exeuntia, hac industria reposuisse, cùm reliqua remedia non profuissent. Candens etenim ferramentum magnum, coram patiente manu gestans, vulneri applicaturum se finxit. Cuius rei subito terrore intestina è vestigio in suum locum retracta fuere.

Auenzoar. 2. *Theizir. tract. 5. cap. 2.* quippiam non absimile proponit. *In principio*, inquit, *quando apparet hæc ægritudo, Medicus eam leniter poterit curare. Et reducitur omnibus istis modis, videlicet manus si vis, & si non, fac eam supinam tacere, & fac, quod aliquis sedeat super pectus suum, & alius super crura, & fac eam terrere, ponendo circa pedes eius aliqua reptilia sicut sunt mures, & lacertæ, aut ranæ, vel his similia ex quibus multum terrefiat, & velit fugere, trahendo pedes, & crura ad se; & inde omnia membra, & corpus totum simul contrahantur. Et hac de causa matrix intro redibit ad suum locum.*

Zacutus Lusitanus Auenzoarem secutus, sequentem historiam, *obseru. 86. lib. 2.* proponit, *Cùm* inquit, *accederem ad fœminam, quę ab anno, & dimidio vterum prolapsum habebat cum duritie summa difficile videbatur, obtentionē posse ad suum locum reduci, maxime cum dicat Auenzoar, in principio hoc opus celebrandum esse, cùm adhuc vterus non contraxit callum. Multa sum præsidia pro hoc morbo curando machinatus. Insessiones, adstringentes pessaria, emplastra confectiones. Tandem laboriosè inctatus, nihil profeci. Ad hoc præsidium accedo. Suppono mulieris cruribus mures filo alligatos. Quibus positis, & per femora vagantibus fœminæ metus ingens incutitur, & repentè (mirabile visu,) vterus in propriam sedem reducitur. Hoc facto, emplastro contra rupturam, vteri regioni, & inguinibus appositio, malo in posterum tuta remansit.*

Antequam vterus reponatur; priùs inungendus est mucilagine rad. consolidæ, vel infusione gummi tragacanthi. Postea aspergendi pulueres, qui asperitatem nullam habeant, vterum, aut illius cruicem lędant; sed glutinandi magis, quam adstringendi vi polleant. Qualis esse poterit in hunc modum præscriptus.

℞. Thuris, mastices & sarcocollæ, lacte muliebri nutritæ, ana Drach. j. mumię, gummi arabici, acaciæ, hypocistidis, ana Drach. sem. Fiat puluis tenuissimus, inspergendus, vt dictum est.

Idem puluis ad formam vnguenti admoueri poterit, si cum dictis mucilaginibus, aut oleo hypericonis, alioue consolidante permisceatur.

Postquam vterus conuenienter fuerit repositus, omni arte in suo loco continendus est, muliere in lecto remanente, aliquantum inclinata, & cruribus extensis molliter, & ita coaptatis, vt vnum alteri incumbat. Ac per aliquod dies in hoc statu maneat, immisso etiam lanæ, aut bombacis, vel etiam spongiæ frustulo in sinum vuluæ, quod irrigatum fuerit in vino austero, aut aqua rosacea, in quibus acacia aut hypocistis dissoluta fuerit.

Ad huiusmodi retentionem iuuandam cucurbitulæ sub mammis, & vmbilico cum multa flama frequenter etunt admouendæ.

Tum etiam benè olentia naribus erunt admouenda; & fœtida genitalibus subijcienda, nisi mulier hysterica suffocationi sit obnoxia.

Fouentur dictæ partes decocto adstringentium, ex vino rubro, & aqua ferrata parato.

Semicupium etiam ex eodem decocto à Practicis vsurpatur. Quod tamen cautione indiget. Periculum enim, est nè ex illo situ vterus denuò prouoluatur extra suam sedem, potissimum in principio, dum adhuc recens est affectus. Ubi autem diutiùs ęgrotantem detinuerit, eaque conuenienti subligaculo præmunita fuerit, non parum conferre poterit.

Post semicupium suffitus etiam erit vtilissimus, ex thure mastiche, sandaracha, & rosis rubris paratus. Alij verò commendant, tamquam specificum, suffitum ex pelle anguillæ, sale conditæ.

Iectiones in vterum multò efficaciùs operabuntur remedijs, quæ exteriùs admouentur: eæque componentur ex decocto fotus, aut semicupij.

Linimenta, & emplastra hic etiam conuenient, qualia in fluxu mensium immodico, & fluore albo fuere descripta, & infra etiam ad abortum præcauendum proponentur.

Per os assumptis medicamentis adstringentibus, & roborantibus vteri retentio etiam adiuuari potest. Est inter illa puluis sequens, sæpè sumptus; huic affectui peculiariter accommodatus.

℞. Rad. tapsi barbati Drach. ij. fol. myrti, sem. pestinac. domesticæ, ana Drach. j. rasuræ cornu cerui. Drach. sem. cineris conchar. Drach. j. coralli rubri Drach. ij. Fiat puluis. Dosis ʒ j. cum vino austero.

De adstringentibus hisce medicamentis tam internis, quàm externis, hoc obseruandum, cautæ esse vsurpanda, si menstrua statis periodis adhuc profluant, ne supprimantur, & grauiora mala inde oriantur. Tempus autem huiusmodi remedijs magis idoneum est, vbi fluxus menstruus præterijt.

Ista remedia per duodecim, aut quindecim dies erunt continuanda. Simulque cura est habenda, ne aluus pigrior sit, aut laxior. Si enim fæces durę sint, vterus in ijs egerendis facilè præcipitatur; & fluida nimium aluus ligamenta vteri relaxat.

Dum prædicta remedia vsurpantur, causæ antecedenti occurrendum est ijs, quæ humores pituitosos, vteri ligamenta relaxantes, euacuare, & discutere valent.

Ac primum purgationes conuenientes instituere oportet. Quæ tamen non sint perturbantes, violenter operantes, ne vterum de nouo præcipitent, adductis in eas affatim partes humoribus.

Nonnulli vomitum probant, quod humorum fiat reuulsio ad superiora. Et eo nomine quidem esset proficuus, in alia ratione esset metuendus. Quod nimirum magno conatu perficiatur, & non minùs, quàm sternutatio vterum propellat. Imò verò docuit experientia, nihil esse efficacius, ad partum difficilem, & fœtum citò excludendum, quàm vomitorium exhibitum.

Post sufficientem purgationem, decoctum guaiaci per tres hebdomadas exhibendum est, vt singulis diebus manè sudor eliciatur. Vesperi autem fotus imo ventri adhibeatur, ex saluia, origano, maiorana, thymo, matricaria, tanaceto, absinthio, ruta, rosis rubris, radicibus cyperi, calamenti, nucibus cupressi, & similibus decoctis in aqua fabrorum, & vino rubro. Post fotus, suffitus, & linimenta supra descripta adhiberi poterunt.

Loco sudorifici, vel etiam post vsum illius, thermæ sulphureæ, quales sunt nostræ Balerucanæ, erunt præstantissimæ; earumque vsu multas conualuisse compertum est.

Vt autem à procidentia, quæ facilè iterum recurrit, fœmina secura sit: aut si nulla perfectæ curationis spes sit; subligaculum adhibendum, quod vulgo *Zona Hippocratis* nominatur. Hoc enim munitæ mulieres sine prolapsus periculo ambulare, & munia quotidiana exercere possunt; tum vterus ab externo frigore defenditur. Paratur autem ad eum ferè modum, quo fasciæ ad herniam parari solent.

Pessaria quoque in deploratis vteri procidentijs vtilissima sunt, quæ à nonnullis componuntur ex subere satis oblongo, &

go, & cera superinducta. Alij ex sola cera conficiunt, & ex ijs nonnulli forma rotunda, alij ouali, quadrata, triangulari, alia ve forma, quæ in ipsam vteri cauitatem inducuntur, & nunquã eximuntur, atque vterum in suo loco retinent, ita tamen, vt mulieres omnia munia consueta exerceant, cum viris sine incommodo coeant, concipiant, vtero gerant, & pariant. Quod pluribus exemplis confirmatur à Francisco Rossetto de partu Cæsareo *sect. 6. cap. 5.* & Bauhino *in appendice ad Rossetum*. Quæ omnia ad verbum transcripta sunt, à Schenkio, & Sennerto, capitibus proprijs, vbi videri possunt.

CAPVT XIV.

De Vteri Clausura.

VIrgines, vteri clausura laborantes, atretę, seu imperforatæ nominantur. Illa autem clausura in tribus locis fieri solet: scilicet in osculo vteri interno, in eiusdem ceruice, & in osculo anteriori, quod vulua nominatur. Generatur verò aut à prima conformatione, quando membrana quædam vteri orificio, aut ceruici obtenditur; vel à vulnere, aut vlcere præcedente, quibus coalescentibus fit partium ceruicis vteri, aut labiorum coalitus; vel à tumoribus meatum interiorem obturantibus. Vel denique à compressione, strictura, aut distorsione, quæ pudendi virilis, & seminis ingressum, tum etiam menstruam purgationem præpedire solent.

Diagnosis ex parte facilis est, ex parte verò difficilis. Si clausura sit in externo orificio pudendi; sensibus ipsius dignoscitur. Si verò sit in ceruice, aut orificio vteri; non animaduertitur, nisi dum menstrua erumpere incipiunt, aut fæminæ generationis operi incumbunt. Aduenientè nimirùm menstruæ purgationis tempore, dolores, & tormina in regione vteri certis periodis sentiuntur cum ponderis sensu: nullus tamen sequitur mensium effluxus. Coniecturam augebit, si virgo bene habita sit, nullaque cachexia, aut obstructionibus affecta. Perseuerante affectu, intumescit vterus, vt virgines grauidæ videantur, & interdum totum corpus, quod etiam liuore quodam ex redundantia sanguinis, infectum apparet. Si verò clausura ceruicem vteri occupet: in primis coitibus dignoscitur, quando scilicet pudendum virile non admittit.

Si denique orificium vteri clausum sit; difficilè cognoscitur: id tamen peritæ obstretricis manu aliquo modo explorari potest, illiusque coniecturam faciet, si semen virile post eiaculationem statim egrediatur.

Quod ad prognosin attinet, Si clausura sint in orificio pudendi, curatu facilis est, & leni sectione resoluitur. Si verò penitiores partes occupet, longè difficiliorem curationem admittit.

Quando à membrana meatus clauditur; facilius curatur: quando verò à materia carnosa fit coalitus, vt post vlcera contingit; curatio est difficilior.

Clausura, interiùs vteri orificium occupans, incurabilis est: chirurgica enim instrumenta illic aptari nequeunt.

Curatio vteri clausuræ, cum à Chirurgica maxima ex parte petatur, ideò eam paucis expediemus.

Si à primo ortu clausura vteri contracta fuerit; simplici sectione aperienda est. Cuius modus ampla narratione describitur à Sennerto *cap. proprio.*

Si verò ex vlcere clausura ortum duxerit, in lue venerea contingit; aduertendum est; an sit tantùm carnis excrescentia, meatum non omninò claudens; an integer parietum ceruicis, aut labiorum coalitus. Si enim caro tantum excreuerit, tentandum est, præmissis euacuationibus conuenientibus, primùm carnis augmentum prohibere siccantibus, & discutientibus medicamentis; postmodùm carnem eandem imminuere, medicamentis ex thure, aristolochia, cortice, thuris rosis, balaustijs, mastiche, myrrha, aloe, & similibus. Quæ si non sufficiunt; ad carnem absumentia minùs dolorifica transeundum est, vt alumen vstum, vnguentum Ægyptiacum, & similia. Ac tandem, si ne hoc quidem modo consumptio obtineri possit; caro in gyrum præcidenda instrumento illo, quo polypi tolluntur. Si verò ceruix vteri omninò coaluerit; tentandum est vulcus nouare, & medicamentis prædictis carnem superfluam tollere. Sin minùs; sectio instituenda eo prorsùs modo, quo naturalis ceruicis vteri coalitus curatur.

Si à tumore aliquo meatus vteri occludatur: propria remedia illi decernenda sunt, qualia in vteri inflammatione, scirrho, & cancro fuere proposita.

Si fiat à compressione ceruicis vteri, vel oculi illius interioris; causa comprimens auferenda, quæ varia esse potest: nimirùm calculus vesicæ, tumor recti intestini, omentum pinguius, crura, aut femora distorta, ac diuaricata, quorum curationes è suis locis repetendæ.

In strictura, quę potissimum fit à duritie, vel siccitate, agendum est humectantibus, emollientibus, & laxantibus, semicupijs, fotibus, linimentis, & pessarijs; sicque relaxate partі immittatur cannula plumbea, vel ex cera alba optimè concinnata & butyro, aut oleo emolliente irrigata, quam perpetuò gestet, vel saltem noctu, dum decumbit, & interdiu immittatur pessus, ex cotone conuenienter constructus, & inunctus vnguento de althæa, vel simili.

In distorsione eadem ferè curandi methodus obseruanda est. Sa Kim cannula ita sit conformata, vt in contrariam partem distorsionis molliter deflectat. Sic vteri ceruix ad locum debitum paulatim reducetur.

CAPVT XV.

De Sterilitate.

STerilitatis nomen non adeò stricta significatione hoc loco vsurpatur, vt tantùm omnimodum concipiendi defectum, & integram abolitionem significet, sed in ampla, & lata, vt omnem concipiendi impotentiam, omneque impedimentum, comprehendat. Quando nimirùm mulier ea ætate, qua ad concipiendum habilis esse debet, & viri consuetudine vtens, non concipit. Et talis defectu ἀγονία, seu ἀτεκνία nominatur.

Hæc autem sterilitas, seu concipiendi impotentia, à pluribus causis excitatur: quas omnes, clarioris doctrinæ gratia, ad quatuor capita reuocare possumus, iuxta quatuor operationes naturales, quæ ad conceptionem perficiendam requiruntur. Quorum prima est, vt mulier in congressu venereo virile semen conuenienter vtero recipiat; secunda, vt semen receptum debito tempore retineat: tertia, vt illud vtero foueat, & conseruet: quarta, vt debitam materiam suppeditet ad embryonis conformationem, & incremẽtum necessariam. Hinc quatuor conceptionis impedimenta oriuntur: si nempè mulier semen non recipiat non retineat, non conseruat, & non nutriat.

Receptio seminis impeditur à pluribus causis, ex rebus naturalibus, non naturalibus, & præternaturalibus repetitis. Inter res naturales primùm recẽsetur ętas iuuencula, in qua, ob exiguitatem, & strictũram partium genitalium, mulier virile pudendum admittere non potest, aut certè nisi cum summo dolore, qui eam concubitum auersari cogat. Eundem effectum præstat ætas prouectior, siquidẽ in virginibus senioribus partes genitales, defectu exercitij veneręi, marcidę ac vietæ factæ sunt, ac strictiores redditæ vt penem virilem facilè postmodum admittere non possint. Quæcunque etiam natura claudæ, distortæ cruribus, vel depressa coccyge existunt, vix possunt commodam inconcubitu figuram præstare quæ ad seminis debitam receptionem necessaria est. His adde pinguedinem nimiam, & quæ vias vteri angustat, & aqualiculo prominentiore, iustum & commodum viri cum fœmina congressum impedit. Ac denique temperies vteri frigidior torpidas mulieres reddit, vt nulla propemodùm voluptate in coitu fruantur, aut tardiùs saltem excitentur, ita vt internum vteri orificium tempestiuè non aperiatur ad semen virile recipiendum.

Inter res non naturales animi pathemata principem locũ obtinent: ac in primis odium inter coniuges, quo mulier ab huiusmodi voluptate auersa, nõ suppeditat spiritus sufficiẽtes, quibus turgere debent genitalia tempore congressus, vt matrix, quasi gestiens, semini virili occurrat, idque benignè excipiat, attrahatque in cauitatem suam, simulque proprio semine, in ea voluptate effuso, perfundat, & irriget, atque ex amborum commixtione conceptio oriatur.

Res verò præternaturales, quæ seminis receptionem impedire possunt, in morbosis dispositionibus versantur, quæ partibus genitalibus, aut illis vicinis, aduenire solent: vt tumores, vlcera, obstructiones, adstrictiones, clausuræ, distorsiones, calculus vesicæ, & alia huiusmodi.

Secundum mulierum vitium, conceptionem impediens quando scilicet semen non retinetur, vel à nimia vteri humiditate dependet, quando scilicet vterus multis excrementitis humoribus refertus est, à quibus laxior factus non debitè constringitur ad semen receptum exactè retinendum,

vel orificium illius laxius redditum non potest sese sufficienter constringere ad semen retinendum; quod præcipuè contingit ex abortu, vel partu laborioso, in quo fibræ uteri diuelluntur, & nimiùm laxantur cum orificio interno. Illa autem humiditas immodica, & à proprio temperamento, & à causis externis humidioribus, vt balneo, otio, victu humidiori, vel præcipuè à fluore albo excitari potest: qui quidem fluor albus, siue fluor muliebris frequentissimè accidit, cùm uterus sit veluti cloaca, ad quam omnes corporis partes suas superfluitates deponunt ita vt hæc omnium frequentissima, & magis ordinaria sterilitatis causa esse soleat.

Tertia verò causa conceptionem impediens, quando nimiùm semen non nutritur sufficienter in utero, ab ijs dependet quæ semen corrumpere apta sunt, vt intemperies uteri quælibet; frigida nimirum, quæ semen extinguit: calida, quæ spiritus dissipat: humida, quæ debitam seminis crassitiem diluit: & sicca, quæ semen absumit: atque ita semen ab huiusmodi intemperiebus corruptum, à naturali sua constitutione deiectum, conceptioni ineptum efficitur. His addunt Authores maleficia, & incantationes, à quibus conceptionem impediri posse, apud omnes in confesso est. Res etiam externæ, seu alimenta, & venena, idem præstare possunt, quæ ab Authoribus recensentur. Nempè inter alimenta, acetum, mentha, sisymbrium aquaticum fabæ, & similia. Inter venena verò, aut saltem deleteriam quandam qualitatem, ad sterilitatem inducendam obtinentia, lapis gagates, vulua caprę, aut mulæ; noctiluca, sapphirus, smaragdus, & similia. Ac denique morbi maligni, & labe quadam venefica inquinati, semen maximè corrumpere, ac generationi ineptum reddere valeant vt phthisis, elephantiasis, lues venerea, vlcera fœtida, & cancrosa.

Quarta denique sterilitatis causa, quando scilicet fœmina debitam materiam non suppeditat ad embrionis conformationem, & incrementum, ex seminis, aut sanguinis menstrui defectu dependet. Sic nimis iuuenculæ, & vetulæ non concipiunt propter vtriusque materię defectum. Ætas autem conceptioni idonea vulgò definitur à 14. anno ad 50. Imò verò licet materiæ illæ non deficiant, si dispositiones prauas adeptæ sint, generationis incapaces fiunt. Prauę autem illæ dispositiones à varijs intemperiebus, alijsq; morbis induci possunt, tum etiam ex praua victus ratione, illaudabilem sanguinem producentis. Sic fœminæ, multis fructibus crudis, & aquæ frigidę potu sese ingurgitantes, serosum sanguinem cumulant, generationi ineptum. Fateri autem oportet: nonnullas mulieres concepisse, quibus nunquam menses effluxerant, vt ex plurimorum Authorum obseruationibus colligitur. Uerùm dicendum est, quod si in illis mulieribus materia defuerit ad menstruas purgationes efficiendas non defuit tamè ad conceptionem, sed tanta illius copia colligebatur, quanta supereſſe solet mulieribus, quæ purgantur, licet non sufficerit ad menstruas purgationes.

Causis hactenus propositis adiungi debet certa seminum, virilis, & fœminei improportio, qua fit, vt rectè inuicem commiscerì, & in vnam embryonis generationem conspirare nequeant: licet in neutro coniugum aliquis defectus sensibilis non appareat. Et contingit interdùm, vt idem vir cùm alia muliere, & eadem mulier cum alio viro prolem suscipiat, cù tamen simul iuncti steriles permanserint. Fit etiam vt mulier per decem, aut plures annos viro cohabitet & non concipiat: postea verò concipere, & parere incipiat: cuius euentus causa est mutatio temperaturę, quę progressu ætatis fit, ob quam semen aliam temperiem recipit, quæ cum antea seminis virilis temperaturæ improportionata esset, per ætatis mutationem proportionata euasit. Illa autem improportio eo præcipuè verfatur, quando viri valdè intemperati cum mulieribus eodem intemperaturę excessu laborantibus coniunguntur puta calidiores viri cum fœminis calidioribus, frigidiores, cùm frigidioribus: ista enim intemperamenta nullam mediocritatem conciliare possunt duobus seminibus & alijs causis ad generationem necessarijs. Quidam etiam ad qualitates occultas confugiunt, ob quas fœmina conuenire, aut discrepare asserunt, etiamsi nullus primarum qualitatum excessus appareat.

His etiam addunt Authores occultam quandam dispositionem, qua nonnullæ mulieres steriles redduntur; licet nulla causa manifesta appareat.

Signa diagnostica sterilitatis iuxta quatuor propositas causarum classes percurrenda sunt.

Ac primùm causæ, seminis receptionem impedientes difficilem non habent diagnosin, & ipsis sensibus conspicuæ sunt. Facilè enim dignoscitur ætas tenetior, aut prouectior, mala partium uteri vicinarum conformatio, vt quando mulieres claudæ sunt, vel crura distorta, aut depressam coccygem habent, & pinguedinem nimiam. Frigiditas verò uteri in tertia causarum classe indagabitur. Odium inter coniuges, ex eorum, & adstantium relatu innotescit. Morbi etiam particulares, seminis receptionem impedientes, vt tumores, vlcera, obstructiones, clausuræ, distorsiones, partium genitalium exploratione ab obstetrice, vel chirurgo innotescent.

Ex causis, seminis retentionem impedientibus, quæ secundam classem constituunt, humiditas nimia in tertia classe exponetur. Abortus verò, & partus laboriosus ex mulieris relatu dependent.

Tertiæ classis causæ, quæ scilicet semen corrumpere valent, accuratiorem requirunt diagnosin, quam nos in hunc modum prosequimur.

Frigida uteri intemperies inde dignoscitur, quòd fœmina coitum non appetat, minorique in eo voluptate afficiatur: facies illi mollis, albicans, & obscura est, stupido sensu prædita est circa pectinem, lumbos, & crura, crudum, ac tenue semen excernit, & cum exigua voluptate, menses suppriumuntur, vel parcè, atque inordinatè procedunt, suntque pallidi, ac decolores. His accedit prægressa victus ratio refrigerans, in fructuum, & olerum vsu diuturno, & largo frigidæ potu consistens.

Humidiorem uteri intemperiem arguunt, laxus, & mollis fœminæ habitus, vita sedenteria, fluores albi frequentes, ac fermè assidui menses copiosi, tenues, & aquosi, coitus inappetentia, lumborum grauitas, ad abortum procliuitas, vrinæ copiosæ, & victus ratio humidior.

Calida intemperies cognoscitur ex habitu virili, ac robusto, qualis in virginibus existit, facie rubicunda, pilis, ac supercilijs nigris, voce forti, ac virili: his addatur iracundia frequens, ad omnes actiones promptitudo nimia sitis inexpleta, vrina flaua, menstruorum paucitas, color ruber, obscurus, calor, & acrimonia, vt sæpè pudenda exulceret, pruritus genitalium, magna ad venerem procliuitas, prompta, & celer seminis excretio in coitu pollutiones frequentes, ac libidinosa insomnia.

Siccam verò uteri intemperiem significant mensium paucitas, oris uteri siccitas, pruritus, & fissuræ, quæ rhagades nominantur; pauca in coitu seminis excretio; ex nimio coitu molestia, corporis gracilitas.

Si ex maleficio seminis corruptela, & sterilitas contingat, aberunt omnia alia signa, quæ causas manifestas indicare possunt; aderit autem aliquod diuortium inter coniuges, cuius neuter rationem satis appositè reddere potest; imò & interdum seminis vtriusque eiaculatio rarò, difficulter, & cum labore fit.

Alimenta, aut venena, semen extinguentia, si assumpta fuerint, ex diligenti mulierum interrogatione, & abstantium relatu perdiscendum est.

Ac denique morbi maligni, semen extinguere valentes, vt elephantiasis, lues venerea, proprijs signis innotescent.

Quarta sterilitatis causa, quæ in menstrui sanguinis defectu, aut praua qualitate præcipuè consistit, dignoscitur primo, ex nimia totius corporis pinguedine, ad cuius nutritionem sanguis absumitur, & fœtui alendo non suppeditatur. Idem ostendunt corporis gracilitas, & summa macies. Cum enim sanguis non sufficiat ad corporis nutritionem, vix supereſſe poterit ad fœtus incrementum.

Ac denique ea omnia, quæ sanguinem absumere, & multum imminuere possunt, si præcesserint, vel affuerint, eiusdem penuriam in corpore significant: vt labores immensi, vigiliæ immodicæ, ieiunia austera, larga hæmorrhagia, febres acute, vel diuturnæ, vlcera fistulosa, & cauteria multum fluentia.

Nimia etiam sanguinis quantitas interdum seminis, atque embryonis nutritionem impedit; Obruitur enim semen à nimia illa copia, nec vim suam plasticam exerere potest. Hoc contingere solet, in mulieribus plethoricis, ac rubicundioribus genio, & crapulæ indulgentibus, quibus uterus perpetuo quasi madore proluitur.

Praua verò sanguinis qualitas, seu cacochymia, ex prauo mulieris habitu, menstruorum calore, alijsque conditionibus alienis, & prauâ victus ratione prægressa innotescet.

Seminum vtriusque coniugis improportio difficilè cognoscitur. Si tamen ambo calidiori admodũ, aut frigidiori sem-

temperamento præditi sint ; ex illa intemperie improportionem prouenire conijcimus , si aliæ sterilitatis causæ manifestæ non appareant.

Difficiliùs adhuc cognoscitur sterilitas , quæ ab occulta quadam dispositione dependet, nullis illius causis manifestis apparentibus. Apud Authores tamen multa reperiuntur experimenta , quibus internosci possit , an mulier à natiua constitutione sterilis sit . Quæ licet omnimodam certitudinem non habeant, coguntur tamen interdùm Medici ea in vsum reuocare, in gratiam Principum, & Magnatum, quibus licet sterilitatis causa diuortium facere.

Hippoc. *Aph. 59. sect. 5. Si mulier* inquit, *non conceperit, scire autem velis, an conceptura sit pannis circumtecta infernè suffias . Et si odor videatur per corpus ire ad nares , & ôs , scito , quod ipsa ex se ipsa sterilis non est.*

Idem Hippocrates fœminam fœcundam dignosci putat , si caput alij derasum , & purgatum in vterum subdatur . Si postridiè odor ad os peruenerit ; eam ad conceptionem aptam : sin minùs ineptam esse.

Vel galbanum, ad ignem emollitum, sericoque inclusum, muliebris vteri orificio nocte indito , caputque totum linteolo odorato obligato : manè si vertex mulieris galbanum redolet , mulier probè purgata , & fœcunda erit.

Idem experieris , si parùm balsami, aquæ admixtum , & bombace exceptum. in vterum immiseris, & femori alligaueris : quod si tunc vterus traxerit , fœcunditatis probatissimum signum est.

Amatus Lusitanus sequens vt probatissimum laudat . Capit coaguli leporis ʒ.j. quam aqua calida dissolutam mulieri in aqua calida existenti ieiunio ventriculo propinat . Si mulier tunc dolores ventris sentit, fœcundam ; sin minùs , sterilem illam pronuntiat.

Multi quoque ex vrina sterilitatem colligere volentes eam hordeo affundunt . Hoc intra decimum diem si germinet , pro fœcunditatis nota , si non germinet , pro sterilitatis certo argumento agnoscunt.

Alij denique siliquis , vel furfuri vrinam affundentes, sterilitatis notam ex eo obseruant , si vermes in eo generari videant.

Pro huius diagnosis coronide aduertendum est ; ac diligenter inquirendum, nunc viri culpa , aut defectu generatio impediatur . Frustrà enim mulier multorum remediorum vsu torqueretur . Sterilitas à viro procedens dignoscetur ex morbis , partes genitales illius obsidentibus, vt erectione læsa , seminis defectu , testiculorum tumoribus, gonorrhœa , alijsque . Huius etiam rei coniecturam faciet , si vir timidus extiterit & effœminatus frigidus natura sit, & barba careat , tardè semen excernat, idque frigidum habeat, quod tale ab vxore excretionis tempore in vtero sentiatur , nullam, aut exiguam habeat coitus appetentiam , & quàm minimam in eo percipiat voluptatem . Ac denique si causæ præcesserint, quæ semen infœcundum reddere valeant.

Prognosis iuxta causarum suprà enumeratarum seriem instituenda est.

Ac primùm ætas tenerior conceptionem non impedit, nisi ad tempus, & illa ætate adultiore expectanda est . Ætas verò prouectior omnimodam conceptionis desperationem inducit. Si tamen adhuc menstrua procedant ordinatis periodis, quædam superesse potest conceptionis spes ; sed admodum exigua, in his mulieribus in primis, quæ quadragesimum ætatis annum excesserunt : quia , licet mulieres, quæ iuniores pepererunt, in ea etiam ætate concipere soleant ; illæ tamen , quæ nunquam grauidæ fuerunt , exiguam spem habere debent in ea ætate concipiendi , quia vterus tamdiu otiosus , marcidus , ac victus factus est , & ad concipiendum inhabilis.

Quæ à praua membrorum conformatione sterilitas inducitur, vt in ijs , quæ claudæ sunt , aut crura distorta habent , vel coccygem depressam , incurabilis est.

Si verò à nimia pinguedine, aut aliqua vteri intemperie , non admodum inueterata , sterilitas procedat, curatio speranda est , maciem inducendo , & intemperiem corrigendo.

Illa verò , quæ ab alijs morbis inducitur, vt tumore , vlcere, obstructione, fluore albo , mensium defectu , vteri pro lapsu , phthisi , elephantiasi , lue venerea , alijsque, curatu facilior , aut difficilior est , prout dicti morbi faciem , aut difficilem curationem admittunt.

Ad curationem huius affectus , quæcumque ex causis prædictis eum producere valent , earum remotioni incumbendum est.

Ac primùm angustia partium genitalium , ob ætatem iuuenculam, curatione non indiget; si quidem ætatis progressu ad conuenientem amplitudinem reducitur . Interim tamen coitus abstinentia est necessaria , ab illo enim præmaturo partes istæ a naturali constitutione deijciuntur.

Quæ verò à parua statura, aut ætate prouectiore procedit, incurabilis est . Tentari tamen potest , emollientibus , & relaxantibus medicamentis adhibitis , si adhuc menstruæ purgationes profluant.

Nimia obsessitas extenuante victus ratione, & conuenientibus euacuationibus erit corrigenda.

Si ex praua victus ratione , sterilitas dependere videatur, vt in gulosis, ebriosis, aut hydropotis ; ad exactam viuendi normam huiusmodi mulieres reducendæ sunt, omnisque excessus tum cibi , tum potus , penitus circumcidendus.

Vraginès , & robustiores mulieres , ad naturam virorum quodammodò accedente , vt reddantur aptæ generationi , effœminandæ sunt omni artificio , & ad mores sexui congruer efformandę, interdictis omnibus edulijs crassioris succi, laboribus, & exercitationibus, ac procurato conuenienti menstruorum fluxu, vt illius immoderata copia eneruentur, ac mollescant. Tum, si menstruorum fluxus ad id non sufficiat ; frequenti purgatione, ac venæ sectione imminuantur humores , & balneis sæpiùs iteratis alijsque alterantibus totus habitus humidior , & frigidior reddatur.

Si ab vteri clausura, distorsione, obstructionibus, tumoribus , aut vlceribus sterilitas producta fuerit ; illis prouidendum est remedijs in eorum curationibus propositis.

Quæ ab occulta quadam dispositione , eaque natiua dependet , incurabilis est : eaque sedulò exploranda, ne frustrà remedia vsurpentur.

Si à maleficio , aut incantatione, aut occulta pharmacorum vi sterilitas inducta fuerit ; perexiguus est medicinæ locus ; sed ad preces , atque orationes confugiendum est , quæ à viris pietate præstantibus ardenti animo fusæ diuinum auxilium eliciunt.

Aduersùs tamen pharmaca , occulta vi sterilitatem inducentia, nonnulla proponuntur ab Authoribus amuleta, quæ proprietate quadam malignæ huic qualitati aduersantur , Unde volunt Cardanus , Priapum lupi gestatum omnes illas fascinationes dissoluere . Alij valde commendant adamantem, & hyacinthum . Antiqui hypericum vocabant fugam dæmonum . Eadem vis etiam tribuitur scillæ, eryngio, rutæ, sagapeno , ab vtroque coniuge gestatis . Deinde huic negotio plurimùm conducere certum est , vt huiusmodi fascinati confidenti animo ista conentur maleficia , & incantationes aspernari . Tùm (si auctor maleficij ignoretur,) vt locorum mutatione , domos , cubilia, vestes , & suppellectilem relinquant, in quibus vis illa venefica, & fascinatoria sæpè absconditur.

Si calidior intemperies sterilitatis causa fuerit , eadem curatio adhibenda est quæ in calida iecoris intemperie fuit præposita . Quod si maior fuerit caliditatis excessus , ad ea erit recurrendum, quæ pro fluore vterino fuere descripta . In quibus tamen remedijs caphura non admittenda est , quia fœcunditati plurimùm nocere creditur.

Siccitas immodica, conceptionem impediens , curabitur victu analeptico ; & si maior sit consumptio ad curam hecticorum erit reuocanda , videlicet lactis vsum, balneum frequens, & similia.

At verò omnium frequentissima sterilitatis causa est frigida, & humida intemperies totius corporis, & vteri, quàm fluores albi sæpissimè comitantur , eorumque curatio specialis ex proprio capite desumenda . Peculiariter verò dictis intemperiebus sequentia adhibebuntur remedia, quæ à prudenti Medico variari poterunt ; ita vt magis vel calefaciant, vel exsiccent, proyt vel frigiditas , vel humiditas magis in vitio fuerit .

Ac primum humores pituitosi , in corpore restagnantes, euacuandi sunt purgantibus medicamentis, diureticis, & sudorificis . Nec non reuulsiones quædam instituendæ sunt cauterijs, brachijs, ceruici, aut cruribus adhibitis . Tum partes principes roborandæ theriaca , mithridatio , tabellis aromatici rosati , confectione alkermes , & similibus . Nec non purgationes per interualla repetendæ, si cacochymia redundare videatur.

Postmodum ad ea veniendum est , quæ proprietate specifica vterum roborare , conceptionem adiuuare , & veneri stimulos addere nata sunt ; quorum innumeræ apud

Authores describuntur formulæ, Nos præcipuas hic seligimus.

Ac primùm opiata in hunc modum componi poterit.

℞. Rad. eryngij, & satirionis saccharo condit. ana ʒ. j. zinziberis viridis conditi Vnc. ß. auel. lanar. nucleor. pini; pistacior. ana ʒ. vj. nucem moschat. saccharo condit. num. i. sem. erucæ, & nasturtij, ana ʒ. ii. cineris priapi tauri, renum scincor. & rasuræ eboris, ana ʒ. j. confect. alKermes ʒ. iij. diambræ, & diamoschi dulc. ana Drach. j. ß. ambr. Drach. ß. Cùm syrupo condituræ cortic. citri, fiat opiata, de qua capiat ad quantitatem vnius castaneæ sub introitu lecti, bis, aut ter, in septimana, superbibendo vini generosi, vel Hippocratici parum.

In forma pulueris sequentia exhiberi poterunt.

℞. Sem. erucæ, sileris montani, ana ʒ ß. rasuræ eboris, cinnam. nucis moschat. an. ʒ. j. moschi (in ijs, quæ ferre eum possunt) gr. ij. santali albi ʒ. iij. Misce, fiat puluis, detur ʒ. j. ex vino generoso. Vel

℞. Sem. erucæ, pastinacæ, syluestris, cinam. nucis moschat. pulueris diambræ, & diamoschi, ana Drach. j. matricis leporis, testiculi, apri, priapi, cerui, caryophyll. an. Drach. ß. moschi, ambræ an. gr. vj. sacchari ad pondus omnium. Misce, fiat puluis, dosis Drach. ij. cum vino generoso.

Summæ efficaciæ creditur secundina mulieris exsiccata, & in puluerem redacta, ad Drach. j. exhibita.

Alij pro secreto habent pulueremex hepate, & testiculis porcelli, quem solum sctopha edidit: eumque sterilitatem arcere asserunt, tam in viris, quam in mulieribus.

Matthiolus in Dioscoridem ammi semen prædicat his verbis: *Ammi legitimi semen, quod ex Alexandria affertur, mirificè præstat ad mulierum steri litatem. Nam compertum est, huius tantùm seminis auxilio plures prolificas effectas. Siquidem si propinetur manè, dragmæ pondere, ex vino meraco, aut carnium iure, in tenuem puluerem cõtritum, alternis diebus, tribus horis ante cibum, futuram pollicetur prolem. Sed oportet maritum cum vxore rem habere ijs tantum diebus, in quibus illa semen non ebiberit.*

In quibus mulieribus viscerum calefactio timetur, rasura eboris erit vtilissima ad Drach. j. cum vino albo sumpta, per quatuor, aut quinque dies, post purgationem menstruam.

Essentia satyrionis à Crollio descripta hic maximè excellit; si ad ℈. j. vel ij. vsque ad Drach. j. in vino maluatico exhibeatur.

Eiusdem satyrionis sal est etiam valdè efficax, ad scr. ß. cum vino maluatico post purgationes menstruas exhibitum.

Decocta varia in eundem vsum componi solent. Efficacissima sunt, quæ sequuntur.

℞. Rad. eryngij Vnc. j. artemisiæ, nepetæ, an. M. j. Coque in vino albo. Detur cyathus vnus, mane, & vesperi cum Drac. j. tryphera magnæ sine opio, per dies nouem.

Quercetanus sequens maxime commendat.

℞. Testiculorum arietis præparatorum in vino, & exsiccatorum, matricis leporis, eodem modo præparatæ, & exsiccatæ, macis, cinnam. caryophyllor. zinzib. albi, sem. ammeos an. Dr. ij. croci Dr. j. ß. medullæ nucum communium, auellanarum, pistaciorum, ana Dr. iij. Contundenda contundantur, & tandem coquantur in ℔. ij. vini maluatici ad ʒ. partis consumptionem. Huius decocti capiat post mensium fluxum Vnc. iij. vel iv. manè tribus horis ante cibum, idque tribus diebus consequentibus; quarta verò marito iungatur.

Aqua stillatitia sequens valdè efficax.

℞. Cinam. caryophyll. nucis moschat. macis, ana Vnc. j. cubebarum, piperis longi, galangæ, zedoariæ, sem. ammeos, seseleos, ana Vnc. ß. gran. iuniperi Dr. j. vini albi generosi, aquæ rorismar. maioranæ, melissæ, an. q. s. Stent in digestione sex diebus, & postea distillentur, ac manè & vesperi cochlear. ij. vel iij. exhibeantur.

Penà, & Lobellius maioranæ tenuioris, delicatioris, & minutæ vocatæ oleum stillatitium coagulo leporino remistum & moschi tantillo, tanquam arcanum proponunt conceptui facilitando, nulli referendum.

Si mulier saluiæ hortensis succi heminam cum modico sale potauerit, quarta menstruæ purgationis die, deinde post horæ quadrantem viro se commiscuerit, infallibiliter eam concipere multis graues viri testantur. Quo remedio etiam post magnam pestilentiam, Ægyptias fœminas ad multam sobolem peruenisse, Æthus testatur.

Prædictis remedijs internis topica erunt adiungenda. In quorum vsu diligenter erit obseruandum, priusquàm de exsiccatione, adstrictione, & corroboratione vteri cogitemus, vt attrahantur priùs, & expurgentur sordes, in illius cauitate contentæ; ne vel in partes nobiles refluant, vel illius substantiæ magis affigantur. Prius igitur vterum expurgantia immittenda sunt, in hunc modum composita.

℞. Diaphœnic. & hieræ picræ, an. ʒ. ß. terebinthinæ, & mellis mercurialis, ana ʒ. j. castorei ʒ. j. Misce, & ad conuenientem consistentiam artificiosè reducantur, & fiant pessaria in vterum immittenda. Vel

℞. Hierę picræ, ʒ. ß. agarici trochisc. puluerat. ireos Flor. ana ʒ. j. mithridatij veteris, & diaphœnici, ana ʒ. j. Cum succo mercurialis fiat pessarium, linteo obuolutum, quod immitti debet hora somni, & per duas, aut tres horas detineri.

Si vterus magna excrementorum copia luxuriet, pessarium validius immittendum erit, præmissa iniectione sequenti.

℞. Fol. absinthij, artemis. mercurialis, & rutæ, ana M. j. ß. pulpæ colocynth. ℈. j, agarici trochisc. ʒ. ß. zinzib. & myrrhę, ana ℈. i. Fiat decoctio in aqua, & in vino albo ad ℔. i. In qua dissolue mellis rosat. ʒ. ii. Iniciantur huius decocti ʒ. iij. in vterum, continuando per tres, aut quatuor dies, manè, & dum ibit cubitum, post fluxum menstruorum. Posteà immittatur pessarium sequens.

℞. Hieræ picræ, & benedictæ laxat. ana Vnc. i. pulpæ colocynth. agarici trochiscat. ana Drach. ß. spicæ nard. Sem. nigellæ rom. & fol. sabinæ puluer. ana Drach. i. Incorporentur cum melle anthosato, & includantur panno serico. Fiant pessaria, quorum vnum immittatur in vuluam, dum ibit cubitum, & ibi maneat per duas horas, deinde abluatur pars vino albo.

Ad vterum roborandum, adstringendum, & exsiccandum, sequentia vsurpari poterunt.

℞. Rad. aristol. rotundæ ʒ. ß. ligni aloes ʒ. iii. nucum cupressi, & rad. cyperi, ana ʒ. ii. calami aromat. ʒ. i. fol. dictamni cretici, saturejæ, & fol. myrti, ana M. i. myrrhę, electi. styrac. calamit. & benioini, ana ʒ. ii. ß. flor. stęchad. anthos, & maioran. an. P. i. Coquantur in q. s. vini albi generosi. In colat. ℔. i. dissolue trochisc. de aliptа moschata ʒ. ii. ambreæ grisea, & moschi, an. gr. vii. zibetæ gr. v. Fiat iniectio manè, & serò calidè per aliquot dies.

Ante, vel post iniectionem, suffumigium sequens vsurpari poterit.

℞. Trochisc. galliæ, & aliptæ moschat. an. ʒ. ii. styrac. calamit. benioini, & ladani puri, ana ʒ. ß. ligni aloes & rhodii, ana Dr. i. sem. nigellæ rom. cubebar. & caryophyll. ana ℈. iv. succini, & hummi tacam. an. Drac. i. ß. macis Dr. ß. Fiat omnium puluis, ex quo cum aqua flor. arantiorum, in qua eliquatum fuerit gummi tragac. formentur trochisci: quorum vnus, aut alter prunis injiciatur, & fumus excipiatur per infundibulum.

Pauperes suffumigentur cum æquis partibus myrrhæ, thuri ligni aloes, storac. benjoin. cinnam. & caryophylior. Post iniectionem, & suffumigium sequens immittatur pessarium.

℞. Thuris, mastiches, an. Dr. ij. trochisc. galliæ & aliptæ moschat. ana ℈ iv. rad. bistortæ, nucum cupressi rasur. eboris, & rosar. tubr. an. Dr. j. styrac. benioni, & ladani, ana ℈ ii. calami aromat. & cyperi, ana Dr. ß. Malaxentur cum aqua flor. arantiorum, deinde cum panno lineo raro formentur pessaria duo debitæ magnitudinis; quorum vnum immittatur sub introitu lecti, illito illius apice oleo nucis moschatæ cum zibeta permixto.

Cæterùm de allio hortensi refertur, si cum oleo de spica conteratur, & in linteum ratum oblongi sacculi modo conformatum intrudatur, ac in vuluam profundè pellatur, cessantes menses potenter moueri, & vterum mira voluptate affici, ac repurgari: vt hinc multis facta sit via ad conceptionem, diù ante desperatam.

Ante iniectiones roborantes, & suffumigia potest vsurpari semicupium per horam ante lecti introitum, idque in hunc modum compositum.

℞. Rad. bryoniæ, imperat, valerian. ireos, enulæ campan. an. ʒ. iij. fol. maioran. artemis. nepetę, pulegii, mercurialis, saluiæ, lauri, an. M. iv. baccar. lauri, & iuniperi, ana ʒ. i. Coquantur pro semicupio.

At verò pro balneo thermæ sulphureæ, & bituminosæ præstantissimæ sunt, & ad eas quamplurimæ mulieres,

res, tanquam asylum, confugiunt.

Post balneum, & suffitum regiones pubis, & perinei inungendæ sunt sequenti linimento.

℞. Olei nardini, & moschatellini an. ℥. j. ß. ol. cheirini, ℥. ß. pulu. electuarij diambræ, & diamoschi, ana Drach. j. ß. styrac. liquidæ Drach. j. zibetæ ℈. ß. moschi, ambræ gris. an. gr. vj. cerę albæ parum. Misce, fiat linimentum, quo inungantur dictę partes, & interiùs inungatur zibeta, aut balsmo Indico naturali. Vel tempore coitus viri penis zibeta, inungatur.

Tandem emplastra perinæi, & lumborum regioni applicentur, quæ gestentur continuò, vel singulis noctibus vsque ad vltimam, qua menses erumpere solent, septimanam. Eaque in hunc modum parabuntur.

℞. Massæ emplastri pro matrice Vnc. iv. massæ emplastri de mastiche Vnc. ij. gummi tacamahaca, & caragnę, an. Vnc. j. pulu. rad. tormentil. & bistortæ, an, Vnc. ij. pulu. myrtillor. Drach ij. pulu. aromat. rosat. ℈. iv. Malaxentur cum ol. cydonior. admixta Drach. j. ol. nucis moschat. Extendatur super alutam, & formentur duo emplastra: quorum vnum sit rotundum, pectini admouendum: alterum quadratum, lumbis applicandum.

CAPVT XVI.

De Morbis acutis, & chronicis prægnantium.

MOrbi acuti, & chronici prægnantium non aliam habent essentiam, aliam vè diagnosin ac dum non prægnantes aut etiam viros obsident, ideoque hic peculiarem eorum Theoriam proponere non opus est, sed illa ex proprijs capitibus repetenda.

Prognosis verò illorum morborum eadem non est, quandoquidem in grauidis longè periculosiores sunt, & sępissimè lethales. Sic apud Hip. *Aph. 31. sect. 5. Grauidam mulierem morbo acuto corripi periculosum.* Siue enim cum febre morbus sit, duplex impendet à morbo periculum, vt docuit Gal. *in comm. huius Aph.* vnum à febre ipsa, fœtum perimente, alterum à victu tenui, qui ad morbi acuti curationem necessarius est, fœtui autem alendo non sufficit. Siue autem sine febre acutus morbus fuerit, vt epilepsia, apoplexia, tetanus, morbi magnitudini, ac vehementiæ mulier, & fœtus resistere nequeunt, neque vehementia remedia, quæ ad illorum morborum curationem requiruntur, ferre possunt. Sciendum tamen est, istam prognosin non esse perpetuæ veritatis. Multas enim mulieres morbis acutis laborantes euadere, tum Authorum testimonijs, & exemplis, tum quotidiana experientia notum est.

Chronici verò morbi, vt febres intermittentes, catarrhi tenesmi, alijque abortus periculum minantur: & si eum non inferant, vix ante partum curari possunt, sed vsque ad tempus illius perseuerant.

Morbi acuti, & chronici, in primis, & vltimis gestationis mensibus periculosiores sunt, quàm in medijs. In primis enim mensibus vincula, quibus fœtus vtero alligatur, sunt imbecilliora, vt faciliùs diuellantur; & fœtus tenerior à causis illis præternaturalibus faciliùs opprimitur. In postremis verò mensibus, sexto nimirùm, septimo, & octauo, fœtus grandior multo indiget alimento, quo in morbis prædictis destituitur. Adde, quod prædicta ligamenta non adeò firmiter hæreant, quemadmodùm in tertio, quarto, & quinto mense, in quibus minùs est periculum aborsus. Ideò Gal. fœtum in vtero egregiè comparat fructibus, ab arbore pendentibus; qui in ortus sui principio tenerrimos habent pediculos, vt facilè à vento, aut quauis alia commotione violenta excuti possint: dum verò ad maturitatem accedunt, minùs firmiter hærent, quam in medijs temporibus.

Curatio etiam prædictorum affectuũ in prægnantibus satis insignem habet diuersitatem circa dietam, & magna remedia, venæ sectionem scilicet, & purgationem, quibus addi possunt medicamenta, per alias vias euacuantia, nimirùm menses mouentia, diuretica, & sudorifica: quia metus est, ne ab huiusmodi euacuationibus aborsus concitetur. De his ergo tantùm hic agere constituimus, reliqua ad peculiaria cuiusque morbi capita reijcientes.

Quod ad diætam spectat, illa in morbis acutis non adeò tenuis imperanda est prægnantibus mulieribus, ne fœtus gemio suo fraudetur; neque tamen adeò liberalis concedenda, vt ea febris promoueatur, sed media quadam via incedendum est: ea tamen cautione adhibita, vt in primis gestationis mensibus tenuior victus instituatur, in postremis verò paulò crassior, & copiosior, quia fœtus eo tempore maiori indiget alimento. Si tamen in ea diæta aliquid peccandum sit, satiùs est ad paulò pleniorem victum accedere, quàm nimis exquisitum, ex matris enim, & fœtus viribus præcipuè salus speranda est.

Circa venæ sectionem statim opponitur Aphorismus Hippoc. 13. sect. 5. *Mulier vtero gerens, sanguine ex vena misso, abortit, & præcipuè si fœtus sit grandior.* Et ratio redditur à Galeno *in comm.* quia sanguine detracto fœtus suo fraudatur alimento, vnde abortus consequitur. Ex altera verò parte in pluribus prægnantium morbi, præcipuè verò acutis, vt pleuritide, peripneumonia, febre continua, & similibus, phlebotomiam esse necessariam, & posse administrari, non solùm primis, sed etiam medijs, imò, & interdùm postremis grauiditatis mensibus, vsu quotidiano ostenditur. Eaque omissa tum mater, tum fœtus in summum vitæ discrimen conijciuntur. Et huic posteriori sententiæ seniores Medici suffragantur, neque ab Hippocratis, & Galeni mente dissentiunt. Ea enim tantùm de causa mulierem grauidam secta vena abortire voluerunt, quia extracto sanguine subtrahitur alimentum fœtui. Si igitur talis venæ sectio dari potest, qua fœtui alimentum non subtrahatur, nullum ex ea imminebit abortus periculum. Talis autem datur primum prioribus gestationis mensibus, dum fœtus est minor, & minori alimenti copia indiget; tunc enim ipsi alimentum non subtrahitur, præsertim si quædam plethoræ indicia apparuerint. Sicque à primo mense vsque ad quintum venæ sectio tutò administrari poterit. In medijs verò, & postremis mensibus, maiori circumspectione opus est, quia fœtus maior, maioriq; egens alimento, non ita tutò phlebotomiam ferre potest. Attamen, si mulier sanguine abunder, & copiosa admodùm fiat venæ sectio; tutò potest mitti sanguis, quia hinc sedabitur morbis. Nec tantum alimentum fœtui subtrahetur, vt hinc mulier abortum incurrat. Si autem aliter videtur sensisse Hippocrates, animaduertatur quòd modo longè diuerso nos venam secemus, ac antiqui faciebant, qui ad libras, nos verò ad vncias mittimus. Imo verò ad præseruandas mulieres ab aborsu, nullum est præstantiùs remedium, quando is contingit ex nimia sanguinis copia; fœtum obruente, & suffocante in fœminis, quæ extra grauiditatem menstruis temporibus copiosè per plures dies expurgantur. Sic Petrus Salius Diuersus *lib. de morbis particularibus cap. 22. Testor ego*, inquit, *me plurimas ab abortu, in quem frequenter inciderant, sola sanguinis missione, primis mensibus facta, præseruasse. Non ita tamen censendum est de hoc sanguinis missione, vel moderata, vel parca, in vtero gerentibus administranda, vt vnquam non veniat etiam in vsum, si copiosè fiat. Interdum enim in vltimo mense copiosa sanguinis missio facta, non spernendum attulit iuuamentum. Et ego aliquãdo hanc venæ sectionem copiosè factam in vltimo mẽse, instante partus tempore, dum vtero gerentes ardenti conflictarentur febre plurimoque abundarent sanguine, tentaui, & hinc remissionem febris, ac partus accelerationem sperã, vtrumq; ex sanguinis missione consequutus summa cum vtilitate administraui, fœtumq; & matrem vna periclitantem ex hoc solo remedio saluaui. Quod remedium in aliquib. prætermissum, & à Medicis, verba solùm. Hippocr. & non ipsam rem ponderantibus neglectum, fuit in causa, vt conceptus sæpè vna cũ matre, à plenitudine, & feruore sanguinis suffocatus miserabiliter perierit.* Hæc Salius Amatus Lusitanus *curat. 57. sect. 1.* mulieri, annos octodecim natæ, semestrem vterum gerenti, & causone laboranti, quater venam aperuit, cum felici successu. Et Rod. à Castro *lib. 3. de morbis mulierũ cap. 21.* scribit, se mulieri Ulyssiponensi in octauo mense pleuritide correptæ, & ab alijs Medicis pro deplorata relictæ, quater etiam sanguinem misisse, eamque conualuisse, ac filium sanum peperisse. Ac denique, si nobis aliquid ex proprijs experimentis depromere liceat, sequentem historiam, quæ insignis est, & notatu dignissima hic annotabimus. *Vxor Ioannis Vicules, diuis Mõspelicasis, tres aborsus consequẽtes passa fuerat variis tẽporibus gestationis: dũ quarto grauida esset, circa finem mensis secundi correpta est iisdem ventris, & lumborum doloribus, qui aliorum aborsuum prodromi esse consueuerant. Vocatus ad eam, & aduertens mulierem sanguineo temperamento prẽditam, & plethoricam statim sanguinem mitti iubeo ad Vnc iv. & intra dimidiam horam prædicti dolores omninò quieuerunt, & mulier tam bene habuit vt reliqua remedia ad prẽcautionem aborsus a me prescripto*

admi-

admittere noluerit. Illa autem symptomata apparuerant eo prorsùs tempore, quo ipsa extra grauiditatē menstruas purgationes pati consueuerat. Tertio demùm grauiditatis mense eadem periodo, similia redeunt symptomata. Illa me, statim vocatum, rogat, vt iterùm venę sectionem præscriberem, cū præterito mense adeò præsentaneum leuamen ab ea percepisset. Me igitur votis ipsius annuente, sanguis denuò mittitur, pari prorsus euentu. Quarto itidem mense, quinto, sexto septimo, & octauo, iisdem symptomatis periodicè recurrentibus, iterata phlebotomia mulier statim liberata. Vltima phlebotomia celebrata fuit octo diebus ante principium noni mensis cum eodem fructu: & circa finem noni mensis dicta mulier peperit filium vitalem, & benè habitum.

Non est tamen, quòd hisce exemplis persuasus iunior Medicus, audacior fiat in sanguine mittendo, postremis gestationis mensibus. Sed morborum, & mulierum habitus diligenter oportet circumspicere, vt illis remedia conuenienter aptari valeant. Hoc perpetuò in memoriam reuocans, peccata omissionis leuiora esse peccatis commissionis, & satius sese in re dubia infrà subsistere, quàm vltra debitos limites progredi. Attamen vbi manifestas sanguinis mittendi indicationes intuetur, præmonitis adstantibus, multò maius ex morbi fœuitia, quàm ex venæ sectione, tum abortus, tum vitę matris, ac fœtus imminuere periculum; audacter sanguinem detrahet; hoc nihilominùs aduertendo, vt sanguinis missio sit parcior, non copiosa, quæ fœtui alimentum subtrahere possit. Et si multitudo sanguinis largiorem eius detractionem desideres, partitis vicibus, non semel id exequendum erit.

Prædictus igitur Hippocratis Aphorismus non absolutè venæ sectionem interdicit, sed tantùm admonet, vt Medici cautiores sint in ea celebranda. Quod à Cornelio Celso eleganter proditum est *libro secundo cap.* 10. his verbis. *Antiqui primam, vltimamque ætatem sustinere non posse hoc auxilij genus iudicabant. Persuaseransque sibi, mulierem grauidam quæ ita curata esset, abortum esse facturam. Posteà verò vsus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliasque potiores obseruationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat. Interest enim non quæ ætas sit, nec quid in corpore intùs geratur, sed quæ vires sint. Ergo si iuuenis imbecillis est aut si mulier, quę grauida non est, parum valet; malè sanguis emittitur. Emoritur enim vis, si quæ superauat, & hoc modo erepta est. At firmus puer, & robustus senex & grauida mulier valens, tutò curantur.* Hæc Celsus. Recentiores quidam ausi sunt venas inferiores aperire in grauidis mulieribus, ad curationem epilepsiæ ex vtero, bubonis venerei, & pestilentis, imò, & abortus præcautionem; vt videre est apud Zacutum Lusitanum in *Praxi Medic. mirab. obseru. 23. lib. 1. & obseru. 130. & 151. libr. 2.* Qui proprijs, & aliorum experimentis ostendere nititur, eam phlebotomiam posse tutò celebrari. Quæ prudentibus Medicis pensitanda relinquo.

Diximus ab initio huius capitis, nullam esse diuersitatem affectibus prægnantium curandis, nisi circa magna remedia, quæ in ijs ita determinanda est, vt nimirùm affectus, qui non grauidas occupant, vt vomitus, inappetentia, & similes in non grauidis magis indigeant purgatione, quàm venæ sectione quia fiunt à cacochymia in ventriculo, & toto corpore redundante: in prægnantibus verò magis egeant phlebotomia; quia fiunt ex sanguine retento ab ipso grauiditatis initio. Et docuit experientia, vomitum, qui prægnantes frequenter infestare solet, primis gestationis mensibus, à purgationibus, exacerbari; à venæ sectione verò plurimùm subleuari; imò verò in totum auferri, si vsque ad solutionem symptomatis singulis mensibus iteretur.

Purgationis verò vsum in grauidis mulieribus definiuit Hipp. *Aph. 1. sect. 4. Vtero gerentes, inquit, sunt medicandę, si materia turget, quarto mense, & vsque ad septimum. Sed hæ minus, à iuniori autem satu, & seniori cauere oportet.* Gal. *in comm.* dicit eandem esse proportionem fœtus, & fructuum arborum. Hi siquidem in prima generatione debilioribus pediculis continentur, & ideò facilè decidunt, quando vehementior ventus ipsos concusserit. Posteà verò aucti difficilem habent à plantis dissolutionem. Sicuti rursùs cum perfecti sunt, sponte sua, sine vi extrinseca decidunt. Eodem modo mulieres primis, & vltimis mensibus abortum patiuntur, quia in illis fœtus minus firmiter vtero alligatus est. Attamen nostro hoc sęculo purgationes quolibet fere grauiditatis mense administrari solent, in morbis, qui ab excrementorum dominatu, & cacochymia producuntur, turgente, vel concocta materia; quotiescumque maius impendet periculum ex parte illius cacochymię, morbum committentis, quàm ex commotione, à purganti medicamento excitata. Audaciores hac in parte Medicos fecerunt blanda, & innoxia medicamenta, quibus hodie vtimur, vt sunt rhabarb. myrobalani, cassia, manna, senna, agaricus, & similia. Attamen habenda perpetuò ratio sententiæ Hippocratis; tutiusque medijs mensibus, cautiùs verò primis, & vltimis purgantia medicamenta esse exhibenda. Præterea pilularum vsus in grauidis perpetuò debet esse suspectus: tum quia corpus magis conturbant, tum etiam rationes aleos, quæ propter insignem amarorem fœtui infensa est, & ora venarum aperire creditur. Quod si aliquando illius vsus necessarius videatur, in grauioribus ventriculi affectibus, qui prægnantes non rarò primis gestationis mensibus infestare solent, lauentur diligenter cum aqua rosacea, vt eius acrimonia tollatur, vel admisceantur adstringentibus, & roborantibus, vt rhabarbaro, mastiche, & similibus.

Euacuatio autem, quę fit per clisteres, non omninò tuta est, quia comprimendo vterum potest abortum excitare. Vbi igitur illa opus fuerit, & in mulieribus assuetis huic remediorum generi in minori quantitate componi debent, & ex ijs, quæ molliendi, & lieniendi potius, quàm validè purgandi facultate prædita sunt.

Denique de sudorificis diureticis; & menses mouentibus ita pronuntiandum est; menses mouentia propriè dicta in grauidis nunquam esse vsurpanda. Diuretica verò, quiæ menses quoque mouere apta sunt, debent esse suspecta; & si morbi necessitas aliquando eorum vsum postulet, leuiora erunt eligenda. Ac denique sudorifica tutiùs administrari poterunt, quia per habitum corporis humores educunt, vnde nullum imminet abortus periculum: ita vt nonnullę mulieres in media grauiditate à lue venerea, illęso fœtu, liberatæ fuerint.

CAPVT XVII.

De Abortu.

ABorsus est immaturi fœtus excluſio, atque adeò fœtus mortuus in vtero non dicitur abortus, donec excludatur. Siue ergo fœtus viuus, siue mortuus excludatur, qui nondum maturus est, neque debitum accretionis, quam in vtero recipere debet, terminum attigit; aborsus dicendus est.

Cautæ abortus aliæ internæ sunt, aliæ externæ.

Internæ ad quatuor capita referri possunt, nempè ad humores, ad fœtum, ad vterum, & ad morbos matris.

Humores abortum efficere possunt, dum quantitate, vel qualitate peccant.

Quantitate peccant excedente, vel deficiente.

Quantitas excedens reperitur in plethora; sanguis enim copiosior, quàm ad fœtus nutritionem requiritur, ad vteri venas fluit, & instar purgationis menstruæ excluditur, simulque fœtum elidit.

Quantitas deficiens humoris alibilis ex ijs causis procedit, quæ fœtui alimentum subtrahere valent, vt inedia, siue voluntaria sit, siue coacta, vt cum grauidæ omnem cibum auersantur, aut vomitu reijciunt: tenuis diæta in morbis acutis, immodica sanguinis euacuatio per nares, hæmorrhoides, profluuium vteri, vel phlebotomia immodica, vnde Hipp. *Aph. 34 sect. 5. Mulierem vtero gerenti, si aluus multum fluat periculum est ne abortiat.* Huc referenda est summa totius corporis gracilitas, in qua tantum sanguinis non suppetit, vt fœtui alendo sufficiat. De quo Hipp. *Aph. 44. sect. 5. Quæ præter naturam tenues vterum gerunt abortiunt, donec habitiores euaserint.*

Ratione fœtus, aborsus accidere potest, si sit nimis grandis, vt propter molem vtero contineri non possit. Hinc sępè contingit paruas mulieres abortum pati, præsertim si viris grandioribus iungantur, quorum soboles magnum incrementum capessit, & non habet satis amplum locum ad illud perficiendum. Vnde Hipp. *lib. de superfœt mulier,* inquit, *sicquæ concipiat quidē & frequenter sed fœtus bimestres trimestres aut quadrimestres, & vetustiores stato tempore semper, & certo excutit, illud est referendum ad vteri angustiam, quæ augescentem fœtū amplius continere non potest.* Numerus etiam excedens abortum efficere potest, vt si duo, tres, vel plures in vtero contineantur, periculum est, ne vterus, nimia

nimia sarcina grauatus, illos præmaturè excludat, vnde frequens fieri solet gemellorum aborsus. Mortuus etiam fœtus ad hanc classem referri potest, ad cuius exclusionem natura continuò insurgit.

Ratione vteri abortus contingit, si non sit satis amplus, & capax, vt sufficienter dilatari possit pro incremento fœtus, quemadmodum suprà relatum est ex Hip. de superfæt. Tum etiamsi aliquid præter naturam in vtero succreuerit, vt inflammatio, tumor scirrhosus, abscessus, mola, & quamplurimi alij morbi. Ac denique si vterus sit humidior, & laxior, vt fœtum satis commode continere nequeat.

Ratione morborum matris, duplici ratione abortus contingere potest. Primò, cum morbi fœtui communicantur, à quibus extinguitur, vel ita debilitatur, vt conueniens nutrimentum, aut incrementum recipere nequeat, quales sunt febres continuæ, & intermittentes, lues venerea, & alij complures. Secundo, cum à dictis morbis magnæ euacuationes aut graues corporis commotiones excitantur, vt hæmorrhagiæ copiosæ, à quacumque corporis parte fiant; alui profluuia, grauis syncope, epilepsia, vomitus, & tenesmus; qui supra omnes alios morbos abortum efficere consueuit; quandoquidem à frequenti, ac ferè continuo egerendi conatu, qui tenesmum perpetuò comitatur, musculi abdominis assiduè contrahuntur, & vterum magis comprimunt, quàm intestinum rectum, cui superiacet, & continuam illam compressionem fœtus exclusio tandem subsequitur.

Causæ externæ, abortum promouentes, aliæ fœtum enecant, aliæ cibum illius subtrahunt, aliæ fœtus acetabula, quibus vtero alligatur dissoluunt.

Fœtum enecant animi commotiones graues: vt ira, tristitia, terror, &c. cibi ardenter expetiti, & denegati, medicamenta cathartica fortiora, menses mouentia, partum adiuuantia; quæ fœtum expellere nata sunt, & quæ proprietate specifica fœtum enecare creduntur, odores tetri, & præcipuè fumus extinctæ lucernæ.

Cibum fœtui subtrahunt inedia, & immoderata sanguinis euacuatio, præcipuè dum fœtus est grandior, docente Hipp. *Aph. 60. sect. 5.*

Vteri acetabula dissoluunt, exercitatio vehemens, saltatio, cursus, equitatio, aut vectio durior: qualis est carrucarum, grauioris oneris gestatio, aut è terra eleuatio, casus violenter concutiens, ictus ventris, fœtum contundens, abdominis motus vehemens à tussi, vomitu, alui fluxu, sternutatione, conuulsione, clamore, & immoderata venere, aut petulante. Ac denique motus brachiorum vehemens, aliquid violenter attrahendo, rotam agitando, aut aliquid simile agendo, abortum maximè promouere potest.

Signa abortus præsentis per se manifesta sunt. Abortum verò præcedentia, & illum futurum demonstrantia hæc sunt, lumborum, coxarumque grauitas insolita & ad motum segnities, appetentia delecta, rigor aut horror per vices recurrens, capitis dolor præsertim circa oculorum radices, laterum, ventrisque superioris constrictio; mammarum detumescentia & extenuatio. Vnde ex Hipp. *Aph 37. sect. 5. Si mulieri vterogerenti mammæ subito extenuētur abortus sequitur.* Significat enim mammarū illa extenuatio sanguinis defectum in venis, vtero, & mammis communibus ob quem fœtus periclitatur. Si verò à causa aliqua externa abortus concitetur, vnde sequatur violenta fœtus agitatio, & vasorum disruptio, cum dolore illarum partium; spiritus, & sanguis ad partes genitales ruunt, quibus mammæ destitutæ, extenuatur. Præterea lac copiosum, è mammis effluens, partum imbecillem, & nunc metum abortus indicat, ex Hippoc. *Aph. 52. sect. 5.* Si verò dolores frequentes & ferè continui, tenes, & lumbos excrucient, qui versus pubem, & os sacrum exporrigantur, cum quodam ex vtero egerendi conatu, certum imminentis abortus indicium est. Dolores enim illi membranas, & ligamenta, à quibus fœtus vtero alligatur, tendi ac diuelli significant. Quod si dolores illos, & conatus sanguis purus, vel serosus, vel aqua ex vtero profluens subsequatur; abortum instare & disrupta vasa, ac membranas, atque os vteri apertum esse, significat. Eodem tempore situs fœtus mutatur, & qui anteà sublimis, & fastigatus, ventris medium occupabat, iam conglobatus, versùs pudenda prouoluitur: tum etiam non rarò grauia symptomata consequuntur, vt rigores, tremores, cordis palpitationes, animi deliquia, hæmorrhagiæ copiosæ.

His addere licet, quo docuit Hipp. 2. *epid. text. 71.* quod si à causis externis violentioribus, putà ictu, vel casu, & similibus vehemens, dolor, & perturbatio in grauida excitentur: statim, vel saltem eadem die sequitur aborsus. Si verò minor fuerit vis causæ externæ, ad tertium diem aborsum differri posse, quo elapso cessat aborsus periculum, quia vulnera huiusmodi tertiò, ad summum quarto die recrudescere solent, vel admodum mitigari, vnde fœtus denuò in vtero confirmatur, & retinetur. Quod præceptum maximè est in praxi momenti, vt prægnantes mulieres post violentum causæ alicuius externæ insultum in lecto per triduum aut amplius quiescant, & remedia abortum prohibentia vsurpent.

Prognosis aborsus varia instituí potest in hunc modum.

Ex aborsus mulieres magis periclitantur, quàm ex vtero partu; quia violentior est, ac tempore alieno fit. Vt enim in fructibus maturis pediculi ab arbore laxantur, & fructus spontè decidunt; ita in partu naturali vasa, & ligamenta, quibus fœtus vtero alligatur, spontè laxantur, & soluuntur, quæ in abortu abrumpi necesse est.

Quamplurimæ mulieres propter aborsum steriles euadunt, ob insignes lacerationes, quę vteri disposítiones omninò euertunt.

Insignes hæmorrhagiæ, ad quas syncope, deliria, & conuulsiones sequuntur, mortem inferre solent. Et testatur Aretæus, se nullas vidisse seruatas ex ijs, quibus in aborsu, aut post aborsum, conuulsiones superuenerunt.

Inflammatio vteri ex aborsu contracta, vt plurimùm lethalis. Sanguis enim, in vterum magna copia profluens, non expurgatur; sed in eo putrescit & ad superiora regurgitat, vnde febres æstuosæ, palpitationes cordis, cardialgiæ, aliaque symptomata suprà enumerata.

Aborsus in primaparà periculosior, quia in assueta doloribus, & angustiores habens itas vias, diutiùs, ac vehementiùs torquetur.

Mulieres admodùm graciles, aut crassæ in aborsu magis periclitantur: illæ quidem, propter infirmitatem: hæ verò, propter constrictionem viarum, per quas excluditur fœtus.

Aborsus periculosior est sexto, septimo, & octauo mense, quia tunc grandior fœtus maiori cum molestia, & difficultate excluditur.

Fœminæ, quæ laxiorem & humidiorem vterum habent, sine noxa vt plurimùm abortiunt, primis potissimùm mensibus; quia partes istæ facile cedunt, vndè minor sequitur molestia.

Hippocrates 2. *epid.* asserit: aborsum sexaginta dierum masculinum conferre in mensium suppressionibus. Per mensium suppressiones intelligit tantùm imminutiones, quando scilicet mulieres sufficienter, aut commodè non purgantur menstruis periodis. Per huiusmodi enim aborsum aperiuntur viæ illæ obstructæ, & sanguis allicitur versùs vterum, qui parciùs anteà fluebat. Huius Hippocratis sententiæ veritatem obseruasse videntur nostrates mulierculæ, quæ in aborsu paucorum mensium, vernaculo sermone, & velut adagiali pronuntiant: *La fenne auortade es miege empreignade*, id est, fœminam abortum passam semi imprægnatam esse.

Curatio abortus in præseruatione posita est: qui enim iam factus est restitui non potest. At quæcunque eum consequuntur symptomata, cum symptomatis enixarum communia sunt. Illa autem abortus præcautio duo præcipua habet capita. Vnum, extra grauiditatem; alterum in grauiditate.

Extra grauiditatem omnes praue corporis dispositiones, quæ aborsum concitare solent, remouendæ sunt, vt plethora, cacochymia, & peculiares vteri morbi, v. g. intemperies, tumores, vlcera, & similia.

Plethora, & nimia sanguinis copia, vteri venas referat, aut fœtum intùs suffocat. Huic, si pura & simplex fuerit plethora, sanguinis missio medetur, quæ illius redundantiæ satisfaciat.

Cacochymia verò aut biliosa est, & acrimoniæ particeps, vt venarum orificia aperiat; aut naturam stimulando, expultricem excitet, qua etiam fœtus vnà cum noxijs humoribus excludatur: aut propter excrementorum copiam, in prima regione cumulatam, ventrem distendendo, fœtum suffocat: aut in toto corpore sanguinem vitiat, & fœtui alendo inutilem reddit: aut nimia humiditate fœtus retentionem impedit, vel vteri acetabula muco re plena reddit.

Huic cacochymiæ medebitur etiam phlebotomia, sed parcioni

ciori manu celebrata, cum præcipuum curationis caput sit frequenti purgatione supervacanea corporis excrementa detrahere. Quibus interijcientur ea, quę viscerum intemperies, humorum acrimoniam, si adfuerit, demulcent, vel tenuitatem incrassant. At si humores pituitosi luxurient; sudorificis diureticis alijsque remedijs erunt discutiendi. Hic tamen sedulò obseruandum in quacumque cacochymia cauteria mirum in modum prodesse ad præcauendum abortum: quod speciatim annotat Zacutus Lusitanus his verbis. *Fœliciſſimo experimento obſeruaui, frequentem aborſum ex vitioſis humoribus, ad vterum à toto demandatis, ſuaque praua facultate, vel copia fœtum enecantibus, hoc ſolo præſentaneo auxilio impediri. Fœminæ plures hac ipſa de cauſa frequenter abortiebant. Ex ijs quædam fœtum ſeptimeſtrem quadrimeſtremue, lacerum tamen & omni putrilagine infectum ſæpius enixæ, non niſi hoc præſidio, tam in brachijs, quàm cruribus, ſemper tamen ad originem fluxionis celebrato, à tantis malis leuari potuerunt, & debito, ac conſtituto tempore fœtus ſanos, & nulla labe fœdatos in lucem edidere.*

Peculiaria vteri vitia, vt nimia humiditas, tumores, vlcera, & similia, erunt auferenda remedijs proprijs cuiusque affectus capitibus descriptis.

In grauiditate, si eædem causæ adfuerint, maior est difficultas; quia prægnantes non ita facilè quæcunque ferre possunt remedia. Ne tamen, auxilijs destitutæ, in summo abortu, & vitæ periculo versentur; quædam remedia vsurpanda sunt.

Præsente igitur plethora, etiam in grauida muliere, sanguis detrahendus est, primis potissimum mensibus, idque bis aut ter si opus fuerit. Hoc perpetuò obseruando, ne magna copia vnica vice detrahatur. De qua sanguinis missione fusiùs egimus præcedenti curatione.

Vbi verò insignis cacochymia redundauerit, purgatio blanda frequenter iteranda est, medijs præsertim mensibus gestationis. Et si intemperies humida, catarrhosa, mucosa, vel flatuosa infestauerit; ad diætam sudorificam in robustioribus, saltem leuiorem, transcendere aliquando licet.

Interim toto gestationis decursu adstringentia, & roborantia, quæ abortum prohibere nata sunt, in vsum reuocanda sunt. Quorum non pauca in fluxu mensium immodico descripta sunt, hisq; sequentia vtiliter addi poterunt.

℞. Granor. tinctor. rad. tormentillæ an. ʒ. iij. mastiches ʒ. j. ß. Fiat pulvis, de quo per interualla detur ʒ. ß. vel quantum in cuspide cultri contineri poterit. Vel

℞. Coralli rubri ʒ. ij. granor. Kermes, ossium dactyl. an. ʒ. j. rasuræ eboris Drach. ß. margaritar. non perforat. ℈. j. Fiat pulvis.

Vel grana aliquot mastiches singulis diebus manè deuorentur.

Nostrates mulierculæ frequenti vsu habent semen plantaginis, quod manè ad ʒ. ß. circiter assumunt cum vino diluto, ouo, aut iusculo; vel per se, singulis ferè diebus, toto gestationis tempore non sine fructu.

In eundem vsum opiatæ componuntur valdè efficaces, quarum exemplum sequens esse poterit.

℞. Conseruæ ros. ʒ. ij. cortic. citri condit. ʒ. vj. myrobal. conditor. pulpæ dactyl. ana ʒ. ß. coralli præp. marg. præp. & rasuræ eboris, ana ʒ. j. Cùm syrupo cydon. fiat opiata, de qua capiat magnit. castaneæ frequenter.

Si forma liquida magis arrideat, decoctum tormentillæ cum conserua rosarum vtiliter exhibeatur.

Tabellæ sequentes sunt vtilissimæ; siquidem roborant, & corpus ab excrementis sensim liberant, licèt aliquando sensibiliter non euacuent.

℞. Macis, triumsantal. thab. sennæ, corall. margaritar. ana ℈. j. sacchari in aqua ros. dissoluti ʒ. iv. Fiant tabellę pond. ʒ. iij. Capiat vnam bis in septim. per se, vel in pauco iusculo dissolutam.

Exteriùs verò admouenda erunt vnguenta, & emplastra in hunc modum composita.

℞. Picis nauallis ʒ. ß. thuris ʒ. j. mastiches ʒ. ß. sanguinis ʒ. & ros. rubr. ana ʒ. ij. Fiat ceratum. Vel

℞. Olei myrtini, & mastich. ana Unc. j. santali rubri, citrini, hypocystidos, acaciæ, ana Unc. ß. spodij, rosar. rubrar. ana Drach. ij. boli armen. terræ sigillat. rasuræ eboris, ana ℈. ij. terebinth. cumaqua plantag. lotæ Vnc. j. ceræ q. s. Fiat ceratum, quod supertendatur lineo, & renibus applicetur.

Emplastra componuntur ex massa emplastri pro matrice, & contra rupturam, regioni pubis, & lumborum applicanda vel in sequentem modum.

℞. Massæ empl. pro matrice ʒ. iij. rad. bistortę, acaciæ, hypocyst. cortic. malor. granat. ʒ. ß. laudani Drach. vi. Malaxentur cum succo cydon. & fiat massa emplastri ad vsum dictum.

Circa emplastra hoc animaduertendum, ea non diu esse gestanda, sed per interualla remouenda: alioqui diutiùs lumbis affixa adeò renes calefaciunt, vt miseræ mulieres aliquando vrinæ ardore afficiantur; vel calculos, arenulas, & interdùm sanguinem mingant.

Neque omittenda sunt ea, quæ ex proprietate fœtum retinere dicuntur, vt lapis malachites, & aetites de collo suspensus, magnes vmbilico admotus, coralla, raspides smaragdi, ossa de corde cerui legitima, & similia sub axillis gestata, vel de collo suspensa.

Zacutus Lusitanus *obs.* 152. *lib* 2. *Praxis adm.* inter cætera commendat zonam ex corio equi marini confectam, & illius defectu corium lupi vtiliter vsurpari posse asserit.

Vt autem horum remediorum felix possit esse euentus; summa quies imperanda est, tum corporis, tum animi; tum etiam coitus abstinentia, qui vterum vehementer exagitat. Dum enim se vterus aperit ad comprehensionem seminis, quo maximè oblectatur, fœtum recentem, & nondùm firmiter adhærentem propellit.

Si vero non obstantibus remedijs prædictis propter causæ vehementiam, siue illa interna fuerit, siue externa, abortus immineat; sequentibus auxilij illi erit succurrendum. Ac primùm dolores, & tormina, quæ primùm apparuerint in ventris fundo, versùs pubem, in lumbis, & osse sacro, eorum sedationi incumbendum est, tàm sumptis, quàm admotis pro varietate causarum adhibitis. Si enim ob cruditates, & flatus excitetur abortus, (quod est frequentissimum, quando incipit à causa interna,) exhibendus erit pulvis ex aromatico rosato, & sem. coriandri compositus. Imò aqua imperialis exhiberi poterit, si maior sit pituitæ, & flatuum congeries.

Eodem tempore applicentur abdomini carminantia, vt sacculi ex sem. anisi, fęniculi, fęnugræci, floribus chamom. sambuci, anthos, & stęchados compositi. Vel placenta rosacea frixa in sartag. cum vino generoso, & pulvere nucis mosch. & coriandri conspersa. Vel omentum veruecis recenter mactati, aut pulmo eiusdem calidè admotus.

Si hisce dolores non cesserint; injiciatur clyster ex vino, & oleo confectus, in quo philonij Rom. ʒ. ij. dissolui poterunt. Aut etiam narcotica per os in minori dosi exhibeantur adfrænandum flatuum, & humorum impetum, vt in colico dolore, fieri consueuit.

Si verò propter dolores contumaces, aut causæ externæ violentiam sanguis apparere incipiat; reuellentia remedia administranda sunt, vt frictiones superiorum partium, & ligaturæ dolorificæ, tum cucurbitulæ scapulis, sub mammis, & vtrique hypochondria admouendæ. Imò verò, si mulier fuerit plethorica, non erit abs re sanguinem detrahere, tum apparente sanguine, tùm præcipuè antequam appareat, & partitis vicibus, non affatim educere.

Quæ si non sufficiant fluxu sanguinis perseuerante, ad adstringentia veniendum est, & incrassantia, tum alimenta, tum medicamenta; atque ita pulueres, & opiatæ supra descriptæ exhiberi poterunt. Tum etiam succus plantaginis recenter extractus, nec non syrupus de papau, ad ʒ. j. cum puluere boli armeni, aut sanguinis draconis.

Exteriùs verò admoueri poterunt fotus adstringentes, & roborantes ex corticibus granator. nucibus cupressi, calycibus glandium, balaustijs, acinis vuarum, & similibus in aqua fabrorum, & vino rubro decoctis.

Vel sacculus rosis, & balaustijs impletus coquatur in vino rubri, & ventri calidè applicetur.

His etiam accedere possunt cerata, & emplastra prædicta. Vel, ad magis adstringendum, fiat cataplasma ex pulueribus adstringentibus cum terebinthina, & albuminibus ouorum, quod extendatur super stupas, & vnum applicetur vmbilico, alterum renibus calidè. Stupę applicandæ vmbilico, madeant in vino; applicandę renibus, in aceto.

Sequentia duo remedia pro secreto habentur, & fœtum certò retinere credu ntur, si, antequàm fœtus à cotyledonibus diuulsus fuerit, vsurpentur.

℞. Folia auri num. xij. spodij ʒ. j. germina trium ouorum non subuentaneorum. Misceantur probè, donec aurum sit in minutissima diuisum. Posteà dissoluantur in dimidio cya-

to

tho vini albi, & detur manè per triduum.

Eodem tempore sequens cataplasma admoueatur.

℞. Thuris masculi puluerati ʒ.ij. albumina ouorum num. v. Agitentur simul super prunas, semper mouendo, ne concrescant. Addendo terebinthinam, ne nimis adhæreant. Posteà stupis excipiantur, & quantum ferre poterit, calidissima vmbilico applicentur bis in die, manè, & serò per triduum prædictum.

CAPUT XVIII.

De Partu Difficili.

PArtus difficilis appellatur, qui debitas, atque ordinarias naturæ leges non seruat, sed longius tempus insumit, & dolores subitò vehementiores, aliaque symptomata grauiora comitantia habet.

Plures illius causæ assignari possunt, tum internæ, tum externæ. Internæ dependent vel à matre, vel ab vtero, vel à fœtu.

Ex parte matris partum difficilem reddere potest debilitas totius corporis, vel natiua, vel propter ætatem, vt in iuuenculis, & vetulis; vel ob morbos, quibus in grauiditate mulier afflicta fuit, aut adhuc affligitur. Ad hoc etiam conferre potest macies, & siccitas nimia totius corporis, vel pinguendo, & crassities, vias vteris comprimens, & angustiores efficiens, ossium vterum ambientium mala conformatio, vt in claudicantibus; flatus intestina distendens; calculus aut tumor præter naturam vesicam occupans, vtrumque comprimens, & pulmonis, aliarumque partium respirationi inseruientium praua constitutio, quia spiritus cohibitio ad fœtus exclusionem valdè necessaria est.

Ex parte vteri, varij illius morbi partum difficilem reddere possunt: vt tumores, vlcera, obstructiones, adstrictiones, obturationes, à causis præternaturalibus oriundæ.

Ex parte fœtus contingit partus difficilis, quando vitium aliquod in eo reperitur ratione substantiæ, quantitatis, figuræ, & illi adiunctorum.

Ratione substantiæ vitium in fœtu est, quando mortuus est aut putrefactus, aut labe aliqua infectus, aut aliquo morbo debilitatus, vt nihil virium conferre possit ad suam exclusionem.

Ratione quantitatis fœtus partum non adiuuat, quæ vel continua est, vel discreta. Ratione quantitatis continuæ vitiosus est, si grandiori corpore, aut capite præditus sit, vnde laboriosa exclusio sequitur. Ratione quantitatis discretæ, vt quando plures sunt in vtero. Sic partus hemellorum laboriosior vt plurimum esse consueuit.

Ratione figuræ, seu situs in vtero, partus difficilis varijs modis contingit, vt quando fœtus pedibus, aut manibus præuijs exire conatur; vel vnum tantùm pedum, aut manum alteruttam exerit; vel duplicatus egredi conatur, nates, aut ventrem ad vterum orificij offerens.

Ratione adiunctorum fœtus contingit difficultas in partu, quando membranæ fœtum obuoluentes tenuiores sunt, vt citiùs quàm par sit, disrumpantur; vnde sequitur præcox aquarum effusio, sicque resiccatum manet vteri orificium tempore exclusionis fœtus. Vel quando crassiores sunt, & densiores vt facilè à fœtu disrumpi nequeant.

Externæ causæ dependent ex rebus necessarijs, & contingentibus. Res necessariæ sunt illæ, quæ nonnaturales vulgò nominantur. Sic aer frigidus, & siccus, & flatus Aquilonaris parturientibus valdè infensus est, quia totum corpus constringit, sanguinem, & spiritus ad interiora repellit, & infenti à repentibus illis locis exeunti valdè noxius est. Aer etiam feruidior spiritus dissipat, & fœtus, ac fœtæ vires exhaurit, inflammationem febrilem facilè inducit, in corpore iam cacochymo, & exagitato.

Alimenta cruda, aut concoctu difficilia, aut adstringentia magna copia ante partum assumpta difficilem eum reddere possunt, debilitato ventriculo, & constipatis vijs communibus, quæ hic maximè patere debent.

Somnolentia, & stupor matris & fœtus impetum retardant, & naturam inualidam ostendunt.

Motus parturientis intempestiuus partum maximè retardat, cum illæ, vbi opus est, stare, ambulare, decumbere, vel in sella obstetricis sedere renuit; vel importunè agitatur vnde contingit, fœtum vel non posse exire secundùm debitam figuram, vt illam amittere ob matris motus præposteros.

Excretorum retentiones tempore partus, vt vrinæ vesicam distendentis, fœcum induratarum in recto intestino; & hæmorrhoides valdè tumentes vteri ceruicem coarctant, & naturam à conatu parturiendi auertunt.

Ac denique animi pathemata vehementiora, vt timor, tristitia, iracundia, partus facilitatem plurimùm impedire possunt.

Ad res contingentes referuntur ictus, casus, vulnera, quæ partui plurimùm nocere possunt: tum etiam adstantes, qui parturientem adiuuare debent, validè, nimirùm mulieres, & famulæ, quæ illam subleuent, & fulciant, dum est in ipso enixu, & præsertim obstetrix perita, quæ vniuersæ huic actioni præsidere debet. Si enim illa in officio suo errauerit, partus difficultatem inferre solet. Interdum enim obstetrices iusto citius parturientes incitant ad conatus expulsionis, & spiritus cohibitionem, dum adhuc ligamenta fœtus vtero firmiter adhærent: vnde virium exsolutio subsequitur, quæ postmodum in ipsa partus hora non sufficiunt. Imò verò, dum obstetrices parturientibus præmaturè persuadent, tempus pariendi instare, fit, vt illæ omnes vires ad excernendum fœtum intendant, & sæpenumero vasis violenter diuulsis, in non leuo discrimen præcipitentur.

Cognoscitur partus difficilis tum ab ipsa parturiente, tum ab adstantibus, & præcipuè ab obstetrice. Ac primùm si longiori tempore maneat fœmina in laboribus partus, v. g. per duos, tres, quatuor, aut plures dies, cùm verè naturalis partus intra 24. horas perfici debeat. Deinde, signum difficilis partus est, si dolores partus sint languidi, & per longa interualla recurrant, & dolores ad dorsum potiùs, quàm versus pudenda vergant. Causæ verò difficilis partus ex ipsarum parturientium relatu, & ipsa autopsia maiori ex parte dignoscentur. Sed debilitas ægræ, macilentia, aut pinguendo nimia ex habitu corporis deprehenduntur. Morbi vteri proprijs indicijs dignoscuntur. Fœtus debilitas ex debili, & tarda motione dignoscuntur. Fœtus verò mortui signi capite sequenti innotescent. Magnitudo fœtus ex parentum statura colligi potest, præsertim cum vir magno corpore præditus cum pusilla muliere coniunctus est. Quando verò hæc deficiunt, & matris conatus satis validus est, fætusque sese commouendo sufficienter exitum affectat, partus tamen difficilis, ac laboriosus est; indicio est, secundinam esse fortiorem, quæ non facilè disrumpi valeat. Cuius rei coniecturam augebit, si aqua, & humiditas in labore non profluit. Præpostera fœtus figura ab obstetrice deprehenditur, & reliqua vt dictum est; ipsa autopsia innotescunt.

Prognosis quod attinet, Partus difficilis ex se periculosus est, & in eo interdum mater, interdum fœtus, & interdum vterque extinguitur.

Si mulier quatuor diebus in partu laboret, vix fieri potest, quin fœtus moriatur.

Affectus soporosi, & conuulsiones in partu difficili superuenientes, sunt vt plurimùm lethales.

Sternutatio in partu difficili superueniens, bona, ex Hippocr. *in Aphorismis.*

Ad curationem partus difficilis; primò omnes causæ, quæ illum retardare valent, quantùm fieri poterit, auferendæ. Deindè, partum adiuuantia remedia methodicè administranda.

Ac primùm vulgare est apud mulieres aquæ cinnamomi cochl. j. aut alterum exhibere. Uel ipse cinnamomi puluis cum pauco croco, vel confect. alKer. ʒ.ß. cum iusculo propinari poterit. Tum etiam crocus solus ad ϑ.ß. in singulis iusculis, aut singulis horis cum modico vino sumptus, vtilissimus est. Uel

℞. Olei amygd. dulc. & vini albi, an. ʒ.ij. croci, & cinnamomi, an. gr. xj. confect. alKer. ʒ. sem. syrupi capillor. ven. ʒ.j. ß. Misce, fiat potio.

Si hæc non sufficiant, & validioribus agendum sit, sequens potio erit efficaciissima, frequenti vsu à nobis comprobata.

℞. Dictamni cretici, aristoloch. vtriusque & trochiscorum de myrrha, an. ϑ.ß. croci, & cinnam. an. gr. xij. confect. alKer. ʒ. sem. aquæ cinnam. ʒ.ß. aquæ naphæ, & artemisiæ, an. ʒ.j. sem. Fiat potio.

Inter efficaciora recensentur oleum succini, cinnamomi, & extractum croci: quæ in exigua quantitate multùm operantur scilicet extractum croci ad gr. v. vel vj. oleum cinnamomi ad gutt. iv. vel v. oleum succini ad gutt. xij. vel xv. cum vino, iusculo, aut alio liquore.

Sternutatio partum accelerat, ex Hippoc. *Aph.* 35. *sect.* 5.

Dissi-

Difficulter parienti superueniens sternutatio, bonum. Illa prouocabitur puluere sequenti.

℞. Hellebori albi Drach. sem. piperis longi ℈j. castorei gran. v. Fiat puluis, qui insuffletur in nares ad pisi magnitudinem.

nota + Idem Hippocrates aliud præscribit remedium *lib. 1. de morbis mulierum*, quod ab omnibus fere Authoribus est prætermissum. Illud autem est sectio venæ inferioris, his verbis proposita. *Si verò*, inquit, *prægnans multo tempore cohibeatur, & parere non possit sed diebus pluribus ex partus dolore laboret, sit autem iuuenis, & in vigore, & multo sanguine referta; secare oportet venas in malleolis, & sanguinē detrahere virium respectu habito*. Quamvis à Practicis nostris nunquam in vsum reuocetur huiusmodi remedium, & videatur maximè reformidandum, cum in partu vires vnicè necessariæ sint, quæ à venę sectione infringi possunt: tamen si à plethora difficultas pariendi oriatur, quod innuere voluit Hipp. cum dixit, *si mulier sit iuuenis, & in vigore, & multo sanguine referta*; non est dubium quin maximè conferre possit, cum venæ, plurimo sanguine refertæ, omnes vias interiores angustiores efficere soleant. Vnde fit, vt in dolore nephritico similis phlebotomia sæpè miranda præstet, & calculorum tum in renibus, tum in vreteribus contentorum exclusionem faciliter. +

Non solum autem internis remedijs propositis; sed etiam externis partus difficilis adiuuari poterit.

Obstetrix itaque vterum parturientis frequenter inungat oleo lilior. amygdal. dulc. Sem. lini, & similibus.

Tum etiam foueatur venter inferior decocto emolliente, ex rad. alth. lilior. fol. malvæ, violar. artemis. sem. lini, fęnug. flor. chamom. meliloti.

Clysteres acres injeciantur, quorum irritatione expultrix etiam vteri stimulabitur, & depleta intestina ampliorem locum vtero relinquent.

Vmbilicus inungatur oleo succini. Quidam fel gallinæ nigræ laudant, eidem parti admotum.

In vsum etiam venire possunt ea, quæ proprietate specifica partum iuuare creduntur: vt lapis aetites, vel magnes, styrax calamita, & reliqua coxis alligata.

Hartmanus oculos leporis, mense Martio captos, laudat, qui studiosè eximendi, ne comprimantur nimis, & cum pipere in orbe exsiccandi. Horum vnus ventri (vertici) cum pipere ita alligetur, vt venter (vertex) à pupilla tangatur, & fœtum; siue mortuum, siue viuum educere. Quo factò, mox amoueatur, ne vterum planè propellat. In mola etiam valere aiunt.

Cauendum etiam est, ne puerpera gemma in annulis, aut alio loco gestet; sed omnes deponat; nam multæ ex ijs proprietate specifica fœtum retinere creduntur.

Si fœtus debilior videatur; reficiendus est: tum roborantibus matri exhibitis, vt vino calente, confectione alKermes, aqua cinnamomi, tum externis, vt crusta panis, aut placenta rosacea, puluere nucis moschat. cinnam. caryophyll. granor. Kermes sinapisata, & aqua imperiali, aut vino repente irrigata. Vel frustulo carnis veruecinæ parum asso supra craticulam, & aqua rosacea, vel flor. arantior. irrigato, omento veruecis nuper mactati adhuc calente, & similibus.

Si præpostero modo fœtus egredi incipiat, vt brachio vno, aut pede primùm emisso, vel altero quopiam modo; obstetrix nullo modo talem partum excipiat, sed in vterum retrudat, & ad legitimam formam conuertat. Quod fiet puerperam in lecto supinam collocando, capite demisso, & clunibus elatis. Posteà ventrem ipsius versùs præcordia blandè comprimendo, & in vterum fœtum ipsum compellendo. Posteà verò obstetrix alia forma exeundi occasionem in fanu ministret, artificiosa manu procurans, vt faciem tergo matris obuertat, dein nates, & crura versùs matris vmbilicum eleuet, & ad legitimum partum accelerer.

Sublata omni partus spe, aut etiam matre iam morti proxima, nonnulli Authores ad sectionem Cæsaream accedunt, de qua Franciscus Rosetus elegantissimum edidit tractatum, vbi multis rationibus, & exemplis conatur ostendere, illam posse aliquando succedere. Attamen, quia hæc operatio est periculi, & terroris plena, rarò, aut nunquam tentanda est Medico prudenti, si nomini suo consulere voluerit.

CAPVT XIX.

De Fœtu Mortuo.

IN partu difficili ob magnos & diuturnos labores, sæpè fœtus extinguitur; interdum etiam ante labores partus ex causis præternaturalibus, quales sunt eæ, quæ abortum prouocare consueuerunt, eum mori contingit; & si nondum determinatum pariendi tempus attingerit, abortum facit: si verò ad illud tempus peruenerit; facit partum difficilem, quia ad legitimum, & naturalem partum fœtus cum matre cooperari debet, vt à carcere suo egrediatur.

Omnes igitur causæ, partum difficilem efficere valentes, maiores, & grauiores sunt, fœtum extinguere possunt. In primis vero fœtus extingui solet, si adeò præpostera figura prodeat, vt nullo modo excludi possit, neque ab obstetrice neque Chirurgo extrahi, aut in meliorem situm conuerti. Cùm enim hoc modo in orificio hæreat, & omnem matris conatum eludat, sic vt in istis conatibus, varijsque motibus, & compressionibus interdum mater, & fœtus, interdum mater sola, & interdum fœtus solus moriatur. Admiratione dignum est, quod refert Fabricius Hildanus de duabus mulieribus ex partu laborioso extinctis, in quibus vterus disruptus inuentus est, & caput infantis in ventris capacitatem demissum. Vnde colligere est, quantus sit validi fœtus impetus ad sui exclusionem moliendam.

Cognoscitur fœtus mortuus, quando motus illius cessat, quem priùs in vtero, aut mater ipsa sentiebat, aut obstetrix percipiebat admota manu, aut alijs rebus tepentibus, & roborantibus, quibus illius vis sopita solet excitari; maior præterea ponderis sensus cum dolore abdomen infestat, quando fœmina de latere in latus sese conuertit, fœtum ex vna parte in alteram instar lapidis dilabi percipit: ventris inferioris frigiditas tactu deprehenditur, extincto calore natiuo, & dissipatis spiritibus, quæ in fœtu continebatur: oculi redduntur concaui, & perturbati, facies, & labra pallent, partes extremæ frigidæ, ac liuidæ apparent: mammæ flaccidæ euadunt, ac tandem, putrescente fœtu, ichores fœtidi, & sanioſi ex vtero emanant: abdomen ob vapores eleuatos inflatur, teter odor, & graueolens spiritus, non solum ex ore matris, sed etiam à toto corpore exhalat. Si ante fœtum secundina excludatur, certissimum est fœtus in vtero mortui indicium.

Quod ad prognosin spectat, periculosissimus est fœtus in vtero mortuus, & nisi maturè excludatur, febres, lipothymias, sopores, conuulsiones, & mortem inferre solet.

Aliquando tamen fœtus in vtero mortuus per longum tempus seruari potest, vt plurimis historijs à variis Authoribus relatis constat: quas tanquam raros casus magno numero collegit SchenKius, & transcripsit Sennertus, multarum mulierum, quæ fœtus in vtero mortui, & corrupti ossicula per vterum, aluum, vesicam, & tumorem in abdomine apertum excreuerunt.

Nos vnam vidimus, quę omnia fœtus ossa per vmbilicum excreuit, & posteà, coalescente vmbilico, perfectè restituta est.

Curatio tota versatur in fœtus exclusione, vel extractione. Cùm enim maximum vitæ periculum immineat ex longiori fœtus mortui in vtero mora; quamprimùm ex signis propositis certò concluditur, fœtum esse demortuum, ad illius exclusionem properandum est. Illa autem ijsdem remedijs promouetur, quæ ad iuuandùm partum fuerunt proposita. Ex ijs tamen fortiora, & efficaciora eligenda sunt quibus nonnulla maioris adhuc efficaciæ addi poterunt in hunc modum.

℞. Fol. sabinæ siccor. radic. aristol. rot. trochisc. de myrrha, castorei, ana Drach. j. cinnamom. Drach. ß. croci ℈j. Misce, fiat puluis, de quo capiat Drach. j. cum aqua sabinæ. Vel

℞. Dictamni critici, sabinæ, boracis, ana ℥j. myrrhæ, rad. asari, cinnam. croci, ana ℥ß. Misce, fiat puluis, dosis ℥j. cum dicto, aut simili liquore.

Interim admoueantur pudendo, pubi, & perinæo fotus emollientes prædicti, addendo rad. bryonię, cucumeris agrestis, ireos Floren. aristol. rot. & flores genistæ.

Post fotum inungantur eædem partes vnguento de arthanita, vel sequenti.

℞. Ari-

℥. Aristol. rot. colocynth. & agarici, an ʒ.j. gummi ammoniaci in vino soluti, & fellis tauri, ana ʒ.ij. olei cheirini q.s. Fiat vnguentum.

Pessarium etiam in vuluam immittatur.

℥. Rad. aristol. rot. ireos, hellebori nigri, colocynth. myrrhæ, an. ʒ.j. galbani, opoponacis, an. ʒ.ß. Cum felle bouis, fiat pessarium. Vel.

℥. Ammon. popan. castor. serap. hellebori nigri, staphis aristol. rot. pulpæ colocynth. seam. an. ʒ.j. euphorb. ʒ.j. Cum succo rutæ, cyclam. cucum. agr. & felle taurino fiat pessarium.

Zacut. Lusit. *obser.* 154. *lib.* 2. *Prax. adm.* fœtum nouimestrem, in vtero mortuum, & grauissima symptomata excitantem, exclusum fuisse testatur huius pessarij vi, & balnei oleaginei, cum decocto medicamentorum aperientium, & vias dilatantium commixti.

Suffitus ex galbano, vel vngula asinæ per infundibulum recipiatur.

Si res cunctetur diutiùs, vtile erit, costantibus viribus, catharticum medicamentum exhibere, quo simul educuntur vitiosi humores, qui in hoc statu facilè, & citò colliguntur, & consequenter fœtus propellitur.

Angelus Sala in triumpho emeticorum testatur, se felicissimo cum successu pluries in hoc casu exhibuisse Mercurij vitæ gr. iv. vel v. idque remedium potentissime fœtum mortuum excludere, & reliquis remedijs prevalere. Quod tamen propter vehementem suam operationem summa cautione, & Medici prudentia indiget.

Si medicamentis diu tentata fœtus mortui eductio obtineri nequiuerit, ad Chirurgicam operationem veniendum est. Eaque fit, vel instrumentis, quemadmodum à Paulo Ægineta describitur; vel manus solius ministerio, prout docetur à Carolo Stephano, Baubino, & alijs; quæ omnia à Schenkio, & Sennerto diligenter transcripta sunt.

CAPVT XX.

De Secundina Retenta.

IN partu naturali secundina vt plurimùm statim post fœtum excludi solet: aliquando tamen in vtero retinetur; vnde grauissimum imminet vitæ periculum.

Causæ istius retentionis internæ sunt, nimia tunicarum istarum densitas, & crassities, propter quam vteri parietibus firmiùs adhærent; earundem intumescentia ab humorem affluxu, qui in partu laborioso concitatur, virium exolutio ex partu laborioso facta, vt non sufficiant ad secundinarum exclusionem, & oris vteri occlusio post fœtum eiectum. Causæ verò externæ sunt acris frigiditas, cuius vi secundina repellitur, & vteri orificium occluditur, odoramenta quædam, quibus vterus sursùm allici, vel exagitari potest: animi pathema graue: vt timor, vel terror subitò aduenies, morositas parturientis, quæ in eo situ permanere non vult, vel eos conatus præstare, qui ad hoc opus perficiendum requiruntur; infantis pondus nimium, quo ex improuiso vmbilicus disrumpitur, remanente intus secundina; & imperitæ obstetricis error, quæ vasa vmbilicalia citiùs resecuit, aut non tenuit sinistra manu, vt debebat: si enim dimittantur, retrahuntur ad vterum, & in eo cum secundinis latent, quæ earum extractioni inseruire debebant.

Diagnosis secundinæ in vtero retentæ per se facilis est; aliquando tamen frustulum illius separatur, & in vtero remanet; cuius notitia non est adeò facilis. Cognosci tamen potest ex eo, quod vterus post partum adhunc in excernendo laborat, quàm vis leuiores sint illius conatus; doloris, & casoris sensus in vtero percipitur, & post aliquot dies terer, ac cadaueroſus halitus ab vtero exhalat.

Periculosissima est secundinæ retentio, & si per aliquot dies in vtero moretur; fœdam putredinem acquirit, vnde febris acuta, nausea, lipothymia, dyspnœa, sudor diaphoreticus, extremorum frigiditas, hysterica suffocatio, pileptici insultus, & mors tandem subsequitur.

Hipp. 2. *Epid.* exemplo vxoris cuiusdam coriarij innuit, bonum esse, si sanies copiosa breui per pudendum effluat; spes enim est, membranas illas putrefactas, vel marcore consumptas sexto, vel septimo die effluxuras.

Secundina retenta ijsdem remedijs expellitur, & quæ ad fœtum mortuum fuere proposita, quibus addere licet nonnulla specifica ab Authoribus tradita.

Gesnerus, & Augenius plurimùm laudant equi castrati testiculos, frustulatim incisos, & in furno siccatos. Illorumque pulueris datur, quantum tribus digitis capi potest, cum iure pulli, idque si opus sit, bis aut ter repetatur.

Rulandus olei iuniperi guttas xxx. feliciter exhibuit.

Alij iubent puerperam dentibus cepam comprimere, succumque deglutire; idque ter, quaterve dentibus in cepam adactis, succoque semper elicito, ac deglutito, repetere: posteà vini calidi cyathum superbibere vnde citò liberatur.

Forestus refert de obstetrice quadam, quæ à Iudæo Medico secretum sequens acceperat. Sumebat folia leuistici viridia, contundebat, & succum exprimebat cum vino Rhenano optimo, eiusque cyathum propinabat.

Angelus Sala Mercurium vitæ commendat, vt in fœtus mortui eductione.

His addenda erunt sternutamenta, suffitus, fomenta, linimenta, aliaque tum externa, tum interna suprà descripta in partu difficili.

Sequens decoctio à muliere quadam nostrate vsurpata miranda præstitit.

℥. Aceti rosac. ℔. viij. vel x. folior. lauri, & baccarum eiusdem, ana M. iij. placentam rosaceam, ex aqua distillata relictam, in frusta dissecta, num. i. Bulliant in lebete, & eo decocto lauentur diu coxæ, & tibiæ calidè ab inguinibus ad pedes vsque; ex eo vterus sponte apertus est, ac secundina decidit. Huic decocto commodè addi poterit myrrhæ, & aristol. v triusque ana ʒ.j.

Inter alia verò remedia multum potest manus periti Chirurgi in vterum immissa, antequam inflammatio, vel inflatio augeatur. Sic enim apprehensas secundinas & molliter circumductas poterit extrahere, mulieremque à tot symptomatis, & remediorum molestijs liberare.

Si nullo modo secundina educi potuerit, sed firmiter vtero hæreat, & in eo putrescat; suppurantia in vterum immittenda sunt, admixtis detergentibus, vt id quod putrefactum est, sensim educatur. Ad id laudat Rondeletius vnguentum basilicum, præsertim si dissoluatur in decocto sequenti.

℥. Fol. maluę cum rad. M. iij. rad. aristol. vtriusque an. ʒ.vj sem. lini, & fœnugr. an. ʒ. sem. violariæ M. j. florum chamom. & centaur. min. an. M. ß. Fiat decoctio in aqua; admiscendo, si magna suppuratione opus est, aliquid olei; si verò maiori detersione, vnguenti Ægyptiaci parùm.

CAPVT XXI.

De Fluxu lochiorum immodico.

FLuxus lochiorum immodicus non ex quantitate, aut tempore durationis æstimandus est; quia pro diuersis naturis, ætatibus, ac vitæ generibus varius admodùm est; sed ex difficili tolerantia, & virium deiectione, quæ ex eo contingit.

Causæ illius sunt, vasorum apertio nimia, vel laceratio in partu difficili, vel secundinarum violenta extractio, vel sanguinis copia maior, quæ per totum gestationis tempus in vteri venis collecta fuit, vel eiusdem tenuitas, & acrimonia, quæ vasorum oscula nimium aperit, & naturam ad excretionem stimulat.

Cognoscitur fluxus lochiorum immodicus ex viribus, vt dictum est, quæ ex hauſtis spiritibus dei ieiuntur, tum sanguis grumosus effluit. Ijsque accedit cibi fastidium, dolor in hypochondrijs, cum ventris tensione, pulsus debilis, & frequens, visus obtenebratio, aurium tinnitus, animi deliquium, & conuulsio.

Cum omne sanguinis profluuium periculosum sit, ex eo quòd sanguis est vitæ nostræ thesaurus; fluxus lochiorum immodicus magis periculosus est, propter labores partus prægressos, à quibus facta est virium resolutio. Maius autem vel minus adest periculum, pro maiori, vel minori sanguinis effluxu, & symptomatis leuioribus, aut grauioribus, quæ illi superuenerunt, vnde apud Hipp. *Aph.* 35. *sect.* 5. *si muliebri profluuio conuulsio, aut animi deliquium superueniat: malum.*

Curatio sanguinis fluxus immodici in illius cohibitione tota versatur. Summa tamen cautio adhibenda est, ne quod per huiusmodi purgamenta excerni consueuit, intùs retineatur, & grauissimorum affectuũ causa euadat. Atque adeò, si affectus non vehementer vrgeat; à leuioribus incipiendum erit, ad potentiora, si opus fuerit, sensim progrediendo.

Ac primùm sanguinis impetus cohibendus est alimentis incrat-

incrassantibus, vt panatellis gelatinis, oryza, amylo, cum iusculis pedum vituli, pyris, cydonijs coctis, carnibus assis, succo granatorum aspersis.

Cibus paulò copiosior exhibeatur: non tamen vna vice: sed potiùs frequenter, cum hoc modo calor, & spiritus, qui expulsionem in vtero adiuuant, ab vtero ad ventriculum auocentur, & vires instaurentur. Vitelli ouorum huic vsui conueniunt: nam & facilè coquuntur, & calorem ad ventriculum auocant.

Potus sit aqua ferrata, vel extinctionis auri, vel in qua panum mastiches bullierit. Deinde sanguinem ad partes superiores reuellentia remedia vsurpanda sunt, vt frictiones, & ligaturæ partium superiorum, cucurbitulæ sub mammis, & vtrique hypochondrio admotæ.

Vtile etiam est manus fouere in vino calente, in quo confectio alKermes, vel theriaca dissoluta fuerit.

Tum etiam venter fascia mediocriter constringatur: quia hoc modo comprimuntur vasa, & fluxus immodicus impeditur.

Lumbis admoueantur lintea oxycrato madefacta, quibus sanguis in vena caua contentus temperatur, illusque motus inhibetur.

Si fluxus valdè immodicus sit, viresque deijciat, vt vitæ periculum immineat; ad fortiora remedia confugiendum est. Et inter alia sequens potio vt plurimùm succedit.

℞. Aquar. plantag. naphæ, & rosar. an. ℥. j. syrupi corallor. vel illius defectu, de rosis siccis ℥. j. salis prunellæ ℈. j. Sang. drac. ℈. ß. Fiat potio.

Si diutiùs duret fluxio, puluis, vel opiata ad plures doses præscribi potest in hunc modum.

℞. Lapidis hæmatitis ℈. iv. pulu. boli armeni, coralli rubri margarit. præpar. ana ʒ. j. Sem. plantag. coriandri præpar. & granor. sumach. ana ℈. ij. Misce, fiat puluis tenuissimus, de quo capat ʒ. j. cum decocto centinodiæ, syrupo cydoniorum.

℞. Conseruæ ros. & rad. symphyti, an. ℥. j. bolli armen. trochisc. de carabe, & corall. an. ʒ. j. Cum syrupo corallor. vel de rosis siccis fiat opiata, de qua capiat ad magnitudinem castaneæ, superbibendo parum aquæ potus ordinarij.

Exteriùs verò fotus, & vnguentum vtiliter admouebuntur, quorum formula talis esse poterit.

℞. Summit. lentisci rubri plantag. cupressi, oliuæ, & polygoni, an. ℈. j. rosar. rubr. P. ij. granor. myrti ℥. j. ß. nucum cupressi n. vj. corticum granat. P. ij. Coquantur in aqua chalybeata, & vino rubro adstringente, & colatura foueantur partes muliebres valdè tepidè, & fere subfrigidè.

℞. Unguenti comitissæ ʒ. ij. succi plantag. ℥. j. Agitentur simul, & fiat linimentum, applicandum post fotum.

Iniectio in vterum etiam potest fieri ex succo plantag. à Gal. laudato 5. *methodi*, vel decocto fotus prædicti.

Reliquis remedijs non conferentibus, venæ sectio in cubito præsentaneum est remedium, si paulatim, & per quædam interualla sanguis educatur. Sic enim multas deploratas conualuisse experientia docuit.

Ac denique, perseuerante affectu, omnia remedia, quæ pro fluxu mensium immodico sunt descripta, hic etiam conuenire poterunt.

Inter remedia autem profluxu mensium immodico proposita habetur cataplasmata regioni pubis, & lumborum applicanda, quibus sequens addi poterit, fluxui præsertim lochiorum immodico maximè conueniens.

℞. Fuliginis camini puriss. ℥. vij. subigatur cum aceto fortissimo, & fiat cataplasma, tenibus applicandum.

De somno peculiariter hic annotandum, dum sanguis copiosè effluit, eum esse penitus arcendum. Multæ enim ex eo de medio tolluntur, quia calor ad interiora retractus maiorem fluxum efficit. Et si aliquando is concedendus sit; aliquis ex ministris semper adesse debet, qui ægrotantis pulsum, & respirationem obseruet.

Denique si grumi sanguinis in vtero subsistant, ibique dolorem, & tensionem excitent; danda opera, vt maturè educantur, ne putredinem contrahentes tetros vapores transmittant ad cerebrum, & cor, febremque concitent. Ideò puerpera, si vires ferant, leui deambulatione vti debet, vel erecta aliquandiu stare, aut in sella perforata sedere, quasi vellet deijcere. Quod si non sufficiat; decocto hordei tepido, cum pauco oximelite, vel melle rosaceo in vterum iniecto dissoluendi sunt. Caute tamen hic agendum est, ne dum grumi educuntur, sanguis de nouo concitetur.

CAPUT XXII.

De suppressione lochiorum.

BOnus, ac felix puerperij successus ex conuenienti lochiorum effluxu præcipuè dependet, quandoquidem impuritates, quæ per nouem gestationis menses in venis vteri, ac toto corpore colliguntur, per istas euacuationes expurgari solent. Si verò illæ supprimantur, aut imminuantur; infinita mala, & pericula inde oriuntur: nempè febres acutæ, phrenitides, maniæ, melancholiæ, anginæ, pleuritides, peripneumoniæ, vt vteri inflammationes, & alij tumores vt plurimum maligni.

Causæ istius suppressionis, aut imminutionis sunt sanguinis crassities, vasorum angustia, vel obstructio, quæ liberum effluxum impediunt: aer frigidus incautè vtero susceptus, quia vasorum orificia, constringit, refrigeratio pedum, & aquæ frigidæ potus, metus, terror, tristitia, & alia animi pathemata, quæ sanguinem ab vtero auertunt.

Diagnosis istius suppressionis per se manifesta est. Imminutio verò ex quantitate sanguinis effluentis desumenda non est, quandoquidem mulieres aliæ plus, aliæ minùs sanguinis superflui habent. Sed integra illius cognitio ex symptomatis superueni entibus elicitur; qualia sunt, ventris intumescentia, dolor imum ventrem, lumbos, & inguina occupans; faciei rubor, spirandi difficultas, oculorum perturbatio, rigores, febres, animi deliquia, & alia symptomata suprà enumerata.

Prognosis elicitur ex symptomatis propositis, quæ huic affectui superuenire diximus. Cum enim maiori parte periculosa sint; causam etiam eorum valdè periculosam arguunt.

A prædicto periculo liberantur puerperæ, si quædam alia euacuatio fiat, quæ lochiorum vicem aliqua saltem ex parte supplere valeat, vt hæmorrhagia narium, aut hæmorrhoidum: vrinæ profusio cum fuliginoso sedimento, aut sudor copiosus. Aut si post aliquot dies ex vtero liuida, & nigra, & grauolentia effluere incipiant. Metuendum tamen est, ne ex corrupto sanguine vlcera in vtero excitentur.

Curatio suppressionis lochiorum in eorum prouocatione tota consistit, eaque molienda est remedijs, quæ sanguinem ad inferiora prouocant, & vteri vasa aperiunt.

Ac primùm clysteres emollientes laxantes, & aperientes iniciendi sunt, in hunc modum compositi.

℞. Rad. althææ, & lilior. an. ℥. j. artiltol. vtriusque, ana ʒ. iij. fol. maluæ, althææ, parietar. mercurial. ana M. j. Sem. lini, & fœnugr. ana ℥. j. sem. flor. chamom. & sambuci, ana P. ij. Coquantur ad ℔ j. In colat. dissolue olei aneth. & lilior. an. ℥. j. hieræ simpl. ℥. j. sem. vnguenti de arthanita ʒ. j. Misce, fiat clyster.

Frictiones fiant in cruribus, deorsum versus; ligaturæ dolorificæ digitorum pedis. Cucurbitulæ admoueantur inguinibus, & coxis: nonnullæ scarificentur.

Si hæc non sufficiant; aperiantur venæ poplitis, aut vtriusque cruris, vel etiam hæmorrhoidum, si natura co vergere videatur.

Si febris excitetur ex lochiorum suppressione, venæ sectio in brachio celebranda est, vt in morbis puerperarum dicetur.

Fotus sequens ventri inferiori, & pudendo admoueatur.

℞. Rad. althææ, lilior. bryon. angelic. & aristol. vtriusque, an. ℥. fol. j. mercurial. artemis. pulegij, sabinæ, calament. ana M. j. sem. lini, & fœnugr. an. ℥. j. flor. chamom. melil. sambuci, tanaceti, an. P. j. Contundantur & incidantur, vt artis est, & imponantur duobus saccalis, qui decoquantur in aqua fontis, & applicentur calidè per vices.

Post fotum inungantur dictæ partes oleo lilior. amygd. dulc. & sesamino addito croco.

His etiam addi possunt pessaria, & suffumigia, in suppressione mensium proposita, à mitioribus incipiendo.

Per os exhibeatur decoctum rad. aperitiuarum, cinnam. & cicerum rubrorum cum pauco croco. Vel

℞. Rad. aperitt. ana ʒ ij. fol. beton. endiu. capill. ven. M. j. schœnanth. P. j. sem. anisi, & fœnicul. ana ℈. j. cicerum rubr. cochl. j. Coquantur ad ℔ j. j. sem. Colaturæ addeaquæ cinnamom. Drach. ij. syrup. de 5. rad. ℥. ij. Dentur ℥. iv. bis in die.

Antequàm febris augeantur: exhibere aliquando licet trochisc.

trochisc. de myrrha Drach. j. cum vino albo, vel aqua fœniculi.

Forestus etiam præsente febre, sequenti vtitur decocto.

℞. Hordei mund. M. j. glycyrrh. ras. ʒ. sem. scæmanthi ʒ. j. sem. Coquantur ad ʒ. j. pro iij. dosibus.

Debilioribus vero schœnanthi ʒ. j. in iure pulli bulliri iubet, & exhibet.

Purgatio etiam conuenire potest, septem vel nouem diebus à partus, ex infusione rhab. agaric. aut sennæ; vel cum iusculo laxante ex herbis, ac rad. aperientibus cum senna parato, vel cum mahnæ ʒ. j. sem. in iusculo dissolutæ.

CAPVT XXIII.

De Torminibus à Partu.

TOrmina puerperis adeò frequenter contingunt, vt pauciſſimæ ab ijs immunes sint. Attamen horum dolorum ratione Medicorum opem implorare non solent, quia intra biduum aut triduum cessant. Si quando tamen acerbiores sint, aut diutiùs perseuerent; Medicos vocare coguntur, qui antequam remedia præscribant, eorum causas perlustrare tenentur.

Causæ igitur præcipuè torminum, & dolorum, qui à partu contingere solent, sunt sanguinis copia, crassities, acrimonia, & vasorum angustia. Cùm enim venæ vteri per nouem menses ab ordinaria sanguinis excretione cessarint, & ille interea magna copia congestus fuerit, nec non diuturniori mora crassitiem, & acrimoniam adeptus; dum per angustas vias transit, dolores parit, qui per interualla recurrunt, quoties vterus nouam sanguinis excretionem molitur, eaque peracta cessant, donec iterum alius sanguis egredi conetur.

Fiunt etiam interdum huiusmodi tormina à flatibus, aut frigore in vterum susceptо, se minùs frequenter.

Distinguuntur hi dolores ab alijs, qui ventrem infestare solent, ex continuitate, & interuallis, quæ excretiones sanguinis interpolatas sequuntur. Et ipsæ mulieres eos facilè distinguunt.

Sanguis crassior in grumos facilè concrescit: tenuior verò ex tenuitate, & calore viuido, aut subflauo cognoscitur.

Si à flatu oriatur dolor; ille magis vagus est, & plures ventris partes occupat, neque sequitur excretionum sanguinis interualla. Si aer frigidus in vterum admissus fuerit; ex ijs, quæ circa ægram acta sunt, deprehendi poterit.

Periculosi non sunt huiusmodi dolores; sed plerumque maximè molesti. Ideo quamprimùm tollendi, aut demulcendi saltem.

Curatio huiusmodi torminum eò dirigenda est, vt vasa vteri laxentur, sanguinis crassities attenuetur, acrimonia temperetur. Quæ omnia sequentibus præsidijs obtineri poterunt.

Ac primùm puerperæ venter fascia leniter constringatur, vt vterus subsideat, neque huic illuc commoueri possit, vt à partu non rarò propter subitam euacuationem solet contingere.

Deinde olei amygd. dulc. recenter extracti ʒ. (j.) iij. cum syrupi violacei ʒ. j. sem. vel vini hyppocratici Vnc. ij. exhibeantur.

Clysteres injciantur ex lacte cùm saccharo, & vitellis ouorum.

Vel parari possunt ex decocto flor. chamæm. & artemisiæ cum iure pulli, addendo oleum liliorum, & vitellos ouorum.

Inungatur venter oleis carminantibus, & aperientibus, vt oleo anethino, rutaceo, iasmino, vel sequenti magnæ efficaciæ, quod ad hunc vsum tempore idoneo componi debet, & in officinis asseruari.

℞. Rad. aristol. ror. iridis, pœoniæ, ana ʒ. j. cyperi ʒ. ß. folior. siccor. artem. matricar. origani, calamenti, pulegij, dictamni, cretici, absinth. sabinæ, rutæ, betonicæ, saluiæ, ana M. j. flor. anthos, stœchados, lauendulæ, chamom. anethi, hyperici, sambuci, ana M. ß. granor. lauri, & iuniperi, ana ʒ. ß. cumini, sem. rutæ, pœon dauci, & agni casti, ana ʒ. iij. caryophyll. nuc. moschat. cinnam. zinzib. ana ʒ. ij. styrac. & myrrhæ, ana ʒ. j. Omnia contusa, & incisa misceantur, & macerentur in olei veteris ℔. vj. addendo vini albi parùm. Et ponantur in vase fictili benè clauso, spatio vnius hebdomadæ, & fiat ebullitio supra cineres calidos, spatio quatuor, aut quinque horarum, & postea exprimatur oleum ac recondatur ad vsum. Si non habeatur paratum vrgente necessitate, bulliant simplicia dicta in æquis partibus olei, & vini albi ad vini consumptionem, postea exprimatur oleum.

Fotus etiam fieri potest ex decocto artemisiæ matricariæ, melissæ, fol. lauri calament. Sem. dauci cumini, carui, flor. cheiri, & chamomillæ, in aqua, & vino albo vel lacte parato. Vel sequens cataplasma admoueatur.

℞. Cepas in aqua benè coctas nu. iij. vel iv. Contundantur in mortario, addendo sem. lini, & cumini contusor. ana M. j. flor. chamom. tantumdem, farinæ hordei q. s. vt fiat cataplasma. Et si opus sit, adde parùm aquæ, in qua cepæ decoctæ fuerint. Extendatur super linteum, & vmbilico calidè applicetur.

Vtile etiam est, pelle veruecina ventrem munire cum adhuc calet, & recens detracta est. Huius enim calor, nostro affinis, doloris causam concoquit, & mitificat: tum etiam impedit, ne cutis abdominis contrahatur in rugas.

Per os verò sequentia exhiberi possunt.

Sem. dauci puluerat. ʒ. j. vini albi ʒ. iij. Misce, detur calidè bis in die. Vel

℞. Nucis moschat. anisi, cinnam. an. ℈. j. Misce, fiat puluis detur cum vino albo. Vel

℞. Nucleorum dactylorum, & persicorum; ana ʒ. sem. nucis moschat. ℈. iv. pulu. diamarg. calidi ʒ. ij. anisi ʒ. j. cinnam. ℈. ij. croci ℈. ß. sacchari ad pondus omnium. Fiat puluis tenuissimus, cuius dentur ʒ. ij. cum vino albo, bis, aut ter in die, si vrgeant dolores.

Forestus decoctum flor. chamom. in cereuisia, vel decoctum artemisiæ, & chamæm. in iure pulli propinauit felici successu.

Præstare mox à partu ius galli veteris tribus diebus summo manè, ieiuno stomacho, porrigere cum immodico cinnamomi, & croci.

Sequens puluis, statim post partum sumptus, à torminibus mirè præseruat. Ita vt, si primiparæ exhibeatur, in sequentibus partubus nullo modo à dictis doloribus torqueri credatur.

℞. Rad. consolidæ maior. exsiccatæ ʒ. j. nucl. persicor. nucis mosch. an. ℈. ij. succini ʒ. ß. ambræ grisea ℈. sem. Fiat puluis, de quo capiat ʒ. j. cum vino albo, & si febris adfuerit, cum iusculo.

Pro potu ordinario vtatur ægra decocto rad. petrosel. aut artemisiæ, & cinnamomi.

Si à biliosis, & acribus humoribus tormina generentur, eodem ferè modo curantur, quo dolor colicus à bile E. g.

℞. Syrupi violac. borrag. an. ʒ. j. mucil. de sem. cydoniorum aqua viol. extract. ʒ. sem. aquæ borrag. scorzoneræ, ana ʒ. iij. Misce, fiat iulep. pro ij. duobus. Vel

℞. Ol. amygdalar. dulc. ʒ. (j. ij.) syrup. violac. ʒ. i. aquæ borrag. ʒ. sem. Misce, pro vno haustu.

Externa quoque medicamenta vias laxantia; & emolientia adhibeantur, quæ eadem opera dolorem sedant.

Enixas post partum sæpè dolor exercet in inguine, ex vtero in illo conglobato. Curatur admouendo vmbilico emplastr. ex galbano, & assa fœtida, in cuius medio grana aliquot moschi ponantur.

CAPUT XXIV.

De Morbis acutis puerperarum.

QVod suprà de morbis acutis prægnantium diximus, id nunc de morbis acutis puerperarum, possumus repetere: non aliam scilicet habere essentiam, aliamve diagnosin ac dum non pueperas, ac etiam viros obsident, vt hic peculiarem eorum theoriam proponere non opus sit, quæ ex proprijs capitibus facilè desumi poterit.

Illi autem morbi acuti vtplurimùm sunt febres continuæ, tum essentiales, vt synochus putrida, tertiana continua, & reliquæ: tum symptomaticæ, quæ inflammationes internas, vt pleuritidem, peripneumoniam, hepatitidem, phrenitidem, & alias comitantur.

Est tamen peculiaris febris species, quæ omnibus propemodùm puerperis contingit, *febris lactis*, vulgò à mulieribus nominata, eaque circa tertium, aut quartum puerperij diem accidere solet, cum lac in mammis copiosiùs generari incipit, orituque ex sanguinis ab vtero ad mammas refluxu, eiusdemque motu, & agitatione. Quæ quidem febris inter ephemeras, pluriù dierum recensetur, neque vllis indiget

remedijs, quia intra triduum, vel quatriduum, nempè circa nonum diem sudore soluitur. Distinguitur à putridis, quod ferè circa quartum diem inuadit, mammæ lacte repleri incipiunt, & duritie, dolore, ac calore affici; cum dorsi, & scapularum grauitate, & calore, tùm puerperia rectè fluunt, quod in putridis rarissimè contingit.

Febres autem putridæ, puerperis superuenientes, à tribus causis oriuntur: nempè lochiorum suppressione, aut imminutione, prauorum humorum congerie, gestationis tempore cumulata ac in partu agitata aut dietę erroribus. Nonnulli adunt fluxum lochiorum immodicum, qui potiùs signum latentis cacochymiæ, febrem excitantis; illius verò causa propria esse non potest.

In suppressione lochiorum sanguis, & vitiosi humores, qui per gestationis decursum cumulati sunt, ad venas maiores regurgitant, ibique putrescunt, & interdùm ad hepar, lienem, aliasque partes ferunt, in ijsque inflammationes concitant. Aut si in venis vteri morentur; putredinem concipiunt, atque ita febrem pariunt, etiam in ijs fœminis, quę anteà inculpata valetudine frui videbantur.

Si verò ritè fluentibus lochijs febris oriatur; illa vel ex bilioso humorum apparatu, vel ex diætæ erroribus prouenit. Praui humores, ex partu laboribus, ac doloribus agitati calorem, & putredinem facilè concipiunt, febremque excitant. Diætæ errores varijs modis contingere possunt. Ac primùm in victu, in quo puerperæ plurimùm peccare solent, pluribus, & copiosis ferculis sese ingurgitantes, quæ sufficienter concoqui non possunt, & in corpore putredinem contrahunt. Alter error committitur, dum puerperæ frigido aeri sese imprudenter exponunt, præcipuè vrgente febre ex lacte, quæ per sudores, & diaphoresin solui consueuit. A frigore autem, ambiente incautè admisso, diaphoresis impeditur, vndè fit, vt febris illa, quæ per se salutaris erat, & paucis diebus cessatura, in putridam periculosam mutetur.

Est & alia causa satis frequens febris puerperarum, cùm videlicèt secundinæ integræ non excluduntur; sed quædam illius portio intùs remanet. Id potissimùm contingit in hepate vterino, cuius portio interdum vtero annexa relinquitur, eaque putrescit, vnde lochia virescentia, male olentia, & cadaueriosa promanant: & nisi intra paucos dies ab vtero separetur, & excludatur; in maximum vitæ discrimen ægrotantem præcipitat, cùm ipsi vtero spaceliſmum inducere valeat.

Si sanguinis grumi, vel aliud quid præternaturale, post partum, in vteri cauitate remanserit, illud inde dignosci potest, quod ceruix vteri mollis, & aperta remaneat; nec internum illius orificium claudatur, neque sursùm vterus retrahatur: cùm omnibus ritè se habentibus post partum; vterus sursùm trahatur, illiusque ceruix, atque orificium breui tempore claudantur. Huius rei experimentum proponitur ab Haruæo, tractatu de partu, de muliere, quæ febre maligna cum summa virium iactura laborans abortiuit & post exclusionem fœtus integri, atque incorrupti: prostratis tamen viribus, cum pulsu vermiculante, & sudoribus frigidis, moribunda videbatur. Ipse verò vterum explorans, eius orificium laxum, molle, & patentissimum deprehendit, vna cum malè olentibus lochijs; & digitis immissis; molam, oui anserini magnitudine, foraminibusque aliquot atram, viscidam, & fœtentem putrilaginem in se habentibus præditam extraxit, statimque inde à prædictis symptomatis liberata est, & breui conualuit.

Contingit etiam in nonnullis, orificium vteri statim à partu adeò constringi, vt detentus intra vterum sanguis, subitò grumescens, & putrefactus, sæuissima inducat symptomata. Cumque nulla arte exitus ei parari possit; præsentaneam mortem inferat. Refert tamen Haruęus loco citato historiam mulieris à se curatæ, cùm tali affectu laboraret. Pudendi labra tumida erant, & feruida orificium vteri durum, & clausum. Ipse verò instrumento ferreo immisso per vim aliquantulum aperuit, vt iniectionem per siphunculum admitteret: indeque grumescens, æter, fetidusque sanguis ad libras aliquot efflu-xit, cum præsenti ægræ leuamine.

Prognosis harum febrium in eo tantùm differt à prognosi similium febrium, quæ, non puerperis contingunt: quod ex laboribus partus vires sint magis delectæ, & ex suppressione lochiorum, maior sit in venis humorum redundantia, & vtrinque maius impendeat periculum.

Ad prognosin etiam facit, & crises imprimis prœuidendas, celebris illa quæstio, an computatio dierum morbi debeat fieri à principio morbi, an à die partus. Cuius decisio paucis stabilienda est in hùc modum. Si partus fuerit naturalis, nullis symptomatis grauibus comitatus, & lochia optimè procedant, febris verò post aliquot dies accedat; computatio non debet fieri à die partus, sed à die febris, quæ ab aliqua alia causa, eaque prętternaturali fuit concitata: nempe humoribus prauis intus latentibus, vel ab aliqua causa externa. Si verò partus fuerit difficilis, & præternaturalis; febris verò post tres, aut quatuor dies oriatur; computandum est à die partus: quia tunc cępit totius corporis œconomia euerti, humorumque perturbatio fieri quam deinceps febris consequitur. Sic in grauibus vulneribus, capitis præsertim, licèt febris nõ inuadat, nisi post quartum, vel quintum diem; computatio tamen fieri solet à die accepti vulneris, quia tunc temporis humores commoueri cœperunt, & ad febrem disponi.

Curatio istarum febrium ab aliarum curationibus non differt, nisi circa magna remedia, venæ sectionem scilicet, & purgationem, in quarum administratione non exigua est difficultas, quam tamen nos breuiter diluere conabimur.

Quod ad venæ sectionem spectat, in acutis puerperarum affectibus celebrandam, tanta est Authorum dissensio, propter pugnantes inuicem indicationes, vt vix duo reperiantur, qui in eandem omninò sententiam coeant. Nos eam, quæ ad sapientiorum mentem magis accedit, & in vsu practico felicius succedit, omissis ambagibus, sequentibus theorematis hic proponemus.

Morbus acutus puerperam aggreditur, vel in principio puerperij, vel in medio, vel in fine.

Si contingat in principio, & mulier copiosè purgetur; nulla alia tentanda est sanguinis euacuatio, quam qua à natura rectè, & conuenientes operante dirigitur. Si verò lochiorum expurgatio supprimatur, aut minuatur, secentur venæ inferiores, & copiosè sanguis mittatur, quoniam tunc temporis copiosa esse debet, ex præscripto naturæ lochiorum euacuatio.

Si medio tempore morbus acutus superueniat, duo consideranda sunt. Unum, an materia morbifica in vno loco particulari, contineatur, & conculcetur: an sit per venas dispersa. Alterum, an mulier conuenienti expurgetur mensura, vel non. Si morbus fiat à materia sparsa; vt in febribus, & mulier non perfectè purgetur, venæ inferiores aperiendæ sunt: quia & materia morbifica minuetur, & naturalis fluxus prouocabitur. Si verò mulier sufficienter expurgetur, morbusque inualescat, nec euacuatio naturalis morbo satisfaciat; venæ inferiores etiam aperiendæ sunt, tantumque detrahendum, vt ex duabus euacuationibus perficiatur, qũod morbus exigit, vt docuit Galen. *9. meth. cap. 5.*

Si febres amodùm intensa, magnumque incendiũ adfuerit; id fiat, quod in morbosa materia, in loco particulari conculcata, & putrescente agendum esse, iam dicturi sumus.

In morbo acuto particulari, vt pleuritide; peripneumonia, angina, & similibus, aduertendum est, an fluxio tantùm fieri incipiat, ita vt morbus fit tantùm imminens, vel incipiens, & perexigua sanguinis quantitas in parte collecta sit. Tum enim venæ inferiores aperiendæ sunt, vt reuulsione facta, ad opposita distantissima præposterus ille humorum motus inhibeatur. Si verò iam bona ex parte fluxio facta sit, & inflammatio genita, eaque valdè vrgeat, siue mulier expurgetur sufficienter, siue non; statim venæ superiores aperiendæ sunt è directo partis affectæ, quia talis euacuatio à parte affecta sanguinem educit: At si venæ inferiores aperiantur, quæ nec proximæ sunt parti affectæ, nec ab ea euacuare possunt, & virtus ab euacuatione labefactabitur, & materia in loco particulari conculcata non minuetur. Atque ita vel totum ferè sanguinem educes, ad reuellendam materiam morbificam à parte affectas vel priùs mulier à morbo perimetur, quam facta fuerit reuulsio sufficiens. Neque metuendum est, misso sanguine à venis superioribus, ne retrahatur sanguis ab vtero, quia in illis casibus partes superiores sanguine abundant. Et quamuis multus extrahatur, non ita inaniuntur venæ, vt aliundè nouum sanguinem attrahere cogantur. Ad maiorem tamen cautelam non erit inutile, antequam sanguis mittatur, fricationes celebrare in cruribus, & consequenter ligaturas dolorificas facere in medio ipsorum quæ detineantur, donec missus fuerit sanguis, & paulò pòst venæ sectionem soluantur; ac subinde cucurbitulas ijsdem partibus applicare, vel saltem frictiones repetere. Hinc habere poterimus materiæ peccantis eductionem, & naturalis fluxus conseruationem.

Idem

Idem faciendum est in febribus ardentibus, & vehementibus. Quia, licet materia sit sparsa, attamen incendium tantùm est circa cor, & viscera, vt minoris, & longinquæ venæ apertione non ita extingui possit, sicut proximæ, & maioris qualis est basilica.

Hæc curandi methodus non solum in puerperis; sed etiam in reliquis mulieribus, morbo acuto correptis, & menstruas purgationes patientibus, obseruari potest.

Si in fine puerperij morbus acutus inciderit; idem agendum est, vt in medio, ijsdem conditionibus obseruatis: hoc animaduerso, vt, quo magis distat mulier à principio, eo tutiùs venæ superiores aperiri valeant, quo autem illa vicinior est, etiam medio tempore, id ipsum maiori cum præmeditatione exequamur. Et si morbus non istet, neque vrgeat illius acuties, ac naturalis expurgatio copiosa fuerit; prorsùs abstineamus. Si verò purgatio fuerit imminuta venas inferiores ad supplementum debitæ quantitatis secabimus. Si tamen oppositum contigerit, seruetur id, quod vrgente acuto morbo, agendum esse diximus.

Purgationis verò vsus in puerperis, morbo acuto correptis, sequentibus concludetur theorematis.

Dum lochia naturaliter profluunt, nunquam purgatio administranda est: periculum enim est, ne ab opere suo natura diuertatur.

Si verò puerperia præter naturam se habeant; considerandum est, an quantitate peccent, vel qualitate.

Si quantitate peccauerint, eaque imminuta, & mulier vel omninò nihil, vel insufficienter purgetur; postquàm omnia remedia, promouendis huiusmodi purgamentis idonea frustra vsurpata sunt, & materia morbifica concocta apparet, transactis octo, decem, vel duodecim diebus à partu, secundum maiorem vel minorem morbi vrgentiam leuiori pharmaco purgatio instituì poterit, à vehementioribus prorsùs abstinendo.

Si lochia qualitate peccent, ita vt fluxio albida, vel alterius coloris non naturalis prodierit, cocta existente materia, vltimo puerperij tempore tuto purgatio administrabitur.

In genere autem hoc perpetuò obseruandum, quo longiùs puerpera distat à die partus, eò tutiùs medicamentum purgans posse administrari: & contrà. Nam experientia docuit, mulieres purgamentorum suppressione laborantes, si post septimum, aut nonum diem alui fluxu corripiantur, vt plurimum liberari. Si verò primis diebus, videlicet secundò, tertiò, vel quartò diarrhœa acciderit, vt plurimùm interire.

Atque ita (Deo sit laus, & honor) affectum mulierbrium curationes absolutæ sunt.

PRAXEOS MEDICAE
LIBER DECIMVS SEXTVS.
DE AFFECTIONIBVS ARTICVLORVM, & Rheumatismo.

PRÆFATIO.

LICET omnes Articulorum affectus ab ijsdem causis dependeant, & ratione tantùm loci affecti inter se differant, ijsdemque remedijs curari soleant; nonnulla tamen reperitur differentia inter ischiadem, & aliorum articulorum dolores, ob partium ischij articulum componentium structuram, & amplitudinem, cuius ratione quandam in nonnullis remedijs diuersitatem obtinet: ideo seorsim de dolore ischiadico agere constituimus. Et quia Rheumatismus cum arthritide magnum habet affinitatem: illius ideo expositionem hoc in loco subnectere visum est. Atque adeò liber est tribus absoluetur capitibus: quorum primum erit de arthritide: secundùm, de dolore ischiadico: tertium, de rheumatismo.

CAPVT I.

De Arthritide.

ARthritis est dolor articulorum, ex interuallis ferè inuadens, ab humorum influxu excitatus.

Partes dolore affectæ sunt, membranæ, tendines, nerui, omnesque partes neruosæ, articulis vicinæ, quæ ab humore in eas influente distenduntur, vel ab eiusdem acrimonia punguntur, & vellicantur. Ligamenta verò ab ossibus oriunda sensus expertia sunt. Rarò autem in ipsas articulorum cauitates influunt, nec nisi in affectu diutissimè perseuerante, & vbi ampliores sunt cauitates, vt in dolore ischiadico diuturno, in quo nonnunquam os femoris excidit, laxatis ligamentis alijsque partibus articulum connectentibus, & tunc articuli cauitas mucosa pituita repletur, vt est apud Hipp. *Aph. 50. sect. 6.*

Quæritur hoc in loco cur ab humoribus, in partes neruosas, & membranosas influentibus, easque distendentibus aut vellicantibus non fiat conuulsio? Respondemus, partes, quæ in arthritide magis afficiuntur, esse membranosas, quæ cùm motui nullo modo inseruiant, conuulsionem efficere non possunt, quantumvis distendantur, aut vellicentur. Licèt autem tendines, & nerui, motui dicati, etiam dolore afficiantur, conuulsionem tamen non pariunt, quia vt fiat conuulsio; debent musculi retrahi versùs suum principium, & illa retractio debet fieri per contractionem neruorum, qui in eos inseruntur. Quando verò à musculis egressi sunt, aut ad extremitatem eorum peruenerunt, licèt distendantur, musculos contrahere non possunt.

Quatuor arthritidis differentiæ ab Authoribus vulgò constituuntur, ex diuersis articulis affectis repetitæ: chiragra, cùm manum dolor occupat: ischias, cum coxendicem inuadit; gonagra, cùm genua, & podagra, cum pedes huiusmodi dolores afficiunt. Reliquorum verò articulorum dolores generico arthritidis nomine donantur: licet Paræus propria ijs nomina imposuerit, à partibus affectis desumpta; dolorem in maxillæ articulis residentem, syagonagram appellans; in ceruice, trachelagram; in spina dorsi rachysagram; in humero, homagram; in cubito pechyagram. Sed istæ nomenclaturæ in vsum medicum relatæ non fuerunt. Ideò sufficit, aliarum partium dolores ad commune, & genericum arthritidis nomen referre.

Aliæ præterea dantur arthritidis differentiæ, quòd alia sit generalis, omnes aut fere tem plurimos corporis articulos occupans: alia particularis, vni tantum articulo inhærens: alia insita, & congenita, à parentibus hæreditario iure contracta: alia aduentitia, à causis externis, & erroribus in victu commissis.

Humores autem, arthritidem efficientes, non solùm in articulos; sed etiam interdum in alias partes, vt caput, dentes, latera: imò & partes internas, vt iecur, & lienem influere possunt, in ijsque varios dolores excitare, qui tamen arthritici dicendi non sunt, quamvis à materia arthritidem efficiente generentur.

Omnes autem dolores, articulos occupantes arthritidis

nomen non merentur: fiunt enim interdùm tumores in articulis, præcipuè in genibus, à quibus etiam dolores excitantur, ab humoribus crassis pituitosis, & melancholicis profecti, & diutissimè perseuerantes, qui ad dolores arthriticos non referuntur, sed diuersam omninò naturam sortiuntur. Quæ diuersitas ex peculiaribus arthritidis characteribus, in diagnosi describendis clariùs innotescet.

Causa proxima, & immediata arthritidis est humor serosus, sua vel quantitate partes sensiles, articulos ambientes distendens, vel acrimonia vellicans. Serosam esse illam materiam inde colligitur, quod humores crassiores in articulos tam facilè confluere non possint, & tumorem in articulis magis conspicuum efficerent, qui perexiguus esse solet, imò verò in principio nullus apparet, licèt dolor acerbissimus excitetur. Adde, quòd ille tumor nunquam suppuretur, ceu alijs humoribus crassioribus sæpè contingit, si tantillum sanguinis secum admixtum habeant. In arthritide autem sanguis ad articulos attrahitur, qui ex inflammatione partis innotescit: nunquam tamen suppuratio contingit, propter seri prædominium, quod suppurationi resistit.

Illud autem serum rarò purum, atque syncerum est; sed alios humores, aut ichores eorum, secum admixto habet: vnde diuersitas insignis exoritur pro maiori, vel minori humorum permixtorum acrimonia, à quibus maior, vel minor dolor excitatur. Tumor aliquando est notabilis magnitudinis, aliquando vix apparet: color alijs est rubicundus, alijs flauus, alijs albus: in quibusdam malum cito soluitur: in alijs longiùs protrahitur: interdùm caliditas ingens, & fernor partem affectam occupat, aliàs nulla, aut perexigua apparet: quandoque calida admota prosunt, aliàs verò nocent; & frigida conferunt. Negandum tamen non est serum per se maiorem, vel minorem acrimoniam habere, prout magis vel minùs salis secum admixtum habet. Cùm enim serum salia heterogenea, quæ ex alimentis in corpore cumulantur, dissoluere, & in sese recipere soleat; (hinc omne serum salsum est,) pro vt maior, vel minor salis copia in eo recipitur, & pro vt salia illa maiorem, vel minorem acrimoniam obtinent; maior, vel minor dolor excitari consueuit.

Quia verò in arthritide, quemadmodum in omni fluxione, quatuor considerantur materia fluens, pars mandans, pars recipiens, & viæ, per quas fit fluxio: postquam materiam fluentem exposuimus, de reliquis est agendum.

De parte mandante est aliqua distensio. Fernelius omnem arthritidis materiam, quam pituitosam, & tenuem esse vult, à capite defluere existimat. Non quidem a cerebro ipso, cuius excrementa vel per nares excernuntur, vel per palatum, effluentia ad os, fauces, asperam arteriam, aut ventriculum propelluntur; sed ab externis capitis partibus, & extra caluariam positis. Cùm enim venæ quamplurimæ, ab externis iugularibus deductę, eò excurrant, & excrementa sua tenuia, ac serosa ibi deponere asserit, & cùm capitis cutis crassa, densaque sit, & humores per eam facilè non expirent, temporis progressu ibi cumulari, & per summa corporis sub cute ad articulos defluere existimat. Alij verò caput quidem fluxionis arthriticæ originem agnoscunt, sed à partibus illius interioribus, cerebro nimirùm, effluere censent. Alij denique à visceribus, in imo ventre contentis, puta hepate, liene, vtero, alijsque, tum etiam à toto corpore humores illos noxios per venas, & arterias in articulos defluere pronunciant. Quæ omnes sententiæ, meo quidem iudicio, ex parte veræ sunt, ex parte verò falsæ. Veras esse censemus in eo, quod humores, arthritidem committentes, à capite, internas, & externas partes, & à visceribus, totoque corpore per venas, & arterias defluere pronuntiant. Falsas verò asserimus in eo, quòd vel solas capitis partes externas, vel internas tantùm, vel sola viscera inferiora materiam arthritidis suppeditare voluerunt. Cùm enim totum corpus confluxile sit, possunt omnes partes humores superfluos ad articulos transmittere, si illi eorum receptioni dispositi sint. Dispositio autem articulorum, humoribus illis recipiendis idonea, (vt partis recipientis conditionem hic data occasione explicemus,) est eorundem imbecillitas, vel natiua, à parentibus iure hæreditario contracta, vel ascititia, à causis præternaturalibus, inferius exponendis, oriunda. Cùm igitur certissimo theoremate ab omnibus Medicis receptissimo sancitum sit, partes robustiores excrementa sua deponere in debiliores, asserendum est, omnes partes prædictas superfluitates suas in articulos posse deponere, si illi imbecilliores facti sufficienter resistere nequeant. Et vt sigillatim opiniones prædictæ confutentur: Fernelius quidem satis perspicuè ostendere videtur humorem extra caluariam collectum, per summa corporis, & sub cute in articulos defluere, cum interdum dolor in capite incipiat, inde ad ceruicem, humeros, ac tandem in articulos excurrat. Sed nunquam ab alijs locis, alijsque partibus humores in articulos deferri, nullo modo probat, neque vllus post ipsum probare poterit. Sic etiam qui à solo cerebro fluxiones huiusmodi fieri dicunt contra sensum pugnare videntur. Cùm enim partes, articulos ambientes, venas, & arterias recipiant, per quas sanguis nutritionis causa ad eas transfertur; quidni etiam serosus humor, in maioribus vasis collectus, ad easdem partes per easdem vias deferri poterit? Hoc docuit præcisè Galen. *comment. aph.* 20. *sect.* 3. Vbi docet in tuberculis, & doloribus articulorum profundum corporis expurgari, vitiosis humoribus à partibus principalibus ad ambitum corporis protrusis. Hoc etiam ostendit febris, quæ in arthritidis principio sæpe excitari solet fit enim illa à serosa illuuie, in venis contenta, & commota, atque ebulliente, quando natura ad illius exclusionem sese accingit, & cùm foras omninò eam transmittere nequeat, ad partes ignobiliores, & debiliores deponit. Tertia verò sententia, quam Sennertus defendit, à ratione etiam aliena est, & in eo peccat, quod nunquam à cerebro fluxiones podagricas fieri contendat. Cùm enim ad omnes alias partes, tum internas, tum externas fluxiones à cerebro decumbant; quomodo articuli ab ijs poterunt esse immunes? Et si humores, catarrhum efficientes, per venas, & arterias defluunt non rarò, vnde febres catarrhales passim oriuntur; humores verò, in venis, & arterijs contenti, (vt ipse Sennertus asserit) ad articulos facile confluunt; demonstratiuè concluditur, fluxionem fieri à cerebro in iuncturas. Illum præterea humorum defluxum à cerebro per venas, ostendit copiosa vrinarum profusio, quæ fit non rarò, cerebro ab insolatu, aut nimio frigore commoto. Tunc enim humores serosi, in cerebro collecti, agitantur à causis illis procatarcticis, & ad venas, arteriasque propelluntur, per quas ad renes, & vesicam confluunt; vnde copiosa illa vrina promanat.

Causa interna, proxima, & immediata arthritidis sufficienter hactenùs exposita, tam ad causas externas, & procatarcticas transeundum est, quas in tres classes, clarioris doctrinæ gratia, distribuere possumus. Prima est earum, quæ materiam generandæ arthritidi idoneam suppeditant. Secunda earum, quæ articulos debilitant, & relaxant. Tertia denique earum, quæ humoris morbifici affluxum ad articulos promouent.

Ad primam classem referuntur, quæcunque crudorum, ac serosorum humorum, omnisque cacochymiæ prouentum adiuuare possunt: vt alimenta crassa concoctu difficilia, ac valdè excrementitia; crapula, & ebrietas frequens; venus immoderata, vnde arthritis Bacchi, & Veneris filia dicitur; otium, & vita sedentaria, ac consuetarum exercitationum intermissio, somnus longior, & vigiliæ intempestiuæ; euacuationum consuetarum, siue naturalium, siue artificialium intermissio; metus, tristitia, & sollicitudo diuturna.

Ad secundam classem referuntur labor, & motus vehemens; veneris vsus frequens, illius præsertim, quæ corpore erecto exercetur: articulorum refrigeratio, & humectatio: balneatio frequens: articulorum contusio, luxatio, fractura.

Ad tertiam classem referuntur aer frigidus, humores exprimens, & calor, eosdem fundens, ac liquans, & exagitans, meatusque aperiens: cibi acres, & salsi, humores attenuantes: vinum tenue, ac generosum, exercitium immodicum, venùs effrænata, ira vehemens, aliaque animi pathemata immoderata.

Signa diagnostica alia imminentem, alia præsentem arthritidem significant.

Imminentis signa sunt, sensus in articulis solito exquisitior, vt à leuissima causa lædantur: puta non calcei compressione, ambulatione longa, vel leui aliquo ictu, aut ad lapidem, aliud ve corpus durius culum illisione. Febris plerumq; arthritidis inuasionem antecedit, quæ fit à serosis humoribus, alijsque in venis, & arterijs contentis, commotis, & exagitatis, dum natura eos ad partes illas ignobiliores expellere nititur. Viciniorem verò arthritidis insultum, & quasi incipientem significant, torpor, & formicationis sen-

sensus in articulis, & quiddam in ijs feruor, præter consuetudinem inuadens.

Præsentem arthritidem significat dolor, iam actu articulum excrucians, quem plerumque tumor, & rubor comitatur: & si statim à principio non appareat; paulò post saltem excitatur. Pedis pollicem, & præcipuè sinistrum, dolor frequentiùs inuadit, & ad alios articulos non rarò postmodùm exporrigitur. Febris ante dolorem apparens interdum perseuerat; interdum non antecedit, sed cum dolore inuadit.

Signa causarum etiam aduertenda sunt. Licèt enim humor, arthritidem efficiens, à prædominio serosus sit; aliorum tamen humorum cum sero permixtorum notitia necessaria est, vt ijs remedia aptari valeant.

Ac primùm bilem cum sero redundantem significant, dolor vehemens, & lancinans, tumor exiguus, color subrubeus, aut subpallidus, calor magnus, & febris, in statu perseuerans, febris intensa, vrina tenuis, flaua, & subrubra, auxilium à frigidis, læsio à calidis.

Pituitæ cum sero redundantis signa sunt, tumor partium effectarum sublaxus, qui impressis digitis foueam relinquit: dolor minùs acerbus, vrinæ crassæ, ac perturbatæ, læsio à frigidis, auxilium à calidis, calor ferè nullus, color albus, à naturali parùm recedens.

Melancholiæ redundantis signa sunt, color partis obscurus ad liuorem tendens, dolor profundus, vrina tenuis, & aquosa, lassitudo totius corporis, eiusdemque temperamentum ad melancholicum accedens.

Quod ad prognosin attinet. Arthritis periculosa non est; sed dolorum vehementia molestissima, & durationc contumacissima, vt tota vita plerumque perseueret, ægrosque ad senectutem comitari soleat, imò verò longæuitatem nonnullis conciliet, ex eo quòd natura humores vitiosos, ex quibus alij morbi periculosiores generari poterant, ad articulos per certa interualla propellit; sicque partes nobiliores à prauis humoribus liberat.

Contingit tamen non rarò in corporibus debilioribus, vel iam senio confectis, vt, quando natura humores noxios intus coaceruatos expellere non valet, morbi inde lethales oriantur: vt febres acutissimæ, viscerum inflammationes, apoplexiæ, conuulsiones, phrenitides, orthopnœæ, cordis palpitationes, alijque grauissimi affectus.

Licèt diathesis arthritica visceribus penitissimè infixa, & natiua articulorum imbecillitas, radicitùs extirpari nequeant; possunt tamen arthritidis insultus maximè retardari: ita vt nonnulli sola vini abstinentia, alij purgationibus vsualibus frequenter iteratis, per multos annos sese ab arthriticis doloribus seruauerint.

Hippoc. 2. *prorreth.* multos arthriticos sanari posse affirmat, eosque ab illis, qui sanari non possunt, distinguit his verbis. *De podagra hoc dico: quicunque, aut senes sunt, aut circa articulos callos tophaceos habent, aut ærumnosè viuunt, siccam aluum habentes, hi omnes sani fieri non possunt humana arte quantum ego noui. Sanat quidem hos optimè ayfenteria, si superuenerit; sed & aliæ eliquationes valdè prosunt, quæ ad infernos locos repunt. Qui vero iuuenis est & circa articulos nondum callos habet concretos, & accurate viuit, & laboris amans est, & aluum bonam habet ad obediendum, pro studiorum ratione: hic sanè, Medicum intelligentem nactus, sanari poterit.*

Insanabili etiam arthritidi merito ea annumerari decet, quæ hæreditaria est.

Si podagricis varices superuenerint: soluitur podagra ex Auicenna; quia humores ad articulos fluere consueti, ad exteriores cutis partes deriuantur.

Si arthritis suas periodos seruare consueta non reuertatur; grauissimos, & sæpè lethales morbos portendit, nisi materia morbifica diligenti prophylaxi sublata fuerit. Si enim ob debilitatem naturæ materia intus cumulata non expellatur, maximos morbos, & periculosissimos producit.

Quibuscunque morbi podagrici finnt, ijs sedata in 40. diebus inflammatione finiuntur. Hip. *Aphor. 49. lib. 6.* In paucis enim exiguo calore præditis materia morbifica nonnisi longo tempore discuti potest. Certa tamen, & perpetua non est illa periodus ab Hippoc. proposita: nonnulli enim citiùs, alij tardiùs sanantur; quod dependet ex materiæ morbificæ quantitate, crassitie, vel contumacia, partium affectarum robore, aut imbecillitate, & ægrorum obsequio, in victus, ac remediorum administratione.

Omnis arthritidis curatio in eo consistit, vt humoris ad articulos influxus inhibeatur; qui iam influxit, & articulis inhæret, submoueatur, dolor interim, si acerbus fuerit, leniatur. Quæ omnia sequentibus remedijs præstari poterunt.

Ac primùm sanguinis detractio erit conuenientissima, si illius penuria non adsit, & tumor pituitosus non abundet, quia ab humoris in articulos fluentis motu sanguis exagitatur, & quasi ebullit, & à dolore in partem affectam attrahitur: illius ideò reuulsio necessaria est, quæ fit ex oppositio partis affectæ: atque ideo, si brachium dextrum afficiatur, in sinistro vena secanda; si dexter pes laboret, vena dextri brachij aperienda. Idem quoque brachio, & pede sinistro dicendum. Est autem sanguis detrahendus statim ab ipso morbi initio, & quantum opus est, si vires ferant vnica vice detrahendum. Sin minùs, iteratis vicibus, donec plenitudini sit satisfactum.

Hoc præ oculis semper habendum est copiosam sanguinis detractionem in ijs, diu illam facilè ferre possunt, morbum maximè abbreuiare, si statim ab initio celebretur, aut partitis saltem vicibus.

Purgatio etiam quamprimùm, & in ipso paroxysmi initio instituenda est: sic enim fluens, & fluxurus humor ab articulorum vijs auocatur, & ad intestina attrahitur. In ista autem purgatione duo notatu digna obseruanda sunt, à Solenandro practico insigni pluries annotata.

Primum est, vt purgatio illa fiat non blandiori aliquo, & leniente medicamento, quo humores magis commouentur, quàm euacuantur, & in articulos præcipitantur, vnde dolor, & tumor acerbior ijs sæpè solet succedere; sed aliquo ex fortioribus, quod humorem commotum euacuet, & ab articulis euertat. Alterum est, vt exhibito medicamento, artus supragenua, & cubitos obuoluantur aliquo defensiuo, quo humor fluens, si quis assumpto medicamento commotus est, intercipitur, vt minùs, minorique impetu in articulos decumbat.

In eum vsum ex bolo, malicorio, balaustijs, radicibus bistortæ, vel tormentillæ, rosis cum albumine oui, & aceto conficit vnguentum, idque inductum fascijs palmum latis, & mediocriter longis, supradictis locis obuoluit. Si nec ista ad manus sunt; simplici posca tinctas circundat, atque quod minimum est, diem totum relinquit. Ubi autem fluxio est vehemens; fasciæ inducit linimentum ex bolo, sanguine draconis albumine oui, & oleo rosat. omphacino: vel prius sine oleo compositum, cui, ne siccatum, & induratum dolores excitet, parum olei prædicti, aut vnguenti comitissæ addendum erit.

Ad hanc autem purgationem exequendam præscribetur à perito Medico medicamentum, ægrotantis naturæ, & humoribus in toto corpore redundantibus accomodatum, vel aliquod ex specificis purgantibus, quæ in præseruatione proponentur.

Euacuatio, quæ fit per vomitum hic etiam vtilis est in ijs qui facilè vomunt: quia breuiore via humores euacuat, atque adeò non ita metus est, vt ad partem affectam ruant. Blanda autem vomitoria exhibenda sunt, quæ tantùm partes ventriculo vicinas euacuant. Si enim vehementia sint, & à venis attrahant humores, eosdem ad articulos præcipitare poterunt. Tum post vomitiones purgatio per inferiora etiam molienda est: imo si vnica non sufficiat, erit iteranda.

Post sufficientem purgationem sudorum prouocatio maximè conferre poterit. Sic enim serosa materia per habitum corporis discutietur. Verum, cum in arthritidis inuasione fiat quasi quædam ebullitio, & plerumque febris adsit, calida sudorifica non conuenient; sed tantùm temperata, ex quibus commendat Sennertus cornu cerui, vel crudum, vel sine vstione præparatum, aut solum, aut cum aqua cardui benedicti: tum etiam antimonium diaphoreticum. In affectu diuturno, & absente febre, decoctum chinæ salsæ parillæ, aut sassafras potest exhiberi, & herbis refrigerantibus, vt cichorio, endiuia, acetosa, borragine alterari. Uel solummodò post detersum sudorem, iusculum pulli, prædictis alteratum assumatur.

Martinus Rulandus sequenti sudorifico vsus est feliciter.

℞. Summit. centaur. min. M. ij. rad. asari vnc. ij. Bulliant in aquæ ℔. x. ad medias, & colentur. Capiat vnc. viij. calidè manè per aliquot dies, & sudet.

Foresthus verò laudat decoctum radicis bardanæ, seu lapæ maioris, quod incidat, discutiat, sudores & vrinas moueat. Refertque quemdam arthriticum, in lecto decumbentem,

vt nullum membrum mouere posset, bibisse cereuisimam calidam, in qua radix lappæ maioris cocta erat, qua epota, cum nullis remedijs à Medicis curati posset, plurima minxit alba instar lactis, & à doloribus liberatus fuit.

Hercules Saxonia panis, recenter è furno extracti, decem, aut duodecim ordines secundùm omnem corporis circumferentiam admouet, quibus sudor copiosa prouocatur, & dolores auferuntur.

Conuenit etiam non parùm stupha humida ex decocto ebuli, lauri, saluiæ, rorismarini, & similium, cum vino albo parata, vt illius decocti fumum recipiat æger in doliolo, vnde copiosus sudor excitatur.

Aquæ etiam thermales balneo sudores prouocant, & materiam, in articulis contentam, promptè discutiunt. Ideò, cum ægri eas adire nequeant, aqua earum transferri solet, & in lebete calefieri pro balneo. Eraſtus *consil.* 15. hoc reliquis præfert ad mitigandos dolores, sed in qua tantùm salis incoquit, vt gustus clarè salsedinem percipiat.

In principio fluxionis, temporibus vacuationum intermedijs, quæ eam sistant, exhibenda sunt: qualia sunt, quæ in calidi catarrhi curatione proposita sunt: præcipuè vero iulepi ex aquis, vel decoctis, & syrupi refrigerantibus & incrassantibus.

Imo verò interdum necessitate vrgente narcotica exhibenda sunt, nam & fluxionem sistunt, & dolorem atrocem mitigant. Ex his theriaca recens erit opportunissima, & sæpè iterari poterit sine periculo ad ʒ. ß. vel ʒ. j. Cui vtiliter, ad fluxionem cohibendam, tantillum boli admisceri poterit. Huius tamen loco laudanum opiatum, aliaque narcotica substituere non erit inconueniens.

Post debitas euacuationes celebratas, aliaque interna exhibita, quæ causam antecedentem respiciunt, ad topica deueniendum est, quæ dolorem demulcent, & causam coniunctam discutiunt. Quæ statim vsurpanda non sunt, antequàm vniuersalia prædicta præmissa fuerint, alioqui plus damni, quàm commodi afferre solent. Vel enim materia, quam natura ad articulos expellere conatur, ad interiora repellitur, vnde grauia symptomata excitantur, vel articulis impingitur, dolorque exasperatur; vel pars effœminatur, laxaturque, atque ita fluxus augetur.

Quæ cum vulgò non obseruentur, & topica non satis tempestiuè, & cautè adhibeantur; plus plerumque damni, quàm vtilitatis inde ægri percipiunt, vel causam simul doloris, humorem scilicet qui affluxit, doloremque, & tumorem excitat.

Dolorem lenientia hic maxima necessaria sunt, quia symptoma grauissimum vires deijcit, & humores ad partes affectas attrahit. Præterea vsu anodynorum partes relaxantur, & humor, qui anteà ad profundiores circa articulum partes fluebat, ad exteriores, & ambientes diffunditur. Unde arthritici dolores, antequam pars intumescat, sunt vehementissimi: mitigantur verò, vbi pars intumescit. Anodyna autem medicamenta, partibus arthritide laborantibus admouenda, plurima proponuntur ab Authoribus. Præcipua verò sunt, quæ sequuntur.

Lac tepens parti dolenti admotum cum pannis lineis in eo intinctis, dolorem demulcet; tum etiam si pars eo irroretur, præcipue cum primùm ex mamma detrahitur, quod maximè commendat Amatus Lusitanus *curat. 41. cent. 6.* his verbis: *Qui podagræ ingentes dolores patiebatur, capram intra cubiculum suum adducere, & ex ea lac supra membrum dolens, & maiè affectum emulgere curabat: quo dolores euidenter imminui sentiebat. Nec quidem iniuria. Nam lac sic recens emulctum dolores demulcet, & mitigat ac remittit. Est autem remedium Turcarum Principibus commune, & familiare satis, a te qui lucrum, & honores petis, in pretio habendum.*

Ex eodem lacte paratur cataplasma de mica panis, quę in eo incoquitur, addendo vitello ouorum, & tantillum croci.

Folio etiam hyoscyami, aut violariæ in lacte vel posca decoquuntur, & parti vtiliter admouentur.

Paratur etiam cataplasma ex pulpa rad. altheæ, cum lacte permixta.

Ex pulpa cassiæ fit etiam cataplasma, vel sola, vel cum lacte, aut oleo rosaceo, aut sequentibus permixta.

℞. Medullæ panis albi in lacte decoctæ ℔. ß. medullæ cassiæ ʒ. ij. Fiat cataplasma. Vel

℞. Medullæ cassię ʒ. iv. theriacæ recentis vnc. ß. farinę hordei, & auenæ, an. ʒ. iij. micæ panis albi ʒ. iv. lactis vaccini ℔. ij. vel iij. Coquantur omnia in formam cataplasmatis, quod applicetur calidè partibus dolentibus. Si addideris vitrioli calcinati, & subtilissimè puluerati Vnc. ß. vel Vnc. j. multò præstantiùs efficies.

In principio arthritidis, quæ pedis pollicem tantùm adoritur, sequens admouendum erit.

℞. Album. ouor. num. ij. salis triti parum aceti ros. gutt. aliquot. Excipiantur stupis, & applicentur.

Alia etiam fiunt cataplasmata summæ efficaciæ, in hunc modum composita.

℞. Aquarum verbasci albi, & filicis totius an. ℔. ß. vitrioli calcinati subtilissimè puluerati Vnc. j. ß. farinæ Vnc. iv. croci ʒ. ij. Fiat cataplasma.

℞. Maluæ cum radicibus quantùm vis. Coque in fictili nouo, cum æquis vini, & aceti partibus, ad tertiæ partis consumptionem: deinde adde furfuris secalis crassioris q. s. ad conficiendum cataplasma. Quod benè subactum, & panno lineo inductum applicetur partibus dolentibus calidum, quantum ferri potest. Hoc maximè commendat Solenander.

Refert Forestus, miraculosum esse cataplasma, compositum ex lenticula aquatica, & floribus chamæm. in lacte coctis, addendo farinæ hordei parùm.

Montagnana in acerbissimis doloribus sequens præstantissimum esse affirmat.

℞. Vitull. ouor. nu. x. Conquassentur in frixorio, cum ℔. ß. olei rosacei. Coquantur leuiter ad inspissationem, addendo croci ʒ. ij. & calidum applicetur.

Admouetur à plerisque in principio fluxionis cataplasma ex sale, & fuligine, cum albuminibus ouorum subactis.

Vel ex flor. chamęm. Vnc. ij. rosar. rubr. Unc. j. ß. flor. verbasci Vnc. ß. Puluerisentur, & coquantur in lacte dulci ad cataplasmatis consistentiam, addendo vitell. ouor. num. iij. vel iv.

Vel ex farinæ hordei, & fabarum, ana M. j. flor. chamęm. & ros. an. M. ß. aquæ verbasci, fol. salicis, ana q. s. vel aquæ plantag. & vini, ana q. s. Incorporentur omnia simul in formam cataplasmatis.

Fomenta etiam, partibus dolentibus admouenda, varia componi possunt, in hunc modum.

℞. Fol. verbasci ℔. vj. vini rubri ℔. ij. Trita macerentur per aliquot dies. Destilletur aqua, qua foueantur partes dolentis tepidè, cum linteis ea imbutis. Vel

℞. Flor. verbasci q. s. Is ampulla vitrea impleatur, & orificio obturato. Soli exponatur: sic enim in liquorem diffluunt, qui linteo parti affectæ impositus dolorem lenit.

Sal Saturni in spiritu vini tenuissimo dissolutum mirè dolores sedat.

Aqua spermatis ranarum mense Maio destillata, partibus dolentibus imposita, mirè dolores lenit, & partis inflammationem, ac ruborem temperat. Cum illa etiam sequentia vtiliter admisceri poterunt.

℞. Aquæ spermatis ranarum, tapsi barbati, & filicis, ana ℔. j. ß. In quibus infunde tuthiæ, lithargyri, an. Vnc. j. vitrioli calcinati, alumnis, ana Vnc. j. Foueantur partes dolentes tepidè.

Acetum ex infusione lithargyri paratum, & nonnihil euaporatum, vt omninò dulcescat, admodum prodest arthritidi calidè.

Oleum ex pedibus vituli extractum, ad dolores arthriticos sedandos præstantissimum est, & hoc modo elicitur.

Pedes vituli contundantur, & ossa confringantur. Deinde coquantur ad putrilaginem. Oleum aquæ supernatans misce cum aqua vitæ, & sale, iisque partes dolore affectæ illinatur.

Olea, & pinguedines à plurimis etiam vsurpantur. Sed cùm inflammatio, quæ in membris, arthritide laborantibus contingit, ad erysipelatis naturam vt plurimùm accedat; pinguia illa plus nocere, quam prodesse non raro possunt, cùm poros obstruendo humorem noxium intus retineant, & ita dolorem augeant.

Quemadmodum refert Sennertus, virum quendam arthriticum, summo cum fructu vti solitum ad dolores sedandos caseo ouillo planè recenti impositio, verùm sæpè renouato. Quamprimùm enim à calore partis calefactus pingueſcere, & quasi butyrum fundere cascus incipiebat, dolor intendebatur. In quibusdam tamen corporibus oleum roſaceum, & similia conuenire poterunt, saltem cum aliis medicamentis permixta; quandoquidem pro varijs hominum naturis

naturis varia conferre solent. Ideò ingens remediorum numerus habendus est, vt passim immutari valeant: quia vix vllum inueniri potest adeò efficax, vt omnibus, æquè prosit. Exempli loco sequentia habeantur.

℞. Medullæ panis alibis. ℔.ß. Coque in lacte recenti ad pultis consistentiam. Deinde adde mucilaginis sem. altheæ, ʒ.ij farinæ seminis lini fœnugr. ana ʒ.ij. pulu. flor. chamæm. meliloti, ana ʒ.j. croci Drach. j. ol. ros. Vnc. j. Misce, fiat cataplasma.

Uel cataplasmati de mica panis suprà descripto oleum rosac. admiscerì poterit.

Linimenta, & vnguenta etiam parari solent ad dolorem demulcendum.

℞. Vitell. ouor. num. ij. vel iij. Dissoluantur cum oleo rosac. vel violac. vel vino, & tepidè applicentur.

Balsamum Saturni cum ol. violato, vel ros. paratum, dolorem sedat efficacissimè.

℞. Ceruſſæ ʒ.ij. Dissolue in aqua endiuiæ, & modico aceti. Fiat liquidum vnguentum.

Ex eadem ceruſſa fit emplastrum magnæ efficaciæ, quod ab initio morbi admoueri potest, etiam tumore, atque inflammatione præsente: eiusque compositio talis est.

℞. Ol. commun. ℔. j. vini ℔. j. ß. Bulliant ad mediam vini consumptionem. Deinde adde ceruſſę subtilissimè puluerat ℔. j. camphoræ ʒ. ij. Coquantur ad emplastri consistentiam. Vbi magna est inflammatio, loco vini acetum est reponendum. Extendatur emplastrum super lintea, vt commodiùs partes obtuoluantur.

Catellus viuus, parti laboranti admotus, dolorem valdè demulcet.

Dolore admodum sæuiente, ad narcotica licèt confugere: quamvis ea diu in parte retinenda non sunt, cùm calido natiuo, & neruis sint inimica.

℞. Fol. hyoscyami M. ij. solani, semperuiui, ana M. j. capitum papaueris hortensis P. j. rad. mandragoræ ʒ. j. florum chamæm. violar. ana P. j. Fiat decoctio in aqua, vel lacte, qua foueatur locus.

Residentia pistetur, addendo farinæ sem. lini ʒ. j. ß. farinæ tritici ʒ. ij. ol. chamæm. ʒ. iij. Fiat cataplasma. Vel

℞. Spiritus vini, per croci infusionem flauescentis vnc. iv. camphoræ ϑ. j. Bulliant parùm. Deinde dissolue opij ʒ. j. Eoque liquore pars dolens illinatur. Tutum, & efficacissimum est remedium.

Folia nicotianæ recentia, contusa, & admota, dolorem arthriticum sedant, & vim quandam narcoticam obtinere dicuntur.

Causam verò dolorem efficientem quod attinet, fluenti in partem debentur repellentia; fluxæ verò deriuantia, & resoluentia.

Attamen repellentia hic improbantur, saltem sola, & sint aliorum permixtione admixta. Nam si humorum in partem influxum omninò impediant, metus est, ne illi ad partes internas retrocedentes periculosos affectus inducant, nisi ad aliquem alium articulum transferantur. Adde, quod humor iam influxus ad partem intimiùs impingatur, vnde dolores acerbiores excitantur. Attamen, si maximus, in principio fiat humorum, præcipuè calidorum affluxus, ex quo doloris acerbitas metuenda sit; eum quadamtenùs reprimere conueniet, admotis repellentibus, non solis, sed cum anodynis permixtis, post vniuersales, & sufficientes euacuationes. Tunc enim nimis laxantia humorum affluxum promouent. Itaque prædictis cataplasmatis, aliisque remedijs, plantaginem, lactucam portulacam, semperuiuum, & similia addere licebit, vt & aceti tantillum. Exempli gratia.

℞. Farinæ hordei Vnc. iij. Coque in oxycrato, adde vitellos ouorum n. ij. croci ϑ. j. Fiat cataplasma. Vel

℞. Ros. rubr. M. j. far. fab. at. hord. & fœnugr. ana ʒ. j. santali rubr. ʒ. j. ß. flor. chamom. P. j. Coctis, & contusis addantur vitell. ouorum, num. ij. aceti ʒ. iv. ol. rosacei q. s. Fiat cataplasma.

Inter deriuantia remedia locum habent hirudines, parti dolenti admotæ post sufficienter euacuatum corpus: tunc enim valdè prosunt: præsertim cum venæ in parte affecta distentæ, & sanguine turgidæ apparent.

Resoluentia verò medicamenta sub varijs formis vsurpari solent: aquæ nimirùm, olei vnguenti, balsami, fomenti suffitus, cataplasmatis, emplastri, & similium, in sequentem modum composita.

℞. Uitrioli albi, & viridis, ana ʒ. j. camphoræ ʒ. ij. aquæ vitæ, & vini albi, & ana ℔. j. Misceantur, atque eum intinctis pannis applicentur. Uel

In vrina calix vina extinguitur, & cum ea per residentiam aut colaturam depurata locus dolens foueatur. Idem ex calce, & aceto factum probatur.

Martinus Rulandus in centurijs suarum curationum aquam suam antipodagricam mirè prædicat; cuius descriptionem nunquam proposuit. Eam autem ita se habere existimant Libauius, Petræus, alijque.

℞. Aquæ fontis ℔. j. aquæ fortis ʒ. ß. sublimati ʒ. j. Bulliant per horæ quadrantem. Hoc liquore panni linei madefactę partibus dolentibus tepidè applicentur.

Quercetanus in Pharmacopœa sequentes proponit.

℞. Muriæ, salis, & vrinæ pueri, ana partes æquales. Distillentur, & aqua foueantur partes cum linteis, sæpè renouandis.

℞. Folior, & flor. sambuci viridium, ana ℔. j. Contundantur, & macerentur in aqua vitæ, idque per duos dies vel tres. Distillentur per vas vitreum, vel cupreum, ad siccitatem.

℞. Spiritus vini rectificati ℔. ii. mellis purissimi ℔. i. Distillentur in balneo vaporoso. Sic duos distillabis liquores. Primus est aqueus. Secundus multò fortior, & sulphureus, quem seorsim reserua. Magnati siue remanentiæ adde croci orientalis integri ʒ. i. sem. terebinthinæ Venetæ ʒ. ii. castorei ʒ. vi. tartari ad albedinem calcinati ℔. sem. salis fusi Vnc. i. phlegmatis vitrioli à suo spiritu non separati ʒ. iv. lixiuii sarmentorum ℔. ii. Macerentur per 24. horas. Deinde distillentur ad siccitatem. Liquor, qui inde emanabit, seruetur etiam seorsim. Fæcibus remanentibus affunde priorem aquam reseruatam. Macerentur, & distillentur. Tandem omnes liquores distillatos misce, & denuò per balneum vaporosum distilla. Hanc dicit Quercetanus esse miræ facultatis, & sibi communicatam à quodam Germano celeberrimo, tamquam singulare donum, affirmante hanc esse ipsam aquam Martini Rulandi. Sequi eximios illius effectus vidisse testatur in sedandis arthriticis doloribus, si linteola in eandem mediocriter calefacta, & demersa membro dolenti applicentur.

Idem Quercetanus *in consilio de arthritide* gloriatur se sibi reseruare aquam suam antipodagricam, tanquam veterano militi aliquid athletici artificij. Quam dicit fieri ex aqua fontana simplici, in aqua iteratè, & aliquoties extinguit quædam metalla, cui addit duas substantias metallicas, quæ vel per os ritè præparatæ dari solent: quarum spiritus impressi in aqua prædicta vim ei tribuunt penetrandi ad radices vsque morbi, atque verè resoluendi, & attenuandi materias tartareas, gypseas, atque sales in iuncturis concretos, à quibus tam intolerandi dolores excitantur.

Huic fortè non absimilis, nec inferior est, quæ sequitur.

℞. Calcis viuæ ℔. iv. Extinguantur in aquæ fluuialis q. s. & relinquantur in cella vinaria, trium dierum spatio, vt melius sal extrahatur ex calce. Posteà parùm bulliant, & colentur per manicam Hippocratis. In colat. ℔. xx. extingue septies, aut nouies, primò laminas chalybis ignitas; secundò laminas cupri ardentes; tertiò vitriolum ad albedinem calcinatum ad ʒ. x. quartò antimonium liquefactum in crucibulo ad ℔. ß. quintò lithargyri, vel ceruſſæ in crucibulo calefactæ ℔. ß. Mercurij præcipitati albi, vnica lotione loti Vnc. j. ß. æris vsti subtiliter triti Vnc. ß. Post extinctionem horum mineralium, aqua supersedeat in cella vinaria decem dierum spatio. Postea parùm bulliat, & coletur per manicam Hippoc. Hac aqua calente lintea duplicata imbuantur, applicentur frequenter.

Inter totus paratu faciles commendatur ille, qui fit ex sale ammoniaco septies sublimato, & in vino, aut aqua ritè dissoluto. Uel ex vrina iuuenis benè sani vsque ad medietatem cocta, & cum linteis admota.

Scribit Solenander *cons. 24. sect. 4.* quemdam senem podagricum sibi hoc modo facere medicinam solitum. Cùm tumor, & dolor magnus, locusque rubens erat; accipiebat salem cinerem, vrinam pueri, & acetum. Ijs commixtis madefactum, & expressum pannum laneum album, applicabat aliquoties, sicque dolor magna ex parte sedabatur.

Quemadmodum anteà diximus, olea anodyna in arthritide parùm conuenire; idem de oleis resoluentibus hic dicendum est, quia poros cutis occludunt, sicque liberam

transpirationem impediunt, & calorem augent, neque propter viscidam suam substantiam ad intimas articulorum partes penetrare possunt, vt humores salsos, acres, & tartareos in ijs latitantes temperent, ac resoluant. Attamen si prædicta olea per retortam distillentur, huic vsui maximè idonea, vtpotè valdè penetrantia, ac minimè viscida efficientur. Ex illis præstantissima sunt oleum cheirinum, hyperici, & de vitellis ouorum, quæ simul mixta, & per retortam distillata, dolori sedando, eiusque causæ discutiendæ vtilissima sunt.

Oleum etiam scorpionum Matthioli, modo prædicto dastillatum, præstantissimum est.

Oleum ceræ ad idem etiam est efficax.

At ceteris omnibus præfertur, & non solùm à Chymiatris, sed etiam à Doctoribus dogmaticis, vt Cratone, Platero, alijsque laudatur oleum ex ossibus humanis, eodem modo paratum, quo oleum de lateribus conficitur; nimirùm ossa humana non humata, confrecta, & ignita in oleum vetus inijciuntur. Postea verò oleo imbibita contunduntur, & in retortam conijciuntur, sicque vi ignis extrahitur oleum.

In ossium humanorum defectu, aliorum animalium ossa subrogari poterunt.

Sequens etiam erit valde vtile.

℞. Mastiches, thuris, myrrhæ, ammoniaci, opopanacis, bdelli, mumiæ, ana ʒ. ij. vitriol. ℔. j. mellis ℔. ij. tartari ʒ. j. sem. spiritus vini ℔. iv. Distilletur oleum, ex quo penna illinatur pars dolens.

Ad dolorem sedandum, & materiam arthritidis resoluendum, laudatur etiam liquor limacum, in hunc modum compositus.

In manicam Hippocratis conijce limacum integrorum M. j. Tum super illos injice salis communis M. j. super salem seminis ebuli subtilissimè triti M. j. sic vicissim, limaces, salem, semen, donec omnium figillatim quatuor, vel quinque strata confeceris. Manica dependeat in cella vinaria humida. Et post paucos dies destillabit, ex ea liquor lubricus, & pinguis, quem soli exponito per quatriduum, & locum affectum eo illinito.

Vnguentum resoluens in hunc modum componi poterit,

℞. Chamæpit. absinthij vulgaris, & summit. rorif. ana M. j. flor. chamom. meliloti, rosar. ana P. j. ol. & vini ana ℔. sem. Bulliant ad vini consumpt. Expressioni adde ceræ q. s. ad vnguenti consistentiam. Inungatur calidè pars affecta. Intra 24. horas pars intumescit, & dolor cessat.

Cataplasmata etiam resoluentia, & dolorem sedantia varia confici possunt. Præcipua vero sunt hæc.

℞. Furfuris tritici ℔. j. salis ʒ. j. sapæ q. s. Decoquantur ad formam cataplasmatis. Vel

℞. Farinæ fabar. ℔. sem. Decoquantur in vini q. s. addendo aquæ vitæ, & butyri parum Fiat cataplasma. Vel

Ebuli folia tenera, aut sambuci contusa applicentur, vel cum butyro frixa in sartagine, in formam placentæ.

Radix bryoniæ, contusa cum aqua vitæ, est etiam valdè efficax.

A nonnullis etiam commendatur radix aronis cum stercore vaccæ permixta.

Sequens verò, à Solenandro laudatur, quod sine insigni calefactione resoluit, dolorem sedat, & articulos roborat. Potestque tutò post paroxysmi principium circa quintum morbi diem applicari.

℞. Pulu. ros. rubr. ʒ. ij. mastiches ʒ. j. camphoræ ʒ. ß. farinæ hordei ℔. ß. Coquantur in vino albo, continuè agitando, donec inspissetur, & calidum applicetur.

Emplastra demùm magno vsui esse solent. Præcipua verò sunt hæc.

℞. Thuris, mumiæ, colophoniæ, ana ʒ. j. mastiches, myrrhæ, corallij albi, ana ʒ. ß. axungiæ humanæ ʒ. vj. gummi ammon. & bdellij aceto solut. an. ʒ. iij. terebinth ʒ. ß. olei vulpini, & rosac. ana q. s. Fiat emplastrum.

℞. Rad. ireos Florent. & hermodactylorum puluerat. ana ʒ. vj. emplastri oxycrocei, & de mucilag. ana Vnc. ij. resinæ pini ʒ. j. Malaxentur simul, addendo ol. lumbric. q. s. Fiat massa emplastri.

Emplastrum diapalma, seu diachalciteos maximo in vsu est, vel solum, vel addita camphora, in hunc modum.

℞. Massæ emplastri diapalmæ lib. sem. camphoræ ʒ. ij. Misceantur simul, & applicentur partibus affectis. Vel in formam sparadrap.

℞. Massæ emplastri diachalcit. lib. ß. de sulphure, Vnc. j. styrac. calamit. & benioini, ana vnc. sem. gumm. tacam. Vnc. ij. olei hyperici, & lumbric. ana Vnc. j. styracis liquid. Vnc. j. sem. ceræ nouæ q. s. Liquefactis omnibus simul immergatur tela bis, aut ter, quæ polita, & siccata seruetur ad vsum.

At verò idem emplastrum cum sequentibus permixtum inter excellentissima remedia arthritica censeri debet.

℞. Emplastri diachalcit. vino rubro austero soluti, & ad vini consumptionem cocti ℔. j. myrtill. ros. rubr. mastiches tartari vini rubri puluerat. ana ʒ. ij. chamæp. & chamæm. odorati veri puluerat. ʒ. ij. Fiat emplastrum, applicandum, vbi tumor valde imminutus fuerit.

Tandem in dolore diuturno, & valdè contumaci à materia præsertim frigida oriundo, confugiunt nonnulli ad vesicatoria, partibus affectis admota. Eorum mentionem facit Sennertus, sed quæ anodynis permisceantur. At emplastro vesicatorio, quod in nostris officinis habetur, solo, & impermixto sapientissimus Varandæus, præceptor meus, feliciter vsus est: eoque curauit magnum, & contumacem tumorem genu occupantem, cum alij Medici multas pugationes, & diætam sudorificam, nec non topica permulta frustra vsurpassent.

In omnium autem prædictorum remediorum vsu hoc vnicè annotandum est, vt à iuuantibus, & lædentibus sumatur indicatio; quandoquidem variæ sunt hominum naturæ, varia temperamenta, & varij generis excrementa in ijs colliguntur, vnde summa in morbis varietas solet exoriri. Ideò, quod vni prodest, alteri sæpè est inutile. Quod maximè vsu venit in arthritidis curatione. Eaque ratione vnicuique practico medicamentorum sylua habenda est, vt si vnum frustra tentetur, ad aliud atque aliud confugere possit; ea semper deligendo, quæ rationali methodo magis consentanea videbuntur.

Quando arthritis tophacea, & nodosa est, difficillimè curatur, præsertim si inueterata sit. At nodi recentes emollientibus, & resoluentibus fomentis, vnguentis, & emplastris dissolui possunt. Specifica verò sunt quæ sequuntur.

Galen. valdè commendat emplastrum compositum ex caseo veteri, & acri, cum decocto pernæ suillæ salitæ subacto.

Alii pedes suillos salsos decoquunt, quousque in mucilaginem conuertantur. Posteà admiscent casei antiqui partes duas, puluer. nasturt. partem vnam, vt fiat emplastrum. Vel

℞. Succi nicotianæ ʒ. iii. ceræ citrinæ Vnc. ii. resinæ pini ʒ. i. sem. terebinth. ʒ. i. olei chamom. q. s. Fiat ceratum molle. Vel

℞. Baccarum orientalium (quas Galli vocant, *coques de Leuant*) myrrhæ, an. ℔. ß. Puluerentur, & simul misceantur cum aceto forti in formam cataplasmatis.

Gummi ammoniacum in aceto dissolutum potenter emollit.

Rulandus tumores istos duros inungit manè, & meridie, & vesperi oleo, seu balsamo sulphuris calente, & desuper emplastrum diasulphuris calens applicat.

At vnicè confert emplastrum sequens, quod præter doloris sedationem, etiam ex articulis materiam tophaceam extrahit.

℞. Vitrioli rom. ℔. j. aluminis rupei ℔. sem. salis ʒ. iv. Hæc omnia coniunctim calcina in catino terreo, euaporando saltem, donec spiritus etiam exhalare cœperint. Quibus odore perceptis; statim desiste à calcinatione, & refrigescant omnia, ac puluerentur.

℞. Huius pulu. & farinæ hord. ana partes æquales, Misce cum fœcibus vini ad formam pultis, quam supra laciniam extende, ad spissitudinem cultri, & applica loco affecto. Exsiccatam massam cum fœcibus vini iterum dissolue, & applicare perge, donec primùm discussus dolor; posteà verò ex articulis ipsis contortis omnes tophi consumpti fuerint. Interim tamen sæpè fit, vt cutis aperiatur, quod formidandum non est. Vel enim sponte sua posteà vlcera coeunt, vel cera saltem emplastri loco imposita, consolidantur, ipsis articulis denuò mobilibus, & agilibus redditis.

Si denique nimis inueterata arthritis, & prorsùs nodosa fuerit; præcedenti cura mitigatio quidem dolorum sperandа est, sed tophi vix cedunt; ideò cauſtico leuiori cutis aperienda, deinde emplastro attractiuo ex gummatibus tophi eximendi.

Articularis doloris iam præsentis curatio prædictis perficitur

citur. Sed quia hic affectus per interualla præcipuè, vere, & autumno, redire solet; illius prophyllaxis instituenda est. Quæ quidem eò respicere debet, vt materiæ ad articulos ruituræ collectio impediatur: aut si quæ collecta sit, auferatur. Ac denique ne articuli tam facilè humorem influentem recipiant, impedietur materiæ collectio optima victus ratione, & remedijs, viscerum intemperiem corrigentibus. Materia collecta auferetur remedijs euacuantibus Et articuli non tam facilè recipient, si roborantibus confirmentur.

Diætam quod attinet, licèt ea in hoc casu maxima, imò præcipui sit momenti, instituti nostri ratio eam describere non patitur.

De potu tantùm dicemus, vinum arthriticis esse maximè noxium, multosque eius abstinentia penitus fuisse liberatos. Si tamen æger propter alia valetudinis incommoda non possit ab eo omninò abstinere; bibat pauciferum, seu aquosum, & valdè dilutum. Hollerius loco vini commendat melicratum valdè dilutum, scilicet ex aquę partibus 40. vel 48. & mellis parte vna, quod tamen non conuenit picrocholis, & sitibundis.

Bochetum sequens omnibus naturis conuenit, & plurimis valdè profuit.

℞. Rad. salsę paril. ʒ. ij. liquirit. ʒ. j. cinnam. & sem. anisi an. ʒ. ß. Fiat pulvis tenuissimus. Cuius cochl. j. misceatur cum ea aquæ quantitate, quæ pro vno pastu sufficiunt. Agitentur in duobus vasis ter, aut quater, posteà colentur pro potu ordinario, singulis partibus idem iterando.

Vacuationes verò quod attinet, phlebotomia primum instituenda est, præsertim vere, & autumno, in ijs, qui sanguine abundant, eiusque efferuescentia obnoxij sunt.

Purgatio verò non solùm vere, & autumno, sed etiam quater in anno, & singulis mensibus in valdè cacochymis celebranda est. In quem vsum multæ purgantium formulæ circumferuntur huic affectui specificæ, Præcipuæ verò quæ sequuntur, à prudenti Medico ita vsurpandæ, vt plerumque immutari debeant, tum ratione materiæ, tum ratione dosis, iuxta varia ægrorum temperamenta.

℞. Sennæ mundat. turbith. hermodactyl. & rasuræ cranii non humati, ana Drach. i. diagrydii Drach. ß. Fiat pulvis, de quo capiat Drach. j. cum aqua iuæ arthriticæ, vel iusculo. Vel.

℞. Salsæ paril. ʒ. j. sennæ mundat. Drach. vj. turbith, hermodactyl, salapæ, mechoac. ana Vnc. ß. agaric. trochisc. ʒ. ij. diagrydij, cinnamom. ana ʒ. ß. Fiat pulvis. Cuius ʒ. j. Infundatur in vino albo per noctem. Capiat æger manè vinum, & puluerem.

Electuarium caryocostinum à Petro Bayro miris laudibus effertur, & ab omnibus Practicis appobatur, eiusque descripto habetur in Pharmacopœa Bauderonij. Datur ad Vnc. ß. Sed in calidioribus naturis illius vsus poterit esse noxius.

Rhasis pilulas suas laudat eo encomio, quòd *incedere non valentes faciant ire pedes.* Illæ autem ita se habent.

℞. Aloes optimæ Vnc. sem. rosar. rubr. ℈. ij. hermoadctyl. alb. à cort. exterioribus mundatorum ʒ. j. ß. diagrydij. ʒ. j. Cum aqua iuæ arthriticæ, & melle rosac. fiat massa pilul. Cuius dosis erat Drach. j.

Vtiles etiam sunt, quæ sequuntur.

℞. Aloes, hermodactyl. ana ʒ. ß. chamæpit. ʒ. ij. chamædr. stœchad. arabic. an. ʒ. j. sem. hyperici Drac. ß. Cum terebinth. Veneta, fiat massa pilul. quia minùs purgant, frequentius exiberi poterunt.

Per vomitũ etiam facta euacuatio in præseruatione magno successu adhibetur, si æger eum facilè ferat. Quod indicauit Alsaharauius insignis Medicus verbis. *Vomitus*, inquit *vtilior est laxatiuo, ad eradicationem grossorum humorum, qui sunt ab infra genu, & vsque ad pedem; si eus in dolore sciatico, & dolore genuum, & similium.*

Prouocari autem poterit vomitus singulis mensibus per biduum sequens, quia secundus dies prioris reliquias extrudit. Hunc autem melius succedere quidam obseruarunt, cum Luna in signo aliquo ruminante, vt Tauro, vel Capricorno, reperta fuerit. A cœna autem prouocare vtile est ingestis priùs cibis varijs, pinguibus, acribus, alijsque in magna copia. Posteà ventriculum fricando, & digitos in fauces immittendo. Quod si non sufficiat; vomitorium exhibendum est, præsertim ex radic. asari, & genistæ decocto conflatum, quæ alioqui in arthritide curanda idonea esse solent.

Illa etiam, quæ per sudores fit euacuatio, sanguinem à serosis excrementis repurgat, & causam arthritidis antecedentem educi. In hunc vsum institui poterit diæta sudorifica vere, & autumno, ex decocto salsæ parillæ, chinæ, sassafras, aut etiam guaiaco, prout ægri temperies suadere videbitur.

At sine sudorum prouocatione, per simplicem diaphoresin materiam morbificam educens decoctum, à recentioribus quibusdam Practicis in vsum reuocatum est cum eximiò fructu. Illius compositio, & vtendi modus talis est.

℞. Rad. salsæ paril. ant imon. erudi, & putam inum nucum ana ʒ. vi. rad. chinę Vnc. j. ligni Brasiliani parum, aquæ ℔. ix. Bulliat ad medias; antimonium & putamina pulueriscntur, & nodulo includantur, qui in olla suspendatur, ne fundum attingat. Colaturæ capiat bonum haustum, manè, tribus horis ante pastum; post meridiem quatuor horis à prandio, & tribus horis post cœnam per xv. dies, præmissa venæ sectione, & purgatione vniuersali.

Ex residentia, cum pari aquæ quantitate, fiat bochetum, ad quartæ partis consumpt. pro potu ordinario, addendo corriandri, & liquir. q. s. ad saporis gratiam.

Ad arthritidem præcauendũ, eiusque radices in visceribus latentes extirpandas, quidam Practici commendant vsum antipodagricorum, per annum integrum exhibitorum, quibus multos in integrum fuisse liberatos pronunciant. Ex multis eorum formulis sequens præcipua est.

℞. Salsę parillæ ʒ. iv. sem. hyperici fol. c hamæp. & chamędr. ana ʒ. iij. aristol. rotund. ʒ. vi. angelicæ ʒ. iij. cinnam. ʒij. caryophyll. ʒ. iv. croci ʒ. ij. Omnia in tenuissimũ puluerem redacta incorporentur cum mellis Hispani cocti q. s. Fiat opiata, qua vtatur æger per annum integrum, sumendo singulis diebus veris, autumni, & hyemis ʒ. j. ß. æstate tantum ʒ. j. & abstineat omnino diebus canicularibus. Vinum bibat valdè dilutum; & abstineat à venere.

Horum antipodagricorum instar forsan esse poterit decoctum chamædryos, quod propterea à Carolo V. Imperatori à Genuensibus Medicis valde commendatum erat; & testatur Solenander, plurimos, qui hoc medicamentum per sexaginta dies bibissent, & penitus fuisse liberatur. Huius decocti compositio talis est,

℞. Chamædryos dum floret, lectæ, & benè asseruatæ M. j. vini mediocris maturi ℔. ij. Coque in duplici vase per hor. quinque. Colati vini capiat æger haustum, corpore ad sudorem composito, præmissa purgatione.

De calidis autem iftius medicamentis hic notandũ; ea non solum calidis naturis non prodesse; sed etiam immedicabiles resolutiones, aut alia incommoda inducere, ideoque summa cum præmeditatione esse exhibenda.

Tutius, & forsam vtilis vsurpari poterit opiata sequens, quæ minus calefaciendo totum corpus sensim, & per epicrasin ab omni superfluitatum illuuie repurgat.

℞. Sennæ mund. ʒ. ß. turbith. hermodact. ana Vnc. vi. ligni guaiaci, sassafras, & rad. salsep. an. ʒ. sem. rad. chinę ʒ. j. sem ligni nephritici ʒ. ij. trium santal. ana ʒ. j. sem. anisi ʒ. ij. mellis optimè depurati ʒ. x iv. Fiat opiata. Dosis Dr. i. per integrum annum, exceptis diebus canicularibus.

Inter vulgares homine quidam pro magno remedio prophylactico habet, vt tres alliorum bulbi integri mane deglutiantur continuando per mensem integrũ. Et enim ventriculum calefaciunt, & roborant, citra hepatis, aliorumque viscerum calefactionem: nam integri cum fæcibus excernuntur, sed cocti, & pituita viscida obuoluit, quam à ventriculo, & intestinis deturbant.

In arthritide biliosa aquæ acidulæ, vitriolatæ, & refrigerantes plurimùm conferunt. Ita vt earum vsu plures ab ea immunes per longum tempus euaserint.

Ad eundem finem laudatur ab Hipp. *lib. de morbis*, vsus lactis asinini, quod etiam pluribus arthriticis multum contulisse experientia docuit.

Ac denique omnia remedia, quæ calidiori hepatis intemperiei corrigendæ, eique visceri roborando idonea sunt, hic etiam conuenire poterunt, pro vt supra in eiusdem intemperiei curatione descripta sunt.

Si verò serosus humor, à cerebro defluens, vt plerumque fit, huic affectui dederit originem; cerebri ratio habenda maximè est: vt nimirùm intemperies illius corrigatur, & humores in eo geniti deriuentur, & discutiantur. Quibus vsibus conuenient cauteria, vesicatoria, errhina, masticatoria, pulueres, cucuphæ, suffitus, aliaque remedia in affectuum cerebri curationibus proposita.

Vltimum

Ultimum præcautionis caput est, vt articuli roborentur, ne tam facilè humorem influentem recipiant. Aduertendum tamen, roborantia medicamenta, non solùm frustrà, sed etiam noxiè vsurpari; nisi materia anteeedēs, & fluxurus humor remedijs prædictis sollicitè auferatur. Alioqui hæc roborantia vel humorem ad articulos influxum impedire nequeunt, vel si impediant, ad partes nobiles refluunt humores isti, & multò grauiora mala concitant.

Inter præcipua roborantia vinacea numeranda sunt, quæ materiæ morbificæ, reliquias discutiunt, calore actuali, & adstringendi vi partes maximè roborant. Duretus in Hollerium ea ita commendat. *Sed mirificè prodest vinaceorum vsus tempore vindemiarum, si vinacea exportentur ex torculari in horreum, & strogulis operta incalescant. In his æger contineat pedes, tibias, crura, aut brachia, vel etiam totum corpus.* Postea verò addit Gallico idiomate; *Ie l'aypratique cent fois, il n'y arien meilleur sous la chappe du Ciel.*

Solenander verò *consil. 21. sect. 4.* hoc remedium sequenti elogio prædicat. *Sed inter optima remedia, & tutissima, quæ partes etiam affectas roborant, ac calorem innatum fouent, hoc ponendum, diligenter singulis annis, cùm amplius fieri nequeat vsurpandum. Videlicet vt tempore vindemiæ immergantur pedes, atque manus affectæ vinaceis, post expressionem calentibus adhuc, vel musto calefactis, manè per dies quindecim. Ac possem nominare virum præstantem, cui hoc medicamentum communicaui, atque ab eo præclaro munere sum donatus, qui plane incedere non poterat, & isto remedio, beneficio Dei restitutus est. Quò autem vuæ maturiores sunt, eò plus adiumenti vinaceorum vsus affert.*

Thermæ sulphureæ, & nitrosæ, quales sunt nostræ Balarucanæ non solum sudores euacuanda, vt antea dictum est, materiam arthritidis discutiunt sed etiam roborando articulos, ad præcautionem non parùm conferre possunt; quemadmodum si per modum embrochę, vel ducię capiti admoueantur. Earundem thermarum lutum partibus infirmis applicatum eas etiam corroborat.

In thermarum defectu lotionem pedum, aut fotus aliarum partium parari poterunt, ex decocto herbarum nerualium, additis quibusdam adstringentibus, vt balaustijs myrtillis, nucibus cupressi, alumine, & sale, cum aqua ferrata, & vino rubro.

Commendantur etiam inunctiones frequenter vsurpata, in hunc modum compositæ.

℞. Ol. myrtini, vel rosacei Unc. ij. salis Drac. Misce, fiat linimentum. Vel

℞. Ol. omphacini Unc. ij. mastichini Vnc. j. salis torrefacti Drac. ij. bolt armen. ʒ. iij. sang. drac. hypocist. thuris mastich. ana Drac. j. fem. Terantur singula per se priùs subtilissimè, tum oleis misceantur in formam vnguenti.

Non parùm etiam vtile est ad articulos roborādos emplastrum diachalciteos, seu diapalma impositum estque vtile in omni arthritide, à quocunque humore ducat originem, scribitque Solenāder *cons. 25. sect. 4.* se nouisse quosdam, qui alias frequenter podagræ paroxysmis tentari consueuerant, vsu huius emplastri continuò, & purgantibus per interualla assūptis, quinquennium integrum ab istis doloribus liberatos fuisse. Atque emplastrum hoc non inquinat non pruritum, aut pustulas excitat, neque odore, aut alia qualitate molestum est; aptatur autem ad formam membri. In pedibus ex aluta tenui fiunt calcei, qui hoc emplastro obducti pedibus aptantur. Eadem aluta emplastro hoc oblita carpis, & alijs partibus applicari potest. At verò idem emplastrum diachalciteos, in vino decoctum, & cum puluere myrtill. rosar. mastiches, tartari, chamæpit, & chamomillæ permixtum, quale supra in curatione descriptum est ad eosdem vsus multò præstantius est. Et nos vidimus arthriticos, qui huiusmodi emplastrum in pedibus, & carpis continuò gestarunt felicissimo successu.

CAPVT II.

De Dolore Ischiadico.

DOlor ischiadicus ab alijs arthritidis speciebus in eo præcipuè differt, quod in his dolor solos articulos occupat; in illo verò non in sola est coxendice, sed etiam summam natem, & lumbos, & os sacrum occupat, & in femur, tibiamq; & extremum pedem exporrigitur. Quod fit propter neruos à lumbis, & osse sacro emergentes, qui ad coxendicem feruntur, & inde ad femur, tibiam, & pedes disseminantur.

Causa huius doloris eadem est, quæ in alijs arthritidis speciebus fuit proposita.

Diagnosis ex loco affecto desumitur, vnde etiam nomen habet: dolor enim præcipuè ischij regionem occupat. Hoc etiam habet peculiare, quòd nullus tumor, nullaque inflammatio, aut coloris mutatio appareat, quemadmodum in alijs arthritidis speciebus fieri solet, quia humores affluentes, in partes profundiores, & ampliores, multaque carne conctetas sese insinuant, & vsque ad corporis superficiem, ipsamque cutem non diffunduntur.

Prognosis doloris ischiadici hoc habet peculiare, quòd diu perseuerans, coxę luxationem inferat: humor enim serosus, & pituitosus in articuli cauitatem, quæ amplissima est sese insinuat, & si diu in ea immoretur pars, illius tenuior discutitur, crassiori remanente, quæ mucosa redditur, & ligamenta, articuli ossa connectentia, emollit, ac relaxat, vt os coxæ, ex alueo suo exeat, vnde luxatio contingit, ex qua etiam claudicatio sequitur; & cruris totius tabes, atque atrophia; quia os è sede sua elapsum musculos, venas, & arterias comprimit, vnde motus impeditur, & sanguis, ac spiritus in parte inferiores commodè fluere non possunt. Prædictam doctrinā confirmant duo Hippoc. Aphorismi, nempè Aph. ʒ9. sect. 6. *Quibus diuturno coxendicum dolore infestatis coxa excedit, rursumque incidit, ijs mucores superuenient.* Et Aphoris. 60. *eiusdem sectionis. Quibus diuturno coxendicum dolore infestatis coxa excidit, ijs crus contabescit, & claudicant, nisi vrantur.*

Curatio doloris ischiadici cum reliquarum arthritidis specierum curatione multa habet communia, in multis tamen differt, propter loci affecti structuram, & amplitudinem; ideò à prædictis distinguenda fuit, & seorsim in hoc capite describenda.

Ac primùm præmisso clystere, aut leui pharmaco, vena brachij eiusdem lateris aperienda est ad reuellendum: postea verò ad deriuandum facari debet in poplite, aut iuxta malleolum exteriorem illa vena, quæ ob insignem vtilitatem, quam affert in hoc affectu ischiadica nominatur; quæ & sæpe sola secta hunc affectum sanat.

In crure dolente secari solet, licet, & in sano apertam admodùm profuisse, subitoque omnem dolorem sustulisse visum fuerit.

Galen. *lib. de venæ sect. cap. 18. Memini*, inquit, *me ischiadas vno die, facta ex cruribus euacuatione, curasse, nempè vbi non ex frigore, sed impletis sanguine, quæ in coxa sunt, venis prouenissent: quare secta in poplite vena illis commodior est quàm in malleolo.*

Ex hæmorrhoidibus etiam sanguis per hirudines eductus, mirum in modum ischiadicis opitulatur, quod sanguis in coxendicum venis contentus educatur: harum enim partium maximus est per venas consensus.

Purgationes fortiores hic locum habent: nam leuiores humores magis ad partem affectam præcipitant. Ideò conueniunt maximè pulu. arthritici, caryocostinum, pilulæ de hermodactylis, & similia. Chymici purgationes mercuriales, & antimoniales in robustis corporibus feliciter aliquando vsurpant.

Mercurius dulcis cum scammonio, vel alijs purgantibus exhibitus satis frequenter humorem ischiadem efficientem potenter eradicat.

Vomitoria à multis præferuntur purgantibus per aluum, cùm per locum à parte affecta remotiorem, humores vitiosos euacuent. Asarum reliquis præfertur à Rondoletio.

Post sufficientem purgationem ad topica veniendum est. Et quidem repellentia quod attinet, illa minime conueniunt, quod metuendum sit, ne humores ad partem affectam magis promoueantur; sed statim initio resoluentia admouenda sunt: primò mitiora, & minus calida, ne magis humores ad partem attrahant; posteà vehementiora, in hunc modum.

℞. Rad. bryoniæ ℔. ij. rad. ebuli ℔. j. baccarum iuniperi ℔. ß. fol. iuæ arthriticæ menthæ, maior. saluiæ, rorismarini, flor. chamom. meliloti, ana M. iv. Fiat decoctio pro semicupio, quod ingrediatur bis in die per biduum, aut triduum. In principio parari poterit decoctum ex aqua sola, postea ex aqua, & vino albo.

Ex eodem, aut simili decocto potest foueri pars dolens calidè frequenter.

Sacculi etiam parari poterunt ex sale, milio, & furfure frixis

frixis in sartagine cum vino generoso, & calidè applicari.

Uel componi etiam poterunt sacculi efficaces, ex solis granis iuniperi contusis, & prædicto modò in sartagine calefactis.

Inunctiones etiam conuenient ex ol. chamom. aneth. lilior. irino, nardino, & rutac. quæ partes exteriores relaxando, motum humorum ad eas conciliabunt, vt sic internæ minùs afficiantur.

Oleum scorpionum Matthioli inunctum est etiam valdè efficax.

Ad potentiùs resoluendum aqua balsami Guidonis, inunctione admota, erit præstantissima.

Vnguentum de althæa partes exteriores laxat, & materiam morbificam blandè discutit; ideò circa initia eo inungi poterit totum crus, & tibia vsque ad extremum pedem iuxta ignem luculentur.

In progressu verò sequens potentius, & calidius admoueri poterit.

℞. Ol. lumbric. de lateribus, & de terebinth. ana ℥. ij. ol. vulpini Unc. j. gummi ammoniac. & sagapeni aqua vitæ solutor. ana Drach. vj. castorei pinguis Drac. iij. euphorbij Drach. ij. ceræ q. s. Fiat vnguentum.

Sapo durus cum spiritu vini dissolutus; optimus, inunctione facta ad ignem.

Oleum de lateribus solum, post sex cucurbitulas pari dolenti, & in ambitu eius admotas calidè impositum postea tegendo linteis valdè calidis, contumacem dolorem ischiadicum vna die curauit.

Lacnna *Comment. in Dioscorid.* vnguentum sequens tanquam mirabile commendat.

℞. Succor. rad. & fol. ebuli, ana ℥. j. olei chamom. ℥. vj. Bulliant ad succor. consumptionem, Deinde adde ceræ q. s. aceti guttulas aliquot ad penetrationem. Fiat vnguentum.

Cataplasma ex iberide multùm laudatur ab Authoribus, quòd hæc planta huic affectui curando si valde efficax. Id componi poterit in hunc modum.

℞. Iberidis M. iv. Decoquantur in vino, & contundantur, addendo farinæ lupinor. orobi, & fabar. ana ʒ. iij. pulueris rutæ ficcæ. flor. chamæm. & rad. costi, an. Drac. j. ol. terebinth. ℥. sem. ol. lumbric. q. s. Fiat cataplasma.

Platerus plurimùm prodesse testatur, si saluia recens in tegulam cauam ignitam, posita, sæpeque ne aduratur, agitata, & hoc modo semicocta, aceto perfundantur, regulaque linteis obuoluta sub ægri coxa ponatur, vaporque inde excitatus excipiatur.

Non parùm etiam conducit panis recenter è furno extractus, valdè calens, per medium fectus, aqua vitæ irroratus, & admotus.

Ad materiam morbificam foras extrahendam conuenit cucurbitula, in summa parte doloris, quæ ad os sacrum pertinet, quater repetita sine scarificatione.

Ad idem valde conferunt hirudines octo, vel decem parti affixæ, quæ à Paulo, & Aureliano probantur. Et Zacutus Lusitanus se decem horarum spatio dolorem ischidicum fustulisse asserit, qui omnibus alijs remedijs auferri non potuerat.

Emplastra verò in frequentissimo vsu sunt, & hac in re plurimum prosunt. In eorum tamen vsu hoc perpetuò obseruandum, quemadmodum de alijs in genere dictum est; vt primò mitiora admoueantur: quæ si parum profuerint, ad vehementiora transcendere poterimus. Quem etiam ordinem nos in eorum formulis describendis obseruabimus.

℞. Picis naualis vnc. ij. sulphur. commun. subtilissimè triti drach. iij. mastiches drach. ij. terebinth. vnc. ß. Misce, fiat emplastr.

℞. Picis naualis vnc. ij. gummi ammoniac. bdellij in aceto dissolut. an. vnc. j. sulphuris viui, turbith. hermodact. an. Vnc. sem. castorei Drach. j. terebinth. parum ceræ q. s. Fiat emplastrum.

℞. Gummi ammoniaci, & sagapeni in aceto dissol. & denuo inspissat. ana vnc. ij. empl. diachylon-cum gummis vnc. j. ß. Liquefiant omnia simul. Deinde adde cinnabaris, & æris vsti, ana Unc. j. auripigmenti, & viridis æris, an. dr. ij. Fiat massa emplastri, Si veticæ excitentur, ponatur linteum inter partem, & emplastrum.

Si malum pertinaciter hæreat, ad vesicatorium transeundum est, quod parti admotum materiam morbificam euellit. Emplastrum igitur vesicatorium applicandum est, vel solùm, vel vt mitiùs agatur, cùm aliquo ex prædictis; æquis partibus permixtum: sic enim per longius tempus in parte poterit detineri. Vel sequens de nouo dispensari poterit.

℞. Picis naualis, ceræ, picis albæ, ana Vnc. j. sem. colophoniæ, thuris, mastiches, an. ʒ. ij. euphorbij, ladani, sulphuris viui, opopan. ammoniac. bdelij, galbani, sagapeni, an. vnc. ß. styrac. calamit. benioin. ana dr. ij. cantharid. drac. iij. galangæ, caryophyll. an. dr. ij. styrac. liquid. q. s. Fiat emplastrum.

In diuturno affectu caustico tibiæ lateris dolentis materiam morbificam deriuat, & morbum interdum tollit. Zechius admonèdum esse vult parti tibiæ exteriori. Si verò suspicio fuerit catarrhi à cerebro defluentis, alterum etiam occipiti admouendum est. In enim aliquando ischiadum dolorem antiquum curauit, qui nullis alijs remedijs cerebri intemperiem corrigentia non erunt omittenda.

Zacutus Lusitanus cauterium retrò aures inustum, quando fluxio à capite irruit, cum miro successu in vsum se vocasse asserit, & peculiari historia confirmat. *obser.* 170. *lib.* 2.

Toto curationis decursu clysteres frequentes injciendi sunt vt materiæ morbificæ portio ad intestina deriuetur. Tù etiam ad doloris causam proximam discutiendam sequens aliquando profuit.

℞. Vini generosi ℔. sem. ol. nucum, & rutac. an. vnc. ʒ. ol. terebinth. Unc. sem. Misce, fiat clyster, injciendus quoties dolor vrget.

Clyster verò sequens humores à parte affecta potenter extrahit propter viciniam, quam habet cum intestinis.

℞. Pulpæ colocynth. Drach. j. furfuris macri M. j. vini albi ℔. j. sem. Coquantur ad ℔. j. Ex colatura fiat clyster, qui seruetur per horam.

Dolor ischiadicus interdum à bile, & humoribus calidis, generatur, qui quidem dignoscitur, cum dolor est acerbissimus, & pungitiuo similis, exacerbationes alternis diebus læuiores efficiuntur, habitus est gracilis, temperamentum biliosum, ætas iuuenilis, regio, & tempestas calida, dolor à calefacientibus exacerbatur, morbi præcesserunt biliosi, victus calefaciens, exercitatio vehemens tunc enim ad bilem, & calidam intemperiem remedia dirigi debent. Ideò conuenient venæ sectio, purgationes cholagogæ, nunc lenientes, nunc etiam vehementer purgantes, additis diagrydiatis, vt materia morbifica educatur, iulepi refrigerantes, clysteres mollientes, & refrigerantes, lac, aliaque remedia, in calida hepatis intemperie proposita. Hoc perpetuò cauentes, vt aperientia vitentur, incrassantia potiùs eligantur, qualia in catarrho calido, & tenui proposita fuerunt.

Dolore acerbiori existente, narcotica exhiberi possunt, præsertim syrupus de papauere, quo dolor sedatur, & fluxio cohibetur, humoris incrassatione.

At longe potentius operatur laudanum opiatum ad gr. (ii.) iij. vel iv. exhibitum; quod etiam in clystere ex iusculo vel lacte dissolutum, præmisso alio laxante, dolorem sæpè in momento sedat.

Topica erunt mitioni, vt ol. lilior. violac. chamæmel. & amygd. dulcium cataplasmata ex lactuca, solano, endiuia, farina hordei, cum oleis prædictis; & circa declinationem fomenta linimenta, emplastra mitiora, & minùs calefacientia.

Materia dolorem ischiadicum efficiens aliquando suppuratur, & in abscessum conuertitur, quod docuit Hipp. 3. *epid. in historia Eupolemi*, qui talem abscessum passus est, & ex eo tabidus interit. Si abscessus aperiatur, vlcus remanet sordidum, & cacoethes, quod etiam ad tabem perducit. Eam tamen cum vlcere curatam sæpè à se fuisse gloriatur Zacutus Lusitanus, *obseruat.* 126. *lib.* 1. decocto ligni sancti, & radicis salsæ parillæ. Quæ obseruatio legenda. & seduò meditanda est.

CAPVT III.

De Rheumatismo.

POst arthriticos affectus, propriè dictos, de Rheumatismo agere operæ pretium est, propter magnam analogiam, quæ inter hosce affectus intercedit: quæ sanè tanta est, vulgus medicorum, qui Rheumatismi naturam ignorant, cum arthritidem vniuersalem nominare soleant. In vtroque enim affectu dolor articulorum reperitur; sed in hoc differunt, quòd in arthritide soli articuli dolcant, in Rheumatismo verò non solùm articuli, sed etiam totum corpus, media scilicet inter articulis spatio, musculi nimirum, eorumque membranæ, ac præsertim periostia, totusque corporis habitus: imò verò interdum corporis,

partes

partes internæ, vt ventriculus, intestina, vterus, pulmo, rheumaticos affectus experiuntur,

Licet autē catarrhus rheumatis nomine donetur apud Græcos; differt tamē ab eo rheumatismus, quia in genere quidem fluxionis est, sed alterius naturæ ab ea fluxione, quæ vulgò catarrhus nominatur, qui quidem à cerebro tantùm exoritur, & vnam, aut alteram solummodo partem infestat; cum rheumatismus ab internis visceribus, tum venis, & arterijs procedat, & in corpus vniuersum effundatur,

Hic affectus, morbus nouus non est, attamen à veteribus non est sufficienter descriptus. Illius delineatio habetur apud Hippoc. *lib. de loc. in homine*, apud Galen. 1. *de differ. febr. & 1. de compositi. med. secundum genera*. Sed omnium maximè insignis, ac perspicuus locus hunc affectum explicans *in lib. 1. de differ. febr. cap. 7.* continetur, his verbis: *Huiusmodi quapiam ratione prouenire scito rheumaticos nominatos affectus, toto videlicet corpore infirmo, principibus verò illius partibus, paululùm licet misit sanguinis grauari tamen solitis, eumque ad carneas cutis partes protrudentibus.* Vnde legitimam rheumaticæ affectionis naturam in eo sitam esse constat, iuxta Galeni doctrinam, quòd corpus vniuersum ea impotentia sit affectum, vt vbi principem eius partem aliquo sanguine grauari contigerit, licet non sit in copia plurimùm excedens, ad carnosas partes, & habitum transmittat.

Illud autem crudè, & simpliciter admitti non potest, quòd dicitur à Galeno, partes principes, sanguine grauatas, eum ad carneas cutis partes mittere. Inde enim inflammationes, & tumores in illis partibus exorirentur. At constat experientia in rheumatismo nullum tumorem, nullam inflammationem, nullamque coloris mutationem in partibus dolentibus vt plurimùm apparere,

Causa igitur proxima, & immediata huius affectus est humor serosus, qui propter tenuitatem partes in tumorem non eleuat, & propter substantiam minimè suppurationi idoneam nullum vnquam abscessum producit, sed tantùm dispositionem quandam inflammatoriam ex seri feruore oriundum.

Origo autem primaria huius affectus hepati adscribenda est, quod feruida intemperie affectum, atque debiliùs redditum alimentum non satis nutritioni conueniens generat, & totum corpus pari imbecillitate afficit, vt ita superfluitatum receptioni reddatur maximè idoneum. Ex eadem verò hepatis intemperie, ac imbecillitate multus fit prauorum humorum prouentus, qui in venis, & arterijs diutiùs retenti prauam quandam acquirunt corruptelam, ibiq; colliquantur, & in seri, atque ichorum naturam abeunt, & tanquam onus graue expelluntur à natura ad partes ignobiliores; cùm satis robusta non sit, vt eos extra corpus omninò eliminare valeat. Illi autem humores serosi, & ichorosi, summa acrimonia præditi partes, ad quas deducuntur, lancinant, & pungunt, vnde dolores, & cruciatus oriuntur. Licet autem hepar primariam huius affectus originem præseferre à nobis censeatur; à cerebro tamen humores istos interdum immediatè defluere ex eo patet, quòd sæpè dolores in ceruice incipiant postmodum verò ad humores, & brachia descendant. Verùm prima humorum acrium generatio fuit in hepate feruidiori, qui ad cerebrum translati confluunt postmodum in subiectas partes.

Quamuis autē modo veluti critico humores isti à venis expellantur; motus tamen eorum non est ita subitus, sed lentè, & paulatim efficitur: cum nempe humores illi praui, & corrupti in venis feruent, & ebulliunt, ac postmodùm à venis sēsim expelluntur, ac veluti euomuntur, vnde nautiosis venarum, satis appositè, motus iste appellari solet.

Humorem autem serosum esse causam precipuam horum dolorum, multiplici ratione conuincitur. Primo, quòd nullam coloris mutationem, nullumque tumorem vt plurimùm partibus inducit; licet aliquando, cùm humor valdè copiosus est, in exiguum, ac prærubrum tumorem partem eleuet, qui tamen facilè discutitur. Secundò, quòd dolores isti admodùm mobiles sint, & nunc hanc, nunc illam partem inuadāt, & ab vno loco in alium subitò mutentur, priori subitò immuni reddito, ac dolore omninò vacuo: quæ repentinæ mutationes non nisi ab humore mobili, summaque tenuitate prædito fieri possunt. Tertiò, quòd sudoribus sæpè morbus iste terminetur. Quartò, quia pleonexiæ serosæ multa in hisce ægrotantibus apparent indicia; nempè vrinæ tenues, ac copiosæ, potus quantitatem excedentes, & magna seri copia in sanguine detracto apparens.

Licet autem serosus humor sit causa præcipua, & frequentissima dolorum, qui in Rheamatismo contingūt; non est tamen à ratione alienum, flatus aliquando concurrere ad eorū productionē. Cuius rei coniecturam facere potest subito doloris permutatio de loco in locū, & quòd non sit pondus, aut grauitas in partibus dolentibus. Hæc est Auicennæ sententia qui hunc affectum describere videtur, illiusq; generationem flatibus tribuere. *fen. 1. lib. 3. tract. 2. cap. 7.* his verbis. *In dolore facto ex flatibus extensio augetur, & grauitas minuitur: & aliquando est cum punctione, quandoque etiam cum corrosione, & inflatuoso dolore quidem grauitas nullo est. Et quandoque etiam cum ipso fit permutatio doloris frequens de loco ad locum.* Hæc Auicenna: quibus sequentia subiungit, quæ ad rheumatismi descriptionem propriùs accedere videntur. *Et flatus est quandoque in tunicis membrorum, & vilis, sicut in colica flatuosa; aut in tunicis musculorum, & sub membranis & super ossa: aut in circuitu musculorum, inter carnem mollem, & cutem: aut ipso membro latitans, vt in musculis in pectore.*

Si quis verò obijciat, morbos à flatibus oriundos non tamdiu durare, cùm flatus facilè discutiantur; Respondebimus, flatum in partibus dolentibus contentum facilè discuti, vnde frequens dolorum permutatio contingit; sed mineram adesse in venis, ex qua fieri potest continua flatuum eleuatio, qui postmodum ad partes prædictas deferuntur. Minera autem flatibus generandis idonea est humor crassus, viscidus, & pituitosus, quem in rheumatismo laborantibus sępissimè redundare ostendit sanguis ipsis detractus, qui non rarò crassus, & glutinosus est, pituitam crudam, & putridam referens.

Diagnosis huius affectus ex ijs, quæ dicta sunt, facilè elici potest: paulò vberius tamē explicanda est. Primò igitur partes doloribus afflictę, nempe musculi, eorumque membranę, & periostia hunc affectum à reliquis omnibus distinguunt. Licet enim dolores venerei artus, & internodia occupent, & maximè periostia, differunt tamen in eo, quòd non adeò vniuersaliter corpus totum infestent, neque tam continui sint, noctu tantum, & parum interdiu excruciantes, neque vt plurimum à consuetis officijs ægrotantes auertunt: cum rheumatismus ipsos lecto penitus affigat, vt sese vix commouere valeant, neque à ministris, nisi cum maxima molestia, & dolorum exacerbatione, moueantur. Ac denique alia luis venereæ signa adsunt, vel præcesserunt, vt gonorrhœa, bubo venereus, caries pudendi, & similia.

Alia etiam symptomata, hunc affectum concomitantia, ad illius diagnosin plurimùm conferre possunt. Admota enim manu partibus dolentibus, caloris, & acrimoniæ sensus percipitur, febris vt plurimùm adest, est perexigua, interdum verò nulla. Sanguis, qui detrahitur plane corruptus est, crassus, & glutinosus, tū post multas phlebotomias sero copioso diffluit, ita tamen mutatus, vt sanguinis speciem amiserit. Postquā cessauit, vel intermisit dolor, nulla remanet imbecillitas in parte, vt in arthritide contingit. Purgantia medicamenta, & topica, ab initio vsurpata, nihil prosunt: imo morbum, & dolorem augent: in declinatione verò vtraque sunt proficua.

Quod ad prognosin attinet; affectus iste rarò, aut numquam vitæ periculum infert, sed longitudine sua magnam parit molestiam: ad duos enim, vel tres menses perseuerat, si sit sine febre: imò verò interdum, præcipuè si non rectè curetur, ad annum, vel plures annos extenditur. Franciscus Portus, qui eleganti carmine decadem medicam scripsit, agens de rheumatismo, refert seipsum per biennium ferè hunc morbum expertum esse, quem tandem superauit adnitentibus sex Medicis Parisiensibus, illiustemporis illustrioribus, Basino, Ellino, Belliquerco, Saniacobæo, Seguino, Hollerio.

Si cum febre rheumatismus oriatur, breuior esse solet, sed diris cruciatibus, & acerbioribus ægrum exercet, & tunc intra 20. vel 40. dies soluitur, aut maximam saltem patitur imminutionem.

Rheumatismus alijs morbis superueniens, vt apoplexiæ, & conuulsioni, periculum imminuit: translata materia morbifica à partibus internis ad habitum corporis.

Sudores in declinatione morbi aduenientes, salutares.

Vrinæ crassæ & multę, in declinatione prodeuntes morbi solutionem afferunt.

Ad curationem huius affectus, materia morbifica reuellenda, mitiganda, & euacuanda est, viscerum intemperies corrigenda, omniumque partium, tam mandantium, quàm

quàm recipientium robur conseruandum est.

Quæ omnia sequentibus remedijs præstari poterunt.

℞. Fol. maluæ, violar. betæ, lactuc. borrag. ana, M. j. semin. anis. ℥. ij. Coquantur ad quart. v. In colatura dissolue mellis violac. & butyri recent. ana ℥. ij. Fiat clyster, incijciendus hora commoda, & iterandus singulis, vel ternis diebus per integrum morbi decursum.

Reiecto clystere, vena aperienda est alterutrius brachij, & detrahendæ sanguinis vnc. viij. vel ix. Non refert, ex quo brachio sanguis primùm detrahatur, quandoquidem pluries iteranda est phlebotomia, atque adeò vtriusque brachij venę sępiùs erunt pertundendæ. Singulis igitur diebus ab initio sanguis detrahendus est, donec morbus remiserit, & dolore imminuti fuerint. Nec refert si per 10. 12. aut etiam plures dies sanguis detrahatur, quandoquidem iste morbus hoc habet peculiare, vt ex frequenti venæ sectione vires non deijciantur, sicut in alijs morbis solet contigere. Jdeoque mihi in vsu est in huiusmodi affectionibus dum venæ sectionem adeò frequentem præscribo, ne ægrotantes, vel adstantes terreantur à toties repetita phlebotomia; hanc restrictionem addere, vt continuetur singulis diebus missio sanguinis, donec imminuti fuerint dolores, aut vires multùm debilitatæ. Cùm autem huius euacuationis vsum continuando, virium deiectio inde non emergat, eam ægrotantes liberè patiuntur eiusq; frequenti iterationi facilè assensum prębent. Facilè autem illam tolerantiam facit sanguinis conditio, qui in hoc morbo admodùm putridus semper educitur. Copiosæ huius sanguinis euacuationis vtilitatem ostendit experientia; si quidem ex ea sedulò continuata morbus, qui longus esse consueuit, vt in prognosi dictum est, intra satis breue spatium non rarò euincitur. Et docet eadem experientia, hęmorrhagiam largam huic morbo superuenientem eum omninò resoluere. Hoc subinuere visus est Hip. *Aph. 74. sect. 4. Quibus speratur abscessus futurus ad articulos, eos liberat ab abscessu vrina multa crassa, & alba, qualis in laborioſis febribus quarto die quibusdam incipit fieri, si verò etiam ex naribus fluxerit sanguis, breui admodùm solutio fit.* Humorum enim decubitus, qui ad articulos fiũt, cum rheumatismo quandam habent analogiam. Tum etiam idem Hippocrates quandam rheumatismi adumbrationem proponere videtur 2. *Prorrhet.* Illiusque generationem suppressæ hęmorrhagiæ consuetæ adscribit, his verbis. *Quibus circa articulos dolores fiunt, & tumores, & sedantur non podragico modo in ijs comperies viscera magna, & in vrina subsidentiam albam,* & quæ sequuntur posteà addit: *Fit autem hic morbus ijs, quibus in pueritia, & iuuentute sanguis ex naribus fluere solitus, desit.*

Dum phlebotomia celebrantur, clysteres (vt antea dictum est,) singulis vel alternis diebus vsurpandi, tum etiam iulepi exhibendi, qui viscerum intemperiem corrigere, & humorum acrimoniam, atque agitationem cohibere valent. Huic vsui maximè conducit aqua papaueris rhœados, quę cum valdè proficua sit in hoc affectu, sola exhibenda est manè, serò ad Vnc. 6. cum syrupo de limonib. vel granator. ad formam iulepi; quamquam sine syrupo non minoris sit efficaciæ.

Pro potu ordinario ptisana ex hordeo, gramine, & liquiritia, vel decocto rad. acetosæ, vel tinctura rosarum vsurpari poterit: à vino prorsus abstinendo, quod omnium fluxionum vehiculum est maximum.

Purgatio in huius affectus principio, augmento, & statu nullum affert auxilium; imò verò noxia est: fluxiones enim irritat, & dolores intendit, quemadmodum in omnibus inflammatorijs dispositionibus euenire solet. Ac in declinatione necessaria est, & multories celebranda, idque blandis medicamentis, vt per epicrasin cacochymia in vniuerso corpore restagnans educatur. Ad hunc finem potio sequens præscribi poterit.

℞. Sennæ mundat. & tamarind. ana ℥. ß. sem. anis. & cremor. tart. ℥. j. fol. acetos. M. ß. Coquantur ad ℥. iij. In colatura dissolue mannæ, & syrup. rosac. an. ℥. j. Fiat potio per interualla iteranda, pro arbitrio Medici curantis.

Si forma boli magis arrideat, ita componi poterit.

℞. Cassiæ recenter extractæ ℥. vj. cathol. duplic. ℥. iij. rhabarb. puluer. & cremoris tart. ana ℥. j. Cum saccharo fiat bolus.

Si efficaciùs purgare desideres; adde bolo, vel potioni rad. ialap. ℈. j.

Si purgationes istæ non sufficiant, ad effectum (sæpè admodum contumacem) prorsus eradicandum; ad vehementiora purgantia, vt electuar. diaphœnic. diaprun. solut. & alia huiusmodi confugiendum erit, modò febris absit. Ego semper hunc affectum sustuli, postquam prædicta remedia rem absoluere nequiuerant, Mercurio dulci sexies sublimato, aliquoties exhibito ad gr. xx. cum scammonij, vel resinæ ialappæ gr. x. Cuius curationis exemplum videre est in obseruationibus meis, nempè *obseru. 41. cent. 3.* & vnicus clyster ex vino emetico paratus hunc affectum curauit in nobili muliere, vt habetur *obseru. 22. eiusdem centur.*

De sudorificis idem dicendum est, quod de purgantibus iam dictum: ea nimirum in principio, augmento, & statu non esse proficua, imò verò plurimum nocere, quod vulgares Medici experiuntur, qui veri catarrhi specie delusi, & morbi contumaciæ pertæsi, ad sudorifica confugiunt, vnde morbus geminatur, & dolores intenduntur. Attamen in declinatione, post debitas purgationes, nulla febre præsente, plurimum conferre possunt: eaque parari possunt ex decocto chinæ, vel salsæ parillæ: vel prolici possunt sudores in laconico cum vapore spiritus vini, aut decocti alicuius appropriati.

Post sufficientes euacuationes; imò dum illæ celebrantur, partium principium, & totius corporis roborationi incumbendum est, quam indicationem Galen. 1. *de differ. nt. febr. cap 6.* vbi rheumaticam affectionem exponit, reliquis præferendam asserit, his verbis: *Merito ergo in his curandis scopus est, non euacuatio, sed totius corporis roboratio.* Quodquidem ita intelligendum est, non quod nulla omnino competat euacuatio, (id enim Galenus huius affectus curatione orditur à missione sanguinis, ac si excrementa prauam qualitatem habuerint, etiam adhibet purgationem,) quod magis, & frequentis roborantibus; minus verò, & parciùs purgantibus agendum sit. Certum tamen est, partes non posse roborari, nisi prius excrementorum illuuies, qua onerantur, expurgata fuerit.

Illa autem roborantia refrigerandi vt prædita esse debent, siquidem (vt antea dictum est,) feruida hepatis intemperies primam huic morbo originem præbere solet. Horum maxima suppellex apud Authores inuenitur. Ex his nos quatuor proponemus quę efficaciora, & minus ingrata existimauimus.

Primum extinctura corallorum, cuius ℥. ij. æger sumere poterit, manè, duabus horis ante pastum, singulis diebus, vacuis ab aliorum remediorum vsu.

Quia verò tinctura corallorum diu seruari nequit ad vsum longiorem in syrupum reducitur cum saccharo; cuius cochlearia duo manè sumi poterunt, sed multo minor est illius efficacia, quam tincturæ simplicis.

Secundum est conserua fructus cynorrodi, quæ gustui gratissima est, hepar refrigerat, & leui adstrictione corroborat. Hanc sumere potest æger ad nucis magnitudinem, manè, & serò.

Tertium est electuarium triasantali quadruplicato rheo, in tabellas redactum, cuius ℥ ij. singulis diebus sumi poterunt, superbibendo parum aquæ potus ordinarij.

Quartum est tinctura rosarum, cuius cyathum vnum æger haurire debet semel, bis, ter, in die, longè à pastu. Illius præparatio talis est.

℞. Rosar. rubrar. siccar. ℥. j. aquæ tepidæ ℔. iij. spiritus sulphur. aut vitriol. ℥ j. ß. Infundantur per horas vj. Colaturæ adde sacchar. albi ℔. ß. seruetur in vase vitreo ad vsum.

Prædicta remedia, vel eorum nonnulla alternatim vsurpabuntur, ne natura eisdem assuescat.

Curato affectu, prophylaxis ad aliquod tempus est necessaria, ne noua accumulata materia recidiua contingat. Illa igitur præcipuè versabitur in purgatione periodica, semel aut bis in mense iteranda, quod commodè fiet syrupo magistrali sequenti, qui magis alterando, & roborando hepar, quam purgando proderit.

℞. Succor. recenter expressor. & per residentiam purat. ex foliis endiu. cichor. agrimon. fumar. lupul. & blugoss. ℔. iij. succi pomorum redolentium recenter express. & depur. ℔. ij. sennæ ℥ vj. apithym. ℥. ij. rhabarb. elect. & agaric. recenter trochisc. ana ℥ j. macis, & caryophyll. ana ℈ ß. infundantur, & decoquantur, vt artis est, donec colaturæ supersint quart. v. in quibus dissolue sacchari albi quart. v. Fiat syrupus perfectè coctus, de quo capiat ℥. ij. semel aut bis in mense, cum iusculo pulli, aut vituli, foliis borrag. pimpinell. ceterach. & agrimon. alterato.

Venæ sectio etiam vere, & autumno erit conuenientissima.

Præ-

Prætereà ad hepatis feruorem temperandum vtilissimum erit balneum aquæ tepidæ, quod per totam æstatem frequenter erit iterandum: vel vt commodius vsurpari valeat, semicupium sufficiet.

In eundem finem conferua cynorrhodi, aut opiata ijsdem facultatibus prædita, & tabellæ triasantali, frequenter vsurpari poterunt.

His accedet optima victus ratio ex cibis boni succi, & concoctu facilibus, vt perdicibus, capis, pullis gallinaceis, & pipionibus; præcipuè vero iusculis, & consummatis, iuribus carnium expressis, & similibus, quæ omnia sumenda sunt in mediocri quantitate, vt facilius concoqui valeant.

PRAXEOS MEDICAE

LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

DE FEBRIBVS.

PRÆFATIO.

MAGNA à non paucis Authoribus circa febrium theoriam, & therapiam volumina conscripta inueniuntur, in quibus controuersiæ innumeræ, & arduæ disputationes agitantur. Quæ, vt in scholis vtilissimæ sunt, imò, & necessariæ; ita plerisque Medicis, extra Academias artem exercentibus, tædium pariunt. Illi siquidem breuem, atque dilucidam morborum theoriam expetunt, quæ eorum naturæ, causis, & signis tam diagnosticis, quam prognosticis intelligendis, & curationi (cui toti incumbunt) ritè obeundæ sufficiat. Nos in toto hoc opere, votis eorum satisfacere conantes omnes controuersias, ablegauimus, earum tantùm, quæ ad praxin maximè necessariæ vitæ sunt, decisiones breuiter exponentes. Quod etiam in febrium expositione obseruauimus: & prætermissis omnibus controuersiarum ambagibus, quæ in scholis ad nauseam continuò tractantur, ea tantùm, quæ ad praxin maximè faciunt exposuimus. Hunc verò Libri clarioris doctrinæ gratia in tres sectiones distribuimus, generalem illam diuisionem sequentes, qua febres diuiduntur in simplices, putridas, & pestilentes. Atque adeò huius Libri Sectio prima, febrium simplicium. Secunda putridarum; Tertia verò pestilentium explicationē continebit.

SECTIO PRIMA.

De Febribus Simplicibus.

PRÆFATIO.

FEBRIS, quæ simplex nominatur, in tres species diuiditur, quarum alia dicitur ephemera; alia synochus simplex, seu imputris, alia verò hectica. Ideò huius sectionis tria erunt capita. Primum febris ephemeræ. Secundum synochi simplicis. Tertium, hecticæ naturam, & curationem explicabit.

CAPVT I.

De Febre Ephemera.

FEbris ephemera plerumque generatur à causis externis, & corporis animique motibus vehementibus, vt ira, curis, labore dolore, vigilia & inedia, quibus spiritus inflammantur. Itē somno, & mœrore, quibus humores, & vapores calidi intus coercentur. Item calefactione, à Sole, igne, hypocausto, quibus feruidus aer, inspiratione attractus, & per insensiles poros admissus, spiritus inflammat. Item crapula, & præsertim cibo, potuque calidiori, magna copia sumpto, vt piperatis, & vino generoso, quibus vapores suscitantur plures, quàm exhalare queant. Item excrementorum calidorum retentione, non solùm fæcum, & vrinæ; sed præcipuè fuliginum, quæ per habitum excludi solent, si pori insensiles claudantur à frigore, balneo aluminoso, & similibus

A causis etiā internis generatur febris ephemera, vt bubone, aliisque crurum, aut brachiorum tumoribus, præcipuè dū suppurantur; extremitatum erysipelate, quando materia calido loco conclusa, non sua putredine, sed tantùm qualitate cor afficit. Item vasorum obstructione leui, qua fuligines retentæ febrem accedunt; vt in destillationibus solet fieri, dum illæ in calidis naturis, aut densiori corporis habitu contingunt. Hanc febrem significant, tum ex enumeratis causa aliqua præcessa; tum pulsus celer, frequens, magnus respiratio etiam magna, & frequens, capitis dolor; frigoris, & humoris absentia, necnon lassitudinis spontaneę, aut inappetentiæ. Aliquando tamen rigor, aut horror adesse potest in ijs videlicèt, quę à Solis ardore, vel frigore initium habent. Calor etiam adest tangentibus suauis, ac blandus, vrina concocta, naturali similis, nisi ab obstructione, vel cruditate immutetur. Intra 24. horas plerumque solet terminari, cum molli sudore, licet aliquando ad tertium diem extendatur: quem si transgrediatur, in synochum simplicem, aut putridam, vel hecticam degenerat.

Ad illius curationem antiqui maximè vtebantur balneo aquæ tepidæ, cuius etiam in statu sano vsus erat frequentissimus. Sed cum nostris temporibus abierit in desuetudinem, in huiusmodi febre etiam obsoleuit, & minimè tutus habetur, propter plethoram, cacochymiam, putredinem, aut fluxionem, quæ in talibus corporibus possunt existere, aut timeri, ne accidant. Sed potiùs curatur huiusmodi febris victu refrigerante, & humectante, vt cremore hordei, iusculis refrigerantibus, potu hydrosacchari, ptisanæ vulgaris, aut aquæ fontanæ, cùm syrupo limon. aut capill. ven. permixto.

At verò pro causarum varietate curatio aliquantulum varianda est. Sicque ephemeræ ab æstu, vel Solis ardore, competit victus refrigerans: translatio ægri in locum frigidiorem, & oxyrrodinum fronti, sinciputi, & temporibus admotum, si dolor adfuerit, qui ab insolatu vt plurimum generari solet.

Si à frigore producatur, præsertim cum æger ab exercitio æstuans in aerem frigidiorem repentè sese contulit; sudor prouocandus est, maximè in fine accessionis.

Si à cutis densitate, & pororum occlusione; eadem debetur curatio, & vtrique huic causæ vinum oligophorum valdè dilutum concedendum est, quia meatus aperit, & sudoris prouocationem adiuuat.

Si à labore duxerit originem; quies imperanda est, & victus vberior, ac concoctu facilis concedendus. Si à lassitudine, frictiones celebrandæ. Iræ, animi tranquillitas, & hilaritas opponenda est, bilisque frænanda cibo, & potu refrigerante. Tristitiæ eadem animi recreatio conuenit, & vini tenuis vsus. Si à vigilijs febris duxerit originem; somnus erit conciliandus. Si ab inedia; victus euchymus, & refrigerans instituendus. Si à crapula vel cruditate, inedia, & cibi abstinentia conferet, non omissis stomachum roborantibus sumptis, & admotis: nec non clystere molliente, & laxante cruditatis portio erit auferenda. Si corruptio metuatur; vomitus proritandus est, vel purgatio instituenda. Si fiat ab obstructione; aduertendum est, num plethora, vel cacochymia redundet: hisque phlebotomia, aut purgatio

gatio decernenda est. Et si obstructio facile non resoluatur in alias febres morbus degenerat, quarum curationes suis locis erunt describendæ.

CAPVT II.

De *Synocho Simplici.*

CAusæ emphemeram excitantes, si incidant in corpus plethoricum, & denso habitu præditum, febrem synochum inducunt. Solus tamen sanguis abundans, venas infarciens, pluresque vapores producens, quàm expirare valeant, hanc febrem producere potis est.

Hanc significant corporis habitus crassus, tumidus; color corporis, & facies rubicundus; capitis dolor tensiuus: somnolentia, pulsatio temporum, inquietudo, pectoris angustia, respiratio difficilis, & frequens; pulsus magnus, æqualis, frequens, plenus; venæ sanguine turgidæ, vnde lassitudo tensiua oritur; vrina crassa, colore à naturali parum recedens, sed paulò rubicundior: calor ad tactum mitis, halituosus vapore perfusus, febris æqualiter procedit: nempè vel in eodem tenore persistit; vel decrescit paulatim, vel crescit æqualiter, non per intervalla remittit. Vnde tres illius petuntur differentiæ. Quæ enim continuò augetur; epacmastica: quæ continuò decrescit; paracmastica: quæ eundem tenorem seruat; homotonos, seu acmastica nominatur. Ad quartum diem extenditur, & aliquando ad septimum: tum hæmorrhagia, vel sudore terminatur, ac si vlterius protrahatur, in synochum putridam degenerat.

Illius curatio sanguinis euacuatione, refrigeratione, & meatum apertione perficitur. Galen. *9. meth. cap.* 4. duobus remedijs eam absoluit, missione sanguinis ad animi deliquium, & aquę frigidæ largo potu.

Venæ sectio in hoc affectu absolutè necessaria est, cùm à sanguinis copia generetur: eaque statim celebranda, quacumque hora vocatus fuerit Medicus, nisi ventriculus cibis refertus fuerit, quorum concoctio expectanda est per aliquot horas. Et licèt copiosè sanguis mittendus sit, dicatque Galen. *loco supra cit.* se plerosque hac febre laborantes subitò curasse, phlebotomia vsque ad animi deliquium instituta, quam sequebatur alui fluxus, vomitus biliosus. Attamen nostris hisce temporibus absoleuit largior illa sanguinis euacuatio, quæ non vacat periculo cùm referat ipse Gal. *l. de cur. rat. per venæ sect. cap.* 12. tribus Medicis contigisse, talem phlebotomiam celebrantibus, vt pro animi deliquio mors aduenerit. Satius igitur repetitis vicibus eam sanguinis quantitatem educere, quæ ad morbi curationem necessaria est.

Ante venæ sectionem, si aluus non sit libera, aut interstina cruditatibus scateant; clystere emolliens, & laxans injciendus est.

Aqua frigidam quod attinet; eam Galenus tanta copia exhibendam esse præcipit, vt æger palleſcat, tremat, & toto corpore refrigeretur: sicque asserit eam calorem igneum extinguere, solidas partes roborare, inutiles humores per aluum, per vrinas, & sudores excernere. Ad illius autem exhibitionem multas cautiones adhibendas præcipit, nempè, vt in vigore febris, concoctionis signi apparentibus, exhibeatur; vt æger per sanitatem frigidæ assuetus sit, firma habeat viscera, & succi plena; corpus euſarcum, & quadratum, viribus polleat validis, atque constantibus, non sit refertus crassis, viscidisque humoribus, neque tumorem aliquem habeat in visceribus, neque ventriculus, gula, aut neruosum genus debilia sint: alioqui, si conditiones istæ defuerint, periculum est, ne inspirandi difficultatem, hydropem, tremorem, conuulsionem, lethargum, aut alium grauem affectum præcipitetur. Obsoleuit etiam hoc remedijs genus nostro hoc sæculo, cùm omnes istas conditiones obseruare difficile sit, & ex præpostero illius vsu tanta immineant pericula. Satius enim est alijs remedijs sanguinem, & totum corpus refrigerantibus, ijsque tutioribus, vti, vt iulepis, & aperientibus emulsionibus, epithematis, linimentis, & omninò victu refrigerante. Iulepi parantur ex decocto hordei, aut acetosæ, & cichoraceorum; vel aquis cichorij, endiuiæ, acetosæ, lactucæ, additis syrupis di cicnorio simpl. limon. granat. oxysaccharo, &c. Quibus etiam, ad maiorem aperiendi, & refrigerandi vim, ijs conciliandam, guttulæ aliquot spiritus vitrioli, aut sulphuris addi possunt. Si aquæ distillatæ crudiores videantur; leuiter bulliant cum modico specierum triasantali, vel diamargariti frigidi.

Emulsiones in hunc modum parari poterunt.

℞. Amygd dulc. excorticat. & macerat. in aqua ros. Vnc. j. quat. sem. frig. mai. & papau. albi. an. ʒ. 2. Contundantur in mortario marm. sensim effundendo aquæ hordei ℔. 1. ß. In colat. dissolue sacchari rosac. Vnc. 3. Fiat emulsio pro tribus dosibus, bis in die sumendis. Quæ maximè conuenient, & iulepis præferetur, si vigiliæ adfuerint.

Epithemata, cordi, & hepati admouenda, in hunc modum parabuntur.

℞. Aquæ rosar. bugloss, & lactucæ, ana ʒ. 3. aceti rosac. Vnc. 1. pulu. elect. diamarg. frig. ʒ. 1. sem camphoræ gra. vj. Fiat epithema, admouendum regioni cordis.

℞. Aquar. endiu. cichor. acetosæ, an. ʒ. iv. aceti rosac. ʒ. 1. sem. Trium santal. ʒ. 2. sem. Fiat epith. admouendum regioni heparis.

Linimentum refrigerans hepati, & lumbis admouendum, ex oxyrhodino, vnguento rosaceo, refrigerante Galeni, vel cerato santalino, oxycrato ablutis.

Si morbus protrahi videatur, à phlebotomia purgatio instituenda est, ne serosa, & biliosa excrementa putrescant, indeque putrida febris oriatur. Remedia tamen vsurpanda, quæ citra calorem, & agitationem id præstent, vt cassia, manna, syrupus rosac. tamarind. catholicum, & similia.

Hùc accedat conueniens victis ratio: nempè refrigerans & humectans, eaque tenuis, ex insculis, cum herbis refrigerantibus paratis; prunis & pomis acidis coctis, cremore hordei, vel panatellis.

Potus sit decoctum hordei, aqua simplex cocta, vel in aquam panis immersus sit, vel cum syrupo capill. ven. lim. aut granat. permixta.

CAPVT III.

De febre Hectica.

HEctica febres, seu habitualis, occupat partes solidas, quæ corporis habitus constituunt, vulgò dicuntur spermaticæ, vel carnosę: tum etiam ratione illarum partium magis fixa est, & radicata quàm aliæ, quæ sunt in spiritibus, aut humoribus. Eam quoque ob causam habitualis dicitur, quòd in habitu consistat, ac difficile à subiecto remoueri possit.

Multiplices habentur huius febris diuisiones. Primò enim alia est hectica primaria, quæ à principio inuadit, & alia secundaria, quæ alijs febribus succedit. Secundò febris hectica, vel simplex est, & solitaria; vel febri putridæ complicata. Tertiò, alia à corde incipit: alia ab aliqua parte, vt pulmone, hepate, liene, renibus, vtero, alijsque partibus inflammatis, vlceratis, corruptis, aut aliquo alio graui morbo obsessis. Et hæc febris quamuis in habeat in corde, & toto corpore, symptomatica tamen vulgò dicitur, propter primam originem, quam ab alijs partibus sortita est.

Tres hecticæ gradus constituuntur à Galeno. Primus est ipsum febris hecticæ initium, in quo vix corpus extenuatur: rorida tamen corpori humiditas efferuescit, absumitur, & exsiccatur. Secundus complectitur augmentum, in eoque est euidens corporis extenuatio, & carnosa, atque adiposa substantia perit. Tertius statim morbi, & postremum illius tempus continet: numquam enim vergit ad declinationem, cum in eo gradu sit incurabilis: tum namque substantia corporis fibrosa, & membranosa consumitur, corpusque ita extenuatur, vt facies Hypocratica sit, & ossa pellibus tantùm circumtecta appareant. Postremus iste gradus marasmus nominatur, vel potius hectica marasmodes: cum in vero marasmo frigiditas cum siccitate coniungantur.

Causæ febris hecticę diuiduntur in externas, & internas. Ad externas referuntur, quæcumque reliquas etiam febres generare possunt, si continua, & vehemens sit calefaciendi actio, vel corpus huic febri concipiendæ aptum occurrat. Tales sunt calor Solis, aut ignis, exercitium vehemens, cibi, & potus calefacientes, excretiones immodicæ, vt in diarrhœa, & dysenteria; animi pathemata vehementiora, ac denique inedia in corpore biliosо calido, & sicco: cùm dicat, Galenus Diatritarios huiusmodi corpora in febres ardentes, & hecticas, abstinentia cibi triduana, perduriſſe.

Causæ internæ sunt febres ardentes, & pestilentes, quę humidum cordis absumunt celeriter. Tum febris lenta diu-

turna

lurna. Tum etiam affectus peculiaris alicuius viscеris: vt inflammatio, vlcus, vel putredo alicuius humoris in eo contenti: vel denique ipsius membri corruptio, quæ febrem lentam, & hecticam facere solent.

Horum affectuum, membra peculiaria obsidentium, & febrem hecticam producentium exempla habemus satis manifesta. Nam quod ad inflammationes attinet, Galenus ex inflammatione septi transuersi se hecticam vidisse, refert. Et vlcere verò hecticam complicatam in phthisi quotidiè animaduertimus. Putredo humoris, in viscere contenti fit in obstructionibus magnis, vel abscessibus frigidis. Membri denique corruptio in pulmone sæpè contingit; aliquando in iecore, in hominibus vinosis, & qui calidis multis vtuntur aromatibus: Sanies enim quædam in hepate gignitur, qua illius substantia corrumpitur. Hanc febrem se aliquando vidisse Fernelius affirmat, & signa illius esse dicit, quòd vinum auidissimè cupiant, carnes verò maximo odio prosequantur.

Cognoscitur febris hectica simplex, quod continua sit, sine vlla accessione, semper sibi similis, non crescens, nec decrescens, nisi quod augeatur vna, duabus, aut tribus horis à cibo. Calor in hypochondrijs primo tactu mitis, post acer, mordax, aridus. Pulsus paruus, frequens, & celer, febrem percipiunt ægri pigri sunt, & ad motum desides, & cum difficultate mouentur, eo quod virtus languet. Arteriæ calidiores sunt partibus circumstantibus, quod tactu post lotionem ex aqua frigida dignoscitur. Vrina naturali similis est, tum colore, tum sedimento. In progressu oleosa supernatant, & sedimenta farinacea sunt, quod est signum, colliquationis.

Speciatim verò non solùm singulos gradus; sed etiam imminentem febrem hecticam ita dignoscere possumus.

Imminens febris hectica dignoscitur, si causæ prædictę præcesserint: nempè si febris ardens in corpore calido sicco, raræ contexturæ: in aere æstuante præcesserit; periculum est, ne æger in febrem hecticam indicat. Et remedia eam præcauentia vsurpanda sunt.

Primus hecticæ gradus, si cum putrida fuerit coniuncta, difficillimè cognoscitur: si sola sit, non facilè. Prima die omnia signa ephemeræ, die sequenti augetur ariditas, non calor, Tertia die non repetit, non aucta euidenter, non diminuta. Ac tandem vna, aut duabus horis post cibum caliditas nonnihil aucta apparet.

In secundo gradu æger non percipit se febrim, quamvis percipiat alterationes à cibo. Ariditas manifesta est, pulsus minor, & celerior cum duritie quadam.

Tertij gradus signa sunt manifestissima: oculi concaui, sordes in ijs siccæ, & squalor, ossium prominentię conspicuæ, viuidus flos coloris extinctus, vniuersa arida præcordia vehementer contracta, vt videantur carere intestinis. Pulsus sentitur sub ventriculo in omnibus extenuatis.

Quia vero febris putrida cum hectica non rarò copulatur, vtraque exactè distinguenda est, cum maximi sit incuratione momenti, quæ admodum varia tunc temporis existit. Hic autem complicatio dignoscetur; comparando signa hecticæ proposita cum signis febris putridæ, quæ infrà suo loco describentur.

Primus gradus facilè curatur. Tertius, vt dictum est, incurabilis est. Secundus, medio modo se habet, & quo magis accedit ad primum, vel tertium; ita facilius, aut difficilius curatur. Frequentiùs accidit febris hectica à decimo octauo anno ad trigesimum quintum: eo enim tempore calor intensior est, faciliusque marcorem inducit. Qui verò ante hanc ætatem, vel paulò post hectica corripiuntur, facilius euadunt, ac nonnunquam curantur, vel longo tempore palliatione vitam prorrahunt, præcipuè verò mulieres.

Ad curationem huius febris primùm aduertendum est, num hectica pendeat à partis alicuius morbo: tunc enim curatio ad eum morbum dirigenda est. Tum etiam, num simplex ea sit, an complicata cum febre putrida. Et in hoc casu putrida primùm tollenda est venæ sectione, & purgatione, nec non remedijs aperientibus, & putredinem inhibentibus, febre interim hectica non neglecta. At verò, si simplex, & solitaria sit febris hectica solis refrigerantibus, & humectantibus, nec non analepticis curatio absoluitur, quorum materia ex dieta, & pharmacia erit desumenda.

Diæta, vt in omnibus chronicis affectibus multum potest in hoc præsertim plus præstat, quàm medicamenta. Illa idcirco exactè præcipienda est, vt scilicet ad totius corporis refrigerationem, & humectationem dirigatur. Aer, itaque, si natura sua mediocriter frigidus sit, vel temperatus, tali vtendum est: sin minus corrigendus, ita vt ad frigidum, & humidum declinet. Ea ratione Galenus 10. *method. cap. 8.* æstatis tempore, aere existente calidiori, ægrum degere præcipit in loco subterraneo, qui frigidissimus sit, & maximè perflatus, & ad Septentrionem vergens. Quo solo remedio nos hecticum, extrema macie confectum, intra mensem restitutum vidimus. Deinde caliditas aeris in conclaui alteranda est aqua frigida, de vase in vas transfusa, cuius etiam strepitu somnus conciliatur: tum etiam pauimento aqua frigida subinde aspersa, vel herbis refrigerantibus in illo frequenter sparsis: turba quoque hominum ingredi prohibita: nam: hoc quoque cubiculum calefacit. Quando verò aer frigidissimus est, eum esse admittendum Galenus præcipit. quatenus respirando attrahitur, vt qui calorem cordis maximè refrigeret: quam vis minimè conferat, quatenus extrinsecus ægrum contingit, quod cutis poros condenset, & transpirationem prohibeat. Attamen maius fore ex frigida inspiratione commodum affirmat, quam ex cute condensata incommodum, præsertim cùm illud vitari, possit, operimentis corpus probe muniendo. Aduerte tamen si tebris hectica fuerit ex vlcere pulmonis, aerem frigidum non conuenire ratione vlceris, sed temperatum: in actuus, ad calidum vergentem: in passiuis, siccum. Qua ratione Galenus phthisicos mittebat ad Tabias, montem Vesuuium dictum, vbi aer siccior erat.

Cibi esse debent refrigerantes, & humectantes, citoque nutrientes, iusculà pulli, gallinæ, capi, vituli, hœdi, veruecis, vitelli ouorum, cum hordeo mundato, lactuca, portulaca, endiuia, borrag. laccetosæ, carnes vituli, hœdi, porcelli, phadani, perdicis, lepusculi, & similium: & panatellæ, hordeata, auenata oryxata, cum saccharo, & paucis amygdalis, vel potiùs cum sem. frig. maioribus. Carnes elixiæ præferuntur assis, quæ facilius inflammantur, & in bilem vertuntur elixa magis humectant. Si tamen assis æger delectetur; ea minus coquenda sunt, & temperanda succo limonum, citrij, arantiorum, vel omphacio insulso.

Pisces vsurpari potetunt, quia refrigerant, & humectant. Sed eligendi saxalites, & qui tenera carne sunt præditi, in mari, aut aquis puris natantes.

Inter fructus poma laudantur, quia frigidum sanguinem generant. Conueniunt quoque pyra, pruna damascena, & brimolensia, cocta cum saccharo: tum etiam passulæ mundatæ, quæ in sequentem modum præparatæ alunt citra calefactionem.

℞. Passul. mundat. ℔ j. Temperentur in aqua endiuiæ, buglossi, & rosar. & abluantur diligentissimè, vt vis laxandi admoueatur. Posteà in ijsdem aquis decoquantur leuiter addito pauco saccharo ad perfectionem, cum quo seruentur vsui, ijsque vtatur manè, & post singulos pastus æger.

Quia verò hectici infixum habent solidis partibus calorem, quo alimenta facilè, & promptè dissipantur: illis ideò præscribere solent. Practici alimenta solida, & viscosa, extremitates animalium, carnes limacum, cancrorum, testudinum ranarum. Cùm enim illæ carnes viscosæ sint, & humidæ; facilè agglutinantur partibus, nec facilè absumuntur à calore febrili: sicque partium solidarum siccitatem remorantur. Non desunt tamen, qui hæc alimenta reijciant, quia ægrè concoquuntur, & magnum ventriculo negotium facessunt. Quod dissidium ita conciliatur. In hectica incipiente, dum adhuc robusta est facultas coctrix, conueniunt hæc alimenta crassa, & viscosa. In confirmata verò non sunt exhibenda: quod difficilè concoquantur. Adde, quod ita præparata, & elaborata exhibeantur; vt facilè concoqui possint, nempe vel elixantur ad consumptionem, vel contusa ex illis parantur. Inter alia testudines terrestres maximè laudantur ad hecticas febres, non solùm simplices, sed tabificas; & varijs modis, præparantur. Vel enim in aqua decoquuntur, donec dissoluantur. Mox corticibus abiectis, caro ab ossibus separata rursus coquitur cum cichoria, acetosa, borragine, hordeo mundato, & prunis in hectica simplici. At in hectica pulmonis coquitur cum folijs rubri, portulace, & plantaginis. Ius bibatur, & carnes edantur per dies viginti. Vel contusum ex ijs, paratur vel conficiuntur pastilli ex carne testudinum cocta in aqua hordei cum amigdal. dulcibus pineis, sem. frigidis & saccharo, qui leuiter concoquuntur in furno, & in prandio, ad cœna exhibentur. Formula talis esse poterit.

℞. Carnis testudinis in aqua hord. elixatæ. vnc. iv. amigd. dulc. infus. in aqua rosarum Vnc. vj. pineor. eodem modo infus.

infuſ. Vnc. ij. quat. ſem. frig. mai. an. Unc. j. aniſi non puluerati, ſed in furno leuiter cocti Dr. j. ſem. cinnam. ℥. ij. ſaccharo aqua raſ. diſſoluti ad pondus omnium, fiunt morſuli.

Loco teſtudinum vſurpatur pulpa caponis, & perdicis, ſitque confectio, quæ vulgò *paſta regalis* nominatur, ad hecticos inſtaurandos idonea, in hunc modum.

℞. Pulpæ caponis, & perdicis elixatę, ana Vnc. iij. amygd. dulc. in aqua roſac. macerat. ℥. j. ß. ſem. papau. albi ʒ. ij. gummi arabic. & tragacanthæ, ana ʒ. j. ß. manus Chriſti perlatæ ℥. ij. Cum pauca aqua roſarum fiat paſta regalis, auro obducta.

Ijs, qui infirmiorem habent ventriculum, gelatinæ, iura, & diſtillata inſtaurantia exhibentur. Gelatina in hunc modum parari poterit.

℞. Caponem electum, poplitem vituli, vel femur veruecis, pedes vituli num. 2. aut veruecinos num. 6. Coquantur in aqua fontana ad ſufficientem conſumptionem. Iuſculum coletur per expreſſionem, & pinguedo remoueatur. In colat. diſſolue ſaccharo albi ℔. j. albumina ouor. num. 6. croci, vel cinnam. parum. Agitentur ſimul, poſteà bulliant leuiter, ac tranſmittantur per manicam Hippocr. bis, aut ter. Tandemque iuſculum excipiatur in vaſculis, vbi concreſcet in gelatinam. Si croci, aut cinnamomi ſapor diſpliceat, vel magis refrigerantem gelatinam deſideres, adde eorum loco ſuccum limonis, vel citri vnius.

Iura inſtaurantia varijs modis parari poſſunt. Hoc cæteris longè præſtat.

℞. Caponem benè habitum. Deplumetur, exenteretur, ac in fruſtra diuidatur, à quibus pinguedo, & pellis detrahantur. Adde, ſi vis, carnem vituli, aut veruecі etiam in fruſta diuiſam, & ab omni pinguedine liberam. Ponantur in olla vitreata, in cuius medio ſit craticula ex ligno, aut alia materia confecta, ſuper quam fruſtula dicta ita concinentur, vt ollæ fundum vacuum remaneat. Poſteà olla optimè clauſa ſuo perculo probè lutato cum farina, aqua ſubacta, ponatur in B. M. bulliente per quinque horas. Diſtillabit in fundum ius limpidum, cuius cochlearia duo vel 3. cum iuſculis aut per ſe, ter, aut quater in die exhiberi poterunt.

Huiuſmodi carnium diſtillationes per deſcenſum factæ hecticis inſtaurandis ſunt valdè idoneæ. Quæ verò per aſcenſum fiunt, licet ſpiritus reficiant, minimum tamen nutriunt, ac ſolidam ſubſtantiam non reſtaurant.

Potus ſit aqua hordei, vel ſola, vel cum ſyrupo acetoſo, aut granatorum mixta, vel aqua panata cum pauco ſaccharo. Si tamen ventriculus admodum infirmus fuerit; vinum aquoſum, & valdè dilutum concedendum eſt, quod coctionem, & diſtributionem iuuat. Galenus 10. *meth. cap.* 5. & 6. aquam frigidam exhibet, eaque ſe multos à marasmo preſeruaſſe gloriatur. Attamen in illius exhibitione maxima cautio adhibenda eſt. Dum enim corpus valde extenuatum eſt, periculum eſt, ne puſillus calor omninò extinguatur, ideircò imminente hectica tantùm conferre poteſt, aut in eius principio, & in aſſuetis, & corpore adhuc ſatis copioſo ſanguine referto.

Motus corporis non conuenit; ſed quies potius imperanda eſt: quamvis ante cibum ſi vires ferant, idoneum eſſe poſſit leue aliquod exercitium; aut eius loco molles frictiones, non multæ inſtitui poſſunt, præcipuè ſtatim à ſomno, incipiendo ab inferioribus partibus: nam internos humores ad exteriora euocant. Et fricandus tantùm æger, donec leuis rubor apparere incipiat: nam ſi vlterius pergatur, corpus exſiccabitur. Coitus in primis fugiendus eſt, quo corpus maximè reſoluitur.

Somnus nec longior, nec breuior ſit. Nam longior viſcerum calorem auget, recurrente ad interiora calore: breuior corpus magis exſiccat. Minus tamen incommodi ex paulò longiori, quam ex iuſto breuiori oritur, quia ſomnus valdè humectat, quod in hac febre maximè expetendum eſt. Dormiat æger in molli ſtrato, eoque laneo, non plumeo, commodamque latitudinem habente. Lintea ſæpè immutent, quæ aqua roſarum anteà irrorata fuerint.

Aluus ſi pigrior fuerit, proritetur glande, aut clyſtere ex iuſculo pulli cum hordeo, malua, & violaria parato: addendo caſſiam, mel violac. butyrum, & vitellos ouorum.

Denique animus, in tranquillitate; & hilaritate ſeruandus eſt, fugiendo vehementes animi perturbationes, vt iram, triſtitiam, metum.

Ex pharmacia deſumuntur medicamenta hectis idonea, tum interna, tum externa. Inter interna, primùm purgantia conſideranda ſunt; cùm adiectio hic magis neceſſaria ſit, quam detractio, vix ea conuenire poſſunt, niſi hecticæ putrida adiuncta ſit. Si tamen prima regio excrementis referta videatur propter cruditates à debili ventriculo productas; tutò purgatio inſtitui poterit ex caſſia, manna aut ſyrupo roſaceo. Imò verò aliquando, ſi vires non ſint debiles; exhiberi poterit infuſum rhei, cum decocto prunor. tamarind. myrobal. bugloſſi & violar.

Alterantia verò medicamenta in formam iuleporum, iuſculorum, & emulſionum redigi poterunt in hunc modum.

℞. Aquar. endiu. lactucæ, acetoſę, ana ℥. iv. ſyrupi violacei, nymphææ, pomor. ana ℥. j. Miſce. Fiat iulep. pro tribus doſibus, bis in die ſumendis, & per plures dies continuandis. Uel

℞. Hord. integ. P. j. fol. endiu. cichor, lactucæ, pimpinellæ, ana M. j. flor. borrag. bugloſſi, violar. & nymphææ, ana P. j. prunos, damaſc. par. 3. Coquantur ad ℔ j. ß. In colat. diſſolue ſyrupi de cichorio ſimplicis, & de nymphæa, ana Unc. ij. Fiat iulep. pro iv. doſibus.

Ex ijſdem ſimplicibus cum pullo gallinaceo, vel gallina iuniori decoctis, parari poteſt iuſculum ad eumdem vſum. Uel

℞. Rad. chinæ, ℥. j. ß. hordei integri P. ij. quat. ſem. frig. mai. ℥. ß. Contundantur, ijſque impleatur venter capi, aut pulli iunioris. Fiat iuſculum, cui adde ſaccharo roſac. vnc. ß. Capiat per longum tempus. Reficit, & impinguat.

℞. Amygdal. dulc. exortic. & in aqua frig. infuſar. ℥. j. ſem. quat. frig. mai. & papau. albi, ana ʒ j. Contundantur in mort. marmor. ſenſim, affundendo aquæ hord. ℔ j. In colat. diſſolue manus Chriſti perlatæ Vnc. iv. Fiat emulſio pro tribus doſibus.

Si intenſius refrigerare eſt animus, adde vnicuique doſi iulepi, vel emulſionis, ſalis prunel. ℈. ij. vel ʒ. j.

In vſu refrigerantium hoc obſeruandum, ne potentiora ſtatim, & frequenter vſurpentur: calorem enim debilem poſſent extinguere. Vtilius autem eſt ſenſim, quàm ſubitò refrigerare. Humectantia verò ſemper tutiora ſunt, quàm refrigerantia, quia lente ſuas exercent operationes.

Dum prædicta remedia vſurpantur, viſcerum corroborationi incumbendum eſt opiata conuenienti, quæ in hunc modum confici poterit.

℞. Conſeruæ flor. borrag. bugloſſi, & violar. ana ʒ. j. conſeruę flor. nymph. ℥. ß. pulu. electuar. diamarg. frig. ℈. iv. raſuræ eboris, oſſis de corde cerui, ana Vnc. ß. margarit. præp. & coralli præp. an. ℈. i. fol. auri num. 3. Cùm ſyrupo de pomis, fiat opiata.

In ſumma extenuatione clyſteres nutrientes frequenter injiciendi ſunt, ex iuſculo pulli, vel capitis veruecis, cum ſaccharo, & vitellis ouor. Eorum autem quantitas exigua eſſe debet, alioqui compreſſis inteſtinis vim expultricem irritarēt.

At inter cætera remedia hecticis maximè idonea, lac principem locum obtinet, cum omnibus dotibus præditum ſit, quę in hoc morbo deſiderari poſſunt, quippe quod refrigerandi, & humectandi vi præditum eſt: multùm nutrit, & facilè diſtribuitur. In illius vſu, eadem cautiones adhibendæ ſunt, quæ in phthiſeos curatione fuerunt propoſitæ.

Inter remedia externa balneum aquæ dulcis primas obtinet; potenter enim refrigerat, & humectat, parteſque externas relaxat, vt promptiùs alimentum excipiant. Apud veteres balneorum vſus erat frequentiſſimus, & quatuor partes habebant. In prima, nonnihil calida exuebantur. In ſecunda erat ſolum aquæ calidæ. In tertia ſolium aquæ frigidæ. In quarta verò ſudores & madores abſtergebantur. Galen. 10. *meth. cap.* 19. harum balnei partium vſum ita moderatur, vt ægri in primam partem balnei deducantur, quæ vapore balnei incaleſcebat, vt pori aperiantur, deinde oleo dulci perfuſi in aqua calida immergantur ad corporis humectationem: poſt repentè in aquam frigidam injciantur, ſubitoque educantur, exſiccentur, oleoque inungantur, vt poris condenſatis humiditas inducta retineatur. At verò cum iamdiu obſoleuerit illa antiquorum in balneorum vſu diligentia à Practicis etiam in noſtris derelicta eſt illa hecticorum balneandorum methodus, quæ nec ſatis tuta iudicatur. Si quidem metuendum eſſet ne frigidæ occurſu repentino corpus læderetur, ægerque ſubitum contrariarum qualitatum occurſum ægrè ferret. Conſultiùs enim tam compendioſiùs ab ijs factum eſt, dùm ægros in balneum aquæ moderatè calidę conjiciunt, manè, depoſitis excrementis natura vel arte, duabus, vel tribus horis poſt aſumptum iuſculum; vel lac, vel vitellos ouorum: in quo tamdiu æger immorari debet, donec ſponte tapeſcat, ac tandem refrigeretur. Cùm enim Galenus balneum frigidum poſt calidum adeò

neceſſarium cenſuerit, vt calidum ſine frigido nihil prodeſſe exiſtimet: frigidæ vices ſupplentur, ſi tamdiu æger in balneo moretur, donec ſponte tepeſcat, & refrigeretur. At ſi nimis tardè hæ mutationes fiant, vt ægertædio afficiatur; aquæ frigidæ affuſione balneum ad libitum tepeſcere, & refrigerari poterit. Hæc tamen cautio adhibenda eſt, vt cum triplex qualitas in eodem balneo haberi poſſit, æger in calida parum immoretur, in tepida diutius, in frigida minimum.

Licet autem antiqui ex aqua ſimplici balnea parare conſueuerint, vtilius tamen eſt ea magis humectantia efficere, decoctis in ijs herbis emollientibus, & humectantibus, vt malua, althæa, violaria, &c. vel hordeo, & amygdalis contuſis, præcipuè æſtatis tempore, quia balneum ex decocto herbarum citius corrumpitur. A balneo æger linteis caliduſculis molliter detergendus eſt. Poſtea verò iniungendus oleo violaceo, amygdal. dulc. cum butyro inſulſo. Poſtmodum, vbi parum requieuerit, iuſculum, vel alium ferculum ei exhibendum eſt.

Balneum ex hydrelæo à Zacuto Luſitano maximè laudatur, *obſer.35. lib.3. Praxis admirandæ*, eoque aſſerit iuuenem quendam curatum fuiſſe, cui balneum ex aqua ſimplici, & lac caprinum nihil profuerant. Tantæ vtilitatis rationem ex eo deſumit, quod balneum ex aqua dulci paratum, cui olei copia adiuncta, ſit, tenſas partes emollit; ſiccas, & arefactas humectat, & poros obſtructos, ac præ ſiccitate conniuentes aperiendo, ad extimas, maximeque diſtantes corporis partes alimentum attrahit.

Quando æger non poteſt vti balneis, admoueatur epithemata cordi, & hepati, in hunc modum compoſita.

℞. Aquæ roſar. nymphææ, & portulac. ana Vnc.iij. ſucci granator.℥.j. pulu.electuar.diamarg. frig.℥.ij. oſſis de corde cerui ℈.j. camphor.gr.iv. Fiat epithema cordi admouendum.

℞. Aquar.endiu.lactucæ,& cichorij,ana Unc.iij. aceti roſac.℥.j. trium ſantal. an. ℈.ij. ſpodij ex ebore ℈.j. Fiat epithema, hepati admouendum.

Poterit etiam inungi regio hepatis vnguento roſaceo, vel cerato ſantalino. Verùm oleis, & vnguentis parcius vtendum, quia febrem aliquando augere poſſunt.

Inter ſymptomata, quæ huic morbo ſuperuenire ſolent, præcipuum eſt alui fluxus, qui ægros ad interitum ſolet perducere. Qui quidem frænandus eſt decocto hordei excorticati, & toſti pro potu ordinario, ſyrupo cydoniorum, roſar. ſiccarum, lacte chalibeato, oryza cocta in lacte, & ſimilibus.

SECTIO SECVNDA.

De Febribus putridis.

PRÆFATIO.

FEbres putridæ diuiduntur in continuas, & intermittentes. Continuæ generantur, quando putridus vapor, ſeu calor præter naturam, qui è putreſcentibus humoribus oritur, continuo cor affligit, caloremque continuum in eo excitat, vnde etiam febris, calor in vniuerſum corpus continuò diffunditur. Intermittentes verò fiunt, quando ijſdem vapores per interualla quædam ad cor deferuntur.

Continuæ rursùm diuiduntur in eſſentiales, ſeu primarias, & ſymptomaticas. Primariæ, ſeu eſſentiales, dicuntur quando putredo in venis communibus, extra partes priuatas accenditur. Symptomaticæ verò, quando in parte peculiari inflammata putredo, aut ſuppuratio fit: è qua ob vaſorum communionem vapor putridus cordi continuò communicari poteſt; quales apparere ſolent in pleuritide, peripneumonia, hepatitide, aliarumque partium internarum inflammationibus. Continuæ primariæ rurſum duplices ſunt. Aliæ enim ſine vlla exacerbatione, aut remiſſione à principio ad finem portiguntur, & συνοχεῖς ſeu continentes appellantur. Aliæ verò manifeſtas habent exacerbationes, & remiſſiones, & συνεχεῖς ſeu continuæ generis nomine ſolent appellari. Et ille rurſum ab exacerbationum, & remiſionum diuerſitate in tres ſpecies diuiduntur. Aliæ enim tertianæ continuæ dicuntur, quæ tertio quoque die exacerbantur. Alia quotidianæ, quæ ſingulis diebus. Aliæ verò quartanæ, quæ quarto quoque die reduplicantur. Intermittentes, etiam in tertianas, quartanas & quotidianas diuiduntur prout earum paroxyſmi tertio, vel quarto quoque die vel ſingulis diebus regredi conſueuerunt. Aliæ etiam dantur febrium differentiæ, quæ vel accidentales ſunt, vel ex prædictarum compoſitione ortæ, quas omnes ſigillatim, & breuiter explicabimus.

CAPVT I.

De Febribus putridis continuis.

ETſi variæ ſint febris putridæ continuæ ſpecies; earum tamen omnium curationem ſimul deſcribere ſtatuimus, eò quòd eadem ferè omnibus conueniant remedia, quorum nonnulla ſecundum magis, & minus tantùm variandа ſunt; quod ex Medici iudicio, & artis vſu magis, quàm præceptis particularibus dependet. Nos tamen, quantum fieri poterit, in quo vnaquæque differat, ſuis locis annotabimus.

Febres continuæ primariæ, ſeu eſſentiales, generari ſolent ex putredine humorum, qui in venis, & arterijs maioribus continentur. Et pro varia humorum putreſcentium natura variæ ſpecies emergunt.

Synochus putrida nullis paroxyſmis, aut exacerbationibus diſtinguitur, ſed illius vniuerſum tempus vna veluti acceſſione conſumitur, quæ à principio ad finem pertingit; eiuſque, ſicuti, & ſimplicis, tres conſtituuntur differentiæ. Quarum prima eſt, quæ à principio ad finem æqualis perdurat. Secunda, quæ paulatim augetur. Tertia, quæ paulatim decreſcit. Prima acmaſtica, ſeu homotonos nominatur, ſitque cum toto morbi decurſu par eſt modus putredinis. Secunda epacmaſtica dicitur, cum plus putreſcit, quàm diſſipatur. Tertia paracmaſtica appellatur, cum minus putreſcit, quam diſſipatur. Licet autem huiuſmodi febres continuò creſcant, aut decreſcant, aut eundem tenorem ſeruent; hoc tamen non impedit, quin illæ quatuor habeant tempora, ſi ad ſalutem terminentur; ſed alia longiora, alia breuiora, ſi inxta ſymptomatum vehementiam conſiderentur. Sic enim homotonos breuiſsimum habet principium, & augmentum; longum verò ſtatum. Epacmaſticæ longum habent augmentum: paracmaſticæ longa declinationem reliqua autem tempora citiſſimè tranſeunt. Sciendum autem eſt febrium putridarum tempora dupliciter conſiderari; vel quoad ſymptomata, vel quoad coctionem, & cruditatem; quæ duo in alijs febribus plerumque coincidunt: in ſynochis verò item. Earum enim tempora non tam ex ſymptomatum incremento, & decremento, quàm ex ſignis concoctionis æſtimari debent, quæ in vrinis præcipuè apparent.

Duæ autem ſynochi, ſeu continentis febris ſpecies à Galeno proponuntur. Una ex ſanguine putreſcente, de qua agit. 2. *meth. cap.*1. & 9. tum etiam 9. *meth. ca.*3. & 5. Altera ex bile putreſcente in maioribus vaſis, de genere febrium ardentium, quam explicat 2. *de diff. febr. cap.*2. & 2. *de criſ. cap.*6. Prima dicitur ſynochus ſanguinea, altera verò ſynochus bilioſa. Licet enim tota humorum maſſa, in venis concenta ſanguinis nomen obtineat; quatuor tamen illius partes agnoſcuntur, quorum magis temperata ſanguis ſpeciatim nominatur: calidior, bilis: crudior, & frigidior, pituita: craſſior autem, & fæculentior, melancholia. Iam verò ſi pars illa magis temperata, quæ ſanguis propriè dicitur, reliquas copia ſuperet, & tota maſſa putredinem concipiat; ſynochus ſanguinea efficitur. Si verò tenuior ſanguinis pars, & calidior, quæ flauæ bilis naturam æmulatur, reliquas partes ſuperet, & putredinem concipiant; ſynochus bilioſa exoritur.

Ab ijſdem cauſis ſynochus putrida generatur, quæ ſynochum ſimplicem ſolent producere. Sicque non ſolum cutis conſtipatio; ſed vaſorum etiam obſtructio à multo ſanguine, craſſis, ac lentis humoribus impactis, hanc febrem efficere ſolet. Cum enim per huiuſmodi obſtructiones fuliginoſorum vaporum tranſpiratio impediatur; putredo generatur in ſanguine, intra venas redundante.

Tertiana continua, quæ tertio quoque die magis affligit, à ſanguine cacochymo bilioſo, in vena caua putreſcente ducit originem. Illiuſque cauſæ ſunt ea omnia, quæ humorem hunc multiplicare poſſunt: vt hepatis calida, & ſicca intemperies, alimenta calida, & ſicca ætas iuuenilis, inædia, aut victu tenuis, & parcior, exercitatio vehemens, & frequens, calida, ſicca æris conſtitutio, vigiliæ nimiæ, & ſimilia.

Quotidiana continua, (quæ barbaris *lattica* nominatur, quod latentem atque abſconditum quemdam calorem habeat) à pituitoſo ſanguine intra venas putreſcente producitur, & ideò ſingulis diebus ſuas habet exacerbationes.

Cor-

Corpora pituitosa solet adoriri, vt infantium, & puerorum, tùm etiam senum, nec non eorum, qui habitu sunt corporis obeso, otio, & crapulæ dediti, locaque humida inhabitant. Minus frequens solet hæc febris, quia pituita difficiliùs putrescit.

Quartana continua, quæ quarto quoque intenditur, fit à sanguine melancholico, in venæ cauæ ramis putrescente. Eamque omnia efficere possunt, quæ humorem melancholicum generare, eique putredinem inducere valent. Rarissima tamen esse consueuit.

Differentiæ febrium accidentales à prauis symptomatis desumuntur, quæ essentialibus complicari solent, abijsque denominatur. Inter eas recenseri solent, febris ardens, colliquans, horrifica, assodes, elodes, syncopalis, epiala.

Causas, seu febris ardens propriè ea dicitur, ex Galeno 3. *Epid. com.* 3. *text.* 34. quę duobus hisce symptomatis perpetuò comitata est, caloris scil. ardente, & siti inextinguibili, quantùm vis ægri bibant: Diuiditur autem ab eodem Galen. *comm.* 4. *de vict. rat. in acut. t.* 13. in legitimam, & notham. Legitima, seu exquisita est, quæ dicta duo symptomata semper, & euidenter coniuncta habet. Notha verò, in qua illa symptomata sunt minus vehementia, sitisque est minùs intensa, nec corpus ita vritur. Legitima, & propriè dicta sit ab humore bilioso, intra maiora vasa cordi vicina putrescente. Notha verò fit à bile cum pituita permixta, vel pituita salsa, in ijsdem vasis putrescente. Hinc patet febrem ardentem legitimam nihil aliud esse, quàm febrem tertianam continuam, cuius materia acrior, & copiosior sit, & in maioribus vasis cordi maximè vicinis contineatur; cùm materia, tertianam continuam simpliciter efficiens, sit in vasis à corde remotioribus. Rursùm, exquisitæ febris ardentis duæ sunt species. Vna, quæ à principio ad finem vnicam dumtaxat accessionem obtinet, quam synochum biliosam supra nominauimus, & synochus ardens etiam nominatur; quæ sit, cum bilis putrescens vasa omnia cordis propinquissima occupat. Altera, quæ plures in se continet accessiones, & ardens periodica dicitur, fit ab eadem bile, contenta in vasis, cordi vicinis, sed non omnibus, aut non ita propinquis, quemadmodum in synocho ardente. Ita vt tertiana continua, synochos ardens & ardens periodica, inter se tantùm differant, prout bilis magis, aut minùs acris, copiosa, & cordi vicina est.

Febris colliquans est etiam de genere ardentium, quæ propter calorem ingętem confestim pinguedinem, carnem, partiumque solidarum substantiam, vel aliquando humores in venis contentos colliquat, atque dissoluit per insensilem transpirationem, sudores, vrinas, aut deiectiones. Excitari solet à materia tenui, acri, & biliosa, quæ vehemens concipit incendium. Eique non rarò adiunctam esse malignam & pestilentem qualitatem, docet Gal. *comm. in* 3. *epid. sect.* 3. *sent.* 57.

Horrifica febris ῥιγώδης Græcis appellata, ea dicitur, in qua horrores frequenter solent accidere. Fitque ex mixta materia, biliosa scilicet, & pituitosa, aut serosa: quæ cùm inæqualiter moueatur, horrores illos excitare solet: nempe vel succensa bile humores crudos putrefaciente, & commouente; vel tenui, acri, & serosa materię portione partes sensiles, & membranosas vellicante, vel denique natura crudum humorem frustra excutiente. Hinc retracto ad centrum calore, frigent extrema: mox eodem emicante, incalescunt.

Assodes etiam febris ad ardentem referenda est, in qua ægri iactantur, & frequentibus inquietudinibus augentur, grauiter morbum ferentes, cum nausea vt plurimum, & vomitu. Quia exoriri solet ex afflictione ventriculi, ab acri, & bilioso humore, eius orificium, vel tunicas mordente.

Elodes dicitur illa febris, in qua sudores perpetuò funduntur: fitque ab ingenti humorum putredine, aut malignitate, substantiam corporis dissoluente.

Syncopalis febris dicitur, in qua syncope, aut animi deliquium frequenter ægrotantem corripit. Duæ illius species ponuntur ab Auicenna. Vna ex bile tenui, acri, & venenata. Altera, ex pituita multa, aut crudorum humorum copia. Prior syncopalis, minuta appellatur: quia fit ab humore pauco, sed tenui, & venenato. Posterior ab eodem vocatur syncopalis humorosa, siue repletionalis, quia à multa crudorum humorum copia generatur; idcircò ad pituitosas febres referri consueuit. Et ab alijs tantùm differt, quod in hac maior crudorum & pituitosorum humorum copia redundat. Et præterea coniuncta est oris ventriculi debilitas, ex qua in primis ægri frequenter in syncopen incidunt.

Epiala febris dicitur à Galen. 2 *de differ. febr. cap.* 2. *& lib. de inæquali intemper. c.* 8. quando eodem tempore, calor, per vniuersi corporis minimas particulas, calor, & frigus sentitur. Quamvis enim vna & eadem pars contrarijs alterationibus affici nequeat: id tamen, quod de febre epiala dicitur, de minimis particulis quoad sensum, non autem reuera minimis intelligędum est. Hanc febrem duobus modis fieri docet Galenus. Uno quidem, à pituita vitrea cum bile amara permixta, & in vniuersum corpus diffusa. A bile enim caloris; à pituita frigoris sensus infertur. Altero autem, à pituita vitrea sola, sed partim putrefacta, partim putredinis ex parte. Cùm enim pituita vitrea frigidissima, item crassa, & lenta sit: non promptè putrescit nec tota simul, sed tantùm per partes: ita vt vna eius portio putrida sit, altera imputris remaneat. Istius igitur pituitæ per sentientes partes delatæ portio, quæ nondùm putrefcit, vtpotè frigidissima, frigoris sensum inducit; ea verò quæ putredinem concepit; caloris sensum infert. Atque ita corpus vniuersum eodem tempore calorem, & frigus percipit. Platerus etiam febris epialæ generandæ modum excogitauit, quando scilicet febres intermittentes eodem die concidunt, vt frigus posterioris accessionis incipiat, ant equam calor prioris desinat: vel etiam quando intermittentes cum continuis concurrunt, vt vnius febris calor cum alterius frigore eodem tempore possit coincidere.

Dantur etiam aliæ febrium continuarum accidentales differentiæ quæ cum ad febre symptomaticas referri soleant, in earum expositione iam delineanda discutientur.

Quamvis autem symptomaticarum febrium curatio, à morborum particularium, ex quibus oriuntur, curatione dependeat: earum tamen ratio proponenda est, ne cum essentialibus confundantur.

Illæ igitur febres symptomaticæ nominantur, quæ ab humorum accensione, & putredine, in aliquo viscere contenta, oriuntur. Cuius generis esse solent febres illæ, quæ sequuntur pleuritidem, peripneumoniam, phrenitidem, anginam, hepatidem, aliasque partium internarum inflammationes, vlcera, vel abscessus.

Aduertendum autem est diligenter, (quod maximi est in praxi momenti, & à paucis animaduersum,) non omnes perpetuò febres, quæ cum partium inflammationibus coniunguntur, esse symptomaticas; sed quasdam etiam esse essentiales, quibus inflammationes prædictæ succedere solent. Fit enim plerumque, vt sanguis corruptus, aut prauis humoribus refertus, postquam febrem excitauit, exagitetur à natura, & tamquam sibi noxius expellatur ad partes debiliores, aut humori recipiendo magis idoneas: vnde in ijs inflammatio producitur, quæ febrem istam non efficit, sed illi potius succedanea est. Sic nobis frequenter in vsu practico videre licet ægrotantes ab initio febre continua laborantes, per vnam, aut alteram diem, antequam dolor lateris, & alia pleuritidis signa appareant. Sic multi tertio, vel quarto febris die in phrenitidem incidunt: sic arthritici ferè omnes, antequam dolore, tumore, & inflammatione articulorum afficiuntur, febre continua per vnam aut alteram diem laborare solent. Sic qui erysipelate tentantur, febre aliquandiu afficiantur, antequam erysipelas appareat. Idipsum ostendit vrinarum dispositio, quę in huiusmodi inflammationibus notas putredinis in venis contentæ manifestas produnt. In principio enim crudæ apparent, in progressu verò signa coctionis in dies increscentes ostendunt. Tum sanguis e vena admodum corruptus interdum educitur. Quæ non fierent, si febres eiusmodi essent tantùm symptomaticæ, aut ab illis inflammationibus simpliciter dependentes.

Istæ autem febres, siue symptomaticæ sint, siue primatiæ, & comitatæ partium inflammationibus suas habent differentias accidentales. Si enim inflammatio sanguinea sit; febris illa phlegmonodes nominatur: si biliosa, erysipelatis naturam referens; typhodes nominatur. Peculiariter verò erysipelas ventriculi, & intestinorum, febrem lypiriam accersit, in qua exteriora rigent, & interiora vruntur. Incendium enim internum sanguinem, & spiritus ad locum inflammatum attrahit: vnde calor ita intenditur, vt interiora vri videantur cum siti inextinguibili exteriora verò frigore afficiantur, calore, & spiritu destituta.

Lenta febris etiam ad symptomaticas referri consueuit, quæ oritur ex latente obstructione, ac putredine viscera adeò contumaciter adhærescente, impactaque, vt substantia,

viſceris plerumque labefactetur. Ea cum putredinis portio in venas affundatur, ſanguinique permiſceatur; febrem excitat lentam, & adeò mitem, vt nullo graui ſymptomate ægro moleſta ſit, & æger vix ſe febrire ſentiat. Putredinis tamen aliquæ notæ in pulſibus, & vrinis apparent. Interdum verò ex viſceris alicuius putredine ac corruptione exoritur febris lenta, quòd per venas, viſceri inſertas puttidi, & calidi vapores ad cor expirent. Frequentiſſimè autem talis febris in phthiſicis excitatur, quæ in hecticam degenerat. Fit etiam interdum, cùm hepatis, aut lienis ſubſtãtia putredinem concepit; vel cùm circa meſenterium, omentum, aut ſecundina in vtero putreſcit. Hincque febres, non ſolùm lentæ; ſed etiam aliquando acutæ pro ratione putredinis diuerſa oriuntur. Ac denique ad hoc febrium lentarum genus referuntur illæ febres, quæ in cachecticis reperiri ſolent, & virginibus chloroſi laborantibus; eaſque Fernelius ex ſeroſæ pituitæ in corpus effuſæ leui putredine prouenire ſtatuit.

Præter hactenus enumeratas febrium continuarum differentias, quæ frequentiſſimæ ſunt, & vulgò ab Authoribus proponuntur, dantur etiam nonnullæ, à cauſis peculiaribus, & extraordinarijs oriundæ, quæ in vſu practico interdum ſolent apparere. Exemplo eſſe poterit caſus à Zechio relatus *conſ.46.* de quodam infante, vix ſecundum ætatis annum agente, & febre continua laborante cum grauiſſimis ſymptomatis, nempè inquietudine, motibus conuulſorijs, & nauſea continua; cui etiam malum morem eſſe coniunctum inde coniiciebatur, quod tam grauia ſymptomata febri non reſponderent. Omnes etenim partes externæ frigebant, licet internæ vterentur, quod ex calore circa thoracem in hypochondria, nec non ex arida, nigraque lingua intelligi facile poterat. Cuius cauſa erat ſanguis putreſcens, in ventriculo contentus. Cùm enim huic infanti loquela impedita fuiſſet ob innaturalem linguæ cum partibus ſubiectis colligantiam, & præſertim cum ea membrana, quæ frænum dicitur; ideò nuper illi à Chirurgo lingua cultello à ſubiectis partibus ſeparata fuerat. In quo opere aperta vena aliqua ſanguinem in ventriculum effuderat, qui illic putreſcens, calidos, putridos, ac veluti venenatos vapores in cor, & cerebrum expirando omnium commemoratorum ſymptomatum cauſa fuit. Quomodo autem cauſa hæc animaduerſa, & ſublata fuerit, opere prætium eſt ex Zechij hiſtoriæ hic recenſere. *Si quando,* inquit in appendice huius conſilij, *mecum ipſe diligentius conſidero, quam difficile ſit morbos internos, eorumque cauſas interiores aſſequi, in eam ſententiam facilè deſcendo, Hippocrat. 2. de morb. vulgaribus, ſect. 4. non ſine maxima præmeditatione ſcriptum reliquiſſe, in omnibus obſcuris morbis tractandis oportere. Medicum diligenter inueſtigare primum morbi inſultum, hoc eſt primam occaſionem, vnde quis egrotare cæperit. Illius enim et morbi & cauſæ cognitio vtplurimum dependet. Ecce exemplũ. Nobiliſſimi infantis morbus ſanè acutiſſimus, vnà cum cauſa obſcurus admodum erat niſi mihi, de pueri & nutricis vita & conditionibus diligenter percunctanti, ab eius parentibus ſignificatum fuiſſet, quod duobus diebus ante primum morbi inſultum à Chirurgo quodam ſecta illi fuit membrana: qua lingua cum partibus ſubiectis alligabatur. Rurſu interroganti, num ab hoc opere ſtatim pronum collocauerint infatulum, atque num ſanguis ab ore fluxerit, vtrumque negarunt. Vnde ſtatim conieci ego ſanguinem à loco vulnerato in ventriculum præcipitatum, ibique putrefactum, morbi, & ſymptomatum commemoratorum cauſa extitiſſe. Nec mea me fefellit opinio, quãdoquidem oleo amygdal. dulcium ad ciendum vomitum propinato, ſanguinis concreti purulentique notabilem copiam euomit. Ad hæc vna reiecto chyſtere ſanguinis corrupti grumos per multos excreuit. Atq: ſtatim (DEO immortali fauente) remiſſa fuit febris, ceſſareque cæperunt ſymptomata omnia. Vnde valenter, & auide mammis nutricis lac exugere cepit, totaque ſequenti nocte placidè dormiuit, neque in poſterum, quicquam moli perſenſit.*

Signa febrium putridarum continuarum diagnoſtica alia continuitatem; alia putredinem, alia peculiares earum differentias oſtendunt.

Continuitas facilè dignoſcitur ex eo quòd febris aſſidua ſit, & ed apyrexiam non deſinens.

Putredinem verò ſignificant, calor acrior, & mordacior, quàm reliquarum, ab acri, & mordaci fuligine, ex putridis humoribus exhalante productus. Pulſus non ſolùm magnus, & frequens, ac non rarò inequalis; ſed etiam hoc habet peculiare, vt ſyſtole velocior ſit, quàm diaſtole, quia expulſio fuliginoſorum excrementorum magis vrget, quàm refrigeratio. Vrinæ initio crudæ aut, parum concoctæ. Exacerbationes certis temporibus factæ, quod tamen in ſynochis locum non habet. Rigor in prima inuaſione apparens. His accedunt ſymptomata varia, febres putridas plerumque comitantia, vt nauſea, vomitus grauitas corporis, dolor capitis delirium, vertigo, ſingultus, anxietas, morſus oris ventriculi, ſitis, aſperitas, & nigrities linguæ, tenſio hypochondriorum, aliaque. Hanc autem præceſſerunt laſſitudo ſpontanea, motus grauis, ſomnus turbulentus, vigiliæ, hypochondriorum tenſio, difficilis ſpiratio, capitis dolor, & pulſatio, nauſea, inappetentia excrementa fætida, & copioſa, crebra pandiculatio, & oſcitatio, aut eorum nonnulla.

Peculiares verò febrium putridarum continuarum differentiæ ſequentibus ſignis diſtinguuntur.

Synochus putrida eadem habet ſigna, quæ ſimplici fuerunt propoſita, ſed vehementiora: calor enim acrior eſt, vigiliæ, dolor capitis, ſitis, inquietudo, aliaque ſymptomata vehementiora. Tum pulſus inæqualis eſt, vt maior ſyſtole, quàm diaſtole appareat, vrinæ, crudæ, rubræ, & craſſæ.

Bilioſam febrem indicant, calor deurens, pulſus valdè frequens, & velox, vrina, acris, flammea, initio ſemper cruda, ſine ſedimento, nauſea, vomitus bilioſi, & defectiones, magna anſietas, ſitis ingens, oris amaritudo, linguæ ariditas, & nigrities, vigiliæ, delirium, laſſitudo vlceroſa præcedens, color faciei pallidus, aut citrinus, ætas iuuenilis, temperamentum calidum, & ſiccum, tempus æſtiuum, victus ratio calida, & ſicca, vacuationes bilioſæ ſuppreſſæ. Tertiana verò continua à ſynocho bilioſa diſtinguitur, quòd illa tertianas habet exacerbationes, hęc vero illis omnino careat, & eodem tenore procedit.

Quotidianam continuam indicant, calor initio magis vaporoſus, quàm mordax, poſt nonnihil acer, ſed inæqualis propter humoris craſſitiem, quæ difficulter diſſoluitur; vrinæ initio albæ, aquoſæ, & conturbate, poſt nonnihil rubræ, & craſſæ; pulſus rarior, tardior, & minor, quàm in reliquis febribus; ſitis nulla, aut exigua; ſudor rarus, niſi adſit pituita ſalſa: facies ſubtumida, laxa, & ſubluuida, ſomnolentia, innappetentia; excretiones pituitoſę, temperamentum frigidum & humidum, ætas ſenilis, tempus hyemale, victus frigidus, & humidus, pituitæ euacuatio ſuppreſſa, quotidiana exacerbatio.

Quartanam continuam ſignificant calor minus acer, quam à bile; ſed acrior, quàm à pituita; ſimiliter quoque ſitis maior, quàm in quotidiana; minor, quam in tertiana; pulſus initio tardus, rarus, languidus, poſt validior, crebrior, valdè inæqualis. Urina in principio tenuis, poſt varia; corpus aridum, & macilentum, cõlor fuſcus, aut obſcurus, temperamentum frigidum, & ſiccum, ætas inclinans, tempus autumnale, aut magnas inæqualitates habens: vita multis curis, & ſollicitudinibus implicata, hæmorrhoidum fluxus ſupreſſus, tumor lienis, exacerbatio quartana.

Cauſi ſeu febris ardentis ſigna pathognomonica ſunt antea propoſita, nempe calor corporis deurens, & ſitis inexpugnabilis. Hoc tamen annotandum eſt, ſi tuſſis aliqua ſupereuenerit, ſitim inde minui, ab humore ſcilicet, qui ex vicinis locis attrahitur: quamuis nunquam durante febre, illa auferatur. Signa verò aſſidentia ſunt ea omnia, quæ febrem bilioſam indicare, ſuprà declarauimus. Ea tamen, quæ notham ardentem ſignificant, prædictis multò remiſſiora ſunt.

Colliquantem febrem ſignificant, ſubita corporis conſumptio, atque emaciatio; oculi concaui, collapſa tempora, nares acutæ; deiectiones ruſæ, pingues, fœtidæ, viſcoſæ, corpulentę, ſincerę, bilioſæ, & ſpumoſæ, vrinæ pingues & oleoſę.

Febres horrificæ & aſſodes cognoſcuntur per ea, quæ in earum deſcriptionibus propoſita ſunt.

In febre clode madet continuò lento humore cutis, & calor ad tactum non multùm acer eſt. Diſtinguitur malignitas à copioſa putredine, quòd in cauſa maligna vrinæ ferè naturales, vel ab illis non admodum diuerſæ appareant; vel quædam vrinis innatant inſtar telæ aranearum, quando fit colliquatio pinguedinis; vel ſi cum vrina corpuſcula erui, vel hordei ſpeciem referentia prodeant, quæ carnis colliquationem denotant; vel denique vrinæ multitudo, per multos dies apparens, quando ſanguis, & humores colliquantur. His omnibus accedit maxima virium exolutio, pulſus paruus, contractus, neque valdè frequens eſt. In magna putredine vrinæ craſſæ, & confuſæ, pulſus magnus, molis frequens.

Syncopalem febrem ſignificant lipothymia, & animi defe-

defectus frequentes. Minuta verò ab humorosa distinguitur; quod in illa bilioſæ, in hac pituitoſæ febris ſigna ſupra recenſita appareant.

Epiala febris ex eo ſolùm dignoſcitur, quod eòdem tempore calor, & frigus in toto corpore perſentatur.

Febres denique ſymptomaticæ, tum etiam comitatæ cognoſcuntur ex ijs, quæ in earum hiſtoria propoſita ſunt.

In ſingulis autem febrium putridarum continuarum ſpeciebus ſigna prognoſtica deſcribenda ſunt, quibus earum euentus præſagiri poſſit.

Ac primum, quod ad ſynochum putridam ſpectat, cùm illa de genere ſit febrium acutarum periculo non vacat.

Attamen ſi concoctionis ſigna euidentia appareant die quarto, & nullus committatur error, ſalutariter die ſeptimo terminabitur. Si verò tardiùs ſigna concoctionis appareãt, ad vndecimum, vel decimum quartum extendi poterit. Si verò concoctionis ſigna nulla appareant, ægrique tornatilem faciem, ſeu inſtar ſphæræ turgidam habeant; morbi longitudinem ſignificant. Urina quanto rubicundior ab initio, cæteris paribus tanto ſecurior, & citò morbum ſolutum iri ſignificat, ſi in ea ſigna concoctionis appareant, at cum cruditatis ſignis, mortis periculum minatur, præcipuè ſi vires ſint debiles. Urina alba peſſima, mortemque vt plurimum portendit. Ex ſynochi differentijs paracmaſtica ſecurior, acmaſtica periculoſior, epacmaſtica periculoſiſſima. Præterea ſynochus exquiſita benigna ritè curata, ſecura: non exquiſita, & malignitatis particeps, cum ſæuis ſymptomatis, & virium debilitate, periculoſa.

Bilioſæ verò febres quatenus acutæ, ſunt etiam periculoſæ: idque magis vel minùs, pro maiori, vel minori intemperie, ſymptomatum vehementia, & virium robore. Intemperies æſtimatur non ſolum abſolutè ex ipſo caloris gradu; ſed etiã comparatè ad ſtatum ægrotantis naturalem: vt quò maior eſt ab eo receſſus, maius immineat periculum. Sic febris ardens in ſene, vel hyemis tempore aduenians, lethalis eſt vt plurimum. Symptomatum vehementia conſideratur in actionibus animalibus, vitalibus, & naturalibus in excrementis, qualitatibus mutatis, & proprijs accidentibus; quorum enumeratio integrum opus exigit; prout à nobis expoſita ſunt in ſectione tertia noſtræ ſemeioticæ, ex Hippocratis Aphoriſmis prognoſticis, prorrheticis, & Coacis prænotionibus deprompta, quæ in hunc locum facilè transferri poſſunt. Ac denique vires cum ſymptomatum vehementia comparandæ ſunt. Si enim validæ ſint, & aduersùs hoſtium ſuffi cere poſſe videantur, benè ſperandum eſt, ſin minùs, meritò metuendum.

Quoti diana continua longa eſſe conſueuit, ob humoris craſſitiem, & contumaciam: ſi tamen plures euacuationes accidant in illius decurſu, breuior eſſe ſolet. Periculum illius metiri oportet, comparatione facta ſymptomatum vehementiæ cum virium robore. At præcipuè metuendum eſt, ne in cachexiam, aut hydropem degeneret, propter hepatis, & lienis obſtructiones, quę in hiſce longis febribus contingunt.

Quartana continua primaria rariſſima eſt: interdum tamen intermittens in eam degenerat, tuncque vt plurimum lethalis eſt.

Febris colliquans, horrifica aſſodes, eſodes, & ſyncopalis quia nomina ſua mutuantur ex prauis ſymptomatis, quibus ſtipatæ ſunt, ideò ratione illorum periculoſiſſimæ ſunt, & lethales vt plurimum.

Febrium denique ſymptomaticarum prognoſis ex partium affectarum præſtantia, ſymptomatum vehementia, & virium robore deſumenda eſt.

In omni autem febrium putridarum curatione indicationes deſumendæ ſunt à febre, eius cauſa, & viribus. Priora duo ſui ablationem indicant: tertium ſui cuſtodiam. Hæc fient trium communium inſtrumentorum therapeuticorum miniſterio: diæta nimirum, chirurgia, & pharmacia.

Diæta in omnibus febribus bilioſis debet eſſe refrigerans & humectans; in pituitoſis, & melancholicis magis calefaciens, & attenuans. Aer igitur frigidus & humidus ſit, qui inſpiratione ad cor attractus, illius incendium maximè contemperat: attamen ad illius occurſum corpus denudare nefas eſt, cum diaphoreſis maximè neceſſaria impediatur, & fuligines, ac ſudores intrò repellantur. Interim tamen ſtragulis leuibus, mollibuſque æger operiendus, neque nimis integumentis onerandus; tum plumea ſtrata auferenda, laneis tantum vtendo, quibus etiam, magno vrgente æſtu, coriain-ſternere conueniet. Lectus ſit ſpatioſus, vt in eo æger locum mutare poſſit. Eiuſdem linteamina, & induſia frequenter mutanda, contra vulgi opinionem, modò non ſint recenter lota, aut lotionem redoleant, & non inſter criſeos tempus, in quo nihil mouendum, ne naturæ motus perturbetur. Radij ſolares à conclaui arcendi, hominumque frequentia vitanda. Aqua de vaſe in vas ſæpius transfundenda. Pauimentum cubiculi aqua cum aceto, aut aqua roſacea conſpergendum; vel herbis, floribuſque frigidis; vt foliis vitis, ſalicis, nenupharis, cannarum, floribus roſarum, violarum, nymphææ, quę in loco frigido aſſeruentur, & ſæpius in die mutentur, hæc enim ſiccata calefaciunt. Si nimia frigiditas ſit, vt in hyeme, igne, ſine fumo aliquantulum contemperanda eſt. In febribus tamen pituitoſis aer modicè calidus, & ſiccus eſſe debet.

Alimenta quòd attinet, victus tenuis eſſe debet in acutis febribus. Et in eo ita ſeuera fuit antiquorum diligentia, vt potiſſimam curationis partem in illo conſtituerunt, ægriſque febre acutiſſima laborantibus, victum tenuiſſimum imperarent, ac ſola ptiſana hordei ægros nutrirent, vt pote febricitantibus maximè conueniente; cùm refrigeret & humectet, ſimulque extenuet, & aperiat, nullamque euacuationem cohibeat. Duplex autem ptiſana erat. Vna ſimpliciter dicta, ſiue ptiſana integra non colata, altera colatà quæ cremor hordei nominatur. Hordeum à corticibus mundatum, in aqua ſimplici coctum, & in maſſam conglobatum, eſt ptiſana integra, hæc poſtea cum expreſſione colata, cremor, aut ſuccus hordei dicitur.

At noſtris temporibus, in hac ſaltem regione, mulierum contumacia, & Medicorum indulgentia factum eſt, vt in quibuſuis febribus, quantumuis acutiſſimis, iuſcula ſemper concedantur ex decocto carnium gallinæ, capi, veruecis, eaque vt plurimum tertia, aut ad ſummum quarta quaque hora exhibeantur. Æſtate verò pulli galinacei, aut carnes hœdinæ prædictis addi ſolent. Tum etiam per vices, ex pullo ſolo cum herbis refrigerantibus, vt lactuca, endiuia, acetoſa, portulaca, iuſcula conficiuntur. Vel ordinarijs etiam iuſculis ſuccus limon. arantiorum, aut granatorum, vigente magno ardore febrili, aut intenſa putredine permiſcentur.

Præterea in febribus minus acutis panatellæ exhibentur, bis, aut ter in die, ex pane loto cum iuſculo confectæ. Hordeata etiam aliquando vſurpantur ex ptiſana colata antiquorum cum iuſculo carnium prædictarum & ſaccharo parata; vel etiam ſine iuſculo, additis amygdalis dulcibus. Sed plerumque ea ventriculum grauant, ideoque iuſculorum ſimplicium & panatellarum vſus commodior viſus eſt. Cum tamen vtiliſſimum ſit hordei mundati tantillum cum carnibus decoquere, & inde iuſcula parare.

In longis febribus plenior victus ex carnibus pullorum, vituli, gallinæ, capi, perdicis, veruecis, aut earum contuſis, & conſumatis, ſimilibuſque conuenit.

Circa tempus exhibendi cibos hoc in primis obſeruandum; vt numquam tempore exacerbationis, ſed in remiſſione febris exhibeantur. Si verò exacerbatio longior fuerit; in declinatione ipſius æger cibandus erit.

Propotu vulgò vſurpatur in omnibus febribus continuis ptiſana recentiorum, ex decocto hordei, & liquiritię parata. Cui, ſi febre ardentior ſit, addi poteſt aliquid lactucæ, acetoſæ, tamarindorum. Frequentiùs tamen addi ſolet rad. graminis, vel acetoſæ, quæ aquam vini colore elegantem inficit. In longis vero febribus addi poſſunt rad. fœniculi petroſelini, ſemen aniſi, coriandri, aut cinnamomum. Poſteriora tamen tantum addenda ſunt, quoties ventriculus debilis à potum offenditur.

℞. Ptiſanæ vulgaris ex hord. & liquir. ℔.ij. ſpirit. ſulph. q. ſ. ad grat. acid. cornu cerui ad albed. calcin. ʒ. i. Vtatur pro potu ordinario, vas vſus tempore agitando.

Vſurpatur etiam aqua panata, vel ſola, vel ſaccharo dulcorata; vel cum modico aceti permixta, vel aqua ſimplex decocta, vt cruditas ipſius auferatur, cui interdum permiſcetur ſaccharum: tum aliquando nonnihil ſucci, vel ſyrupi limonum granatorum, berberis, aut ceraſorum, vel ſpiritus vitrioli, aut ſulphuris, quod ſufficit ad gratam aciditatem vel ſalis prunellæ tantillum, ſi potentiùs refrigerandum ſit.

Laudatur aqua, in qua macerantur tamarindi, berberes, aut pruna.

Decoctum prunorum brinoleſium guſtui gratiſſimum eſt.

Vel coquitur hordeum cum tamarindis, & ſub finem addito ſantalo citr. & cinnam. aromatizatur. Qui potus non ſolum ſitim ſedat; ſed aluum laxat, hepar refrigerat, & corroborat.

℥. Sacchari Vnc. viij. salis prunellę Vnc. j. Fiat puluis, permiscendus ptisanæ pro potu ordinario. Cui etiam, siti admodùm vrgente spiritus vitrioli admiscerì poterit.

De spiritu vitrioli, & sulphuris hoc diligenter aduertendũ in febribus putridis magnum esse illius vsum; quia insignem vim habet refrigerandi, aperiendi, putredini resistendi, inflammabilitatem humorum probendi, & sitim sedandi: attamen in pleuritide, peripneumonia hæmoptoe, phthisi, ceterisque pulmonis affectibus, (nisi à crassa pituita vasa illius obstruente ortum habeant,) ventriculi inflammatione, dysenteria sanguinis mictu, renum, & vesicæ vlceribus plurimùm nocere; & ab eo abstinendum esse.

In febribus à bile valde renui, & calida, aut tenui acrique distillationi coniunctis, acida non conueniunt; sed potiùs leuiter incrassantia, vt syrupus violaceus, & de rosis siccis cum aqua hordei, vel panata, vel cocta simpliciter permixtus.

Vbi humores crassi, lentique abundant, syrupus acetosus loco prædictorum erit vtilissimus.

Solent etiam interdũm conseruæ rosarum, violarum, bugloss aquæ coctæ, vel aquæ hordei misceri, & per manicam Hippocratis traici, pro potu ordinario, cui aliquo guttæ spiritus vitrioli vtiliter addi possunt. Vel paratur tinctura rosarum, & colore, & sapore iucundissima in hunc modum.

℥. Rosar. rubr. siccarum ʒ. j. aquę tepidę ℔. iij. spiritus sulphuris, aut vitrioli ʒ. j. ß. Infundantur per iij. aut iv. horas frigide. Colaturæ adde sacchari albi ʒ. iv. aquæ rosar. ℔. ß. Fiat iulepi clarus pro potu ordinario.

Iulepus Alexandrinus non parùm etiam vtilis, & iucundissimus est, qui ita componitur.

℥. Aquæ fontis ℔. j. aquę rosar. succi limon. & sacchari albi, an. ʒ. iv. Coquantur lento igne, dum despumauerint.

Quod ad reliqua dictam spectantia attinet; somnus maximè vtilis est, vigiliæ noxiæ. Nimius tamen somnus calorem natiuum obruit, & excrementorum euacuationem impedit. Quies necessaria est in febribus acutis; in longioribus verò lenis exercitatio vtilis. Danda etiam opera est, ne ea, quæ secũdùm naturam expelli debent, retineantur licet omnis immodica euacuatio, quæ vires exhaurit, cohibenda, omnesque vehementes perturbationes eliminandæ.

Inter chirurgica præsidia phlebotomia principem locum obtinet; non solùm enim plenitudinem euacuat, siue ad vasa sit, siue ad vires, siue in toto, siue in aliqua parte; sed etiam influxum humorum obstruentium reuellit, totum corpus refrigerat, & perspirabile reddit, putredinem arcet, & putrescentium humorum concoctionem adiuuat. Statim igitur, & ab initio morbi, sanguis detrahendus est (nisi vitium infirmitas prohibeat, vt in febre syncopali, aliisque casibus,) idque aluo prius laxata, enemate, aut suppositorio. Quantitatem sanguinis indicabit plethora, vires, ætas; anni tempus, consuetudo, aliæque circumstantiæ. Veteres in synocho putrida, & ardente febre, sanguinem mittebant ad animi deliquium. Sed multò tutiùs est, vt in synochi simplicis curatione à nobis dictum est,) partis viribus quantitatem necessariam educere, quàm ægrum subitò in vitæ discrimen conijcere. Auicenna in febre ardente, & tertiana continua venæ sectionem prohibet, nisi vrina crassa, rubraque fuerit. Metuit siquidem, ne bilis magis effuescat, cuius frænum sanguinẽ esse dicit. Verùm à sapientioribus exploditur, hæc sententia: cùm huiusmodi febres hæmorrhagia sæpè à natura ipsa indicentur; tũ phrenitides interdum aliasque inflammationes producant. Denique, cùm phlebotomia potenter refrigeret, ebullitionem potius cohibet quàm excitet, cùm non solus sanguis sed bilis etiam ei permixta educatur; ita vt in ea massa, quæ superest in venis maioribus eadem maneat sanguinis ad bilem proportio, quę priùs inerat. Imò verò, cùm vena secatur, si vegetæ sint ægri vires, & sanguis confertim erumpat, solus putris, & naturæ molestus excernitur, remanẽte in venis puriore? quod à paucis Authoribus est annotatum, quamvis in vsu practico passim obseruetur. Si enim sanguis à vena guttatim effluat, putrissimus est, quia motu proprio è vena egreditur. Atsi cum impetu erumpat impurus, & putris apparet, natura deteriorem massæ sanguinis partem expellente. Parciùs tamen sanguis mittendus est in naturis admodùm bilioſis, æstate media, & sub canicula, quàm in alijs naturis, & temporibus. In pituitosis verò, & melancholicis febribus minori copia sanguis mittendus est, & perpetuò summa ratio habenda est coindicantium & contra indicantium; cùm febres quotidianæ vt plurimùm contingant in pueris, aut senibus, regione, frigida, aut tempestate hyberna, quæ sanguinis quantitatem à morbo, vel causa morbifica indicatam imminunt. Quando febris fit à nimio labore, parciùs mittendus sanguis. Si ex nimio veneris vsu febris contingat, phlebotomia perniciosa.

Circa tempus venæ sectionis aduertendum est, non statim ab assumpto alimento Venam esse aperiendam, sed peracta ventriculi concoctione, & aluo ab excremẽtis libera. Præterea tempore remissionis febris, sanguis detrahendus, non autem in vigoris illius; tunc enim natura vim, impetuque morbi, ac venę sectionẽ ferre nequit. Quod ad iterationem phlebotomię spectat, si ea ad euacuationem necessaria est: eodem die instituenda: si reuulsionis causa, diuersis diebus. Nam vbi euacuandũ est, præcipuè in acutis, subitò corpus in alium statum transferendum est tũ sæpè accidit, vt morbus mox principium percurrat, vt posteà venæ sectione non ita commode vti liceat. In reuulsione verò respicimus ad motum humoris quia rectius fit, si diuersis vicibus, & inreruallo interiecto, natura contrario motui quasi assuescat. Interuallo enim temporis sanguis in partes effusus regurgitat in venas, & iterata venæ sectione vtiliter extrahitur. Iterandam esse venæ sectionem intelligimus, si sanguis primò detractu valdè putris fuerit, eiusque in venis magna copia superesse videatur.

Imò verò licet sanguis ab initio purus, ac minimè corruptus appareat; non tamen desistendum est ab illius detractione, quin potiùs ea continuanda est, donec impurior, & corruptior appareat. Et certè vtilissimè obseruari potest in febribus acutis præceptum ab Hyppocrate traditum 4. *de victus rat. in morbis acutis* in pleuritidis curatione; vt scilicet sanguinis detractiones continuentur vsque ad coloris mutationem; vt si ab initio corruptus educatur, continuetur euacuatio, donec purior appareat: & contra si ab initio laudabilis prodeat; eo vsque educatur, donec impurus, & corruptus extrahatur.

Est tamen quædam diuersitas adhibenda in vtraque casu. Si enim ab initio sanguis laudabilis educatur, iteratio debet fieri ex eadem vena, vt sanguis putridus in profundò corporis residens citiùs educatur. Si verò ab initio sanguinis putridus educatur; ex altero brachio sanguis detrahendus, & consequenter ex vtroque brachio alterandæ sunt phlebotomiæ.

Si verò symptomata demonstrent putredinem subesse in interiore ramo venæ cauæ descendentis; vt æstus, & dolor lumborum, vrinæ, rubor, & crassities; post duas aut tres phlebotomias in brachijs celebratas, è saphena sanguinem mittere conueniet, eamque euacuationem bis, aut ter repetere.

Si in postremis sanguinis missionibus potio quædam laudabilis appareat, ita vt non adeò putridus videatur, vt anteà signum est naturę restaurantis, & restituentis nouum sanguinem, & probum in putridi vacuati locum. Contrà verò, si quo magis educitur, eò deterior appareat; signum est, morbum in peius ruere, & putredinem augeri; vnde partium interiorum narcosis metuenda est.

Vena in cubito, vel basilica, vel mediana vt plurimum secanda est, ex brachio dextro frequentius, ex sinistro vero interdum, cùm videlicet maior tensio in sinistro hypochondrio, quàm in dextro percipitur. Aliquando tamen in pede vena vtiliter aperitur, si reuellendum sit, & vires sint debiles, & materia caput petat, & capitis dolor, ac vigiliæ infestent.

Frictiones in febribus putridis rarò vsupantur, nisi in syncopalibus, quarum curationem in symptomatum curationibus, in fine huius capitis trademus.

Cucurbitulæ verò frequentius vsurpantur, præcipuè cum scarificatione, & sunt vicariæ venæ sectionis, quando vires, aut ætas illius vsum non permittunt.

Pharmaceutica remedia duplici genere cõprehenduntur, quorum alia euacuantia, alia alterantia nominantur. Sub euacuantibus comprehendimus purgantia, vomitoria, sudorifica, & diuretica. Sub alterantibus verò refrigerantia, attenuantia, incidentia, aperientia, roborantia. Quorum omnium compositionem, & vsus iuxta praxeos ordinariæ methodum seriatim describemus.

Atque vt à purgantibus incipiamus, maximè controuertitur apud Authores, an illa in principio febrium putridarum exhibenda sint. Quod dissidium: missis disputationum ambagibus, ita resoluendum est. Ratione materiæ, febrem putridam continuam immediatè producentis, quæ in venis

maiori-

maioribus continetur, purgationem in principio non conuenire, nisi ea turgeat, ideſt, ita exagitetur à natura irritata ob prauam eius qualitatem, eamque expellere conante, vt indè excretioni magis diſpoſita ſit, & ex illa turgentia metuendum ſit, ne in aliquam partem nobiliorem irruat; quod tamen quia rarò contingit, vt plurimum illius concoctio expectanda eſt, antequam per medicamenta purgantia eiuſdem euacuatio ſuſcipiatur. Ratione verò materiæ in prima regione contentæ, ſi plurima illa ſit, quæ febrem augeat, naturam grauet, eamque à materiæ in venis contentæ concoctione auertat, purgantia altero à venæ ſectione die exhiberi poterunt, ſed leuiora, quæ primam tantùm regionem euacuent. Humores autem vitioſos & excrementitios in prima regione, hoc eſt, ventriculo, inteſtinis, meſenterio, aut circa præcordia redundare, cognoſcimus ex nauſea oris amaritudine, ſiti, dolore ſtomachi, aut alterius partis in ventre inferioris contentæ; alui fluxu, aliiſque ſymptomatis, quoniam ratione aliquando purgatio ipſi venæ ſectioni præmittenda eſt. Erunt autem huiuſmodi medicamenta, caſſia, manna, tamarindi, catholicum, electuarium lenitiuum, diaprunum ſimplex, ſyrupus roſaceus de cichorio compoſitus; cum rheo; quæ variis modis concinnari poterunt in hunc modum.

℞. Caſſiæ recenter extractæ Vnc. j. pulpæ tamarind. Vnc. ß. Cum ſaccharo fiat bolus. Vel

℞. Catholici dr. vj. electuarij lenit. vel diaprun. ſimpl. Vnc. ß. cremoris tartari dr. j. Fiat bolus. Vel

℞. Fol. end. cichor. acetoſ. ana. M. ß. tamarind. ℥. ß. Coquantur ad Vnc. iij. In colat. diſſolue catholici Vnc. ß. mannæ, & ſyrupi roſac. ana Vnc. j. Miſce, fiat potio.

Si medicamentum paulò fortius deſideres, addere potes rhab. Drach. j. vel ſcrup. iv. in aqua endiuiæ, vel cichorij infuſum cum ſantalo citrino. Imò verò, & interdùm, ſi febris non ſit intenſior, ſennæ, Drach. ij. vel iij. decocto addi poterunt.

Quidam rhabarbarum reijciunt, quia calefacit: tum etiam mannam, & ſyrupum roſaceum, quia dulcia cùm ſint, facilè in bilem vertuntur. Verùm aquis, vel decoctis refrigerantibus, rhabarbarum infuſum, vel manna, aliaque diſſoluta nullum afferre poſſunt incommodum; præcipuè ſi dictis decoctis addantur tamarindi, qui ad hunc vſum maximè commendantur, vel pulpa eorum ſimul exhibeatur.

Nonnulli vtantur in bilioſis febribus ſero lactis caprini, idque appoſitè: nam, & ardorem febrilem temperat, & bilem euacuat, & viſcera corroborat. In cyatho vno ſero lactis infundunt per noctem rhabarb. dr. j. vel dr. j. ß. Vel addunt ſyrupi roſac. Vnc. ij. aut tres, exhibent manè, & poſtea alias duas libras propinant, ne totum ſerum medicamenti ſapore inficiatur.

Purgationem, quæ fit in principio febrium putridarum, vulgus Medicorum vocat minoratiuam eam verò, quæ fit concocta materia, eradicatiuam: quæ etiam in principio conuenit (vt dictum eſt) ex ſententia Hippocratis, ſi materia turgeat. Illa autem turgentia, ſeu orgaſmus materiæ morbificæ cognoſcitur ex eo, quod æger percipiat in variis partibus dolores leues, ac fugaces, admodumque mobiles. Varias etiam patitur in facie, aliiſque partibus coloris mutationes, vt nunc rubeat, nunc palleat aliqua faciei parte. Ac denique anxietatibus, & inquietudinibus maximè torquetur.

Illud tamen Hippocratis præceptum de purgatione in turgentia materiæ in praxi ordinaria non obſeruatur; ſed potius apparente humorum orgaſmo ad phlebotomiam tutius confugimus, ſicque facilius præcauemus, ne humores commoti irruant in aliquam partem nobilem, qui à medicamento purgante magis exagitati promptius in eam præcipitari poſſent.

Aliquando etiam in principio harum febrium vomitus prouocandus eſt, cùm videlicet ægrum nauſea, aut vomitus valdè vrget: tunc enim natura per ſuperiora materiam morbificam euacuare nititur, & Medicus illius motum adiuuare debet. Sæpèque accidit, vt magna materiæ copia in ventriculo, & vicinis locis contineatur, quæ per vomitum quamprimùm educenda eſt, cum nulla tam copioſæ, & excrementitiæ materiæ concoctio expectari queat; & quodcunque ingeritur, in humorem conſimilem immutetur, aut peccantem materiam augeat. Rectè enim annotauit Fernel. *lib. 3. meth. med. cap. 3.* omnem illuuiem in ventriculo, liene, pancreate, meſenterio, & cauis hepatis contentam, per vomitum commodè expurgari, quæ interdum medicamentis per inferiora purgantibus, etiam pluries exhibitis, deturbari nequiuerit. Et non rarò fit vt materia per vomitum reiecta febris ab initio tollatur, quæ longa alioqui futura, eſſet materia illa in penitiores corporis partes tranſmiſſa, & ſanguini permixta.

Ex vomitorijs autem medicamentis, cum triplex eorum gradus conſtituatur, mitiora eligenda ſunt, vt aqua hordei tepida cum oleo amygdalino, vel communi, vel cum aceti albi exigua quantitate. Item ſyrupus acetoſus aut oxymel ſimplex cum iure pulli, vel decocto ſem. acethi, raphani, aut atriplicis quibus etiam oleũ addi poteſt. Quę omnia ad ℔. j. vel maiorem quantitatem exhibenda ſunt, nam in minori quantitate aſſumpta retinentur in ventriculo. Cùm autem debiliora hæc vomitoria non ſint valdè efficacia; ad mediocria aliquando confugere licet, quæ in tertianæ intermittentis curatione infrà proponentur.

Clyſteres verò non ſolùm in principio morbi ante venę ſectionem, ſed etiam toto illius decurſu injiciendi ſunt ſingulis, vel alternis diebus, ſi aluus libere non fluat, cõpoſiti ex decocto emollientium, & refrigerantium, vt hordei, prunor. maluæ, violariæ, mercurialis, brancæ vrſinæ, atriplicis, lactucæ, endiuiæ, ſemperuiui, nymphææ: diſſoluendo catholicum, caſſiam, diaprun. ſimpl. ſaccharum rubr. mel violaceum mercuriale: oleum nymphææ, violac. &c. In febre tamen intenſiori ſatius eſt olea non addere, quia facilè inflammantur.

Nota primò, ſemperuiui maioris in decocto vnius clyſteris ſquamas tres, vel iv. tantùm eſſe præſcribendas, quia potentiſſimè refrigerat, & maiori copia vſurpatum inteſtina labefactare poſſet.

Nota ſecundò, in omni febre bilioſa clyſteres non actu calidos; ſed leuem tantùm teporem adeptus eſſe iubendos.

In pituitoſis febribus fiunt, decocta ex herbis emollientibus, cum ſem. aniſi; fœniculi, carthami, flor. chamom. & meliloti: diſſoluendo hieram. diaphœnic. mel roſaceum, mercuriale, oleum chamæmel. anethinum, vel commune.

Cùm verò, vt ſuprà annotatum eſt, integra, & abſoluta purgatio, quam eradicatiuam nominant, nonniſi cõcocta materia inſtituenda ſit, Medicus ab ipſo morbi initio poſt primam venæ ſectionem, & primarum viarum euacuationem ea medicamenta vſurpare debet, quæ humores crudos præparant ad concoctionem, & euacuationem, ſimulque calorem febrilem contemperant, putredine arcent, & obſtructiones reſerant; qualia ſunt iulepi, iuſcula, emulſiones, aliaque infrà recenſenda.

Iulepi componuntur in materia bilioſa ex ſyrupis de limonibus, granatorum, de agreſta, acetoſa ſimplici, de ſuco acetoſæ, de cichorio, ſimplici, oxyſaccharo, cùm aquis endiuiæ, acetoſæ, graminis, & cichorij.

Vel melius ex decoctis rad. acetoſæ, cichorij fol. acetoſ. capill. ven. ſcariolæ. dentis leonis, ſeminum frigidorum, tamarindorum, cum ſyrupis prædictis.

Interdum verò ad intenſiùs refrigerandum ſal prunellæ additur Drach. j. pondere, pro vnaquaque iulepi doſi; vel ſpiritus vitrioli, aut ſulphuris q. ſ. moderatam aciditatem.

Acida in bilioſis febribus nunquam omittenda quia amara dulcificantur per acida: quæ ſi intenſa ſint in ſuo gradu, vt ſpiritus vitrioli, aut ſulphuris, ipſius aloes, & colocynthidis amaritudinem delent. Bilis autem flaua, ſuo amarore ſpoliata, mortua eſt, & inoxia.

Ex ſuccis etiam parari poſſunt iulepi ſummæ efficaciæ, & guſtui gratiſſimi, in hunc modum.

℞. Succi pomor. redolent. recenter extracti, & per reſidentiam deputati. Vnc. iv. ſucci limon. Vnc. iij. aquæ roſar. Vnc. ij. ſucci granat. ℥. j. ſacchari albiſſ. ℔. ß. Fiat iulep. clarificatus pro iij. doſibus.

Si bilis valdè acris, & tenuis, ſit, quæ orgaſmum faciat, vel diarrhœam, aut grauem aliquam aliam fluxionem pariat; incraſſantes iulepi componendi ſunt ex aquis lactucæ, portulacæ, papau. rhœad. nympheæ, roſar. cum ſyrupis violaceo, iuiubino, de roſis ſiccis, de ſucco portulacæ, papau. rhœad. papau. albi; ex decocti lactucæ portulacæ, plantag. flor. nympheæ, papau. rhœad. & violar. cum ſyrupis prædictis.

Notandum tamen ſyrupum violaceum; alioſque dulciores ſolos non eſſe exhibendos: tum quia laxant ſtomachum: tum etiam quia antequam in venas penetrent, ventriculi calore in vaporem calidum conuertuntur, qui poſtea ſitim

intendit. Ideircò aliquid syrupi eiusdam acetosi semper admiscendum, vt facilliùs penetrent venas, & magis calori febrili resistant.

In progressu febris, apparente concoctione, decoctis prioribus adduntur rad. asparagi, liquiritiæ, folia agrimoniæ, pimpinellæ, hepaticæ, capill. ven.

In febribus pituitosis, & chronicis magis incidentia, attenuantia, & aperientia præscribuntur, à debilioribus tamen incipiendo, qualia sunt syrupus acetosus, capill. ven. byzantinus, cum decoctis agrimon. capill. ven. betonicæ, liquirit. passul. In progressu verò prædictis adduntur syrupi de duabus, & quinque radic. acetosus compos. de hyssopo, oxymel simplex, & compos. Decocto verò adduntur rad. 5. aperitiuæ, fol. hyssopi, cardui bened. &, (si materia sit valdè impacta, viscida, & lenta) chamædryos, & centaurij minoris, quibus si sal tartari, & spiritus vitrioli addentur, feliciùs operantur.

In febribus melancolicis adduntur, quæ vim aliquam humectandi obtinent, vt syrupus violac. bugloss., borrag. de pomis circa initia. Posteà verò de fumaria, de epithymo, de 5. rad. oxymel scilliticum, cum decoctis primùm bugloss., borrag., ceterach. capill. ven. fumariæ, lupulorum; deinde cuscutę, scordij, centauri min. corticum capparum fraxini, & tamarisci.

Ac denique in morbis febribus, ex variorum humorum miscella oriundis, prædicta remedia commiscenda sunt; ita tamen vt eorum, quæ prædominantem humorem respiciunt, maior quantitas præscribatur.

Pro delicatioribus iuscula medicata, iuleporum loco, præscribi solent: tum etiam, ne ægri eiusdem remedij diutius vsurpati tædio afficiantur; eaque componuntur ex prædictis rad. & herbis, gustui gratiores eligenda, cum pullo gallinaceo, vel frustulo gallinæ, aut capitijsque interdum, quando magis refrigerandum est, salis prunellæ drach. j. spiritus vitrioli guttæ aliquod addi possunt.

In febribus tamen lentis, & diuturnis, à contumacibus obstructionibus productis, chamædrys, licet amara, cum cichoraceis in iusculis decoqui potest; & Montanus in consilijs decoctionem cicorij, & chamædryos in iusculis velut admirandam prædicat in ijs, quibus febris longa cum obstructionibus coniungitur.

In febribus pituitosis decoctum chamæm. præstans, ex Zacut *obseru. 20. prax. admir. lib. 3.*

Emulsiones etiam hic locum habent, & iulepis gratiores vt plurimum esse solent. Tum maximè vsurpantur, vbi febris siccam viscerum intemperiem habet comitem, vel catarrhum tenuem, vel pulmonis, & partium spiritualium phlogosin; vel denique, vt remediorum formulæ immutentur, ne æger longioris iuleporum vsus tædio afficiatur. Harum autem emulsionum compositio in præcedentibus curationibus descripta est.

Aqua frigida, magna copia exhibita, in febribus etiam putridis continuis, à veteribus vsurpari solebat, & à recentioribus quamplurimis laudatur. Uerùm quemadmodùm in synocho simplici suspectum illius vsum esse diximus; sic iam prudenti Medico consultiùs fore ducimus ab ea abstinere propter rationes dicto loco propositas.

Cõferet tamen aliquando in magno æstu febrili aquæ frigidæ bonum haustum ad vnc. x. vel xij. cum guttis aliquot spiritus vitrioli exhibere: ab enim ijdem affectus producuntur, quos Galenus aquæ frigidæ tribuit, ad ℔. iij. vel iv. exhibitæ. Cùm tamen inde ea pericula metuenda non sint, quæ Galenus ipse ex præpostera magnæ illius aquæ frigidæ copiæ exhibitione sæpè contingere fatetur. Spiritus enim vitrioli facit, quo minùs aqua obstructiones augeat; quin potiùs eas aperit, & citò penetrat, atque viscera peruadit, nec moratur in hypochondrijs, vt aqua frigida simplex, sed aquis mineralibus, & acidulis, valdè affinis euadit: quę licèt magna copia sumantur; non grauant hypochondria, citissimè reijciuntur, nec non obstructionibus reserandis opportunissimæ sunt.

Ad vires reficiendas, quæ in omni febre vehementi plurimùm deijciuntur, conueniunt opiatæ, & condita roborantia, composita ex conseruis rad. bugloss., fol. acetosæ, acetosellæ, stipitum lactucæ, flor. bugloss., borrag., viol. cichorij, rosarum; pulpæ citri, quæ vulgò acidum citri nominatur. Quibus adduntur pulueres coralli, margarit. rasuræ eboris, cornu cerui, diamarg. frig. triasantal. diatrhod. abbat. confect. alkermes, de hyacintho, quæ vulgò in sequentes aut similes formulas redigi solent.

℞. Conseruæ flor. borrag. bugloss. & rosar. an. ℥. ij. confect. alkerm. ℈. i. ß. pulu. electar. diamarg fr. rasuræ eboris, coralli præp. & margarit. præp. ana ℈ß. sacch. rosac. ad pondus omnium, folia auri num. iij. Fiat conditum, auro coopertum, quo vtatur frequenter ex cochlear. per se, superbibendo parùm aquæ potus ordinarij, vel cum eadem aqua pro potu admisceatur, vel cum iusculis.

℞. Conseruæ cichorij, acetosæ, lactucæ, & acidi citri, ana ℥ ß. pulu. santali citrini, & margarit. præp. ana ℈i. spiritus vitrioli scrup. ß. Cum syrupo violaceo fiat opiata.

℞. Conseruæ flor. bugloss. rosarum, & violar. an. ℥. j. aquar. endiuiæ, acetosæ, & borag. an. Vnc. iij. Misceantur simul. Calefiant super cineres, & per colum traijciantur. Deinde adde confect. alkerm. Dr. ij. pulu. electuar. diamarg. frig. Dr. ß. coralli præp. margarit. præpar. & rasur. eboris, ana ℈. j. syrupi de limon. & granat. ana ℥ iij. Misce. Detur singulis vicibus cochlear j.

Pro delicatioribus, & in magna virium exsolutione iulepus sequens gustui gratissimus componi poterit.

℞. Aquar. acetosæ, naphæ, & rosar. ana ℥ j. ß. syrupi de limon. & granat. ana ℥ ij. ß. confect. alkerm. Dr. j. Misce vtatur ex cochleari frequenter.

Usurpatis per aliquot dies remediis alterantibus, & humores noxios præparantibus, ac concoquentibus, eorum purgationi incumbendum est, inclinante febre, & quando concoctionis signa apparent, vitando dies criticos. Idque paulò fortioribus medicamentis, quàm quæ in principio vsurpanda præcipimus: cuius generis sunt senna, rhabarbarum, agaricus, catholicum duplex, & similia; quorum materia, & dosis peccantibus humoribus, & naturis ægrotantium à perito Medico erunt accommodandæ. Nonnulli etiam ad diagrydiata audent trascendere, vt diaprun. solut. diaphœnicum, electuarium de succo rosar. aut diacarthami. Quę tamen in febribus continuis rarissimè vsurpanda sunt, cùm scammonium humores maximè inflammare soleat, & sitim vehementer excitare, idque præcipuè in febribus ardentibus, quibus plurimum noxia sunt, diagrydiata medicamenta. Imò verò rhabarbarum, etsi, benignum, ac præstantissimum medicamentum, in valdè biliosis febribus apud nonnullos suspectum est, propter calefaciendi, & exsiccandi vim, qua insigniter præditum est. Quam vis illius noxa magna ex parte præcaueri valeat, vt anteà dictum est, eius infusione facta in aquis refrigerantibus, eamque permiscendo cum decocto tamarindorum, & herbarum refrigerantium addendo cassiam; syrupum rosac. de cichor. compos. & similia.

Si febris protrahatur, purgatio erit identidem repetenda, interiectis præparantibus, & concoquentibus, donec tota illius mineta sublata fuerit. Alioqui, si ante integram febris solutionem à purgatione cessetur, periculum erit recidiuæ. Quod tamen præceptum restrictione quadam indiget. Si enim post repetitas pluries purgationes febris lenta perseueret, quæ ægrum sensim absumat, & in tabem præcipitare videatur; optimum erit purgationes intermittere, & febrem sola victus ratione, alterantibusque remedijs oppugnare. Contingit enim aliquando, vbi praua quædam est viscerum affectio, diuturnitatis febris causa, vt quamdiu medicamenta exhibentur, tamdiu morbus persistat. Fatigatur enim natura, quæ deinde vires resumens, morbi causam concoquit, & concoctam expellit.

Si tamen febris lenta ab obstructionibus oriatur, qualis in pueris sæpissimè contingit, frequens purgatio, eaque læuissima, per epicrasin humores educens, morbum auferre solet: si præsertim ex rhab. componatur, quod & obstructiones aperit, & viscera corroborat. Cuius elogium à Montano celebratum, *cons. 10. de febribus* hic transcribi meretur. Ille curam proponens pueri, febre lenta ex obstructionibus laborantis. *Inter reliqua*, inquit, *quod semper certa fide à me longo experimento probatum est, laudo, vt singulis diebus sumat infusionem rhab. in aqua endiuiæ. Numquam enim vidi febrem ex obstructione, hoc remedio non esse sublatam si modo pertinaciter quispiam in eius vsu perseuerauerit. Quandoque enim crassissimos humores impactos & obstructiones, quæ ob caloris imbecillitatem facilè tolli non poterant, ex rhab. assumptione curatas vidi. Consueui igitur accipere libram aquæ endiuiæ, in qua drachmam rhab. infundo, in panno lineo inuolutam. Deinde singulis diebus ℥. iv. illius infusionis, facta aliqua expressione, accipi iubeo circa auroram, & est eiusmodi dosis puerorum, neque desisto ab hac potione, priusquam videam omnino & febrem, & obstructiones fuisse sublata-*

Jublatas. Auferuntur enim proculdubio si reliqua rectè fiant, & curationi consentiat. Hæc Montanus. Apud nos autem in communi vsu est bochetum rhabarbari, quod huiusmodi pueris, febre lenta cum obstructionibus laborantibus, feliciter exhibemus pro potu ordinario. Et fit rhab. ℥.ſemis vel ℥j. (prout puer ægrius, vel facilius saporem ferre potest) crassiusculè tritam, & nodulo inclusam infundendo in aquæ fontis ℔.ij.vel iij. frigidæ per diem integrum. Eiusque vsus continuatur per mensem, aut diutiùs, si morbi contumacia id postulet. Eique interdum, si febris admodùm remissa sit, & corpus pituitosum, aliquid vini additur ad ingratum rhab. saporem corrigendum.

Post purgationem materiæ morbificæ natura plerumque in morbi declinatione per vrinas excernere reliquias consueuit, quod ex ijs copiosioribus, vel crassioribus colligere licet. Illius motus adiuuandus est diureticis medicamentis, ijsque temperatis: qualia sunt emulsiones, & aperientia, in iulepis & iusculis suprà descripta: quibus, si febris admodum remissa sit, aliquid rad. fœnic. & petroselini, vel sol. absinthij addi poterit, idque præsertim in febribus pituitosis, vt quotidiana continua.

Si verò natura ad habitum corporis materiæ morbificæ reliquias propellat; sudorifica vsurpanda sunt: non calida illa quidem, quæ magis propriè sudorifica sunt, sed alia temperata, quæ eadem ferè sunt cum diureticis; & prout attenuandi vi prædita sunt, humores disponunt, vt faciliùs à natura per locum sibi magis conuenientem expelli valeant. His tamen addi possunt aquæ cardui benedicti, scabiosæ, spiritus vitrioli, aliaque in febribus malignis fusiùs describenda.

Præter interna remedia extrinsecùs etiam varia adhibentur, ad calorem febrilem contemperandum, partium principum robur confirmandum, vel poros cutis relaxandos, & fuliginem, caloremque febrilem foràs attrahendum. Epithemata nimirum, linimenta, aliaque cordi, hepati, aliisque partibus admouenda. Quæ calori temperando destinata sunt, nonnisi in statu, aut declinatione admouenda, dum calor ad exteriora sese diffundit; non in principio, vt augmento, dum circum viscera adhuc residet, nec etiam instante crisi.

Cordi epithema admouendum, in hunc modum componi poterit.

℞. Aquar. bugloſſi, acetoſę, nymphææ, roſar. an. ℥ iij. aceti roſac. vel ſucci limon. Vnc. j. pulu. electar. diamarg. frig. & triaſantal. ana Drach. j. camphoræ, & croci, ana gran. v. Miſce, Fiat epithema, applicandum tepidè cum panno ſcarlatino.

Ad magis roborandum, & odoris gratiàm epithemati conciliandam, adde aquæ naphe Vnc. iij. confectionis alKerm. Drach. j.

Vbi magis roborare est animus, epithemata solida cordi applicantur, in hunc, aut simílem modum composita.

℞. Conſeruæ bugloſſi, & roſar. ana Vnc. j. confect. alKerm. Drach. ij. pulu. electuar. diamarg. frig. ℥. j. ſem. Cum ſucco limon. vel aqua roſar. fiat epithemata ſolidum applic. poſt liquidum.

Vel forma linimenti magis cardiacum ita paratur.

℞. Confect. alKermes, & de hyacinth. an. ℥. iij. pulu. elect. triaſantali, & diamar. fr. an. ℥. ij. Cum aqua roſar. fiat inſtar linimenti, quo illinatur regio cordis.

Ad roborandum quoque, & fuligines, caloremque febrilem foras euocandum, maximè conueniunt pulli columbini per ſpinam ſecti, & regioni cordis applicati; qui etiam non ratò ſinapiſati ſolent pulueribus cardiacis, vt diamarg. frig. & triaſantali. Uel antequam applicentur, regio cordis confectione alKermes, & linimento cardiaco illinitur.

Hepati quoque epithemata admoueri ſolent, in hunc ferè modum compoſita.

℞. Aquar. endiuiæ, cichorij, acetoſæ, & roſar. an. ℥. iij. aquæ lactucæ Vnc. ij. aceti roſac. Vnc. ſem. pulu. electuar. triaſant. Drach. j. ſem. ſpodij Drach. ſem. camphoræ ℈ ſem. Fiat epithema.

Ad potentiùs refrigerandum, ex ſuccis aliquando epithema confici poterit, in hunc modum.

℞. Succi cichorij, endiuiæ, ana ℔. ſem. ſucci lactucæ, & aceti roſar. ana ℥. ij. pulu. tritum ſantal. ℥. ij. Miſce. Fiat epithema.

Non ſolum autem hepati, ſed etiam vniuerſa hypochondriorum regioni epithemata refrigerantia adhibere: vtiliſſimum eſt; illa enim non ſolum pepaſmum promouent, ſed etiam viſcerum intemperiem emendant & impediunt ne partes principes in marasmum lethalem incidant.

Eadem hepatis regio inungenda erit ſequenti linimento, quod etiam renibus, atque lumbis applicati poterit.

Unguenti roſ. ℥. j. ſem. Cerati ſantalini ℥. j. ſucci endiuiæ ℥. j. ſem. ol. roſac. & ceræ, an. q. ſ. vt fiat liniment. Cui addatur aceti roſac. parum vnctionis tempore.

Teſtibus etiam refrigerantia vtiliter adhibentur, propter maximum conſenſum, qui ipſis cum partibus principibus intercedit: illis ideò refrigeratis totius corporis incendium magna ex parte reſtinguitur. Ad hunc vſum tale epithema componi poterit.

℞ Aquar. nymphææ, plantag. roſ. & cichorij, an. ℥. iij. aceti roſac. ℥. j. ſem. vini ℥. ij. Miſceantur, hiſque immergatur linteum, quo actu frig do teſtes inuoluantur.

Manuum, & pedum refrigerationes maximum quoque iuuamentum afferunt ob eundem conſenſum, quem habent cum toto corpore propter arterias, venas, & neruos, quæ ad illas partes deſinunt.

Neque timendum eſt, ne excrementorum diffiationem impediant. Si quidem pauca ſunt, quæ ex illis partibus effluunt; & ideò malus ex refrigeratione iuuamentum, quàm nocumentum emergit.

Manibus itaque contrectantur pilæ marmoreæ, eburneæ, aneæ, aut lumbeæ. Uel macerantur manus in aqua frigida, cui vini, & aceti tantillum mixtum ſit. Plantis pedum admouentur folia lactucæ, nymphææ, aqua & aceto immerſas Vel ad vtrarumque partium lotionem decoctum ſequens parari poterit.

℞. Fol. lactucæ, violar. ſemperuiui, portulac. fol. vitis ſalicis, an. M. j. cap. papau. n. xij. vel fol. eiuſdem (ſi adſint vigiliæ) M. j. aceti ℥. j. vini albi ℥. ij. aquæ fontis q. ſ. Fit decoctio. Cui adde ſi lubet, lixiuij parum ad corroborationem articulorum. Hoc lauentur manus, & brachia, pedes, & tibiæ, tepidè, bis in die, aut ſemel hora ſomni.

Aduertendum porrò eſt, antiquos balneis aquæ dulcis frequenter vſos eſſe in febrium putridarum curatione, vt videre eſt apud Galen. *lib. de marcore, cap. 7. 11. met. c. 9. & 10. tum ad Glauc. cap. 9.* Eaque vel frigida adminiſtrabant in febre vehementiſſima, vt ardente exquiſita: vel tepida in declinatione febrium, & concoctionis ſignis apparentibus. Verùm noſtra ætate non ſine periculo huiuſmodi balnea adminiſtrari poſſunt, & in vno tantum caſu conueniunt, quando ſcilicet febris in diuturnitatem abit, & corpus calidum & ſiccum, ac ſqualidam occupans, in hecticam degenerare poſſe videtur.

Hoc etiam pro coronide addendum, ſoluta per criſim febre, materiæ morbificæ reliquias purgatione eſſe auferendas præcipuè ſi per ſudorem, aut hæmorrhagiam facta fuerit criſis. Hiſce enim euacuationibus tenuior tantùm materiæ portio educitur, craſſior verò relicta nouum concipit incendium, & recidiuam efficit. Sola itaque criſis, quæ fit per alui fluxum, ſolet eſſe ſecura. Cui tamen non ita fidendum eſt, vt ab omni purgatione prorsùs abſtineamus. Sordent enim adhuc præcordia, & affluens alimentum corrumpunt vnde aut recidiua oritur, aut alterius morbi cauſa. Itaque multò ſatiùs eſt (quod à recentioribus nonnullis fuit obſeruatum) ſemel atque iterum repetito blando cathartico, ita reliquias omnes abſtergere, vt omnis recidiuæ metus, omnis quæ morbi alterius occaſio tollatur.

CAPVT II.

De Symptomatis febres putridas comitantibus.

OMnes ferè Authores, qui de febribus ſcripſerunt, ſymptomata febres comitantia, vel illis ſuperuenientia, eorumque curationes in fine operis deſcripſerunt, vt omnibus febrium generibus optimè accommodari valeant. Quod eorum conſilium tametſi minimè improbandum cenſeo, attamen commodius multò ad praxeos vſum cenſuerim, ſi illa febribus putridis continuis immediatè ſubnectantur cùm in ijs potiſſimum, & vehementia eſſe ſoleant, & peculiares medelas expoſtulent.

Quamvis igitur plurima ſymptomata multis ex ſupra enarratis remedijs, cauſæ, morbiq; accommodatis, emendari ſoleant; non pauca tamen ipſo morbo moleſtiora, peculiarem curam requirunt, quæ hic ſummatim deſcribenda eſt,

Dolor

Dolor capitis, vigiliæ, & delitia, ijsdem propemodum remedijs curantur, revellentibus, repellentibus, deriuantibus, resoluentibus, & anodynis. Reuellentia sunt clysteres emollientes, & laxantes, purgationes blandæ, phlebotomia, cucurbitulæ, lotiones pedum. Repellentia sunt frontalia, oxyrrhodina, vnguenta, vel linimenta. Deriuantia sunt sectio venæ frontis, vesicatoria. Ad resoluentia referuntur olea nonnulla, & animalia capiti admota, quæ etiam sunt anodyna. Per vsum autem prædictorum remediorum exhibentur iulepi, & emulsiones, ad humores calidos, & acres temperandos, ac demulcendos. Hisce omnibus accedunt narcotica non nisi maxima vrgente necessitate, & reliquis non conferentibus, vsurpanda. Quorum omnium medicamentorum materia in phrenitidis, & doloris capitis à causa calida curatione descripta reperitur. In eorum tamen administratione hoc vnicè obseruandum, ne instante crisi in vsum vocentur: motum enim naturæ perturbare, & crisin impedire valerent. Quod tum de cæteris, tum de narcoticis præsertim est audiendum.

Ad vigilias, & delitia plurimùm confert cataplasma plantis pedum admotum, ex cucurbitis recentibus contusis, foljs semperuiui maioris, lactucæ, & similibus, etiam lotiones pedum ex decocto herbarum refrigerantium. Sic enim frigiditas per neruos cerebro communicatur.

Conuulsiones in febribus, præcipuè malignis, aliquando contingunt à malignis vaporibus, cerebri meninges vellicantibus. Quibus mederi oportet clysteribus reuellentibus ac cucurbitulis; tum exhibendo frequenter in iulepis, aut iusculis puluerem epilepticum, *deguttera*, vulgò dictum, aut alium consimilem. Ac denique inungendo spinam dorsi oleo chamæm. violac. amygdalar. dulcium, & de nuce Indica.

Somno profundo febribus superuenienti eadem adhibentur remedia, quæ in soporosorum affectuum curatione fuere descripta; hoc tantùm obseruando, vt ea, quæ intus assumpta nimis calefaciunt, minimè vsurpentur.

Sitis febricitantium sedatur præcipuè potu refrigerante, & humectante. Attamen, si intensior sit, vt potus moderatus ei non sufficiat, (immoderatus enim plurima infert incommoda, & ægrum non rarò in vitæ discrimen præcipitat,) alijs auxilijs fallenda, atque demulcenda est.

Primò itaque frigidus aer inspiretur, æger in silentio maneat, ore clauso per nares expiret, & somno indulgeat.

Deinde abluatur os aqua hordei tepida, aut aqua in qua decoctæ sint iuiubæ, sebesten, pruna; lactuca, portulaca, & similia.

Teneat in ore æger frustum rad. liquirit. à cortice mundatæ, & in oxycrato maceratæ. Uel colluatos aqua hordei, aut simplici, cum modico aceti, aut cum succo granatorum limonum, vel tantillo spiritus vitrioli.

Vel teneat in ore acinos granatorum, aut laminam mali citrij, limonis, vel aurantij, maceratam in aqua rosarum, saccharo adiecto; vel stolones lactucæ, endiuiæ, aut portulacæ, folia acetosæ, taleolas anguriæ, cucurbitæ, cucumeris, in aqua frigida priùs maceratas. Vel cerasa acida, vel ribes, vel ramarindos, vel frustum crystalli, vel prunorum acidorum nucleos, quibus nonnihil pulpæ adhæreat, & similia.

Vtile est etiam ad sedandam sitim saccharum, aqua rosarum madefactum cum spiritu vitrioli, atque iterum exsiccatum.

Si leuioribus hisce sitis tolli nequeat; permittendus est potus, non initio exacerbationum, neque in augmento, nisi pauciſſimus; sed in vigore, & potiſſimùm vbi ad declinationem vergit: tunc enim largior potus calorem foràs diffundit, & sudorem aliquando mouet, præcipuè in febrium intermittentium paroxysmis, in quorum declinatione ad satietatem non rarò potum haurire conuenit. Varia potus materia in huiusmodi febribus conueniens superiori capite descripta est.

Si verò sitis ab humore bilioso, in ventriculo contento, ducit originem; is per vomitum, aut deiectionem expurgandus est. Vomitus prouocabitur, si æger sit nauseabundus, syrupi acetosi simpl. ℥.j.ß. cum aqua hordei, aut decocta raphani ℥.v. Sin minus, purgetur bolo ex cassiæ ℥.j. & pulpæ tamarind. ʒ.iij. vel mannæ ℥.ij. In decocto prunorum, & tamarindorum dissolutis, vel potione sequenti.

℞. Cassiæ recenter extractæ ʒ.vj. mucilag. sem. psyllij ℥.ß. decocti hord. prunor. & tamarind. ℥.iv. syrupi rosar. ℥.j. Misce fiat potio.

Linguæ, & faucium ardor, siccitas, & scabrities curatur varijs remedijs, dictis partibus admotis, in ore detentis, in hunc modum compositis.

℞. Mucilag. sem. cydonior. ℥ j. mucilag. sem. maluæ ℥.ß. species. diatrag. frig. & sacchari candi, ana ʒ j. sacchari albi q.s. Fiat eclegma. Uel

℞. Mucilg. sem. psyllij, aut cydon. extract. cum aqua lactucæ, vel rosar. Vnc. ß. syrupi violac. limon. aut granat. Vnc. j. ß. Misce. Capiat parum per interualla, & in ore detineat. Vel

℞. Sem. cucumeris ℥.ß. sem. cydon. ʒij. gummi tragacanth. ʒ j. ß. Contundantur semina, & gummi dissoluatur in albumine oui. Misceantur omnia, & fiant trochisci ore detinendi. Vel

℞. Sem. psyllij, cydon. ana Drach. j. ß. gummi tragacanth. drach. sem. sacchari candi drach. iij. Cum mucilag. gummi tragacanth. fiant trochisci. Vel linteo raro includantur, vt fiant noduli, qui macerentur in aqua rosar. & ore teneantur.

Si profundiùs asperitas hæserit, fiat gargarisma ex decocto hordei, rad. althææ, fol. lactucæ portulac. flor. violac. addito melle rosac. syrup. violat. vel saccharo cando, vel oxymel. simpl. & simil.

Si sordes linguæ adhæreant, vt plerumque fit; sæpè detergenda est linteo asperiori intincto oxycrato. Cui etiam succus semperuiui, & sal prunellæ interdùm addi poterit.

Si ardor sit intensior, cum insigni linguæ nigredine, magis refrigerantia humectantibus permisceantur, in hunc modum.

℞. Succorum lactucæ, semperuiui, limonum, an. ℥ j. mucilag. sem. cydon. sacchari candi, an. ℥ ß. sacchari albi q.s. Fiat looch. Vel

℞. Semperuiui recentis M.j. aceti rosac. ℥ iij. aquæ hordei ℔.j. Coquantur ad tertiæ partis consumpt. In colat. dissolue salis prunellæ ʒ j. ß. alum. ℈ j. syrup. viol. & de moris, ana ℥ j. Fiat gargarismus. Vel sal prunellæ solum in aqua semperuiui dissoluitur, eoque vtilissimè lingua, & fauces abluuntur, nec non eius particula absorberi potest, vt ad œsophagum simili ardore affectum peruenire possit.

Exteriùs verò guttur, & collum illinantur ol. violac. & butyro recenti, in aqua rosarum lotis, quibus veluti vltum guttur humectari possit.

Ad refrigerandum admoueri possunt, vnguentum rosaceum, refrigerans Galen. & similia. Sed multò efficaciùs admouentur folia lactucæ, portulacæ, trita, ac duobus linteis inclusa. Vel millepedes confusi eodem modo admoueri possunt.

In magno pectoris ardore, qualis in febribus solet contingere, totum pectus inungendum est oleo violaceo, nymphææ, & amygdal. dulcium. Imò verò, æstu plurimùm vrgente, fomenta eidem parti admoueri debent ex decocto hordei, lactucæ, nymphææ, borraginis, violarum, & similium composita, quibus irrigationes ex oleis prædictis debent succedere. Quandoquidem, ex præscripto Galeni, & Auicennæ, in huiusmodi febribus magna cura thoracis, vtpotè caloris fornacis, habenda est. Ea verò remedia, iuxta Tralliani præceptum, raro frigida, quia intrò calorem repellunt; nec tepida, quia laxant; sed actu calida, potentia verò frigida admoueri debent.

Dolor lumborum in febribus excitatur à sanguine feruido, & copioso, in vena caua ebulliente. Sedari autem debet clysteribus emollientibus, & refrigerantibus emulsionibus, ex seminibus frigidis paratis, addendo sal prunellæ; inunctionibus earum partium ex vnguento refrigerante Galeni, cum succo semperuiui maioris, & camphora, vel vnguento populeone, vel ol. rosac. nymphææ, & papaueri-no; vel epithemate ex aqua plantaginis, rosarum, aceto rosaceo, & camphora, vel oxyrrhodino ex aqua rosarum, oleo rosaceo, & aceto parato, quæ omnia actu frigida æstate, subrepida alijs temporibus admouenda sunt.

Inquietudines, quæ in febre assidue, & paroxysmis tertianæ intermittentis solent contingere, curantur præcipuè purgatione humoris bilioſi, ventriculum, aliasque partes sensibiles vellicantis, idque per vomitum, aut secessum, prout natura hanc vel illam viam magis affectare videtur; tum clysteribus ad inferiora reuellitur. Mox quies omni arte procuratur, & potus frigidus exhibetur, necnon iulepi refrigerantes, quibus interdùm syrupus de papauere, vel laudanum tantillum vtiliſſimè permiscentur. Etiam in vigore paroxysmi syrupi de pap. ℥. j. vtiliter exhibetur.

Syncope

Syncope in febribus syncopalibus vulgò dictis solet contingere, quarum duo genera constituuntur, vt superiori capite dictum: & vna dicitur syncopalis minuta, altera verò humorosa. Quarum curationes, vt potè ab aliarum febrium putridarum curationibus longè diuersas, prædicti symptomatis ratione, huic loco reseruauimus.

Syncopalis minuta, quæ à biliosis humoribus acribus, & venenatis generatur, in hunc modum curanda est. Aer sit frigidus, & humidus parumque adstringens, vt exolutio prohibeatur. Victus tenuis, refrigerans, instaurans ex iusculis pullorum cum acetosa, portulaca, &c. decoctorum, quibus addi potest aqua rosar. succus granat. & parum sacchari. Panis infusus succo granatorum, vel arantiorum exhiberi poterit, si victus paulò plenior sit concedendus, nec non cremor hordei, aut panatella cum succo granatorum, aut limonum. Tum iura restaurantia ex carnibus expressis cum dictis succis. Robustioribus exhibentur vitelli ouorum cum omphacio, testes, gallorum, carnes, pullorum, gallinæ, perdicis, ijsdem succis alteratæ.

Potus tempore pastus, si non adsit inflammatio alicuius visceris, sit vinum aquosum non vetustum, nec vaporosum. Extra pastum, aut si aliqua sit inflammatio, aqua hordei, aut aqua panata, cum syrupo granat. limon. acidi citri, iulepo rosac.

Somnus extra paroxysmum conuenit in eodem nocet. Ac denique maximè fugienda, quæ iram, tristitiam, & similes affectus concitant.

In paroxysmo flabellis refrigerantibus, & irrorationibus odoriferis, spirituum resolutio supprimenda est. Facies aspergenda aqua frigida, vel rosar. cum aceto. Eadem quoque testes in viris, & mammæ in mulieribus frigidè foueri poterunt.

Si calor cum spiritibus è corde ad exteriora non reuocetur; reuellendus est frictionibus extremorum, ac vellicationibus: tum nares sæpè apprehendantur, pili vellantur, nomine proprio sæpè æger inclametur. Detur mica panis succo granat. infusa, aut vinum tenuè odoriferum, aqua rosar. dilutum: Et vrgente necessitate, aqua cinnam. cum aqua rosarum. Interim iura restaurantia non omittantur, quibus confectio alKermes, aliaque admisceri poterunt. Potiones quoque cordiales sæpè ex cochleari exhibendæ, in hunc modum compositæ.

℞. Aquæ rosar. Vnc. ij. aquæ naphæ ʒ. j. aquæ cinnam. Vnc. ß. confect. alKerm. ʒ. j. margarit. præp. coralli præpar. ana ℈. sem. manus Christi perlatæ Drach. vj. Misce, Fiat potio. His accedere possunt opiatæ, & condita, superiori capite descripta.

Medulla panis adhuc calentis aquæ rosac. & aceto irroretur, & ori, naribusque admoueatur.

Cordi epithemata refrigerantia, & roborantia applicentur.

Ad poros densandos, & impediendam dissolutionem inuoluatur æger linteo conspersо puluere rosar. balaust. iorum, & santalorum; vel irrorentur lintea aqua ros. cum modico aceto.

Totum corpus præcipuè dorsum illinatur sequenti linimento.

℞. Ol. rosar. omphac. ana ʒ. j. ß. myrtill. cydon. mucilag. sem. pſylli an. ʒ. vj. gummi arab. dissoluti in aqua ros. ʒ. ij. ceræ albæ q. s. Fiat linimentum.

Ventriculi ratio præcipuè habenda est, quod in eo præcipuè humor noxius cumuletur. Illinenda autem est illius regio oleo rosaceo, & cydon. tum imponatur panis tostus maceratus succo cydon. & granat. acidorum. Vel magno vrgentæ æstu, foueatur tepidè decocto portulacę, & rosarum, vel etiam succo solani, portulacæ, vuæ acerbæ, adiecto ol. rosac. & cydonior.

Sublata syncope, & refectis viribus, ad febrem, eiusque causam tollendam conuertendus est animus. Quod fiet alterantibus, & euacuantibus, quæ febris ardentibus idonea superiore capite descripsimus.

Syncopalis humorosæ, quæ ab humorum pituitosorum & crudorum multitudine producitur, contraria ferè est curatio ei, quæ minutæ adscripta est. Siquidem aer debet esse temperatus, ad calidum inclinans, lucidus, purus, & siccus. Cibi boni succi, & facilis concoctionis, præparati cum hyssopo, fœniculo, aliisque. Potus sit vinum tenue, & oligophoron. Somnus, & vigiliæ moderatæ.

At frictiones in primis maximè commendantur à Galen. 12. meth. c. 3. eæque ab initio morbi celebrandæ sunt lineis asperioribus supernè deorsum, primùm in pedibus, & cruribus; post in brachijs, humeris, & dorso. Lintea priùs suffiantur styrace, ligno aloes, thuræ, caryophyllis, &c. Vbi à frictione artus abundè incaluerint, inungantur oleo anethino, chamæmel. irino, costino, alijsque resoluentibus. Huiusmodi frictiones plurimùm laudantur, quia calorem cum spiritibus, ac materiam noxiam, vires suffocantem, ad exteriora euocant.

In paroxysmo æger excitandus est narium apprehensione aurium fricatione, pilorum auulsione, inclamatione, &c. Præterea ori, & naribus odorata admoueantur, vt aqua cinnam. flor. arantiorum, acetum infusionis caryophyll. mica panis intincta vino Hippocratico, quæ etiam per os exhiberi potest aut ipsum Hippocraticum solum, aut aqua cinnamomi, aut potio cardiaca sequens.

℞. Aquar. melissæ, rorism. & flor. arant. ana Vnc. j. aquæ cinnam. Vnc. ſem. confect. alKerm. Drach. j. syrupi conditurę cort. citri, & caryophylli nostratis, ana ʒ. j. Misce. Fiat potio, quæ detur ex cochleari frequenter. Opiata etiam in hunc modum componi poterit.

℞. Conserue flor. bugloſſi, anthos, & cort. citri condit. ana Vnc. ſem. aucis moschat. condit. ʒ. ij. confect. alKermes ʒ. ij. ſpecier. diambræ, diamoschi dulcis, ana ℈. j. cum syrupo condit. cort. citri fiat opiata.

Cordi admoueri possunt epithemata, & pulli columbini; ventriculo, & testibus fomenta, aliaque administrari, quæ in virium imbecillitate fuere proposita.

Dum hæc fiunt, ad frictiones identidem redeundum est, quæ nunquam in hoc affectu sunt omittendæ.

Refectis aliquantum viribus, materia morbifica educenda est per clysteres, & purgationes, (in quibus hiera cum agarico, ratione ventriculi, multum prodest) quæ blandæ, & frequentes esse debent, interiectis tamen præparationibus idoneis.

Inappetentia omnibus propemodùm febribus communis est. Dum enim ventriculus calida intemperie afficitur; fames imminuitur, & sitis augetur. Aliquando tamen ita deijcitur appetentia, vt ægri vix iusculum haurire possint. Fitque illud cibi fastidium à vitiosis humoribus, in ventriculo collectis, aut illius tunicis imbibitis, vel corruptis, malignisque vaporibus ventriculum obsidentibus. Curari debet euacuatione causæ morbificæ, per vomitum, aut secessum idque ab initio diluto rhab. & tamarindorum. In declinatione verò, si febris non sit valida, cum hiera picra in decocto hordei, cicerum, absinthij, aliorumque detergentium dissoluta. His succedere debent clysteres detergentes, qui consectione quadam à ventriculo reuellunt. Præterea exhibenda sunt frequenter acida, & refrigerantia, vt syrup. limon. granat. cerasa accida, &c. per se, vel cum aqua frigida exhibita. In declinatione, aut cessante febre, syrupus de absinthio ponticо vtiliter dari poterit, vel solus vel cum syrupis aut succis acidis permixtus. Cibi offerantur ægro magis grati. Vt enim docet Hippocr. *Aph. 38 Sect. 2.* paulò deterior, sed suauior cibus, & potus, meliori sed insuauiori præferendus. Per rara autem interualla cibus non multus assumatur, frequentior enim, & copiosior inappetentiam vel sanis inducit. Condiantur verò cibi, modò tutis absit, omphacio, aceto rosac. succo limon. Si æger ita abhorreat ab omnibus cibis, vt nihil omninò assumat; injiciantur clysteres nutrientes, bis, aut ter in die; eductis priùs excrementis clystere detergente. Soluta omninò febre, si remaneat inappetentia, æger modicè se exerceat, vratur capparibus, saxifraga, oliuis locum mutet, & migret ad aerem frigidiorem. Ac tandem, si hæc non sufficiant, vratur vino absinthite, & pilulis de hiera, quæ humores ventriculi tunicis impactos potenter abstergunt.

Singultus, & vomitus febribus superueniens, varijs oppugnantur remedijs, quorum materia ex singultus, & vomitus curationibus, à nobis descriptis, erit repetenda, & singulis febricitantibus, hisce symptomatis correptis cum delectu, ac judicio accommodanda. Cauendum tamen maximè est, ne vomitus criticus vlla ratione cohibeatur. Singultus interdum ex immodico refrigerantium vsu procedit, vt testatur Lemnius referente Schēkio, his verbis *Singultus in febribus nonnunquam sequitur intemperatum refrigerantium vsum iuleporum. Quo modo affectos inconsulta temeritate Medicorum plures vidi, idque symptoma contra omnium opinionem vini potu sustulimus.*

Fluxus alui febribus putridis superueniens, si criticus sit cohibendus non est; neque symptomaticus statim initio, si vi-

si vires admodùm non deijciat, ne humor vitiosus ad partes principes recurrat. Quando cohibendus est, id fit purgatione blanda, & simul adstringente, clysteribus detergentibus, & roborantibus; assumptis, & admotis incrassantibus, roborantibus, & adstringentibus. Quæ omnia ex diarrhœæ curatione erunt desumenda, à leuioribus incipiendo, & ad fortiora, si necessitas vrgeat, paulatim progrediendo.

Sudores, si critici non sint, sed symptomatici, vireſque maximè deijciant, cohibendi erunt aeris refrigeratione, conspergendo aquam frigidam, folia salicis, & vitis suprà pauimentum; & si opus sit, feneſtras aperiendo, corporis euentilatione paulatim facta sub leuibus integumentis, ac molli culcitra detracta: Item facie oxycrato frequenter consperſa: ac denique vsu medicamentorum frigidorum adstringentium; qualia sunt epithemata refrigerantia cordi, hepati, ac toti ventri admouenda, & subinde immutanda. Vnguenta ex oleo rosac. myrtino, mucilaginibus, & puluer. adstringentibus compoſita, toti corpori, & præsertim spinæ dorsi applicanda. Pulueris ex rosis, balaustijs, malicorio, myrtillis, mastiche, terra Samia, &c. collo, thoraci, alijs, & inguinibus inspergendi; vel æger inuoluatur linteo irrorato oxycrato cum pulueribus prædictis, cauendo tamen, ne inflammatio aliqua, aut tumor aliquis præter naturam in hypochondrijs lateat, tunc enim ab adstringentibus, saltem validioribus, est abstinendum. Sudor abstergendus non est; sed sinendus, vt ad poros cutis concrescens alium affluere prohibeat.

Per os verò exhibenda incrassantia, adstringentia, & roborantia, vt hordeata ex decocto lactucæ, & sem. frig. parata, iuscula instaurantia cum succo granatorum, agrestæ, pulueribus corallor. margarit. rasur. eboris, santalorum, aut balaustiorum. Iulepi ex aquis rosar. lactucæ, portulac. cum syrupo granat. de rosis siccis, aut cydonior. Opiatæ ex conserua rosarum, corallis, margaritis, terra sigillata, pulu. diamarg. frig. triasantali, &c.

APPENDIX.

In febrium acutissimarum, & pernicioſarum curatione hoc diligenter aduertendum rarissimè eas fieri sine interna, & peculiari visceris cuiusdam affectione; & plerumque inflammatione. Quare nunquam omittenda cura hypochondriorum, capitis, thoracis, vteri, renum, & vesicæ. vt omni ratione inuestigemus, quæ harum partium insigniter laboret, & ei, quoad fieri potest, subueniatur.

CAPVT III.

De Febre tertiana intermittente.

FEbris tertiana intermittens fit à bilioso humore excrementitio, in prima corporis regione contento, ac putrescente.

Illa autem vel legitima est, & exquisita; vel illegitima, notha, seu spuria.

Legitima seu exquisita horis 12. terminatur, & producitur à bile naturali putrescente. Notha verò seu spuria paroxysmos habet 12. horas excedentes. Quod si 24. horas excedat tertiana extensa nominatur. Fitque vel à bile præternaturali putrescente; vel à naturali, aliis humoribus, præsertim pituitæ, permixta.

Item tertiana alia simplex est, alia duplex, alia triplex. Simplex dicitur, cuius paroxysmi tertio quoque die, hoc est alternis diebus, recurrunt. Duplex verò quando paroxysmi singulis diebus inuadunt. Et quamuis in hoc à quotidiana non differat, vtraque tamen distinguitur per signa propria, bilem, aut pituitam redundantem indicantia, quæ suis locis exponentur. Aliquando tamen in tertiana duplici duo paroxysmi eadem die apparent, altera die remanente libera: idque recentiores nonnulli vocant duas tertianas, & à tertiana duplici distinguunt. Quæ tamen distinctio exigui momenti. Triplex tertiana fit, quando duorum dierum spatio tres apparent paroxysmi. Rarissima est hæc febris. Vnum tamen illius exemplum proponitur à Galen. 2. *de crisi. cap. 9.* Et nos aliud vidimus an. 1637. in quodam viro nobili, qui singulis 16. horis febris tertianæ paroxysmum patiebatur. Et singuli paroxysmi intra 10. aut 12. horas per sudores iudicabantur. Fiunt autem diuersi hi paroxysmi à diuersa materia, in diuersis locis putrescente, ita vt vnaquæque peculiarem locum obtineat.

Humores autem, febres tertianas producentes, in prima potissimum regione cumulantur; hepate nimirùm, cystide fellea, ventriculo, mesenterio, pancreate, aut venis illarum partium.

Earum causæ sunt omnes, quæ bilem excrementitiam generant; nempè calida, & sicca hepatis intemperies, ætates iuuenilis, aeris constitutio calidior, vigiliæ, curæ, iræ ieiunia, ciborum calidorum vsus, exercitatio nimia. His accedunt ad tertianæ nothæ productionem causæ pituitam, & melancholiam generantes. Hinc illi, qui calidiori hepate præditi sunt, & ex crapula, ac praua victus ratione multas cruditates generant, ex bilis cum crudis humoribus permixtione tertianis nothis obnoxij sunt. Hinc etiam ætatis tempore crudis humores, ex caloris natiui imbecillitate, fructum esu, & nimio potu geniti, bili permixti, tertianas nothas parinnt.

Signa diagnostica tertianæ exquisitæ sunt, quòd hæc febris statim cum insigni rigore incipiat, quo à quotidiana distinguitur, in qua leuis tantùm horror, aut frigefactio apparet. Deinde rigorem sequitur calor intensus, acer, & mordax, sitis intolerabilis, respiratio magna, & frequens vigilliæ, capitis dolor, & interdum deliria. Rigorem etiam sequitur interdùm vomitus biliosus, vel alui fluxus. Urina aliquando flaua est, rusa, vel rubra. Accessiones vltra 12. horas non extenduntur, & sudoribus terminantur. Præterea præcesserunt causæ, bilem generantes, supra enumeratæ.

In tertiana notha signa omnia prædicta sunt remissiora, quàm in exquisita; sed intensiora, quàm in in quotidiana. Et prout maior, vel minor pituitæ copia billi admixta fuerit; paroxysmi ad tertianæ exquisitæ, vel quotidianæ paroxysmos magis, vel minùs accedunt, tum ratione intensionis symptomatum, tum ratione durationis ipsius paroxysmi. Ita vt tertianæ nothæ paroxysmi ad sexdecim, octodecim, & plures horas extendantur. Quamquàm interdùm possint esse breuiores ob materiæ paucitatem, & intra octo, decem, duodecim horas terminari.

Prognosis desumitur ab Hippoc. *Aphoris. 50. sect. 4. Tertianæ* inquit *exquisitæ septem circuitibus, ad summum iudicantur. Et Aph. 43. eiusdē sectionis. Febres quocunque modo intermiserint, periculum abesse significant.* Quod tamen intelligendum est de tertianis febribus, omnis malignitatis expertibus. Dantur enim tertianæ malignæ, & pestilentes quæ quamvis euidentes habeant intermissiones; ægrotantes tamen non rarò de medio tollunt. Præterea multa febri tertianæ possunt superuenire, quo vitæ periculum inferre possunt, quamuis febris ex se periculosa non sit.

Scribit Haly, & vulgatissima docetur experientia, tertiana laborantibus, si vlcera, aut pustulæ in labijs, & naribus erumpant, finem febri præsagire. Est enim quædam veluti crisis: quæ ad illas partes fit.

Alui fluxus, febri tertianæ superueniens, materia iam concocta, eam soluit. Et hæc vnica est via, qua huiusmodi febres perfectè iudicantur. Cùm enim illarum focus in cystide fellea, vel hepate, vel mesenterio, aljisque partibus primæ regionis contineatur; etiamsi quę singulis accessionibus effertur exalatio, in habitum corporis irrepens, vel sudoribus, vel insensili transpiratu, vel papulis expurgetur; manet tamen crassamentum, quod nisi beneficio naturæ, vel medicamentorum per aluum expurgetur; aut febris diuturnæ, aut obstructionum, aut recidiuæ, aut aliorum morborum contumacium causa esse solet.

Breues, & securæ esse solent febres intermittentes, si bonus sit totius corporis habitus, si viscera benè sint affecta; si ver aut ætas adsit; si æger non multò vtatur alimento, & parcè bibat. Contrà vero longiores, & contumaciores esse solent, si praua adsit iecoris, aut lienis affectio, si æger abundet humoribus pituitosis, aut melancholicis; si hyems, vel autumnus vigeat; si æger multo vtatur alimento, aut potu multo calorem opprimat.

Curatio, vt in alijs febribus, ad febrem, eius causam, & vires dirigenda. Febris iudicat refrigerantia: causa, eadem refrigerantia, tum concoquentia, & euacuantia: vires, roborantia.

Ac victus ratio primùm instituenda refrigerans, & humectans, eadem prorsus in tertiana exquisita, quæ in febribus continuis fuit proposita. At in tertiana notha, eaque simplici, paulò plenior victis imperandus est, præcipuè si illa

illa in longitudinem habeat: tunc enim solida alimenta exhibenda sunt intermissionis, & quinque, vel sex horis ante accessionem. In tertiana verò duplici, quemadmodum in tertiana exquisita, solis iusculis, aliisque sorbilibus alimentis æger nutriendus est.

Potus gratissimus in tertiana notha, ex Foresto.

℞. Aquæ fontis ℔ij. cinnam. ʒ. sem. sacchari ʒ.iij. Hæc cruda per manicam Hippocratis trajiciantur.

In accessione autem alimentum exhibendum non est, iuxta sententiam Hippocr. *Aph.* 11. *sect.* 1. Natura enim, vt docet Galen. *in comm.* cibi concoctione auocatur à concoctione humorum morbificorum, adde quòd in accessione retro vapore vniuersum corpus perfundatur, qui cibum recenter sumptum labefactat, & maxima parte corrumpit. Attamen, si accessio adeò longa fuerit, vel corpus ægrotantis adeò calidum, & siccum gracile, & raræ texturæ, vt facilè dissoluatur, & ad finem paroxysmi sufficeret non valeat, etiam in accessione cibandus æger est, quod melius fiet in statu, quam alijs temporibus. Quamuis etiam in principio, & augmento; vrgente necessitate, cibus offerri possit. Sic enim Gal. 10. *meth. cap.* 5. hac febre laborantes calido, & sicco temperamento præditos, quibus aduersissima est inedia, ne in syncopen incidarent, etiam in principio accessionum cibare coactus est. Ad eiusque imitationem Amatus Lusitanus *centur.* 68 *cent.* 4. picrocholo, & meram bilem euomenti, vnde syncope oriebatur, panem lotum, agresta aspersum, paroxysmi initio exhibuit, sicque prædicta symptomata inhibuit.

Illud præterea tum in hac, tum in alijs febribus intermittentibus est obseruandum, vt æger ante paroxysmum neque potum, neque cibum assumat, neque somno indulgeat. Utiliter tamen aluum deponet, iniecto, clystere, si opus fuerit, modo ille ante initium paroxysmi injiciatur.

Instituta igitur victus ratione idonea, ad materiæ morbificæ euacuationem statim progrediendum est; quæ cum in primis vijs hæreat, non solùm clysteribus, sed etiam medicamentis assumptis, aluum laxantibus, tum vomitorijs educenda est.

Clysteres in tertiana exquisita fient ex decocto emolliente, & refrigerante, cum cassia, catholic. diapr. simpl. aut solutiuo. In notha verò fiet decoctio ex emollientibus, & incidentibus dissoluendo diaphœn. mel rosac. &c.

Aluum laxantia medicamenta in tertiana exquisita erunt eadem, quæ in febribus continuis fuere proposita. In notha verò addantur agaricus, senna, catholicum diaphœnicum, aliaque ex curantis Medici iudicio, iuxta varias ægrorum constitutiones, eligenda. In quacunque verò specie cremor tartari vtiliter medicamentis addi poterit, qui obstructiones aperit, potenter detergit, & nihilominus refrigerat. Medicamenta purgantia die intermissionis exhibenda sunt, idque matutinis horis, vt vulgò solet fieri, si intermissio in eas horas incidat. Alioqui tempus inter duas accessiones medium eligendum. Et quavis hora diei, ac noctis exhiberi potest medicamentum, modo illa ab accessionibus plurimùm distet, & ventriculus assumptum priùs alimentum concoxisse videatur.

In tertiana autem duplici difficilè est horam exhibendi medicamenti eligere, cùm non rarò tres, aut quatuor tantùm horæ duobus paroxysmis intercidant. Imò interdùm adeò longi sunt paroxysmi, vt alter incipiat, antequam prior desierit, vnde febres subintrantes nominantur. Tunc enim occasio præceps exactam Medici diligentiam postulat. Commodior autem exhibendi medicamenti hora ita eligenda est, vt in tertiana duplici non subintrante, in fine paroxysmi exhibeatur, ea ad sequentem paroxysmum distantia, vt antequam ille inuadat operatio medicamenti absoluta sit. In febre autem subintrante exhiberi debet medicamentum in declinationis principio, simulatque tantillum remittere incipit. Et in vtroque tribus horis ab assumpto medicamento iusculum exhibendum est: ita tamen, vt tres aliæ supersint horæ ab assumpto iusculo, antequam paroxysmus inuadat. Atque adeò sex horis ad minimum exhibendum est medicamentum ante proximum paroxysmum.

Quod ad vomitoria spectat, ea, quæ de ijs in continuarum febrium curatione dicta sunt, hic etiam commodiùs aptari possunt; cum humorum illuuies in ventriculo, mesenterio, & cauis hepatis contenta, quæ huiusmodi febres solet producere, per vomitum aliquando educatur, quæ tamen interdum medicamentis, per inferiora purgantibus, etiam pluries exhibitis, deturbari nequiuerit, vt rectè Fernelius annotauit. Atque ita, si in principio paroxysmi æger vomitibus torqueatur, cum naturæ motum rectè sequetur Medicus. Et cùm mitiora vomitoria plerumque non sufficiant; ad mediocria veniendum: quale in primis est asarum, cuius in puluerem redacti ʒ.ß.ℑ.ij. vel ʒ.j. exhibetur cum iusculo, aut alio liquore conuenienti. Alij decoctum illius exhibent, quod paratur ex ʒ. iij. rad. asari decocti in iusculo pulli, vel aqua hordei, & passularum. Chymici vitriolum album præparatum, & salem vitrioli vsurpant, tum etiam aquam benedictam, quæ ex croco metallorum fit. Quæ quidem, vt & cætera medicamenta ex antimonio desumpta, sicuti materiam in primijs vijs stabulantem nonnunquam feliciter euacuant, ita prudenter, & peritum, qui ea exhibeat, Medicum desiderant: alioqui sunt veluti culter acutus in manu infantis, aut gladius in manu furiosi.

Expurgatis primis vijs, vno saltem medicamento, vena aperienda est die intermissionis. Imò verò, corpus si sit plethoricum, & vrinæ rubræ, ac crassæ apparent, curatio vtiliter à phlebotomia inchoabitur: melius enim postmodum purgatio procedet.

Si sanguis valdè calidus, adustus, aut putridus appareat; phlebotomia erit iteranda: quod tamen à Medici iudicio pendere debet, iuxta propriam ægrotantis constitutionem.

Post purgationem, & phlebotomiam, præparationi humorum incumbendum est per iulepos, in febribus continuis propositos, quorum materia varianda est, prout pituita, vel melancholia bili permixta est, vt etiam dicto loco annotatum est.

Interim verò, dum prædicta remedia fiunt, calor febrilis temperandus est epithematis refrigerantibus, cordi, & hepati admotis, qualia in febribus continuis fuere proposita. Hac cautione adhibita, vt nonnisi in summo febris vigore, aut potius in declinationis principio admoueantur.

Hepati etiam, & lumbis vnguentum rosaceum, aut refrigerans Galeni applicari poterit.

Clysteres etiam emollientes, & refrigerantes in fine paroxysmi, vt ante illius inuasionem erunt vtilissimi.

Præparata materia per aliquot dies vsu iuleporum, purgatio iterum instituenda est, ex senna, rhab. catholicone, syrupo rosaceo; addendo agaricum, si redundet pituita. Et si æger sit robustus, addi potest diaprun. solut. electuar. de succo rosar. vel diaphenicum.

Purgato iterùm post vium iuleporum corpore, si accessiones redeant, & ad longius tempus continuari videantur; signum est, humores crassos, & pertinaciter inhærentes, febrem fouere, & obstructiones producere: quorum ratione abstergentia, aperientia, & incidentia vsurpanda sunt. Eorum autem præcipua sunt absynthium, quod valdè commendatur à Gal. 1. *ad Glauc. cap.* 9. & centaurium minùs, quod ratione virtutis eximiæ, quàm habet in curandis febribus, *febrifuga* nominatur. Quia tamen ea calida sunt, frigidorum commixtione temperari possunt in hunc modum.

℞. Rad. gram. cichorij, & asparagi, ana Vnc. j. fol. agrimon. acetosæ, cichorij, endiuiæ, ana M. j. absinthij vulgaris, & centaurij min. ana M. sem. Coquantur ad ℔.j. In colat. dissolue syrupi limon. ʒ.iij. Fiat iulep. pro tribus dosibus matutinis.

Finitis iulepis, purgans medicamentum iterùm exhibendum est; vel vomitorium, si natura per illam viam euacuationem affectet. Tunc enim, apparentibus scilicet concoctionis signis, huiusmodi febres feliciter per vomitum rarò curantur. Et Gal. 1. *ad Glauc. cap.* 10. multos solo vomitu ab hac febre curatos esse scribit. Imò verò, quotidiana docet experientia, aquam benedictam huiusmodi febres vt plurimum eradicare, nisi contumaces viscerum obstructiones obsistant. Multa huius rei experimenta proposita sunt à Martino Rulando, in centurijs curationum. Sed vehemens est, vt antea dixi, medicamentum, nec nisi summa cautione exhibendum. Quidam huius aquæ ʒ.j. cum infusione Vnc. sem. fol. sennæ exhibent; sicque magis per secessum, quàm per vomitum operatur.

Alij vsurpant guttam gummi, alij Mercurium dulcem cum scammonio. Quæ remedia cum potenter euacuent, febres huiusmodi sæpissime eradicant; sed robustioribus tantùm corporibus exhibenda.

Hisce remedijs vt plurimùm febres tertianæ, non solùm legitimæ, sed etiam nothæ solent succumbere. Si tamen adhuc pertinaciter obsistant, (vt sæpè fit) solemnis purgatio instituenda est, apozemate per triduum propinato, ex ma-

teria iuleporum, addendo sennam, rhabarbarum agaricum, syrup. ros. de cichor. comp. & similia. Imò verò, licet ante huius apozematis vsum tertiana febris soluta sit, vtilissimum est apozema exhibere, si spontaneum aluí profluuium non contigerit. Infida enim est illa solutio, & recidiuam minatur; cum reliquæ euacuationes, quæ per sudorem, aut insensilem transpirationem fiunt, portionem tantùm humorum tenuiorem euacuent, crassiori intus remanente, quæ nonnisi per aluum educi potest.

Antequam apozema exhibeatur, si tensio sit in hypochondrijs admoueatur fotus emolliens, attenuans, & roborans, in hunc modum compositus.

℞. Rad. althææ, gram. & asparagi, an. ℥. j. rad. enulæ camp. & cortic. median. tamarisci, an. ʒ. sem. fol. maluæ, violar. agr. capill. ven. & absinth. an. M. j. sem. lini, & fœnugr. an. ʒ. j. flor. chamom. melilot. ros. ana P. j. Coquantur in tribus aquæ partibus, & vna vini albi sub finem additi cum aceti ʒ. ij. Foueantur hypochondria calidè, manè, & serò per biduum ante vsum apozematis.

Post fotum illinatur eædem partes sequenti linimento.

℞. Ol. lilior. amygdalar. dulc. & tamarisci, ana Vnc. j. unguenti de althæa. Vnc. ij. ceræ parùm. Fiat linimentum.

Si non obstantibus hisce remedijs, pertinax febris in longitudinem abeat, & facies tumida, ac sub pallida appareat; tùm pedes vesperi intumescant; iis remedijs ægri tractandi sunt, quæ ad hepatis obstructiones vulgò præscribi solent. Inter cætera verò maximè laudatur à Montano decoctum cichorij, & chamædryos in iusculo, quod dicit esse admirandum in febribus longis ab obstructione pendentibus.

Notandum tamen est, febris tertianæ longitudinem à calida, & sicca iecoris intemperie aliquando foueri, quæ humorem biliosum, nouarum accessionum fomitem, continuò producit. Quod sæpè obseruatur in multis, qui sicco, & squalido corporis habitu præditi, & omninò bilioſi, citra tensionem viscerum, & citra humoris copiam, per tres aut quatuor menses, calidiori præsertim anni tempore, tertianam passi sunt. His valida purgantia, valdè aperientia, & calefacientia nocent. Sed victu refrigerante, & humectante, & iulepis, & iusculis simili facultate præditis, tractandi sunt. Et superflui humores clysteribus emollientibus, & refrigerantibus, cassia, tamarindis, catholicone; & syrupo ros. sensim expurgandi. Sed præsertim balnea aquæ tepidæ hic miranda præstant, calidum, & siccam intemperiem viscerib⁹ impressam extinguendo. Ijs vtatur æger die intermissionis citra sudoris profusionem.

Interdum etiam febris tertianæ longitudo à praua quadam diathesi visceris alicuius, iecoris, præsertim, aut mesenterij dependet, quæ purgationibus quantumvis repetitis, curari nequit, quia praua illa qualitas viscere remanens, humorem nouum quotidiè accumulat, qui accessione fouet. Quæ quidem praua qualitas diureticis, sudorificis, alijsque resoluentibus aufertur.

Hisce facultatibus prædita sunt absynthium, centaurium minus, carduus bened. rad. dictami, pimpinellæ, tormentillæ, aliaque; ex quibus fiunt decocta, pulueres, & similia, per plures dies exhibenda ante accessionem.

Vulgò exhibetur theriaca ad ʒ. j. cum vino albo, ante accessionem, tribus vicibus repetendo.

Alij nucem iuglandem cum saccharo, aut melle conditam eodem modo exhibent.

Ubi theriacæ caliditas timetur; sola primùm exhibetur, & desuper aquæ plantaginis cyathus propinatur. Hoc frequenter vtebatur Varandæus, præceptor meus, tanquam specifico.

Idipsum præstare potest Vini Hippocratici cyathus vnus, ante accessionem exhibitus, eoque remedio gratissimo multi curati sunt.

Sedulò tamen aduertendum est, vt hæc omnia remedia, nonnisi præmissa diligenti purgatione exhibeantur.

Zechius in frequenti vsu habebat pilulas sequentes, quæ ad aperiendas obstructiones, hepar roborandum, & viscerum dyscrasias tollendas, sunt efficacissimæ.

℞. Trochisc. de rhabarb. de eupatorio, & de absynthio, ana Drach. sem. puluer. elect. diarrhod. ℈. j. Cùm syrupo de absinthio fiat massa pilular. de qua capiat drac. j. manè, triduum, superbibendo iusculum, ex cichoraceis & capillaribus paratum.

Montanus verò exhibebat per multos dies trochiscorum de absynthio, vel de rhabarb. Scrup. j. cum iusculo, in quo hordeum, radix petroscl. cichorium, & borrag. bullierant.

Exterius illinatur hepatis regio, mane & vesperi, ante cibum, linimento parato ex cerati santalini Vnc. ij. succi cichorij, Vnc. sem. succi absynthij drach. ij. & aceti ros. ar. momento.

Uentriculi pariter regio hoc illinatur linimento.

℞. Ol. nard. de absynth. & cydon. an. ʒ. sem. galliæ mosch. ℈. j. ceræ albæ q. s. Fiat linimentum.

Præter remedia hactenus proposita, quæ regularem, & methodicam curationem respiciunt; multa alia dantur specifica, & empirica, tam interna, quam externa; tum à practicis laudata, tum apud vulgus vsitatissima; è quorum infinito propemodum numero, nos hic selectiora proponemus. In horum autem remediorum album referenda sunt ea, quæ supra ad corrigendam prauàm diathesin, iecori, aut mesenterio impressam, & febres longas efficientem, sunt proposita. Quibus sequentia cum fructu addi poterunt.

Ac primum spiritus sulphuris in tertiana legitima, vel ad legitimam plurimum accedente, post venæ sectionem, & purgationem, in vigore paroxysmi, cum aqua portulacæ exhibitus, ardorem febrilem potenter extinguit, & si humor sit tenuis, eum per sudores expellit, vt nouis paroxysmis materia non suppetat, & ita interdum morbus radicitùs euellatur. Eius datur à scrup. ß. ad ℈. j. cum aquæ portulac. Vnc. iv.

Aliquando verò dictus spiritus cum sale absynthij miscetur, qui magnæ etiam est efficaciæ, ad curandas febres intermittentes. Compositio talis est.

℞. Salis absynthij ʒ. ß. spiritus sulphuris ℈. j. aquæ card. bened. ʒ. iv. Misce. Capiat æger instante accessione, & postmodùm pluribus vestibus tegatur.

Aliqui succum plantaginis depuratum, & epotum ad ʒ. iv. per horam ante accessionem, tertianam febrem sanare asserunt. Alij cum aceto, & croco exhibent in hunc modum.

℞. Succi plantag. ʒ. iv. aceti ros. ac. ʒ. sem. croci gr. iij. Misce, capiat duabus horis ante accessionem.

Manardus præ cæteris remedijs commendat decoctum chamom. vel aquam eius destillatam, ad ʒ. iv. per horam ante accessionem exhibitam.

In vulgari vsu habetur, & sæpè feliciter succedit potiuncula, confecta ex aquis rosarum, plantag. & aqua vitæ, singulis ad cochlearis mensuram, exhibenda ante accessionem.

Exterius verò sequentia vsurpantur.

℞. Fol. hyssopi, & tanaceti minutim, incisor. an. P. j. myrrhæ ʒ. ij. macis, nucis mosch. caryophyll. & cinam. an. ʒ. sem. terebinth. Uenetæ, succi tanaceti, ana ʒ. j. Misc. omnia, & extendantur supra placentam rosaceam, frixam in sartagine cum vino generoso; cum panno lineo inuoluta applicentur calidè regioni ventriculi, per horam, ante accessionem. Vel

℞. Absynthij, & menthæ viridis, ana ℔. j. crustæ panis assatæ, & aceto ros. infusæ ℔. ß. pulpæ cydon. vel cydoniati cum melle confecti Vnc. ij. mastiches ʒ. sem. macis, & nucis moscat. ana ʒ. ij. Omnia pistentur fortissimè cum ol. cydonior. Fiat cataplasma, quod calidè applicetur ante paroxysmum, sudorem prouocat, & ventriculi dolorem aufert. Vel

℞. Nucis moschatæ, caryophyll. & cinam. ana ʒ. iij. myrrhæ, & zinziberis, ana Drach. ij. Fiat puluis, qui excipiatur pice liquida & fiat emplastrum, admouendum regioni stomachi.

Hepati quoque sequens cataplasma vtiliter admoueri poterit.

℞. Santali albi, & rubr. ana ʒ. j. farinæ hordei ʒ. iij. aloes ʒ. sem. flor. violar. & ros. siccat. an. ʒ. j. Cum succo absynthij, & aceto, fiat cataplasma, applicandum regioni hepatis, hora vna ante accessionem.

Neque omninò reijcienda sunt ea remedia, quæ vulgò carpis applicari solent. Non solùm enim hisce vulgi opinio expletur, quod pleroſque hisce remedijs sanatos existimet: sed etiam aliquid præstare possunt, vices suas cordi communicando per arterias insignes, quæ ad corpus decurrunt. Horum verò præcipua sunt, quæ sequuntur.

℞. Fol. plantag. & chelidon. mai. ana M. j. telæ aranearum, sem. vrticæ, fuliginis cammi, & salis communis, ana ʒ. j. aceti fortiss. q. s. Fiat cataplasma, applicandum carpis paulò ante

accessio-

acceſſionem, & ter aut quater iterandum.

Auricula muris contuſa, cum ſale, & aceto, & carpis admota ante acceſſionem maximæ à nonnullis creditur efficaciæ.

Ab alijs laudatur ſemperuiuum minimum, ſeu mammilla muris eodem modo parata.

Alij folia burſæ paſtoris cum ſale, & aceto trita commendant.

Platerus corticem interiorem ramorum nucis in aceto maceratum carpis applicat, & ſe fœliciter hoc remedio vſum teſtatur.

Alij denique veſicas excitantia, vt alia, cepas, ranunculum, & ſimilia applicant; quæ minùs tuta, & valde incommoda ſunt.

CAPVT IV.

De Febre quotidiana intermittente.

QVotidiana intermittens ita appellatur, quod illius paroxyſmi ſingulis diebus repetant. In quo tamen cum duplici tertiana, & triplici quartana conuenit, ſed proprijs ſignis ab ijſdem diſtinguitur. Rariſſima eſt hæc febris, atque ex ſexcentis ægrotis, febriles acceſſiones ſingulis diebus patientibus, vix vnus quotidiana laborat.

Generatur hæc febris à pituita putreſcente, in prima corporis regione. Ideoque ea omnia, quæ pituitam in corpore cumulare poſſunt, huius febris cauſæ eſſe poſſunt. Qualia ſunt viſcerum temperies frigida, & humida ætas ſenilis, aut puerilis, vita otioſa, tempus hyemale, alimenta frigida, & humida, ſomnus longus, & ſimilia.

Signa diagnoſtica ea ſunt, quę pituitam in corpore redundantem ſignificant; vt corporis moles ampla, mollis, & obeſa color albus, aut pallidus, ſenſus hebetes, ſomnus profundus, inſomnia aquarum. Tum hæc febris, vt plurimùm nocturnis horis ſolet inuadere, idque ſine rigore, ſed cum frigore tantum, aut leui horrore, quandoquidem materia benigna, & naturæ non adeò infenſa, minus ipſam laceſſit; ideoque calor non cum impetu, vt in tertiana, ſed ſenſim ad interiora reuocatur. Tranſacto frigoris tempore, calor ſegniter accenditur, & inæqua liter, vt modò frigus, modò calor ſentiatur. Calor deinde mitis eſt, ac minimè deurens, ſitis exigua. Vrinæ in principio albæ, tenues, & crudæ: in progreſſu verò craſſiores, & coloratiores apparent. Pulſus paruus, rarus, & tardus. Præcordia intumeſcunt, & magna ex parte inflantur, ac diſtenduntur. Paroxyſmi ad 12. horas extenduntur, & non deſinunt in integram ἀπυρεξίαν: quia hæc febris ſimilis eſt igni, in lignis viridibus acenſo, qui & tarde accenditur, & multùm fumi reliquit. Aliquando paroxyſmus ad 24. horas extenditur, & febris continua apparet.

Hæc autem ſigna plurimùm eueniant & intenſiora, vel remiſſiora apparent, prout pituita, vel ſimplex eſt, vel alijs humoribus permixta; tum etiam pro varia ſpecie pituitæ putreſcentis. Vnde ex Gal. *lib. de plenitudine, c.* 11. à pituita ſalſa, ſiticuloſi: ab acida, famelici: à dulci, ſomnoſenti: ab inſipida, inappetentes fiunt. Sic etiam quæ ab acida aut vitrea pituita febres producuntur, cum rigore ſolent inuadere.

Febris hæc perpetuò longa eſſe conſueuit ob materiæ morbificæ craſſitiem, & contumaciam, & ad 40. dies, interdum ad 3. aut 4. menſes extenditur. Nec periculo vacat, cùm in cachexiam, hydropem, lethargum, alioſque grauiſſimos affectus degeneret. Maior vel minor longitudo ex cruditatis, & concoctionis ſignis indicabitur, tum etiam ex euacuationibus, quas plerumque natura per vomitum, aluum, aut ſudores molitur. Illæ enim apparentes breuiorem morbum ſignificant; ſi verò natura nihil moliatur, longiorem.

Quotidiana diurna periculoſior eſt nocturna, vt docuit Hippocrat. 3. *Epid. ſect* 5. *text.* 64. Diurnam appellat, quæ interdiu incipit, & noctu intermittit; nocturnam, contra. Cuius prognoſtici ratio eſt, quia diurnæ longiores habent acceſſiones. Cum enim ad noctem vſque extendantur, in qua denſatur corporis habitus, fit vt vapores putridi intus retineantur, nec ita liberè tranſpirent; vnde longiores fiunt acceſſiones, & vt ipſe aſſerit Hippoc. ad tabem ſæpiſſimè perducunt. Adde, quod, cum intermiſſio noctu contingat, noctu etiam cibare ægrum cogimur, quod intempeſtiuum eſt, & ægrum vigilare cogit, quod tempore dormire deberet; vnde plurimum læditur, debilitatur totaque illius œconomia ſubuertitur.

Curatio eadem ferè adhibenda eſt, quæ in tertiana notha, & diuturna fuit propoſita. Ita tamen, vt inter præparantia humores, & obſtructiones aperientia ſeligantur ea quæ maiorem attenuandi, & incidendi vim obtinent. Tum etiam in hac febre peculiaris ventriculi ratio habenda eſt, qui plerumque grauiter laborat: ideoque roborantibus tam internis, quàm externis reficiendus eſt. In primis autem maximè conducit cataplaſma ex mentha, & abſinthio, in febris tertianæ curatione propoſitum.

Zacutus Luſitanus duo remedia proponit, quibus ſe febres pituitoſas contumaciſſimas expugnaſſe gloriatur. Vnum eſt decoctum chamæmeli, in hunc modum com poſitum.

℞. Flor. chamæm. P. iij. comar. abſinthij pontici P ij. Coque in ℔. iij. aquæ, ad mediæ partis conſumptionem. Colaturæ adde ſacchari alibi ℥. iv. Capiat manè Unc. v. vel vj. ſingulis diebus.

Alterum eſt decoctum chinæ, & guaiaci ad 25. dies exhibitum: quod licèt à Medicis timeatur in huiuſmodi febribus, propter nimiam calefaciẽdi, & exſiccandi vim; maximã tamen commendatur ab ijs, qui de Indicis aromatibus peculiares libellos ſcripſere. Aduertendum autem eſt, Zacutum Luſitanum in regione frigida, & humida Medicinam exercuiſſe, vbi tutius hæc remedia vſurpari poſſunt. Ideoque in alijs calidioribus, nonniſi corporibus valdè pituitoſis, & cachecticis exhibenda.

CAPVT V.

De Febre quartana intermittente.

QUartana febris illa eſt, quæ paroxyſmos habet quarto quoque die recurrentes; fitque ab humore melancholico in prima regione putreſcente.

Humor autem melancholicus alius naturalis eſt, ex craſſiori, & terreſtriori alimenti portione genitus frigido, & ſicco temperamento præditus. Alius præternaturalis, ex bilis aduſtione oriundus, atque adeò calidus, & ſiccus. Hinc duę quartanæ ſpecies oriuntur. Quæ enim à melancholia naturali fit, legitima quartana nominatur; quæ verò à præternaturali, ſpuria. Quamquam ſpuria etiam generari poſſit à melancholia naturali cum bilis portione admixta.

Rurſum febris quartana alia ſimplex eſt, alia duplex, alia triplex. Simplex eſt, cùm vnuſtantùm paroxyſmus quarto quoque die contingit. Duplex verò quando paroxyſmi duo per duos dies continuos accidunt, tertius autem dies paroxyſmo vacuus eſt. Triplex denique eſt quando ſingulis diebus paroxyſmi contingunt, quemadmodum in quotidiana & duplici tertiana. Hæ autem duplices, & triplices quartanæ fiunt ab humore melancholico, in varijs locis putreſcente.

Signa diagnoſtica ſunt primùm ea, quę humorem melancholicum in copore redundantem ſignificant. Quibus addendus eſt quartanarius circuitus, tanquam ſignum pathognomonicum. Sed & forma paroxyſmi ab aliarum febrium paroxyſmis diuerſa, eius diagnoſin conſtituit. Incipit enim cum oſcitatione, pandiculatione, & grauitate totius corporis; quam ſequitur frigus poſtmodum horror, & rigor, quo oſſa confrigi videntur: vnde dolor, qui à quartanarijs percipitur, ὀστεόκοπος nominatur. Calor etiam paulatim accenditur in materia frigida, & craſſa. Pulſus rarior, & tardior, quam in reliquis febribus. Vrinæ in principio albæ, tenues, aquoſæ, in progreſſu verò coloratiores, & craſſiores redduntur. Talia autem ſigna in quartana legitima apparent. In ſpuria verò vehementia ſymptomatum maior humorem tenuiorem, & calidiorem ſignificat. Attamen non in eo ſolùm ſpuria quartana à legitima diſtinguitur, quòd in illa calor, ſitis, vigiliæ, & alia ſymptomata vehementiora ſint; ſed etiam, quòd legitima primò, & per ſe affligere incipit, nulla alia febre prægreſſa. Spuria verò alijs febribus tum continuis, tum intermittentibus ſuccedit, ex humoris adueſtione, dictas febres committentis qui per illam adueſtionem in melancholiam præternaturalem degenerat.

Duplex quartana per acceſſionum periodos facilè dignoſcitur. Triplex verò à tertiana duplici, & quotidiana diſtinguitur, non ſolum ſignis humorem redundantem indicantibus, & paroxyſmorum forma; ſed etiam, quòd anteqũ fiat triplex, apparuit primùm ſimplex, aut duplex quar-

rana

tana. Nunquam enim, aut per quàm rariſſimè febris quartana à triplici incipit; ſed ſimplex, aut duplex in eam degenerat.

Quod ad prognoſin attinet, febris hæc longiſſima eſſe conſueuit, & quæ autumno incipit; vt plurimùm tota hyeme perſeuerat, nec niſi accedente vere finitur. Imò nonnullæ ad annum vnum, vel plures extenduntur. Æſtiuæ tamen breuiores ſunt. In omnibus autem perpetuò coctiones ſigna ſunt attendenda, quæ eam breui ſolutum iri ſignificant: & cum his vrinæ etiam nigræ bonis ægri rebus apparent.

Quartana legitima longior eſt ſpuria; quia hæc fit ab humore tenuiori, illa à craſſiori.

Tutiſſima eſſe ſolet, præſertim legitima, nullo graui alicuius viſceris affectu comitata. Spuria verò periculoſior eſt. Tum ſi hepar, aliaue pars præcipua, graue aliquod damnum patiatur, in hydropem degenerat.

Senes, qui ſexageſimum ætatis annum ſuperant, febre quartana affecti, vt plurimùm moriuntur: quandoquidem calor eorum debilis materiam adeò contumacem ſuperare non poteſt.

Febris quartana intermittens, in continuam mutata, vt plurimùm lethalis eſt. Quia fit mutatio illius febris, quæ foràs mouetur, in eam, quę intro. Quod hyeme maximè contingit, dum excurrentibus ſuccis frigus ſe opponit, eoſque in intima corporis penetralia repercutit. Id etiam contingit medicamentorum purgantium, acriorum, & vehementiorum intempeſtiuo vſu. Inde enim ex ſimplicibus quartanis duplices, triplices, & continuæ generantur.

Quartana, epilepſiæ ſuperueniens, eam ſoluit, iuxta Hipp. *Aph.* 70. *ſect.* 5. *A quartana correpti non admodùm conuulſionibus capiuntur. Si verò priùs capiantur, & quartana ſuperuenerint, liberantur.* Ratio autem huius rei eſt, quam proponit Gal. *in comment.* quia materia craſſa, epilepſiam efficiens, longo huius febris calore attenuatur, & concoquitur. Nec non concuſſione totius corporis, quæ in rigore fit, facilius excutitur. Addere poſſumus, prauos humores in cerebro, alijſque partibus, aut etiam in venis latitantes, ad hypochondria, & ignobiliores partes, vbi eſt quartanæ minera, transferri, & prædictas partes deferere.

Dyſenteria febri quartanæ ſuperueniens ſalutaris, iuxta ſententiam Hipp. *Aph.* 48. *ſect.* 6. *Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperueniens, bonum.* At in quartana vt plurimùm lien malè afficitur, & melancholicus humor quartanę, lieni affecto communis eſt. Hoc tamen intelligendum eſt de dyſenteria, quæ intra breue tempus finiatur: quæ enim longior eſt, lethalis eſſe conſueuit, vt habetur *Aph.* 43. *eiuſdem ſectionis, Qui lienoſi difficultate inteſtinorum corripiuntur, ijs ſuperuenientem longam dyſenteriam aqua inter cutem, aut leuitas inteſtinorum excipit, & moriuntur.*

Hæmorrhagia è naribus, febri quartanæ ſuperueniens, peſſima eſt. Quia humor, quartanam efficiens, nequit per nares vacuari, propter craſſitiem, & frigiditatem. Et cùm talis euacuatio ſymptomatica ſit, & diu perſeuerans hydropem accerſat; ſtatim cohibenda eſt, aperta vena baſilica, è qua ſanguis puttis emanat, cùm è naribus purus excernatur.

Curatio quartanæ duplex inſtituenda eſt, & ad duas illius ſpecies referenda. Longè enim diuerſa eſſe debent quæ ſpuria, ab ijs quæ legitimæ debentur remedia.

Atque vt à quartana legitima incipiamus, ad illius cauſam expugnandam ſtatim animus conuertendus eſt, ſpreta etiam ipſa febre. Cùm igitur illius cauſa ſit humor frigidus, & ſiccus, craſſus & terreſtris, calefacientia, humectantia, & attenuantia vſurpanda ſunt. Tum etiam opportunis temporibus materia peccans erit euacuanda, quod tamen nonniſi longo tempore præſtari poteſt; propter ſummam humoris contumaciam, & morbi longitudinem. Antequam verò ea remedia in vſum vocentur; victus ratio idonea præſcribenda eſt. Vtatur igitur æger cibis boni ſucci, facilis coctionis, tenuis ſubſtantiæ, & mediocriter calefacientibus atque humectantibus, vt carnibus iuniorum animalium, & auium montanarum, ouis recentibus, & ſorbilibus, piſcibus ſaxatilibus. Conceduntur in ſtatu, & declinatione piſces ſaliti, cappares & oliuæ. Gal. 1. *ad Glauc.* etiam piper, & ſinapi concedit. Ex herbis commendantur borrago, buglоſſum, pimpinella, ſpinacia, radix fœniculi, petroſelini, ac prę cęteris rapę, quę in aqua priùs coquendæ, poſtmodum in iuſculo pingui, quod quartanarijs vtiliſſimum eſt. Crato *in conſilijs à Scholizio collectis*, ſe multos quartanarios curaſſe gloriatur ſecundo raparũ decocto, ſaccharo, & butyro permixot. Ex fructibus poma pruna cocta, paſſulæ, ficus pingues, amygdalæ, dactyli, nuclei pinei; Ac denique, ad condiendos cibos conueniunt, cinnamomum, nux moſchata, crocus.

Abſtineat ab ijs alimentis, quæ craſſa, & tenacia ſunt, ac tardiorem exitum habent, vt à carne porcina, bubula, ceruina, leporina, & auium, & paluſtrium. A leguminibus, braſſica, pane furfuraceo, caſeo, nucibus, caſtaneis; & carnibus multo ſale conditis, aut fumo induratis. A fructibus, & oleribus crudis, aceto & omphacio, quia humorem melancholicum fermentare creduntur, quemadmodum omnia acida.

Potus ſit vinum album, optimè defæcatum, aut rubellum, tenue & oligophorum, cum aqua, in qua cortices tamariſci, aut folia agrimonij maduerint; vel decocto ſalſæ parillæ, vel aqua chalybeata.

Exigua ſit alimentorum quantitas, quæ vires tantùm conſeruare valeat: nimia enim ciborum copia cruditates generat, quæ diuturnitatem febri conciliant. Maximè verò parcè bibendum eſt, cùm nihil hanc febrem magis contumacem reddat, quàm nimia potus, & humidorum copia: ijs enim lien repletur ac diſtenditur. Crato potum omninò interdicit in paroxyſmo, quod maximè conferre curationi aſſeuerat. Die paroxyſmi æger cibandus eſt ſex horis ante illius inuaſionem. Poſteà verò nihil ſumat, donec finitus fuerit. Somnus prolixior vtiliſ eſt, quia humectat; vitandus tamen eſt initio acceſſionis. Leuis exercitatio ante cibum diebus intermiſſionis confert, aut eius loco frictione totius corporis, depoſitis priùs alui excrementis. Aluus ſi ſponte non fluat, glandæ, aut clyſtere excitetur. Hilaritas denique concilietur, mœſtitia arceatur.

Inſtituta in hunc modum victus ratione idonea, ab initio euacuatio leuis inſtituenda eſt clyſtere iniecto, & medicamento exhibito. Clyſter in hunc modum parari poterit.

℞. Rad. buglоſſi ʒ. ij. herbarum quatuor emollientium, mercurialis, betæ, ana M. j. prunor. dulc. par. v. iv. ſem. frig. mai. & aniſi an. ʒ. ij. epithymi ʒ. iij. Coquantur ad ℔. j. ſem. in colat. diſſolue cathol. ʒ. j. olei violac. & chamæm. ana. ʒ. j. ſem. ſacchari rubri ʒ. j. Fiat clyſter. injiciendus pridie ſequentis potionis, hora commoda.

℞. Sennę mundat. ʒ. ß. Sem. aniſi ʒ. j. fol. borrag. & fumar. ana M. j. liquirit. ʒ. iij. Coquantur ad ʒ. iij. In colat. diſſolue mannæ, & ſyrupi roſac. ana ʒ. j. Fiat potio.

Gal. 1. *ad Glauc. c.* 11. præcipit, vt ab initio febris hæc blandis, & benignioribus medicamentis tractetur; alioqui periculum eſt, ſi fortiora vſurpentur, ne ex quartana ſimplici duplex, aut triplex, vel etiam continua efficiatur.

Poſt primam iſtam purgationem ſanguis detrahendus eſt, è baſilica ſiniſtra. Si tamen hepar affectum ſit, è brachio dextro etiam detrahi poteſt. Ridendaque eſt eorum ſententia, qui expectandam eſſe volunt concoctionem, vt ſanguis mittatur, quod tunc temporis fluxilior, & tenuior ſit: Meliùs enim concoquitur, & præparatur, ſi priùs quantitas illiùs imminuta fuerit. Neque etiam audiendi ſunt, qui ſanguinis miſſionem non admittunt in quartana, niſi illius redundantia per venarum tergentiam, aliaque ſigna apparuerint. Perpetuò enim ab initio eſt plethora ad vires, niſi quartana alijs febribus longis ſucceſſerit. At ſumma commendatione dignum eſt Galeni præceptum 1. *ad Glauc.* quo vult, vt ſi ſanguis primò detractus niger, & impures appareat, maior illius copia educatur: ſi verò ruber & purus ſit; pauca manu detrahatur, neque ampliùs phlebotomia iteretur. Dies acceſſionibus vacui ſanguinis miſſioni, quemadmodum purgationi, & opportuni ſunt. Nonnullis tamen ipſo acceſſionis die ſanguinem detrahunt quinque, aut ſex horis ante inuaſionem illius. Quod ſatis commodum eſt, cum tunc temporis humores mouere incipientes, faciliùs educantur. Zacutus Luſitanus venę ſectionem in plenilunio celebratam, plurimum conferre aſſerit. Tunc enim oblunę vim humor ille terrenus ebullit, & fluxilior fit, promptiuſque vena ſecta educitur. Hocque remedio eo tempore celebrato plures leuatos, alios à morbo prorsùs immunes euaſiſſe teſtatur, qui pluribus alijs auxilijs non ceſſerat. Botallus verò contra Galeni, omniumque Medicorum placita, phlebotomiam frequenter iteratam quartanam curare aſſerit, etiam quæ hydropem minetur: ſuamque ſententiam rationibus, & exemplis confirmare nititur. Quæ tamen veluti paradoxa reijcienda eſt, cùm per refrigerationem, quæ toti corporis multo ſanguine detractio, inducitur, materia morbifica craſſior, & contumacior euadat.

Hęmor-

Hæmorrhoidum fluxus in febribus quartanis vtilissimus est, & multi quartanarij hac euacuatione liberantur. Cùm enim venæ hæmorrhoidales sint rami venarum mesaraicarum, in quibus morbi huius materia cõtinetur, dum aperiuntur, causam morbi proximam euacuant. Si igitur fluxus hæmorrhoidum contingat in ijs, qui ei assuetis sũt, impediendus non est. Si verò parcior fuerit, adiuuandus. Tum etiam, si natura eò inclinare videatur (quod per anni pruritum, aut tumorem, aut guttas aliquot sanguinis emanantes cognoscimus,) proritandus est affixis hirudinibus.

In quibus verò hæmorrhoides nunquam fluere consueuerunt, malleoli, vena, post brachij phlebotomiam, vtiliter aperitur; vnde sæpè febris mox cessat, velut citius desinat, vna cum alijs remedijs vsurpata efficere potest. Idque in primis, mulieribus quibus menstruæ purgationes suppressæ sunt, aut parciùs fluxere.

Apertio saluatellę manus sinistræ ab antiquis, & neotericis nõ paucis probatur, & quartanam curare dicitur. Ab alijs verò quàmplurimis reijcitur, quòd nulla ratione fulciatur, cùm sit ramus à venis brachij productus. Attamen cũ pluribus experimentis à nonnullis celebretur, non omninò negligendam censemus. Alij autem in ipso lunæ coitu aperiendam statuunt. Alij verò inclinante luna, duabus horis ante accessionem, & per tres vices, tribus accessionibus consequentibus; quod nonnullis feliciter successit.

Post primas illas euacuationes, humorum concoctioni, & præparationi incumbendum est iulepis quibusdam in hunc, aut similem modum compositis.

℞. Rad. asparagi, brusci, cichorij, bugloss. macerat. vino albo, ana ʒ.j. cortic. tamarisci, Unc. ß. fol. borrag. bugloss., ceterach. capill. ven. fumariæ, chamædr. chamæpit. an. M j. liquirit. Unc. j. flor. ʒ. cordial. an. P. j. Coquantur ad ℔. j. ß. In colat. dissolue syrupi byzantini, & capill. ven. an. Unc. ij. Fiat iulep. pro 4. dosibus matutinis, quæ etiam vlteriùs continuandæ sunt ad multos dies: materia enim contumax longa indiget præparatione. Vel si æger sit delicatior, iuscula componenda sunt, ex portione simplicium prædictorum, gustui gratiora seligendo, ijsque vtiliter, tum etiam iulepis, cremor tartari addi poterit.

Præparantibus hisce remedijs purgantia inferenda sunt, vt tertio, vel quarto quoque die, cathartic. aliquod exhibeatur, hac cautione adhibita, vt quamdiù materia est valdè cruda, mitiora vsurpentur: increscente verò coctione paulò validiora. Purgantium autem materiam notissima est, vt peculiari illius enumeratione non opus sit.

Vtile est aliquando apozema præparans simul & euacuans in quatuor, aut quinque doses præscribere, vt bona materiæ morbificę portio educatur. Quod componi poterit ex materia iuleporum prædictorum, additis purgantibus. Attamen si humorum crassities & cõtumacia, cum frigida viscerum intemperie morbi longitudinem, & hydropem minari videantur; ad potenter incidentia confugiendum est, ex quibus apozema sequens componi poterit.

℞. Rad. ʒ. aperit. in vino albo maceratarum, an. ʒ.j. rad. enulę camp. gentianæ, aristoloch. & asari, ana ʒ. ß. fol. chamædr. agrim. lupulor. borrag. ceterac. absinthij, & centaurij min. ana M. j. liquirit. raſ. & passul. mundat. an. ʒ.j. sennę mundat. ʒ.j. ß. epithymi ʒ.j. agarici recẽter trochiscati ʒ.iij. zinzib. & caryophyll. an. ʒ.j. Coquantur ad ℔. j. ß. In colat. dissolue syrupi de cichor. compositi cum rheo ʒ.v. trochiscor. de capparibus, salis, absinthij, & tamarisci, an. ʒ.j. Fiat apozema pro quinque dosibus matutinis.

In chronico hoc morbo obstinata perseuerantia necessaria est, vt continua remediorum vicissitudo illius causam cõcoquat & expurget. Vnica enim ferè hæc causa est, cur multi quartanarij incurati maneant. Siquidem post paucorum remediorum vsum, tædio affecti reliqua prorsùs abijciunt, & dedignantur.

Ad diuturniorem igitur vsum purgantia quædam vsualia habenda sunt, frequenter iteranda. Eaque in syrupi magistralis, aut pilularum vsualium, aut aliam quamvis formam concinnari possunt.

Syrupus magistralis ex materia apozematis, triplicata purgantium dosi, componi poterunt.

Pilulæ vsuales ita præscribi poterit.

℞. Aloes opt. succo absinthij diligenter nutritæ ʒ. ß. gummi ammoniaci in aceto soluti, & iterùm inspissati, Drach. ij. myrrhæ electæ Drach. j. ß. turbith. gnmmosi, & agarici recenter trochiscati, ana ʒ.ij. diagridij ʒ.j. salis absinthij, & tamarisci, ana ℈.ij. croci ℈. ß. Cùm oxymel. simpl. fiat massa pilular. de qua capiat Drach. sem. vel ℈.ij. bis in septimana.

Si æger calidiori temperamento præditus sit, sequentes pilulæ vsurpari poterunt.

℞. Polypod. quer. ʒ. sem. rad. asari sem. genistæ, ana ʒ.j. passul. corinth. ʒ.j. cristalli tartari Drach. j. sem. flor. bugloss., & borag. ana P. sem. Coquantur in aqua fontis q. s. De colat. optimè clarif. cape ℔. sem. succi pomor. redolent. optimè depurati ʒ.iv. In quibus infunde sennæ mundat. ʒ.j. turbith. & agarici, ana Drach. iij. macis caryophyll. cinam. & epithymi, an. Drach. j. Digerantur per quatriduum in B. M. Posteà colẽtur, & exprimantur. Insuper adde extracti aloes cum aqua endiuiæ, & acetosæ parati ʒ.j. myrrhæ in vino ad ignem dissolutę & colatę Drach ij. salis tartari Drach. j. Euaporentur omnia, & inspissentur ad lentum ignem addendo sub finem specierum diarrhod. abbat. & lætif. Gal. an. ℈.j. salis absinthij, & tamarisci, an. Drach. sem extracti croci ℈. sem. Fiat massa pilular. ad vsum dictum.

Purgans etiam medicamentum valdè familiare, & paratu facillimum, sed vtilissimum, componi potest ex decocti absinthij ʒ.iij. in quibus sennæ Drach. ij. infusæ fuerint, sumendo per interualla.

Purgantia hæc medicamenta exhiberi solent pridie paroxysmi, quia ægri tunc temporis robustiores sunt. Non pauci tamen ante paroxysmum ea exhibenda esse contendunt, quia per accessionem agitata materia, facilior ad expulsionem redditur. Hanc sententiam fulciunt auctoritate Hippocratis *lib. de affectionibus* qui pharmacum deorsùm purgans exhibendum esse vult in ipsa apprehensione. Et quamvis ex Gal. sententia, liber ille Hippocratis non sit, sed generi illius Polybi; non tamen idcircò fidem ei derogandam esse volunt, cùm & Polybius ille vir doctissimus fuerit, & experientia frequens huic sententiæ subscribat; prout ab Arculano, Gentili, Amato Lusitano, alijsque proponitur, qui horis quatuor ante accessionem exhibendum esse medicamentum præceperunt. Quod tamen maxima cautione, & Medici prudentia opus habet, ẽ inchoatam euacuationem superueniens horror intercipiat & in accessione fiat humorum motus, pharmaco motui contrarius; vnde ingentes tubæ in ægrotantis corpore excitari possunt. Ideò nonnisi in robustioribus corporibus hæc methodus tentanda.

Maior & communior est Medicorum consensus in vomitorijs medicamentis, initio paroxysmi exhibendis, quia natura eo tempore ad eam euacuationem magis prona est. Neque dubium est, vomitum in principio paroxysmi excitatum & pluries, cùm paroxysmi incipiunt, repetitum, mitiorem, breuioremque morbum efficere. Vomitorium materia in febris tertianæ curatione exposita est. In febre tamen quartana asarum reliquis præferendum est, & ad Drach. j. in puluer. redactum, & cum vino albo exhibitum, ac ter, aut quater repetitum.

Temporibus purgationum intermedijs clysteres frequentes injiciendi sunt, qui naturam ad intestina humores noxios expellere assuefaciunt, & aliquid de materia morbifica in venis mesaraicis contenta sensim educunt.

Perseuerante morbo, cùm plerumque diuturnus sit, & pertinax interdum quiescere oportet & à remediis per mensem, aut circiter abstinere; vt interea natura, diuturno remediorum vsu fatigata, sese recolligat, & humoris morbifici concoctioni incumbat. Posteà verò ad præparantia, & purgantia redeundum erit.

At verò in morbo diuturno ijsdem perpetuò remediorum formulis insistendum non est, ne ijs natura assuescat, ægri verò nimio eorum tedio afficiantur. Tum qui à mitioribus ad validiora tum purgantia, tum aperientia transeundum est. Variæ purgantium formulę supra propositæ sunt. Aperientia verò, præter iulepos, & apozemata prædicta, sequentia in progressu morbi vsurpari poterunt, concoctionis signis apparere incipientibus.

℞. Vini albi ℔. iij. rad. enulæ camp. ʒ.ij. cortic. rad. capparis. ʒ. ß. summitat. absinthij vulgaris sicci ʒ.j. Infundantur per triduum in B. M. seruentur omnia simul, & huius vini capiat æger ʒ.ij. vel tres singulis diebus, manè horis duabus ante pastum. Sequentes verò pilulæ, vel seorsim, vel simul cum vino prædicto vsurpari poterunt.

℞. Rad. gentianæ ʒ. ij. aristoloch. rotund. ʒ.j. sem. artemisiæ ʒ.j. bryoniæ siccæ ʒ.iij. myrrhæ, & croci, ana ʒ j. rad. asari ʒ.ij. aloes Vnc. j. Cùm oxymel. scillit. Fiat massa pilular. de qua capiat Drach. i. singulis diebus per se, vel paulò ante assumptionem vini prædicti.

Hiſce pilulis chalybs præparatus vtiliter addetur, ſi æger poſt earum aſſumptionem deambulare valeat. Chalybs enim vſus in omnibus febribus chronicis vtiliſſimus eſt, obſtructiones contumaces, quæ illas fouere ſolent, potenter diſſoluendo.

Uel ad aperiendum ſimul, & roborandum opiata ſequens vtiliter præſcribi poterit.

℞. Conſeruæ rad. enulæ camp. conſeruæ fol. abſinthij, & capill. ven. ana ʒ. j. cortic. citri condit. ʒ. ß. confect. alKerm. ʒ. iij. myrobalanos condit. nu. 2. pulu. elect. diarrhod. abbatis ʒ. ij. ſalis abſinthij, & tamariſci ana ʒ. j. croci ℈. ij. Cum ſyrupo condit. citri, fiat opiata, de qua capiat ad magnit. caſtaneæ, ſingulis diebus manè, duabus horis ante prandium. Uel ſi manè æger ſumat alia remedia poterit capere opiatam, duabus horis ante cœnam.

Ad idem commendatur, tanquam remedium præſtantiſſimum, extractum camædryos, cum ſale tamariſci permixtum, in formam pilularum.

His accedunt diſcutientia, & diaphoretica, quæ in declinatione morbi, ad illius reliquias diſcutiendas, apparentibus concoctionis ſignis, vtiliſſima ſunt. Non ſolùm enim dictas morbi reliquias diſcutiunt; ſed etiam intemperiem longo morbo contractam corrigunt, habitum corporis malum emendant, ac ventriculum, hepar, aliaque viſcera, diuturnitate morbi debilitate corroborant. Ex his primum locum obtinet theriaca, ab antiquis, & neotericis ad hunc vſum commendata. Exhibetur hora vna ante paroxyſmum ʒ. j. pondere, cum vino, aut decocto chamædryos. Vel ſi nimia caliditas timeatur, cum decocto agrimonij, ſucco, vel aqua plantaginis. Reiterandum eſt medicamentum per plures paroxyſmos. Poteſt etiam exhiberi manè extra paroxyſmum per aliquot dies: Sed paulò ante paroxyſmum felicius operatur: quia augmentum frigoris prohibet, humoremque febris cauſam, iam efferueſcere incipientem, commodiùs diſcutit, & hoc modo paroxyſmum vel imminuit, vel ſi materia paucior ſit, prorsùs tollit. Hic tamen ſumma cautio adhibenda eſt, ne theriaca, vel ſimilia medicamenta calidiora, cruditatis temporibus exhibeantur; fundunt enim humores putridos, vnde confuſio, & febris incrementum: ita vt quartana ſimplex in duplicem, & triplicem, imò verò continuam aliquando degeneret. Quemadmodum contingit Eudemo Peripatetico, vt refert Gal. *lib. de præcogn. ad Poſth. c. 2.* & 3. In quo quartana ſimplex, exhibita à Romanis Medicis intempeſtiuè theriaca, in triplicem verſa eſt. Poſtmodùm tamen, apparentibus concoctionis ſignis, exhibita eadem theriaca, à Galeno curatus eſt.

Ex aliis diaphoreticis commendantur à nonnullis radices chinæ, ſaſſafræ parillæ, quarum decoctum primarium & ſecundarium, per 20. dies exhibitum, contumaces quartanas interdùm curat. Efficaciùs autem operatur, ſi decocto primario purgantia miſceantur.

Alia etiam remedia ante paroxyſmum exhibentur, quæ huic febri creduntur ſpecifica, & verſus declinationem vſurpata ſæpiſſimè paroxyſmos inhibent, & quartanam curant. Horum autem præcipua hæc ſunt.

℞. Fol. plantag. recentium M. j. acetoſæ recentis M. ß. aceti & theriacæ, an. quart. j. Deſtillentur, & huius aquæ capiat æger ʒ. iij. dimidia hora ante paroxyſmum. Vel

℞. Sacchari candi ʒ. iij. zinzib. ʒ. ij. camphoræ ʒ. j. Fiat pulvis. Detur ʒ. j. cum aqua calida.

Crocus in puluerem redactus ad ℈. ß. cum vino albo exhibitus ante acceſſionem, eam valdè imminuit.

Semen rutæ ſylueſtris ante paroxyſmum exhibitum cum vino albo curat.

Heurnius aſſerit, ſequentibus trochiſcis vnica exhibitione, etiam hyemis tempore, multos fuiſſe liberatos à febre quartana.

℞. Seminis rutæ, petroſelini, myrrhæ, & theriacæ recentis ana ʒ. j. opij ℈. ß. Fiant trochiſci parui. Dabis vnum cum aqua, ante paroxyſmum. Narcotica equidem eximiam vim habent ad cohibendum paroxyſmum. Sed niſi maior humoris morbifici portio antea euacuata ſit, & obſtructiones plurimum imminutæ, noxam inferre poſſunt; cùm humores vitioſos in corpore retineant, & obſtructiones, alioſque morbos grauiores generent. Attamen in exigua quantitate exhibita, & aperientibus, incidentibuſque permixta, vt in hiſce trochiſcis, minùs nocere poſſunt.

Ad cohibendum etiam paroxyſmum, hora vna ante illius inuaſionem, purgantia leuiora vtiliter exhibentur, quæ ſollicitando naturam potiùs, quàm purgando, humores reuellunt. Eo nomine talia præſcribi poſſunt.

℞. Sennæ mundat. polypod. querc. thymi, epithymi, an. ʒ. j. flor. borrag. P. j. Fiat decoctio ad ℥ iij. Capiat hora vna ante paroxyſmum. Vel

℞. Sennæ mundat. ʒ iij. turbith. ʒ j. cinam. ʒ ß. croci, & zinzib. ana ℈. ß. ſacchari ad pondus omnium. Fiat puluis, diuidendus in tres partes. Capiat vnam ante paroxyſmum cum vino albo.

Quercetanus in Pharmacopœa maximè laudat pilulas de ſagapeno Camilli, quarum vnam tantum exhibet initio paroxyſmi, continuando ad aliquot dies, & paulò poſt inungendo ſpinam dorſi linimento compoſito ex theriaca, aqua vitæ, & oleo laurino, vel de ſpica. Tum duabus, aut tribus horis, poſt pilularum deuorationem, exhibendo iuſculum cum rad. aperientibus, borragine, bugloſſo, thymo, & pomo curripendulo paratum.

Dictæ autem ſpinæ inunctiones ad rigorem leniendum vtiliſſimæ ſunt, & frequenter vſurpandæ etiam ſi prædictæ pilulæ non exhibeantur. Sunt enim in frequenti vſu quando rigor, & vehemens, & importunus eſt. Fiuntque huiuſmodi inunctiones non ſolum ex prædictis; ſed etiam alijs quamplurimis medicamentis, vt oleo anethino, chamæmel. irino, coſtino, rutaceo, de piperibus, alijſque calidioribus, cum aqua vitæ, theriaca, caryophyllis, caſtoreo, ſinapi, pipere, alijſque permixtis. Efficacius autem operantur hæc linimenta, ſi hora vna ante paroxyſmum ſpina ad ignem inungatur; deinde æger in lectum calidum deferatur; & lateres calentes, vino perfuſi odorifero, ac linteis inuoluti, plantis pedum, voliſque manum admoueantur.

Dum prædicta remedia vſurpantur, lienis cura ſpecialis habenda eſt, quoniam ea pars in hoc morbo perpetuò afficitur. Ideoque diu continuari poterunt fomenta, linimenta, & emplaſtra, quæ ad lienis obſtructiones vulgò præſcribi ſolent.

Imò verò interdum balneum aquæ tepidæ poſt plures euacuationes apprimè conducit, non tolum ad lienem emolliendum; ſed etiam ad totum corpus humectandum; & concoctionem materiæ morbificæ adiuuandam. Diebus intermiſſionis vſurpari poterit, cauendo tamen diligenter, vt tepidum ſaltem adminiſtretur. Si enim calidius fuerit; periculum eſt, ne fuſi humores in varias partes præcipitentur, & periculoſiſſimos abſceſſus producant.

Denique non omninò negligenda ſunt, quæ carpis admoueri ſolent, cum etiam non infimæ notæ Authores illis aliquid tribuant. Rondoletius enim ſequenti remedio magno cum ſucceſſu ſe vſum eſſe aſſerit.

℞. Folior. ſambuci, ſaluiæ, pedis columbini, rutæ, an. M. ß. calthæ tertiam partem, ſalis M. j. & vini parum. Omnia ſimul trita carpis admoueantur ante acceſſionem. Crato radices vrticæ contuſas, & cum aceto maceratas brachiorum, & pedum arterijs applicat. Et refert Sennertus, ciuem quendam, cùm toto autumno, & hyeme quartana laboraſſet, tandemque acutiſſimos in ſiniſtra ſcapula dolores perſentiret, mulieris cuiuſdam perſuaſu, ranunculum carpo applicaſſe, & puſtula excitata, à febre, & dolore liberatum fuiſſe.

Spuria quartana ijſdem ferè remedijs curari debet, quæ pro tertianæ curatione fuere propoſita; addendo decoctis iuleporum, & apozematum ea, quæ humorem atrabilarium peculiariter reſpiciunt. His etiam accedere poterunt omnia remedia magis temperata, & minus calefacientia, quæ pro quartana legitima hactenus fuere propoſita.

Conuenient itaque in principio borrago, bugloſſum fumaria, lupuli, acetoſa, cichorium, ceterach. ſcolopendria, agrim. poma rodolentia. Quorum decocta, aquæ ſtillatitiæ, interdum ſucci depurati in iulepi, apozematis, aut ſyrupi magiſtralis forma præſcribi poterunt.

In progreſſu verò prædictis addere licebit cortices radicum caparum, median. tamariſci, enulam campanam, polypod. abſinthium.

Dum vtitur æger hiſce præparantibus; purgantia frequenter interiicienda ſunt, eaque vſurpanda pridie acceſſionis, & bis in ſeptimana iteranda. Ad hunc vſum variæ formulæ componi poterunt. Sed pro delicatioribus ptiſana laxans, ſyrupus de pomis Sapor. ſeu compoſ. aut iuſculum pulli, borragine, bugloſſo, & pimpinella alteratum, cùm ſennæ ʒ. iii. vel ℥. ß. vtiliter vſurpari poterunt.

Uenæ ſectio non omittatur in principio, & ſanguinis copia detrahatur, quæ ſanguinis quantitati, & qualitati, & ægrotantis ætati, ac temperiei conuenire videbitur.

Si mor-

Si morbus in longitudinem abeat, vbi sanguinis feruor se remiserit, vomitoria vtiliter vsurpari poterunt; In ijs præcipuè, qui nauseam, & vomitum in accessionum initijs patiuntur. Inter vomitoria febri quartanæ proficua asarum (vt supra dictum est) principem locum obtinet, in vino albo ad Drach. j. exhibitum, & pluribus vicibus repetitum, si vna, aut altera exhibitione morbus discussus non fuerit.

His accedent fotus, & linimenta hypochondrijs adhibita, ad prauam viscerum diatheſin corrigendam, (quæ non tam continuò accessionibus materiam suppeditat) humoremque valdè impactum emolliendum, & attenuandum; quæ in hunc modum præscribi poterunt.

℞. Rad. althææ, lilior. enulæ camp. cortic. rad. cappar. & median. tamarisci, an. ℥.j. fol. maluæ, althææ, parietariæ, borrag. bugloſſi, pimpinellæ, abſinthij, ana M.j. ſem. lini, & petroſel. ana ℥.ß. flor. chamom. meliloti anethi, ana P.j. Fiat decoctio in tribus partibus aquæ, & vna vini albi ſub finem additi, qua foueantur hypochondria, bis in die, longè à paſtu.

℞. Vnguenti de althæa ℥.j.ß. olei lilior. chamæm. roſac. & abſinthij, ana ℥. ſem. Fiat linimentum, applicandum poſt fotum.

Uel olea ſola vtiliter apponentur cum lana ſuccida.

Ac denique balneum aquæ tepidæ, vel ſolius, vel in qua emollientia, & temperantia bullierint, vel ex hordeo, & amygdalis, vt vulgò ſolet fieri, ad hunc affectum expugnandum erit conuenientiſſimum. Siquidem viſcerum intemperiem corrigit, atræ bilis ſiccitatem, ac feruorem emendat, dura emollit, vias reſerat, & laxat, & crudos humores concoquit. Quapropter frequens illius vſus erit conuenientiſſimus, adhibitis cautionibus, quæ ſupra enumeratæ ſunt.

Illius autem operatio maximè iuuabitur, ſi ſub ingreſſu balnei præparantia medicamenta, & obſtructiones reſerantia exhibeantur. Inter quæ primas obtinet decoctum abſinthij, & enulæ campanæ, quod omnibus humoribus contumaciſſimis præparandis accomodatum eſt, modò nimius viſcerum feruor non contraindicet. Quo in caſu aliorum ſupra enumeratorum admixtione temperari poterit.

Dum verò hæc fiunt; leues purgationes frequentes iterandæ ſunt, vt ſuprà monuimus. Et in vera declinatione, concoctionis ſignis apparentibus, etiam ſpecifica, in quartana legitima deſcripta, in vſum vocari poterunt.

In toto autem morbi decurſu thoraci proſpiciendum eſt, ne æger in taben præcipitetur: humor enim peccans vim erodendi habet.

CAPUT VI.

De Febribus compoſitis, ſeu complicatis, & ſpeciatim de hæmitriteo.

GAl. *lib. 2. de criſ. c. 7. & 9. lib. 2. de diff. febr. c. 7.* & Auic. *fen. 1. lib. 4. tract. 4. cap. 16.* multas proponunt febrium compoſitiones. Quatenus ſcilicet, vel complicantur putridæ cum non putridis, vt dum hecticæ putrida complicatur; vel putrida cum putridis; idque pluribus modis. Nempè vel continuæ cum continuis, vel intermittentes cum intermittentibus, vel intermittentes cum continuis.

Continuarum duarum compoſitio apud Authores controuertitur, & in praxeos vſu vix animaduertitur.

Intermittens complicatur cum altera intermittente, vel eiuſdem generis, vel diuerſi. Eiuſdem generis intermittentis compoſitæ ſunt tertiana duplex, aut triplex, item quartana duplex, aut triplex, quæ ſuis locis fuerunt expoſitæ. Diuerſi generis ſunt, quando tertiana cum quotidiana, aut quartana complicatur; quod etiam rariſſimè in vſu practico obſeruare licet.

Intermittentes cum continuis duobus modis complicantur: nempe tertiana intermittens cum quotidiana continua; vel quotidiana intermittens cum tertiana continua. Et ideò hemitritæus nominatur, quæ in duas ſpecies prædictas diuiditur.

Illa tamen verè, & propriè hæmitritæus eſt, quæ ſit ex tertiana intermittente, & quotidiana continua: atque adeò fit ex flaua bile extra, & pituita intra vaſa putreſcente. Ab Hipp. & Gal. *in 1. epid.* horrifica nominatur, quia non ſolùm horrorem facit initio acceſſionis, ſed etiam toto morbi decurſu, & præcipuè in principio, & augmento, coeuntibus in vnum duabus acceſſionibus, febris tertianæ ſcilicet, & quotidianæ, cùm multis reduplicationibus, quæ nihil aliud ſunt, quam motus horrifici inæquales, eadem acceſſione certis interuallis recurrentes, ob mutuam pugnam duarum febrium, in qua ſi pituita ſuperauerit, ſequentur horrores, extremorumque perfrigerationes. Deinde, verò, vincente bile corpus calefit, & febris ad vigorem tendere videtur; cùm rursùs, redeunte ad pituitam victoria, denuò refrigeretur, horreatque: & pugna hæc durare conſueuit, donec febris ad vigorem peruenerit. Hinc fit, vt alternis diebus tantùm iſti rigores appareant, dum ſcilicet paroxyſmus tertianæ vrget, & cum quotidiana coniungitur.

Dum verò quotidiana ſola vrget, nullus ſolet fieri horror. Notandum tamen eſt, quaſdam reperiri febres malignas, quæ ſine commixtione tertianæ, quotidianæ, ſine vllo concurſu bilis, & pituitæ horridæ ſunt, in iſque horrores contingunt ex vaporibus acribus, & malignis, qui ex materia corrupta febrium malignarum eleuantur, & partes ſenſiles feriunt, ac vellicant.

Hæc autem ſemitertiana propriè dicta, vel exquiſita eſt, in qua æqualis bilis, & pituitæ putreſcentis copia redundat, qualis iam deſcripta eſt: vel notha, quæ rurſum duplex eſt. Uel enim bilem habet exuperantem, vel pituitam. In illa, maiora ſunt tertianæ ſymptomata, in hac, quotidianæ. Atque ita, ſi bilis exuperat, horridior fit tota febris, & aliquando rigorem ſibi aſſociat, tum feruidior fit huiuſmodi febris, & aliquid bilis per vomitum, aluum, aut ſudores excernitur. Pituita verò prævalente, frigus vehementius extremas occupat partes, & pauci adſunt horrores, ac pulſus magis, & diutiùs comprimitur, tardiuſque acceſſio inualeſcit, ac longum poſt tempus conſiſtit, non tamen aut ſitim, aut magnum affert incendium.

Dignoſcitur iſta febris ex ijs, quæ dicta ſunt, quod continua, & horrida ſit, cum multis reduplicationibus, maximiſque ſympromatis, quòd acceſſio diebus impatibus inuadat cum horrore: partibus verò, cùm aliquo tantùm frigore extremorum. Pulſus in ea frequens, & inæqualis. Vrinæ crudæ tenues & decolores, interdùm turbidæ ſunt cum nullo, aut malo ſedimento. Differentiæ verò dignoſcuntur ex ijs, quæ propoſita ſunt, æqualem vel inæqualem bilis, & pituitæ quantitatem indicantibus.

Quod ad prognoſin attinet, periculoſa eſt iſta febris, & in ea ventriculus, parteſque neruoſæ plurimùm afficiuntur. Et confectariam habet linguæ ſiccitatem, ſitim, animi defectionem, vigiliam, & interdum delirium, ac ſoporem. Inter acutos morbos ratione bilis, & inter chronicos, ratione pituitæ, ab Hippocr. numeratur *in 1. Epid.* Et dicit Auic. ad menſem vſque ſeptimum interdùm prorogari, nec non in morbos chronicos, ac febrem hecticam interdùm deſinere.

Curatio huius febris ex ijs deſumenda eſt, quæ ad tertianam, & quotidianam expugnandam neceſſaria ſunt. Et cùm continua ſit, ea methodo erit tractanda, quam ad omnes continuas putridas, *cap. 3. huius ſectionis*, propoſuimus. Ita vt bile magis dominante, ea, quæ bilem reſpiciunt, magis vſurpentur. Pituita verò prævalente, eam præparantia, & purgantia magis præſcribantur. Ac denique, vtroque humore æqualiter redundante, vtraque remedia pari portione miſceantur.

SECTIO TERTIA.

De Febribus Peſtilentibus.

PRÆFATIO.

AVthores ferè omnes qui de febribus ſcripſerunt, febrem peſtilentem à maligna diſtinguunt ac de ſingulis ſeorſim diuerſis tractant capitibus; ita vt febris peſtilentis nomine veram peſtem intelligant: malignam verò eam, quæ vulgò purpurata nominatur, aut quæ, licet epidemica ſit, & contagioſa, minùs periculoſa eſt, ex eaque plures ſeruantur, quàm intereant: cùm veræ peſtis eſſentia in eo conſiſtat, vt ex ea plures intereant, quàm ſeruentur. Attamen cùm huiuſmodi febres inter ſe differant tantùm ſecundùm magis, & minùs,

nùs, seu maiorem, & minorem malignitatis gradum, & eadem methodo curatiua, eademque materia medica oppugnari debeant; conducibilius nobis visum est, omnes illas febres in eodem capite includere, & generali febris pestilentis nomine donare. Atque ita sectio hæc postrema duobus absoluetur capitibus, quorum primum erit de febre pestilenti; alterum verò de variolis, & morbillis. Cùm enim ijs febris maligna perpetuò adiuncta sit, meritò hac parte ab omnibus Authoribus tractari solent.

CAPVT I.

De Febre pestilenti.

FEbris pestilens ea dicitur, quæ non intemperie sola, aut putridotanto calore, sed etiam maligna, & venenata qualitate infesta est. Hæc, vt plurimùm, popularis, & epidemica esse consueuit, vt eodem tempore quamplurimos homines ea correptos videre liceat. Aliquando tamen sporadica est, ex prauis humoribus, & venenatam qualitatem adeptis, oriunda.

Contagiosa etiam est, ita vt non solum ex causa communi, aeris nempè aut alimentorum vitio, sed etiam ægrotantium consortio contrahi valeat.

Febris maligna etiam vulgò nominatur, cùm plurimi tamen morbi maligni, & cacoethes nominentur, ob praua, & sæua symptomata, in quibus venenata qualitas nulla reperitur, in qua sola pestilentis morbi essentia consistit.

In quacunque igitur febre venenata illa qualitas reperiatur, siue diaria sit, siue hectica, siue putrida, pestilens iure merito dicenda est. Quamvis diaria, & hæctica valdè controuertantur, de quo videantur Authores.

Illa autem venenata qualitas ex humorum corruptione oritur, quæ non in simplici temperamenti immutatione, aut vulgari putredine consistit, qualis in febribus putridis reperitur; sed in totius naturæ, insitaque substantiæ destructione. Quemadmodum vinum, dum in acerum conuertitur, omnimodam corruptionem patitur; dum verò in vappam commutatur, simpliciter putrescere censetur.

Differt autem febris pestilens à peste, tanquam species à genere; quia pesti dari potest sine febre, vt docuit Hippoc 3. *Epid. multis in locis*, tum etiam Gal. *in expositione eiusdem libri, & lib. 6. de med facultatibus c. de terra Samia*. Quapropter ratio suffragatur, cum venenata qualitas non habeat necessariò, sibi adiunctam putredinem, à qua febris exoritur. Potest enim venenata illa qualitas produci in humoribus, per integram substantiæ eorum corruptionem, & nouæ formæ introductionem, à qua dependet illa maligna qualitas. At certum est, quoties noua forma introducitur, priorem corrumpi, ad easque mutationes esse necessarias alterationes prævias, non autem putredinem; ideoque humores talem corruptionem pati posse citra putredinem. Quia tamen humores corporis nostri putredini maximè obnoxij sunt, tarò tantam corruptionem pati possunt, quin putredo etiam interueniat. Quapropter rariores sunt illæ pestes, quæ febrem non habent comitem. Imò verò per intensam, profundam ac sordidam (vt vocant) putredinem talis corruptio plerumque suscitari solet. Ita multæ febres, quæ à principio non sunt pestilentes, si Medici ignorantia, aut negligentia, vel ægrotantium inobedientia, vel curarum externarum sæuitia malè tractentur; intensiori facta putredine, in malignas, & pestilentes desinunt. Quod verò sæpè corruptio putredinem præcedat colligitur ex ijs, qui per contagium peste afficiuntur, in quibus maligna & venenata qualitas prius communicatur, eaque corrumpuntur humores, hancque postmodum corruptionem putredo subsequitur. Vnde fit, vt peste affecti primis interdum diebus febre carent, quæ deinde apparere incipit, cùm putredo accendit ur. Simile quippiam apparet in parte gangræna affecta, quæ prius corrumpitur, postea verò putrescit.

Fit igitur febris pestilens, quando humores corrupti, & venenatam qualitatem adepti ad putredinem deueniunt. Et sic illa duplici modo cor afficit: nempè calore putrido, & maligna qualitate.

Hæc autem humorum corruptio non semper est vniformis, sed aliquando magis, aliquando minùs intensa est; & pro varijs illius gradibus, venenata qualitas, ex ea producta, magis, vel minùs pernicios a est. Vnde febrium malignitas maior, vel minor exoriri solet. Hincque exorta est vulgaris distinctio febrium pestilentium apud Medicos in pestilentem simpliciter, vel propriè dictam, & malignam: pestilentem vocantes propriè dictam, in qua vera pestis est, quæve peculiarem hunc habet characterem, vt ex ea plures interreant, quam seruentur, malignam verò simpliciter appellantes eam, quæ minùs pernicios a cum sit, ex ea plures seruentur, quàm intereant.

Febris pestilentis differentiæ desumuntur, vel à materia, in qua venenata illa qualitas producitur, vel à loco, in quo eadem materia continetur. Et ita sequuntur febrium putridarum differentiæ, quæ ratione materiæ putrescentis diuiduntur in synochos, tertianas, quartanas, & quotidianas; provt materia putrescens est sanguis, bilis, melancholia, vel pituita. Ratione verò loci, in quo humores putrescentes continentur, in continuas & intermittentes diuiduntur, provt dicti humores in venis, vel extra venas stabulantur. Ita febres pestilentes aliæ dicuntur synochi, aliæ tertianæ, quartanæ, vel quotidianæ, aliæ continuæ, vel intermittentes. Quamvis dixerit Hipp. *Aph. 43. sect. 4.* febres intermittentes periculo carere, quomodocumque intermiserint: quod tantùm intelligendum est de ijs, quæ nullius sunt malignitatis participes. Videmus enim singulis ferè annis, in hac saltem regione, febres tertianas intermittentes, quæ summæ malignitates sunt participes, tertia, vel quarta accessione ægros de medio tollere; alias, quæ eos in grauissimum vitæ discrimen conjciunt, maxima symptomatum sæuitia.

Aliæ sumuntur febris pestilentis differentiæ ab intenso, & remisso; provt scilicet aliæ sunt maiores, aliæ minores; aliæ maioris, vel minoris malignitatis participes. Maiores, vel minores simpliciter dicuntur, provt maior, vel minor est putredo, tum calor præter naturam ex ea emergens, intensior aut remissior est. Maligniores verò, aut benigniores pro maiore, aut minore qualitatis venenatæ intensione. Hinc fit, vt aliquando febris pestilens habeat summam putredinem, & malignam qualitatem in summo positam: tumquæ sæuissima esse consueuit, in eaque, ratione malignæ qualitatis, facultas vitalis maximè affligitur: ratione verò summæ putredinis, cæteræ quoque laeduntur facultates, sæuaque subsequuntur symptomata. Aliquando verò in hac febre putredo est summa, & maligna qualitas remissa; tumque febris molesta est ratione putredinis, vitalis autem facultas minùs affligitur. Contrà aliquando putredo remissa est, praua verò qualitas intensa: tumque febris ratione putredinis non adeò praua profert symptomata, & remissior apparet, vires tamen magis labefactantur. Quandoque enim tam remissa est putredo, vt ferè nulla sit, maligna verò qualitas admodum intensa: tumque fit febris, quæ nec ægro nec adstantibus videtur molesta; sed mitis omninò primo aspectu videtur, cùm tamen exitialis admodum sit. Adaucta enim maligna qualitate, vires deijciuntur, corque omninò obruitur. Hæque non solum ægris, & adstantibus, sed etiam ipsis interdum Medicis imponit; cum nullo nec eruditatis, nec prauitatis humorum signo præsente, pulsu etiam in statu ferè naturali constituto, & corporis calore ad tactum, prima fronte, miti, ac blando apparente, ad interitum ducat. Simile quippiam in prima etiam differentia solet contingere, cùm scilicet summæ malignitati coniuncta est. Euicta enim opportunis remedijs putredine, ac signis futuræ salutis apparentibus; mors tamen interdum à non correcta maligna qualitate subsequitur.

Ac denique differentiæ febris pestilentis desumuntur ab adiunctis, eæque plurimæ sunt, & euidentissimæ. Nullum enim est prauum symptoma, nec vllum morborum exitialium genus, quod cum hac febre interdum non coniungatur. Symptomata sunt, dolores capitis, vigiliæ, deliria, sopores, sitis, nausea, & vomitus, appetitus dejectio, syncope, virium languor, singultus inquietudines, alui fluxus, sudores, & similia, quæ alijs etiam febrium generibus sunt communia.

At vnicum datur symptoma, febri pestilenti proprium, & peculiare, quod in reliquis febribus non contingit: maculæ nimirum purpureæ in toto corpore, ac præcipuè lumbis, pectore, & dorso apparentes, morsibus pulicum plerumque similes, quæ periculæ, seu petechiæ ab Italis vulgò nominantur: & febres hoc comitatæ symptomatæ, purpuratæ, seu petechiales appellantur. Neque enim in omnibus febribus pestilentibus apparent huiusmodi maculæ purpureæ, sed quando apparent, febris pestilentis indicium præbent certissimum. Purpureas autem maculas nominauimus, quia vt plurimùm colore purpureo infectæ sunt. Non rarò tamen viola-

violaceæ, virides, liuidæ, aut nigræ apparent, & tunc longè deteriores sunt, maioremque malignitatem significant. Licèt autem vtplurimùm huiusmodi maculę pulicum morsibus similes sint; maiores tamen aliquando esse produnt, vt referant vibices, seu liuores, flagellis inductos, tumque deteriores sunt. Aliquando verò amplissimæ sunt, & partes integras, magnamque corporis partem, brachia nimirum, crura vel dorsum occupant: tumque partes rubore infectæ apparent; qui intra paucas horas sæpè euanescit, atque iterum reuertitur, quasi per paroxysmos, dum febris suas patitur exacerbationes, in quibus sanguis ebulliens, ad superficiē corporis exhalationes tenuiores emittit, à quibus nulla fit cutis eleuatio; sed ea tantùm rubro colore inficitur. Non rarò tamen ex huiusmodi ebullitionibus cutis in varijs partibus eleuatur cū rubore quodam: & tumores quosdam in cute efficit molles, & latos, qui intra paucas horas euanescunt, & vulgò ebullitiones sanguinis nominantur. In his atque prædictis est semper aliqua malignitas, sed tam leuis, vt nullū minetur periculum, nisi morbi progressu intensior euadat. Differunt autem maculæ prædictę pulicum morsibus simillimæ, ab exanthematis, quæ etiam in huiusmodi febribus interdum apparere solent, eaque annotauit Hipp. *in Epidemijs*; habentque eminentiam, & sunt de genere tumorum qui ad suppurationem, vel exulcerationem quandoque deueniunt. Maculæ autem purpureæ nullam (vt dictum est) habent eminentiam, & antiquis incognitæ, posterioribus tantum sæculis à recentioribus descriptæ sunt.

Quod ad morbos attinet, qui febri pestilenti coniunguntur, idem quod de symptomatibus dictum est, affirmare licet: plurimos nempe morbos exitiales cum his febribus coniungi: nempè phrenitides, anginas, pleuritides, peripneumonias, hepatis inflammationes dysenterias, alioſque quamplurimos. Sed præcipui morbi qui in febre pestilenti reperiuntur, duo sunt, nempè bubo pestilens, & carbunculus, qui intensissimam esse indicant venenatam qualitatem, & non nisi in vera peste reperiuntur, eamque vtplurimùm comitari solent, ita vt ipsius pestis nomine apud vulgus indigitari soleant.

Causæ febrium pestilentium aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Internæ aliæ immediatæ, aliæ mediatæ.

Immediata huius morbi causa [vt antea monuimus est] corruptio humorum putredini coniuncta. Ex corruptione prauam, & venenatam acquirunt qualitatem: ex putredine verò febris generatur.

Causæ verò mediatę sunt, plethora, cacochymia, & obstructiones. Plethoram autem non ad vasa, sed ad vires intelligimus, quæ cùm non ita à natura regatur, facilè corruptionem, & putredinem concipit. Cacochymia verò, seu prauorum humorum copia facilè corrumpitur, atque putrescit. Obstructiones denique omnia febrium genera producere aptæ sunt: quatenus humores, in loco calido, & humido concluſi, si non liberè transpirent, facilè putrescunt. Causæ internæ mediatæ ab Authoribus vulgò morbosus apparatus nominari solent, & tanta est illius efficacia, vt solus interdum febrem pestilentem remissiorem, quæ maligna simpliciter, aut purpurata vulgò nominatur, producere valeat, absque causæ externæ, & communis interuentu. Videmus enim sæpè, in constitutione minimè epidemica, & nullo morbo populariter grassante, quosdam ex praua humorum conditione febribus hisce correptos, quæ multis malignarum febrium symptomatis; etiam maculis purpureis stipatæ sunt.

Circa obstructionem hoc aduertendum, eam quidem necessario concurrere tanquam causam præcipuam in febribus malignis, quæ fiunt à causis internis, & sporadicæ sunt: Epidemicas verò, quæ fiunt à causa communi, pestilenti scilicet aeris statu, vel per contagium generantur, non necessariò talem habere causam. Ex sola enim aeris corrupti inspiratione, vel ex solo contagio concipitur venenata qualitas, qua humores corporis à propria natura deflectentes, sponte in putredinem dilabuntur. Quemadmodum enim fructus horarij, aliæque res facilè putrescibiles, licèt maximè perflentur, à putredine tamen vindicari non possunt; sic etiam humores, cùm qualitatem illam perniciosam conceperint proclines in putredinem redduntur: ita vt, etiamsi nulla sit præsens obstructio, in putredinem, ac febrem necessariò incidāt. Attamen inducta hoc modo in humores putredine, cum illi à natura ampliùs non regantur, obstructiones plerumque generare solent, quibus febris intenditur; sicque in his febribus obstructio concurrit, quæ licet ab initio causa febris non fuerit, subsequitur tamen, & à causis labe pestilenti infectis fouetur.

Causæ externæ febrium pestilentium sunt sex res non naturales, quæ vt necessariæ sunt, ita necessariò corpus nostrum alterant: & quando à statu naturali valdè recedunt, malignas, & venenatas qualitates in nobis generant. Ex his principem locum obtinet aer ambiens: qui provt causę communissima est, ita morbi communes ab illius vitio vt plurimùm exoriri solent.

Vitiosus autem fit, hominibusque noxius, triplici potissimū ratione. Prima, si salubribus ventis non diffletur. Secunda, si putrium ac fœtidarum exhalationum inquinamento polluatur. Tertia, si primarum qualitatum excedente, vel præpostera conditione ita homines afficiat, vt inde prauæ, & malignę humorum putredines generantur.

Prima satis euidens est. Si enim aer non diffletur, & ventis agitetur, facilè corrumpitur. Vnde Hipp. 3. *Epid.* pestilentem constitutionem grauissimam describens; *sine aura*, inquit *vsque annus hic fuit.*

Secunda verò efficacissima est, & frequentissima quando scilicet putridi tetri, & maligni vapores aeri commiscentur, eumque inficiunt, qui à varijs rebus excitari solent, stagnis videlicet lacubus, paludibus, piscinis, alijsque locis quietis aut cœnoso humore refertis, vel in quibus linum, aut cannabis maduerit. Vel ex cloacarum, sterquiliniorum, & angiportuum fœtore. Vel à strage cadauerum insepultorum; vel ex antris, & specubus, in quibus aer diutissimè concluſus fœdam acquisiuit putredinem; terræ motu, aut alio casu apertis.

Tertia verò ratio, quę in primarum qualitatum excessu, inæqualitate, vel præpostera conditione cōsistit, varijs modis potest contingere, ac præcipuè quando in caliditate & humiditate plurimùm excedit. Illæ enim qualitates quando extraneæ sunt, & aduentitiæ, ac suprà statū naturæ eam auctæ sunt principia putredinis. Hinc constitutio austrina, per anni tempestates, diu perseuerans, apud Hippocratem *in Epidemijs* fuit causa præcipua omnium febrium pestilentium, quæ ibi describuntur.

Sicca verò aeris constitutio, licèt ex sententia Hippocr. sit humidiori salubrior, quia tamen omnis qualitatum excessus naturæ nostræ inimicus est, certum est siccioremconstitutionem valdè excedentem, & extraordinariam, febres pestilentes producere, præsertim si cum caloris excessu iuncta sit. Huius exemplum habetur luculentum apud Liuium *lib.* 1. *dec.* 4. ob nimium scilicet squalorem Romæ pestem fuisse factam, quod siccitate eo anno plurimùm laboratum fuerit, neq; cęlestes modò aquæ parcæ descenderint, sed terra quoque ingenito humore egens, vix ad perennes aquas suffecerit. Hæc autem ficca cōstitutio eatenus febres pestilentes inducit, quod humores supra modum exusti in anthracum carbunculorum atque adeò pestilentes febris materiam degenerant & admodū inspissati graues obstructiones producunt, ex quibus maligna putredo in materia alioqui disposita facilè generatur. Adde, quod immodica hęc aeris siccitas fruges corrumpit, debitam ijs denegans maturitatē: cùm videlicèt eas è terra citiùs euocat, nutrimētum deindè vberiùs, post parciùs largitur, vnde inæqualiter coquuntur, cùm extrinsecùs sint adustæ, intrinsecus verò adhuc planè crudæ, instar carnium nimia ignis violentia adustarum: & sic indigestionis, variarumque cruditatum causa existunt.

Frigiditatem etiam immodicam pestilentes febres producere probatur ex Hipp. 1. *Epid. sect.* 5. *tempest.* 2. quo loco inquit. *In Thaso paulò ante Arcturum, & sub Arcturo multæ, & magnæ spirante Aquilonæ pluuiæ.* Ubi ex nimia frigiditate, illius tēpestatis venenositatem, & malitiam venatur. Tùm apud Liu. *lib.* 5. *dec.* 1. pestilentem constitutionem à vehemēti frigore exortam legere est, his verbis. *Insignis annus hyeme gelida, ac niuosa fuit adeò vt viæ clausæ, Tyberis innauigabilis fuerit. Tristem hyemem, siue ex intemperie cęli raptim mutatione in contrarium facta, siue alia de causa grauis pestilensque omnibus animalibus æstus excepit.* Et huius euentus ratio in promptu est, quòd nimirùm prohibito naturali effluxu, ex cutis densitate ob ambientis aeris frigus facta, maiorem fieri putrefactionem contingit, & grauius venenum, hincque periculosiores febres, quam æstiuis temporibus, in quibus ipsa aeris conditio, licèt quodammodo præstet mali principium, meatus tamen reddit patentiores, per quos facilè quod putrescit, exhalat, & naturales, ac præternaturales effluxus promptè expirant.

Inæqualitates temporum harum febrium causæ esse con-

ſueuerunt; quando ſcilicet modò calor, modò frigus, modò ſiccitas, modò humiditas ſibi inuicem ſuccedunt, vel frequenter recurrunt, vel diutiùs durant. Vt quando poſt diuturnos æſtus, frigus glaciale irruit: vel poſt longas pluuias extrema ſiccitas ſuboritur, aut contrà. Vel cum præpoſtero ordine hyeme calet, aut friget in æſtate. Hæ autem temporum inæqualitates ad febrium peſtilentium generationem conferre poſſunt; quia in ijs maxima fit humorum conturbatio, ex qua prauam acquirunt conditionem, & à naturali ſtatu valdè alienam, morbiſque malignis producendis idoneam, in illis præcipuè corporibus, quæ per illorum temporum decurſum ex praua victus ratione plethoram, cacochymiam', vel inſignes obſtructiones contraxerunt.

Ad hoc etiam cauſarum genus, aeris nimirùm vitium, referuntur maligni ſyderum influxus, qui aerem in mutando variis modis corpora viuentium afficere conſueuerunt. Huiuſmodi eſſe aiunt coitum planetarum ſuperiorum, Saturni, Iouis, & Martis in ſignis humanis, qualia ſunt Virgo, & Gemini, actum potiſſimùm, cum Mars dominatur. Ab ijs autem morbi inferuntur non aſſa ratione, quàm per aeris mutationem, quæ tanta eſſe debet, vt illius naturam, ac ſubſtantiam corrumpat. Illa verò immutatio duobus modis fit; vno per qualitates manifeſtas, quando ſcilicet à ſyderum influxu aer ad caliditatem, & humiditatem, alioſque primarum qualitatum exceſſus tantopere, & tam diu immutatur, vt inde tandem in propria ſubſtantia vitioſus euadat: Altero per qualitates occultas, quando ſcilicet ab occulta ſyderum vi, abſque inſigni primarum qualitatum exceſſu aeris ſubſtantia ita immutatur, vt certum quendam corruptionis gradum acquirat, vitæ noſtræ inimicum. De primo nullus dubitat, cùm ex communi Philoſophorum conſenſu ſatis conſtet, hæc inferiora gubernari à ſuperioribus conſtellationibus. Et quemadmodum aeris alterationes, quæ in quatuor anni temporibus contingunt, ab annuo Solis motu pendent: ſic maxima annorum diuerſitas, quà vnus valdè humidus, alter valdè ſiccus exiſtit, cùm Sol eundem ſingulis annis in Zodiaco curſum teneat: non poteſt niſi à varijs ſyderum aſpectibus dependere. Alter verò modus, quia occultus eſt, non æquè facilè ab omnibus conceditur. Attamen communi Aſtrologorum ſententia ſancitum eſt, aſtra triplici ratione agere in hæc inferiora: motu, lumine, & influentia. Motus, & lumen hæc inferiora alterant ſecundùm primas qualitates, & præcipuè calorem. Influentiæ verò, tum primas illas qualitates, (frigiditas enim v. gr. quæ inducitur à Saturno non poteſt à motu, & lumine dependere) tum etiam latentes, & occultas qualitates inducunt. Cùm enim morbi peſtilentes ſæpè eueniant, nulla facta in aere, quoad primas qualitates, inſigni mutatione; ſed ijs graſſantibus aer purus admodùm appareat, & puriori interdum, & quàm ſub alijs conſtitutionibus non peſtilentibus, neque præceſſerint tempora admodum calida, & humida, ex quibus inſignes putredines ſolent exoriri; conijciendum eſt, à maligno quodam ſyderum influxu morbos iſtos peſtilentes originem traxiſſe. Adde, quòd peſtes media hyeme ſæuire ſoleant: quas nulla in primis qualitatibus inſignis alteratio præceſſit, Tunc enim occultis ſyderum viribus huiuſmodi morbi aſſignandi ſunt, cùm illa, ex Aſtrologorum ſententia, vim habeant corrumpendi aerem, non facta in eo inſigni aliqua mutatione, ſecundùm primas qualitates. Et illud eſt diuinum in morbis, quod agnouit Hippocrates, & Galeno interprete, in aere quidem eſt, ſed à cœlo, & minùs manifeſtis cauſis producitur. Tum etiam ab eodem Hippoc. innuitur 2. *Epid. ſect.* 1. quando dicit, *morbum & tempus ſibi inuicem correſpondere, niſi quid in ſuperiori natura innouetur.*

Neque obſtat, quod ex Platonis ſententia *in Epinomide* adducitur; nempè, cœlum, & ſyderum concurſus ſemper bonum in hæc inferiora influere, ab ijſque non niſi conſeruationem, ac beneficium inferri. Et Ariſt. 9. *Metaph.* c. 10. dicit, in his, quæ ſempiterna, atque ætherea ſunt, neque malum, neque errorem, aut corruptionem inueniri. Auerrhoes verò 1. *Cœli*, c. 24. *Corpora*, inquit *cœleſtia continens elementa, conſeruant ipſa, & vniuerſaliter ſunt eis quaſi forma.* Vnde colligitur, non poſſe eadem veneno, & maligna qualitate afficere. Adde, quod, ſi ex aſtrorum influxu morbi peſtilentes excitarentur; illi eodem tempore mundum penè vniuerſum afficerent, cùm illi influxus cauſæ vniuerſales ſint, & cœlorum circumactione, omnes mundi plagas afficiant. At huiuſmodi morbi aliquam tantùm regionem peculiar[illegible]r inuadunt. Ac denique, ſi aſtra dicerentur malefica, Deus, qui ea creauit, autor maleficij dici poſſet, quod eſt impietate pleniſſimum.

Hæc inquam, propoſitæ veritati nihil officiunt, iſque in hunc modum ſatisfieri poteſt. Omnes ſubſtantiæ creatæ duobus modis conſiderantur: vel quatenus entia ſunt, & ad complementum vniuerſi, & perfectionem concurrentia, & tunc omnia bona ſunt; ens enim, & bonum reciprocantur, nihilque à Deo opt. max. omnium bonorum authore creatum eſt, quod malum ſimpliciter dici debeat. Vel conſiderantur ratione operationum, & tunc poſſunt dici malæ, quatenus alteri creaturæ damnum inferunt, ex inſita antipathia, & inimicitia. Quamvis autem huiuſmodi antipathiæ penè innumeræ in mundo reperiantur, non deſinunt tamen omnes dici bonæ, ratione ſui authoris, nimirum Dei; & ratione vniuerſi, cuius perfectio in varietate potiſſimùm conſiſtit. Præterea rerum creatarum operationes duobus modis malæ dici poſſunt: abſolutè, ſimpliciter, vel ſecundùm quid. Abſolutè malæ dicuntur, quando omni tempore, in omni loco, & occaſione perpetuò malum efficiunt. Et nulla poteſt reperiri creatura, quæ in hoc ſenſu mala ſit. Secundùm quid malæ dicuntur, quando vni nocent, & alteri proſunt. Et ſic nihil adeò noxium reperitur in rerum natura, quin ex alia parte ſuos etiam habeat vſus; quorum gratia creatum eſt. Sic omnia venena, quamvis homini, aut alijs animalibus noxioſiſſima; tamen conuenienter vſurpata, multa bona, & commoda ijſdem afferre ſolent. Et in medica nullum ferè reperitur adeò lethale venenum, quin ex eo, artis peritia, ſalutare medicamentum eliciatur.

Ac denique aſtrorum actiones in hæc inferiora duobus modis conſiderantur, vel reſpectu totius mundi ſublunaris, elementa omniaque mixta continentis: & tunc cœlorum, ac ſyderum actio ſimpliciter benefica eſt, generans, conſeruans, viuificans, omniaque alia beneficia præſtans, quæ ad conſeruationem vniuerſi neceſſaria ſunt. Et in hoc ſenſu veriſſimum eſt, hæc inferiora à cœli, ſyderumque influxu foueri, ac conſeruari. Vel conſiderantur reſpectu peculiaris naturæ, ac conditionis, huius, vel illius elementi, huius, vel illius viuentis. Et tunc nullum eſt inconueniens dicere, dari quoſdam influxus alicui alimento, vel viuenti, hoc vel illo modo, ſecundùm aliquam ſui partem affectis, noxios atque pernicioſos: quod quidem ex ipſorum aſtrorum vitio minimè dependet; (ſunt enim perfectiſſimæ cuiuſdam naturæ) ſed potiùs ex rerum his ſubiectarum imperfectione, quæ inſignem mutationem ſine propriæ ſubſtantiæ corruptione pati minimè poſſunt. Variæ autem illæ aſtrorum naturæ, & variæ qualitates, ex vario eorum concurſu in hiſce inferioribus productæ, à ſummo rerum opifice conſtitutæ ſunt ad conſeruationem vniuerſi, quod tam varijs, & tam inuicem repugnantibus naturis conflatum, tanta etiam in aſtrorum influxibus diuerſitate indiguit, vt omnia in quodam velut æquilibrio conſeruaret. Ex qua tamen influxuum diuerſitate vix fieri poteſt, quin aliqua rerum adeò inter ſe diſſitarum particula interdùm patiatur, non in tota aliqua ſpecie (quod tenderet ad deſtructionem vniuerſi) ſed tantùm in aliquibus individuis, minori reſiſtentia præditis, & vt plurimùm malè affectis, & in aliqua tantùm aeris parte maligni influxus receptioni magis diſpoſita. Vnde concludendum eſt, ea vitia præcipuè dependere ex defectu rerum inferiorum. Siquidem multa loca videre eſt, adeò perfecta aeris conditione, & æquali hominum temperie donata, vt quantùm vis maligni aſtrorum concurſus influant, nunquam tamen peſtifera lue tententur.

Ad idem cauſarum genus referri ſolent luminarium defectus, & eclipſes, in ſolita meteora, & præſertim cometæ, qui nunquam apparere ſolent, quin morbi epidemici, ac peſtilentes, variæque in mundo mutationes ſubſequantur, provt multarum hiſtoriarum experimentis confirmatum eſt. Vnde ille peruulgatus Claudiani verſiculus.

In cœlo nunquam ſpectatum impunè cometem.

Cuius rei teſtis luculentiſſimus fuit cometa ille crinitus, qui anno 1618. verſus Orientem apparuit die 27. menſis Nouemb. & deinceps toto ferè menſe Decemb. conſpectus eſt mobilis, & fulgidus. Illius pars denſior, & ſolidior Soli obuerſa ortum intuebatur, & tunc claro ſplendore, tum magnitudine in arctum compacta, & conglobata. Venerem longè ſuperabat. Reliqua eius pars tenuior, minùs à Sole illuſtrata, propter tenuitatem ſuã, in barbæ protenſę modu diffuſa, procedebat, & verſùs occaſũ porrigebatur. Primum ap-

pa-

paruit hic cometa sub Libra circa Æquatorem; sed primario & peculiari motu inde ferebatur ad Septentrionem, per pedes Virginis, per medium Bootem, & caudam Ursæ maioris. Ac tandem paulatim, decrescente lumine, dissipata materia, disparuit inter Vrsam maiorem, & Draconem. Motu communi syderum ferebatur ab ortu ad occasum, sed paulò velocius stellis moueri videbatur. Nam primis apparitionis suę diebus oriri solebat paulò ante horam quintam matutinam; posteà verò hora quarta & ante quartam oriebatur, atque ita deinceps donec mediam noctem & concubitum ortu suo anteuerteret. Hunc verò cometam morborum malignorum, & pestilentium, necnon etiam bellorum, quibus vniuersa penè Europa hactenus deuastata est, præsagum ac prænuntium fuisse; credere non alienum est.

Quamvis autem aer inter causas mediatas febrium pestilentium, & malignarum principem locum teneat certum tamen est, alias res naturales ad earumdem generationem etiã concurrere prout iam breuiter, & sigillatim exponere aggredior.

Secundum post aerem locum obtinent alimenta; quandoquidem ex praua victus ratione contrahitur morbosus apparatus, qui est causa sine qua non, & efficiens interna febrium malignarum pestilentium. Vnde à Gal. *lib. de cibis boni & mali succi, & 1. de diff. febr. cap. 3.* ex prauis, aut corruptis alimentis morbos pestiferos exoriri demonstratum est. Illa autem alimenta praua dici consueuerunt, & horum morborum causæ multis nominibus.

Primò quidem, quando fructus terræ, & arborum, ex praua anni constitutione, puta humidiori, vel siccioris vel nebulis corruptis, à cœnosis putridisque locis emissis; vel aliqua tempestate, aut maligno denique syderum influxu corrupti, prauos sueco ingesti producunt.

Secundo, quando magna adest annonæ caritas, & penuria; vnde vulgare illud, λοιμὸς μετὰ λιμὸν, *pestis post famem*. Tunc enim inops plebecula vilioribus, prauisque alimentis sese implere cogitur, vnde praua exoritur cacochymia. Et quod multò deterius est, quando penuriæ copia illicò succedit: sese enim tunc multis cibis subitò ingurgitant, qui à languente partium calore rectè concoqui nequeunt, & inde malignam contrahunt putredinem.

Tertiò, quando alimenta, quæ natura sua bona sunt, aliqua ratione putredinem quandam, aut prauam qualitatem acquirunt. Talia sunt triticum, hordeum, legumina, & aliæ fruges, quæ vel diutiùs asseruatæ, vel malè expositæ in loco humidiori, aut aliter malè affectæ, rubiginem, aut qualitatem quandam putredinosam acquisierunt. Tales sunt carnes diutiùs asseruatæ, aut malè olentes, vel quæ non manu hominis, sed vi morbi extinctæ sunt: quemadmodum narrat Iulius Obsequens, in Insula quæ Lipara appellatur, cum mare ab Ætnę montis ignibus, ex terræ motu magna vi euomitis, incaluisset, piscesque concoxisset, ijsque ad littus reiectis cùm incolæ auidius vescerentur, grauem pestilentiam fuisse subsequutam.

Neque minor est in potu efficacia, quando vina, putrida, & corrupta sumuntur, vel aqua bibitur ex putridis & cœnosis lacubus, aut alio quouis modo infectis. Quemadmodum historiam fide proditum est, numerosos exercitus ex huiusmodi aquarum vsu, popularibus morbis fuisse deuastatos.

Duę res nonnaturales hactenus expositæ, nempè aer, & alimenta, præcipuã vim obtinent ad febrium malignarũ generationem. Reliquæ verò quatuor, nimirum excreta & retẽta, motus & quies, somnus & vigilia, animi pathemata, minoris sunt efficaciæ, & concurrunt tantùm vt causæ adiuuantes vel corpus, disponentes ad malignam putredinem concipiendam, vt ex earum expositione statim apparebit.

Retentiones mensium in mulieribus, aut alterius vacuationis consuetæ in viris, vt hæmorrhoidum, & hæmorrhagiæ, & alui fluxus; qui in nonnullis per interualla solet contingere; si in constitutione epidemica accidant, morbum malignum solent producere. Illa enim quæ tanquam superflua, & naturam onere grauantia excernuntur, si intra corpus retineantur, facilè concipiunt putredinem. Sic nimiæ euacuationes aut sanguinis, aut aliorum humorum corpus maximè debilitant, efficiuntque calor natiuus imbecilior factus, æris vitiosi, aut pestilentis inquinamenta facilè recipiat.

Quod ad motum, & quietem spectat certum est, nimium otium efficere, vt calor natiuus liberam euentilationem minimè recipiat, atque ideò humores putredinem concipiant. Sic nimia exercitatio poros valdè aperit, & calorem dissoluit, vnde fit vt corpus debiliùs reddim, & tu magis pe[illegible]trabile contagij seminaria facilè recipiat.

Nimius etiam somnus multùm facit excrementorum prouentum, & corpus replet humiditatibus, quæ facillimè putrescunt. Nimiæ verò vigiliæ cruditates generant, & illæ facilè putrescunt, quia calore natiuo satis commodè non reguntur: tum quia ex ijs multæ fiunt obstructiones, à quibus prohibita transpiratio, & tandem putredo generatur.

Denique animi pathemata corpus vehementer exagitare solent, humoresque conturbare: atque adeò ad hanc luem capessendam maximè disponunt, atque in primis, timor, & tristitia, quæ spiritus vitales introrsum reuocatos quasi suffocant, vnde cordis vires ita franguntur, vt minùs eneno resistere, primisque morbi insultibus obsistere valeant. Imò verò humores commoti in venis, & vehementer conturbati, à naturali constitutione deijciuntur, malignamque putredinem concipiunt. Adeo vt nonnulli existimauerint in obsidionibus & castris morbus pestilentes non tam ex praua victus ratione, & cadauerum fœtore, quam terrore, metu, anxietate, & morbis formidine prouenire, quæ humores exagitet, eosque tumultuari, ac fluctuare faciat.

Signa febris pestilentis, alia futurum morbum indicant, alia præsentem demonstrant, alia præteritum commemorant. Quæ omnia proponenda sunt, quia à primis præseruatio desumitur; à secundis curatio ab vltimis, præcautio quædam in ijs, qui nondum febre pestilente correpti sunt.

Quæ futuram febrem pestilentem prænuntiant, à tribus desumuntur; nempe à corporis dispositione, à præsentia causarum, & à quibusdam medijs dispositionibus.

Corpora ad febrem pestilentem disposita sunt, quæ prauos congessere succos ex praua victus ratione, & præposteto sex rerum nonnaturali vsu anteà enarrato. Vel quæ plethora onerata plurimùm se ingurgitant, aut intempestiuè, ac inordinatè se replent. Præterea quidem cacochymię, & plethoræ expertes, ad hunc morbum concipiendum sic disponunt corpora, dum molestissimis pathematis animum excruciant, vel immodicè veneri indulgent, ab hisce enim duabus causis frequentius multo febris pestilens produci consueuit; quando quidem ab ijs, etiam in bonos humores corruptela facilè inducitur. Animi enim accidentia spiritus à proprijs distrahunt operationibus. Venus nimia omnes virtutes labefactat. At, distractis spiritibus, virtutibusque labefactatis, humores in alienam transeunt naturam, corruptelam quandam consequuti.

Demùm quibus membra principalia imbecilla, aut labe quadam affecta fuerint, siue ab ortu, siue à prauo victu, aut alia quapiam causa externa; qui calido, & humido temperamento præditi sunt, qui rariori, aut densiori habitu corporis donati, omnes febri pestilenti concipiendę dispositi sunt. Si quidem corpora calida, & humida putredini obnoxia, rara, omnibus iniurijs patent; densa non liberè transpirant.

Præsentia causarum, quæ febrem pestilentem producere possunt, eam futuram portendunt: atque adeò præpostera tempestatum conditio, annonæ caritas, bella, aliæ causæ suprà enarratæ, quando apparent, hunc morbum imminere significant.

Mediæ dispositiones sunt, quando præsente corporis dispositione, & causis supradictis videmus in homine mœstitiam insolitam, timorem inexplicabilem, colorem faciei immutatum; ad oblata non benè se habere, insomnijs prauis perturbari, lassitudine spontanea, siti, vigilijs, nausea infestari, facilè erit conijcere, febrem pestilentem imminere: hæc enim omnia indicant, humores alienam naturã adipisci, & corruptelam concipere, à qua febris pestilens oriatur.

Præsentem febrem pestilentem declarantia signa exactè proponenda sunt. Ideò omnes fontes percurrendi, ex quibus morborum diagnosis elici potest. Qui quidem fontes à triplici genere symptomatum desumuntur, quia symptomata sunt effectus morborum, & causæ nonnisi per suos effectus commodè significari possunt. Atque adeò alia signa ab actionibus læsis, alia ab excretis, alia verò a qualitatibus mutatis erunt desumenda. Quibus fontibus quartus erit adiungendus, ab affectibus superuenientibus desumptus. Ad quorum rectam intelligentiam sequentia præmittenda sunt.

Primò sciendum est, eadem ferè symptomata febrem tum pestilentem propriè dictam, tum malignam simpliciter significare, & vtriusque signa per maius tantum, & minus inter se differre; ita vt in pestilenti sit maior symptomatum

fæ[illegible]es, in maligna verò minor. Esse tamen nonnulla accidentia, quæ magis propria sunt vni, quàm alteri, vt suis locis indicabimus.

Secundò notandum est, nullum dari signum harum febrium verè pathognomonicum, quo scilicet posito febris pestilens necessariò ponatur, & sublato, auferatur; nedum bubonem, aut carbunculum in verè pestilenti; cum in multis etiam vera peste laborantibus non appareant, & dentur bubones, ac carbunculi malignitatis expertes. Neque maculas purpureas in febre maligna, quamvis illa à pluribus Medicis purpurata nominetur; cùm in multis ea laborantibus nusquam compareant, & interdum erumpere soleant in mulieribus, mensium suppressionem patientibus, & in nonnullis pueris, ob leuem quandam sanguinis ebullitionem, nulla tamen apparente febre, quòd nobis in vtrisque non raro videre licuit. Attamen, ex omnium signorum syndrome & collectione, certa harum febrium diagnosis facilè stabiliri potest.

Tertiò aduertendum est, omnia signa à nobis proponenda, in omnibus ægrotantibus non reperiri; sed partem tantum eorum, quæ tamen sufficiat ad morbi speciem adamussim constituendam. Pro varia enim corporum dispositione, & morbi intensione, aut remissione, nunc hæc symptomata, nunc illa magis elucere solent.

Demque sciendum est, febris pestilentis, & malignæ signa (quamvis in alijs etiam febribus reperiantur) fieri tamen quodammodo pathognomonica in hac febre, duplici ratione. Primò, quia in hisce febribus peculiarem quandam conditionem præseferunt, quæ in alijs febribus non reperitur. Nam capitis dolor, nausea, vomitus caloris modus, & cætera signa, dum pestilentibus febribus accidunt peculiarem conditionem, & malignam acquirunt, qua differunt à se ipsis, dum in alijs febribus apparent; quod vel mediocriter exercitatis in operibus artis innotescit. Secundò, quia symptomata inter se non seruant eam proportionem in his febribus, quæ in vulgaribus reperitur: ita vt calor ad tactum mitis, pulsus non valdè immutatus, exiguam febrem ostendant: cùm ijs tamen dolor capitis ingens, vigiliæ, & interdum deliria, aliaque symptomata, febrem ardentem consequi solita, plerumque coniungantur. His positis, signorum seriem describamus ab actionibus læsis incipientes.

Quia igitur cor in hoc affectu potissimum afficitur à maligna & venenata qualitate, ideò illius actio, nimirum pulsus, varijs modis immutatur, pro temporum varietate, ac diuersa morbi conditione. Interdum enim in principio est ferè connaturalis, & sanorum pulsui simillimus; vt docet Gal. 3. *de præsag. cap.* 4. In progressu tamen, & morbi augmento frequens, paruus, debilis, & inæqualis apparet. Frequentia tamen perpetuò maior erit, quam pro ratione caloris adaucti: quia cor lacessitum à maligna qualitate, sese magis exagitat, quàm cuentilandi caloris necessitas requirat.

Hanc etiam febrem significare valent cardialgia, seu oris ventriculi dolor, quem tanquam malignum damnauerat Hipp. 1. *prog.* his verbis: *Oris ventriculi dolor cum præcordio distento, & capitis dolor, malignum.*

Sitis aliquando magna, quæ superat caloris febrilis copiam, ac modum, aliquando verò eiusdem carentia, cum intensa febre, & linguæ siccitate; vtrumque enim malignitatis est indicium.

Ingens ciborum innappetentia, qua multi omnia alimentorum genera, non secùs ac ingratissima medicamenta, horrent. Hæc autem solet exoriri à malignis vaporibus ventriculum afficientibus.

Nausea, aut vomitus ab eadem causa, in principio præcipuè morbi euentens, isque ita diuersus, vt non nulli assumptum alimentum statim euomant; alij statim quidem ab assumpto iusculo, at non iusculum ipsum, sed varios humores reijciant; alij quæuis alimenta probè retinentes, aquam, iulepos, emulsiones, omnes denique potulentam materiam assumptam statim emittant, superfluitate interim siti ingente, cum linguæ siccitate, & nigredine.

Horror frequens, & inordinatus, sæpius in die contingens, ab halitibus acribus, mordacibus, & à natura nostra alienis ad partes sensiles delatis excitatus; qui in alijs febribus putridis raro contingit, quoniam in ipsis halitus eandem non obtinent malignitatem. In febribus tertianis intermittentibus malignitate præditis, ex horrore & frigore, malignitatis signum interdum desumi potest. Contingit enim aliquando vt in principio paroxysmi, accidenti leui frigore, aut horrore, tanta caloris retrocessio accederet, vt caro prægelida esset, facieque moribundi simillima appareret, pulsusque adeò exiguus vt omninò nullus videretur. Subsequebatur postea calor, qui tamen in augmento, nec in statu ad tactum validiùs, nec acer percipiebatur: imò caro, vel tepido calore prædita, vel sub frigida vsque ad declinationem perseuerabat. Pulsus accenso calore magis apparebat, sed paruus, inæqualis frequens, & admodum debilis erat: multaque alia febrium pestilentium symptomata comitabantur, quæ satis confirmare poterant, non solùm continuas, sed etiam intermittentes dari febres pestilentes, vt anteà monuimus.

Totius corporis lassitudo, grauitas, & veluti membrorum confractio in principio morbi apparent, ob prædictos vapores in totum corpus delatos.

Capitis dolores, vigiliæ, & deliria, quæ omnia fiunt ab eadem causa, vaporibus scilicet acribus, & venenatis: qui provt cerebri membranas impetunt, dolorem capitis efficiunt: provt verò ipsam cerebri substantiam calefaciunt, & exsiccant, si leuis sit alteratio; vigilias tantùm efficiunt: si verò intensior; etiam deliria producunt. Ad hæc verò symptomata multùm confert, præter calorem, & siccitatem, venenata qualitas: quandoquidem in febribus vulgaribus talia symptomata non fiunt, nisi multò maior sit intemperies. Dolor verò in hac febre hoc sibi peculiariter vendicat, vt varius admodum sit, nec semper eundem locum affligens. Interdum enim sinciput tantùm, aliàs occiput, frontem, aut supercilium, lencinans dolor occupat. Interdum & alias partes, vt scapulas, latus, dorsum, aliamve corporis partem. Interdum eidem parti continuè affixus, aliàs locum mutans, & nunc hanc, nunc illam discrucians.

In nonnullis sopores, & comatosi affectus contingunt ijs scilicet, qui habent cerebrum pituitosis excrementis refertum: quæ quidem pituitosa excrementa à vaporibus calidis, ex partibus inferioribus eleuatis liquantur, & functiones cerebri impediunt.

Urina aliquando vrinæ sanorum similis, quando scilicet humores plus peccant maligna qualitate, quàm putredine: & primis interdum diebus talis perseuerat, & posteà fit crassa, & perturbata. Interdum in statu concocta apparet, licet ad interitum ruant ægrotantes. Interdum tenuis est, & cruda, nullum continens sedimentum, aut illud excrementi potius naturam referens, quàm veri sedimenti. Frequentius tamen crassa, & turbida apparet, ac intensioris coloris, & crassum, rubrum ac conturbatum, diffusumque habens sedimentum. Ac denique omnes praua vrinarum dispositiones in hoc morbo possunt contingere, pro varijs humorum putrescentium, ac corruptorum alterationibus.

Alui fluxus bilioſi, qui vel ex se oriuntur, vel à leni causa irritantur, vel leni clystere aut pharmaco; & posteà contumaciter perseuerant, multosque ad interitum perducunt. Sic refert Hipp. 3. *Epid.* in pestilenti constitutione ibi descripta, plurimos alui fluxu, & dysenteria fuisse sublatos. A maligna enim qualitate humores ferociores redditi, naturam impensè stimulant & irritant, ita vt hæc eos per vias sibi obuias ejicere conetur. Illis autem alui excrementis ingens fœtor inesse solet ex ingenti putrilagine, humores occupante.

Lumbricorum copia in principio potissimum huius morbi, excerni consueuit: insignis enim putredo humores maximè disponit, vt ex ijs lumbrici generantur.

Sudores frequentes, parui, minuti, & inutiles, principio morbi producti.

Calor ad tactum mitis, ac blandus, vt vix febrire videantur; vnde Gal. 9. *simpl. c. de bolo Armena*, & Auic. *fen.* 4. *lib.* 1. *cap. de febri pestilenti*, docent febres pestiferas calorem mitem, & placidum frequenter habere. Et ratio est, quia febres huiusmodi magis fiunt à maligna, & venenata qualitate, quàm à vulgari intemperie, vel putredine.

Oculorum tubor in hoc affectu frequentissimè appareret, quia à vaporibus acribus, sursum eleuatis, cerebri meninges quandam veluti inflammationem concipiunt, eamque tunicæ adnatæ, quæ ab ijs ducit originem, facilè communicant.

Denique maculæ purpureæ pulicum morbus similes, petitulæ, vel petechiæ à recentioribus appellatæ, propriè, & peculiariter febrem malignam significant. In nullo enim

alio

alio febris genere reperiuntur; vtpote quæ ex praua, & venenata sanguinis, vel aliorum humorũ qualitate, putredini coniuncta, oritur. Apparent tamen aliquando in alijs affectibus, citra febrem pestilentem, maculæ quædam, prædictis consimiles, sed à diuersissima causa prodeũtes; nẽpè à sanguinis tenuitate nimia, qui à calore, aut facultate expultrice agitatus extra capillares venas in cute efflorescit. Illę potissimum solent contingere ijs, qui sanguinis fluxum patiuntur, ex eo quod ille factus fuerit tenuior & aquosior tum etiã in lineosis, ictericis, & diuturnas viscerum obstructiones patientibus, ijsque omnibus (vt summatim dicam) qui propter viscerum debilitatem sanguinem generant aquosum & in cachexiam procliues sunt. His enim sanguis tenuior factus, modò per nares, modò per aliam partem effluit, modò etiam à capillaribus exiens venis, in partes cutaneas transmittitur; vbi retentus, proprium amittit colorem, & vel liuidus, vel niger, vel punicus efficitur, variasque macularum differentias profert, quæ tamen à maculis febrium pestilentium diuersissimæ sunt, & nihil aliud quàm sanguinis tenuitatem aquosam, atque imbecillitatem iecoris præseferunt. Hæ autem maculæ febribus pestilentibus superuenientes, ab humoribus putrescentibus, & praua qualitate infectis oriuntur. Præterea huiusmodi maculæ aliquando criticè, aliquando symptomaticè erumpunt. Criticè quidem, cùm vel ex parte, vel totaliter superata putredine, prauaque correcta qualitate, natura corruptum humorem ab internis ad externa transmittit, tumque semper sequitur imminutio morbi. Symptomaticè verò, cum natura, materiæ morbificæ quantitate, vel qualitate praua stimulata, ante illius concoctionem, & prauæ qualitatis correctionem, ad partes cutaneas materiæ portionem transmittit. Et hinc nullum subsequitur ægrotanti leuamen; sed potiùs facto inutili naturæ cum morbo certamine, deictæ magis quam vincentis naturæ indicium est.

Colores harum macularum diuersi sunt, & diuersitatem humorum ostendunt, ex quibus generantur. Rubræ siquidem à sanguine puriori: virides, puniceæ, liuidæ, & nigræ, è sanguine bilioso, & magis, vel minus adusto. Quod ad quantitatem spectat: aliàs plures, aliàs pauciores huiusmodi maculæ apparent, quandoque maiores, quandoque verò minores. Apparere incipiunt aliquando, quarta, quinta, septima, vel nona, vel alia indicatoria die, si ab bonum fuerit excretio; aliquando etiam alijs diebus cum minùs fida, & vtilis fuerit. In omnibus interdum corporis partibus, frequentissimè tamen in lumbis, pectore, & ceruice apparere solent.

Affectus verò, febribus pestilentibus superuenientes, præcipui sunt, exanthemata, pustulæ, oris & vlcera, carbunculi, bubones, & parotides.

Exanthemata à maculis purpureis deferunt, quod maculæ at qualitates mutatas ipsius cutis, cum nullo modo eminẽat; exanthemata verò ad tumorum genera referantur. Sũt enim varorum instar aliquando, aliàs verò minora, granis milij similima. Aliquando rubra sunt, à sanguine genita; aliquando alba; à pituita, vel nigra, à maxima exustione, vel mortificatione. Quædam symptomaticè, quædam criticè, quædam medio modo erumpunt. Alia exsiccantur simpliciter, alia suppurantur, alia vlcerantur.

Ad hæc referri possunt pustulæ in ore apparentes, quæ omnes prædictas exanthematum differentia nanciscuntur, & aliquando adeò malignæ sunt, vt cibum, & potum ægrotantes vix tolerent. In tenera ætate sæpè mortem afferunt, cum sibi ipsis vim ad ingerendum cibum non inferant. Hæ pustulæ plerumque in vlcera degenerant, quæ maximam ægrotantibus pariunt molestiam, motum linguæ, & præcipuè deglutionem impedientia.

Aliquando tamen immediatè, & nullis pustulis præcedentibus generantur vlcera in ore, aphthæ Græcis appellata, quorum plures sunt differentiæ. Alia enim sunt superficiaria, alia profunda, alia munda, alia sordida: alia benigna, alia maligna, alia cum crusta, alia sine ea. Et crusta aliquando est alba aliquando flaua, liuida, aut nigra. Quæ sunt profunda, sordida, & maligna, & cum crusta nigra, deteriora.

Carbunculi, & bubones, in varijs corporis partibus, sed præcipuè circa corpora glandosa solent accidere; quia expultrix facultas, à maligna qualitate irritata, à partibus interioribus, præcipuè nobilibus, ad exteriores pernicio-sam materiam expellit: vnde à cerebro ad glandulas post aures, à corde ad axillas, à iecore ad inguina, materia hæc transmittitur, vnde parotides, & bubones generantur. Quæ tumorum genera in febre verè pestilente potissimum apparent, præsertim bubones, qui apud vulgus pestis nomine donantur. At carbunculi, & parotides etiam in febribus malignis erumpunt, sed quæ summum malignitatis gradum adeptæ sunt, & ad verè pestilentium naturam proximè accedunt.

Signa commemoratiua potissimum vsu veniunt, quando vocantur Medici ad visitanda defunctorum cadauera illis temporibus, in quibus vagantur morbi pestilentes, aut quædam eorum est suspicio, vt iudicetur, an ex ijs morbis interitus acciderit.

Et primum in dictis cadaueribus apparent aliquando maculæ, de quibus suprà mentio facta est; interdùm verò vibices, ac si flagellis percussa fuissent; hæc enim sunt venenati morbi indicia; quando quidem in ijs, qui ex assumpto veneno perempti sunt, eadem signa solent apparere. Illæ autem maculæ pestilentem morbum magis significant, si liuido, aut nigro colore infectæ sunt. Idem etiam testantur exanthemata suprà enumerata, præsertim si prauo calore infecta sint, tum etiam multo magis bubones, parotides, & carbunculi. Quibus addi possunt signa, quæ in decursu morbi apparuerunt. Eorum enim commemoratio certam demonstrationem efficiet.

Prognosis febrium pestilentium adeò incerta est, vt nihil de earum euentu possit certò constitui, donec manifesta victoriæ alterutrius partis, naturæ scilicet, vel morbi, indicia appareant; quod non solet contingere, nisi circa finem status, aut principium declinationes. Ideò prudens Medicus differre, ac suspendere iudicium suum debet de morbi euentu, in principio, & augumento.

Proponenda tamen sunt indicia præcipua, ex quibus magnam elicere poterimus coniecturam, an morbus lethaliter, an salutariter finiturus sit, quorum adminiculo quid sperandum aut metuendum sit, poterimus præuidere, sine certa tamen fiducia: nam experientia nos docuit, plurimos cum pernicioßimis signis euasisse; alios verò cum salutatibus è medio sublatos. Omnia autem signa prognostica prætermittimus, quæ omnibus morbis acutis communia sunt, de quibus fusè egit Hipp in Prognosticis. Coacis, Prorheticis, & Epidemijs, tum etiam in Aphorismis, quæ hic etiam suum locum habere possunt. Sed illa tantum proponemus, quæ febribus pestilentibus magis peculiaria sunt, ab ijsque certior prognosis elici potest.

Illa autem ex ijsdem fontibus desumentur, ex quibus diagnostica desumpta sunt.

Primò igitur in hisce febribus pulsus: æqualitatem, ac tenorem seruans, licet febris maxima appareat, spei semper aliquid præstat. Contrà verò inordinatus, inæqualis, & contractus periculosus, præsertim si à principio debilis appareat. Istæ autem pulsuum differentiæ non tàm pernicioßæ sunt in febribus malignis, quemadmodum in febribus vulgaribus. Quamuis enim pulsus intermittens in iuuene ita sit lethalis, vt testetur Galenus, se plurimos senes, & pueros cum pulsu intermittente liberatos vidisse, iuuenem verò neminem. In febribus tamen malignis nos iuuenes non paucos, pulsum intermittentem per multos dies habentes, euasisse vidimus. Pulsus sanorum pulsibus similes ad modum periculosi: significant enim naturam præ imbecillitate à coctione abstinere. Vbi enim praua, & pernicioßa qualitate vires admodum debilitantur, natura debilis facta concoctionem materiæ non aggreditur, humoremque, qui morbum excitauit, non attingit: vnde non tenta coctione, nec labor sequitur, febrisque vel nulla, vel minima est. Huius rei exemplum habemus in tumoribus externis, in quibus quamdiu pars ferè obruta est à copia, vel praua qualitate materiæ; nec dolores, nec febres fiunt: cùm verò natura aduersus materiam illam pugnare aggreditur, eamque in pus conuertere tentat, febris plurimùm intenditur. Sic in febribus malignis, ægri interdum à febre immunes videntur, cùm tamen in peius, & ad interitum ruant, vt videre est apud Hipp. 3. *Epid. sect.* 1. *ægr.* 2. vbi Hermocrates à 20. die ad 24. febris expers, visus est, cum tamen 26. obierit.

Delirium in hac febre frequentissimum est, neque metuendum, cùm à somno compescitur, tum præcipuè, si cum copioso sudore euanescat: signum enim est, materiam à cerebro ad corporis habitum reuocari. At perseuerans delirium pernicioßum est: in veram enim phrenitidem degenerare significat.

Contra actiones, & subsultus membrorum, in hac febre

fre-

frequenter contingere soliti, conuulsiui motus sunt, & admodum periculosi, idque magis, si cum delirio coniungatur: maximam enim cerebri læsionem significant.

Motus tremuli manuum, & linguæ, funesti esse solent, & plurimùm damnantur ab Hipp. 1. *progn.* Maximam enim arguunt virium imbecillitatem, & naturam ostendunt à morbo deuictam.

Surditas, licet in principijs morborum acutorũ, periculosissima sit, iuxta doctrinam Hippocratis; tamen in statu morbi apparens, saltem portendit, præcipuè in febribus malignis. Et nos millies obseruauimus hisce febribus laborantes, quibus surditas in statu superuenerat, alijs symptomatis, quantumuis periculosis existentibus, omnes euasisse; indicium enim est, cerebrum satis validum noxios humores ab internis partibus ad exteriores detrudere.

Sternutamenta, ex Hipp. *in prognosticis*, in morbis etiam exitialibus (modò non sint affecti pulmones) spem solutionis adferunt. At in febribus malignis, quantùmuis sęua symptomata periculum portendant, securitatem pollicentur.

Cardialgię frequentes, aut singultus periculum minantur, & ventriculum grauiter à venenata qualitate affici significant.

Maxima ciborum auersio, periculosissima est. Significat enim ventriculum à maligna qualitate superatum, eiusque temperiem omninò euersam, vt laudabile alimentum, sibi in statu naturali familiarissimum, respuat, & auersetur.

Suppressio omnium euacuationum in principio, & augmẽto morbi, in bonis habetur. Significat enim, materiæ morbificæ tantam non esse malitiam, vt naturã irritet ante debitum tempus, sed naturam adhuc vincere, & suo tempore excreturam, modò nõ adsit nota aliqua decubitus humorum ad caput, ventrem, aut aliquam ex præcipuis partibus. At in statu morbi nihil excerni, sed signa in aliquo principalium membrorum deteriora apparere malum est. Indicio enim est, aut morbum diutiùs duraturum: aut dubiam admodum præstiturum salutis spem. Materia siquidem, quæ pluribus diebus euinci non potuit, aliquod grauius damnum in eodem membro adfert, vt phrenitidem, lethargum, aliaque post vndecimum, vel 14. diem orientia, quæ difficillimè quibusuis adhibitis auxilijs expugnari valent.

Sanguis per venæ sectionem eductus, si nullum præ se ferat vitium, sed purus, & secundùm naturam se habere videatur, periculosus. Euidens enim signum est, plus adesse venenosæ qualitatis, quam putredinis, aut putredinem in venis cordi paroxysmis latitare, quæ venæ sectione educi non possit.

Ex vrinis in febre pestilenti nulla ferè prognosis elicitur, aut admodum incerta. Non solùm enim confusa, perturbata, tenuior, aut crassior vrina, vt in alijs febribus mala est; sed etiam illa quę vrinis sanorum consimilis est. Imò verò multi, coctionis signis manifestè in vrinis apparentibus, ijsque denuo recrudescentibus, è medio sublati sunt. Attamen vrinæ concoctæ & laudabile enæorema habentes idque multis diebus perseuerans, & de die in diem magis sese vniens, acin matulæ fundum sensim descendens certam salutem perpetuò pollicetur, etiam in febribus malignis, ac pestilentibus. Fieri enim non potest, vt facultas naturalis valida, & robusta, quæ in hisce vrinis elucescit, aduersus malignam qualitatem non insurgat, eamque tandem superet. Ideò sæpe febre maligna laborantibus, grauissimisque symptomatibus afflictis, & in maxima astantium trepidatione, fœlicem euentum ex coctionis signis, in vrinis perseuerantibus, summa fiducia prædiximus.

Vrina pinguis, & oleaginea, nigra, aut liuescens cum hypostasi nigra, aut liuescente certum exitium prænunciat.

Copiosa admodum vrina, quam febris imminutio non sequitur periculosa est, quia colliquationem significat.

Sudores in hac febre, etiamsi cum requisitis accidant conditionibus, nedum die decretorio, rarò solent eam ex toto iudicare. Imò interdum primo die ex sudore febris remittitur; deinceps verò symptomata ingrauescunt alia, & post multos sudores succumbit æger. Sudores enim copioli morbum non imminuentes ex colliquatione totius coporis oriuntur. Neque ob id credendum est, in hac febre nusquam prodesse criticos sudores. Nam quò minùs venenositatis febris obtinuerit, eò magis prodesse poterunt, vt in alijs febribus vulgaribus. Obseruatione etiam compertum est, longè vtilius esse, si frequentibus sudoribus æger à principio morbi corripiatur, (dummodò ex sudore non se deterius habeat.) Signũm enim est, naturam paulatim materiam attenuare, & per sudorem excernere.

Alui fluxus incertum omnino est præsagium. Nam in principio morbi sæpe salubriter fluit, quod etiam aliquando esse lethale signum experientia docuit. Rursum præmissa aliqua coctione, visus est ab alui fluxu laborans interrimi, nonnunquam verò liberari. Ita tamen distinguendum est. Cùm venenosa qualitas propellet, quò magis à principio per alui fluxum prolabitur materia, eò securior est, At cùm ex humorum putredine maiori parte morbus oritur; deterius se habent hi, quibus aluus à principio soluitur.

Maculæ purpureæ, cùm plures sunt, maiores, & coloris benignioris, & criticè erumpunt, naturę victoriam præsuntiant. Si vero pauciores, minores, & praui coloris, & symptomaticè excernantur; naturam succumbere significant. Præterea si retrocedant, postquam apparuerint, pessimum signum est: indicant enim materiam morbificam ad interiora refluere.

Exanthemata in varijs partibus apparentia, maiores malignitatis soboles sunt, quàm maculæ purpureæ: atque adeò maius periculum portendunt.

Carbunculi, & bubones maximam testãtur malignitatem, & maximum periculum minantur, cùm eas febres comitari soleant, quarum peculiaris character in eo constitutus est, vt ex ijs plures intereant, quàm seruentur, Anthraces, & bubones, quò longius à corde consistunt, citi ùs increscunt, & ad maturitatem perueniunt; eò minùs periculosi sunt. Attamen si de repente, & cum prauis symptomatis tumores augeantur, malum est. Carbunculi valdè magni, fędi coloris, cum vlcere depascente, aut qui in gangrænam mutantur, lethales sunt. Quemadmodum etiam, qui cordi vicini sunt, aut guttur occupant. Experientia obseruatum est, carbunculos plures paucis esse periculosiores, & contra bubones plures paucioribus esse securiores. Parotides in febribus malignis, & purpuratis in augmento, & statu lethales. Si verò vel tantillum inclinante morbo apparere incipiant, & ad suppurationem veniant; salutares.

Curatio febris pestilentis in duas partes diuiditur. Quarum vna continet præseruationem illorum, qui ea nondum correpti sunt: altera curationem actu ægrotantium.

Præseruatio præcipuè consistit in ablatione causarum, quæ corpora febri pestilenti recipiendæ idoneæ efficiunt, eamque in ijs generare possunt. Illæ autem sunt internæ, vel externæ. Internæ sunt corporis dispositio, plethora, cacochymia, & obstructiones. Externæ præcipuę sunt, aer vitiatus, & contagium vagans. Corpora huic morbo dispositia sunt, quę à natura, vel accidenti sunt præter modum humida, debilia, laxa & rara, densa, & compacta. Humidiora corpora exsiccanda: quæ autem sicciora sunt, in eodem statu conseruanda. Humidiora igitur vitare debent victum pleniorem, largioremq; potum, ab omnia alimenta humidiora; qualia sunt in primis fructus horæi, olera, pisces, lacticinia aerem austrinum, palustrem, & præcipuè nocturnum, otium, somnum longiorem, præsertim meridianum, balnea, & alia omnia, quæ corpus humectare possunt.

Corpora debilia victu analeptico, & roborantibus medicamentis instaurentur. Rara, & laxa eadem, quæ humida præcautione indigent. Densa verò, & compacta, quia febri pestilenti recipiendæ, omnium maximè dispositia sunt, à plethora, cacochymia, & obstructionibus magis sedulò liberanda sunt. Quæ causæ cùm in omnibus corporibus hanc febrem producere valeant, tanquam causæ internæ, vt anteà dictum est, earum remotioni perpetuò incumbendum.

Plethoræ debetur venæ sectio, modò nihil contraindicet, vt tempus anni calidius, aut frigidius, & pestilens æris status, in quo est mittendus sanguis, nisi plethora ad vasa manifestè vrgeat, vel consueta aliqua sanguinis euacuatio per menses, hęmorrhoidas aut hęmorrhagiam narium suppressa fuerit. Ex hausto enim sanguine, faciliùs inspiratus aer pestilentem imprimet actionem difficiliusq; si morbus superueniet ab eodẽ patiens ob vires aliquantulùm imminuras euader. Quẽadmodum his, qui post sectam venam venenum hauserunt, faciliùs hoc penetrat, & illi difficiliùs liberantur. Tum etiam in metu veneni assumpti à venæ sectione abstinemus. Sic etiam Gal. *lib. 1. de diff. febr. cap. 4* vbi præseruationem à febre pestilenti proponit purgationẽ quidem, & obstructionum apertionem præscribit; nullam verò phlebotomiæ facit mentionem.

Cacochymiæ debetur purgatio, eaque humoribus peccãtibus appropriata, præmissa præparatione idonea, si ea necessaria videatur; hac cautione adhibita, vt benigna tantùm vsur-

vsurpentur medicamenta, ab ijs abstinendo, quæ malignam, & deleteriam habent qualitatem. Quibus etiam vtile erit admiscere nonnulla bezoartica, & vim alexipharmacam habentia.

Obstructiones fiunt ab humorum multitudine, crassitie, & lentore. Multitudo euacuantibus, crassities attenuantibus, & lentor abstergentibus medicamentis auferetur.

Ratione causarum externarum præcautio instituenda est; primum aeris excessus corrigendo; calidiorem scilicet refrigerando, vt in febribus continuis docuimus; humidiorem exsiccando, accensis ignibus, tum in vijs publicis, tum in priuatis domicilijs, idque ex lignis odoratis, quantum fieri poterit, iunipero, lauro, roremarino, & similibus. Secundo omnes causas remouendo quæ aerem inquinare possunt, & suprà recensitæ fuere. Tertio, inquinamenta in ipso aere susceptа consumendo, ac dissipando. Quod fiet accensis ignibus; vt in humiditate corrigenda dictum, & suffitibus, ex odorantis, atque alexipharmacis. Tum etiam agitatione aeris vehementi, ad quam tormenta bellica, frequenter explosa, erunt efficacissima.

Quod si aer valdè pernicioſam qualitatem induerit; vt inde febris vere pestilens exurgat, omnium præseruationum præstantissima est cœli mutatio. Illi tamen, qui manere coguntur, vel inter ipsa inquinamenta, & cum ægrotantibus versari, multis alijs cautionibus indigent, & antidotis frequenter vti debent. Quæ omnia ab Authoribus, qui de peste ex professo scripserunt, fusè explicantur, inde repetenda: cum nostrum institutum sit, ea leuiori pede percurrere, quæ veræ pestis curationi maximè propria sunt. Quandoquidem pauci melioris notæ Medici tam periculoso exercitio sese exponere audent. Contra verò cum per totos viginti annos, & in Gallia, & in Europa vniuersa, plerique omnes Medici in febribus malignis, & purpuratis curandis occupati fuerint: operæ pretium duximus, hanc nostram curationem ad eam febris pestilentis speciem, quæ maligna simpliciter, & purpurata vulgò dicitur, dirigere. Ita tamen, vt veræ pestilentis curationi etiam inseruire valeat, cum, vt ab initio diximus, eadem materia medica ijsdemque indicationibus vtraque oppugnari valeat.

Curatio igitur actu ægrotantium dirigenda est ad febrem, putredinem, & malignam qualitatem. Febris oppugnanda est refrigerantibus, & humectantibus. Putredo, euacuantibus, & alterantibus. Maligna qualitas, alexipharmacis. Quæ omnes intentiones triplici instrumento medico adimplendæ sunt, in sequentem modum.

Victus ratio in hac febre eadem instituenda est, quæ in febribus continuis fuit proposita. Hoc saltem obseruando vt acida in potu, & iusculis præscripta frequentiùs vsurpentur, vtpotè putredini, & malignæ qualitati oppugnandæ maximè idonea. Dein de circa potum hoc etiam annotandū, vini vsum in hac febre aliquando esse proficuum, vtpotè insigne cardiacum, & malignę qualitati maximè aduersum, Sæpè tamen valdè nocere, febrilemque calorem plurimùm intendere. Ideo Medici prudentia hic apprimè necessaria est, vt morbi naturam, & ægrotantis temperiem contempletur: ex his enim vini exhibendi indicatio desumenda est. Si namque febris sit admodum exigua venenata verò qualitas plurimùm intensa, & corpus ægrotantis pituitosum; tutò & feliciter vinum in potu exhibetur, sed valdè lymphatum. Contra verò in febre intensa, & bilioso corpore, vinum exhibere, pernicioſum est. Hęc à nobis obseruata sunt infinitis experimentis, ac præsertim in febre purpurata, quæ Monspelij grassata est anno 1613. post vrbis obsidionem; quæ tantæ malignitatis particeps fuit, vt tertia ad minus ægrotantium pars de medio sublata fuerit, & à vera peste solo bubone distincta fuerit: cum non solùm ecthymata, & exanthemata rubra, liuida, & nigra, sed etiam carbunculi, & parotides frequenter apparerent. Ijs enim ægrotantibus, quibus pulsus erat parùm frequens, & pulsui sanorum ferè similis, lingua humida, & nulla sitis, vinum exhibuimus felici successu, illiusque continuationem indicabat leuamen inde emergens, & ex illius vsu febris nullatenus intensior euadebat, neque sitis, aut linguæ siccitas excitabatur. Ijs verò, quibus febris erat intensior cum siti, linguæ siccitate, scabrine, aut nigredine; vinum prorsus interdicebamus, eosque in refrigerantium, acidulorumque potuum vsu perpetuo detinebamus. Aduertendum tamen est, primis mordi diebus vinum nunquam esse exhibendum, ne materiæ crudę nimium exagitentur: sed tantùm circa statum, cum malignitatis signa sese magis exerere incipiunt. Attamen Zacutus Lusitanus *obser. 93. lib. 1. praxis admirandæ* refert, se in febre maligna, præsente siti intensa, cum linguæ siccitate, & nigredine, ægro iam desperato vinum exhibuisse felicissimo successu, vt hoc solo remedio restitutus fuerit. Verum hic Celsi sententiam adducere non alienum est; *Sæpe quos ratio non restituit, temeritas adiuuat.*

Instituta victus ratione, à phlebotomia inchoanda curatio est, præmisso clystere: ea enim maximè conuenit ratione magnitudinis morbi, calidæ intemperiei, & putredinis. Verùm, in quantitate sanguinis mittenda, summa prudentia necessaria est, cum ratione malignæ, & venenatæ qualitatis non conferat, imò potiùs noceat: ab ea enim facultas vitalis maximè labefactatur: & qui veneno assumpto sanguinis missionem patiuntur, in exitium præcipitari solent. Ideò si maligna, & venenata qualitas putredini præualeat, quod ex proprijs signis suprà propositis facilè internosci poterit, minori copia sanguis mittendus est. Si verò putredo magis infesta sit, quam venenata qualitas maiori copia detrahendus. Atque ita, si ex morboso apparatu potissimum. & putridis humoribus intra venas coercitis, febris maligna oriatur; iterari tutò potest phlebotomia, semel, bis, aut ter, donec sarcina humoris vitiosi in venis contenti exonerata sit. Idque in primis, si visceris cuiusdam inflammatio adesse, aut imminere videatur, quod nō rarò in febribus malignis solet contingere. Maturè autem, & à morbi initio instituenda est phlebotomia. Si enim progressum malum fuerit, & in totam massam sanguineam malignitas diffusa, non solum non confert; sed etiam naturam maximè debilitat, ita vt Authores quamplurimi, transacta die quarta sanguinem mittendū non esse censeant. Imò verò cum febres malignæ variis temporibus diuersam admodum habeant naturam, ex diuerso malignitatis gradu ortiandam, quando illę grassari incipiunt, sedulò obseruandū est, quodnam ægri ex venę sectione emolumentum capiant. Nonnullæ enim de synochorum genere, & in quibus intensior est putredo, malignitas verò remissior, venæ sectione valdè imminuuntur. Aliæ verò, quarum natura in vna propemodum malignitate consistit, secta, vena, magis pernicioſæ fiunt. Hoc apparet in vera peste in qua multorum, & probatissimorum Authorum experientia omnes ægri, quibus secta vena fuit è medio sublati sunt: ita vt etiam, in pleuritide pestilenti, sanguinis missionem insignem noxam attulisse, & morbi sæuitiam intendisse affirment. Imò verò in alijs morbis epidemicis, minori malignitate præditis, in quibus tamen sola ferè malignitas erat in vitio, idem euentus animaduersus est. Sic refert Vvierus in catarrho epidemico, qui anno 1580. per totam Europam vagatus est, & ex quo omnes ferè euadebant, ita vt vix millesimus quisque moreretur; tamen ferè omnes, quibus secta vena fuerat, interijsse, Obseruandum autem est diligenter, quod docuit Galenus 14. *meth. cap.* 10. in carbunculorum curatione venæ sectione ad lypothymiam conuenire, vt sanguis ebulliens, à quo fit carbunculus, magna copia educatur. Cùm tamen idem Galen. *lib. de curat. per venę sect. c.* 14. in phlegmonosis tumoribus sanguinem detrahendum esse præcipiat vsque ad caloris mutationem, nisi vires sint debiles, aut phlegmone maligna fuerit. Quibus innuitur, Galenū copiosam sanguinis missionē admittere in carbunculo simplici, & malignitatis experte; in maligno verò, & pestilenti, minimè; quòd superiori præcepto à nobis proposito admodum conuenit.

Circa tēpus, & interualla in venę sectionis iteratione adhibenda, hoc aduertendum, vt si morbus lentè procedat, sanguinis detractiones accelerandę non sit: franguntur enim vires ante tempus: ita vt toti morbo exantlando sufficere nequeant. Pro vt igitur morbus mouetur; sic Medicus celeriùs, aut tardiùs venæ sectionem celebrare debet.

An vero, exanthematis seu maculis purpureis apparentibus, sit secanda vena, maximè controuertitur. Nonnulli enim existimant, piaculū esse, exanthematis apparentibus, sanguinem secta vena detrahere, quod tunc temporis humores ferantur à centro ad circumferentiam, qui motus omninò adiuuandus est; & per venæ sectionem contrarius omninò motus humoribus concilietur, sanguisque trahatur à circumferentia ad centrum, cùm facta partium interiorum inanitione, necessarium sit sanguinem in exterioribus partibus contentum ad interiores recurrere; quod disertè docuit Galen. 6. *de sanit. tuenda cap.* 10. sanguinem nimirum, secta vena, à corporis mole vniuersa ad internas partes remigrare. Et idem Galen. *com. in 6. Epid.* Simoni illa, de quo Hippoc. sermonem habuit, latas pustulas habenti, vomitum ea de

causa

causa non profuisse coniectat, quo succi ad cutem vergentes per eam fint euacuandi.

Attamen sanioribus doctorum sententijs sancitum est, maculis purpureis apparentibus in morbi principio, & ijs diebus, quibus venæ sectio celebrari consueuit, si anteà sanguis sufficienter detractus non fuerit, etiam quantitate moderata esse detrahendum; neque vllum inde imminere periculum, cum illa exanthematum eruptio, quæ fit in principio morbi, critica non sit, sed tantum symptomatica ex insigni sanguinis ebullitione, humorum malignorum, ac putrescentium feruore oriunda; atque adeò non possit impediri naturę motus, qui nullus est tunc temporis. Si enim corpore existente plethorico cum lotio crasso, ac rubro, exantdematum apparentium ratione habita sanguinem nõ detraxeris; vix natura tantam humorum copiam superare poterit, & periculum erit, ne illi in partem aliquam interiorẽ irruant, in eaque perniciosã inflammationem generent. Sanguis tamen eo tempore cautius, & minori copia detrahendus est, non vt venę admodum inaniantur, vnde retractio humorum ab exterioribus ad interiora possit succedere; sed tantùm, vt nimia earum plenitudo tollatur, qua dempta venæ nouum sanguinem non attrahunt, sed in se concidunt, ac nonnihil laxantur, & coarctantur, vt meliùs sanguinem in ijs relictum continere, ac regere valeant. Sicque iuuatur motus & expulsio naturę ad superficiem corporis. Leuata enim parte oneris, quo premebatur, illud quod reliquum est, faciliùs excutit, & expellit. Quod nobis in Medicina facienda passim innotescit dum sæpè eadem die, qua secatur vena in acutis febribus, imò paucis interdum post venæ sectionem horis copiosos sudores, eosque criticos, ac salutares erumpentes conspicimus. Imò verò quamuis satis valida esset natura, vt totum illum sanguinem redundantem egere sufficienter valeret; cùm in corporibus plethoricis sanguis plerumque crassior esse soleat, & per huiusmodi ethymata, tenuissima tãtum sanguinis portio exalet, crassior in venis remanẽs magis ac magis computrescceret, & longè periculosiorem morbum efficeret. Consultissimum tamen existimo, paulò post venæ sectionem plures cucurbitulas admouere, vt motus humorum ad exteriora magis adiuuetur: de quarum cucurbitularum administratione paulò inferiùs agetur. Notandum tamen diligenter, quod supra à nobis dictum est, tempus esse obseruandum, quo exanthemata apparere incipiunt. Si nempè in principio morbi, & ante quartum diem id fiat, quo tempore eorum eruptio critica esse non potest, & nullum ægro leuamen ex ea emergit, sed potiùs symptomata ingrauescunt, vnde venę sectio nullo modo pertimescenda est. At si post quartum diem erumpant, idque magna copia, vt inde æger meliùs habeat, ac symptomata remittantur, satius multò est venę sectione abstinere, & plures cucurbitulas cum scarificatione affigere, vt motus ille humorum ad exteriora multùm promoueatur.

Quæ de venæ sectione hactenus à nobis dicta sunt, intelligenda veniunt de ea, quæ fit in brachio, quæ confestim multitudinem sanguinis imminuit. Aliquando tamen sectio venarum inferiorum vtilissima est, si nempe vires debiliores fuerint, & prædictam venæ sectionem antea vsurpatam vteriùs ferre nequeant. Tum præcipuè confert hęc phlebotomia in mulieribus: est enim, vt inquit Oribasius *lib. 7. c. 10.* mulieribus propria, multumque efficax, quippe quæ naturalis excretionis modum imitetur. Imò verò citra mensium euacuationem mulieribus vtilis est ista vacuatio, quia ex lege naturæ in venis vtero vicinis plurimo sanguine abundant. Confert etiam ijs, in quibus metuenda est translatio humorum ad cerebrum, quæ frequenter in hisce febribus solet contingere, & phrenitidem generare. Quod facile indicabunt (vt supra in prognostico dictum est) vrinæ tenues, albæ, decolores: ijsque ita se habentibus, sectio venarum inferiorum erit vtilissima. Refert enim Oribasius *loc. cit.* se febre pestilenti correptum, detractis per venas inferiores sanguinis ℔. 2. conualuisse; & omnes, qui eodem remedio vsi essent, fuisse liberatos.

Eadem vires obtinet aperitio hæmorrhoidum, quæ hirudinum applicatione perficitur. Cum enim hoc modo sanguis paulatim educatur; minima consequitur virium exsolutio. Ab intimis tamen viscеribus, quibus solet incendium adesse, & mali fomes, sanguis reuellitur; Melancholicis præcipuè plurimum conuenit, quia ijs natura plerumque per has vias limosum sanguinem educere consueuit.

Post sufficientem venæ sectionem, reuulsiones celebrandæ sunt per cucurbitulas, tum siccas, tum scarificatas. Siccas quidem, quando simplex reuulsio molienda est, scarificatas verò, quando sanguinis redundantis copia penitus ablata non est per venæ sectionem, quam vires vlterius ferre nequiuerunt. Siquidem multò minori virium iactura sanguis per cucurbitulas educitur: & præterea venenati spiritus intus latitantes ad exteriora retrahunt.

Sed de locis, quibus applicandæ sunt cucurbitulæ, inter Authores non conuenit. Alij enim, & imprimis Itali, ferè omnes, censent partibus inferioribus, cruribus scilicet, & naribus tantùm esse applicandas, vt materia venenata à corde ad distantissimas partes reuellatur. In scapulis verò, ac dorso non conuenire, quia humores noxios attrahunt ab alijs partibus versus cor. Alij contra scapulis, & dorso admotas cucurbitulas maximè conuenire existimant, vt humores, & vapores venenati trahuntur à centro ad circumferentiam, qui motus naturæ motui in hoc morbo maximè consentaneus est. Nos autem in omnibus locis prædictis cucurbitulas admouendas esse censemus: opportunumque esse, à partibus inferioribus incipere, vt portio quædam malignitatis ad remotiores partes retrahatur. Sed quia partibus illis inferioribus admotæ cucurbitulæ venenatos humores, ac vapores à corde, & partibus illi vicinis sufficienter retrahere nequeunt; conducibile est, partibus cordi vicinis, scapulis scilicet ac dorso admouere. Hoc enim modo naturæ motus maximè iuuatur: cùm experientia doceat, macularum eruptionem ad illas præcipuè partes fieri, quæ frequenti cucurbitularum admotione plurimùm adiuuatur. Quod præ cæteris Mercatus eleganter tradidit his verbis: *Interim tamen dum corpus alijs remedijs tractatur, cucurbitas paruas, seu plures, aut pluries adhibere oportet. Quod si maxima fuerit imbecillitas, & venenositas, citra scarificationem, aut cum leuissima. Sin autem & sanguinis vitiosi aliquid supereſſe cognouerimus; cum scarificatione. In quo sanè vsu, & indicatione consultissimum eas scarificare, quæ in dorso è regione cordis affiguntur. Quod sanè in ventum tanti sæpè esse mouenti vsus demostrauit; vt anxietates, & pulsus in æqualitatem, ac alia sæuissima accidentia ab eis potius subsidere vim sit. Quamobrem donec veneni accidentia quodammodo mitescere, ac supersedere visum sit, ab eis desistendum non est.*

Ratio verò, cui prioris sententiæ assertores innituntur, parui est momenti, quia metuunt, ne humores noxij ab alijs partibus ad cor retrahantur. Hoc enim forsan aliquem posset habere locum, si in principio morbi, præsente totius corporis plenitudine, adhiberentur. At post vniuersalem euacuationem, phlebotomia sufficienter celebratam, admotæ, nullum tale possunt inferre periculum. Quod luculentissimo pleuritidis exemplo sit manifestissimum, in cuius principio si cucurbitula lateri dolenti admoueatur, attrahet sine dubio fluxionem magis, ac magis ad partem affectam. Sed cùm post multas sanguinis missiones admoueri soleat; non solùm nihil ab alijs partibus ad affectam attrahit, sed illud quod parti infixum, & incuneatum est, ad exteriora potentissimè trahit; vt integra sæpè morbi solutio subsequatur. Quamuis in hoc affectu tractio ad partem affectam magis metuenda sit, quia externa ferè, cucurbitulæ vicina est.

Zacutus Lusitanus *obser. 3. lib. 5. prax. admirandæ*, plurimum commendat cucurbitulas scarificatas, propè inguina, & axillas admotas: his enim vitiosus sucus ad partes ignobiles, & communia emunctoria attrahitur ad quæ natura solet eum vtiliter deponere.

Inter reuulsoria remedia meritò etiam referuntur frictiones partium extremarum, cum linteo aspero, frequenter repetitę. Sed præcipuè commendatur illa, quæ fit in toto corpore cum linimento Ætij, quod in hũc modum componitur.

℞. Ol. amydal. dulc. & aquæ fontis ana ʒ. iij. salis nitri ʒ. ij. Bulliant ad aquæ consumptionem, & manibus hoc oleo inunctis perfricetur calidè totũ corpus manè, & serò. Ætius oleum sabinum præscribit. Sed quia calidus est, meritò à Baptista Montano oleum amygdalarum dulcium substituitur. Hoc linimentum cutis poros aperit, vt natura commodiùs vapores venenatos ad eam transmittere valeat.

Potenter etiam prauos, ac venenatos ichores attrahunt, & reuellunt vesicatoria, variis partibus admota. Vulgò adhibentur posteriori parti cruricis: hinc enim & materiam veneficam elidunt, & à capite deriuant, comatosisque affectibus, qui non rarò hisce febribus solent contingere, percurandis inseruiunt. Attamen, vbi maxima est malignitas totum corpus occupans, & sæuissima symptomata vrgent, vnicum vesicatorium non sufficit; sed plura admouenda

sunt

sunt. Soleo ego in magna morbi sæuitia quinque locis admouere, cerui ci, nimirùm, vtrique brachio, parte interiori inter cubitum, & humerum, & vtrimque femori, parte etiam interiori inter ingina, & genua cum felici successu.

Summum huius remedij vsum ex Galeno elicere possumus, qui *lib. 5. meth. cap. 12.* refert, ex febre pestilenti omnes euasisse, quibus exulcerationes in varijs corporis partibus contigerant, euacuata nimirum per ea vlcera materia morbifica. Cum tamen ex huiusmodi vesicatoris stranguria sæpissimè contingat (cantharides enim virtute specifica impetunt vesicam) opportunum erit, eo tempore emulsiones exhibere, quibus vrinæ acrimonia temperabitur. Hoc etiam symptoma præcaueri potest, si empiastro vesicatorio semine ameos puluerata permisceatur, quæ hac facultate donata sunt vt prohibeant, ne cantharides nocumentum vesicæ inerant.

Inter reuulsoria remedia referri etiam potest cataplasma ex raphanis à Cratone laudatum: Raphanus, inquit, qui magnam vim habet attrahendi malignitatem materiæ, vtile est scobem eius pedibus, sale, & aceto prius mundatis alligare. Sequens verò cataplasma ad eumdem vsum vtilius esse poterit.

℞. Rasuræ raphani, & brioniæ vtriusque, ana Vnc. ij. sem. nasturtij hortensis Vnc. j. granorum paradisi ʒ. ß. salis marini ʒ. ß. Mixta irrorentur aceto fortissimo, & excipiantur s. q. saponis liquidi. Fiat veluti cataplasma applicandum plantis pedum, è stupis pexis, calidè, hora somni.

Huic cataplasmati vtiliter addi poterunt foliæ rutæ, vrticæ, saluiæ, scordij, stercus columbinum, succus rutæ, & acetum.

Cataplasma ex cochleis contusis similem habet efficaciam: potenter attrahit ad inferiora humores, & vapores noxios; quemadmodum Galenus illud maximè commendat, ad aquas hydropicorum potenter attrahendas, & discutiendas.

Hæc reuulsoria remedia locum habere solent toto morbi decursu, post vniuersales euacuationes, phlebotomiam scilicet, & purgationem, de cuius vsu nunc agendum est, vt à remedijs chirugicis ad pharmaceutica progrediamur.

Plurimùm autem inter practicos controuertitur, vtrùm sub febrium malignarum initio purgatio debeat instituì. Multi hanc omnino reijciunt, non solum propter vulgatum Hippocr. præceptum *concocta esse medicanda, non cruda*: sed etiam, quia in hoc morbo humores maligni à purgantibus medicamentis nimiùm exagitantur, & malignam qualitatem latiùs diffundunt, naturamque acriter stimulantia pernicioso alui fluxus inducunt. Cum alioqui in hisce febribus fluxus colliquantes sæpissimè contingere, ægrosque de medio tollere soliti sint. Alij verò contendunt, tantam esse interdum prauorum, ac venenatorum humorum copiam, in primis vijs stabulantem, vt nisi purgante medicamento in principio tollatur, vt valdè imminuatur reliquam humorum massam inficiat, vt à natura, quantumuis alexipharmacis, roborantibusque medicamentis adiuta, superari nequeat.

Nos hoc dissidium ita componendum esse existimamus: nimirum in huius morbi principio, quantum fieri potest, à purgantibus medicamentis abstinendum esse, ob rationes in priori sententia allatas: & putridorum humorum illuuiem in primis vijs stagnantem, (quæ maximo equidem curationi impedimento esse consueuit,) clysteribus frequentibus, potiùs, quam purganti medicamento esse educendam. Si tamen tanta sit in prima regione cacochymia, vt clysteribus sufficienter educi non posse videatur, quod præcipuè contingit, quando humores praui in ventriculo redundant, cumque adest summa inappetentia, oris amaritudo, nauſea & vomitus; vel quando adest lumbricorum copia: vtilissimum est, purgante medicamento eam educere, vt materia morbifica, in venis contenta, postmodum commodiùs edomari valeat. Qui quidem materia ante concoctionem educi non potest, & in illa tantum locum habet sententia Hippocratis, *concocta esse medicanda*. Sed materia in prima regione contenta, & excrementorum illuuies, nulla præmissa præparatione, aut concoctione educi potest, & solis clysteribus, vt anteà dictum est, plerumque expurgatur. Illa autem medicamenta, primam tantum regionem euacuantia, ex benignioribus legenda sunt vitando vehementia, imò etiam mediocria. Atque adeo vsurpari tutò poterunt cassia, manna, tamarindi, syrupus rosaceus, & de cichorio compositus. Vixque licet ad sennam, & rhabarbarum transcendere, aut saltem non nisi in exigua quantitate, magna vrgente cacochymia, cæteris permiscere. Horum medicamentorum formulæ in febrium putridarum continuarum curatione, & purgatione in principio earum instituenda propositæ sunt.

Enemata vero non solùm in morbi principio, ad primam regionem ab excrementis liberandam; sed etiam toto morbi decursu vsurpanda sunt, si aluus sponte non fluat, idque singulis, vel alternis diebus. His enim quotidiana excrementa educuntur, & quædam materiæ morbificæ portio sensim detrahitur. Tum etiam humores, ad superiores partes vergentes, ad contraria loca, eaque naturæ consentanea retrahuntur. Hęc autem enemata ex decocto emolliente, ac refrigerante componenda sunt, additis laxantibus benignioribus: acria enim, & diagrydiata nimium irritant naturam ad excretionem, & sæpè alui fluxus pernicioſus inducunt.

Imò verò satiùs est nulla purgantia in vigore morbi enematis admiscere, ne alui fluxus excitetur, qui hinc affectui frequentissimus est. Ita vt potiùs fomenti interioris rationem obtineant, quàm remedij laxantis.

Quod si aluus in morbi decursu liquida appareat, non idcircò ab enematis abstinendum: sed modicè detergentibus, & refrigerantibus vtendum. Et in iulepis dissoluendus est syrupus granatorum, cum puluere coralli: præparati.

Dum prædicta remedia in vsum vocantur; febrilis caloris, putredinis, & malignæ qualitatis correctioni incumbendum est remedijs sequentibus.

Ac primum iulepi alterantes in febrium putridarum continuarum curatione propositi erunt conuenientissimi, ex decoctis præcipuè rad. acetosæ, cichorij, graminis, bugloſs. lapathi acuti, fol. endiuiæ, cichorij acetoſ., pimpinellæ, capill. ven. tamarindorum. Quibus addenda erunt, quæ proprietate specifica venenatam qualitatem oppugnant, alexipharmaca vulgò dicta: vt radices pentaphylli, tormentillæ, carlinæ, fol. scordij, card. benedict. scabiosæ, scorzoneræ, vlmariæ, flores calendulæ, veronicæ rubræ, frusta limonis, aut citri, & semina eorumdem; cortices pomorum redolentium; rasura cornu cerui, &c. cum syrupis de limonibus granatorum, acetoso simplici, de succo acetosæ, & oxysaccharo. In ijsque frequentiùs acida medicamenta, vt succus mali citrij, vel limonis, spiritus sulphuris, aut vitrioli admiscenda sunt: putredini enim, & venenatæ qualitati maximè resistunt.

De malo citrio refert Athenæus, in Ægypto quondam homines, morte damnatos, feris expositos, ab aspidibus quidem demorsos fuisse, & nihil inde damni perpessos; eo quod cum ad supplicium ducerentur, quædam mulierecula commiseratione ducta citria poma ad refectionem, & sitim compescendam illis edenda obtulisset, quibus assumptis nihil à lethali virulentarū bestiarum ictu noxæ perſenserint. Omnes autem mali citri partes vim quandam alexipharmacam obtinent; ideò vtiliter in taleolas dissectum, cum rad. & herbis prędictis ad iulepos conficiendos decoquitur, & præterea vtiliter aquæ potus ordinarij infunditur, eique fragrantiam à cortice, & aciditatem à succo conciliat: quamvis solus succus refrigerandi facultate, præditus sit.

Spiritus acidi sulphuris, & vitrioli à Chymiatris præcipuè summis efferuntur laudibus. Et præstantes eorum dotes diutina experientia comprobatæ esse cernunt, vt apud Galenicos iam diu recepti sint, ac communiter vsurpari. Vt verò pateat, quanto in pretio apud priores habeantur sufficit nobis vnius Mundereri verba hic in medium afferre quę habentur *cap. 15. lib. de pestilentia* vbi de spiritu vitrioli & sulphuris, alijsque ex sulphure paratis medicamentis agens. *Nullo*, inquit *est putredo, cuius vires non frangant: nulla infectio, quam non superent: nulla humorum depravatio, quam ista non superent*: (*Sane vt liberrimè loquar*) *si mihi vitriolatorum medicamentorum vsus, vel inter diceretur, vel inhibetur, ego ad pestis curationem numquam, vel saltem inermis acciderem.*

Ijsdem iulepis interdum addi potest sal prunellę, quod potenter refrigerat, & febrilem ardorem extinguit, habetque præterea vim quandam diaphoreticam, cuius ratione febribus malignis vtilissimè accomodatur.

Iuleporum loco pro delicatioribus interdum substitui poterunt iuscula medicata ex folij borraginis, acetosæ, pimpinellæ, alijsque herbis gustui gratioribus, corticibus pomor. redolent. pulpa, & acido citri, cum pullo gallinaceo, ijsque sal prunellæ ad magis refrigerandum interdum addi potest.

Emu-

Emulsiones etiam parari poterunt ex amygdalis dulcibus, sem. frig. mai. cum decocto iuleporum. Et ad maiorem qualitatis venenosę oppugnationem, seminibus prędictis addi poterunt semina citri, napi, aquilegiæ. & card. benedicti. Ad saporis verò gratiam, syrupi prædicti admiscri poterunt.

Toto autem morbi decursu alexipharmaca vsurpanda sunt, non solùm iulepis, iusculis, & è mulsionibus permixta, vtanteà dictum est, & iam vlteriùs, dicetur; sed etiam iam in alias formas concinnata. Quia verò non omnia indiscriminatim vsurpanda sunt, nec quolibet morbi tempore vt eorum vsus legitimus probè distinguatur, in quatuor classes distinguenda sunt. Prima continebit ea, quæ præter specificam qualitatem, qua venenis resistunt frigida, & sicca sunt, ac modicè astringunt; sicque putredinem cohibent, confirmant, & roborant, venenum coercent, ne tam facilè in totum corpus diffundantur, partiumque dissolutioni compressione quadam obsistunt, vt bolus armena, terra sigillata, corallus, radix pentaphyli, tormentillæ. Secunda complectetur ea, quæ frigiditate sua, & substantiæ tenuitate putredini resistunt, & malignitatem coercent, vt succus limon. spiritus sulphuris, & vitrioli, tum acida omnia, & ipsum acetum. Tertia comprehendet calida, & diaphoretica, quæ venenatos humores, & vapores à corde expellunt, eosque à centro ad circumferentiam educunt, vt angelica, zedoaria, dictamnum, vlmaria, scordium, carduus benedictus, scabiosa, theriaca, mithridatum, aqua theriacalis. Quarta denique continebit ea, quæ specifica vi, sine vllo primarum qualitatum excessu, venenatam qualitatem oppugnant, vt lapis bezoardicus, cornu cerui, & monocerotis, trochisci viperini, & similia.

Primæ, secundæ & quartæ classis remedia in principio, & augmento magis conueniunt. Tertiæ verò, in statu, & declinatione. Maximè autem varianda sunt hæc medicamenta, & miscenda pro vario malignitatis aut putredinis gradu; pro varia febris intensione, vel remissione; & vario ægrotantium temperamento, sexu, ætate, alijsque circumstantijs, quarum decisio ex Medici iudicio, atque prudentia tota dependet, neque certis regulis determinari potest. Hoc tantum admonebimus; quod est notissimum, quando scilicet vehemens febris exardet, refrigerantibus, & acidis præcipuè inhærendum, calida verò, & diaphoritica non esse exhibenda, quæ tamen maximè conuenient, vbi febris remissior est, & maligna qualitas præcipuum facessit negotium. Ex his igitur varia componi possunt medicamenta, pro arbitrio Medici curantis. Ne tamen tyrones eorum formulis omninò destituantur, nonnullæ hic subnectendæ sunt, ad quarum imitationem infinitas alias in rem præsentem concinnare poterunt.

℞. Rad. acetosæ, bugloss. tormentillæ, an. Vnc. j. fol. endiu. cichorij, acetosæ pimpinellæ an. M. j. tamarindor. Vnc. j. Coquantur ad ℔ j. In colat. dissolue syrup. de limon. & granat. an. Vnc. j. sem. Fiat iulep. pro iij. dosibus, bis in die sumendis: addendo vnicuique dosi confect. de hyacinth. ʒ. j. lapid. bezoard. gr. vj.

Hæc iulepi forma in febri initio conuenire poterit. Ea tamen intensa admodum existente, & temperatura corporis biliosa addi poterit vnicuique dosi salis prunellæ drach. j. vel spirit. sulphuris, aut vitrioli q. s. moderatam aciditatem, vel vtrumque simul. In febre verò non admodum intensa addi poterunt decocto radices carlinæ, & pentaphylli, folia scordij, & scabiosæ.

℞. Amygdal. dulc. excortic. Vnc. j. sem. melonum, cucurbitæ, napi, aquilegiæ, citri, & card. benedict. an. drach. ij. Contundantur in mortario marmoreo, sensim affundendo decocti iulepi prædicti ℔ j. ß. syrupi de limonib Vnc. iij. salis prunellæ drach. iij. Fiat emulsio pro iij. dosibus, bis, aut ter in die sumendis.

Toto morbi decursu vtatur æger, in iusculis, confectione de hyacintho: vel puluere sequenti gustui non ingrato.

℞. Coralli præparati, margaritarum præpar. rasuræ eboris, cornu cerui, & lapid. bezoard. an. ʒ. j. Misce. Fiat pulus, de quo detur ℈. sem. cum singulis iusculis.

Nouatores hodierni, gemmas, margaritas, corallium, & omnia cardiaca in vniuersum, ab vsu medico proscribere conantes; febres omnes etiamnum malignas, sola venæ sectione, & apozematis simpliciter refrigerantibus curantes; hoc saltem experimento, circa corallium, & margaritas, conuincantur: quod illa in puluerem redacta, si in aceto succo limonum, aut spiritui vitrioli, aut aquæ forti infundantur, omnem horum liquorum acrimoniam tollant. Vnde videre est eadem medicamenta intus assumpta, humorum acrimoniam, & malignam qualitatem demulcere, & ad moderatam reducere. Qui solutiones perlarum aut corallorum in succo limonum, aut aceto distillato factas degustarunt; hoc probe norunt.

Vbi maligna & venenata qualitas plurimùm viget, alexipharmaca in iulepis, iusculis, aqua potus ordinarij, & omnibus, quæ assumuntur, exhibenda sunt: vt assiduo & indesinenti conflictu infensus hostis oppugnetur.

Lapis bezoardicus solus ad gr. v. vel vj. exhibetur cum aqua vlmariæ, scorzoneræ, cardui bened. aut alia consimili, non solum ad malignam qualitatem oppugnandam, sed etiam ad diaphoresin adiuuandam prodest, virtute siquidem sudorifica pollere hic lapis vulgò creditur. Quam tamen probati Authores non pauci in dubium reuocant, quod nullum sensibilem effectum ex lapidis illius exhibitione videre potuerint. Et certè [vt ingenuè fatear] non potest magna fiducia huic lapidi adhiberi, quandoquidem, etsi vero ac genuino lapidi bezoardico eæ facultates concedantur, quæ illi adscribantur; quia tamen magnum illius prætium efficit vt quam plurimi propolæ in eo adulterando sint renuam operam nauauerint, vix alios quam adulterinos hodie habere possumus. Cuius rei testimonium lucule ntum indè elici potest, quòd rerum indicarum scriptores testentur, lapidem bezoardicum apud ipsos Indos rarum, magnique pretij esse; cum apud nos tamen magna copia, & satis vili pretio reperiatur.

Maior fides haberi debet radici illi quæ nostro sæculo ab Hispanis ex India allata, est, quam *contrayernam* nominant: quod vocabulum herbam alexipharmacam significat, quoniam illius puluis aduersùs venena præsentissimum est remedium, eaque per sudores, aut insensilem transpirationem euacuat. Illamque plantam existimant commune esse alimentum, quo animalia lapidem bezoardicum generantia vesci consueuerunt, ex eaque præcipuè vim alexipharmacam tribui lapidi bezoardico. Radicis huius puluerata ʒ. j. vel drach. ß. exhiberi potest, cum aqua cardui bened. aut alijs medicamentis permiscri.

Mindererus puluerem frequentem predicat.

℞. Sacchari candi ʒ. iij. zinzib. albi. ʒ. ij. camphoræ ʒ. j. Fiat pulus, cuius dosis ʒ. j. cum liquore idoneo. Monet verò idem Author, in magnis capitis, & ventriculi doloribus cautè esse vtendum camphora, quam tamen maximè commendat in morbis pestilentibus; & tempestiuè datam plus prodesse asserit, quàm vel pretiosa, quævis medicamenta bezoartica. Hunc puluerem calidiorem censeo, ratione zinziberis, & ad illius imitationem sequentem composui, quo vsus sum fœlici successu.

℞. Bezoartici miner. drach. iij. salis prunellæ ʒ. ij. camphoræ drach. j. Misce. Dosis drach. j. cum aqua card. bened. aut liquore idoneo.

Ex fragmentis pretiosis etiam pulueres concinnari possunt, quorum tamen vires multi irrident, alij eas suscipiunt: vnde ab Arabum temporibus, vsque ad nostram ætatem, variæ compositiones officinales ex ijs paratæ inueniuntur, vt electuarium de gemmis, & confectio de hyacintho. Verum in morbis venenatis smaragdum insignem vim habere prædicarunt nonnulli, inter quos numerandi sunt Auenzoar Mindererus & Zacutus Lusitanus. Auenzoar. 2. *teisir. tract.* 1. *capitulo* 5. refert, seipsum ex veneno laborantem, hoc solo remedio fuisse curatum, Minderus *lib. de pestilentia capitulo* 15. narrat se mulieri, febre pestilenti correptæ, quæ omnia remedia auersabatur, puluerem sequentem exhibuisse, quem sine odore, vel sapore transglutire poterat, eoque assumpto, abactis sæuorum symptomatum seditionibus, & in salutem protinùs conuerso morbo, euasisse.

℞. Smaragdi præp. lapid. bezoart. orient. an gr. 6. hyacinthi præp. gr. 3. Misce. Fiat puluis pro vna dosi.

Zacutus verò Lusitanus *obser.* 87. *libro* 3. *praxis admirandæ*, refert nobilem quandam Lusitanum, diuturno alui fluxu ex veneno assumpto laborantem, & in tabem deductum, à quo affectu nullo abstergentium, astringentium, & alexipharmacorum vsu liberari potuerat; solo smaragdi vsu curatum fuisse, cuius puluerem sumebat in conserua cydoniorum alternis diebus ad gr. 12. cum quinquies sumpsisset, à fluxu immunem euasisse.

Medici Monspelienses vtuntur in hac febre, tanquam alexipharmaco vtilissimo, nulla calefaciendi vi prædito, trochi-

trochiscis viperinis, qui ad confectionem theriacę vulgò concinnari solent, eosque exhibent ℈.j. ad ʒ.sem. cum aquis cordialibus, vel iulepis.

Melior tamen foret caro viperina exsiccata, nulla venenosa qualitate prædita [vt vulgò creditur] sed potiùs virtute alexipharmaca potenti, quæ in decoctione multùm immutatur; ad trochiscos enim parandos in aqua decoquitur. Ideò præstantiores effectus obseruamus ex corde, & hepate viperarum, sola exsiccatione præparatis.

Tertiæ classis alexipharmaca, quæ nimirum diaphoretica, & sudorifica sunt, nonni si in statu morbi, aut declinatione, (vt antea dictum est) exhiberi debent. Quod quidem intelligendum est, dum in febre maligna simpliciter, & purpurata vsurpantur; nam in vera peste ab ipso morbi initio vsurpanda sunt, vt venenata qualitas; breui hominem iugulatura, citò, & potenter oppugnetur, malignique vapores discutiantur. Imò verò, in maligna simpliciter, si venenata qualitas putredini prævalere videatur, etiam à principio exhibenda sunt in minori dosi; ea eligendo, quæ minori calefaciendi vi prædita sunt, & permiscendo iulepis, alijsque medicamentis refrigerantibus supra propositis.

Horum autem medicamentorum diaphoreticorum varijs sunt gradus. Alia enim calidiora, vt angelica, zedoaria, dictamnum, theriaca, mithridatium, aqua theriacalis. Quæ quidem nunquam exhiberi debent, quando febrilis ardor maximè viget; sed tantùm eo plurimum remisso, & malignitatis signis valde prævalentibus. Alia verò minori caliditate prædita sunt, vt scabiosa, carduus benedictus vlmaria, scordium; quę tutius etiam vigente febre administrari possunt. Et hęc in vsu practico maximè distinguenda sunt. Quod ad formulas spectat, vnusquisque eas variare potest, pro vario caloris febrilis, & malignitatis gradu. Nos tam eas, quas maioris efficaciæ esse existimamus, hic describemus.

℞. Aquar. vlmariæ, & card. bened. ana. Unc. ij. succi limon. Un. j. theriac. vet. ʒ.ß. sem. ℈.ij. vel ʒ.j. prout maior vel minor calefaciendi metus est. Misce. Fiat potio, sumēda tepidè, corpus tegendo paulò plus solito. Si magna sit vehementia symptomatum; recens theriaca magis conuenit, propter vires adhuc in ea vigentes, quarum ratione vehementia symptomatum temperabitur, & humorum efferuescentia coercebitur: imò verò interdum, quando vsus theriacæ non videtur idoneus præcipuè in morbi principio, vel augmento, laudanum opiatum ad gr. ij. exibitum, & alexipharmacis permixtum, multum prodest. Illius enim virtute narcotica, & congelante, feruentes spiritus, cordi infestissimi figuntur quasi, & materia morbifica (quæ, dum est in fluxu, pernicioſissima est,) sistitur, ac penè immota manet. Vnde contingit, vt natura à malignis humoribus, & spiritibus non lacessita recollectis viribus alexipharmacorum virtutem faciliùs sibi applicet.

Aqua theriacalis ipsi theriacæ præferenda videtur, cùm enim tenuissima, & valdè spirituosa sit; facilius, citiusque penetrat, totumque corpus peruadit, ac sudores prolicit. Quia vero plures habentur illius descriptiones, varia earum dosis esse debet, prout ex magis vel minus calidis medicamentis composita est. Nos præcipuas hic proponemus.

Ac primum, aqua theriacalis Bauderonij præstantissima est, vtpotè valdè temperata. Non enim alium recipit liquorem, quàm acetum, & succum limonum à quibus calida ingredientia valdè temperantur. Idemque ab Vnc. sem. ad Vnc. j. exhiberi potest, in aquis vel decoctis sudorificis. Quamuis tamen præ cæteris, quæ à varijs Authoribus proponuntur, hæc minus calefaciens existat, nos tamen aliam excogitauimus, paratu facillimam, quæ maior refrigerandi vi prædita, non minus febrem, quam malignam qualitatum oppugnare, sicque toto morbi decursu, & quocunque illius tempore vsurpari valeat. Eiusque compositio talis est.

℞. Limones recentes, & succulentos num. xij. Cortices & semina eximantur, succus exprimatur, eique adde cortices prædictos, & semina; succi cordij ℔.iij. succi acetosæ, rutæ capratiæ, scabiosæ, & card. bened. ana ℔.i. rasuræ cornu cerui Unc. iv. theriacæ veteris Vnc. vi. Cortices limonum in tenues laminas diuidantur, semina contundantur & herbæ, quæ minùs habent succi, inter contundendum succo limonum irrorentur, omniaque destillent in B.M. Huius aquæ detur, Unc. i. per se, vel cum aliis liquoribus permixta.

Aquæ theriacales calidiores fiunt cum vino albo, aut spiritu vini; eæque cautius, & in minori dosi exhibendæ; magis tamen penetrant, & sudores mouent, ac præcipuè in vera peste locum habent. In certis tamen casibus à medico prudenti in vsum vocari poterunt. Ex varijs earum descriptionibus nos duas insigniores hic proponemus.

℞. Rad. angelicæ, carlinæ, gentianæ, tormentillæ zedoariæ, cornu cerui, ana ʒ.j. trium santalor. an. ʒ.ß. theriacæ ʒ.iij. camphoræ ℈.i. Contundantur omnia & infundantur in vini albi generosi ℔.ii. in loco calido, per triduum. Deinde destillentur in B.M. & aqua seruetur ad vsum. Dosis erit ē ʒ.ii. ad ʒ.ß. in iulepis refrigerantibus, addendo spirit. vitrioli ad inflammabilitatem illius corrigendam.

℞. Spiritus vini opt. rectificati ℔.i. ß. theriacæ vet. Vnc. viij. myrrhæ electæ Vnc. iv. croci Orientalis ʒ.i. camphoræ Vnc. sem. Infundantur per 24. horas in B.M. Postea destillentur in eodem balneo, & elicitur aqua summè efficax.

Chimici bezoartica sua mineralia valdè prædicant, quo sudorifica, aut saltem diaphoretica, sint, nullam tamen calefaciendi vim habeant: idque probare contendunt ex insipido eorum sapore, ratione cuius etiam delicatioribus quibuisuis ægrotantibus, & ingrata medicamenta respuentibus facilè possunt exhiberi. Laudant præterea illam, quam vocant mixturam simplicem, vel mixturam spiritualem, ex aqua theriacali camphorata, spiritu tartari, & vitrioli compositam; eiusque Drachm. i. iulepis, aut portionibus alexipharmacis admiscent.

Medicus febrium malignarum curationi incumbens, varia in promptu habere debet alexipharmaca, eaque per vices immutare, ne natura vni, & eidem, assiduè vsurpato, nimiùm assuescat, illiusque vires contemnat. Adde, quod non vna, & eadem semper sit veneni natura, sed pro varietate corporum admodùm diuersa: ita vt, quod vini profuerit, alteri non conferat. Ideò, postquam per aliquod tempus vno vsus fuerit alexipharmaco, ad aliud, & aliud transire, erit vtilissimum.

Dum prædicta diaphoretica vsurpantur, si quando eorum operationem augere est animus, vt potentius venenum ad superficiem corporis educant, externa quædam remedia possunt admoueri: nempè cucurbitulæ, tum scarificatæ, & pluries admotæ; & vesicatoria, de quibus anteà dictum est, quæ in statu morbi præsertim maximè conueniunt, & quo tempore sudorifica medicamenta exhibentur, ac etiam ol. scorpion. Matthioli, quod ab omnibus practicis multùm commendatur; vires enim, in profundo corporis residens, ad exteriora euocat. Ideò corpori emunctoria, vt inguina, & axillæ; tum etiam pulsus temporum, manuum, & pedum, hoc oleo calente frequenter inungi debent; nempe ter, aut quater in die, vel etiam tertia quaque hora. In huius olei penuria parari potest linimentum ex theriaca, succo limonum dissoluta, addendo croci, & camphoræ tantillum.

Si quando natura, veneni malignitate oppressa, & quasi deuicta, nihil prorsùs agere, sed vinctis quodammodo manibus collum submittere videatur; fortissima quæque diaphoretica, etiam maiori dosi, exhibenda sunt, vt consternati cordis vires quasi stimulis quibusdam concitentur. Tumque aquæ theriacales aut bezoartica potentiora, & maiori penetrandi vi prædita (quæ etiam addita camphoræ plurimùm intendi poterunt) vsurpanda sunt. Exterius verò tunc temporis fotus sequens assumptorum vim mirificè iuuabit, malignorumque vaporum diaphoresin promouebit. Hac enim methodo non pauci ab Orci confinio liberati sunt.

℞. Rad. angelicæ, & gentianæ, ana Vnc. ij. fol. melissæ, origani, scordii an. M. sem. Card. bened. ʒ.i. flor. chamom. verbasci, meliloti hyperici, centaurii minor. stœchad. anthos, & calendulæ ana P. ii. Fiat decoctio addendo sub finem parùm vini albi, qua foueantur pedes, inguina, axillæ, & latera calidè, cum spongiis.

Si linguæ siccitas, sitis, & alia, febrem æquè prævalere, ac malignam qualitatem ostendant; hoc fotu abstinendum est, & illius loco gallina, per spinam diuisa, vel pulmo, & omentum veruecis recenter mactati ventri admoueantur.

In toto curationis decursu virium ratio maximè habenda est, quæ venenata qualitate valdè deijciuntur. Eæque fulcientur primò iusculis conuenientibus, ex decocto caponum paratis, quibus, vrgente necessitate, iura carnium stillatitia addi poterunt, ac præcipuè aqua caponis, per

descen-

deſcenſum in B. M. parata, vt hodie vulgò ſit. Confectio de hyacintho in iuſculis vires recreat, & malignam qualitatem oppugnat. In ijſdem iuſculis gelatina cornu cerui vtramque etiam indicationem implet, Laberintus omninò viribus, ad confectionem alKermes licet confugere, modo febrilis calor non vehemens vrgeat. Ac denique vinum omnium cardiarum potentiſſimum eſt, de cuius vſu in hoc morbo ſupra in victus ratione actum eſt. Solus vini odor vires admodum recreat, & multò magis fruſtum panis aſſatum, in vino odoroſo, & aqua roſarum maceratum, ac naribus oblatum.

Tum etiam confectio alKermes, & de hyacintho potionibus alexipharmacis ad miſceri ſolent. Vel in maxima virium imbecillitate potiones merè cardiacæ concinnari poſſunt in hunc modum.

℞. Aquæ naphæ & roſar. an. Vnc. j. ſem. Confect. alKerm. ℥. j. ſyrupi de ponis Unc. j. ſucci limon. ℥. iij. Fiat potio. Si febris non ſit intenſa: aqua cinnam. ad ℥. j. vel iij. addi poterit, & interdum ambra griſea ad gr. ſ. vel 8.

Neque tamen, in maxima virium ruina, calida illa roborantia tantopere metuenda ſunt, vt febris augmentum formidantes egrum ab imminenti mortis diſcrimine liberare nolimus; quandoquidem vrgentioris perpetuò maior ratio habenda eſt, & refectis aliquantulum viribus, quod roborantia calida plus æquo inflammarunt, refrigerantibus validis, vt ſale prunellę, & ſpiritu vitrioli, iulepis, & potu ordinario permixtis poſtmodùm contemperari poteſt. Hęc methodus à prudenti Medico obſeruata, non ſolùm in roborantium, ſed etiam alexipharmacorum, & ſudorificorum calidiorum exhibitione fœliciter ſuccedit.

His accedent epithematum, & animalium applicatio regioni cordis; fotus genitalium ex confectione alKermes in vino diſſoluta; ſacculi, ventriculo admouendi; aliamque tum interna, tum externa remedia in affectibus cordis, *cap. de virium imbecillitate*, paulò fuſius à nobis deſcripta.

Quod ad epithemata ſpectat, in ijs cautio adhibenda eſt. Si quidem Authores quam plurimi vſum eorum reijciunt, quod ex refrigerantibus, & repellentibus componi ſoleant: aquis nimirùm herbarum frigidarum, & aceto, à quibus venenata qualitas ad cor repercutitur, illiuſque diaphoreſis, quę perpetuò adiuuanda eſt, impeditur. Verùm ratio hæc vſum epithematum nequit impedire, cum ea ex aquis cordialibus, & diaphoreticis, nullaque adſtringendi, ad repellendi vi prædictis, ſine aceto (quod tamen multi admittunt,) componere poſſimus, additis cardiacis, ijſque ſimul iunctis fient epithemata, non ſolùm cordis rubor ſuſtinentia; ſed etiam poros, cutis aperientia, vt per eos maligni vapores facilius tranſpirent. Huiuſmodi epithematum exemplum tale eſſe poterit.

℞. Aquar. ſcabioſ. & card. ben. an. Vnc. iv. aquæ naphæ Vnc. ij. confect. alKerm. ℥. ij. pulu. elect. diamarg. frig. ℥. j. croci, & camphoræ, an gr. vj. Fiat epithemata, applic. regioni cordis, tepidè, frequenter.

℞. Confect. alKermes Vnc. ſem. pulu. elect. tria ſant, & diamarg. frig. an. Drach. j. ſem. Aquæ naphæ parum. Fiat linimentum, applicandum eidem parti, poſt vſum epithematis prædicti.

Epithemata etiam hypochondrij admouenda, huic etiam omittenda non ſunt, propter rationes in febrium putridarum curatione circa eorum vſum propoſitas, quorum etiam materia inde deſumi poterit.

Deuicta tandem remedijs prædictis maligna, & venenata qualitate, remiſſaque febre, ac morbo ad declinationem vergente coctioniſque ſignis manifeſtè apparentibus; purgatio inſtituenda eſt, quæ ægrotanti viribus, & conſtitutioni à Medico exercitato aptari poterit. Nos in tyronum gratiam vnicum exemplum hic proponemuss.

℞. Senna mundat. Unc. ß. Sem. aniſi Drach. j. fol. ſcabioſ. & ſcordij, an. M. ſemin. liquirit. Drach. ij. Coquantur ad Vnc. iij. In colat. diſſolue rhab. in aqua bnglоſſi cum ſantalo citrino infuſi ℈ iiij. mannæ, & ſyrupi roſac. ana Vnc. j. Miſce. Fiat potio.

Neque verò vt plurimum in morbi declinatione, & ſtatu conualeſcentiæ, vnica purgatio ſufficit; ſed ea non rarò bis, terue per interualla repetenda, vt praui humores funditus eradicentur. Alioqui periculum eſt recidiuæ, aut ſaltem ægroti longè tardius conualeſcunt. Quia natura, etſi ſatis potens ſit illas materiæ morbificæ reliquias conterere; id tamen non niſi multo tempore præſtare poteſt, & interim corpus priſtinum robur tardiùs recuperat.

Ad integrum huius curationis complementum, ſupereſt tantùm, vt de correctione ſymptomatum, quæ huic morbo ſuperuenire ſolent, aliquid dicamus. Eorum autem curatio eadem propemodum eſt, quæ *ſect. 2 huius tract. cap. 2.* fuit propoſita, vbi ſymptomata febres putrida comitantium curationes tradidimus. Et illa ſymptomata cum ijs, quæ febribus malignis accidunt, eadem ferè ſunt, per magis tantum, & minus differentia; ideo eadem remedia in vtroque morbo ijs aptari poterunt. Nos tamen hoc loco, quæ frequentiùs à nobis in febrium malignarum ſymptomatis edomandis vſurpanda ſunt, quæque magis profuere, paucis annotabimus. Simulque morborum hiſce febribus ſuperuenientium curationes proponemus.

Ac primum in dolore capitis, vigilijs, & delirio conueniunt in principio reuellentia omnis generis: vt apertio venarum inferiorum, & hæmorrhoidum clyſteres emollientes, frictiones partium inferiorum cucurbitulæ, primò ſuris, poſteà dorſo, & ſcapulis admotæ, tum ſiccæ, tum ſcarificatæ, veſicatoria, quæ in delirio ſimplici, à materia biliоſa excitato, brachijs, & femoribus erunt admouenda. Si verò cum delirio ſtupor, & ſomnolentia adfuerit, etiam ceruici, deinde repellentia fronti admouenda, & oxyrrhodina de quibus hoc narrandum, ea minus conuenire in febribus malignis, quàm in putridis ſimpliciter; quia venenatorum vaporum diffiatio omni arte procuranda eſt, non autem intus retinenda. Ideò leuiora priùs repellentia admouenda ſunt, & ſi vehementia dictorum ſymptomatum ad fortiora confugere nos cogat, diù non ſunt vſurpanda.

Inter repellentia leuiora recenſetur frontale commune, ex flor. nymphææ, violar. & roſar. ſem. frig. mai. & granis alkermes, vapore aceti irroratum. Quod ſi non ſufficiat, ſequens admouebitur.

℞. Vnguenti populei Unc. j. conſeruę roſar. & violar. ana Unc. ſem. ol. roſacei Unc. vj. aceti roſac. Drach. ij. Miſcentur omnia, & excipiantur ſtupis pexis, & duobus linteis incluſa fronti applicentur.

Intereà emulſiones quatuor ſem. frigid. mai. vſurpari poterunt, quibus vapores frigidi, & benigni ad cerebrum transferri, & dicta ſymptomata demulceri ſolent. Quæ ſi non ſufficiant; narcotica addentur, acrium & malignorum vaporum aſcenſum ad cerebrum mirum in modum prohibentia, & ſomnum conciliantia. Ea tamen parua doſi vſurpanda, vt ſyrup. de papau. ℥. ß. Vel vrgente neceſſitate, laudani opiati gr. ij. cum conſerua roſarum vtiliter exhibebuntur; vel in iulepo aliquo diſſoluentur, vel illius loco theriaca recens ad drach. ß. Hæc tamen narcotica rarò, & in parua doſi vſurpanda, quia venenum concentrant, quamvis ſudorifica à nonnullis habeantur.

Poſt repellentia, per vnum, aut alterum diem vſurpata, ad deriuantia veniendum eſt, inter quæ recenſetur veſicatorium, ceruici admotum, de quo ſuprà, cui addenda eſt ſectio venæ frontis: ex eaque detrahendus eſt ſanguis ad Vnc. v. vel vj. & fęliciter ſuccedit, dum modò ſufficienter antea per venas brachij ſanguis detractus fuerit. Affigantur etiam hirudines pone aures. Quod remedium vtile quidem eſt, ſed priori minus efficax, quia per hirudines tenuiſſima ſanguinis pars educitur, cum per venam frontis aliquando in phrenitide ſanguis impurior, & magis corruptus educatur, quàm ex vena brachij. Tandem in ſtatu phrenitidis, aut declinationis principio reſoluentia admouenda ſunt, præcipuè verò animalia, aut eorum partes, vt pulmo veruecinus, qui pullis columbinis, & catellis commodior eſt, eo quod totum ferè caput molliter amplectatur. Hæc autem animalia humores noxios in cerebro contentas partim reſoluunt, partim concoquunt, atque maturant, vt natura poſtmodum eos facilius expellat. Malè à nonnullis in principio phrenitidis admouentur, quia calorem augendo, fluxionem ad cerebrum magis promouent, & delirium intendunt.

In linguæ inflammatione, ſiccitate, & nigredine conueniunt remedia, dicto loco propoſita, præſertim quæ ex aqua, vel ſucco ſempervivi, & ſale prunellæ compoſita ſunt. Quibus ſequens ex Minderero addi poterit, quippè quòd maximè conferre, experientia docuit.

℞. Butyri recentis in aqua roſac. loti ℥ ij ſalis prunellæ Drach. ß. Miſce, & ſeruetur in aqua frigida. Detur piſi, vel fabæ magnitudine ſæpiùs in die, & diu in ore detineatur. Curationis probè ſuccedentis ſignum eſt, ſi fuligo atra decedat, ac lingua rimis dehiſcens humeſcere incipiat: ſicque

sicque cutis ramenta, tamquam excoriationes, decidant, ita vt faucium exuuias ægri screatu reijciant. At cum palatum dolitat, & tenuissima cuticula qua conuestitur, ob teneritudinem vix quicquam ferre potest, sed leui acore, & vix perceptibili acrimonia offenditur, quod cum prægressæ inflammationis stigmata adhuc ferat, noua pelle vestiendum, ac si penitus & refrigerandum, & persanandum occurrit. Huic vsui conuenientissima erit sequens gelatina.

℞. Sem. psyllij, & cydon. ana 3. j. ß. gummi tragachant. 3. j. Cum aquæ rosar. q. s. extrahatur mucilago satis liquida, cui adde syrupi violacei parem quantitatem. Fiat instar gelatinæ, vtatur, frequenter ex cochleari, diuque ori contineat.

Hæc calens gargarizatum dolorem lenit, inflammationem temperat, linguam; & fauces humectat, & venenum attrahit.

Pilulæ sequentes commodè vsurpari poterunt.

℞. Sem. cucumer. mundat. & contus. Unc. j. gummi tragacant. subtilissimè puluerat. Unc. sem. albuminis oui q. s. Formentur pilulæ, quas teneat in ore frequenter. Vel

℞. Sem. cucurbitæ, melon. mundat. & papau. albi, ana 3. j. liquirit. & tragacant. ana 3 j. sem. Contundantur, & puluerentur cum mucilag. sem. cydonior. extracta cum aqua ros. fiant pilulæ in ore detinendæ.

Quia verò hæc linguæ inflammatio, siccitas, & nigredo ex interno incendio procedit, ad illius extinctionem conueniunt iulepi valdè refrigerantes; quibus addentur sal prunellæ, & spiritus vitrioli. Tum etiam aquæ potus ordinarij eadem permisceri poterunt.

Sitis intensissimę curatio dicto loco sufficienter fuit proposita.

Sed in febre maligna fœliciter extinguetur duobus remedijs proximè laudatis, nempe sale prunellæ, & spiritu vitrioli, in iulepis aqua potus ordinarij.

Inappetentiæ, nauseæ, vomitus, & singultus curationes ex dicto loco desumendæ sunt. De vomitu tamen hoc addimus cum interdùm febre maligna correptos ita diuexare, vt omnia iniecta statim reijciant, & quamvis sitis, & linguæ siccitas, & nigredo adsint; nullum tamen potulentæ materiæ genus ferre possint: sed omnes iulepos, emulsiones, ptisanas, aquam etiam simplicem statim post assumptionem euomant. Huic symptomati grauissimo statim medetur, quasi miraculo, sal absinthij ad Drach. j. in succi limonum recentis cochleari exhibitum, vt experientia didici.

Alui fluxus in hoc morbo frequentissimus est, in eoque Medici prudentia valde necessaria est. Si enim cohibeatur præposterè, materia venenata intus retinetur. Si verò non cohibeatur; vires deijcit, ægrumque non rarò ad interitum ducit. In illius curatione ita procedendum. Si ita moderatus sit, vt vires non deijciat; cohibendus non est, sed clysteribus roborantibus tantum moderandus. Si vero immodicus sit, & vires admodum deijciat; colliquuatiuus esse consueuit, & audacter cohibendus, quod summa efficacia præstabit theriaca recens, ad ʒ. sem. vel laudanum opiatum ad gr. 2. vel 3. Sæpè tamen obseruaui, alui fluxum pernicioſum, ex quo æger ad interitum ruere videbatur, potioribus diaphoreticis magna dosi exhibitis, quasi momento cohibitum fuisse, fugato scilicet veneno, quod intestina, aliaque viscera vellicando, fluxum illum syntecticum efficiebat.

Lumbrici hoc morbo laborantes sæpissimè infestant, & ex summa humorum putredine copiosi generantur. His è corpore educendis conueniunt clysteres dulces, & potiones contra vermes, præcipuè quæ ex decocto scordij parantur. Si quidem scordium aduersus malignitatem, & lumbricos æqualiter confert. Vt autem illius caliditas temperetur, cū portulaca, acetosa, & cornu cerui decoqui poterit. Tum etiā cornu cerui vstum vtiliter decoquetur. Si quidem Forestus *obser. 4. lib. 6.* testatur, nullum remedium æquè profuisse febre maligna laborantibus, quibus lumbricorum copia, & alui fluxus aderant, ac cornu cerui vstum, cum iulepis idoneis ad Drach. j. exhibitum.

Quando maligna, & venenata qualitas in hisce, febribus valdè prædominatur, vt ad pestilentium propriè dictarum naturam accedant, plerumque fiunt parotides, & carbunculi. Eorum ideò curatio hic subnectenda est.

In parotidis principio, quamprimum illa apparere incipit pars recipiens laxanda, & si tumor segniter increscat, attrahentibus admotis, & alexipharmacis, ac diaphoreticis exhibitis naturæ ad eas partes materiam morbificam expellentis motus adiuuandus est. Ad partem laxandam fiet iniectio ex vnguēto de althæa, admota postmodum lana succida. Attractio fiet admotis catulis, aut pullis columbinis, quibus etiam dolor temperabitur. Ualidiùs attrahunt emplastra ex fermento, caricis, cepis, columbino stercore addendo butyrum, pinguedinem gallinæ, axungiam suillam recentem, & ol. lilior. vel amygdal. dulciu m. Si attrahentibus hisce pars nimium incalescat, & dolor nimis intendatur, fiat eorum intermissio per interualla, admouendo interim cataplasma de mica panis, aut olea prædicta, lana succida excepta, vel vnguentum de althæa, vt supra. Et quia pars non est capax materiam morbificam sufficienter recipiendi; ad portionem illius deriuandam admouendum est vesicatorium posteriori parti ceruicis, simulque diaphoretica supra enumerata frequenter vsurpanda. Euocata materia ad partes exteriores, tentetur suppuratio, admoto cataplasmate ex rad. altheæ, lilior. caricis farina lini, axungijs, & oleis prædictis compositio. Suppuratione facta tumor aperiatur, reliquum materiæ coquantur, continuato cataplasmate, vel admoto emplastro diachylone. Ulcus mundificetur digestiuo communi ex terebinthina, vitellis ouorum, & oleo rosaceo. Tum etiam vlcus teneatur diu apertum, admota turunda, vt totum virus per illud sufficienter expurgetur, & tandem ad cicatricem perducatur. † Hoc tamen obseruandum, tumorem ita crescentem, vt periculum suffocationis immineat, ante perfectam maturationem esse aperiendum: sic enim, aliqua materiæ portione educta, tumor aliquantulum subsidebit, & suffocationis periculum euitabitur. Pari modo, si intensissima sit malignitas, vt æger morbo succumbere videatur, antequam tumor ad maturitatem perductus sit; aperiendus etiam est ante tempus, vt veneni vix expiret, vnde salus ægri subsequi non rarò consueuit. Hacque ratione in vera peste bubones ante suppurationem aperiri solent.

† nota

† Denique silentio præterire nefas est insigne experimentum, quod mihi contingit in febre illa epidemica, quæ Monspelii sæuissimè grassata est anno 1623. ita vt media fere pars ægrotantium interierit, peculiariter verò, quibuscumque parotides superueniebant (quod solebat contingere circa nonum, vel vndecimum morbi diem) omnes intra biduum interibant; præcedente, aut eodem tempore accedente delirio, stupore, motibus conuulsiuis, & pulsu inæquali, frequenti, minutulo, quasi formicante. Cùm autem plures huiusmodi vidissem, qui neque alexipharmacis frequenter adhibitis, neque attrahentibus parotidi admotis iuuari poterant; animo reuolui, qua via liberari possent à tam certo exitio. Tandem cogitare cepi, ideò parotides febribus hisce superuenientes siniſtri esse iudicij, quod locus, in quo fiunt, non sit capax totam materiam morbificam excipiendi, quæ intus retenta opprimit ægrotantem, ac proinde opus naturæ inchoatum solummodò euacuationibus suppleri posse, venæ sectione scilicet, & purgatione; cui etiam Gal. *3. de compos. medic. secundum loca, cap. de parot.* in earum curatione phlebotomiam præscribat. Verùm huic indicationi maximè obstabat summa virium imbecillitas, quæ tanta erat, vt iam versari ęgrotantes viderentur in agone mortis, quæ etiam breui succedebat. Gal. verò *loc. cit.* dum præscribit venæ sectionem in parotidum curatione, duas proponit conditiones: nempè si adsit sanguinis redundantia, & vires ferant, Quæ conditiones his omninò deerant: prius enim sufficienter sanguis detractus fuerat, tum per phlebotomias iteratas, tum per cucurbitulas scarificatas: tum etiam maxima aderat virium ruina. Hisce omnibus perpensis, auream hanc Corn. Celsi sententiam, si alias vnquam, hic maximè locum habere censui, *multa scilicet in præcipiti periculo rectè fieri, quæ alias essent omittenda: & facius esse anceps remedium in vno, aut altero experiri, quam tot ægros certo exitio relinquere.* Hoc etiam animum addebat, quod summa illa virium deiectio ab oppressione magis, quam ab exolutione proficisci videbatur. Ideò enim subitò vires corruebant, quod natura non posset graue onus excutere, eiusque imminutione subleuatum iri sperandum fuerat. Adde, quod phlebotomia ita poterat instituī, vt nullum inde periculum esset metuendum, si nimirùm Vnc. ij. vel tres sanguinis prima vice tantùm educerentur, tentandi gratia, & si rite succederent, maior deinceps quantitas detraheretur. Hac igitur viam exequi placuit. Et cùm mercator Monspelienſis, nomine *Bernardier*, primus occurreret, eique parotis pone aurem siniſtram die morbi vndecima erumperet, cum pulsu, alijsque symptomatis supra enumeratis; phlebotomiam præscribo

ad Unc. iij. quam tamen Chirurgus senex, & peritus celebrare renuebat, metuens, ne æger ad extrema redactus, in ipsa operatione expiraret: mea postmodum præsentia, & authoritate confirmatus, sanguinem misit ad Unc. iij. Tribus, aut quatuor horis elapsis, ægrum iterum inuiso, & pulsum paulo validiorem inueniò, minusque inæqualem: iteratur phlebotomia ad Vnc. vj. Pulsus inde multò melior, & robustior. Sanguis detractus admodum corruptus apparuit. Sequenti die propinatur medicamentum ex senna rhab. & syrupo rosaceo. Sicque æger à mortis confinio liberatus est. Omnibus deinceps ægrotantibus, quibus succrescebant parotides, venæ sectio primùm, idque partitis vicibus, sequenti die purgatio à me præscripta est: sicque omnes (Deus sit laus, & honos) quotquot hoc modo tractati sunt, feliciter euaserunt; neque vllus amplius toto illo anno ex parotidibus interijt.

Aduertendum tamen est (quod in prognosi notauimus) parotides sæpè criticè, & vtiliter apparere, & ex ijs ægros à morbo liberari; quando scilicet in declinatione contingunt. Idque facilè apparet ex remissione symptomatum, quæ illarum eruptionem solet præcedere, & tales accidere solent in febribus, minori malignitate præditis. At verò in prædicta temporis constitutione tanta erat febris epidemicæ malignitas, vt parotides sæpè in statu morbi, & symptomaticè, ac lethaliter erumperent: donec prædictis remedijs etiam pernicies sublata est.

In carbunculo febri ardenti superueniente, si ante illius apparitionem sanguis sufficienter missus non fuerit; aut si æger vlteriorem venæ sectionem ferre non possit, aperiatur vena carbunculo vicinior, vt maior fiat attractio materiæ virulentæ ad partem affecta. Postmodum tumor vndique in circuitu scarificetur, idque satis profundis vulneribus; & aqua salsa calida foueatur aliquantisper, vt sanguinis concretio impediatur, eiusque effluxus adiuuetur. Mox caustici granum in pustulæ medio applicetur. Toti autem tumori sequens cataplasma admoueatur.

℞. Fol. rutæ, scabiosæ, contus. ana M. j. ficuum siccar. contusar. par. ʒ. fermenti acris Unc. j. piperis puluerati ʒ. j. vitell. ouorum num. ij. Misce. Fiat cataplasma, quod per biduum applicetur.

Deinde verò sequens admoueatur.

℞. Succorum symphyti mai. scabiosæ, calendulæ ana Drach. j. theriacæ vet. ʒ. 4. salis ʒ. j. vitell. ouor. num. ij. Misce. Applicetur tumori.

Potest etiam ab initio tumori applicari cataplasma de arnogloisso in Pharmacopœa Bauderon. descriptum.

Ipsi verò escharæ post caustici applicationem admoueatur vnguentum basilicum, cui addatur theriaca, ol. scorpionum, & vitellum oui.

Postquam tumor incrementum susceperit, ne materia maligna refluat ad interiora; illius ambitus illinatur vnguento de bolo, bis, aut ter in die. Supra escharam verò, vt illius casus procuretur; applicetur vnguentum basilicum cum butyro, aut axungia suilla permixtum. Post escharæ casum vlcus detergetur vnguento sequenti.

℞. Saccharum calendulę, absinthij, scabiosę, & apij, an. vnc. j. myrrhæ electæ, rad. ireos Florent. aloes, sarcocollæ, ana ʒ. j. mellis rosati ʒ. ij. Fiat vnguentum, continuandum vsque ad integram curationem.

CAPVT II.

De Variolis, & Morbilis.

AD febres malignas, & pestilentes meritò referanda est, quæ variolas, & morbillos comitari solet; cum epidemica, & contagiosa sit, plurimosque pueros, quibus præcipuè solet accidere, de medio tollat.

Quænam sit inter variolas, & morbillos differentia, apud Authores omninò non conuenit. Vsus verò obtinuit, vt variolæ nominentur pustulæ maiores, variis persimiles, vnde nomen sortitæ sunt; quæ ad suppurationem peruenire solent: morbilli verò sint pustulæ perexiguæ, & veluti cutis asperitates, cum intensa rubedine, instar erysipelatum: quæ intra quinque, vel septem dies sine suppuratione discutiuntur & ratione rubedinis intensæ, apud Gallos *la rougeole* vocari consueuerunt; variolæ verò, *la petite verole*, & in Occitania, *la picote*. Est, & tertium pustularum genus, pueris familiare, & variolis simile quoad magnitudinem, & figuram: sed in eo ab ijs distinguitur, quod variolæ cum rubore, & inflammatione apparent: hæ verò albæ fiant, & veluti vesiculæ, seroso humore repletæ, quæ intra triduum disrumpuntur, & exsiccantur. nullumque afferre solent periculum, & plerumque sine febre erumpunt. Id pustularum genus à nostratibus feminis, *la veirolette* nominari solet: ab Italis, *rauaglione*. Eiusque descriptio reperitur apud Uidium Vidium, his verbis: *Sunt qui præter duas species crystallos adijciant. Sic enim appellant quasdam veluti vesiculas, plenas aqua, instar crystalli splendentes, quibus cutis varijs locis distinguitur: has nunc vulgò nominant*, rauaglione, *In quas non ita incurrunt omnes homines; sicuti in variolas, & morbillos: neque sub ipsis ita affliguntur. Quamobrem non videntur, tanquam tertia species, morbilis, & variolis hæ pustulæ adijciendæ.*

De variolis, & morbillis Authores multa disputant, ac præsertim, vtrum hi affectus sint morbi noui, an veteribus incogniti, & à qua causa proximè atque immediatè producantur. Cùm autem nos summam breuitatem in prælectionibus nostris obnixè affectemus; omnes controuersias prætermittere consueuimus, nudas, & simplices earum decisiones proponentes, ideòque sic, quid de prædictis quæstionibus censendum sit, paucis explicabimus.

Ac primùm variolas, & morbillos minime nouos affectus esse censemus, cum ab antiquissima causa, nempè sanguinis materni impuritatibus, oriantur; Quam cum Arabes agnouerint, minimè nouum morbum esse censuerunt. Si autem eorum temporibus primùm grassari cępissent; illud specialim ab ijs fuisset annotatum. Ac quanquam ab ijs primum exacta eorum descriptio tradita sit: Hipp. verò, & Galen. alijque antiquiores vix de ijs mentionem fecerint: arbitrati oportet, ideó peculiarem de ijs tractationem à veteribus hisce non esse institutam, quòd sint tantum accidentia, febribus synochis, & malignis superuenientia, & eruptione criticæ, proprium, & peculiare morbi genus minimè constituentes. Vel quòd in Græcia, propter aeris clementiam, tàm leuis fuerit affectus, vt Medicorum curam non meruerit. Quemadmodum apud Indos Occidentales, propter summam aeris clementiam tàm leuis esse consueuerat, vt vix animaduersus fuerit ante accessum Hispanorum in eas regiones. Postquam verò Æthiops quidam, eò delatus, variolis pestilentibus correptus est; communicata per contagium maligna, & venenata qualitate, tam immaniter grassari cępit affectus, vt magna Indorum pars de medio sublata fuerit. Cùm enim anteà impuritates illæ, ex materno sanguine relictæ, ob clementiam aeris à natura facilè discuti consueuissent; accedente postmodum venenata qualitate, graues morbos effecere.

Sanguinem verò maternum esse veram causam variolarum, & morbillorum, inde præcipuè colligitur: quod ex hominum millibus vix vnum reperire liceat, qui saltem in vita hos affectus non patiatur. At morbus omnibus hominibus communis à causa aliqua communi necessariò dependet: qualia sunt generationis principia, semen nimirum, & sanguis maternus. At semen non potest esse causa variolarum, & morbillorum, cum ab eo morbi hæreditarij, & tota vita perdurantes oriantur. Superest igitur, à sanguine materno, quo nutritur fœtus in vtero, hos affectus prouenire. In illo enim, quantumvis purissimo, quædam impuritates continentur, quæ partibus fœtus labem suam communicant; & illa labes partibus impressa massam sanguinis inficit; eique à causa procatarctica excitatæ, ebullitionem conciliat, cuius beneficio fit fermentatio, & depuratio, tum sanguinis; tum ipsarum partium. Hoc docent Arabes luculento vini exemplo, quod dum adhuc recens, & musti naturam retinens in dolium mundum, aut praua alia qualitate infectum infunditur, à dolio quidem malam illam qualitatem recipit. Dum verò per ebullitionem depuratur, non modo seipsum, sed etiam dolium purificat. Ista autem ebullitio, seu fermentatio, vt plurimum puerulis contingit, aliquando tamen grandioribus, & virilem ætatem adeptis: quia semper à causa aliqua externa commoueri solet, qualis est in primis certa aeris dispositio, huic morbo analoga. Vnde fit, vt nunc variolæ, nunc morbilli grassari soleant, quod illa aeris dispositio nunc his, nunc illis sit magis analoga.

Neque impuritates illæ sanguinis materni ipsam matrem inficere possunt, in eaque similes affectus generare; quamvis dictum fuerit ab Hippocr. *lib. de natura pueri*, tres esse partes in sanguine, vnam purissimam, quam nutritur fœtus alteram impuriorem, qua nutritur mater, tertiam impu-

rissi-

tissimam, quæ in venis vteri asseruatur toto gestationis tempore, & post partum per lochia expurgatur. Primò enim cum mater habeat partes duriores, & solidiores, eæ non tam facilè recipiunt impressionem, quemadmodum fœtus corpus tenellum atque molissimum. Deinde, portio illa sanguinis impurissima, quæ asseruatur in venis vteri, & secundarum toto gestationis tempore, inficit in transitu sanguinem, qui defertur per ea loca ad fœtus nutritionem, vnde fœtus contrahit malam qualitatem, quę suo tempore causa est ebullitionis in sanguine fœtus. At verò portio illa impurissima, in dictis locis remanens, non inficit corpus matris.

Præterea mirandum non est, tandiu differri, aliquando erumptionem variolarum, & morbillorum, vt in virili ætate nonnullos corripiant. Non enim substantialiter in corpore remanent impuritates illæ, vt multi existimant: corrumperentur enim mora longissima, & putredinem deterrimam acquirerent. Sed ab ijs tantum praua quædam qualitas partibus fœtus imprimitur, quæ tandem humorum partem aliquam inficiens, naturæ molestior redditur, quæ tunc temporis insurgens, infectas illas humorum portiones ad cutem propellit.

Cum autem in sanguinis massa duplex excrementum reperiatur: vnum crassum, alterum verò tenue; ex crasso variolæ generantur, ex tenui verò morbili. Et licet vna eademque sit praua, & maligna qualitas, vtrumque excrementum inficiens; attamen, quia diuersa est vtriusque excrementi natura, diuersa etiam est causæ externæ ad vtrumque analogia. Unde fit, vt aliquando variolæ, aliquando morbilli populariter grassentur.

Quamvis autem variolæ in toto corpore erumpere soleant; maiori tamen copia in facie, pedibus, & manibus apparere consueuerunt, cùm aliter euenire soleat in maculis purpureis, quæ in febres purpurata contingunt illæ in pectore, & dorso præcipuè apparent. Cuius differentiæ ratio inde desumenda est, quod cùm variolæ oriantur ab ebullitione sanguinis, cuius beneficio fit excretio ad cutem excrementi in eo latitantis, & praua qualitate affecti; hepar autem sit sanguinis fons, & origo, ab eo præsertim talis expulsio dependet, ac hepatis emunctoria sunt facies, manus, & pedes: vnde sit, vt calidiori hepate præditis, faciei rubedine, & pastulis laborare, caloremque intensum in volis manuum, ac pedum percipere soleant; eaque ratione maior fit expulsio ad eas partes. Contra verò maculæ purpureæ in febre maligna apparentes, à corde præcipuè affecto oriuntur, ideoque circa partes cordi vicinas erumpunt; & præcipuè circa lumbos, quia in ijs vena caua ascendens, & arteria orta cordi annexæ decurrunt.

Alia præterea differentia inter variolas, & maculas purpureas annotanda est, quod nimirùm variolæ, & morbilli apparentes tertio, vel quarto die à febris inuasione, criticæ esse soleant, & vt plurimum salutare, maculæ verò purpureę, etiam septimo die apparentes plerumque symptomaticę sint, & morbum reddunt deteriorem cum aliter debere fieri videretur morbus enim crudior est quarto die, quam septimo. Huius tamen euentus ratio inde depromenda est, quod in variolis, & morbillis plerumque febris incipiat à summo vigore; ideò non solum tertio, aut quarto, sed etiam primo, & secundo die excretiones in ea verè criticè possunt contingere. At febres malignę segniùs progrediuntur, & principium earum ad septimum plerumque extenditur: vnde eo tempore excretiones contingentes, non possunt esse vere criticæ. Quod vere variolæ, & morbillitam citò ad statum perueniant, non autem febres malignæ; inde fit, quia febris variolarum, morbillorum à putredine leuissima, & sanguinis ebulitione potiùs; quam ab intensa materiæ putredine proficiscitur, eam ideò cessare facit natura, mediante coctione, ante diem septimum, eò quod leuissima sit, & à facillimis caussis orta. At in malignis febribus adeò est ingens, ac sordida putredo, vt nec decima quarta die, & interdum vigesima corrigi possit. Et ob id, maculis erumpentibus, ante id tempus exacerbatur, quia citra coctionem, & symptomaticè coacta fuit natura expellere.

Fit igitur expulsio variolarum, & morbillorum per sanguinis ebullitionem. Quæ quidem ebullitio, iuxta doctrinam Auicennæ, duplex est, vna perfectiua, altera verò corruptiua. Perfectiua, seu depuratiua ea est, in qua partes tantum impuriores, & excrementitiæ sanguinis putrescunt, & à natura expurgantur, vt tota massa pura postmodum relinquatur; & tunc variolæ fiunt salutares, quæ sine vllo medico auxilio curantur: Corruptiua verò est, in qua non solum partes sanguinis excrementitiæ, sed etiam sanguis ipse sincerus computrescit, vnde periculosæ, & lethales variolæ oriuntur, & pro maiori, vel minori putredine, maioris, vel minoris malignitatis participes plures, vel pauciores sanguinis partes occupantis maius, vel minus periculum emergit. Talis ebullitio corruptiua præcipuè contingit, dum epidemicè grassantur isti morbi, & à maligna aeris constitutione excitantur, à qua humorum efferuescentia, & maligna putredo ducitur, vnde variolæ multæ, & periculosæ generari solent, quæ aliquando pestis prodromi, & nuntij, iuxta Rhasis sententiam, esse consueuerunt.

Inter morbos acutos recenseri solent variolæ, & morbilli, vt plurimum enim intra quatuordecim dies terminantur. Duplex autem temporum series à nonnullis ingeniosè statuitur: tempus nimirum ebullitionis, tempus eruptionis variolarum, Tempus ebullitionis quatuor vtplurimum diebus perficitur: ita vt primus dies principium statuatur; secundus, augmentum; tertius, status, & quartus, declinatio: tunc enim febris, & alia symptomata remittere solent: At principium exitus variolarum est ipsemet quartus dies: augmentum ad septimum protrahitur, status ad vndecimum: declinatio verò ad decimumquartum, quo tempore variolæ exsiccantur. Non rarò tamen ad vigesimum vsque protrahitur variolarum exsiccatio.

Differentiæ variolarum, & morbillorum desumuntur, vel à substantia, ratione cuius aliæ sunt magis, vel minus pituitosæ sanguineæ, biliosæ, aut melancholicæ: vel à quantitate, ratione cuius dicuntur maiores, aut minores, plures, aut pauciores, profundæ, aut superficiariæ: vel à qualitate ratione cuius aliæ rubicundæ, aliæ albæ, subflauæ, violaceæ liuidæ, nigræ pro diuersitate humorum, ex quibus componuntur; vel à tempore, ratione cuius aliæ citò, aliæ tardè erumpunt, aliæ citiùs, aliæ tardiùs suppurantur, aut dissoluuntur: vel à loco, ratione cuius aliæ cutem tantum occupant, aliæ etiam partes internas inuadunt, vt fauces, pulmones, intestina, iecur, lienem, reliquaque viscera.

Diagnosis dirigenda est, vel ad effectum iam præsentem, vel ad eundem imminentem Variolæ, & morbili iam præsentes, cùm sensibus pateant, non alijs signis indigent. Imminentes verò sequentia signa indicant.

Dolor capitis cum pulsationis sensu in fronte, & temporibus: Somnolentia grauis, Tortores in somno, Deliria, interdum tremores, & conuulsiones, Sternutatio, Pandiculatio frequens, Raucedo, Tussis, Spirandi difficultas, Calor, rubor, & punctionis sensus in toto corpore. Dolor dorsi, qui aliquando solus, aut cum paucis alijs symptomatis in febre synocho apparens, variolas imminentes significat. Cùm enim per dorsum ferantur vena, & arteria magna, in quibus sanguis ebulliens malignus acres vapores ad neruos, & membranas vicina emittit; necesse est, dolores in ijs partibus præcipuè percipi. Magna anxietas, & inquietudo, lachrymæ inuoluntariæ, Oculorum splendor, & pruritus, Tumor faciei cum aliquo rubore. Vehementia symptomatum ab initio, vt morbus statim vigorem attigisse videatur.

Quæ omnia fiunt, vel à vaporibus multis, & crassis, per sanguinis ebullitionem in caput, diaphragma, aliasque partes transmissis; vel ab ipsa variolarum materia, iam ipsas partes inuadere incipiente; vel à fluxione, caloris vi excitata, humores in cerebro colliquantis.

Maximi est momenti, imminentes variolas præuidere: sed multò maioris earum euentum prædicere, quem sequentia signa prognostica indicabunt.

Ac primum salutare esse solent variolæ, quæ citò, & facilè exeunt ac breui ad maturitatem perducuntur.

In quibus febris leuis est, sine magnis symptomatis, quæ post exitum variolarum cessat, aut admodum imminuitur. In quibus vox libera est, & respiratio facilis. Variolæ primum rubræ, & albæ, molles, distinctæ, paucæ rotundæ, fastigiatæ, solam cutem, non autem partes internas afficientes; salutares esse consueuerunt.

Omnia prædicta signa materię morbificę paucitatem, obsequium, benignitatem, & naturæ robur, validè eam expellentis, significant.

Contrà verò periculosas, aut lethales variolas ostendunt, febris ingens, & non imminuta post eruptionē variolarum. Significat enim humores malignos, & venenatos non fuisse sufficienter ad cutem expulsos, sed maximam eorum partem adhuc in venis restitisse. Anxietas, & inquietudo magna ab ijsdem humoribus, in venis ebullientibus. Difficultas

spirandi, quæ significat pustulas, aut apostema in pulmonibus, aut anginam, aut virium lapsum. Sitis ingens, quæ internum incendium indicat: & si cum ea angustia respirationis augeatur, mors in propinquo est. Alui fluxus, aut dysenteria, quæ significat humores malignos ad interiora recurrere, motu omnino contrario naturæ motui, atque adeò lethali. Ideò ex ijs, qui huiusmodi alui fluxu post eruptionem variolarum corripiuntur, paucissimi euadunt.

Vrina sanguinea lethalissimum est signum: tum etiam, si per aluum sanguis purus, & sincerus rejciatur. Interdum etiam per nares gingiuas, aliasque corporis partes fiunt excretiones sanguinææ, quæ lethales sæpè esse consueuerunt. Significant enim summam sanguinis acrimoniam, atque malignitatem, quæ naturam vehementer irritat, & ad præposteram illius excretionem compellit.

Pessimæ etiam sunt variolæ tardè apparentes, quæ materiæ contumaciam, aut naturæ imbecillitatem significant. Multæ magnæ, duplices, & continuatæ, eiusdem materiæ quantitatem nimiam ostendentes. Duræ, eiusdem materiæ crassitiem, & incoctibilitatem indicantes. Depressæ, expultricis imbecillitatem significantes: eæque deteriores sunt, si in earum medio macula nigra appareat, quę malignitati insigni attestatur. Virides, liuidæ, & nigræ, quæ ex bile porracea, vel atra generantur.

Omnium pessimæ, quæ vbi egressæ sunt, confestim euanescunt, & tumor partium remittitur. Significant enim humorum retrocessum ad interiora, & eorum quibus ista retrocessio contingit, nullus euadit; sed vt plurimum intra viginti quatuor horas pereunt.

Periculosæ etiam sunt, quando maculæ febri purpuratæ familiares, illis permiscentur; præcipuè, si maculæ illæ liuidæ, vel nigræ fuerint. Significant enim non solum leuem illam putredinem, quæ ex ebullitione sanguinis in variolis, solet contingere: sed etiam intensam illam, & profundam (vt vocant) putredinem adesse, ex qua maius multò ægrotanti impendet periculum.

Fæces, aut vrinæ in variolis liuidæ, aut nigræ, magnum in hoc morbo portendunt periculum: significant enim humorem atrabilarium in venis redundare, & totam massam humorum inficere.

Curatio variolarum, & morbillorum quatuor indicationibus perficitur. Quarum prima versatur in humorum quantitate peccantium euacuatione. Secunda, in motu naturæ, seu variolarum expulsione adiuuanda. Tertia, in malignæ, & venenatæ qualitatis oppugnatione. Quarta denique in symptomatum correctione. Quæ omnia, vt commodè perficiantur, primum idonea victus ratio instituenda est, quæ eadem esse debet, quæ in febrium putridarum curatione fuit proposita: nonnulla tamen peculiariter aduertenda sunt.

Primò, vt æger in loco calidiusculo detineatur, quo cutis pori aperiantur, & variolarum eruptio adiuuetur. Ideò detinendus est in cubiculo benè clauso, quod aer frigidus nullo modo ingrediatur. Multi enim pueri benignis alioqui variolis laborantes, frigidioris aeris appulsu de medio sublati sunt repercussa nimirum materia morbifica ad interiores partes. Eademque ratione vestibus moderatè contegendi sunt; ita tamen, vt aeris caliditas, aut integumentorum pondus febrilem ardorem non intendant. Dicta tegumenta ex pannis rubris plerumque concinnari solent, quia analogia quadam sanguinem ebullientem ad exteriora mouere creduntur. Solent etiam multi ouem, aut veruecem in cubiculo, vel etiam cubili detinere, quod illa animalia venenatam labem facilè recipiant, & in se attrahant, vnde ægris leuamen aliquod emergere potest.

In potu decoctum hordei, vel radicis acetosæ, vel decoctum rasuræ, eboris, aut cornucerui vtiliter vsurpari solet, præcipuè in principio, & dùm febris est vehemens. Si verò non ita incandescat; decoctum hordei, & caricarum erit vtilissimum, vt potè humores ad cutem efficaciter expellens: eoque vtebantur passim Amatus & Forestus cum fœlici successu.

Præterea somnus toto morbi decursu moderatus esse debet: in augmento tamen, tùm pustulæ erumpunt, diuturnior noxius est, & satiùs est, plus solito vigilare.

Vt igitur indicationes prædictæ impleantur, à venæ sectione inchoanda curatio est, (si sanguis aliquatenus redundet, ætasque ægrotantis ferre posse videatur) eaque quam primùm celebranda. Si tamen Medicus primo morbi die non fuerit vocatus; vtiliter nihilominus sanguinem detrahet ante eruptionem variolarum, vel dum adhuc paucæ apparent; quod tempus vulgò vsque ad quartum diem extendi consueuit, à febris inuasione. In quo tamen cautio diligens necessaria est. Si enim, pustulis erumpere incipientibus, febris imminutio, & symptomatum remissio subsequatur; satiùs est totum negotium naturæ benè operanti relinquere, quæ totam materiam morbificam ad cutem sufficienter expulsura est. Tum venæ sectio necessaria non est, cum experientia doceat, infinitos pueros, benignioribus variolis laborantes, neque plethora oneratos, sine sanguinis detractione fœliciter curari. Quin potiùs aliquando in dicto casu phlebotomia noxam inferre poterit, cum variolarum expulsio fieri soleat per ebullitionem sanguinis, quæ si leuis sit, à sanguinis detractione multùm imminuetur, sicque insufficiens euadet ad sanguinis massam ab impuritatibus perfectè depurandum. Contra verò, si erumpentibus variolis febris intensior, anxietas, difficultas spirandi lotium crassum, & rubrum, aliaque symptomata maiora appareant; signum est, naturam nimio humorum onere premi, eosque non posse conuenienter regere; ideò phlebotomiam esse necessariam, vt detracta portione oneris, reliquum à natura facilius expellatur. Uno verbo, in ebullitione merè perfectiua, seu depuratiua, sanguis pertrahendus non est; in corruptiua verò, venæ sectio maximè necessaria est, etiam in ea, quæ minoris malignitatis est particeps, cuius gradus suprà fuerunt expositi. Ita autem necessaria est phlebotomia in periculosis variolis, in quibus ebullitio corruptiua fieri consueuit, vt tenellula pueorum ætas illam non impediat. Usus enim inualuit, vt quarto, & non rarò tertio ætatis anno missio sanguinis vsurpetur. Parisienses Medici in teneriori ætate, & lac sugentibus pueris, à venæ sectione non abstinent. Quod tamen ægerrimè admittit tenellula natura, leuissimum lactis alimentum, & copiosos per cutem effluxus. Neque vllis è sapientibus scriptoribus patrocinio defendi potest noua hæc mittendi sanguinis licentia.

In paulò grandioribus pueris vnica phlebotomia interdũ non sufficit; sed illa erit iteranda, si febris intensa perseueret; vel delirium, aliudve graue symptoma vrgeat, sanguis denuò mittendus est, & ægri tractandi, vt febre continua putrida laborantes.

Si suspecta sit venæ sectio propter ætatem tenellam, vel quod tempus idoneum iam transactum fuerit: sanguinis redundantia auferri poterit cucurbitulis scarificatis, dorso, scapulis, & femoribus admotis, quæ etiam in statu morbi conferre poterunt, cum motus naturæ centro ad circumferentiam per eas adiuuetur. Cauendum autem in pueulis ne profundiores fiant scarificationes. Contingit enim aliquando, vt penitiùs adacto scapello ab imprudenti chirurgo, sanguis feruidus, & ebulliens, venulis diuisis, eo impetu per vulnuscula effluat, vt difficili negotio cohiberi possit.

Purgatio in hoc affectu suspecta est. Fit enim motus motui naturæ contrarius, nempe à circumferantia ad centrum. Et quibuscumque variolis laborantibus alui fluxus contingit, retrocessio variolarum repentina, & mors vt plurimum consequitur, vt in prognosi notaui. Aduerte tamen, vtilissimè non rarò purgationem institui ante eruptionem variolarum, & antequam febris incandescat, quando scilicet pueri sunt veluti in neutro decidentiæ. Tunc enim, si abundet cacochymia vtiliter ea purgatione imminuitur, vt natura postmodum alacriùs expulsionem moliatur. At variolis apparere incipientibus, purgatio futura est pernicioſa. Tum etiam, si maxima vigeat malignitas, vt in constitutione epidemica, quando plurimi pueri ex morbo intereunt; satius est omnino è purgatione abstinere, quia in morbis valdè malignis, & pestilentibus purgatio, in principio morbi instituta, valdè noxia est. Ex blandis autem medicamentis componenda sunt purgantia, rhabarb. scilicet cassia, manna, tamarindis, & syrupo rosaceo.

In morbi decursu si aluus adstricta sit; sollicitari blandissimè, non autem irritari poterit; idque suppositorio, ex solo melle, sine sale confecto; vel enemate ex iusculo, aut lacte, aut decocto hordei, passularum, & liquiritiæ, cum saccharo, & vitellis ouorum.

Post venæ sectionem, aliasque euacuationes (si necessariè fuerint,) variolarum expulsio adiuuanda est, non solum remedijs specificis, humores ad cutem propellentibus; sed etiam diaphoreticis, & alexipharmacis, præsertim si variolæ epidemicæ, & summæ malignitatis periculum portendant.

Vul-

Vulgatissimum est, & à Rhasi, Auicenna, totaque Arabum familia commendatum ad cutem propellens medicamentum; quod etiam à potissima recentiorum parte vsurpatur, iuxta Auicennæ descriptionem, quod sic habet.

℥. Ficuum pinguium Vnc. vij. lentium excortic. Drach. ij. laccæ ʒ. ij. ß. gummi tragacanthi, & seminis fœniculi, ana Drach. ij. Coquantur in ℔. j. ß. aquæ fontis, donec redeant ad tertiam partem. Detur in potu de ea. Rhasis addit prædictis simplicibus croci gr. xv. passulat. ʒ. v. quia crocus aperit, & corroborat, passulæ hepar firmant. Tragacanthum vero, licet incrasset, & adstringant, ideo reliquis miscetur, vt nimiam sanguinis ebullitionem prohibeat.

Lentes à quibusdam neotericis reijciuntur, quod adstringendi facultate præditæ sint, atque adeò variolarum eruptionem impediant. Sed non temere reijcienda est tot, tantorumque Medicinæ procerum autoritas; quin potiùs statuendum est summa cum ratione, lentes excorticatas, vel leuem ebullitionem passas, huic compositioni addi; vt nimirùm sua adstringendi, & incrassandi vi feruorem nimium humorum coerceant, eorumque impetum in aliquam partem nobilem prohibeant. In quem finem etiam tragacanthum additum est, vt antea monui. Hoc desumitur è Galeno, qui 1. *de aliment. facult. cap.* 18. lentes bis coctas partes naturales roborare, & astrictione qua pollent, ventris fluxum cohibere docuit. Hę igitur præscribi, vel omitti à Medico curante poterunt; pro vt maior, vel minor attenuandi, & humores ad cutem propellendi necessitas vrgere videbitur. Si enim materia subtilis fuerit, & magna ebullitio fiat; vtiliter lentes præscribi poterunt, ad intentiones prædictas. Si verò materia crassa videatur, quam natura segniter ad cutem propellat; tunc illæ erunt omitendæ, imò, & tragacanthum, & reliqua attenuantia, ac diaphoretica solum permiscenda. Vnde patet, remediorum formulis, ab Auctoribus propositis, non esse arctè instituendum; sed in varijs casibus variè esse immutandas. Pro exemplo sit formula sequens, partim ex simplicibus prędictis, partim ex alijs diaphoreticis, & malignitatem oppugnantibus composita: quæ ægrotantibus plerumque, variolas patientibus, in expulsionis conatu multum conferre poterit.

℥. Rad. fœnic. & acetos. an. ʒ. j. rasuræ cornu cerui Vnc. ß. fol. scabiosæ, scordij, & hyperici, ana M. j. ficuum pinguium par. iij. gummi laccæ ʒ. iij. sem. napi, & card. bened. ana ʒ. ij. lentium excort. Vnc. ß. gummi tragacanthi ʒ. j. ß. Coquantur ad ℔. j. ß. De colatura cape Vnc. iij. syrupi de limon. Vnc. i. Misce. Fiat iulep. Detur bis, aut ter in die.

Si malignitas maxime vrgeat, vt vulgò in variolis epidemicis fieri solet; alexipharmacis præcipuè insistendum est. Sicque ea omnia, quæ in febribus malignis à nobis proposita sunt, hic conuenire poterunt, habita virium, ætatisque ratione. Et inter alia frequenter vsurpari poterunt, confectio de hyacint. lapis bezoardicus: puluis ex corallis, margaritis, rasura cornu cerui, lapide bezoardico; oleum scorpionum Matthioli, aliaque, quorum vtendi modus è capite præcedenti desumi poterit.

Neque omittenda sunt vires instaurantia, tam interna, quam externa, è præcedenti etiam capite repetenda, & à prudenti Medico opportunis temporibus vsurpanda.

Aduertendum autem est diligenter, ea medicamenta, quę variolarum expulsionem adiuuant, in omnibus ægrotantibus non esse vsurpanda. Interdum enim tanto impetu erumpunt, vt earum motus aliquantisper cohibendus sit: maxima enim ebullitio, & feruor sanguinis immodicus nisi temperentur, ad exitium ęgrotantes perducere consueuerunt: ideo frenantibus, & modicę refrigerantibus tunc temporis vti conuenit. Pro exemplo iulepus in hunc modum componi poterit.

℥ Hordei integri P. j. rad. pentaphylli, & tormentillę, ana Vnc. j. fol. acetos. endiu. & oxytriphylli, ana M. j. lentium excort. Vnc. ß. gummi tragacanth. ʒ. j. Coquantur ad ℔. j. In colatura dissolue syrupi limon. aut granator. Unc. iv. Fiant iulepi pro iv. dosibus, bis in die sumendi.

Amatus Lusitanus *curat.* 18. *cent.* 3. exemplum proponit huiusmodi variolarum, à feruidioribus humoribus productarum, & solis refrigerantibus atque incrassantibus curatarum. Quod hic ad verbum subnectere libuit, vt tyronibus appareat, quibus in casibus curatio maximè varianda sit. Puer inquit *Altarasij, variolis corripi cœpit, ex quibus nonnullæ ita percurrebant, vt miserum corpusculum intra duos dies ferè totum excoriatum reliquerint: quæ alijs quoque euenisse pueruli obseruaui. Contra quæ sic orsus sum. Primò cùm materia hæc plus iusto acrior; eam obtundere conati sumus; nec tantùm eam, verùm etiam iecinoris, & membrorum internorum malam qualitatem infringendo, ne de nouo altera gigneretur. Sed id refrigerantibus complebamus medicamentis, vt syrupo rosato de cichorea simplici, de endiuia, de violis, iidemque dictis similibus aquis. Exteriùs verò iecur ex santalino vnguento illinebatur. Sed victus ad id multùm faciebat, qui ad frigidum cum humiditate declinabat. Quibus omnibus materia crassior est reddita, & variolæ crassæ, & amplæ apparere cœperunt.*

In potu verò ordinario præscribatur decoctum hordei, & radicum acetosæ. Eaque remedia continuanda erunt, donec feruor se se aliquantulùm remiserit: postea verò ea, quæ expulsionem promouent, erunt vsurpanda, si natura eorum auxilio indigere videantur.

Hæc ad directam variolarum curationem possent sufficere. Sed quia illæ plurimis partibus tam internis, quam externis, grauem noxam inferre possunt; earum præcautioni, & curationi incumbendum est.

Internæ partes præseruari maximè possunt decocto lentium, laccæ, & tragacanthi supra descripto. Siquidem locca iecur, & lienem tuetur, lentes intestina, tragacanthum pectus.

Peculiariter verò pulmonem defendunt conseruæ rosar. violar. syrupus iuiubinus, violaceus, myrtinus, de rosis siccis, de papauere, tum etiam eclegmata sequentia.

℥. Conser. rosar. Unc. j. ß. succi expressi ex lentibus tertiò elixis ʒ vj. semin. papau. alb. drach. ß. gummi tragac. ℈ j. Cùm syrupo de rosis siccis fiat looch.

Vel illud Auicennæ, quod à Guainerio, & Foresto laudatur.

℥. Lentium excorticatar. & subtilissimè tritarum ʒ. iij. semin. papau. albi Unc. j. conser. rosar. Unc. ij. iulepi rosac. q. s. Fiat looch.

Vel ex solis syrupis tale lambitiuum componi poterit.

℥. Syrupi violac. iuiubin. & de rosis siccis an. Unc. j. syrupi de papau. Unc. ß. Misce. Utatur frequenter ex cochleari, sensim lambendo.

Si verò iam præsens fluxio in pulmonem irruat, & raucedinem, ac suffocationem inducat; non solùm remedijs prædictis cohibenda erit, sed etiam reuellenda per cucurbitulas, tum siccas, tum scarificatas; & venæ sectionem, si cætera consentiant. Præterea in potu exhibebitur decoctum hordei, iuiubarum, & liquiritiæ, looch sequens in vsum vocabitur.

℥. Sem. alch. melon. cucumer. & papau. alb. ana ʒ. ij. passular. mund. & iuiubar. ana par. iv. Coquantur ad ℔. j. In qua dissolue conser. rosar. & violar. an. drach. ß. puluer. elect. diatragac. frigidi drac. iij. sacchari candi, & rosac. ana q. s. Fiat looch.

Fauces, & guttur defendi poterunt, antequam variolæ erumpant, sequenti gargarismate.

℥. Hordei mundi P. j. folior. plantag. M. ii. rosar. P. i. balaust. sem. sumac. ana drach. iij. Bulliant in aquæ ℔. ii. ad tertiæ partis consumptionem. In colatura dissolue syrupi de moris, & granat. ana ʒ. i. Misce. Fiat gargarisma.

Si tenella puerorum ætas gargarismatis vsum non permittat, fiet lambitiuum ex syrupo mororum, granati de ros. sic. vel solis, vel cum aqua plantaginis rosarum permistis. Quibus si fluxio cohiberi nequeat, ob nimiam illius copiam, vnde suffocationis periculum immineat, ea, quæ vias laxant, & excretionē iuuant, vsurpanda erunt, in hunc modū.

℥. Mucilag. sem. psyllii, & olei amygd. dulc. recentis ana Unc. j. sem. sacchari albiss. Unc. ii. Misce. Fiat lambitiuum, singulis horis exhibendum.

Si ex fluxionis acrimonia, aut copia variolarum, vlcus in faucibus genitum fuerit; aqua hordei cum melle rosaceo, vel aqua aluminosa detergendum est, & si corruptionem vergat Ægyptiaci tantillum prædictis erit admiscendum.

Intestina præseruabuntur iisdem remedijs quę ad pulmones præseruandos fuere proposita. At si iam præsens alui fluxus, vel dysenteria vrgeat; primùm detergentia, & lenientia remedia, postmodum verò adstringentia vsurpanda sunt. Sicque parabuntur clysteres ex lacte chalybeato, sacchato, & vitellis ouorum: mox ex decocto hordei, & rosar. rubr. cum oui vitello, ac tandem ex decocto plantag. centinodiæ & prunellæ, aliisque, ex curatione dysenteriæ desumendis. Aduertendum autem; alui fluxum non raro in pueris, variolis laborantibus, à lumbricis excitari, eumque toto ferè

morbi decursu perdurare, vnde vitæ periculum imminet, quia expulsio variolarum impeditur, aut imminuitur. Idque facilè dignoscitur ex deiectionum crassitie, ac viscositate, & calore griseo, vel albicante: tunc enim lumbricos enecantia exhibenda sunt, & clysteres dulces injiciendi.

Renes etiam interdum afficiuntur, & exulcerationem patiuntur, vnde sanguinis mictus exoritur. His confert emulsio sem. frig. mai. cum trochiscis alKekengi, de carabe; aliàque in mictus sanguinis curatione proposita.

Inter partes externas oculi maxime à variolis præseruandi sunt. Cum enim molli, & humida substantia prædíti sint; variolarum materia facilè ad eos propellitur, vnde grauissima mala incurrunt, & interdum visus prorsus destruitur.

Antequam igitur variolæ erumpant, aut dum erumpere incipiunt, illinendi sunt oculi omni hora, aqua plantag. rosar. in quatantillum croci dissolutum sit; vel collyrio sequenti, quod efficaciùs præseruat.

℞. Aquæ rosar. & plantag. an. Vnc. j. sem. puluer. sem sumach. Drach. 2. Infundantur parum, & calidè: Colentur cum multa expressione. Colaturæ addè camphoræ ℈. sem. croci gr. j. Fiat collyrium.

Adhuc efficacius erit, si loco aquarum, succi centinodię, & burse pastoris depurati cum reliquis permisceantur.

Si verò intra oculum ipsum postulæ suboriri videantur; sanguis columbinus frequenter instillandus est, vt earum resolutio citò promoueatur. Tum etiam collyrium sequens vsurpandum.

℞. Aquę ros. Vnc. 2. aquæ euphras. Vnc. sem. trochis. alb. Rhas. Drach. j. tutiæ pręparatę ℈. j. camphoræ gr. ij. Fiat collyrium, quo cum tenui linteo oculi sæpè illinantur.

Oculi verò ita intumescentes, vt aperiri nullo modo possint, frequenter abluendi sunt decocto sem. lini, fęnugr. cydonior. maluæ; sequetur tumor subsidebit, & oculi aperientur. At si oculis apertis nebulę in ijs appareant, saccharo cando in tenuissimum pollinem redacto abstergendi sunt.

Ac tandem, si oculi exulcerentur, collyrio sequenti curabuntur.

℞. Cerussæ lotæ ʒ. iij. sarcocollæ ʒ. j. gummi tragacanth. ℈. j. opij. gr. 2. Cum mucilagine tragacanth. extracta cum aqua plantag. fiant trochisci, qui dissoluantur in lacte muliebri vel aqua rosac. ad vsum, & in cæteris procedendum, vt in curatione vlcerum oculorum fusiùs à practicis docetur.

Ad nares præseruandas acetum sæpè olfaciendum est. At efficaciùs operatur collyrium ex succo polygoni, & burssæ pastoris, sem. sumach. & camphora supra laudatum, quo intincta turunda sæpè in nares erit immittenda. Si nihilominus variolæ intra nares adnascantur, illæ citò in crustas abeunt, quæ oleo amygdal. dulc. frequenter erunt illinendæ, vt breui decidant. Ac denique si exulceratio contingat; linimento ex oleo in vitellis ouorum, & succo plantag. in mortario plumbeo subactis, tractanda erit.

Ad faciei custodiam, nonnulli eam aqua rosacea alijsque adstringentibus abluunt. Quod mihi probari non potest; siquidem maxima impuritatum portio ad faciem propellitur. Illius enim cutis laxa, & mollis, excrementis recipiendis maximè idonea est. Quamobrem, si impuritates illę, quę à natura ad faciem amandantur ab ea repellantur, intus retentę grauè noxam inferre poterunt; itaque naturę motus neutiquam impediens est. Sed huic tantùm muneri incumbere debet. Medicus, vt impediat, ne in facie germinantes variolę foueas, & cicatrices relinquant, à quibus facies deturpari nõ rarò consueuit. Id verò vtiliter prestabit, si cũ variolæ iam maturuerunt, & in medio albicantes eminent, (quod circa nonum morbi diem solet contingere) oleo amygd. dulc. recenter sine igne expresso cum penna illinantur bis in die, vsque ad crustarum casum. Hoc enim remedio temperatur bilis acrimonia, maturatio acceleratur, & crustularum casus promouetur, quę alioqui adhærentes, cutem profundius exulcerant, ob pus subtus delitescens. Oleum nucum recenter, & sine igne extractum, cum aquæ rosac. pari quantitate subactum ad formam linimenti, ad eundem vsum præstantissimum est.

Si ob neglecta prædict. remedia, vel insignem variolarum malitiam, vestigia, & cicatrices remanent; illarum reparationi sedulò incumbendum est. Quo tamen integrè obtinere difficillimũ est: quamuis plurimi in eo multum desudarunt, in gratiam virginum, & mulierum, quæ pulchritudinis conseruandæ studiosissimæ sunt. Ex infinitis autem remedijs, quę ad hanc rem ab Auctoribus descripta reperiuntur, nos selectiora tantum proponemus.

Ac primum, oleum ex vitellis ouorum cutem nutrit atque generat, ideò cicatricibus implendis maximè idoneum est.

Seuum veruecinum, recens liquatum, & penna inunctum ad idem est efficax.

Maximè verò reparantur fœda variolarum vestigia, si aqua mille florum, seu è stercore vaccino, mense Maio destillata abluantur, & postea axungia humana inungantur.

Forestus vnguentum sequens valdè prædicat.

℞. Olei amygd. dulc. liliorũ albor. ana. Vnc. j. pinguedinis capi Drach. 3. pulu. radic. pęonię, ireos Florent. & lithargyri auri, ana ℈. sem. sacchari candi ℈. j. His omnibus in calido mortario bene mistis, & per linteum expressis, inunge dicta loca mane, & serò. Postea verò aqua è pedibus vitulinis distillata benè abluantur, in cuius defectu aqua mille flor. vsurpari poterit.

Neque permittendum est, quod à multis practicis docetur, vt nimirum variolæ, ad maturitatem perductę, acu perforentur aurea, vel argentea, ne pus, diutiùs moram trahens, in parte cicatrices relinquat. Quod tamen ferè iam obsoletum est, cum experientia docuerit, variolas perforatas tardius curari, & crustas diutius retinere, ob caloris natiui imbecillitatem, quæ perforatione parti inducta est; vnde cicatrices fædiores relinquuntur. Itaque satius est; ab hac perforatione abstinere, & puris euacuationem soli naturæ relinquere.

Pro huius curationis coronide, affectum variolis superuenientium, pruritus nempè, & exulcerationis therapia subnectenda est.

Ac primum, in eruptione variolarum, aut dum maturescere incipiunt, ingens dolor, vel pruritus interdum ęgrotantes, affligit; pręsertim verò in plantis manuum, & pedum, eo quod densior in ijs partibus cutis eruptionem prohibeat.

Cui symptomati medeberis, si partes illas in aqua calida detineas, vel decocto emolliente diutius foueas. In facie verò cùm ingens adest pruritus, quo ægri eam scalpere coguntur, vnde fœda illius deturpatio, & insignes cicatrices emergunt, sequenti remedio vtere.

℞. Fol. parietar. M. j. flor. chamæmel. & melilot. ana P. j. sem. Decoquantur in aquæ scabiosę ℔. j. Colaturę adde aquę caprifol. Vnc. iij. Colatura calida madefiant sæpè variolæ prurientes cum bombace, aut linteo tenui.

Vlcera verò, quæ ex malignis, & excedentibus variolis oriuntur, curanda sunt vnguento albo Rhasis camphorato, vel vnguento de plumbo, in hunc modum composita.

℞. Plumbi vsti ʒ. ij. lithargyri Vnc. j. cerussæ lotæ aceti, ana ʒ. ß. olei rosat ʒ. iij. mellis rosac. ʒ. j. vitellos ouor. num. iij. myrrhæ Vnc. sem. ceræ q. s. Fiat vnguentum.

FINIS TOMI SECVNDI.

INDEX
LIBRORVM, ET CAPITVM
Praxeos Medicæ, Tomo II. Content.

LIBER PRIMVS.
De affectibus capitis.

Cap. 1. De frigida cerebri intemperie. Rag. 169
2. De affectibus soporosis, comate, lethargo, caro, & apoplexia. 173
3. De Comate vigili. 177
4. De catoche, seu catalepsi. ibid.
5. De paralysi. 178
6. De conuulsione. 181
7. De epilepsia. 183
8. De epilepsia puerorum. 187
9. De Vertigine. ibid.
10. De tremore. 189
11. De phrenide. ibid.
12. De cerebri abscessu, & sphacelo. 192
13. De Mania. 193
14. De Melancholia. 195
15. De catarrho. 196
16. De dolore capitis. 200

LIBER II.
De affectibus oculorum.

Cap. 1. De gutta serena. 203
2. De humoris vitrei affectibus. 205
3. De humoris crystallini affectibus. ibid.
4. De humoris aquei affectibus, ac præcipuè, de suffusionem. 206
5. De dilatatione pupillæ. 209
6. De angustia pupillę. 210
7. De albugine seu macula, & alijs corneę coloribus mutatis. ibid.
8. De ophthalmia. 211
9. De hypopyo seu pure subcornea. 216
10. De phlyctænis. ibid.
11. De corneæ & adnatæ vlceribus. ibid.
12. De corneæ cancro. 217
13. De ruptura corneæ. ibid.
14. De Vueæ procidentia. ibid.
15. De Egylepo & fistula lacrimali. 218
16. De Rhyade & Encanthide. 219
17. De epiphora. ibid.
18. De pterygio seu vngue oculorum. 220

LIBER III.
De affectibus aurium.

Cap. 1. De surditate, & graui auditu. 221
2. De sonitu aurium. 222
3. De dolore aurium. 224
4. De exeuntibus præter naturam, ab aurium cauitatibus. 231

LIBER IV.
De affectibus narium.

Cap. 1. De narium vlcere & Ozena. 232
2. De Sarcomate & polypo. 233
3. De læso olfactu. 234
4. De fœtore narium. ibid.
5. De coryza. ibid.
6. De sternutatione. 235
7. De hæmorrhagia narium: 236

LIBER V.
De affectibus linguæ.

Cap. 1. De linguæ inflammatione, aliisque eiusdem tumoribus. 240
2. De ranula sub lingua. 241
3. De gustatu læso. 242
4. De paralysi linguæ, eiusque, motu læso. ibid.

LIBER VI.
De affectibus dentium, gingiuarum faucium vuulæ, & laryngis.

Cap. 1. De dolore dentium. 244
2. De dentium nigredine erosione. 246
3. De ginginarum erosione, & exulceratione, 247
4. De fluxu sanguinis ex gingiuis. ibid.
5. De oris, & faucium vlceribus. 248
6. De vuulæ relaxatione. ibid.
7. De angina. 249

LIBER VII.
De morbis thoracis.

Cap. 1. De asthmate. 254
2. De pleuritide. 257
3. De peripneumonia. 260
4. De empyemate. 262
5. De hydrope pectoris. 263
6. De hæmoptysi, seu sanguinis sputo. 264
7. De phthisi. 267

LIBER VIII.
De affectibus cordis.

Cap. 1. De syncope. 272
2. De palpitatione cordis. 274
3. De imbecillitate virium. 276

LIBER IX.
De affectibus ventriculi.

Cap. 1. De inappetentia & cibi fastidio. 278
2. De fame canina. 281
3. Depica & malacia. 283
4. De siti morbosa. 284
5. Ventriculi concoctione læsa. 285
6. De singultu. 286
7. De nausea & vomitu. 288

8. De vomitu sanguinis. 290
9. De cholera morbo. 292
10. Dolore ventriculi. 293
11. De inflammatione, abscessu, & vlcere ventriculi. 295

LIBER X.

De affectibus intestinorum.

Cap. 1. De Dolore colico. 297
2. De Iliaco affectu. 299
3. De adstrictione alui. 301
4. De lienteria, & cœliaca passione. 302
5. De diarrhœa. 303
6. De dysenteria. 305
7. De tenesmo. 310
8. De fluxu hepatico. 311
9. De lumbricis. 312
10. De hæmorroidum fluxu. 316
11. De dolore hæmorrhoidum. 317

LIBER XI.

De affectibus hepatis.

Cap. 1. De calida hepatis intemperie. 324
2. De hepatis inflammatione, abscessu, & vlcere. 304
3. De obstructione hepatis. 327
4. De ictero. 330
5. De scirrho hepatis. 331
6. De hydrope. ibid.

LIBER XII.

De affectibus lienis.

Cap. 1. De inflammatione lienis. 537
2. De Dolore lienis. 338
3. De obstructione, & tumore, seu inflatione lienis. ibid.
4. De scirrho, lienis. ibid.
5. De melancholia hypochondriaca. 339
6. De scorbutica affectione. 343

LIBER XIII,

De affectibus mensenterij, pancratis & omenti.

Cap. 1. De obstructione mensenterij. 346
2. De inflammatione mensenterij. 347
3. De abscessu, vlcere, & scirrho mensentherij. ibid.
4. De morbis pancreatis. ibid.
5. De affectibus omenti. ibid.

LIBER XIU.

De affectibus renum, & vesicę.

Cap. 1. De dolore nephritico, & calculo renum. 349
2. De calculo vesicæ. 358
3. De inflammatione renum, & vesicæ. 359
4. De mictu sanguineo. 360
5. De vlcere renum, & vesicę. 362
6. De diabete. 363
7. De vrinæ incontinentia. 365
8. De Ischuria, & stranguria. 366
9. De dysuria, seu ardore vrinæ. 368

LIBER XV.

De morbis mulierum.

Cap. 1. De chlorosi, seu pallidis virginum coloribus. 369
2. De suppressione mensium. 371
3 De fluxu mensium immodico. 374
4 De fluore muliebri. 376
5. De furore vterina. 377
6. De hysterica passione. 380
7. De vteri inflammatione. 386
8. De vlcere vteri. 387
9. De scirrho vteri. 389
10. De cancro vteri. 390
11. De vteri gangræna, & sphacelo. ibid.
12. De vteri inflatione, & hydrope. 391
13. De vteri procidentia. 393
14. De vteri clausura. 395
15. De sterilitate. ibid.
16. De morbis acutis, & chronicis prægnantium. 399
17. De abortu. 400
18. De partu difficili. 403
19. De fœtu mortuo. 404
20 De secundina retenta. 405
21. De Fluxu lochiorum immodico. ibid.
22. De suppressione lochiorum. 406
23. De torminibus à partu. 407
24. De morbis acutis puerperarum. ibid.

LIBER XUI.

De affectibus articulorum, & Rheumatismo.

Cap. 1. De arthritide. 409
2. De dolore Ischiadico. 416
3. De rheumatismo. 417

LIBER XVII.

De Febribus.

SECTIO I.

De Febribus simplicibus.

Cap. 1. De Febre ephemera. 420
2. De Synocho Simplici. 421
3. De Febre hectica. ibid.

SECTIO II.

De Febribus putridis.

Cap. 1. De Febribus putridis. 424
2. De symptomatis, febres putridas comitantibus. 432
3. De Febre tertiana intermittente. 434
4. De Febre quotidiana intermittente. 437
5. De Febre quartana intermittente. ibid.
6. De Febribus compositis, seu complicatis, & speciatim de hæmitritæo. 441

SECTIO III.

De Febribus pestilentibus.

Cap. 1. De Febre pestilenti. 442
2. De variolis, & morbilis. 456

FINIS.

OPER. MEDICORVM

LAZARI RIVERIJ

TOMVS IV

Exhibens

OBSERVATIONES, ET CVRATIONES SINGVLARES.

LAZARI RIVERIJ

OBSERVATIONVM MEDICARUM, & Curationum insignium.

CENTVRIA PRIMA.

OBSERVATIO I.

Vrinæ Suppressio.

NOBILIS vir D. Antonius Mestre sexagenarius, sanguineo temperamento, & habitu athletico præditus, & cum diebus æstiuis calidissimis Lutetia Monspelium venisset magnis itineribus, multo potu sese ingurgitauerat, ad sitim extinguendam, ab æstu contractam. Tribus verò aut quatuor diebus à reditu suo, incidit in omnimodam vrinæ suppressionem, ad cuius curationem vocauit Medicum seniorem, qui varijs remedijs per triduum contumacem affectum oppugnauit; clysteribus, fotibus, semicupijs, linimentis, & diureticis assumptis. Ac tandem tertio die, reliquis non conferentibus, catheter in vesicam immissus est. & nihil vrinæ profluxit, vnde perterritus Medicus, & de ægri salute desperans alium sibi adiungi voluit. Vocatus ego in fine tertij à suppressione diei, & prædictorum relationem audiens; quæro, num dolorem aliquem in lumbis, aut pube æger perciperet, aut aliàs nephriticis affectibus obnoxius fuisset; Ille se nullo dictarum partium dolore affici, neque vnquam dolores nephriticos passum esse, aut calculos, arenulasue excreuisse, constanter affirmauit. Quibus omnibus diligenter perpensis, censui hanc vrinæ suppressionem à nullo renum aut vesicæ vitio dependere; sed potiùs ab obstructione venarum emulgentium, quam humorum multitudo pepererat, siquidem Gal. lib. 10. meth. c.2. duplicem obstructionis causam statuit, humorum scilicet multitudinem, eorumque crassitiem. Ratione multitudinis, vasa nimium repleta & distenta, non possunt sese contrahere ad expulsionem. Quod manifestè appareat in vesica, quæ à diuturniori vrinę retentione prę̃ter modum distenta, difficillimè interdum vrinam excernit, propter contractionis defectum. Huic sententię inhęrens phlebotomiam proposui larga manu celebrandam, ad soluendam venarum plenitudinem: cui cum acquieuisset Medicus ordinarius, extracta fuit sanguinis ℔. j. At vix hora elapsa à venæ sectione, sensit æger profluentem vrinam à renibus ad vesicam per vreteres, & se breui eam redditurum professus est, ac paulò post matulam petijt, quæ cum vnica mictione repleretur, alia vasa fuerunt afferenda, ita vt intra horę spatium plures vrinæ libras excreuerit. Sicque omninò liberatus est, neque sumere voluit purgans medicamentum, quod in crastinum ipsi fuerat præscriptum.

OBSERVATIO II.

Mensium suppressio.

MVlier quædam exterea sanguineo temperamento donata, varios affectus patiebatur, à mensium præcipuè suppressione oriundos, quibus cum præsentes Medici multa adhibuissent remedia, & illi contumaces apparerent; petitum est consilium à Medicis Monspelienſibus per litteras. In relatione autem hoc imprimis notauerant Medici ordinarij, de quo impense mirabantur, & sibi rationem reddi postulabant; quod nimirum quoties secabatur vena malleoli, menstrua cohiberentur, dum verò ex vena brachij sanguis mittebatur, ea largiùs profluerent: Qui euentus rationi & vulgaribus Medicorum placitis aduersari videbantur, quibus sancitum est, venarum inferiorum apertione mensium fluxum prouocari, à venis autem superioribus, apertis, eundem cohiberi. Huic dubitationi responsum fuit à Medicis Monspelienſibus, hos euentus cum ratione & Galeni doctrina maximè congruere. Cum enim illa mulier plethorica esset, ac suppressionem mensium pateretur à nimia sanguinis copia, vteri vasa ita distendente, vt comprimi sufficienter non valerent; attracto sanguine ad ea vasa per venarum inferiorum apertionem, augebatur obstructio. Quando verò misso sanguine à venis superioribus retractio fiebat à vasis vteri, eorumque plenitudo, & distensio minuebatur; tunc illa facilius sese contrahebant ad expulsionem naturalem, & ordinariam, quæ per vteros solet fieri. Quę ratio fulciebatur Galeni sententia, superiori obseruatione citata, ex lib. 10. meth. cap. 2. vbi docet obstructionem fieri non solùm à crassitie humorum; sed etiam à multitudine. Ideò mouebantur Medici præsentes, vt larga phlebotomia in brachio celebrata, plethoram imminuerent; posteà verò apertis venis inferioribus sanguinem ad inferiora retraherent, præcipue circa illud tempus, quo prius laborans purgari consueuerat. Quibus addebantur alia remedia menses cohibitos prouocantia.

OBSERVATIO III.

Colica Biliosa.

VXor Ioannis Daumont Latomi Monspelienſis 30. annos nata, colica biliosa afflicta fuit per octo menses, quorum spatio multis remedijs vsa est, à duobus Medicis seriatim præscriptis, quæ nihil profuerunt. Tandem à me consilium capiens, tribus remedijs sequentibus intra quinque dies curata est.

℞. Decocti commun. clyster. ℔ j. cassiæ recentèr extract. Vnc. j. hieræ picræ Unc. ß. melius violacei Vnc. j. ß. butyri recent. Vnc. ij. salis drach. ß. misce fiat clyster injciendus hora commoda.

℞. Polipod. querc. recent. Et sem. carthami ana ʒ. j. ß. Epithymi, summitat. thymi siccar. ana P. j. sem. anisi, fęniculi, carui, & cardui bened. an. dr. ij. sennæ mundatæ ʒ. j. ß. turbit. gummosi ʒ. ß. cinnamomi dr. j. ß. cristallor. tartar. ʒ. ij. salis gemmæ ʒ. ß. contundantur omnia, ijsque impleatur venter galli veteris cuiscerati, deinde coquantur in tribus aquæ partibus, vna vini albi, quousque galli caro ab ossibus separetur, de hoc iusculo capiat ʒ. vj. vel vij. quotidie mane, continuando per septem, vel octo dies, si opus fuerit.

℞. Conseruæ fol. absynt. & capill. ven. an. ʒ. ß. corticis citri saccharo condit. dra. vj. myrobal. conditam nu. j. conf. alKerm. dr. iij. croci martis aperitiui dr. ij. pulu. diarrhodon. abbar. dra. j. ß. spicæ nardi dr. j. cum syrupo condituræ corticis citri fiat opiata, de qua capiat dr. j. ß. singulis diebus, ho-

ris

tis duabus ante cœnam, superbibendo parùm vini, aquæ cichorij multum diluti.

℞. Radicis Aronis præparatæ, vt docetur in pharmacopœa Quercetani ʒ.ß. radicis Acori vulgaris, & pimpinellæ ana ʒ. ij. cinamomi ℈. ij. salis absinth. ʒ.ß. sacchari rosacei ad pondus omnium fiat pulvis, de quo capias ʒ. ij. singulis diebus, tribus horis post cœnam, superbibendo parùm vini, aqua cichorij, vt supra diluti.

Cum per quatriduum hisce remedijs vsa esset, & colico dolore eodem modo affligeretur, qui singulis diebus semel, aut bis recurrere solebat cum acerbis cruciatibus, per duas aut tres horas perseuerantibus; quinta die circa meridiem, dum iusculum purgans operationem suam exercret, tanto ventris cruciatu correpta est, vt intolerabilis prorsùs videretur, & illa se nunquam similem passam esse referret, qui intra horæ vnius spatium omninò cessauit, & nunquam amplius reddit; atque ita ægra à sæuo isto morbo prorsùs liberata est. Credibile est materiam acrem, & bilisam, tunicis intestinorum, aut peritonæi impactam, diutina mora incrassatam, à medicamentis attenuatam, & vias reseratas fuisse, per quas materia illa euacuata est.

OBSERVATIO IV.

Dolor Ischiadicus.

IOannes Ranquier baiulus Monspelienſis, magno vigente frigore, tibias in aquam per multas horas demerserat, vnde ingens dolor obortus est in Ischio, ad femora, & tibiam sese exporrigens: ita vt nullo modo incedere valeret.

Iniecto clystere, missus fuit sanguis ex brachio eiusdem lateris. Sequenti die purgatus fuit vehementi cathartico: triduo sequenti accepti manè singulis diebus spiritus theriacalis guttas octo cum aqua cardui benedict. Et copiosissimè sudauit, atque ita omnis dolor sublatus est. Spiritus theriacalis sudorifici præparatio in sequentibus centurijs docebitur.

OBSERVATIO V.

Chlorosis cum colico dolore.

ANeilla D. Petri Desfours patroni Monspelienſis maximis laborabat hepatis, & lienis obstructionibus, ob quas non poterat scalas ascendere, graui oppressa lassitudine, & anhelitus difficultate. Aderat præterea sitis ingens, mensium suppressio, tensio hypochondriorum, & color fœdus totius corporis. Imprimis verò immaniter cruciabatur doloribus colicis, bis, aut ter in die recurrentibus. Ad quorum affectuum sublationem sequentia vsurpata sunt remedia.

Primum quia conditio illius longum remediorum vsum ferre non poterat, vnicam tantum potionem phlegmagogam præscribo, præmissa pridie venæ sectione; eamque post triduum iterari iubeo.

Postea sumpsit quotidie manè spiritus tart. ʒ. (ʒ) ß. cum decocto absynt. vulgaris. A secunda exhibitione colici dolores prorsùs euanuere, & continuando per decem dies huius remedijs vsum, integræ sanitati restituta est.

Pro potu vtebatur vino albo, ex infusione chalybis parato, quod per aliquod tempus continuandum iussi.

OBSERVATIO VI.

Iterus.

FIlius D. Trousselerij, iuris vtriusque Doctoris, in oppido Aymargues dicto degentis, anno natus quatuordecim, ictero tenebatur fœdissimo, quo vniuersa cutis aureo colore tincta apparebat. Huic sequentia remedia cum D. Pachequo, Medico Lunellensi celeberrimo, præscripsimus.

℞. Fol. sennæ mundat. ʒ.ß. sem. anisi ʒ.j. summitat. absinth. pontici, & fol. agrimoniæ ana M.ß. liquiritiæ rasæ ʒ. ij. flor. genistæ. & cichorij an. P.ß. coquantur ad ℥. iij. in colat. dissolue. rhab. in aqua absynthi jeum cinamomo infusi, & expressi ℈. 4. Electuari jde succo rosarum ʒ. ij. syrupi rosat. solut. ℥. j. fiat potio, capiat cum regimine.

℞. Rad. rubi tinctorum ʒ. ß. fol. chelidoniæ maris M. j. summitat. centauri minor. P. j. cinamom. ʒ.ß. croci ℈.ß. infundantur per noctem cum vini albi Unc. viij. colaturæ adde sacchari albi ʒ.ß. capiat manè per quinque dies, Post prædictam potionem, & post vsum huius remedij reiteretur potio laxans præscripta. His solis remedijs perfectè conualuit.

OBSERVATIO VII.

Oculorum rubor pertinax.

ELegans, & venusta puella Antoneta de Louis octodecim annos nata, à tribus aut quatuor annis fluxionem patiebatur, in oculum sinistrum procumbentem, qua totus oculus, palpebræ, & partes etiam circumiacentes tumore, ac rubore afficiebantur. Vnde pulchra illius facies defedabatur. Autumno præcipuè ingrauescebat affectus, & tota hyeme perseuerabat, neque venæ sectione aut purgatione ex potionibus & apozematis, aut vesicatorijs, aliisque remedijs quam plurimis, quæ frequenter & frustrà vsurpata fuerant, sedari potuerat.

Tandem ineunte autumno, quo morbus pari cum ferocia redijt, potentioribus remedijs vti visum est, ad fluxionis contumacis radicem extirpandam. Itaque loco apozematis, qua antea vsa erat, præscribo, pilulas aperientes, & diaphoreticas ex salibus tamarisci, absynth. Magisterio tartari, & puluere diaphoretico, de quibus capiebat duas manè, tribus horis ante prandium, & totidem ante cœnam, per quatuor dies. Quinto die sumpsit pilularum catholicarum Drach. ß. quibus optimè purgata est, vnde rubor, & inflammatio valdè imminui cœperunt. Sumpsit iterum pilulas aperientes per quatuor dies, & quinto pilulis catholicis purgata est feliciter. Ac paucis postea diebus oculi rubor omnino euanuit, neque ampliùs reuersus est. Pilularum catholicarum basis proposita est in praxi medica nostra cap. 7. lib. 1. de Epilepsia.

In hac curatione missus non fuit sanguis, quamuis ægra prædita esset sanguineo temperamento, quia paucis antea diebus detractus fuerat, tum ex brachio, tum ex malleolo. Sed peracta curatione decoctum menses promouens præscriptum fuit, quia illos imminutè patiebatur. Illud decoctum tale fuit.

℞. Rad. altheæ & valerianæ ana ʒ j. rad. fœniculi, asparagi, & apij ana ʒ vj. folior. betonicæ, pimpinellæ, cetera anthemidis, sabinæ ana M. j. bulliant omnia in decocto cicerum rub. orum ad quartaria v. in colatura dissolue sacchari albi ℥ iij. fiat apozema clarificatum, & aromatizatum ʒ ij. cinamom. ℈ j. croci, pro quatuor dosibus matutinis, quas capiat quatuor diebus, antequam menses prodeant.

OBSERVATIO VIII.

Dolores venerei.

CLarissimus Iuuenis D. N. 25. annos natus, togatæ & armatæ militiæ peritus, dolores venereos patiebatur, eosque continuos diu noctuque affligentes à quatuor annis, præcipuè in tibia sinistra, secundùm longitudinem illius. Per annum integrum emplastrum de vigo cum mercurio gestauit in ea parte ex consilio chirurgorum, quibus solis se committebat. Tandem plurium Medicorum consilio, quorum ego vnus eram, diætam sudorificam vsurpauit per 20 dies; topica multa tibiæ admouit, fomenta nimirùm, suffumigia, vnctiones, & emplastra: quæ omnia nihil profuerunt. Me solum passim interpellat, vt aliquid vlteriùs præstem, quod illum ab hoc malo inueteratissimo liberare valeat. Ipsi vt obtemperem, antiuenereum exhibeo, per mensem integrum, in pilulas redactum; de quibus capiebat duas, horis matutinis, & totidem pomeridianis, horis tribus ante pastum. Quinto quoque die eum pilulis catholicis purgabatur, & ita sensim dolor euanuit.

OBSERVATIO IX.

Lues venerea.

CLarissimus vir D. N. 50. annos natus, venere alue ab anno integro infectus, quæ ordinarijs remedijs non cesserat, duobus prædictis, nempe antiuenereo, & pilulis catholicis vsurpatis, per 20. dies probè conualuit.

OB-

OBSERVATIO X.

Catharrus cum alijs symptomatis.

NObilis vir Guillelmus Hebrardus D. de Mirauaulx 32. annos natus, pituitoso, & melancholico temperamento præditus, contumaci affectu laborabat, multis symptomatis stipato; grauitate totius corporis, interdùm ita immani, vt se commouere non posset, cum tanta virium imbecillitate, vt ferè animo deficeret. Horis verò pomeridianis, tum etiam vespertinis, fluxio tenuis, & acris in pulmonem decumbebat, quæ ipsi tussiculam inanem, & molestissimam excitabat, vnde phthisin imminentem admodùm verebatur, quod eum mœrore conficiebat, quandoquidem duæ illius sorores ex eo affectu perierant, & ipse aliàs sanguinem ore excreuerat. Quod omnium pessimum erat, nolebat medicos consulere, quia omnia medicamentoum genera ita horrebat, vt statim ea vomitu reijceret. Malo tamen in dies ingrauescente, clarissima illius vxor me accersendum curat. Audita morbi historia, multa propono remedia, vulgari vsu recepta, quibus ipse molens acquiescere, polliceor ipsi remedia gustui gratissima, quæ pristinam ei valetudinem restituere valerent. Impetrato sub hac conditione obsequio, primùm sequentia iuscula præscribo.

℞. Rad. buglossi, & asparagi ana Vnc. j. fol. agrimon. pimpinellæ, scabiosæ, & capilli ven. ana M. j. cremoris tartari Drac. j. coquantur cum quarta parte galli veteris, & fiat iusculum, quo vtatur per sex dierum spatium. His aluus bis, aut ter in die subducebatur, & æger aliquod inde leuamen se percipere asseruit. Deinde sequentem puluerem præscribo.

℞. Salis tamarisci, Magist. tartari, & lactis sulph. ana ʒj. Misce fiat puluis, de quo capiat ʒß. manè, singulis diebus cum iusculo prædicto. Hoc remedio per sex dies vsurpato, septimò purgatus fuit puluere seq.

℞. Sennæ mundatę, & cremoris tartari ana ℈. j. diagridij gr. viij. cinamom. gr. 4. puluerис cephalici specifici gr. v. misce fiat puluis, quem capiat cum iusculo. Hoc remedio incredibilem humorum pituitosorum copiam excreuit, non solùm per aluum; sed etiam per os sine vlla tamen molestia, vt quasi sponte ferrentur è ventriculo, instar albuminum ouorum. E cerebro etiam ad os tanta copia ferebantur, vt vix æger eorum excretioni screando sufficeret. Vrinas etiam multò copiosiores emisit. Eadem die ita subleuatus, atque exhilaratus est, vt se curatum profiteretur. Quia tamen totum corpus ingenti humorum copia refertum erat; iussi vt per sex dies iterum prædictum puluerem assumeret, & septimo iterum purgaretur, quod ille sedulò præstitit: & eodem modo quo antea successit: multò tamen minorum humorum copiam excreuit; quia præcedente purgatione imminuta fuerat. Post secundam purgationem balneum ingreditur ex hordeo, amygdalis, & seminibus frigidis confectum, idque tepidè per biduum, manè & serò, ad humectanda viscera calidiora. Post balneum vtitur per triduum puluere prædicto, & vltimò purgatus est, vt supra sicque pristinæ sanitati omninò restitutus est.

OBSERVATIO XI.

Cephalæa cum alijs affectibus.

LEctissima virgo Margareta, de Varanda, doctissimi olim viri, D. Dauidis Uarandæi, Iure consulti celeberrimi, & in Monspelienſi vniuersitate iuris vtriusque Professoris filia, 20. annos nata capitis dolore acerrimo laborauit, cum dextri hypochondrij tensione, ventris doloribus, & alijs symptomatis. Multa quotannis vsurpabat remedia, potiones, apozemata, pilulas, balnea, vesicatoria, & alia quamplurima, quæ parùm proficiebant. Vsu chalybis etiam parum adiuta est, quamuis hæc omnia ab obstructionibus dependerent, & prauis humoribus in hypochondrijs stabulantibus, ijsque aduſtis vapores acerrimos ad caput demittentibus. Tandem vere ineunte anni 1625. sequentia remedia illi præscripsi.

℞. Conseruæ fol. absynth. & capill. ven. ana ʒj. conseruę rad. enulæ camp. ʒß. salis tamarisci, magisterij tartari, & puluerис aperientis specifici ana ʒß. cum syrupo capill. ven. fiat opiata, de qua capiat ʒij. singulis diebus mane duabus horis ante pastum.

Quinto quoque die purgabatur pilulis catholicis ad ℈ ij. & intra quindecim dies perfectè curata est.

OBSERVATIO XII.

Colicus dolor.

SVpradictæ puellæ frater Stephanus Varandæus 18. annos natus, colico dolore acerbissimo torquebatur ab aliquot diebus. Ipsum inuisens, statim præscribo ad immanem dolorem coercendum quem vix sustinere poterat, laudani opiati gr. 6. quibus intra duas horas dolor omninò sedatus est, lautè cœnauit, & tota nocte dormiuit, qui plures anteà insomnes transegerat.

Postridie manè surrexit, & ad consueta munia se contulit, neque vlla purgatione vti voluit, quam ipsi ad sublationem causæ præscripseram, dolor tamen non redijt.

OBSERVATIO XIII.

Colicus dolor.

CLarissimus vir D. Stephanus Dumoys in curia præsidiali Monspelienſi Consiliarius regius, colico dolore cruciatus, alijs remedijs per biduum frustra tentatis, assumpta ʒß. Pilularum catholicarum, optimè purgatus est, & eadem die à colico dolore integrè liberatus.

OBSERVATIO XIV.

Cephalæa.

VXor clarissima D. Guillelmi Dortomanni, Patroni celeberrimi, quam primis nuptijs duxerat, temperamento malancholico donata, cephalæa grauissima à multis annis tenebatur, quæ illam continuè ferè affligebat. Ad illius curationem infinita penè remedia à varijs Medicis præscripta fuerant; quibus cum morbus pertinaciter obsisteret, à me etiam remedias postulat, quæ ipsi in hunc modum præscripsi.

℞. Conseruæ fol. absinth. capill. ven. & rad. enulæ camp. an. ʒj. salis absinth. & tamarisci an. ʒj. cum syrupo capill. ven. fiat opiata, de qua capiat ʒ ij. singulis diebus manè duabus horis ante pastum.

Quinto quoque die, capiat pilulas catholicas ad ℈ ij. His remedijs per decem dies vsurpatis, dolor ille acerbus, & chronicus euanuit.

OBSERVATIO XV.

Vomitus in febre maligna.

EGregius vir Laurentius Boschius, Pharmacopæus Monspelienſis celeberrimus, febre illa epidemica, quam purpuratam vocant grauiter laborabat, mense Decembri anni 1622. Post Monspelij obsidionem; & inter alia symptomata hoc in primis molestissimè vrgebatur; vomitu nimium omnem materiam potulentam, simul atque ebibita fuerat; aquam, vinum, iulepos, emulsiones, omnia reijciebat: sola iuscula retinebat. Per quatriduum febris sæuierat cum ardore, & siti ingenti, quæ potu non poterat sedari. Interiora adeò exsiccabantur & adurebantur, vt lingua summam nigredinem, & ariditatem præ se ferret. Tàm graue symptoma hoc leuissimo remedio, meo consilio sublatum est.

℞. Salis absint. ℈. j. succi Limonum recentis cochl. j. mixta fuerunt in ipso cochleari, & exhibita. Statim vomitus sedatus est, & ab eo tempore bibit quantum voluit, neque aliquid deinceps vomitu reiecit.

OBSERVATIO XVI.

Febris verminosa.

FIllia Ioannis Niuelle, in bipertitorum iudicum exedra procuratoris, annos nata 12. febre continua laborat, cum alui fluxu molestissimo, quo materias excernebat colore cineritio infectas, quales apparere solent plerumque in verminosis affectibus.

Præscripti initio fuerunt clysteres detergentes, ex rebus dulcibus parati; tum potus vulgares contra lumbricos, & rhabar-

rabarbarum pulueratum etiam bis iteratum, ex quibus omnibus nullum leuamen obtinuit: imò febris, & alui fluxus in deteriùs vrgebant; vtiam de salute puellæ dubitaretur: quandoquidem delicatula, & à longo tempore malè affecta erat, ac pallidis coloribus de fœdata. Tandem sequentem iulepum ipsi præscripsi.

℞. Rad. acetosæ, graminis & cichorij ana ʒ.j. fol. endiuiæ, cichorij, acetosæ, portulacæ, & hyperici ana M.j. scordij, & absint. pontici ana M.ß. flor. cordialium ana P.j. coquantur in aqua hordei ad quartaria v. in colatura dissolue syrupi limonum Vnc. iv. spiritus vitriol. guttas aliquot, ad leuem aciditatem; fiat iulep. pro quatuor dosibus manè, & serò sumendis.

Intra illud biduum quo Iulepo vsa est, febris, & alui fluxus omninò quieuerunt, & perfectè curata est. Si quis miretur tam leui remedio sublatum esse hunc affectum, sciat hypericum, & scordium mirabili efficacia putredini resistere, & lumbricorum generationem prohibere, nedum iam genitos enecare. Vt etiam istæ herbæ vestibus complicatæ, vermiculorum generationem impediant, vestes laneas præsertim erodentium, qui tineæ, & blattæ nominantur. Et verè testari possum, me huiusmodi iulepis in infinitis penè puerulis lumbricis laborantibus, cum fæliciſſimo successu vsum esse.

OBSERVATIO XVII.

Ictherus.

CHirurgiæ studiosus, Laroso nominatus, apud D. Thierry Haguenot, Chirurgum celeberrimum tunc temporis habitans, qui iam à longo tempore chirurgiæ magisterium exercet, Ictero laborabat. Ei præscripsi potionem cholagogam, mox infusum ictericum, obseruatione sexta descriptum per quinque dies, & in fine icterum potionem cholagogam, vnde citò conualuit.

OBSERVATIO XVIII.

In Infantulo Ictherus.

FIllius primogenitus D. Demanse Galliæ Quæstoris generalis, natus erat ex matre, febre tertiana laborante, & ipse in lucem editus quatuor accessiones eiusdem febris passus erat. Deinde factus est ictericus, ita vt totum corpus flauissimo calore infectum esset quod magnum parentibus terrorem incutiebat: erat autem tantùm bimestris. Cum ad illum curandum vocatus sum, dubitaui admodùm, quid fieri posset in tam tenero corpusculo. Tandem hunc syrupum præscripsi.

℞. Radic. rubiæ tinctorum, & chelidoniæ maioris an. ʒ.ij. fol. chelidoniæ maioris, & centaurij minoris, & absinth. Pontici an. M.ij. cinamomi ʒ.ij. croci ʒ.ß. coquantur in aqua fontis ad ℔.j. In colatura dissolue sacchari albi ℔.j. fiat syrupus, de quo capiebat exiguum cochlear mane per 20. dies, & perfectè restitutus est, & nunc etiam benè valet, defuncti parentis sedem honorificè occupans.

OBSERVATIO XIX.

Pleuritis, & synochus febris cum putredine.

DIe decima mensis Iunij anni 1630. Gratianopoli D. de Boissulez, ex nobili stirpe oriundus, adolescens xx. annos natus, temperamento sanguineo præditus, circa vesperam cœpit tentari dolore lateris sinistri, sine febre. Eadem die iniectus fuit clyster carminans, & admotus sacculus discutiens parti dolenti. Postridiè manè cœpit febricitare, perseuerant dolore, qui magis vrgebat, cum decumberet in latus oppositum. Iteratus fuit clyster, sanguis missus ex brachio sinistro; Iulepus exhibitus ex aqua papau. rhead. syrupo viol. & sale prunellæ. Fotus emolliens, & carminans lateri admotus: & posteà vnguentum de althea cum oleis calasticis. Sanguis apparuit valdè impurus pomeridianis horis febris intensior. Repetita sanguinis missio, iulepus, & topica remedia etiam iterata. Die tertia manè iterata sanguinis missio in duabus patinis; quarum vna satis erat corrupta, altera verò purior. Iulepus, & topica continuata. Pro potu ab initio ptisanam sumebat ex hordeo, & liquiritia solisque iusculis vescebatur, ijsque interdum alteratis herbis refrigerantibus. Eadem die post meridiem febris exacerbata est, sanguis detractus ex eodem vulnere ad ʒ. vj. qui satis laudabilis apparuit. Matutina phlebotomia dolor lateris omninò desijt, qui nunquam admodum vehemens fuerat, neque tussim, difficultatem spirandi, aut sputum cruentum sibi iunctum habebat; quod indicabat eum, vel ex fluxione leuiori, vel ex vaporibus acrioribus traxisse originem: cum etiam ante febrem apparuisset. Ideò febris primaria fuit ex synochorum genere, à pleuritide minimè dependens. Post vltimam venæ sectionem, cum vehementi siti, & æstu vexaretur, ipsi propino aquæ frigidæ circiter ℔.j. cũ spirit. sulph. gut. xx. Statim frigus percepit in toto abdomines. Aliquibus stragulis contectus est, & parùm sudauit post horæ spatium. Deinde hausit iusculum, & post horam alteram iniectus fuit clyster; eoque reiecto nouus sudore, exortus est ita co piosus, vt vndique difflueret. Detersо sudore, iterùm sudauit; sed minùs copiosè, & tota nocte satis placidè quieuit. De quarta manè iterum sudauit, & febris magna ex parte sublata est. Ita vt die septima febris expers omninò fuerit, & octaua purgatus, nullis alijs remedijs opus habuerit. In hac curatione hoc obseruandum; à spiritu sulphuris cum aqua exhibito sudores copiosos prouocatos, quod multis experimentis nobis innotescit, qui plures tertianas febres curatas vidimus eodem remedio, in summo accessionis æstu, & vrgente siti exhibito, vnde copiosi sudores prouocabantur, à quibus non solum paroxysmus; sed etiam totus morbus integrè soluebatur. In minori aquæ quantitate spiritus quantitas minuenda est, ne nimiùm acescat.

OBSERVATIO XX.

Febris tertiana.

MAgister Berardus, Pharmacopæus Grationopolitanus celeberrimus, quinquagenarius, in mense Iulio anni 1630. laborabat febre tertiana intermittente, ac postquam bis purgatus esset, bisque phlebotomia celebrata fuisset, neque melius haberet: sumpsit pilulas catholicas, nostras die intermissionis, & sequenti die accessio redijt multò remissior. Posteà ante sequentem paroxysmum, sequens potiuncula exhibita est.

℞. Aquę cichorij ʒ.iij. salis absinthij Drach. ß. spirit. sulph. guttas xij. misce.

Ab hac potione accessio non redijt; sed per vrinas plurimum fuit euacuatus.

Eodem tempore D. de Manissieu in Senatu Gratianopolitano Consiliarius regius, annos natus 24. post duas accessiones, vnica venæ sectione curatus est absque vllo alio remedio, erat autem sanguis valde calidus, ac biliosus.

OBSERVATIO XXI.

Febris purpurata.

DIe 18. mensis Iunij anni 1630. Gratianopoli vocatus sum ad D. de Chapoullay apud Quæstores generales Aduocatum regium, febre continua laborantem ab octo diebus, quorum spatio ter ipsi vena secta fuerat, & purgans Medicamentum semel exhibitum ex præscripto Medici ordinarij. Quam primùm illum inuisi, inuenio pulsum valdè frequentem, & inæqualem, vnde suspicor febrem esse malignam, simulque eum detegi iubeo, & totum corpus inuenio exanthematis purpureis refertum. Urinæ erant satis laudabiles, & concoctionis rudimenta quædam ostentantes.

Præscripsimus cucurbitulas multas, secundum spinæ longitudinem applicandas tum siccas, tum humidas, epithemata, iniunctiones ex oleo scorpionum Matthioli, confectionem de hyacintho in iusculis, & iulepos refrigerantes cum cardiacis. Pro potu vtebatur ptisana vulgari, cui nodulus cornu cerui immergebatur.

Hæc remedia continuauit vsque ad vndecimum morbi diem, cum tamen omnia in dies ruerent in peius, ægerque delirio, & conuulsionibus correptus fuerit. Dicta die vndecima leniter sudauit sine fructu. Delirium cum stupore quodam coniunctum erat, ideò vesicatorium cerui admotum est, & cucurbitulæ continuatæ partibus inferioribus. Loco priorum Iuleporum, qui ex radicibus, & herbis refrigerantibus, & aperientibus erant compositi, sequentes præscripti sunt.

℞. Hordei integri P.j. rad. bugl. ʒ.ij. fol. borrag. pimpinellæ,

ſx, ſcordij, ana M.j. ſem. citri & acetoſæ ana ʒ.ß. tamarindorum ʒ.ij. flor. borrag. bugloſſi & roſar. rubr. ana P.j. dictamni cretici P. ß. fiat decoctio in aquæ ℔. vij. ad tertiæ partis conſumptionem, in colatura ſolue ſacchari albi ℔.j. fiat Iulep. de quo capiat ʒ. viij. manè, & ſerò, addendo vnicuique doſi ſalis prunellæ ʒ.j. ſpiritus vitrioli ℈. ß.

Pro potu præſcripta fuit tinctura roſarum. In iuſculis, puluis ex margaritis, corallio, raſuræ eboris, cornu cerui, & lapide bezoartico. At poſtremis diebus, inſtante decimoquarto die, cum omnia in peius ruerent, loco illius puluueris, ſubſtitui bezoarticum minerale purum, cuius ℈.j. ſumebat in ſingulis iuſculis.

Cum verò circa veſperam, febris; delirium & conuulſio plurimùm intendi conſueuiſſent, duabus horis ante exacerbationem, hunc puluerem exhibuimus.

℞. Salis prunellæ ʒ.ß. bezoartici mineralis ℈.j. camphoræ gr. vj. miſce capiat cum aqua cardui benedicti Decimo tertio die exhibitus eſt hic puluis, eademque die bezoarticum prædictum ſumere incæperat in iuſculis, & non rediit ea die exacerbatio; ſed melius habuit tota nocte, poſt mediam noctem idem puluis iteratus eſt. Decimaquarta die paulò meliùs habuit, attamen ſine vlla excretione. Decimaquinta eodem modo. Decima ſexta, cum appareret concoctio in vrinis, & toto morbi decurſu apparuiſſet, ac ſenſim progreſſa eſſet, medicamentum cartharticum exhibitum eſt ex ſennæ ʒ. ij. rhab. ʒ.j.ß. decocto refrigeranti infuſis, addendo colaturæ mannæ, & ſyrupi roſacei ana ʒ.j. quo blande purgatus eſt. Eadem die puſtulæ quam plurimæ animaduerſæ ſunt inſtar variolarum ad ſuppurationem tendentes, magno quidem numero circa veſicatorium, tum ſparſæ per dorſum, lumbos, & nates. Decima ſeptima prædictæ puſtulæ maiori ex parte ruptæ apparuerunt, & ad exſiccationem tendentes.

Verùm in parte anteriori circa hypochondria, & pectus, puſtulæ perexiguæ, pellucidæ, & diaphanæ humore ſeroſo refertæ, in infinito propemodum numero prodiere: febris valde remiſſa, & delirium valde imminutum. Decima octaua ſomnus multus fuit, & ferè continuus, diu, noctuque vſque ad diem vigeſimum. Purgatus eſt iterum die vigeſima ſecunda, & poſtea febris omninò deſijt, ac paucis poſtmodum diebus perfectè conualuit. Ante duos annos Dominus de Raſtenclieres curatus eſt à febre purpurata periculoſiſſima, hoc præcipue remedio, quod ſcilicet vnicuique hauſtui potus ordinarij, ex ptiſana vulgari confecti miſcerem ſalis prunellæ ʒ. j. ſpiritus vitrioli guttas x. ſic enim ſumma linguæ nigrities, & ſiccitas, cum ingenti ſiti coniuncta, paucis diebus diſcuſſa eſt.

OBSERVATIO XXII.

Febris tertiana.

D. De Chaune ſexagenarius, Quæſtor Galliæ generalis die 18. Iunij anni 1630. Gratianopoli laborare cœpit tertiana febre, & intra 12. dies ſemel purgatus eſt, terque ipſi ſecta fuit vena, nec non iulepis exhibiti, multoties, intraque illud tempus à febre liberatus eſt. Hoc verò animaduerſione dignum fuit in hoc ægrotante, quod nullum vnquam contentum apparuerit in vrinis; liquot tamen ipſarum, in declinatione, colore, & ſubſtantia laudabilis apparebat. Cuius euentus ratio inde fuit deſumpta, quòd æger nephriticis affectibus diu obnoxius fuerit, quorum ratione vrinæ tranſcolari conſueuerant.

OBSERVATIO XXIII.

Hæmorrhagia.

IDem D. de Chaune, cum permultos dies è prædicta febre immunis permanſiſſet, Hæmorragia correptus eſt, adeò immodica, vt vires deijceret. Ad eam autem cohibendam cum multa vſurparentur remedia; hoc vnicum profuit, nempè oxycratum per nares frequenter attractum, quo ſtatim cohibitus eſt ſanguinis fluxus. Eumque poſt biduum denuò prorumpentem, oxycratum denuò ſimili modo vſurpatum confeſtim cohibuit.

OBSERVATIO XXIV.

Febris maligna.

DIe 19. menſis Iulij anni 1630. Gratianopoli vocatus ſum ad filium Stephani Mercier, ſcribendi artem docentis, ſexdecim annos natum febre maligna laborantem. Erat autem in quinta die morbi maculis violaceis conſperſus, cum delirio, alui fluxu, alijſque grauibus ſymptomatis. Semel ipſi ſecta fuerat vena, & nulla alia remedia adminiſtrata. Exhibeo ipſi puluerис ſudorifici ℈. ij. cum camphoræ gr. xij. in aquæ cardui bened. ʒ. iv. probè tectus copiosè ſudauit, & optimè habuit, delirium ceſſauit, alui fluxus imminutus eſt. Poſtera die febris ſatis magna vigebat, ſine vllo graui ſymptomate. Sanguis detractus eſt, & eadem die febris expers omninò fuit.

OBSERVATIO XXV.

Gonorrhæa antiqua.

D. Cheualier, ciuis Gratianopolitanus 30. annos natus & temperamento ſanguineo præditus. Gonorrhæa laborans admodùm inueterata, à me conſilium petit, die vndecima menſis Iulij, anni 1630. Ipſi præſcribo primùm purgationem ex mercurij dulcis ℈j. cum pilularum cochiarum minorum eadem quantitate, poſtera die venæ ſectionem. Ac deinde bolum ex rhab. puluerat. ʒj. cum terebinthinæ ʒ iij. quem continuauit per quinque dies, eoque purgabatur ter, aut quater in die. Iterum ſumpſit pilulas mercuriales, & bolum prædictum per alios quinque dies. Ac tandem aquam ſequentem per octo dies.

℞. Menthæ ſiccæ ʒ iij. ſem. lactucæ. rutæ, agni caſti, an. ʒ. ij. ß. dictamni cretici ʒx. ſacchari albi ℔. ij. omnia puluerentur, addendo terebinthinæ Venetæ ʒ v. Vini albi generoſi ʒ xxx. fiat deſtillatio in balneo mar. capiat æger cochlearia duo mane, duabus horis ante cibum.

Et his remedijs à contumaci illo affectu liberatus eſt.

OBSERVATIO XXVI.

Febris tertiana.

DIe 25. Iunij anni 1630. Gratianopoli vocatus ſum ad D. de Poluemies, 30. annos natum, ordinis Diui Ioannis equitem, febre tertiana laborantem. Erat autem tunc temporis in tertia acceſſione. Priùs tamen quàm tr. ſillæ acceſſiones ordinem cœpiſſent, per aliquot dies ſine typo febricitauerat. Præſcripſi ad diem ſequentem qui erat intermiſſionis dies, calomelanos Turqueti ℈. i. diagridii gr. v. in forma pilularum, quibus valdè purgatus eſt, & circa veſperam appetentiam ciborum percipere cæpit, qua prius deſtitutus fuerat. Die verò acceſſionis ſumpſit ante paroxyſmum iulepum ſequentem.

℞. Aquæ cichorii ʒ.iii. ſalis abſinth. ʒ.ß. ſpiritus ſulphuris ℈ i. fiat iulep quem hauſit duabus horis ante paroxyſmum, & copore probè contecto ſudauit copioſiſſimè, ſicque à febre liber euaſit.

OBSERVATIO XXVII.

Febris tertiana.

DIe 30. menſis Iunii anni 1630. vocatus ſum Gratianopoli ad Domini de Semeiane, Queſtoris generalis vxorem, febre tertiana laborantem. Paſſa erat antea nouem paroxyſmos, & à quodam Medico Regio quinquies ei ſecta fuerat vena, nec non Medicamentum exhibitum ex ſennæ & caſſiæ infuſione paratum. Paroxyſmi tamen ingraueſcebant in iſque vnum præcipuè ſymptoma eam grauiter vrgebat, nempè capitis dolor acerbiſſimus pungens, & lancinans, dimidiam tantum capitis partem hemicraniæ inſtar occupans. Statim iudicaui hunc dolorem procedere à vaporibus acribus, ex materia quandam biliosa, in ventriculo aut partibus vicinis ſtagnante, eleuatis. Ideoque præſcripſi purgans medicamentum ex aquæ benedictę ʒ.i. cum infuſione ʒ.ß. foliorum ſennæ paratum; quo per inferiora quater purgata eſt, & bis per ſuperiora, vomituque reiecit prima vice circiter ℔.i. bilis porraceæ; ſecunda verò parem quantitatem bi-

lis

lis æruginoſæ, & ſequenti acceſſione à dolore capitis omninò fuit libera, tum poſt iulepos aperientes temperatos, & purgationem iteratam ex ſennæ, rhab. & catholicone, omninò conualuit.

OBSERVATIO XXVIII.

Lumbrici.

Filiolus Magiſtri Imberti, mercatoris Gratianopolitani, tres circiter annos natus, per multos dies vexatus eſt alui fluxu, & nauſea ferè perpetua, cum febre acutiſſima, quæ à lumbricis in ventriculo, & inteſtinis contentis, exoriri videbantur. Varia remedia fruſtra tentata fuerant: & cum iam omnia eſſent deſperata, ægerque in ſummo vitę periculo verſaretur, ipſi exhibui calomelanos Turqueti g. 12. ſtatim ceſſauit nauſea, & tota ferè die dormiuit: at noctu vomitus, & alui fluxus multò grauiores excitati ſunt. In excrementis inueniebantur fruſtula vermium putrefacta, in maxima copia. Mane dormiuit, & tota die ſequenti, neque amplius vomuit, & intra 24. horas febris expers apparuit; atque ita curatus, vt alijs remedijs non indiguerit.

OBSERVATIO XXIX.

Febris maligna.

D. De Beauboijs, Iuuenis Aulicus, principio menſis Iulij anni 1630. laborabat Gratianopoli febre maligna cum exanthematis. Vocatus ſum ad eũ die morbi nona: octies ei ſanguis miſſus fuerat & reliqua remedia abnuebat, grauis vrgebat diarrhæa, & interdum delirabat. Die decima febris, & alui fluxus intenſior, pulſus intermittens, in lecto excrementa deponebat. Vndecima, omnia eadem. Duodecima, in peius ruit. Decimateria moribũdus videbatur, & in agone verſari. Admoueri iubeo veſicatoriũ cetuici, & propino manè puluerís diaphoretici ℈. ij. camphorę gr. 12. cum aqua cardui bened. & rectus manſit per duas horas non ſudauit. Veſperi eadem potio iterata eſt, & probè rectus copioſè ſudauit, multo meliùs habuit, per totum illius diei decurſum ſumpſit in ſingulis iuſculis bezoartici mineralis ℈. j. Paucis poſtea diebus omninò conualuit. Ceſſante febre parotis obortа eſt valdè dolorifica, quæ per reſolutionem diſcuſſa eſt.

OBSERVATIO XXX.

Dolor Nephriticus.

Die tertia menſis Iulij ann. 1630. Petrus Bernardus, Pharmacopęus Gratianopolitanus celeberrimus, quinquagenarius, correptus eſt dolore nephritico vehementiſſimo, ſtatimque ſibi injici curauit duos clyſteres conſequenter valdè laxantes, confectione hamech, & diapruno ſolutiuo cum terebinthina, iiſque nihil conferentibus me vocari iuſſit: tertium clyſterem præſcribo, emollientem, & carminantem cum diaphœnici, & diapruni ſolutiui, ſingulorum ʒ. ß. & aquę benedictę Vnc. 4. hoc Enemate multum euacuatus eſt, dolorque omninò ſublatus. Sentiebat enim æger materias ex lumbis totoque abdomine ſibi auelli, ſine vlla tamen moleſtia. Eodem tempore fomenta ex priori decocto admouebantur.

OBSERVATIO XXXI.

Dolores arthritici.

Die octaua menſis Iulii anni 1630. vocatus ſum à magiſtro Perdreau Eminentiſſimi Cardinalis Richelij Pharmacopæo Gratianopoli decumbente ex doloribus articulorum, qui pedes, & brachia, aliaſque partes affligebant, cum tumore, inflammatione, & febricula. A vigiti diebus hoc affectu laborabat: eique nouies proprio nutu ſecta fuerat vena, ſanguiſque multo ſero abundans detractus: aliquoties etiam purgatus fuerat. Meo autem iuſſu illi exhibetur puluis in iuſculo ex calomelanos ℈. j. diagrydii gr. 8. garyophyl. n. 1. blandè, & copioſè purgatus eſt, ac multo meliùs habuit. Deinde ſumpſit manè, & ſerò iulepum refrigerantem, in cuius doſi matutina infundebantur ſennæ ʒ. iij. cum ſeminis coriandri ʒ. ß. frigidè per biduum; poſteà ſumpſit eundem puluerem pari ſucceſſu, & integrè curatus eſt.

OBSERVATIO XXXII.

Hyſtericus affectus.

Menſe Octobri anni 1631. vxor D. Dalmeras; in ſuprema ſubſidiorum cura Conſiliarij regij, hyſterico affectu laborabat, cum vomitu, & alui fluxu, ſummaque virium deiectione, vt moribunda videretur. Poſt multa remedia vſurpata, nempè fomenta roborantia ventriculo admota, pullos cordi applicitos, & Epithemata eidem parti appoſita, cucurbitulas femoribus, & pubi affixas, clyſterem ex iuſculo, & theriaca iniectum; tum aquam cinnamomi exhibitam, ſumpſit tandem ſequentem potionem, quæ mirum in modum ipſi profuit.

℞. Aquarum artemiſiæ, roſar. & florum arantiorum an. Vnc. j. aquæ cinnamomi Drach. iij. confectionis de hyacinth. ʒ. j. puluerís electuarij diamargariti frigid. ℈. ß. croci gr. iiij. fiat potio.

Aſſumpta hac potione non ampliùs vomuit, & optimè habuit per duos dies, poſteà iterum affectus rediit, & per interualla repetijt. At quoties dicta potio vſurpabatur; omnia ſymptomata ceſſabant.

OBSERVATIO XXXIII.

Diarrhęa.

Vir quidam robuſtus, & bilioſo temperamento præditus, æſtate media, correptus eſt diarrhęa bilioſa, valdè vrgente, cum ſiti intenſiſſima. Vocatus ad eum, præſcripſi ſal prunellæ in potu ordinario, tum etiam in iulepis, ex aquæ lactucæ, & portulacæ paratis, ter in die ſumendis, & intra 24. horas conualuit.

OBSERVATIO XXXIV.

Obſtructio hepatis, & lienis.

Quidam ſtudioſus Polonus, ex intempeſtiuis lucubrationibus incidit in grauiſſimas obſtructiones Hepatis, & lienis, quæ eum ad extremam maciem perduxerunt, cùm anteà eſſet εὐτραφὴς, & bono habitu præditus; poſtquam autem potionibus purgantibus, apozematis aperientibus, aliiſque remedijs vſus eſſet, quæ parum contulerant, pilulæ ſequentes à me præſcriptæ ſunt, quarum vſu intra menſem reſtitutus eſt.

℞. Aloes optimæ, & gummi ammoniaci in aceto ſolutis, & per ſetaceum traiecti, atque iterum inſpiſſati ana ʒ. iij. ſennæ mundatæ, & myrrhæ electæ ana ʒ. j. ß. croci ℈. ß. cum oxymelite ſcillitico fiat maſſa pilularum, de qua càpiat ℈. ij. alternis diebus, duabus horis ante prandium.

OBSERVATIO XXXV.

Phthiſis incipiens.

Clatiſſima, & pulcherrima mulier, vidua D. de Ribes Sommedrienſis, 25. annos nata, fluxione tenui & acri in pectus delabente grauiter afficiebatur, cum tuſſi ſicca ferre perpetua, macie, febre lenta, & genarum rubore, quæ vitia per contagium contraxerat ex marito ſuo, qui ante duos menſes phthiſicus parierat, ita vt illa ad eundem morbum ruere videretur.

Die decima quinta menſis Maij anni 1629. ei præſcripſi potionem purgantem ex ſenna, rhab. manna, & ſyrupo roſaceo, cum decocto pectorali. Poſtera die ſennæ ſectionem: deinde iuſcula pectoralia, & refrigerantia per 12. dies, & in quarto quolibet iuſculo ſenna coquebatur ad Vnc. ß. Poſt iuſcula, balneum ex decocto hordei, & amygdalarum dulcium. Interim noctu ſumebat cochlear vnum ſyrupi, fluxionem, & tuſſim cohibentis, ex ſyrupo violaceo, iuiubino, de roſis ſiccis, & de papauere, partibus æqualibus, compoſiti.

Hiſce remedijs perfectè conualuit, neque opus fuit cauſtico, & lacte aſinino, quæ ipſi præſcripta fuerant. Nihilominus ſuaſi, vt bis in anno purgationem renouaret.

OB-

OBSERVATIO XXXVI.

Gonorrhœa antiqua.

D. Q. Iuris vtriusque Doctor, ab octo mensibus gonorrhæa laborans; à me consilium petijt. Illi primùm sequentem bolum præscripsi.

℞. Terebinthinæ Venet. ʒ.ʒ. rhab. pulu. ʒ.j. fiat bolus, quem capiat per quinque dies, ab hoc remedio benè habuit, sed post aliquot dies fluxus reuersus est. Posteà vsus est aqua ad gonorrhæam. Quercetani in illius pharmacopœa descripta. Prima exhibitione omninò sedatus est fluxus, & ideò per tres, aut quatuor dies tantùm illius vsum continuauit, neque amplius redijt affectus.

OBSERVATIO XXXVII.

Dolor capitis lethalis.

Die sexta mensis Aprilis anni 1629. cum essem Lodouæ, inuisi filiam Francisci Fezon mercatoris, septem annos natam, quę à duobus mensibus affligebatur grauissimo capitis dolore, circa fontem, & supercilia, qui singulis prope modum horis recurrebat, ita acutus, vt illius sibi cultro caput aperiri frequenter postularet. Iam verò à duabus diebus inciderat ter, aut quater in paroxysmos epilepticos cum spuma in ore. A Medico ordinario præscripta fuerant multa remedia, præsertim purgationes per apozemata; cucurbitulę, & vesicatorium ceruici, sed omnia frustra. Cùm essemus de hoc casu consilium inituri; relatum nobis fuit, eam nouo paroxysmo fuisse è viuis ereptam, & post mortem puri aliquid per nares effluxisse. Inde conijciędum fuit, in cerebro abscessum latitare, sed eo aperto nihil inuentum fuit, præter serosum humorem, in cerebri substantiam, & ventriculos effusum.

Hic casus mihi in memoriam reuocauit historiam cuiusdam virginis, quæ cum simili dolore per multos menses cruciata fuisset, & multa remedia frustra tentasset; à quodam Chirurgo totum caput, deraso capillitio, vesicatorio contectum est instar cucuphæ, & veficulis excitatis magna serosi humoris copia effluxit, & ita liberata est: quod remedium huic etiam prodesse potuisset.

OBSERVATIO XXXVIII.

Vteri Scirrhus.

Die 26. mensis Decembris anni 1630. vxor D. Dugast Biterrensis, 20. annos nata, Monspellium venit, vt affectus, quo premebatur, curationi incumberet. Erat autem tumor scirrhosus, corpus vteri occupans, & à quinque mensibus exortus cum filium primogenitum peperisset, & aeri frigido incautè se se exposuisset; vnde lochiorum reliquię suppressæ sunt, & in vteri corpore retenta, vbi tumorem effecerunt, qui tractu temporis scirrhosam duritiem contraxit. Dolores interdum pungitiuos in parte sentiebat, vnde suspicio erat, ne tumor ille ad cancri naturam quodammodo accederet. Sequentia remedia illi à me præscripta sunt.

℞. Catholic. duplic. ʒ.ß. hieræ picræ, & diaphœnici, ana ʒ.j.ß. rhab. pulueral. ʒ.j. cum saccharo fiat bolus, quem capiat manè cum regimine, sequenti die aperiatur vena basilica cubiti dextri, mittantur sanguinis ʒ. viij.

℞. Radic. asparagi, bruscі petroselini, & brioniæ ana vnc. j. cortic. rad. capparum, & mediani tamariscі, an. Vnc. ß. fol. agrimon. ceterac. capill. ven. artemisiæ, matricariæ an. M. j. sennæ mundatę, & polypod. querc. an. ʒ.j. epithymi ʒ.ß. agarici recenter trochiscati ʒ.ij. zinzib. & garyophyllor. ana ℈.ij. coquantur ad ℔.j. In colatura dissolue syrupi de cichorio compositi cum rheo ʒ. iij. fiat apozema pro tribus dosibus matutinis.

℞. Rad. alth. & liliorum an. Vnc. ij. rad. bryoniæ & cucumeris agrestis an. ʒ.j. fol. malu. & violar. ana M. ij. fol. artemisiæ, nepethæ an. M. j. ficuum pinguium par. xij. sem. lini, & fęnugr. an. Vnc. j. flor. chamomel. & meliloti an. P. ij. fiat omnium decoctio in tribus partibus aquæ, & vna vini albi, sub finem additi, qua foueatur pars affecta manè, & serò.

℞. Butyri recentis, & axungiæ porci an. Vnc. j. ß. pinguedinis gallinæ, anseris, & anatis ana ʒ.j. olei amygdalarum dulc. & liliorum an. Vnc. ij. mucilaginis semin. fænug. extractæ cum vino albo ʒ.vj. gummi ammoniaci in aceto soluti ʒ.iij. croci ʒ. ß. ceræ q.s. fiat vnguentum applicandum post fotum.

℞. Massæ emplastri de meliloto, & de mucilaginibus, ana Vnc. j. gummi ammoniaci in aceto soluti, & traiecti, & iterum inspissati Vnc. ß. cum oleo liliorum fiat emplastrum super alutam debitæ magnitudinis, & figuræ, applicandum eidem parti post inunctionem, & quinto quoque die renouandum.

℞. Aloes optimæ Vnc. ß. gummi ammoniaci in aceto soluti & iterum inspissati ʒ.ij. bdellij & myrrhę ana ʒ.j. f. nnæ mundatæ, & agarici recenter trochiscati an. ʒ.ij. fęculæ bryoniæ ʒ. j. cum oxymellite scillitico fiat massa pilularum, de qua capiat ʒ. ß. singulis diebus manè, duabus horis ante pastum, continuando per xv. dies.

Cùm horum remediorum vsum aggressa esset, frigus intensissimum aduenies eorum continuationem impediuit, & illa in patriam redijt; eique discedenti præscripsimus, vt verno tempore prædictorum remediorum vsum repeteret, eaque diu continuaret, quibus addidimus semicupium frequens, cataplasma emolliens, & bocherum rad. chinæ pro potu ordinario. Quibus per tres menses continuatis, præcipuè fomentis, vnguentis, & emplastris, cum bocheto prædicto, perfectè conualuit. Et menstrua purgatio, quę per octo menses suppressa fuerat, iterum apparuit, naturalem ordinem seruauit, ab eoque tempore alios liberos peperit.

OBSERVATIO XXXIX.

Febris quartana.

Elegans puella filia D. Despłan, in suprema subsidiorum curia Consiliarij regij, quatuordecim annos nata, mense Nouembri, anni 1630. laborabat quartana duplici, à duobus mensibus. Ipsi præscribo infusionem ʒ.j. sennæ, factam in aqua mea febrifuga, singulis diebus sumendam, & quarta exhibitione, febris omninò sublata est, & deinceps optimè habuit.

OBSERVATIO XL.

Alia quartana.

D. Varandæus Canonicus, annos natus 30. febre quartana laborans, mense Decembr. anni 1630. prædicto remedio vsus est quotidie; & septima exhibitione curatus est.

OBSERVATIO XLI.

Mammarum inflammatio.

Circa initium mensis Ianuarij anni 1631. amplissimi viri D. de Rochemore, in curia computorum, & subsidiorum Proto præsidijs vxor puerpera, laborare cœpit inflammatione mammæ dextræ, ob ictum, in illam partem inflictum. In ea autem continebatur lac, quod non poterat exsugi. Facta fuit embrocatio prima die ex duabus partibus olei rosati completi, & vna omphacini. Secunda die, & sequentibus continuata ilia embrocatio parti tantùm dolenti, & toti mammæ admotum est bis in die vnguentum de althæa, & sine alio remedio intra paucos dies curata est. Affixæ fuerunt cucurbitulæ scapulis, neque secta fuit vena, cum statim viderem, affectum resolutione discuti.

OBSERVATIO XLII.

Febris maligna.

Mense Aprili anni 1631. Iuuenis mulier, vidua Montaudi ciuis Monspelliensis, febre maligna laborabat cum exanthematis, eique vulgaria remedia administrata fuerant vsque ad octauam morbi diem, qua vocatus fui, & ægrotantem inueni in summa virium imbecillitate versantem, cum siti ingenti, linguæ siccitate, ac nigritie, tum lentoribus nigris, dentibus adhærentibus. Præter cardiaca varia, præscripsi iulepos valdè refrigerantes cum sale prunellæ, & spiritu vitrioli. Et in ptisana sumebat pro potu ordinario sal prunellæ, & spiritum vitrioli. Admouebantur

fotus refrigerantes, & humectantes pectori, & hypochondrijs; & intra biduum sitis, & ardor euanuit. Ac post modum purgatione, aliisque leuioribus remedijs intra paucos dies conualuit.

OBSERVATIO XLIII.

Febris maligna cum parotidibus.

ANno 1625. post Monspelij obsidionem, grassata est per plures menses febris admodùm maligna, ex qua media ferè pars ægrotantium interibat. Peculiariter verò, quibuscunque parotides superueniebant (quod circa nonum, vel vndecimum morbi diem solebat contingere) omnes interibant. Cum autem plures huiusmodi vidissem, neque vllis alexipharmacis liberare potuissem; cogitare cœpi, ideò censeri lethales parotides, quod pars illa non sit capax recipere totam materiam morbificam quæ intùs manens interimit, & supplendum esse naturæ opus. Ac quamquam ægrotantes pulsum haberent parum, & frequentissimum, ac penè formicanté, & in agone mortis versari viderentur, quæ etiam breui succedere solebat: attamen hanc Cornelij Celsi sententiam animo reuoluens, multa scilicet in præcipiti periculo rectè fieri, quæ alias essent omittenda, & satiùs esse anceps remedium in vno aut altero experiri quam tot ægros certos exitio relinquere, sanguinis missionem præscripsi partitis vicibus, propter virium imbecillitatem, bis aut ter eadem die, & sequenti die purgationem. Qua via omnes quibus hæc remedia administrata sunt, feliciter euaserunt, neque vllus deinceps interijt. Primi ægroti hac methodo curati historia fusè descripta reperitur capite primo sect. 3. methodi nostræ curandarum febrium.

OBSERVATIO XLIV.

Colica pentriculi.

MEnse Aprili anni 1631. vxor D. Guillelmi Dortommanni, Patroni Monspelienſis celeberrimi, subitò correpta est doloribus vehementissimis, ventriculi, & lienis regionem occupantibus, qui neque fomentis, neque purgatione sedari potuerunt sed phlebotomia celebrata; satis larga manu, è brachio sinistro, statim euanuerunt.

OBSERVATIO XLV.

Vomitus sanguinis.

PAulus Hilarius mercator Nemausensis; vomitu sanguinis, eoque copioso afflictus fuerat, quatuor, aut quinquies, intra sex septimanas, ad cuius cohibitionem multa præstita fuerant à Medicis ordinarijs. Tandem symptomate redeunte, & diutius perseuerante, vt æger in maximo vitæ discrimine versari videretur, ad eum vocatus sum die 28. mensis Maij anni 1631. Homo erat quinquagenarius temperamento biliosus & in actionibus promptissimus, quiq; anno præterito consulatum exercens, maximis laboribus, tum animi, tum corporis sese exagitauerat. vnde bilis prouentus maior, quæ exustione ad atræ bilis naturam accedebat, & magnam sanguini commotionem ; rebens, eiusdem foras eductionem produxerat, cui rei maximè conferre videbatur eiusdem humoris acrimonia venis referendis aptissima, tum maxima sanguinis tenuitas à seri multa copia eidem permixta. Censui hunc sanguinem per anastomosin effluere, quandoquidem cum maxima copia euomuerat in thrombos concretum. Attamen per dilucida interualla nihil emittebat, ita vt per mensem integrum à primo insultu nihil sanguinis excreuerit. Adde, quod non solùm per vomitum; sed etiam per secessum sanguinem fundebat: imò verò primus paroxysmus ab excretione sanguinis per aluum inchoauerat, quod ostendit venas mesaraicas, ad intestina desinentes, per anastomosin fuisse apertas.

Die prædicta, qua eum inuisi, sanguinis eruptio à 24. horis cohibita fuerat, ea tamen denuò imminere videbatur, vt facilè apparebat ex inquietudine, siti, cardialgia, æstu præcordiorum, cauitis pulsatione, & febre. Ideò cum iam ad vesperascere t, iulepus tantum exhibitus est, ex aquis plantaginis, & portulacæ cum sale prunellæ, tota nocte non dormiuit, valdè anxius, & inquietus.

Die 29. mensis Maij horis matutinis missus fuit sanguis ex brachio sinistro ad vnc. iv. tantùm quia æger cardialgia ita afficiebatur, cum tanta virium detectione, vt se breui expiraturum putaret. Sanguis fuit valdè rubicundus, & totus penè in serum conuersus, à phlebotomia robustior factus est, & melius habuit. Tùm, vrinæ, quæ antea prorsus aqueæ fuerant, coloratiores euaserunt. Iniecto post meridiem clystere detergente, sanguis denuò missus est ad ʒ. vij. priori persimilis, vnde æger melius habuit. Iulepi prædicti fuerunt iterati, pro potu vtebatur aqua ferrata cum syrupo cydoniorum, & spiritu vitrioli in iusculis, hordeatis, & panatellis pulueris adstringens immiscebatur, tum etiam præscripta est opiata roborâs, & adstringens, sumenda semel in die, circa vesperam. Hypochondrij fotus admouebatur, ex decocto portulacæ, & plantaginis, aliorumque in oxycrato coctorum Vnguentum etiam refrigerans, & adstringens ijsdem partibus. Iuscula cum aqua ferrata parabantur. Nocte in sequente satis dormiuit, sed cum insomnijs turbulentis.

Die 30. eiusdem mensis, vrinæ coloratiores, habentes eneoremata tenue, pulsus meliores. Supererant tantùm sitis, & pulsatio in capite. Mane exhibitum est Medicamentum ex rhab. pul. ʒ. j. & tripheræ persicæ ʒ. ij. quo quater aut quinquies deiecit biliosa seroſa multa, vnde melius habuit, & vrinæ meliores, tota nocte dormiuit.

Die vltima eiusdem mensis manè benè habebat; sed vrinæ eneorematis expertes, sitis permanebat, & pulsatio in capite propinatus est iulepus refrigerans, & adstringens ex decocto paratus. Vrinæ sensim pallidiores euadebant, eneorematis expertes, sitis augebatur, non obstante potu acido. Circa vesperam, febris aucta est, æger valdè inquietus, & sitibundus, tum se æstum maximum in ventriculo percipere querebatur. Inde metus ingens mihi incussus est redeuntis denuò sanguineę vomitionis, cuius causa videbatur esse translatio bilis ad illas partes, vndè vrinæ pallidiores. Causam procatharticam huius recursus esse censui, vel iusculorum nimis coctorum crebriorem exhibitionem, vel totum ab imperito pharmacopæi famulo nimis calidè admotionem, cum subtrigidæ admoueri debuissent. Huius rei indicio fuit quòd æger retulerit, se à prima totum admotione caliditatem in hypochondrijs percepisse. Vt igitur symptoma imminens præcauerem, missionem sanguinis præscripsi è cubito sinistro ad ʒ. 8. qui cum impetu effluxit. Eodem tempore epithemata ex oxycrato hypochondrijs subfrigidè admota, frictiones, ligaturæ celebratæ, clyster iniectus, & iulepus exhibitus ex aqua portulacæ, & papaueris rhœados, cum syrupo eiusdem papaueris rhœados, & sale prunellæ. Quibus remedijs intra duas horas liberatus est ab illo æstu, & siti. Noctis reliquum cum somno permodico peregit, manente perpetua capitis pulsatione.

Die prima Iunij, vrinæ benè coloratæ, cum eneoremate apparuerunt. Exhibita est potio ex decocto foliorum cichorij acetosæ, & portulacæ, cum tamarindorum ʒ. ß. addendo syrupi granatorum ʒ. j. rhabarbari puluerati ϑ. j. bis purgatus est horis matutinis, & seroſi humoris copiam excreuit. Post secundam sedem vomitus correptus est cum valido conatu, ac iusculum paulò ante assumptum reiecit cum pituita, nihil verò sanguinis. Pomeridianis horis bis aut ter deiecit biliosa & spumosa, noctu mediocriter dormiuit.

Die secunda Iunij manè parùm turbatus apparebat in discursu, vt verba rectè pronuntiare non posset, nec sensa commodè expromere, quod tamen ipse percipiebat, dicebatque se non habere mentem liberam. Pulsatio in capite continuò perseuerabat, sumpsit prædictum medicamentum ex tamarindorum ʒ. ß. rhabarbari ϑ. j. Cum autem dicta mentis conturbatio perseueraret, cucurbitulæ duæ admotæ sunt scapulis cum scarificatione, quibus sanguis valdè seroſus eductus est & frontale communi admotum. Intra vnam horam leue illud delirium omninò cessauit, diei decursu quater aut quinquies aluus soluta est cum euphoria, nocte placidè dormiuit, & inde multò melius habuit.

Die 3. Iunij se optimè habere profesus est, & capitis pulsationem esse valdè imminutam. Sumpsit iterùm prædictum medicamentum, quo purgatus est vt supra. Admouebantur quotidie epithemata cordi, fomenta hypochondrijs ex oxycrato, tum sumebat vesperi opiatam prædictam.

Die 4. Iunij æger in eodem statu consistebat, sumpsit manè opiatam prædictam, atque iterùm vesperi, & post meridiem syrupum corallorum. Sed quia in lieni insignis duritiei apparebat; admotus est fotus emolliens, & aperiens, tùm etiam vnguentum ijsdem viribus præditum.

Die 5. sumpsit manè decoctum galli veteris cum herbis tem-

temperatis aperientibus, radice chinæ, & cremore tartari. Admotum est causticum tibię sinistræ, fotus, & inúctio lienis continuata. Iam remedia sanguinē cohibentia sensim omittebantur, & ad ea transibamus, quæ lienis obstructioni, & humori melancholico magis erant idonea. Tum cœpit vti solidis alimentis, cum tantillo vini crassioris, cùm à febre immunis esset, alui excrementa, & vrinæ meliùs concoctæ, somnus ferè assiduus, tumor in liene satis insignis apparebat; ideò præscriptum est decoctum galli prædictum ad 12. dies, addendo tertio quoque die sennę ʒ.ij. & continuatio fotus, & linimenti emollientis, & aperientis per idem spatium, & post 12. illos dies balneum, deinde aquas Meynenses cum iteratione balnei semel in septimana. Ac demum syrupum magistralem ex succis, cum opiata de obstruente.

Die 6. Iunij sumpsit iusculum cum sennæ ʒ.ij. eoque ritè purgatus est.

Die 7. discessi, & vsu prædictorum remediorum, præcipuè syrupi magistralis, longo tempore continuati, probè conualuit.

OBSERVATIO XLVI.

Fluor vterinus.

ILlustris quædam religiosa, propter hepatis, & renum calidam intemperiem, initio mensis Augusti, anni 1630. correpta est fluore albo, admodum copioso, & molesto à quo præpostere curata à Chirurgo, qui vehementia purgantia ei exhibuerat, affectus ad sequentem hyemem productus est, nec tunc temporis cessauit; sed tantùm imminutus est, & ægra pallida, & decolor permansit. Verè autem insequente, affectus paulatim in deterius vergebat, vsque ad ætatis initium, quo tempore inappetentia, & febricula laborabat, quibus interdum tussis accedebat, vt metus esset, ne in tabem incideret.

Et primùm præscripsi leue catharticum ex senna, & rhab. posteà phlebotomia. Ac consequenter ptisanam laxantem per quatuor dies. Postea balneum tepidum ad hepatis, & renum ardorem temperandum, per biduum sequens.

A balneo correpta est alui fluxu, à quo benè habere videbatur primis diebus: postea tamen ab eo vires infirmiores euadebant, febris interdum aderat, & ventriculus inappetentia laborabat. Iussi vt per quinque, vel sex dies sumeret manè rhab. pulu. ʒ.j. cum syrupo de absinth. ponticо, ad boli formam redactum, hora vna ante prandium. Prima die aluus multum, & frequenter deiecit. Secunda, alui fluxus omninò cohibitus, & ventriculus valdè confirmatus, febricula disparuit, meliùs colorata in dies apparebat; sed inappetentia perseuerabat. Iussi, vt rhabarbari vsum continuaret adhuc per 12. dies, sed non amplius, cum syrupo, sed cum terebinthina ʒ.j. In bolum redactum, ad fluorem vteri meliùs compescendum. Et sic ab omnibus prædictis affectibus liberata est.

OBSERVATIO XLVII.

Febris continua, & maligna.

DIe vltima mensis Ianuarij anni 1629. Reuerendissimus Episcopus Nemausensis, annum agens quinquagesimum, laborare cœpit febre maligna, quæ singulis diebus exacerbationes habebat, ab hora vndecima matutina ad sextam pomeridianam, nauseam, & singultum per interualla patiebatur vrinæ rubræ, & turbidæ, excrementa alui liquida, biliosa, & pauca, vigiliæ perpetuæ vsque ad septimam diem. Cùm in villula quadam prope castra regia ægrotare cœpisset statim sese contulit Bellilocam vbi secunda die morbi à duobus Medicis sanguinis missio fuit celebrata, eductusque sanguis valdè corruptus, idque præmisso clystere.

Tertia die fuit iterata venæ sectio, & sanguis priori similis eductus. Interim iulepi refrigerantes, & venenatam qualitatem oppugnantes fuerunt vsurpati. Eadem die sudor apparuit leuis, sine præcedente rigore, aut horrore, sed nausea ante sudorem vehementiùs vrgebat. Quarta, quinta, & sexta similis sudor rediit, sine vlla febris remissione.

Circa finem quintæ stillæ sanguinis ex naribus prodierunt. Ego verò ad illum vocatus sum die sexta, qua febris vehemens apparuit, cum pulsu magno, & frequenti, siti, iactione, & alijs simptomatibus. Eadem die sanguinis missio iterata est ad ʒ. viij.

Circa initium septimi, rigore correptus est per horam integram. Hunc sequuta est nausea satis grauis per horam alteram, tandem sudor copiosè erupit, tota ferè die perseuerans, vt septies lintea mutanda fuerint. A sudore febris omninò sedata, & vrinæ, quæ antea rubræ, & crassæ fuerant, luteæ, & laudabiles euaserunt.

Die octaua, & nona alui fluxu moderato excreta fuit materia biliosa, & pituitosa, quo pristinæ sanitati restitutus esse videbatur.

Die decima, translatus fuit Nemausum propter Bellilocę in salubritatem, & pestem incipientem.

Duodecima, purgatus est medicamento ex senna, rheo, manna, & syrupo rosaceo.

Decima tertia, solidioribus alimentis vti cœpit parua quantitate; & decima quinta, vino valdè diluto. Eadem die tecto egressus est: & in mensa prandium assumpsit, vt perfectæ valetudini restitutus videretur.

Nihilominùs recidiuam passus eadem 15. die, circa mediam noctem, cum nausea frequenti, qua pituitosa; & pauca reijciebat.

Circa initium decimæ sextæ diei, iniecto clystere, secta fuit vena, & sanguis eductus valdè corruptus. Iulepi ex refrigerantibus, aperientibus, & alexipharmacis parati, epithemata, inunctiones ex oleo scorpionum Matthioli, & confectio de hyacintho in iusculis præscripta.

Decima septima, iteratus Clyster, & iterata phlebotomia. Sanguis priori similis. Lapis bezoarticus in iulepis, & bezoarticum minerale interdum in iusculis vsurpatum. Ad nauseam compescendam sal absynthij bis fuit exhibitum, non sine fructu. Fomenta roborantia ventriculo admota. Inunctio ex oleo nucis moschatæ, & cydoniorum eidem parti. Iulepo semel atque iterum aqua theriacalis fuit commixta, cum magna suspicio esset luis pestiferæ hinc morbo admixtę propter nauseas, & lipothymias frequentes; spiritus vitrioli in potu ordinario.

Decima octaua, rigore correptus est, quem excipit sudor per quatuor, aut quinque horas perseuerans, sed exigua quantitate effluens cum dysphoria, & inquietudine, tum etiam nausea, & vomitu frequenti.

Postea ad nauseam perseuerantem exhibita est salis absynthij ʒ.j. In vino dissoluta, quæ feliciter operata est, & rarissimo postea vomitu afflictus est. Paucis post horis rigore iterùm correptus, deinde bis aluum deposuit satis copiosè, ac tandem sudor emanauit, quem diù ferre non poterat, propter inquietudines ijsque lentè ferebatur; sed per multas horas perseuerauit. Ad motum illum adiuuandum semel exhibitus fuit lapis bezoarticus cum iusculo; & cum altero iusculo post aliquot horas bezoar solare, quo sudor copiosissimus effusus est cum facili tollerantia, & inde febris maximè imminuta est.

Decima nona, febris multò remissior iniecto clystere laxante cum aquæ benedictæ Vnc. ij. aluum quinquies deposuit, totius diei curriculo, & multam bilem excreuit cum pituita mixta. Nocte placida dormiuit, vrinæ benè coloratæ, cū hypostasi tenui. Medicamentis roborantibus vires reficiebantur.

Vigesima, & vigesima prima, omnia eadem: semel aut bis in die aluo deijciebat materiam satis crassam.

Vigesima secunda purgatus est medicamento superiori simili; & pluries deiecit biliosa, atque pituitosa, nec non per vomitum excreuit pituitam crassam cum exigua bile; postea placidè dormiuit tota nocte, tum etiam die sequenti quæ erat 23. tumque febris omninò expers fuit; & vrinæ meliùs coctæ apparuerunt.

Ad reliquias humorum deturbandas 24. die sumpsit iusculum aperiens, eoque die 26. incoximus sennæ vnc. ß. cum correctiuis, quo quater purgatus est, indeque auctus ciborum appetitus cum siti nulla, ac continuatis iusculis aperientibus per aliquot dies, pristinæ sanitati restitutus est.

OBSERVATIO XLVIII.

Inflammatio, & abscessus renum Hæmorrhagia, febris magna, cum grauibus symptomatibus.

DIe 27. mensis Martij, anni 1629. vocatus sum ad Reuerendissimum Episcopum Lodou. nſ. quinquagenarium qui antea febre maligna laborauerat, eiusque duas passus erat recidiuas, ab ijsque liberatus multis crisibus, præcipuè per hæmorrhagias copiosissimas & remedijs quam plurimis,

à duobus Medicis Lodouensibus mecum præscriptis. Cum multis diebus omninò conualuisse videretur die 17 Martij circa horam duodecimã a gr otare cæpit, ac sequenti subitò correptus est dolor acuto,& fixi circa renem dextrum quem sequuta sunt hæc sympto mata, vomitus frequens, singultus, vrinæ turbidæ, rubræ aliquando,& aquosæ interdum cum arenulis partim rubris,partim verò albis,interdũ etiam conquestus est de cruris dextri stupore. Die 22.febris superuenit, quam exceperunt diebus sequentibus horrores, bis,aut ter in die inuadentes:eoque sequebatur febris exacerbatio per duas vel tres horas.

Cum igitur accessissem die 27. morbi vna cum prædictis Medicis suspicati fuimus in communi consilio, calculum latitare in rene dextro, & à dolore excitatam esse inflammationem in eadem parte. Quia verò dolor tunc ferè nullus apparebat,existimauimus inflammationem iam ad suppurationem fuisse progressam. Decretum fuit, mittendum esse sanguinem primum ex brachio dextro, postea ex malleolo eiusdem regionis clysteres mollientes, & refrigerantes frequenter iniciendos, iulepos, & emulsiones lenientes imperandas, Epithemata, fomenta, linimenta & cataplasmata præscribenda. Incœpimus à venæ sectione, quæ celebrata fuit die prædicta 27. hora secunda vespertina ad Vnc. viij. Circa vesperam oborta est hæmorrhagia, quæ per quatuor horas perseuerans, sanguinis ferè ℔. ij. æquauit, adhuc affatim fluebat, & vires concidebant. Igitur cogitandum fuit de cohibenda hæmorrhagia, & præscripta fuit venæ sectio reuellens in brachio dextro, sal prunellæ in aqua frigida dissolutum, frontale adstringens, acetum in aurem instillandum, succus vrticæ sumendus, cucurbitula regioni hepatis admouenda, linteum aceto madefactum, quo cervix erat voluenda, & ligaturæ extremorum: quibus nihil proficientibus æger se aluum deponere velle dixit, nec potuit cogi, vt in lecto deiceret. Præmonuimus, si lecto esurgeret cum tanta exolutione virium, fore vt in syncopem rueret, attamen eam syncopem cohibendo sanguini fore perutilem. Ita ferè succesisset,nam postquam surrexisset,animi deliquium passus est, à quo statim excitatus est vino exhibito, & aqua frigida in faciem proiecta, posteà copiosè deiecit & postquam in lectum delatus fuisset, sanguis multo minore impetu fluebat. Postquam verò paululùm quieuisset; exhibitum est sal prunellæ ad ʒ j. ß. in aqua frigida dissolutum, quo assumpto, statim sanguinis fluxus omninò fuit cohibitus, nec alijs remedijs opus fuit.

Die sequenti, quæ erat 28. Martij, siti ingenti premebatur, & pustulæ quædam dolentes ex sanguine adusto genitę, circa frontem, genas, labia, linguam, & in volis manuum obortæ sunt, dolor verò renum nullus apparebat sed ingens alimentorum auersio vt iusculum omninò renueret, multò magis iulepos, & emulsiones. Attamen tota fere die dormiuit per interualla, & per aluum bis deiecit biliosa, & valde fętida. Urina erat decolor, tenuis, & sine sedimento, cum arenulis in fundo matulæ. In potu mane exhibuimus salis perlarum ʒ ß. cum aqua cocta, & sitis plurimum contemperata est. Post meridiem, atque iterum vesperi spiritus vitrioli gutt. 12. cum Vnc. j. syrupi capillorum ven. & aqua cocta propinatæ sunt, à quibus etiam sitis, & febris plurimum sedata est. Inunctio frequenter fuit celebrata regioni lumborum, ex vnguento populeo,& refrigerante Galeni, cum oleo rosaceo. Lac amygdalarum dulcium iusculis miscebatur ad cochlearia tria, vel quatuor. Nocte sequenti satis quiete etiam dormiuit, sese per vices expergefaciens cum planctu luctuoso, vt solebat diebus præcedentibus.

Die 29. conquestus est mane de dolore renis dextri, sed parum vehementer: non poterat tamen supra latus dextrum decumbere. Vrinæ tenues & pallidæ, cum arenulis partim rubris, partim albis; pustulæ oris innunctæ sunt pomata recenti, tantillo salis prunellæ admixto. Præscriptum fuit fomentum & cataplasma emolliens, & anodynum, rembus admouendum; tum etiam iulepus ex decocto herbarum refrigerantium, cum semine lactucæ, & papaueris albi, summit. maluæ, flor. viol. & bugloss. Circa horam quartam pomeridianam, leui horrore correptus est: quem excepit febris intensior, ad aliquot horas perseuerans. Hora decima propinatus est iulepus ad ʒ. viij. tota nocte parum dormiuit.

Die 30. hora tertia matutina,rigore vehementi afflictus est per horam dimidiam, posteà febris adaucta, oris,& faucium vlcera grauiora, & magis dolentia, quibus demulcendis diamorum vsurpatum est. Sitis ingens,alui excrementa liquida, & valdè fœtida. Post duas horas, sumpto iusculo, sudor erupit copiosus in capite,& ceruice, cum madore tantum in reliquis partibus,in cuius medio aluus iterum soluta est,& vsq; ad horam octauam quinquies deiecit,vrinę magis coctæ colorationes apparuerunt,exiguam hypostasim habentes:febris etiam imminuta;sed vires admodum fractę ex alui fluxu. Circa horam quartam sumpsit iulepum, cum spiritus sulphuris guttis viginti. Quantitas autem iulepi per peruò fuit vnc. 8. iterum dormiuit vsque ad horam sextam,& experrectus dixit,se à iulepo plurimùm fuisse adiutum, & refrigerationem præcepisse in toto corpore,febris equidem remissior apparebat. Assumpto iusculo refrigerante, conquestus est de dolore in palato;quod inspicientes,vlceratum inuenimus ex ardore febris prægressæ. Ad hoc malum demulcendum vsus est decocto mororum conditorum postea sequens gargarisma præscripsimus.

℞. Aquar. plantag.& matrisylu. ana ʒ.4. aq. rosar. ʒ.2. alumnis crudi drac. 2. post leuem ebullitionem dissolue diamor. & mellis rosac. ana Vnc. j. fiat gargarisma. Præcepimus etiam vt palatum melle rosaceo frequenter inugeretur ex penicillo: colluebat etiam os frequenter ptisana potus ordinarij quæ ex hordeo, & liquiritia confecta erat.

Ad eo etiam tempore satis placidè quieuit vsque ad mediam noctem, quia rigore iterum correptus est ad duas horas perducto: postea febris aucta, quæ sequenti die, quæ erat vltima mensis Martij, circa horam octauam multò remissior apparuit; vrinæ semper tenues, & valdè crudæ. Pomeridianis horis febris multò remissior & in vniuersum melius habere visus est quàm diebus præteritis. Aluus tota die ter deiecit liquida,& biliosa,iulepi bis in die iterabantur,epithemata frequenter admouebantur.

In sequente verò nocte,circa illud tempus, quo rigor accidere consueuerat, anxietate graui, & inquietudine molestissima vexatus est, cum alui fluxu partim biliosо, partim pituitoso frequenti, sed pauco. Tota nocte vigilauit,neque in lecto subsistere potuit. Ut igitur motum illud naturæ, qui difficilè, ac laboriosè fiebat,iuuaremus; ipsi exhibuimus medicamentum purgans primo die Aprilis, hora tertia matutina. Interim vlcera palati, & oris erant molestissima, & fœtorem cadauerosum referebant: vrinæ continuò tenues, & decolores nos valdè terrebant: inquietudines circa horam nonam remissæ sunt,& purgatus fuit quinquies tota die. Circa vesperam multò melius habuit; sed vrinæ perpetuò albæ,& crudæ;vlcera oris. Perpetuò molesta pustulæ labia,& mentum occupantes,imò, & partem genæ dextræ, in fœdam crustam degenerauerant,vt fit in variolis multis simul iunctis. In media etiam crurum parte interiori obortæ sunt pustulæ, variolis consimiles inter se distinctæ, & in vnaquaque tibia manus magnitudinem æquantes, maximæ malignitatis, & adustionis testes.

Die 2. Aprilis, hora prima post mediam noctem accessio iterùm redijt,cum horrore leuissimo,quem sequutus est calor auctus cum inquietudine præcedenti multo minore. Circa finem accessionis iterum exhibitum fuit medicamẽtum purgans,deiecitque bilem sub viridem cum pituita copiosa. Post meridiem cessauit purgatio, & febris omninò expers fuit, seque appetentiam ad solidiores cibos percipere aiebat. Crustæ vlcerosæ menti, & genarum fœtorem quendam exhalabant.

Die 3. Aprilis, post mediam noctem paroxysmus febris tertianæ duplicis iterum reuersus est eadem hora priori consimilis. Vrinæ coloratiores apparuerunt, fœtor satis insignis in vlceribus menti, & genarum. Decretum fuit reliquias materiæ morbificæ præparare ad vlteriorem purgationem, remedijs internis, & externis. Interna fuerunt iulepi aperientes, & refrigerantes; externa verò, fomentum emolliens, aperiens, & humectans super hypochondria, præcipuè regionem hepatis,in qua tensio quædam apparebat,tum etiam linimentum ijsdem viribus præditum. Ante meridiem febris imminuta est;sed non prorsus intermisit. Vrinæ laudabiles cum hypostasi parua apparuerunt. A meridie ad sextam horam vespertinam bis deiecit liquida, & subflaua: vlceribus menti, & genarum admotum est vnguentum ex terebinthina, vitellis ouorum, & melle rosaceo. Hora septima vespertina redijt accessio cum rigore, qui ad dimidiam horam extensus est, postea calor auctus ad mediam noctem perseuerauit, & duplici sudore, eoque copioso solutus est. Postea [illegible] euasit, fœtor maxillarum vsu vnguenti prædicti intra duodecim horas sublatus est, & vlcera pus album,& crassum emittere cœperunt. In accessione exhibitus

fuit

fuit pro potu syrupus violaceus, cum ptisana, & spiritus sulphuris.

Die 4. Apr. cum esset febris expers, matutinis horis prædicta remedia iterata sunt, & toto die febris expers apparuit. Hora sexta vespertina iterum rediit accessio, cum rigore, & præcedente multò longior fuit.

Die 5. Apr. præmisso clystere, sanguis detractus est, ad humorum feruorem, & putredinem inhibendam, quæ duo paroxysmi incrementum peperisse videbantur. Circa horam quintam vespertinam exhibitum est febrile Crollij ex sale absinthij, spiritu sulphuris, & aqua cichorij. Cum iam ægr. frigus extremorum perciperet, postea plus solito contectus est, linteis calidis membra munita, sicq; dilatum est principium accessionis ad horam septimam, rigorque per horam perseuerauit. Postea vi medicamenti prædicti euomuit pituitam, & bilem satis magna copia, deinde calor erat mitis, & sine inquietudine, saltem insigni.

Die 6. Apr. ab exitu paroxysmi, conquerebatur æger de calore igneo in ventriculo, qui per interualla sæuiebat. Conquerebatur etiam de dolore in sinistro hypochondrio: quem cum explorare voluissem, non potuit ferre manus contactum, & tensio manifesta apparebat. Vrinæ à triduo integro nullæ colligebantur; sed quia æger deijcere solebat ter, aut quater de die, censuimus cum deiectionibus vrinas etiam profundi. Quia tamen præter deiectiones prædictas continua ferè aderat desidendi cupiditas, magna nobis suspicio aderat, ne grauis quædam affectio in renibus latitaret, præsertim cum singultus frequenter ægrotantem vrgeret. Tandem, circa horam secundam, emisit in matulam verum pus, album leue, & æquale, minimè fœtidum, ad ℥. iij. cum vrina pauciſſima. Hinc certissimè apparuit, factum esse abscessum in renibus, qui intus retentus symptomata grauiora afferebat. Imò verò æger tota die dormiuit, & vsque ad mediam noctem febris remississima fuit. Ignea caliditas per interualla ventriculum affligebat, & singultus per vices vrgebat. Nocte concubia, dolor, & tumor hypochondrij sinistri valdè imminuti sunt, vt se contrectari pateretur: aliquid puris iterum per vrinam excreuit, sed tantum ad ℥. 6. bis aut ter per aluum excreuit materiã biliosam, cui existimauimus materiam purulentam esse permixtam, quamvis illud certò non appareret. Post mediam noctem rediit accessio, quæ non verè accessio dicenda est: sed potiùs exacerbatio: non contingit enim cum horrore, aut rigore, neque cum febre intensissima, sed potiùs cum inquietudine, & languore.

Die 7. Apr. manè ante lucem vrinam reddidit, quæ vix Unc. j. quantitatem exæquabat, in cuius fundo tantillum puris subsidebat. Circa horam septimam aluus soluta est parua quantitate, & deiectionis media tas purulenta erat: Hinc conijcere licuit, abscessum in capacitatem abdominis fuisse apertum, & per intestina expurgari, sed propter admixtionem aliorum excrementorum, quando copiosa est deiectio non apparere. Coniecimus etiam; vrinam cum pure, & fæcibus effundi in intestina aut non attrahi à renibus, quia nihil, aut perexiguum mingebat, nullumque in vesica eiusque meatibus vitium apparebat. Adde quod deiectiones essent copiosissimæ, quæ nisi clystere frequenti prolicerentur, æger multò deteriùs habebat, & hac die, cum inquietus ad dispertionem propemodum fuisset, vsque ad meridiem; post eiectum clysterem, quo bis purgatus est, placidè habuit. Cator intensus in regione ventriculi perseuerat, & quod mirum est, nulla vrgetur siti, iulepi vsurpantur refrigerantes, & lenientes, tum etiam emulsiones. Interdum iusculis lac amygdal. dulcium permiscetur. Pro potu vtitur decocto hordei, & liquiritiæ cum syrupo violaceo: interea vires in dies languent, & pulsus euadit infirmior. Circa horam quintam vespertinam, satis copiosam vrinam reddidit sine molestia, in cuius fundo tantillum puris residebat. Optimo quieuit, & hora octaua iterum minxit, cum minori puris quantitate, & pulsus multò melior apparuit. Tota nocte placidè quieuit, ter copiosè minxit cum pure, perpetuò infundo matulæ residente: & febris exacerbatio perexigua, ac breuissima fuit.

Die 8. April. summo manè iulepus fuit exhibitus, & post horam clyster iniectus, quo bis copiosè deiecit. In iusculo dissoluebatur pulvis ex seminibus frigidis cum saccharo, nunc lac amygdalarum dulcium, nunc decoquebantur herbæ refrigerantes, & parùm detergentes, lumborum regio vnguento refrigerante inungebatur. Pro potu decocto hordei, graminis, & liquiritiæ vtebatur, quæ omnia detergendo vlceri, in renibus iam contracto, & reliquijs inflammationis earundem partium temperandis destinata fuerant. Tota die multò melius habuit, ac febris promemodum expers fuit. Hora sexta vespertina accessio rediit, cum horrore leui tota ferè nocte perseuerans; sed non admodum vehemens. Vrinæ purulentæ, dolor hæmorrhoidum.

Die 9. purgatus est blando medicamento ex senna, rheo, manna. Satis benè habuit; sed magna iusculorum auersio, & difficultas deglutiendi: febris perexigua; sed vires infirmæ. Pondus veluti quoddam circa vesperam sentiebat in fundo stomachi singultus frequens, qualis toto morbi decursu. Nocte nullam habuit accessionem, aut exacerbationem; sed tantùm ardorem in ore, qui eum vigilare, & os frequenter abluere coegit. In labijs siccitas, & adustio apparebat, tamen nulla sitis.

Die 10. aderant oris siccitas, alui fluxus, febris exigua, pulsus languidus, excrementa alui malè olentia, et quoties deijciebat, quendam tetrum odorem in ore percipiebat. Vrinę crudę cum pauciſſimo pure, nocte melius habuit, non rediit accessio; sed leuis tantùm exacerbatio, quater deiecit biliosa, vrinæ copiosæ, crudæ, cum exiguo pure.

Die 11. manè melius habebat, nihil molestum erat, præter ingentem lassitudinem: alui fluxus perseuerat, vrinæ eædem. Post meridiem adhuc melius, & sine lassitudine, ciborum appetentia, & omninò conualuisse videbatur, si vrinæ meliores extitissent; nocte inquietudo leuis, vigiliæ, & febris paulo intensior, aluum semel tantùm deposuit.

Die 12. febricula perseuerat cum exigua lassitudine; circa vesperam febris expers, vsque ad decimam horam, in qua febris exacerbatio rediit, sed leuior, & minus molesta. Aluum non deposuit, vrinæ vt supra.

Die 13. exigua febris perseuerat, melius tamen habuit.

Die 14. purgatus est prædicto medicamento, sed molesta oris siccitate afflictus, frequenter os colluere coactus est: febris lenta perseuerat.

Die 15. cibos solidos comedere cœpit cum appetentia, vrinæ colorationes; sed purulentam continuò subsidentiam habentes; febris lenta perseuerat.

Die 16. manè benè habuit, hæmorrhagia rediit venę sectione parca sedata est ter deiecit tota die iniecto clystere, vrinæ eædem, febris eadem.

Die 17. cibos sumpsit cum appetentia, febris minor, semel tantùm deiecit excrementa solidiora, vrinæ eædem, nocte quieuit, parùm, sine exacerbatione febrili.

Die 18. melius habuit, cibos sumpsit cum maiori appetentia hirudo admota est hæmorrhoidi adhuc tumenti ad reuellendam hæmorrhagiam narium, quę instare videbatur Multum sanguinis effluxit cum humore seroso, & nocte sequenti melius dormiuit.

Die 19. ciborum appetentia & febris exigua pomeridianis horis, vrinæ pallidæ, & tenues, nullam subsidentiam habentes & puris expertes.

Die 20. omnia similia diei præcedenti.

Die 21. discessi, posteà sensim conualuit, & intra paucos dies integræ sanitati restitutus est, vsu potissimum seri lactis.

OBSERVATIO XLIX.

Rheumatica affectio.

VIr nobilis quinquagenarius, bilioso temperamento præditus, cum per longum tempus multos in victu errores commisisset, præsertim in comessationibus, & exercitijs immodicis, ac intempestiuis; iam à duobus annis cruciari cœpit varijs doloribus, nunc brachia, & magnus, nunc pedes, & tibias, aliasque partes affligentibus, ijsque errantibus, nec diu in vna, & eadem parte consistentibus, ita vt hodie manus dextra eras sinistra afficiatur, postea verò dolor manus deserit, & ad pedes deuoluitur. Cessante autem dolore in partibus summa in ijs imbecillitas relinquitur, vt æger per plures dies decumbere cogatur. Nec articulos tantùm huiusmodi dolores affligunt; sed etiam alias partes: interdum enim caput dolore afficitur, aliàs dentes, & maxillæ dolitant, alias humerus, aliàs etiam hypochondria; ita vt nulla fere corporis pars doloribus immunis videatur. In principio morbi longiora erant dolorum interualla, ita vt postquam per 15. aut 20. dies afflictus fuisset; per mensem vnum, aut alterum à doloribus immunis esset. Nunc verò breuiora multò sunt dolorum interualla; & vix per octiduum integra fruitur valetudine. Febricula interdum laborat, præcipuè doloribus accedentibus, & ad summam maciem, totiusque

corporis debilitatem perductus eſt. Multa remedia à præſentibus Medicis vſurpata ſunt, ad contumacem iſtum affectum oppugnandũ, præcipuè vacuantia per interualla vſurpata: phlebotomia ſcilicet,& purgatio: ſed omnia incaſſum, ideo Medicos Monſpelienſes conſulere voluit, à quibus ſequentia præſcripta ſunt.

Ex hiſtoria ſymptomatum, quibus Nobiliſſimus ægrotans iamdiu conflictatus eſt, conijcere licet eum illo morbo laborare, qui Rheumatica affectio nominatur, quod equidem nom n non iuxta vulgarem,et communem ſignificationem vſurpatum volumus,qua omnes ij affectus enunciari ſolent, in quibus à capite in aliquam partem aliquid tranſmittitur, vt de catarrhis vulgariter fertur; Sed propriè, & peculiariter iuxta doctrinam Hippocratis lib.de locis in homine, & Galeni 1.de febrium diff. & 1.de compoſ. med. ſecundum genera,rheumaticum affectum nominamus illum, qui ex totius corporis habituali intemperie ducit originem. Ille autem graphicè depingitur à Galen. 1. febrium cap. 7. his verbis: huiuſmodi quapiam ratione prouenire ſcito rheumaticos nominatos affectus, toto videlicet corpore infirmo, principibus verò illius partibus, paululum licet inſit ſanguinis, grauari tamen ſolitis, eumque ad carnes cutis partes protrudentibus. Hæc Galenus. Vnde legitimam rheumaticæ affectionis rationem in eo ſitam eſſe conſtat, quod corpus vniuerſum ea impotentia adeò habitualiter ſit affectum, vt vbi principem eius partem aliquo ſanguine grauari contigerit, licet non ſit in copia plurimùm excedens; ad carnoſas partes ſub cute, & in ipſam protinùs tranſmittat, & hinc in articulos facilè delabitur. Illam verò principem partem, quæ in hoc affectu maximè læditur, iecur eſſe ſtatuimus; quod alimentum, non ſatis nutritioni conueniens, propter aſcitiam quandam imbecillitatem generans, totum corpus pari imbecillitare, & maxima moleſtia ſolet afficere. Huiuſmodi autem imbecillitas ex intemperie quadam facta ducit originem: quæ vt accuratius inueſtigari queat, in memoriam reuocandum eſt, quatuor modis innatum partium temperamentum alterari poſſe. Primò, defectu innati caloris, & humidi primigenij. Secundo, per intenſionem alicuius qualitatis ex quatuor, in quibus conſiſtere fertur temperamentum. Tertio ex vitioſa & maligna aut venenata qualitate, in partem introducta. Quartò, cum ſpiritus vitalis obtunditur, diſſipatur,diſtrahitur,aut praue corrumpitur. In noſtro autem laborante, ſecunda in primis cauſa accuſanda eſt, aucta nimirum caliditas hepatis, & præternaturalis facta, vnde concoctio ipſius partis deprauatur, ſanguiſque ſeroſus, feruidus & nutritioni ineptus redditur, eaque ratione ad varias partes diſtrahitur, eaſque partim acrimonia ſua vellicat, varioſque dolores efficit; partim inflatus conuertitur, aliaque ſymptomata producit, donec tandem portio illius ſeroſa, & flatuoſa per inſenſibilem tranſpirationem, aut ſudorem, aut vrinam excludatur.

Huius affectus curationem nondum aſſequi potuerunt præſtantiſſimi Medici,duplici de cauſa. Primo quia (vt antea dictum eſt) intemperies, rheumaticam illam affectionem, proprie dictam, & legitimam generans habitualis eſt & facta; atque adeo difficillimè mutabilis. Secundò, quia non videntur, præceptum illud obſeruaſſe, à Galeno propoſitum in huius morbi curatione 1. febrium cap.6. quod ſic habet. *Meritò ergo his curandis ſcopus eſt non euacuatio; ſed totius corporis roboratio.* Quæ quidem ita intelligenda ſunt non, quod nulla omninò competat euacuatio, idem enim Galenus ante huius affectus curatione morditur à miſſione ſanguinis,ac ſi excrementa prauam etiam qualitatem habuerint, vnam adhibet purgationem;ſed quod magis & frequentiùs roborantibus minus verò,& parciùs euacuantibus agendum ſit.

Cùm igitur intemperies calidior ex inſignibus, maximiſq; vitæ erroribus, in hepate potiſſimùm contracta, ſui ipſius totiuſque corporis imbecillitatem pariat; aduerſus eam omni arte colluctandum eſt ijs remedijs, quæ dictam intemperiem oppugnent, ſimulque ſpecifica proprietate hepar roborent,ac reficiant. Et quia temperies illa habitualis eſt, longiſſimo indiget remediorum vſu.

Primò igitur inter omnia remedia,quæ hactenus ars inuenire potuit,ad hepar præcalidum refrigerandum atque roborandum,primas obtinet tinctura corallorum,cuius cochlearia duo æger ſumere poterit ſingulis diebus, manè, duabus horis ante paſtum, illius præparatio talis eſt.

℥. Coralli rubri craſſiuſculè triti ʒ.vj. reponantur in vaſe vitreo rotundo, (quod matracium vulgò nominant,) iſque affundatur ſuccus limonum, vt ſupra materiam quatuor digitis emineat(in penuria ſucci limonum ſubſtitui poterit ſuccus berberis,) vaſe benè clauſo, ponantur in Balneo Mariæ per quatuor,aut quinque dies continuos,& tincturam ſepara à fœcæ, & in alio vaſe ſerua ad vſum dictum.

Guſtui gratior fiet tinctura,ſi cum ſacchari candi pari quãtitate reducatur in ſyrupum ſed multò inefficacior euadet, at meliùs addetur ſaccharum cuilibet doſi, exhibitionis tempore.

Ad hunc eundem vſum valdè commendatur conſerua ex fructu cynorrhodij, ſeu roſæ caninæ confecta: ſcilicet, fructus illos maturos mundando à ſeminibus, deinde coquẽdo in aqua, ac traijciendo per ſetaceum, tandemque recoquendo cum ſaccharo ad opiatę conſiſtentiam. Modus autem faciendi conſimilis eſt ei, quo cydoniatum parari conſueuit.

Huius autem conſeruæ ſumere poterit ſingulis diebus ad nucis magnitudinem manè aut veſperi,& ſub introitu lecti. Vti etiam poterit electuario ſequenti.

℥. Electuarij triaſantali quadruplicato rheo in tabellas redacti ʒ.4. capiat tabellam vnam ponderis ʒ.2. ſuperbibendo parùm aquæ potus ordinarij.

Tinctura etiam roſarum ad vſum prædictum erit vtiliſſima quæ in ſequentem modum componitur.

℥.Roſar.rubr. ſiccatum Vnc.j. aquæ tepidæ ℔.3. ſpiritus ſulphuris aut vitrioli ʒ.ß. Infundantur per horas ſex, colaturæ adde ſacchari albi ℔.ß. capiat cyathum vnum hora commoda.

Hæc quatuor remedia in vſu continuo ita habenda ſunt, vt manè alterutrum ſumatur, horis duabus ante paſtum; veſperi verò alterum, ſub introitu lecti; poſtridie verò alia duo ijſdem horis, ita frequenter remedia immutando,ne natura nimiùm ijſdem aſſueſcat. Quando verò omnia ſimul habere non poterit, duobus aut tribus ordine prædicto vtetur, imò verò circa initium ter in die, ſi lubet dicta remedia vſurpare poterit,ſcilicet manè, veſperi, & horis duabus ante cœnam.

Tinctura roſarum omni etiam hora vſurpari poterit, tempore ſitis extra paſtum, tum etiam ſtatim poſt aliorum remediorum vſum.

Inter roborantia remedia conuenientiſſima eſt ambra cineritia,quæ ſpiritus & calorem natiuum mire reficit. Neque tantopere calefacit, vt vulgò creditur, eſtque veluti balſamum humidi radicalis,eius igitur gr.8. vel 10. ſumere poterit per vices,cum tinctura corallorum, vel iuſculo communi,aut in ouo ſorbili.

Quia verò partium præcipuarum intemperies,& imbecillitas excrementorum prouentum ſolet efficere, ideò blandis purgationibus, vt antea dictum eſt, per vices expurganda ſunt; quod fiet ſyrupo magiſtrali ex ſuccis compoſito, qui magis alterando, & roborando hepar, quam purgando præſtabit.

℥. Succorum recenter expreſſorum, & per reſidentiam depuratorum, ex folijs endiuiæ, cichorij, acetoſæ; fumariæ, lupulorum agrim. & bugloſſi ℔.3. ſucci pomorum redolentium recenter expreſſi ℔.j.ß. ſennæ mundatæ Vnc.6. epithymi ʒ.2. agarici recenter trochiſcati ʒ.j. macis,& garyophyllorum ana ʒ.j. Infundantur, & decoquantur, vt artis eſt, donec colaturæ ſuperſint quart.ʒ. in quibus diſſolue rhab. electi prædictis ſuccis ſeorſim infuſi, cum ſantalo citrino Vnc.j. ß. ſacchari albi quart.v. fiat ſyrupus perfectè coctus,& clarificatus,qui ſeruetur in vaſe vitreo,de quo capiat ʒ.j.ß. vel ʒ.ij.bis, aut ter in menſe,cum iuſculo pulli,folijs endiuiæ,cichorij,& acetoſę alterato.

Intermedijs verò temporibus, quando aluus non erit libera, quæ perpetuò mollis ſeruanda eſt, ſumere poterit eiuſdem ſyrupi vnc.j. cum iuſculo communi,hora vna ante prandium.

Vel diſſoluere poterit eundem ſyrupum in decocto prunorum.

Vel in eodem decocto,loco ſyrupi, diſſolui poterit manna ab ʒ.ß. ad Unc.j. ſumenda itidem hora vna ante prandium.

Vel in dicto decocto prunorum decoqui interdum poterunt ſennæ mundatæ ʒ.ij.

Prædicta remedia frequentari poterunt bis in ſeptimana,ſi aluus non ſit libera.

Præterea ad hepatis feruorem demulcendum, nihil præſtantius eſt balneo aquæ tepidæ, quot per totam æſtatem vſurpandum erit frequentiſſimè ſingulis ferè diebus, per horam ante cœnam, in formam ſemicupij.

His

His addere licet optimam victus rationem ex cibis concoctu facilibus, & optimi succi v. gr. perdicibus, caponibus, pullis gallinaceis, & piponibus, præcipuè verò iusculis, & consummatis iuribus carnium expressis, alijque quæ omnia sumenda sunt in mediocri quantitate, vt facilius concoqui possint.

Pro potu vtatur diluto rhabarbari, per longum tempus in hunc modum composito.

℞. Rhab. puluerat. crassiusculè ʒ.ß. aquæ fontis ℔. 3. bulliant parum, & colentur, ac colatura vtatur pro potu ordinario, cum tantillo vini rubelli.

Interdum etiam, loco illius diluti, vti poterit decocto radicum cichorij cum vino, vt dictum est.

Vitabit maximè motus vehementes, tam animi quam corporis; venerem, & alia, quæ sibi maximè obfuisse non dubitat.

Si quando dolor firmetur in articulis; sequentibus remedijs mulceri, & dissolui poterit.

℞. Pulpæ radicis altheæ ʒ.iv. lactis recentis ʒ.ij. fiat instar linimenti quod inducatur parti dolenti. Vel

℞. Massę emplastri diapalmæ q.s. extendatur super alutam, fiat emplastrum debitæ magnitudinis, applicandum parti dolenti.

OBSERVATIO I.

Tumor lienis.

SOror Dn. Nicolai, Canonici Monspelienſis, 20. annos nata, post febrem tertianam malè curatam, incidit in tumorem lienis insignem, qui totum ferè abdomen continebat, cum febre lenta, innappetentia, vigilijs, alijsque symptomatis.

Præscribo primum venæ sectionem brachij sinistri, premisso clystere. Deinde apozema aperiens cum cremore tartari, ad duodecim dies. Tertio quoque die infundebantur sennę ʒ.ij. addebaturque syrupi de cichoreo compositi vnc. j. Eodem tempore admouebatur lieni fotus emolliens, & aperiens manè, & serò, & linimentum post fotum. Sumebat etiam vespertinis horis, scilicet hora vna ante cœnam, opiatam sequentem.

℞. Conserue florum tamarisci, & radicis enulæ campanæ an. ʒ. j. conserue capillorum ven. Unc. ij. conserue absinthij vulgaris, & corticis citri conditi Unc. ß. confectionis alKerm. ʒ. ß salis absinthij, & tamarisci an. ʒ. 2. pulueris electuarij diarhodon. abbat. ʒ. j. cum syrupo capill. ven. fiat opiata de qua capiat magnitudinem castaneæ, singulis diebus, manę, duabus horis ante pastum, superhausto vini diluti momento.

Hisce remedijs conualuit intra 15. dies.

OBSERVATIO II.

Sanguis coagulatus in ventriculo.

FRater Dn. Dumoys, in curia præsidiali Monspelienſi Consiliarij Regij, quinquagenarius, post exercitia vehementia, in venatione assidua parum sanguinis euomuit, & nonnihil etiam eiusdem per aluum excreuit. Sequentibus diebus ventriculi grauitate premebatur cum cardialgia, vt alimentum frequenter expeteret, illiusque abstinentia per interuallum aliquot se deficere diceret. Vinum etiam frequenter sorbilabat. Quando tractabatur regio ventriculi, dolorem sentiebat, manus sub frigidas habebat, parum sitiebat. Medicus ordinarius eum febre lypiria ex inflammatione ventriculi laborare dicebat. At cum mihi febris nulla pulsum tangenti appareret; ille virium imbecillitatem obstare inquiebat, quo minus febricitare videretur. Illam autem inflammationem colligebat ex sanguine antea excreto, qui eiusdem effusionem in substantiam ventriculi argueret, ex dolore ipsius partis, manuum frigiditate, & cardialgia, indeque audacter pronunciabat, cum certò, & breui moriturum. Ego verò omnia illa symptomata ex sanguine in ventriculo concreto, & corrupto prouenire censebam; qui quidem sanguis corruptus, vt docet Galenus, veneni naturam induit, & inde lypothymiæ, aut cardialgiæ, extremorum perfrigerationes, aliasque symptomata emergunt. Neque enim fieri posse putabam, vt ventriculi inflammatio febrem intensam, ac sitim non accerseret. Deinde admotione tegulæ calefactæ, & pannorum calidorum supra ventriculum æger delectabatur, nec non meri assumptione frequenti, & iusculis valdè calidis; quæ omnia non tulisset ventriculus inflammatus. Iniecto clystere thrombulos quosdam sanguinis cum eo excreuit, sanguis detractus fuit valdè pituitosus. Ab emulsione vespere exhibita, ex præscripto Medici ordinarij, grauiter affectos est tota nocte. Remedijs autem sanguinem coagulatum dissoluentibus & expurgantibus noluit acquiescere dictus Medicus; ideò ego, qui per occasionem ægrũ semel tantùm videram integram illi curam reliqui. Sed postera die, nullo alio remedio vsurpato, per aluum deposui materiam fœtidissimam & nigricantem, sicque liberatus est ab omnibus prædictis symptomatibus: quod manifestè indicauit, affectus huius causam non aliam extitisse, quàm sanguinem concretum in ventriculo, vt nos existimauimus.

OBSERVATIO III.

Partis atrophia, & sensus imminutio.

ORnatissimi viri D. Paschali, Consiliarij Regij, & in computorum camera Gratianopolitana Magistri vxor dilectissima, annos nata 22. temperamento prædita calido, & sicco, (prout ex actionum promptitudine ingenij acrimonia, iracundia, venarum latitudine, habitu macilento, alijsque signis facilè videre est:) à septem annis laborare cœpit imminutione sensus tactus in manu sinistra, cum partis eiusdem macie, et extenuatione, quę primum in pollice apparuit, cuius musculi, veneris montem constituentes, primùm absumpti sunt, moxque eiusdem particulæ sensus imminutus; & consequenter alij digiti eodem affectu tentati; donec tandem integra ferè sensus abolitio subsequuta fuerit, nunc etenim acum in pollicẽ immissam vix dolorificè percepit. Ad hæc vesiculę interdum in extremitatibus digitorum exoriuntur, vlcusculis similimæ, aliaque nonnulla in illius habitu apparent, quę suo loco proponentur.

Casus iste difficillimus est, rarissimus, & intricatissimus; licet de eo præstantissimi Medici, qui illius curam susceperunt, parum dubitauerint, illam sensus tactus læsionem, ad incipientem paralysin referentes. Quæ quidem sententia, licet rationibus non leuibus confirmari valeat; aliud tamen de huius morbi natura iudicium proferre, & validissimis rationum momentis sustinere facilè est. Esse nimirum nudam partis atrophiam, quam ratione siccitatis sensus tactus læsio consequuta sit, citra vllam neruorum obstructionem. Nos vtriusque partis rationes proferemus, vt sanioremeligere cuiusuis arbitrio sit. Ac tandem demonstrabimus, quod erit egregium, & singulare eadem curandi methodo, eiisdemque remedijs hunc affectum, siue ab hac, siue ab illa causa dependeat, esse profligandum.

Primò igitur, hanc sensus tactus læsionem, speciem esse paralysis, inde constare videtur: quod ab alia causa non possit in aliqua parte sensus ille imminui, vel aboleri, quàm ab obstructione neruorum, spiritus animales, simulque facultatem sensificam, & motricem ad partes deferentium. Deinde, quod nobilis hæc mulier tumorem aliàs passa sit in parte dextra ceruicis, & interdum auris dextræ tinnitum, nec non dolorem quendam circa ceruicem percipit, quæ indicia sunt fluxionis, à capite irruentis.

Contra verò hunc affectum non ad paralysin, sed ad quandam potiùs, atrophiæ speciem referendum esse sequentes rationes possunt euincere.

Primò, in paralysi non solùm sensum, sed etiam motus læditur: præsertim, quando antiqua est, & confirmata, quemadmodum ista, quæ per septenium affligit, licet enim interdum lædi possit motus illæso sensu: & contra interdum sensus lædatus, illæso motu; hæc tamen adhibenda est differentia, quæ disertè docetur a Galen. 1. de loc. affect. cap. 6. quod nimirum in parte motus capaci non possit lædi sensus illæso motu; cùm tamen motus lædi possit, illæso sensu. Sensus enim in patiendo magis: motus verò in agendo consistit. Et cùm idem spiritus animalis per eundem neruum deferat sensum, & motum; si minori copia affluat, quam quæ motui possit sufficere: illa tamen sensui sufficiet: at si tanta nerui fuerit obstructio, vt sensus lædatur; multo maior læsio motui continget. Quomodo igitur fieri poterit vt interdum sensus lædatur, illæso motu; hac tantùm ratione (docente Gal. loc. cit.) quod nimirum, si soli nerui, qui ad cutem feruntur, afficiantur, illæsis, ijs, qui ad musculos desinunt: sensus tantum peribit, illæso motu, quemadmodum contingit Pausaniæ Sy-

rio sophistæ cuius historiam refert Galen. 3. de loc. cap. 12. tum etiam loco supra citato, qui Romam proficiscens è vehiculo decidit, & ictu accepto circa septimam vertebram, vnde neruulus ad cutem duorũ minimorum digitorum defertur, in ijs duobus digitis sensus perijt, illæso motu: quia nerui, qui ad musculos earum partium ferebantur, non erant affecti. Iam verò in casu proposito res non potest ita se habere; quandoquidem si affectus oritur ab obstructione neruorum, concedendum est neruos, qui feruntur ad musculos, esse grauiter affectos, siquidem nunquam contingit macies, & consumptio in parte paralytica, quin prius illa spiritus animalis influxu prorsùs destituta sit, siquidem facultas naturalis, feriante facultate animali, in consensum trahitur, & malè nutriens partem, atrophiam inducit. Sed cum ex integritate motus neruorum integritas pateat; coniiciendum est, illam atrophiam non sequi paralysin; sed potiùs sensus illam læsionem ab atrophia, & exsiccatione partium pendere. Neque enim verùm est, vt nuper asserebatur, omnem sensus imminutionem, & abolitionem esse speciem paralysis: siquidem in elephantiasi sensus imminuitur, & aboletur à siccitate, in partes introducta ab humore atrabilario.

Secundo, ex dictis etiam aliud argumentum colligere fas est siquidem macies, & atrophia non contingunt partibus paralyticis; nisi paralysis confirmata. At ista à suis Authoribus dicitur tantùm incipiens, cum sensus tantùm lædatur illæso motu. Vnde sequitur necessario atrophiam istam à paralysi minimè dependere.

Tertiò, cùm dicatur paralysis incipiens; mirum est, principium morbi per septennium durasse, neque vlterius progressum; & fluxionem quæ neruum tantùm vnum, aut alterum, ad digitorum cutem excurrentem obsessit, neruos tandẽ maiores prædictis contiguos, & motum efficientes, non inuasisse. Ita vt inde motus, & sensus læsio contigerit, & integra absolutaque paralysis prodierit.

Quartò, ante sensus imminutionem primum apparere cæpit macies, & consumptio musculorum pollicis, quam deinde subsequuta est sensus imminutio. Ergo atrophia partis ab alia causa dependet, quàm à paralysi, & sensus imminuti causa esse videtur.

Quinto, vesiculæ vstionibus simillimę, digitorum extrema non raro affligentes, humorem arguunt in partes affectas delabi longè diuersum ab eo qui solet efficere paralysin. Qui quidem humor non solum digitis ab hepate suggeritur; sed etiam vniuersæ mediętati corporis sibi viciniori. Nam & digiti pedis dextri ijsdem vesiculis afficiuntur, & tibia dextra herpetibus, & brachium dextrum riuulis quibusdam insignitur, à venis ordinarijs distinctis, sub cute recto tramite decurrentibus, & colorem rubrum, saturatum, ac ferè liuescentem referentibus: vt facilè appareat, sanguinem atrabilarium ad partes affectas defluere, qui nutritionem vitians, maciem, & siccitatem induxerit; à qua siccitate sensus tactus imminutus est, siquidem à sapientibus artis medicæ proscribus litteris proditum est, motum iuuari à siccitate, sensum verò ab humiditate. Atquè adeò dum pars redditur, humidior, ineptam fieri ad motum: dum verò siccior euadit, ineptam fieri ad sensum. Similes etiam riuuli in tibia dextra a grotantis apparent, varicum instar, qui hepatis vitium euidentiùs comprobant.

Denique huiusce affectus naturam magis, ac magis indicãt iuuantia & lædentia. Sicut enim nunquam hactenus remedij conuenientibus vsa est; sic vsu thermarum, aliarumque rerum calidarum tum medicamentorum potenter resoluentium, parti admotorum, multò peius habuit.

Quamvis autem hæc posterior sententia veritati propior esse videatur; si quis tamen priori fauere voluerit, vltima ratione persuasus, in illius gratiam adductæ; quæ certè minimè contemnenda est, saltem hoc æstimare possit, quendam fortè humoris defluxum spinalis medullæ particulam aliquã afficere, vnde sensus imminutio oriatur. At verò maciem, & atrophiam partis huic causæ acceptam referre, impossibile est: quemadmodum id rationes allatæ euidenter conuincunt. Et saltem iuxta illam sententiam asserendam esset, maciem & sensus imminutionem esse complicatos affectus, à diuersis causis orundos. Quibus ita suppositis, in quamcumque partem animum conuertere lubeat, eadem perpetuò erit curandi ratio, quemadmodum ab initio fuimus pollicit.

Illam igitur curationem ex legitimis indicationibus deducentes, omni opera elaborandum est, vt calidior, & siccior hepatis intemperies, omnium malorum soboles, emendetur; partis consumptio, & atrophia reparetur, & renutriatur: à qua si læsio sensus pendeat; simul illa curabitur, sublata causa, nimirum siccitate. Si verò hæc sensus læsio à neruorum læsione oriri existimetur; & fluxione à cerebro in spinam ruente: non tamen ideirco calefacientia remedia exhibenda sunt, quæ causam fluxionis primariam, scilicet hepatis intemperiem augerent. Neque refrigerantibus calida permiscenda, mixtis indicationibus, siquidem illis intemperies hepatis nunquam corrigetur, præsertim cum in formulis remediorum, iuxta hanc indicationem antea præscriptis, calida medicamenta frigidis longè præualeant. Neque externa remedia resoluentia parti affectæ admouenda sunt, quia illam magis, ac magis absument, & exsiccabunt, & affectus curationi nullo modo inseruient. Obstructio enim neruorũ, si quæ est, non in manibus est, sed iuxta vertebras in neruorum origine. Sic Galenus imitandus veniet, qui in Pausania Syro, antea nominato, remedia ab alijs Medicis admota duobus digitis sensu carentibus ibique nihil conferentibus vertebris colli applicuit, felici successu.

Imò verò paralyses, quæ in corporibus calidioribus, siccioribusque contingunt, solis refrigerantibus & humectantibus remedijs curari possunt; quemadmodum docet Trallianus lib. 1. c. 16. his verbis. Causam resolutionis effectricem magna ex parte internoscere licet ex crasso, viscoso, & frigido humore constitui. Sciendum etiam est, vitium hoc ex qualitate calida, aut sicca proficisci, vbi calida intemperies sanguinem, & humores nimium torrefecerit. Et paulò post, si namque qualitas sola fuerit calida, & sicca, tum extenuantia, calefacientiaque (omnia enim huiusmodi natiuum humorem consumunt) magis adhuc astant materiam, crassioremque reddunt. Ac tandem curationem subnectit ex victu, & remedijs purè refrigerantibus, & humectantibus; quam quidem ab experientia desumptam esse assueuerat, inquiens. Noui sanè ego quendam, resolutionem ex mœrore multa sollicitudine, & inedia expertum: deinde sumpta hiera, adeò laesum, vt totus ipse immobilis fieret, & propemodum interiret, nisi in cõtrarium mutatus fuisset, & humectantibus omnibus tum potionibus, tum cibis, & alijs, quæ temperatum ipsum reddidissent, vsus fuisset, maximè verò balneis complurib us, vnctionibus ex hydrælæo, mutatione aeris temperati, & omni hilaritate. Huic non valdè absimilem historiam videre est apud Foreſtum obser. 97. lib. 10. cuiusdam adolescentis, qui è cruribus ad pedes sensu, & motu destitutus erat, cum earumdem partium extenuatione, & atrophia. Cumque calefacientium, & exsiccantium medicamentorum vsu ab alijs Medicis præscriptorum, in peius continuò iueret tandem solis humectantibus assumptis, & admotis, à Foresto restitutus est.

Primò igitur victus ratio instituenda est refrigerans, & humectans. Cibi sint boni succi & concoctu faciles, & ex iunioribus, præsertim animalibus. In iusculis vtatur herbis refrigerantibus, borragine, acetosa, endiuia, & portulaca. Vitentur omnia frixa, salsa, & piperata; legumina, caseus antiquus, alijque cibi crassiores, & calidiores: vinum bibat valdè dilutum, oligophorum.

Vitentur in primis animi pathemata, præsertim tristitia & iracundia: somnus sit longissimus, quia nihil magis humectat; quam somnus. Aluus sit semper libera, natura, vel arte.

Quam primùm erit à grauiditate libera, transacto vno à partu mense, sequentium remediorum vsu aggrediatur.

℞. Rad. buglossi, graminis, & asparagi ana ℥. ß. fol. endiuiæ, cichorij, acetos. buglossi ana M. ß. coquantur cum pullo gallinaceo, & fiat iusculum, quod capiat mane per duodecim dies.

In tertio quoque iusculo infunde per noctem sennæ mundat. ℥. ß. sem. anisi ℥. j.

Post primum iusculum purgans, aperiatur vena basilica cubiti dextri: mittantur sanguinis ℥. vij.

Finitis iusculis ingrediatur balneum sequens.

℞. Amygdal. dulc. contusar. & farinæ hordei ana ℔ ß. decoquantur pro balneo, in sacculo inclusa, quod ingrediatur tepidè manè, & longè à pastu, singulis diebus decoctum renouando.

℞. Vnguenti rosacei, & cerati santalini an. ℥. j. succi cichorij & olei rosac. an. ℥. ß. trochiscor. de caphura ℈. j. ceræ albæ parum. Fiat vnguentum, quo inungatur regio hepatis ab exitu balnei, post detersum madorem, hoc continuando, singulis diebus, in introitu lecti, per longum tempus.

℞. Seri

℞. Seri lactis caprilli per lactis ebullitionem extracti, & probe clarificati ℥. vj. succi cichorij, & pomorum redolentium ana ℥. j. capiat manè duabus horis ante prandium per 15. dies.

Si tempus fuerit frigidius, quò minus fero lactis vti possit illius loco decoctum chinæ substitui poterit in sequentem modum.

℞. Rad. chinæ in talleolas incisæ Unc. j. aquæ fontis ℔. vj. succi limonum ℥. 3. macerentur per 24. horas, deinde coquantur in vase terreo vitreato benè clauso, ad tertiæ partis consumptionem, colentur per manicam Hippocr. capiat ℥. vj. vel viij. singulis diebus manè.

℞. Succorum recenter expressorum & per residentiam depuratorum ex folijs borrag. bugloss. fumariæ, cichor. & acetos. ℔. iij. succi pomorum redolent. recenter expressi, & depurati ℔. ij. ß. quibus infunde sennæ mundat. ℥. viij. polypod. querc. recentis, & epithymi ana ℥. ij. agarici recenter trochiscati ℥. j. macis, & garyophill. ana ℥. j. Postea coquantur ad ℔. j. ß. in colatura dissolue rhab. electi, in prædictorum succorum portione seorsim infusi ℥. j. sacchari ℔. j. ß. coquantur in syrupum, de quo capiat ℥. ij. cum iusculo pulli, folijs borrag. bugloss. fumariæ & acetos. alterato.

Diebus intermedijs capiat singulis diebus manè, duabus horis ante pastum ℥. j. opiatæ, confectæ ex fructu cinnorrhodij, seu rosæ caninæ, probæ maturo, & conuenienter cocto, & per setaceum traiecto, ac deinde recocto cum saccharo s. q. quemadmodum cydoniatum parari consueuit.

Vtatur etiam interdum tabellis triasantali duplicato rheo; cuius capiat ℥. ij. manè, loco opiatæ prædictæ superbibendo aquæ cichorij parum.

Si propter temporis iniurias hoc autumno omnia prædicta remedia ad amussim exequi non valeat. Vere proximo illa erunt de integro repetenda, tum etiam balneum frequenter iterandum, & serum lactis diu vsurpandum: in hisce enim remedijs præcipua curandi ratio versatur.

Denique ad hunc affectum expugnandum vtilissimæ, ac longè præstantissimæ sunt aquæ Meynenses, quas adire poterit circa initium mensis Iulij, ijsque vtetur per mensem integrum.

Interea ab ipso curationis initio topica remedia vsurpanda sunt, brachio, & manui affectæ frequenter admouenda.

℞. Olei amygd. dulc. recenter extracti sine igne ℥. ij. olei chamœm. ℥. j. misce, inungatur pars calidè, & manè, & serò, mox linteis calidiusculis eandem obuoluendo.

Postquam admotum fuerit oleum prædictum per 15. dies vsurpetur sequens per idem tempus.

℞. Olei catellorum, & lumbricorum ana ℥. ij. olei amygdal. dulc. ℥. iij. misce, vtatur vt dictum est. Posteà per totidem dies vtatur sequenti linimentum.

℞. Olei violar. & oliuar. ana ℥. j. ß. picis nauallis ℥. ij. olei amygdal. dulc. ℥. j. Fiat linimento.

Tandem, si affectus prædictis remedijs pertinaciter obsistat; ad sequens decocti vsum erit transeundum.

℞. Rad. bryoniæ, liliorum, & altheæ ana ℥. iij. coquantur in iusculo capitis, pedum, & intestinorum vituli, aut veruecis: & in hoc decoctum demergatur manus, & portio brachij, calidè, manè, & serò, per duas horas, idque post vsum balnei per 15. dies

Vt etiam suspicioni prouideatur materiæ, neruorum principio impactæ; vsurpari poterunt vnguenta, & linimenta potenter resoluentia, à præstantissimis Medicis præscripta, iis inungendo calidè spinam dorsi per aliquot dierum spatium. Actum Monspelij die 14. mensis Augusti anni 1631.

OBSERVATIO LIII.

Aborsus præcautio.

QVædam mulier, vxor Ioannis Vicules, ciuis Monspelienſis, tres aborsus consequentes passa erat, varijs gestationis temporibus. Iam verò à duobus mensibus grauida patiebatur dolores circa vmbilicum, & lumbos, qui aborsum minabantur. Alius medicus duo emplastra præscripserat, lumbis, & vmbilico admouenda, ex massa empl. pro fracturis, & disloc. vnde meliùs habuit ad aliquot dies, postea verò ijdem dolores reuersi. Vocatus ego, aduertens mulierem iuuenem, & sanguineam, & venam sacari iubeo, vnde intra paucas horas à doloribus, & metu aborsus omninò liberata est. Sanguis erat valdè serosus. Tamen ad præcautionem prescribo rhab. pulu. ℥. j. cum iusculo, iterandam semel in septimana per mensem; vnguentum adstringens lumbis, & ventri admouendum pridie purgationis; & opiatam adstringentem postridie rhabarbari, quibus tamen non vsa est. Symptomata illa accesserant eo prorsus tempore, quo menstruas purgationes pati consueuerat extra grauiditatem. Tertio deinde grauiditatis mense eadem symptomata redierunt, & venæ sectione statim liberata est. Quarto itidem, quinto, sexto, septimo, & octauo ijsdem symptomatibus periodicè recurrentibus, iterata est venæ sectio statim liberabatur. vltima venæ sectio celebrata fuit octo diebus ante principium noni mensis, cum eodem fructu, die scilicet 15. Ianuarij anni 1632 & in fine noni mensis peperit filium bene habitum, atque vitalem, sed pallidiusculum.

OBSERVATIO LIV.

Febris hæmitritæa, capitis dolor.

DIe 12. mensis Octobris anni 1631. vocatus sum ad Dominam de Lesignam, Picenis decumbentem ex febre continua, cum intermittente copulata, cui iunctus erat occipitis dolor grauans, cum tendinum ceruicis dolore, & fluxione, in dextrum oculum decumbente. Statim inde conieci, dolorem capitis esse Idiopathicum, eumque acceperat, ab aeris nocturni iniuria, cui se exposuerat. Febris erat satis lenta, & pituitosa, sine siti. Inueni eam 14. morbi die: antea verò ipsi semel vena fuerat aperta & bis purgans medicamẽtum exhibitũ. Sudor copiosus apparuerat dicto die decimoquarto, omnia sine fructu: febris eadem, quæ circa vesperam exacerbabatur, cum extremorum perfrigeratione, vnde paroxysmi notabantur. Decimoquinto, & decimosexto, iterata est phlebotomia: postea medicamentum fuit exhibitum; & post aliquot dies iteratum, ex infusione sennæ cum sale tartari: iuscula aperientia exhibita, quoniam iulepos. & alia remedia interna renuebat. Fotus, & inunctiones factæ in hypochondrijs, quæ tensa apparebant. Ratione doloris capitis admotum est vesicatorium, & emplastrum commissuræ. Hæc continuata sunt vsque ad vigesimum sextum morbi diem perseuerante febre, vrinæ aliquando coctæ, cum eneoremate laudabili; sæpiùs crudæ, cum eneoremate valdè diuulso, & non rarò ex tribus vrinis, quæ noctu seruabantur, prima, & tertia crudæ erant, media laudabilis; quæ morbi longitudinem minabantur. Post tempus prædictum, cum alia remedia requireret, exhibeo per triduum salis tartari drach. ß. spiritus vitrioli guttas xv. in decocto absinthij, vnde optimè habuit, febrisque superata est: vrinæ tamen tenues permanebant, cum eneoremate diuulso. Iterum purgata est, & omnino conualuit.

OBSERVATIO LV.

Tussis, & catarrhus infantis.

FIlius Dn. de Boirarques, in camera computorum Monspelienſi correctoris, vndecimestris, tentabatur catarrho, cum tussi assidua, & febre, pituitam frequenter euomebat, multum lac fugebat, & parum mingebat. Post multa remedia, cum perexiguo fructu vsurpata, iussi, vt inungeretur regio renum, oleo scorpionum Matthioli, ter in die, vnde vrinæ copiosiores redditæ, & catarrhus imminutus. Dicit enim Mercatus lib. de morbi puerorum cap. 8. in pueris contingere catarrhum aliquando ex vitio, & imbecillitate reum non trahentium serosum humorem: vnde fit, vt ille sursum translatus, fiat materia catarrhi. Si symptoma illud perseueraſſet, vsurpata essent remedia, ab eodem Mercato proposita cap. 13. de suppressa vrina in pueris, vt clysteres, iuscula aperientia, &c.

OBSERVATIO LVI.

Pleuritis.

QVidam sutor iuuenis, & biliosus, pleuritide laborans, post multas phlebotomias, aliaque remedia ordinaria die quinta perseuerante febre intensa, & lateris dolore, sumpsit pomum coctum cum thuris ℥. j. superbibendo aquæ cardui bened. ℥. iv. & postea tectus est. Sudauit parum sine febris imminutione, sequenti die multum sudauit, bis, aut ter, & inde conualuit.

OB-

OBSERVATIO LVII.

Febris continua in puellula.

ANno 1632. mense Ianuario, filia Dn. Darenes Causidici, annos septem nata, laborabat febre continua, non admodum vehementi; sed quæ per interualla, scilicet circa vesperam exacerbabatur. Incœpit febris cum vomitu pituitoso, quem deinde sequutus est alui fluxus etiam pituitosus, per vnum tantum diem persseuerans, scilicet secundo die morbi. Vrina erat pallida, & turbata, anhelitus acidus, & graueolens. Præscribo potionem ex infuso ℥. j. rhei, syrupi rosacei ℥. j. Antequam exhiberetur medicamentum, alius Medicus superueniens, volebat illud omittere, & phlebotomiam potionem esse contendebat; tamen exhibitum est medicamentum, quod paulò post euomuit cum pituita crassa, & valde putrida. Deinde præscribo clysterem ex catholic. dupl. ℥. ß. circa vesperam injciendum, quo & reliquijs medicamẽti simul operantibus quinquies deiecit tota nocte materiam pituitosam, & bilosam, & valde fœtentẽ. Mane febris perexigua, & meridie febris expers, ac sanitati restituta est.

Ex hac obseruatione colligere est, quantum oberrent illi Medici, qui in omni febre continua indiscriminatim à venæ sectione inchoandam esse curationem æstimant. Cum sæpè in pueris dictæ febres à putridis humoribus, in prima regione stagnantibus, oriuntur: qui purgatione facilè educantur. In hac autem puellula vomitus pituitosus, & alui fluxus talem humorum redundantiam indicabant.

OBSERVATIO LVIII.

Colicus dolor.

VXor Dn. Audifreti, ciuis Mospelienſis; laborabat colico dolore grauissimo die 22. Ianuarij anni 1632. Iniectus fuerat clyster carminans, & purgans frustra: vocatus ego præscribo alium clysterem, ex decocto emollientium, & carminantium, facto in æquis partibus aquæ, & vini albi, dissoluendo cathol. dupl. ℥. j. mellis rosacei ℥. ij. acquæ benedictæ turbidæ ℥. iv. statim iniecto clystere dolor quieuit, per tres horas dormiuit, postea mediocriter purgata est, & dolor non redijt.

OBSERVATIO LIX.

Colicus dolor.

DIe octaua mensis Martij anni 1632. Domina de Uaranda sexagenaria, grauissimis doloribus vexabatur circa regionem lumborum, hepatis, ventriculi, & intestinorum: duo iniecti fuerant clysteres, quibus valdè purgata fuerat, & cucurbitula magna admota, & ante, & retrò. Dolores perpetuò intensi. Vocatus ego exhibeo pulueris intestini lupi ℥. j. cum vini Vnc. ℥. statim cessauit dolor. Et postea exhibitum est purgans medicamentum, ad reliquias materiæ morbificæ expellendas.

OBSERVATIO LX.

Asthma, peripneumonia, cordis palpitatio.

DIe 8. Aprilis anni 1632. vidua Dn. de Scielory, ciuis Monspelienſis, cum paucis induta vestibus è lecto in fenestram transiliret circa mediam noctem, illicò correpta est magna respirandi difficultate, asthmatis paroxysmum æmulante, cum tussi sputo cruento, febre, & faciei rubedine. Vocatus ego venam cubiti dextri aperiri iubeo, & detractis sanguinis Vnc. 8. statim spirandi difficultas quieuit. Posteà clyster laxans iniectus est, & iulepus exhibitus ex aqua papau. rhead. syrup. violac. sale prunell. & confect. de hyacintho.

Die 9 hora decima ante meridiem eam iterum inuiso, & inuenio febrientem, tussi laborantem, & sanguinea sputa excernentem; tum pondus graue sentiebat in medio pectoris cum ardore interno, & puncturis in variis thoracis locis. Impero phlebotomiam ex brachio sinistro, clysteris ac iulepi iterationem, inunctionem pectoris ex oleo violaceo, syrupi violacei vsum frequentem. A venæ sectione statim lenata, & sensus ille ponderis, & ardoris in thorace, valde imminutus. Hora quinta vespertina eiusdem diei, cum existimarem à partibus inferioribus vapores, & humores in thoracem transferri, quod Orthopnæa illa satis indicabat, præscribo missionem sanguinis ex saphena, ex qua etiam melius habuit. Neue sequenti iteratus est iulepus prædictus, parum dormuit.

Die 10. manè melius habuit: febris, & reliqua symptomata valde remissa: Circa horam tertiam vespertinam leuem refrigerationem extremorum passa est, cum sudore leuissimo in pedibus, & volis manuum: inde febris aucta, pulsus valdè oppressus, & grauitatis sensus in thorace plurimum auctus. Uocatus est in consilium Dn. Ranchius, Cancellarius, qui censuit hunc affectum esse pleuritidem anteriorem ex inflammatione mediastini. Et ex communi consensu missus est sanguis ad ℥. vij. ex brachio dextro, vnde etiam melius habuit. Reliqua remedia continuata, tum etiam frictiones, ligaturæ, & cucurbitulæ in partibus inferioribus frequenter celebrabantur.

Die 11. quæ erat tertia morbi, commotus ijs, quæ obseruaueram in alio morbo eiusdem ægrotantis, qui fluxu alui tenesmode, & catarrho in pectus vicissim efflagebatur, ita vt quoties aluus restitabat, catarrhus grauiter affligeret; & fluxu alui redeunte, statim catarrhus cessaret; facta palindrome ad intestina humoris in pectus defluenti, censui purgationem ipsi fore vtilissimam, quam in hunc modum compono.

℞. Fol. blugoſſi & lactucæ, ana M. j. tamarind. ℥. ß. liquiritię ℥. iij. flor. viol. P. j coquantur ad ℥. iv. in colatura dissolue rhab. in aqua blugoſſi cum santalo citrino infusi ℥. j. mannæ, & syrupi rosacei ana ℥. j. fiat potio, quam sumpsit manè, & multa pituitosa, & serosa, acria, fœtidaque excredit. Nihilominus exacerbatio circa vesperam redijt, vt die præcedenti: attamen pulsus non erat oppressus vt antea, & grauitas pectoris minor. Sed dolorem percipiebat circa clauiculam dextram, qui etiam tactu exasperabatur, nox ferè insomnis, emulsionibus frequenter vtebatur.

Die 4. morbi, & mensis 12. cum manè febris, & dolor ad clauiculam perseuerarent, iterum vocatus est in consilium Dn. Ranchinus, præter dicta symptomata autem maximam palpitationem cordis patiebatur, quæ etiam palpitatio apparuerat in hypochondrio dextro, tum etiam in latere dextro sed exiguo tempore. At in regione cordis permanebat, & instar mallei violenter percutiebat. Iterum aperta est vena brachij dextri, præscripta inunctio partis dolentis, & remedia ad inferiora reuellentia. Circa vesperam redijt exacerbatio cum palpitatione perseuerante. Post aliquot horas parum sudauit toto corpore, vnde aliquantulum leuata est. At palpitatio, & febris eadem. Cum suspicio esset, vapores ferri ab vtero; præscripta sunt clyster hystericus, frictiones, ligaturæ, & cucurbitulæ partibus inferioribus; Emplastrum hystericum vmbilico, & iulepis ad sudorem iuuandum, ex aquis scabiosæ, & cardui bened. cum lapid. bezoar. & aquæ nephæ, Vnc. ß. ratione vteri. Nocte aluus ter copiosè deiecit fœtida, & corrupta. Post mediam noctem placidè dormiuit vsque ad matutinum.

Die 5. morbi mane eam inuenio cum exigua febre, sine vlla pectoris oppressione, aut dolor, & cũ exigua cordis palpitatione. Circa vesperam parum sudauit, & paulò melius habuit. Post reiectum clysterem cordis palpitatio aucta est, febrisque intensior euasit. Nocte mediocriter habuit.

Die 6. omnia eadem, vesperi admotæ cucurbitulæ scarificatæ cum fructu.

Die 7. menstrua copiosè fluere cœperunt, vnde omnia symptomata fuere valdè remissa.

Die 8. melius habuit.

Die 9. leuis fluxus tenesmodes, quo pituitosa pauca ejiciebat: & ante illum fluxum, per vomitum reiecit amara multa.

Præparabantur humores aperientibus temperatis.

Die 10. quæ erat 18. mensis, alui fluxus minor vespere omnino substitit, febris nulla. Inde omninò conualuit.

Die 29. eiusdem mensis Aprilis, cum optimè se habere videretur, & negotia domestica ageret, sedens in sellula, subitò in terram concidit exanimis, & verè mortua.

Aperto cadauere, inuẽtum est mediastinum plenum sero sanguineo, quod forte rupta membrana versus partem superiorem pulmonis, eumque atque asperam arteriam comprimens, subitò eam suffocauerat. Præterea inuenta est pulmonis vniuersa substantia referta materia purulenta; & grauitate insigni prædita: tum etiam testiculus sinister exigui oui ma-

magnitudinem æquabat, colore nigricante, eoque aperto, substantia illius spongiosæ, nigra & valuti gangræna affecta visa est. Imò verò, statim ab apertione, excidit è testiculi medio materia quædam nuclei instar, & grumo sanguinis putrefacto simillima. Inde oriri coniecimus affectus hystericos, quibus erat valdè obnoxia: Imò verò forsan cordis palpitatio inde oriebatur à tetris nempe vaporibus ab ea parte eleuatis.

OBSERVATIO LXI.

Ex aborsu symptomata.

CLarissima vxor Dn. Desgradies die 28. mensis Martij anni 1632. aborsum passa est, quo secundinas primum cũ multo sanguine excreuit, vnde summa virium imbecillitas ad extremum periculum eam deduxit. Sedato sanguinis profluuio, die sequenti fœtum excluſit. Erat autem quatuor mensium, posteà conualescere visa est, & mediocriter purgabatur. Attamen fœtor insignis, & cadaueroſus apparebat in ijs, quæ purgabantur. Die septima, febre intensa correpta est, & placentam illam carneam, que iecur vterinum nominatur, excreuit admodum fœtentem, sanguine atro plenam; vnde postea sensim conualuit.

Idem contigit Dominæ de Laroche, quæ die 15. Aprilis eiusdem anni, cum grauida esset à quatuor mensibus, abortum passa est, & fœtum cum membranis excluſit, vnde omninò liberata credebatur. Attamen febre intensa post modùm laborabat, cum horrore frequenti, & animi defectibus. Tum purgamenta fœtidissima cum thrombis, & carunculis excernebat. Die septima placentam illam integram excreuit, eamque fœtidissimam: vnde meliùs habere cœpit, ac sensim conualuit.

Hæ duæ historiæ docent, purgamenta vteri, fœtorem cadaueroſum referentia, vt plurimum significare aliquam secundinarum portionem in vtero restitisse.

OBSERVATIO LXII.

Scabies.

QVidam adolescens, famulus D. Grasseti Iudicis regij, fœda scabie torquebatur cum furunculis frequenter emergentibus, à quibus affectibus liberari nequiuerat venæ sectionibus, & purgationibus multis, intrà sex menses per interualla vsurpatis. Tandem ei exhibetur Mercurij dulcis ℈.j. cum diagryd. ℈.ß. quibus optimè purgatus est, & à fœda illa scabie intra paucos dies liberatus.

OBSERVATIO LXIII.

Ventris dolor.

VXor Dn. de le Fauerie; postquam icterum aliquandiu passa esset, à quo imperfectè curata fuerat, incidit in febrem tertianam diuturnam, eaque soluta, febris lenta permanebat cum exacerbationibus tertianis, & hepatis duritie. His succeſſit dolor atrociſſimus, primo insultu regionem hepatis infestans, posteà verò totum venerem occupans, præcipuè verò vteri regionem, cum purgationes menstruas valdè imminutas pateretur. Iniecti fuerunt clysteres, fomenta, & linimenta admota, quibus dolor valdè imminuebatur, ac præcipuè exhibito puluere, ex sulphuris ℥. ß. cum nucis moschatæ ℥. j. confecto, ab alio Medico seniori, me absente præscripto, quem secreti instar celabat. At neque sublatus omninò dolor, & breui iterum rediit, non minori vehementia, vt iam in vitæ periculo constituta ægrotans videretur: Prædictis remedijs frustra iteratis, sequentes pilulæ à me præscriptæ die 26. Iulij anni 1632.

℞. Aloes succor. ℈. ij. Laudani opiat. gran. iv. diagryd. gran. vj. formentur pilulæ vj. quas postquam deglutiuit ægra noctis initio: per horam dormiuit, & experrecta, se à dolore omninò liberam professa est. Nocte mediocriter dormiuit, multum sudauit, manè optimè habuit, doloris, & febris expers, Nullo modo purgata est sed matutinis horis clyster iniectus, à quo multa deiecit excrementa, eoque singulis diebus per triduum iterato, dolor non amplius rediit.

OBSERVATIO LXVI.

Fluxu hepaticus, dysenteria.

QVidam pistor dysenteriam passus per duos menses, incidit tandem in fluxum hepaticum, quo multum sanguinis diluti emittebat, sine alijs humoribus, cum febre, & virium deiectione summa, vnde breui morituram æstimantes proximi, Theologum & Tabellionem vocant. Vocatus etiam ego Laudani gr. 4. exhibeo circa vesperã, & intra horam fluxus cohibitus est nec nocte deiecit vsque ad meridiem sequentem, in quo fluxus rediit; sed minimè sanguineus erat enim tantum bilioſus; vesperi tamen aliquid sanguinis permiscebatur. Eadem die manè detractus fuit sanguis ad ℥. vj. in duobus vasculis, quorum posterius habebat sanguinem feruidum, & spumantem. Præscripti sunt iulepi refrigerantes & adstringentes, epithema, vnguentum hepati refrig. tinctura rosarum pro potu ordinario. Hæc agebantur die 14. Augusti anni 1632. Nox sequens fuit satis molesta, & insomnis, cum pluribus deiectionibus bilioſis, & interdum sanguineis. Die verò 15. sumpsit potionem ex rhab. tamarind. & myrobol. in decocto refrigerante, & adstringente, qua multum purgatus est tota die, & admodum debilitatus. Vesperi reiteratum laudanum, & statim alui fluxus cohibitus est; nocte tamen nihil dormiuit. Manè præscript. est fotus adstrigens ex rad. & herbis, alijsque, sacculis inclusis, & in vino rubro, & aceto decoctis, toti ventri admouendus. Item iulepus ex succo portulacæ, plantag. & sorborum; tum puluis roborans & adstringes, in iusculis, & panatellis vsurpandus, & 24. horarum spatio omnino sanatus est.

OBSERVATIO LXV.

Hysterica passio.

VXor Dn. Moureti, in curia præsidial procuratoris correpta est die 15. Augusti anni 1632. nausea frequenti, qua parum pituita magno conatu reijciebat, cordis dolore, & febre quadam, quæ pluries in die redibat, & occultabatur. Tum menstrua apparuerunt ante tempus consuetum. Censeo eam laborare ab vtero, & præscribo clysterem hystericum, emplastrum de galbano, & potiunculam ex aquæ naphæ ℥.2. cum gr.iv. castorei. His nihilo meliùs habuit, imò verò fluxus mensium cohibitus est. Die secunda, cum nausea vrgeret, exhibeo potionem ex sale vitrioli, qua ingentem pituitæ viscida copiam euomuit cum maximo labore. Tertia, iubeo aperiri venam malleoli, vndè multùm leuata est. Sed quarta die animi defectibus & languoribus afficiebatur, vt se vapores ad cor ascendentes percipere assereret. Aperta est vena alterius malleoli sine fructu. Quinta die exhibita est potio sequens, hystericis conuenientissima.

℞. Muschi, & sanguinis draconis ana gr. 13. aquæ naphæ Unc. 4. fiat potio.

Hoc remedio maximè leuata est, & tota die melius habuit. At sexta die redeunt symptomata, quibus etiam septima die plurimum vexata est. Octaua sumpsit pilularum fœtidarum drach. j. quibus optimè purgata est, & tam benè se habuit, vt nullis alijs remedijs opus fuerit.

OBSERVATIO LXVI.

Dysentheria.

FIlliolus Dn. Dorthes bimulus dysentheria contumaci laborabat, post multa alia remedia frustra vsurpata, exhibui extracti corallorum ℈. ß. cum aqua plantag. & eadem die fluxus cohibitus est.

OBSERVATIO LXVII.

Colicus dolor.

QVidam Aulicus, dum Rex Monspelij esset, die 2. Octobr. anni 1632. incidit in colicum dolorem grauissimum, ad cuius sublationem primò iniectus est clyster emollies, & purgans postea carminans, & euacuans, cum terebinthina: à quo leuatus est; sed breui dolor rediit. Tandem in decocto carminante dissolui iubeo aquę benedictę Vnc. 4. diaphœ-

phenici ʒ.j.a quo quater deiecit pituitosa, multa, & omninò liberatus est.

Eodem clystere Dn. Verchand. ciuis Monspelienſis, prope diuum Firminum, ante duos menses, à simili dolore liberatus fuerat.

OBSERVATIO LXVIII.

Hepatis durities cum cachesia.

DOmina de la Fauerie post morbum supra descriptum obseru. 63. laborabat cachexia cum duritie hepatis palpabili, sequentibus pilulis vsa per 20. dies, perfectè restituta est.

℞.Chalybis præp. cum sulph. ℥.ß. aloes optimæ, sennæ mundat.agaric. trochisc. & rhab. elect.ana ʒ.j. pulu. diarrhod.abbat.ʒ.ß. croci ℈.ß. cum syrupo rosar.solut.fiat massa pilular. de qua capiat drach. j. singulis diebus manè leuiter deambulando & post tres horas capiat infusum, in quo folia, & rad. petrosel. bullierint.

Quia hæ pilulæ non purgabant, bis, aut ter adita sunt vna dosi diagryd.gr.4.

OBSERVATIO LXIX.

Affectio hysterica æmula.

VXor Dn. Salgues mercatoris Monspelienſis, per multos dies conflictata est dolore circa regionem hepatis grauiter infestante, cum leui lipothymia, & faucium constrictione quadam, atque vomitibus pituitosis: per interualla recurrebat dolor, & interdum ad alias abdominis partes exporrigebatur. Tanta interdum animi defectio eam corripiebat, vt breui moritura videretur. Cùm affectio hysterica putaretur remedia ij, si congrua vsurpabantur, à quibus aliquando leuabatur, sed omnia symptomata postmodum recurrebant. Tandem balneis, fotibus, & clysteribus vsa, per aluum excreuit materiam quandam pituitosam, compactam, & latam, fasciæ instar, palmi magnitudine; posteà verò, per aliquot sedes materiam mucosam, ac postmodum omnino sanata est.

OBSERVATIO LXX.

Hydrops.

IUuenis quidam 25. annos natus, coquus Dn. Marchonis de Varenes, post febrem continuam, & intermittentem, incidit, in hydropem tympanitem, cum non exigua aquarum copia coniunctum. Post multa remedia, & purgationes frequentes, quarum beneficio multum seri, & flatuum copiam emittebat, & ventre imminuebatur, atque iterum spatio 24. horarum in pristinam amplitudinem redibat, tandem sequentibus duobus remedijs, per 15. dies vsurpatis, conualuit.

℞.Rad.eryngij, rubiæ tinctorum, apij, & petrosell.cortic. rad.capparum, mediani fraxini & tamarisci tana ʒ.j.rad.asari ʒ.ß. fol.agrim. ceterac. capill. ven. chamædr. hyperic. absynth.& centaur.min.an.M.j.Sem.dauci,& petrosel. macedan ʒ.ß. coquantur ad quart. v. in duabus partibus aquæ, & vna vini albi, sub finem additi. In colatura dissolue syrupi de cichorio compos. ʒ.iv. fiat apozema pro iv. dosibus matutinis, addendo vnicuique dosi spiritus diuretici ʒ.ß. spiritus vitrioli ℈.j.

Post tertiam, vel quartam dosim apozematis, purgabatur cum mercurij vitæ gr.6. scammonij gr.10. quibus vomitus non prouocabatur.

Alterum remedium erat cataplasma ex rad.cucum.agrest. cum puluere cumini paratum, cuius descriptio habetur in praxi medica nostra cap. de hydrope.

OBSERVATIO LXXI.

Variolæ cum dysenteria.

PVer quinque annorum, filius Magistri Limonsini pistoris variolis prehensus, tertio die alui fluxu cruento corripitur, cum frequenti egerendi conatu; pituitosa, & mucosa excernebat, cum magna sanguinis copia. Exanthemata erant parua, alba, & depressa. Ad eum vocatus sequentia præscribo.

℞.Rosar.rubr.P.j. santali rubr. ʒ.ß. liquiritiæ rasæ, & passularum integr.ana Unc.j. coquantur in iusculo capitis veruecis in colaturę quartar. tribus dissolue confect. de hyacinth.3. iij. conseruæ rosar. per setaceum traiectæ Unc.ß. vitell. oui num. j. fiat clyster frequenter iniiciendus.

℞.Aquar.scabios.& card. bened.an.Vnc.j. ß.syrupi de rosis siccis Vnc.j.corall.præp.& margarit.præp.ana ℈.ß. lapidi, bezoart.gr.iij. confect. de hyacinth. ʒ.ß. mat iulep.qui detur bis in die.

℞.Olei scorpionum Mattioli Vnc. ß. illinantur inguina, & axillæ calidè, frequenter.

Bis iniecto clystere, & bis sympto iulepo, cessauit prorsus alui fluxus, & exanthemata validius erumpere cœperent, ac postmodum morbo placidè defunctus est ad perfectam sanationem, vt nostro amplius auxilio non indiguerit.

Quamuis vulguaria sint remedia proposita; hic tamen casus obseruationem meruit, propter euentum non vulgarem. Ex omnibus enim pueris, variolis laborantibus, quos mihi tota vita videre contigit, hic vnicus fuit, qui alui fluxu sanguineo euaserit. Nam in cæteris certum mortis præsagium fuit, magna præsertim sanguinis copia effluente.

OBSERVATIO LXXII.

Pleuritis maligna.

VXor Dn. Argelies Frontinianensis, circa finem mensis Martij anni 1633. laborabat pleuritide dextra, eaque grauissima. Die septima circa finem, & initium octauæ, subitò correpta est palpitatione cordis adeò graui; vt medicus illis ordinarius extremos esse naturæ conatus arbitraretur, eamque breui morituram palam pronunciauerit. Nos verò à putrida aliqua materia euaporante, in ventre inferiori contenta, huiusmodi palpitationem procedere censuimus. Euentus rem indicauit; nam post duas horas ægra bis aluo iecit valdè fœtida, & ab huiusmodi palpitatione liberata est. Periculi suspicionem afferebat, quod affectus intra septem dies nullis remedijs, nedum frequenti venæ sectione imminutus fuerat. Licet autem symptomata imminuta apparerent; die vndecima parotis apparuit, quæ postero die delituit, & 13. mortua est. Vnde apparuit pleuritidem fuisse malignam, vel potius febrem malignam, pleuritide comitatam.

OBSERVATIO LXXIII.

Pleuritis spuria.

CIrca idem tempus ancilla D.Germain ciuis Monspelienſis laborauit dolore lateris pungitiuo cum tussi, & sputis albis, quæ tamen bis, aut ter cruenta apparuerunt; melius decumbebat in latus dolens, quod erat dextrum. Erat autem febris expers, quod significabat, non esse veram pleuritidem, cum inflammatio talis non posset esse sine febre acuta. Septimo die morbi, cum dolor nunquam intermisisset; sanguinis sputum apparuit copiosum per aliquot horas cui successit fluxus mensium; cui integra morbi solutio successit. Causam huius affectus censui serosum quendam humorem acrem, in latus per venas translatum, qui dolorem afficiebat sine inflammatione. Qui serosus humor exagitatus die septimo aperuit quasdam venulas, vnde contingit sanguinis sputum. At vincente natura, & serosam illam materiam amandante ad venas vteri, facta fuit morbi solutio.

OBSERUATIO LXXIU.

Paralysis, conuulsio, & affectio hypocondriaca.

DN. Fonquetus Medicus Frontinianensis, passus est autumno prægresso febrem tertianam duplicem valdè diuturnam, quæ ad hyemis initium perdurauit anni 1633. Is erat temperamento melancholico donatus, annum agens quadragesimum vsus est tempore quadragesimæ prauis edulijs, præterea animi pathematis admodum grauibus affectus est. Post festum Paschatis laborare cœpit catarrho, in omoplatam sinistram decumbente, vbi dolor excitabatur. Post aliquot dies incidit in motus, & sensus imminutionem dolorificam ferè omnium partium, præcipuè verò tibiarum, atque femorum; præterea tensiones dolorificæ per interualla contingebant ijsdem partibus, vt digiti pedum contraherentur, & musculi iuxta inguina cordarum instar tensa apparc-

parerent. In partibus superioribus, brachijs præsertim, motus erat liberior. At in omnibus partibus sensus obtusus; vt in naso, & facie se parum sentire affirmaret. Per os excernebat humorem tenuem, quem ipse æger dicebat saporem acrē & acerbum præ se ferre instar vitrioli; singulis diebus febris exacerbabatur, & in exacerbatione tensiones musculorum, fluxio, & alia symptomata intendebantur, nec non pectus admodum coarctabatur, vt suffocari videretur. In morbi principio bis phlebotomia vsurpata, & toties purgato corpore ad thermas Balerucanas se contulit; vbi quater mersus est in balneum per quatriduum, & caput lauit sine vllo fructu. Regressus à thermis, vsus est nostro consilio. Iudicauimus autem hunc affectum procedere ab humore seroso, à cerebro in spinam medullarem, & totum genus neruosum confluente: illius autem serosi humoris collectionem fieri prius in hypochondrijs, præsertim venis meseraicis, in quibus continetur humoris melancholici copia, ex causis prægressis. Ita vt hunc affectum ad hypocondriacam affectionem referendum esse censuerimus, cuius symptomata essent illa paralysis, & conuulsio imperfecta à seroso humore in dictas partes effuso progenita. Quod indicabat tum ægrotantis constitutio melancholica, tum copiosus eiusdem humoris effluxus per os, tum febris, qua propemodum assiduè tenebatur, & ingraescente febre, omnia symptomata intendebantur; cum tamen paralysis à pituita oriundæ febris soleat esse remedium. Talia autem symptomata ex humore melancholico contingere refert Sennertus, agens de affectu hypochondriaco, & de scorbuto. Non est hęc paralysis proprie dicta, quæ fit affecto neruorum principio; sed abusiuè sic appellata, quæ non talis est sensus, motusque priuatio, ob denegatum animalis spiritus per neruos influxum, sed potius functionis sensitiuæ, & motiuæ deprauatio, quia dolorificus sensus adest.

Præscripsimus in apozema ad plures dies ex aperientibus temperatis, alternis diebus purgans, & alternis tantum alterans, fotum hypochondrijs emollientem, & aperientem; linimentum eiusdem facultatis, tum venæ sectionem post primam dosim apozematis, præmisso clystere, & purgante medicamento. Pro potu vtebatur infuso corticis tamarisci, agrimoniæ, & pimpinellæ. At cum sanguis detractus valdè cacochymus videretur, iterum detractus est. Ex reliquis remedijs nullum percepit solatiū; sed morbus in peius ibat.

Die 24. mensis Aprilis eum iterum inuisi, eumque inueni fractis admodum viribus, cum febre assidua lenta, quæ tamen tertianæ paroxysmos habebat. In quibus hypocondria per interualla ex flatibus intumescebant, præcipuè verò lien. Aliquando etiam ab ijsdem flatibus comprimebatur diaphragma, vt se suffocari clamitaret: & epoto aquæ cyatho, ructus duos, aut tres edebat, ac confestim ab illa suffocatione liberabatur. Urinis innatabat aliquid pingue, instar telæ aranearum, & sedimenta earum erant farinacea; quæ quidem vrinæ lethales sunt ex Hipoc. 2. progn. Die intermissionis laborabat ptyalismo frequenti, & humorem intra cranium, & cutem, aut musculos faciei deferri sentiebat.

Die 29. Aprilis cum iterùm inuisi ad extrema redactum, pulsus erat minutulus, ptyalismus conhibitus, respiratio oppressa. At mente constabat. Die sequenti manè obijt.

OBSERVATIO LXXV.

Dolor pleuriticus ex lumbricis.

CIrca finem mensis Aprilis, anni 1633. filia Raymundi Michaelis Frontinianensis, annos octo nata, laborare cæpit tussi, & febre, quibus successit lateris dolor, ita vt pleuritica censeretur. Attamen quinta die morbi, tres aut quatuor lumbricos excreuit per clysterem, ac diebus sequentibus quamplures, tum exhibitis medicamentis lumbricos expellentibus, tum purgante medicamento, & ita curata est. Vnde patet vapores ex materia putrida (aqua lumbrici generantur) eleuatos, dolores lateris, & tussim, aliaque symptomata producere, quæ pleuritidem mentiuntur.

OBSERVATIO LXXVI.

Tumor strumosus.

DIe 6. Iunij anni 1633. D. de Gaian ad nos adduxit filiam suam 13. annos natam, temperamento sanguineo præditam, quod ex colore subrubro faciei apparebat, & ab vndecimo ætatis anno menstruas purgationes patiebatur. Cum ab octo mensibus fluxio quædam in partem faciei dextram decubuisset, paucis postea diebus decidit in ceruicem, ita vt glandula illius loci paululum tumefacta apparuerit. Ab eo tempore tumor sensim increuit, ita vt iam oui anserini magnitudinem superaret. A præsentibus Medico & Chirurgo, per duos menses, multa præstita fuerunt remedia, purgationes, decocta, sudorifica, causticum inustum; tum parti admota remedia, primum resoluentia, & emollientia, posteà suppurantia, & attrahentia validissima, quibus nihil profectum est, imò contra tumor antea exiguus incrementum suscepit. Nos verò consilio inito cum Dn. Delort. Vniuersitatis Decano, & Magistro Thierri, Haguenot, Chirurgo semori, primum eam misimus ad thermas Balerucanas, vt ijs vteretur in potu, balneo, & capitis embrocatione. Posteà verò sequentia præscripta sunt.

Pulvis Arthriticus addito zinzibere, sumendus singulis hebdomadis. Venæ sectio post primam dosim pulueris.

Fotus ex spongia in aqua calcis expressa, & arctè alligata per decem dies. Suffumigium ex lapide pyrite, extincto in aceto fortissimo, bis in die exceptum per infundibulum, cuius tubulum totum tumorem contineat.

Post suffumigium, emplastrum de vigo, quadruplicato mercurio, cuius singulis vncijs addatur vitrioli romani ℥. j.

Bochetum salsæ parillæ per longum tempus, sine vino.

Infusio ad bronchocelem, in pharmacopæa Quercetani descripta, tempore plenilunij vsurpanda.

Aquæ Maynenses per mensem, pro potu, & fotu partis bis in die; posteà emplastrum prædictum; ex eadem aqua paretur bochetum.

Victus continuò exsiccans.

Post reditum ab aquis Meynensibus, si tumor non fuerit discussus, aperiendus erit causticō.

Omnibus remedijs vsa est, exceptis aquis Meynensibus, quia cum reliqua nihil profecissent, imò tumor incrementa suscepisset, non fuit speranda salus ab huiusmodi aquis: sed ad apertionem statim veniendum censuimus, quæ fuit celebrata die 19. Septemb. 1633. cumque admoto causticō, supra escharam facta fuisset incisio, scalpelli ministerio, illico erupit aqua tenuis & limpidissima, instar aquæ fontanæ, ac tumor statim subsedit, ad planitiem parti oppositæ propemodum æqualem, quod nobis admirationem peperit, & obseruatione dignum censuimus. Similes enim tumores ab aquæ productos, præter hydroceles, hydrocephalos à nemine Authorum descriptos existimo. Decem aut duodecim horis ab apertione correpta est febre acuta, & magna fluxio facta in partem cum inflammatione. Tertio die cessauit febris, post venæ sectionem bis factam, & purgationem; cataplasma de mica panis tumori admotum, qui paululum subsedit, & pus quoddam pituitosum effluebat. Decima tertia die ab apertione, decisa antea eschara, exiuit per vlcus cystis integra instar sacci verè membranosa, & paucis postea diebus curata est.

OBSERVATIO LXXVII.

Lues venerea.

IUuenis quidam billiosō, ac melancholico temperamento præditus, lue venerea infectus, mense Iunio anni 1633. aggressus est diætam sudorificam, eaque peracta frictiones ex vnguento mercuriali celebratæ fuerunt. Post secundam frictionem cum ptyalismus ritè procederet, subito correptus est contractione brachiorum, & tibiarum, cum tensione ingentia abdominis & suffocatione subitoque ptyalismus cessauit. Frictiones vehementes celebratæ sunt in partibus contractis; aqua imperialis, & cinnamomi exhibitæ, quæ nihil præstiterunt. Postea aquam nostram theriacalem ex spiritu vini conflatam exhibuimus; à qua plurimum leuatus est, & iniecto clystere acri paroxysmus desijt. Post biduum, cum parum spueret, admota fuerunt emplastra mercurialia tibijs femoribus, & brachijs, quæ intra 24. horas sputum satis copiosè promouerunt. At æger in prædictum paroxysmum incidit. Cum verò frictiones celebratæ fuissent, & prædicta aqua exhibita, tum clyster iniectus, qui non poterat eijci; suppositorijs nullo modo leuabatur, sed omnino suffocari videbatur. Nos alium clysterem acriorem ex diaphœnici, & hierę ana ℥. ij. iniici curauimus, quem secuta copiosa est euacuatio, & æger à paroxysmo liberatus est. Sequenti die, præ-

co-

cedente, pryalismo, iterum in eundem paroxysmum incidit, cæteris multo grauiorem. nam nec aqua theriacali, nec clysteribus iteratis, quibus etiam multum detecerat, potuit sedari. Tandem cum ab initio censuissem hæc symptomata ex eo prouenire, quod excrementorum colluuies, superiora petens, in ventriculo colligeretur, & non posset per os expurgari ob sui crassitiem, vel facultatis expultricis imbecillitatem, & magna copia cumulata, & malignitate prædita, ventriculi orificium vellicaret, vnde ortæ conuulsiones per consensum generis neruosi. Tum etiam ex prædicta materia à calore exagitata multi vapores eleuarentur, qui ventriculum distendentes, diaphragma comprimerent, vnde suffocatio, & tenuio abdominis sequebatur: Uentriculum esse vacuãdum iudicauimus, prompto, & potenti remedio. Atq; in hunc finem exhibuimus salis vitrioli ℥. j. in aqua dissolutam, qua intra horæ quadrantem humoris pituitosi, viscidi, & crassi cũ melancholico permixti circiter ℔. ij. reiecit, & statim a paroxysmo liberatus est. Postea continuauit pryalismus per multos dies, sine alio symptomate, sicque integrè liberatus est.

OBSERVATIO LXXVIII.

Lues venerea.

AMe curata est in pluribus decocto ex sudorificis, & purgantibus per xx. dies vsurpato. Si hæc non sufficerent, ad frictiones ex vnguento mercuriali veniebam. Multi in media hyeme hoc solo decocto curati sunt, quibus diæta sudorifica administrari non poterat, propter aeris inclementiam.

OBSERVATIO LXXIX.

Pleuritis in Epyema degenerans.

FIlius Dn. de Caluieres, apud Nemausenses litium capitalium iudicis, 20. annos natus, incidit Monspelij circa medium mensis Maij anni 1633. in pleuritidẽ sinistram qua ita detinebatur, vt in neutrum latus posset decumbere, sed tantum supinus iaceret. Huic multa remedia fuere descripta in consilio trium Medicorum, & decies, aut vltra phlebotomia celebrata: attamen affectus diu perseuerauit, quamuis dolor lateris aliquando cessare videretur, & æger in vtrumque latus sese conuerteret. At febris permanebat, & dolor lateris redibat. Producta fuit febris vsque ad diem trigesimam quintam, qua latus aliquantulum intumescere visum est. & ad tactum dolebat, nonnullo rubore suffusum. Iudicatum fuit, pleuritidem in empyema conuerti, & admota fuere cataplasmata suppurantia, quibus latus paulo magis sexo, aut septimo ab hinc die, cum apertio lateris nimium procrastinata fuisset, quæ apparente lateris tumore, statim fieri debuerat, ruptus fuit abscessus ad interiora. Attamen æger pus facilè excreuit tussiendo, quod laudabile apparuit, & minimè fœtidum, magna copia, singulis diebus excernebatur, primo purum, postea multa pituita permixtum. Post ruptum abscessum in vtrumque latus facilè conuertebatur, febre perseuerante, cum antea non posset conuerti in latus sanum, quia pondus insigne sentiebat in latere dolente quod signum notatur ab Hipp. in prognosticis. Octiduo elapso a suppurationis die, purulenta excretio desijt, & solam pituitam reijciebat. Tum pondus in eodem latere iterum sentire cœpit, vt ad latus sanum conuerti non posset, nec non eleuatio in parte lateris externa iterum apparuit. Nouam collectionem in latere factam esse censui, & prompta apertione indigere, ne iterum profusa materia in thoracem pulmoni laborem nouum efficeret, vnde pyseos periculum immineret. Cum tamen alij medici duo, cum duobus Chirurgis, sententiæ meæ assentiri noluissent, & mater illius discessum vrgeret; Nemausum translatus est, vbi tandem empyema apertum est caustico lateri admoto, & pus diutissime ab vlcere manauit, ac tandem æger integrè curatus est.

OBSERVATIO LXXX.

Lochia suppreßa.

MVlier quędam plebeia, grauida octimestris, correpta est febre continua, die 5. Iulij, anni 1633. Tertia die febris aborsum passa est, & à partu lochia omnino suppressa sunt, maculæ purpureæ in toto corpore apparebant, præcipuè circa ceruicem; febris erat intensa. Præscribo sectionem venæ malleoli, & iulepos, experientibus frigidis compositos, frictiones partium inferiorum, fotus, & linimentum relaxans pubi, & perinæo. Ex his nullus fructus apparuit, imò sub finem secundi ab aborsu diei febris admodum exacerbata est. vt delirium pateretur, & facies valdè imminuta esset, vnde summo vitæ discrimine ægram versari, nemo non videbat. Tunc venam brachij aperiri iubeo, & sanguinem mitti ad ℥. x. qui fuit valdè corruptus. Erat circiter hora quinta vespertina, iubeoque vt venæ sectio iteraretur post horas quatuor, scilicet circa horam nonam. Præscribo iulepos valdè refrigerantes ex decocto lactucæ, portulacæ, & acetosæ, cum sale prunellæ, clysterem pariter refrigerantem & emollientem: quibus remedijs ita adiuta fuit, vt sequenti die febris valdè exigua apparuerit, lochia fluere incœperint, & paucis diebus sine alijs remedijs omninò conualuerit.

OBSERVATIO LXXXI.

Vrinæ suppressio à caruncula virgæ.

LIctor quidam Senatus Diuionensis, cum esset Monspelij negotiorum causa, die 7. Iulij anni 1633. incidit in vrinæ suppressionem ex caruncula virgæ, tumefactæ à coitu immodico. Chirurgus, quem primum vocauit, catetherem immittens magnam sanguinis profusionem excitauit, vulnerata parte, & nihil vrinæ excreuit; sed Æger grauissimis doloribus, & mingendi conatibus premebatur. Vocatus ego, præscribo phlebotomiam ad ℥. 12. qui erat sanguineo temperamento clysterem emollientem, & refrigerantem, semicupium subtepidum, iniectionem refrigerantem, & inunctionem renum, pubis, & perinæi etiam refrigerantem; erat hora nona vespertina, tum iubeo, vt circa mediam noctem iteretur venæ sectio, quæ omnia præstita fuerũt. Manè erat in eodem statu; summos meiendi conatus patiebatur, & nihil emittebat, nisi guttulas 3. vel 4. vrinæ in singulis conatibus. Iterum vocatus præscribo vomitorum ex salis vitrioli ℥. j. cuius ope bis euomuit pituitosa multa: at in secundo vomitu vrinæ ℥. j. vel ij. emisit, & subleuatum se dixit quod hactenus non contingerat. Inde per interualla vrinam paulò copiosiorem excernebat, ita vt intra quatuor vel quinque horas vesica omninò depleta fuerit. Supererat partis affectæ inflammatio quædam quæ emulsionibus cum sale prunellæ iniectionibus, clysteribus, semicupio, & inunctionibus curata est.

OBSERVATIO LXXXII.

Difficultas spirandi.

FIlius D. Hugonis, mercatoris Monspelienſis, quinq; annos natus, cum malè educatus fuisset à nutricibus, inter varia symptomata hoc præcipuè pati solebat, vt cum curreret, aut vehementiùs moueretur, spirandi difficultate laboraret. Tandem die tertia Iulij, cum ab exercitio multum incaluisset; incidit in tussim cum difficultate, spirandi, febricula, & alui fluxu mediocri, in quo flaua, pituitosa, & aliquando sub virida apparebant. Hæc tamen symptomata adeo leuia erat, vt de vocando Medico parentes non cogitauerint; sed à pharmacopœo admotum fuerat vesicans posteriori ceruici. Die quinta morbi vocatus ego, eadem inuenio symptomata, ex quibus fluxionem conijciens in pulmonem, cum metu peripneumonię, phlebotomiam prescribo, quæ non fuit celebrata, ex eo quod chirurgus venam attingere nequiuerit; sed cucurbitulæ scarificatæ statim, fuerunt admotæ, & iulepus pectoralis refrigerans sui exhibitus. Hæc circa meridiem fiebant. At hora tertia vespertina subitò æger correptus est lipothymia à qua breui excitatus est. Postmodum verò pulsus apparuit paruus, languidus, frequens, & pulsibus morientium similis, venter admodum tensus & dolens, respirandi aderat summa difficultas, & sitis inexplebilis. Multa in hoc præcipiti casu vsurpata fuere remedia, vocato consilio, quæ nihil profuerunt; sed æger continuò in pejus ruens media nocte interijt. Aperto cadauere, partes naturales benè constitutæ apparuerunt; nisi quod cystis fellea grandior, & humore nigricante referta erat. Sed pulmonis pars sinistra diaphragmati hærebat tam firmiter, vt separari non potuerit, vnde difficultatem spirandi ex parte prouenire censuimus. Sinistra verò cordis auricula, solito amplior, referta erat materia casa, & com-

pa-

pacta, omninò alba, lactidum coctum referente, quàm subitaneæ mortis causam fuisse censuimus, cordis ventriculum sinistrum suffocando, & illius ventilationem impediendo.

OBSERVATIO LXXXIII.

Hæmoptoe.

Die 13. Augusti anni 1633. Dn. Duprat in curia præsidiali Monspelliensi Consiliarius, circa noctem incidit in sputum sanguinis spumosi, cum tussi, & magnam illius quantitatem excreuit tota nocte.

Die 14. manè vocatus, venæ sectionem præscribo ad Unc. 8. deinde iulepum ex aqua plantag. syrup. de ros. siccis, & sale prunellæ. Posteà iniectus fuit clyster, cucurbitula admota regioni hepatis, looch incrassans, & adstringens vsurpatum. Hora decima, iterata fuit venæ sectio ad Vnc. 6. syrupus ex succo portulacæ etiam præscriptus. Post meridiem sanguinis sputum magna copia, scilicet ad ℔. j. Iteratus fuit iulepus oxyceratum admotum testibus, epithema refrigerans hepati, linimentum refrigerans eidem parti, lumborum regioni, cucurbitula hypocondrijs frequenter iterata, & circa vesperà sanguis denuò missus ex altero brachio ad ℥. vij. præscripti iulepi ex infusione millefollij rad. tormentillæ, & conserua ros. in praxi medica nostra descripti cap. de hæmoptoe, qui magnæ sunt efficaciæ. Pro potu vtebatur conserua rosarum, cum decocto hordei, & liquiritiæ: ad noctem præscriptus est syrupus sequens.

℞. Syrupi de ros. siccis, de succo portulac. & papaueris albi ana Vnc. j. misce, capiat cochlear vnum singulis duabus horis, ita vt intra noctem tres illæ vnciæ absumantur. Mirum in modum profuit hic syrupus, & sequenti die, quæ erat 15. fuit iteratus, vt per longiora interualla sumeret cochlear vnum. Eadem die manè aperta fuit vena poplitis, & satis bona quantitas sanguinis educta est, tum reliqua remedia fuere continuata, aliaque addita, vt opiata adstringens, & conglutinans, & clyster denuò iniectus. Toto illo tempore sanguinem non excreuit affatim, & sputa, quæ per longissima interualla extussiebat erant sanguinea. Attamen difficultate spirandi laborabat, cum vocis raucedine. Sequentibus verò diebus nihil amplius sanguinis excreuit, & omninò conualuit.

OBSERVATIO LXXXIV.

Gangræna.

Vir quidem è plebe, febre continua laborans, ab imperito chirurgo venæ aperta, incidit in tumorem illius brachij, cum inflammatione, quæ tandem in gangrænam desijt, ita vt totum brachium liuescens appareret. At in duobus locis color magis immutatus erat, in ijsq; scarificationes admouebantur remedia ordinaria, quæ parum proficiebant, imò brachium in deterius vergebat. Ego tandem vocatus locos scarificatos humectari iubeo spiritu sulphuris, quo caro mortificata exulta est, ac veluti cauterisata. Postea foueri iubeo totum brachium calidè spiritu vini, in quo pulueres aleos, & myrrhæ infundebatur, posteà inspergebantur toti brachio pulueres prædicti ex aloe, & myrrha, magna quantitate, ac deinde supra pulueres admouebantur linteamina spiritu vini madefacta, quo remedio, per aliquot horas vsurpato, brachium miraculi instar natiuum colorem recepit, tumore imminuto; & gangræna fuit cohibita ita vt sequenti die loca mortificata, & exusta à viua carne separari cœperint, quibus admotum fuit digestiuum ex vitellis ouorum terebinthina & melle, ac post integram separationem epuloticis curatio absoluta est.

OBSERVATIO LXXXV.

Dolor Nephriticus.

Die decima mensis Octobris anni 1633. Coquus Dn. de Miron, Regij Præfecti in Occitanica prouincia, laborãs à multis diebus dolore nephritico, qui vulgaribus remedijs non cesserat, sumpsit bolum ex diaprun. solut. Vnc. ß. panaceæ ℈. j. quo quater blande detecit, eodemque tempore crassas vrinas minxit, & à dolore liberatus est. Dum medicamentum operabatur, sentiebat materias sibi à renibus auelli, & sine dolore.

OBSERVATIO LXXXVI.

Colicus dolor.

PRincipio mensis Nouembris anni 1633. Domina de Uaranda doloribus colicis acerbissimis conflictabatur, & post duos clysteres, frustrà iniectos, sumpsit intestini lupi puluerati ʒ. j. cum vino, quod ipsi mense prægresso exhibitum fuerat pro eodem dolore, vt ex obser. 59. huius centuriæ constas, & statim dolor euanuit. Post decem, aut duodecim dies, licet per apozemata purgata fuisset, dolor rediit acerbior quàm antea; ac licet in clysitere philonij ʒ. ij. dissolutæ fuissent; dolor non quieuit. Prædictus puluis iterum fuit exhibitus, & dolor imminutus est, ac post trium horarum spatium omninò ferè sublatus. Sed postridie redijt acerbior, quàm antea. Exhibita fuerunt laudani, gr. v. & dolor, omninò sublatus est, nec amplius redit.

OBSERVATIO LXXXVII.

Vlcus in corde.

Die 23. Ianuarij, anni 1634. vocatus sum ad filiam D. N. annos 14. natam, quæ antea per multos dies laborauerat vomitu pituitoso, semel aut bis in die inuadente, horis præcipuè matutinis, cum cardialgia per interualla affligente. Item patiebatur dolorem in summa scapula sinistra, & summitate brachij, qua humero committitur. Nocte sequente, quæ erat quinta à prima inuasione, correpta est alui fluxu, & febre, quæ tota die eam detinuerunt. Sexta sumpsit rhab. puluerat. ʒ. j. cum iusculo, & pluries deiecit, febris perseuerat, nocte bis tantum deiecit, per duas horas dormiuit. Septima, alui fluxus perseuerat; sed minus frequens, vt locum dederit venæ sectioni, qua missus fuit sanguis ad ℥. iv. Hæc duo peculiariter à febris inuasione notauimus, quòd pulsus ferè semper erat intermittens; & cũ dolor prædictus in eadẽ parte fixus permaneret, neque ad thoracem vllo modo pertingeret, ægra tamen non poterat in illud latus, quod erat sinistrum, decumbere; quin statim cardialgia, & tussi corriperetur, ita vt perpetuo super latus dextrum decumbere cogetur. Tussis sicca eam infestabat per interualla latus emittebat interdùm supernè, & infernè. Octaua, eadem symptomata perseuerant, & præcipuè cardialgia per interualla recurrens, & pulsus intermittens inæqualiter somnus paucus. Continuabantur remedia cardiaca, sumpta, & admota; tum vermes enecantia, ac ventriculum roborantia. Vrgẽte admodum cardialgia, exhibitus est salis absinthij ℈. j. cum succi limonum cochleari vno, vndè optimè habuit per horas aliquot; sed symptomata redierunt. Noctu vrinæ erant crassæ; & satis pallidæ. Noua, admotum fuit vesicans ceruici quo tussis cessauit. Antea dolor humeri imminutus fuerat. & supra latus sinistrum melius decumbebat. Eadem die sumpsit medicamentum ex infusione ʒ. j. rhei cũ hieræ picræ ʒ. j. & syrup. de cichor. compos. ʒ. j. quo valdè purgata est cum fructu, & alui fluxus perseuerauit per aliquot dies, vnde prorsùs conualescere visa est, cum tamen pulsus continuò intermitteret in 3. 4. vel 5. pulsatione. Postquam è lecto surrexit, intermissio pulsus desijt. manente tam frequentia & ægra tussi præmebatur, noctu præcipuè, cum difficultate spirandi. Quæ symptomata per longum tempus perseuerarunt ac præter difficultatem spirandi aderat per interualla dolor lateris pungens, qui magis vrgebat, cum ægra in latus sanum decumberet; & contra grauior erat difficultas spirandi, quando supra latus dolens decumbebat. Febris perpetuò erat intensa, quæ omnia magnam suspicionem faciebant abscessus in sinistra pulmonis parte latitantis. Tandem die 34. morbi, subitò correpta est sanguinis sputo, quem per tussim excreuit ad ℥ viij. circa meridiem, is autem sanguis erat satis crassus, & non spumosus, quem ægra ipsa dicebat à capite descendisse, seque ante illius exclusionem in faucibus percepisse titillationem; tum aliquid sanguinis mungendo per nares eductum fuerat. Attamen vespertinis horis, sanguinis sputo redeunte, satis apparuit eum à pulmone ferri. Erat enim totus spumosus, eiusque quantitas fuit ad ℔. j. tum missus fuit sanguis de basilica sinistra exhibitus iulepus ex aqua plantag. & papau. rhead. cum sale prunellæ, & syrupo de rosis siccis. Vtebatur tota nocte syrupis violaceo, de ros. siccis, & de papauere, simul mixtis, quibus tussis sedabatur, excretionis reditus impediebatur, & per interualla dor-

dormiebat. Postridie manè iterata fuit phlebotomia ex brachio dextro; iteratus iulepus, & multa alia remedia, in hęmoptisi vsitata, præscripta fuere. In cõmuni consilio, habito cum D.D. Ranchino Cancellario, & Delort Decano, Sputum sanguinis redijt ad ℥. viij. circa horam vndecimam ante meridiem. Continuabantur remedia, & venæ sectio malleoli vsurpata. Hora quarta vespertina, redeunte sanguinis sputo copioso, subito extincta est. Dissecto cadauere inuentus est pulmo colore albicante, costis vtrinque, & diaphragmati vndique adhærens; tum etiam pericardio vndique adhærebat, vt vnum corpus continuum efficeret. Cor verò albicans visum est, & media fere sui parte, qua diaphragma respicit, exesum, atque exulceratum, vt fibræ carnosæ semiputridæ summis digitis euellerentur. Et animaduersum fuerat, frustula quædam carnea, huiusmodi fibris simillima, cum sanguine per sputum reiecta fuisse. Ita vt verissimum sit, istam ægrotantem cordis substantiam per sputum reiecisse, quod est valdè mirum. Cum autem in capsula cordis nullus humor repertus fuerit; existimandum est materiam, huiusmodi abscessum seu vlcus efficientem, sanguini permixtam fuisse, & per tussim excretam. Similes quædam historiæ reperiuntur apud SchencKium in obseruationibus libri secundi titulo de tumoribus, & apostematibus cordis.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Hydrops pectoris.

VXor clarissima Nobilissimi viri, Dn. de Thomas in suprema Computorum, Subsidiorum, & fisci curia Monspelienſi Consiliarij Regij, à quinque mensibus laborat fluxione humoris tenuis, in pulmonem decumbente cum tussi sicca, difficultate spirandi, febre assidua, & lenta, quæ singulis noctibus exacerbabatur, cum leui horrore, eamque consequebantur sudores noctu rni copiosissimi, vt singulis noctibus ter, quaterue indusia mutare cogeretur. Ab aliquot diebus exacerbatione bis in die redeunt; post meridiē & vesperi, in diurna non sudat; sed semper in somno. Tum ab ipso morbi initio dolor adfuit lateris sinistri in ipsa pectoris regione, cum difficili decubitu in eandē partem; ita vt cum primum indictum latus decumberet, tum molestissima cum difficultate maiori corriperetur. Imò verò interdum, comprimendo latus summis digitis, maxima pulmonis oppressio, & spirandi difficultas orta fuit. His accedebat Lienis inflatio, cum aliqua tensione coniuncta quæ reliquis affectibus originem dedisse censetur.

Habito consilio cum Dn. Ranchino Cancellario, statutum fuit præcipuum affectum in sinistro illo latere residere, eumque esse collectionem quandam, pectoris partem sinistram opprimentem. Cuius autem materiæ sit illa collectio, non omninò certo posse pronunciari. Hoc nihilominus asseritur materiam illam esse aquosam, vel purulentam; vtriusque enim signa concurrunt, & consimilia ab Hyppoc. recensentur, dum secundò de morbis dicit hydrope pulmones affectos, velut supuratos affici; verùm remissius, ac diutiùs. Ad collectionem aquosam magis inclinant sententiæ, quod neque pleuritis, aut peripneumonia, aut hemoptoe præcesserint, neque quicquam sputi purulenti vnquam reiecerit. Phtisica interijt, & apertionem cadaueris ante obitum prohibuit.

OBSERVATIO LXXXIX.

Vrinæ suppressio.

DN. Raymundus Ratte sexagenarius, vir plethoricus, & calculosus, qui multos calculos innoxiè per interualla cum vrinis excernere solebat, circa finem Ian. 1635. post plures calculos excretos ab immodico exercitio, indicit in omnimodam vrinæ suppressionem, quæ quidem suppressio (vt ex signis luculenter apparebat) erat in renibus, non in vesica. Iam per triduum integrum nihil lotij emittebat, cum vocatus sum in consilium, cum duobus Medicis senioribus, quorum vnus erat ordinarius, qui per illud triduum varia præscripserat diuretica, tum externa, tum interna, clysteres, semicupia, potiones, & similia. Et antequam ipse vocaretur, purgatus fuerat æger blando cathartico. Ego prior sententiam ferens dixi, huius affectus causam præcipuam, aut saltem iam hoc symptoma fouentem, esse venarum suprà renes insignem plenitudinem, quę propter distensionem à copia seri per triduum retenti non possunt sese contrahere ad expulsionem, quemadmodum videmus vesicã vrina nimia distentam non posse sese facile contrahere, vnde non rarò meiendi difficultas solet exoriri. Maximam autem seri copiam adesse ostendit, tum corporis plenitudo, cum quod æger multum potare soleat, & vrinæ ℔. 3. aut 4. singulis noctibus in statu sano reddere solitus sit. Ideò censui diuretica esse omittenda, quæ humores ad vias vrinæ deducendo, distensionem in ijs augent. Sed potius insignes reuulsiones esse moliendas, per phlebotomiam, & purgationem, & quam primum sanguinem esse mittendum magna copia; tũ post quinque, vel sex horas potēs medicamentum phlegmagogum, & hydragogum esse exhibendum. Eiusdem fuere sẽtentię reliqui Collegæ, & missus fuit sanguis ad ℔. j. ante meridiem; vesperi exhibita fuit drach. j. puluer. diacarthami, detractis seminibus, pluries fuit purgatus, & post quatuor, aut quinque sedes cœpit mingere, vrinamque reddidit subnigram prima vice ad Vnc. iv. paulò post valdè rufam, maiori copia, postmodum limpidam. Intra vnum diem magnam excreuit vrinæ copiam, & liberatus fuit. Similis ferè casus propositus est obs. 1. huius centuriæ.

OBSERVATIO XC.

Ventriculi dolor.

DIe 25. Ianuarij anni 35. vocatus fui ad aurifabrum Monspelienſem, qui à tribus mensibus laborabat dolore circa ventriculum acerbissimo, & indesinente, ita vt præ dolore, & vigilijs ad summam maciem perductus fuerit. Per dictum tempus à Medico ordinario præscripta fuerant duodecim, aut quindecim medicamenta purgantia, eaque blanda, aliaque non pauca remedia, tàm interna, quàm externa, non omissis fomentis, linimentis, & similibus. Tandem aduocatis in consilium tribus Medicis, præscribitur vomitorium ex decocto sem. raphani, artriplicis &c. quæ vulgò ad vomitoria præscribi solent. Post vomitorium assumptum nihil vomuit, eoque iterato, ventriculus exoneratus est, & satis copiosè vomuit, sine vllo doloris leuamine. Posteà iteratur purgans medicamentum, & diæta sudorifica præscribitur. Biduo post purgationem ante vsum decocti sudorifici, à quodam monitus æger me accersit circa vesperam, & morbi sui historiam exponit. Ego verò vt ostenderem, saltem ad tempus dolorem sedari posse, præscribo pro ea nocte laudani gr. v. quibus dolor protinus cessauit; & tota nocte dormiuit, cum tribus illis mensibus longior somnus non fuisset vnius horæ. Manè se curatum prædicabat. Redijt tamen dolor, qui nullis remedijs sedari potuit, nisi laudano aliquoties exhibito, idque ad breue tempus, donec æger marasmo confectus interijt. Aperto cadauere inuentus est ingens scirrhus, totum pancreas, & mesenterij partem occupans; tum etiam pylorum, ac Ieiuni intestini principium ambiēs: ita vt ductum illum, qui est à ventriculo ad intestina, adeò angustauerit, vt ferè occlusus esset, & ventriculus materia esculenta, ac potulenta plenus inuentus fuerit. Cum igitur alimentum non posset distribui, marcore consumptus est. Scirrhus ille non apparebat tactui, quia sub ventriculo, & intestinis latitabat. Dolorem intensum efficiebat, quia pylorum, & extremam ventriculi partem, pyloro continuam, attingebat.

OBSERVATIO XCI.

Lumbrici.

FIllius Dn. Gerardi, Quæstoris Franciæ generalis, annos quatuor natus, laborare cœpit 25. Ian. anni 1635. febre verminosa, cum vomitu bilis porraceæ, & nausea continua. Præscripsi potionem contra vermes vulgarem, cui additæ sunt propter malignitatem (quæ ex humore excreto, & tumefactione quadam totius corporis apparebat,) lapidis bezoartici gr. iv. & clysterem dulcem. Potione assumpta, euomuit duos lumbricos, vnum cum clystere per aluum egessit. Noctu iterata est potio, & sequenti die benè habuit, vt adstantes nulla alia remedia expetiuerint. Post biduum incidit in eundem affectum, & multò grauiùs torquebatur cum inquietudine, planctu continuo, etiam per somnum. Statim præscripsi potionem purgantem ex infuso rhei, & syrupo rosaceo, in aqua portulacæ ex qua ter deiecit materiam nigerrimam, sed post purgationem omnia symptomata per-

ma-

manebant, tum etiam vomitus auctus; ita vt omnia iuscula, & potulenta reijceret; vnde factum est, vt potio contra vermes prædicta, quæ tantoperè profuerat ab initio, iam nullius effectus fuerit, cum perpetuò remoueretur. Aduertens itaque, eum non euomuisse confectionem de hyacintho, cum iusculo exhibitam, eam bis iterandam iussi, additis lapidis bezoartici gr.iv. Non amplius vomuit, & nocte dormiuit, ac multò melius habuit. Vnde colligo, & obseruatione dignum censeo, lapidem bezoarticum, in affectibus verminosis, summæ esse efficaciæ. Potionem purgantem prædictam iterùm assumpsit, & alui fluxus criticus eam sequutus est, quo morbus admodum imminutus est, ac tandem iulepis specificis ex decocto Scordij, & Hyperiçonis, cum refrigerantibus paratis, omninò sublatus, iterata post iulepos purgationę, ex senna, rhab. & syrupo rosaceo.

OBSERVATIO XCII.

Abscessus abdominis.

Die 16. Februarij, anni 1635. vocatus sum ad filiam viduæ Ioannis Peire, Mercatoris Monspelienſis annos 14. natam, quam ante duos annos curaueram ab hydrope incipiente, à quo tempore valetudinariam vitam agebat. Nunc verò à tribus septimanis decumbebat, nullo vocato Medico. Inuenio eam laborantem febre assidua, cum alui fluxu moderato, quo pituitosa, & cruda reijciebaat. Refert prætereà sibi ventrem iterum intumuisse, in eoque per vices dolorem quendam punctorium percipere, tum etiam tibias per vices œdematosas apparere. De redeunte hydrope statim cogitabam, quod vt exactius explorarem, manum ventri admoueo, quem dum aliquantulum comprimere intenderem, illa statim obstitit, de dolore conquerens, qui comprimendo ipsi inferebatur. Ego verò ratus in hydrope dolores huiusmodi non apparere, ventrem denudari iubeo admota lucerna, vt rem attentiùs indagarem. Uentrem igitur inspicio colore naturali præditum; sed eleuatum, & tumentem dum vtraque manu blandè contrecto, inuenio tumoris circumferentiam in ambitu vmbilici, quinque digitorum latitudine, extra quam circumferentiam, ægra contactum indolenter ferebat; in tumore verò, etiam leuiter compressa, plurimum dolebat; præcipuè in sinistro latere, duobus digitis ab vmbilico, vbi à principio morbi dolorem punctorium per vices percipiebat. Præterea in ipso tumore fluctuationem quandam animaduertebam: ex quibus pronuntio abscessum latere inter peritonęum, & musculos abdominis, & iam factam esse suppurationem; ac statim Chirurgum aduocari iubeo, qui eiusdem protinus fuit sententiæ. Itaque quamprimum aperiendum esse abscessum statuimus, ne si in cauitatem abdominis rumperetur, mortem præcipitem afferret. Admouetur ergo causticum ei parti, in qua dolorem pungitiuum ab initio percipiebat, & tribus horis elapsis, facta eschara immittitur ferrum ad latitudinem duorum digitorum, nullum tamen pus effluxit. At non ausus est Chirurgus vlterius phlebotomum immittere, ne forte peritonæum confoderetur, sicque materia ad cauitatem abdominis effluere; immisit ergo turundam in foramen, & post quinque horas extracta turunda tantillum puris effluxit, postridie mane extracta iterùm turunda, magna puris copia emissa est, pus autem erat praui, coloris, & odoris. Nihilominus ægra in peius ruebat, ita vt quinto ab apertione die interierit. Aperto cadauere inuenti sunt musculi abdominis in loco tumoris, putredine affecti, circa partem sinistram vmbilicalem; in parte verò dextra hypogastrica intestina peritonæo adhærebant, & partes huius loci etiam putrefactæ erant: hepar colore flauissimo prædictum adhærebat peritoneo vndique, & diaphragmati, & mole sua mediam thoracis partem replebat, vt ipsi cordi esset omninò vicinum, pure, & putrilagine omnia erant referta, ac tetterrimum odorem spirabant; summa præterea macies aderat in toto corpore, quod marasmo confectum videbatur, idque ob defectum hepatis sanguinem non generantis.

Non solum autem abscessus abdominis ex chronico morbo in corpore malè affecto lethales sunt; sed etiam vt plurimum ij, qui febribus siue continuis, siue intermittentibus succedunt; quos damnauit Hipp. in coacis. Et vidit Dn. Pachecus Medicus Lunellensis, amicus meus, iuuenem tertiana laborantem, cui cessarunt paroxysmi post septimam accessionem, factus tamen abscessus circa inguen, & apertus emisit pus laudabile in principio, sequentibus verò diebus praua succesſerunt symptomata, pus deterius apparuit, & æger interijt vigesimo die. Quem tamen abscessum ab initio lethalem iudicare potuit, quòd, eo apparente, sæua symptomata etiam apparuerunt. At salutares abscessus alleuationem symptomatum afferre debent. Si contrarium fiat decubitum materię in illam partem significat, nõ criticam expulsionem.

OBSERVATIO XCIII.

Partus difficilis.

VXor Dn. Baronis Daumelas, Quæstoris Franciæ generalis, in partu per triduum laborauit, ita vt tandem vires esſent admodum delectæ. Vocatus præscribo sequentem potionem.

℞. Dictamni cretici, aristolochiæ vtriusque, & trochisc. de myrrha ana ℈. 6. croci, & cinnam. ana gr. 12. confect. alKermes ʒ. ß. aquæ naphæ, & artemisiæ ana ʒ. j. ß. misce fiat potio, qua assumpta statim conatus parturitionis excitati sunt, & paulò post gemellos peperit. Idem contingit vxori D. Sartrei primiparæ, quæ est filia D. Boscnij, Pharmacopæi Monspelienſis.

OBSERVATIO XCIV.

Fluxus mensium immodicus cum hysterica suffocatione.

ANcilla Dn. Baronis de Castries, mensium fluxum tam copiosum patiebatur, vt intra duas horas sanguinis ℔. 4. aut 5. excreuerit, vnde sequuta est affectio hysterica tam grauis, vt illa aphona, & quasi mortua iaceret; cum tamen apertos haberet oculos, & manu se strangulari indicaret. Vocatus ad eam potionem sequentem præscribo, tum cohibendo fluxui, tum hystericæ affectioni coercendæ idoneam.

℞. Aquæ naphæ, rosar. & plantag. ana ʒ. j. sanguinis draconis gr. 12. salis prunellæ ʒ. j. misce fiat potio, quæ post tres horas interiecto iusculo, reiterabatur. Post primam exhibitionem omnia symptomata remissa sunt, in secunda verò omninò cessarunt.

OBSERVATIO XCV.

Lues venerea in puero.

FIlius Dn. N. duos annos natus, à nutrice infectus fuerat lue venerea, quæ sese prodidit primum pustulis latis, & rubris in perinæo acernatis, ipsque succesſerunt vlcera in natibus iuxta podicem, mox pustulæ in facie, ac tandem vlcera in faucibus, & labijs. Quibus accedebat corporis consumptio in dies progrediens. Vocatus ad eum, sequentia præscripsi.

℞. Sennæ mundat. ʒ. j. ß. rhabar. elect. & agarici recentèr trochiscati ana ℈. 2. cinnamom. ℈. ß. infundantur in aqua cardui bened. in expressione dissolue syrupi rosac. ʒ. j. fiat potio, detur manè, & reiteretur semel in septimana.

Diebus intermedijs vtebatur sequenti decocto.

℞. Ligni guaiaci ʒ. j. corticis eiusdem ʒ ß. aquæ fontis ℔. 3. infundantur, & decoquantur, vt artis est, ad tertias colaturæ, capiat ʒ. 4. manè sine sudore, propter aeris inclementiam, hyems enim vigebat, tum etiam metuebam nimiam exsiccationem, propter corpus tenellum, eaque ratione victum etiam analepticum concedebam. Eodem decocto pro potu vtebatur; sed diluto æquali aquæ portione.

Cum hæc remedia continuasset pro 20. dies, omnia symptomata disparuerunt, ægerque in ipso remediorum vsu refectus, & denuò impinguatus fuit. Eramus autem in media hyeme, curatus omnino videbatur.

Attamen intra vnum mensem dicta symptomata redierunt, ægerque denuò extenuatus est.

Nos iterari iussimus eadem remedia, decoctum tamen paulò efficacius efficiendo, coctione facta ad medias, eumque stragulis operiebamus, vt saltem leuiter sudaret. Hac cura iterum restitutus fuit intra quindecim dies, qua tamen diutiùs continuasſemus, metu recidiuæ, nisi rigidissima hyems, quæ tunc etiam vigebat obstitisse. Intermissio itaque remediorum vsu per viginti dies, aut circiter, vlcera renouata sunt. Et cum tunc cœlum esset satis temperatum, mense Februario ob Austrinam constitutionem, curam iterum instauramus, sed efficaciorem.

Exhibemus itaque primum mercurij dulcis gr.8. cum diagryd. gr.4. in iuſculo, quo valde purgatus eſt per vomitum, & ſeceſſum, & quarto quoque die hoc medicamentum exhibebatur: intermedijs verò diebus ſumebat decoctum, hoc modo paratum. Supradicta guaiaci, & corticis eiuſdem quantitas ponebatur per diem naturalem, ac poſtea diſtillabatur ad medias, iuncturis alembici, & recipientis probe munitis. Liquor ſuperſtes in alembico colatus miſcebatur cum aqua deſtillata, quæ erat acidula, huius mixtionis dabantur Vnc. 3. manè calide; corpus tegendo, & ſudores copioſiores effluebant. Per viginti dies continuata fuit hæc poſtrema curatio, ex qua morbus fuit omninò ſublatus.

Ulceribus narium admonebatur vnguentum ex melle roſaceo, vitellis ouorum, terebinthina. Faucium verò vlcera breui curabantur melle roſaceo, cum ſpiritu vitrioli acido reddito.

OBSERVATIO XCVI.

Lochiorum fluxus immodicus.

QUædam mulier poſt aborſum à ſanguinis fluxu immodico ſummam virium dejectionem patiebatur. Illi præſcribo frictiones, & ligaturas partium ſuperiorum, cucurbitulas ſub mammis, epithemata, & pullos columbinos, fotus manuum cum vino calente, in quo confectio alKermes diſſoluta ſit, & ſequentem potionem.

℞. Aquarum plantag. naphæ, & roſar. ana ℥.j. ſyrupi corallor. ℥ j. ſalis prunellæ drach.j. ſanguinis draconis ſcrup. ß. miſce fiat potio. Quæ ſtatim fuit exhibita, antequam reliqua remedia fierent, & intra horæ quadrantem dolores ventris, & lumborum quieuerunt, & fluxus imminutus eſt, vt alijs remedijs non indiguerit.

OBSERVATIO XCVII.

Cancer.

DN. Chapus Toloſas, è nobili ſtirpe oriundus, Monſpelij degens anno 1635. circa finem hyemis correptus fuit exiguo tuberculo labrum ſuperius obſidente, quod in dies incrementum capiens, in tumorem degeneravit, totum ferè labrum occupantem, eumque durum, ac luuidum, cum dolore pungitiuo & caloris ſenſu. Statim ab initio alterius medici præſcripto vſus eſt phlebotomia frequenti, cum leuibus purgationibus, ex ſenna, & caſſia paratis: præmiſſis iulepis refrigerantibus. Cum autem hæc remedia per aliquod tempus continuaſſet, & effectus nihilominus in deterius vergeret, priorem medicum deſerens, curæ meæ ſeſe comiſit, die ſecunda Aprilis anni ſupradicti. Ego verò prædicta ſigna conſiderens, tum etiam quod omnia topica remedia, quæcumque admouerentur, malum exaſperarent, & dolorem pungentem, ac exurentem intenſiorem efficerent, tumorem cancroſum eſſe exiſtimaui. Licet autem iſte morbus incurabilis cenſeatur, illius tamen curationem ſuſcepi, edoctus à Galeno, cancrum in principio, & cum adhuc recens eſt ſanari poſſe, vt habetur 2. ad Glauconem cap. 10. vbi de cancro agens ſic loquitur. *Hunc morbum per ſui initia ſæpè ſanauimus, ſed vbi in mollem inſignem ſatis euectus eſt, nemo ſine manus opera potuit curare*; & paulo poſt. *Hunc igitur morbum, vt diximus, in principio ſanauimus, & tunc præſertim, cum melancholicus humor non admodum craſſus videbatur exiſtere: nam hic purgantibus medicamentis, ex quibus ſanitas ſequitur, prompiè ſuccumbit*: neque obſcurum eſt, huiuſmodi medicamenta debere eſſe euacuandæ atræ bili accomodata. Quod tamdiu faciendum eſt, donec ſanitas priſtina parti ſubſequatur, quemadmodum ratio victus optimos generans humores, interim adhibeatur. Et ex eiuſdem Galeni præcepto, quod habetur lib. de atra bile cap. 9. & comment. aph. 47. ſect. 6. hoc morbo affectos fortioribus medicamentis eſſe expurgandos. Ad potentiora remedia confugiendum eſſe cenſui, ex quibus principem locum obtinet radix hellebori nigri, quæ ad humorem melancholicum expurgandum efficaciſſima eſt. Sic igitur curationem aggreſſus ſum.

℞. Rad. bugloſſi, & cichor. ana ℥.j. fol. agrim. borrag. cetera ch. & veronicæ ana M. ß. coquantur cum pullo gallinaceo; in colatura diſſolue cremoris tartari ℥. j. fiat iuſculum, quod capiat manè, per 12. dies.

In quarto quoque iuſculo diſſolue Vnc. 2. ſyrupi ſequentis.

℞. Succorum recenter expreſſorum, & per reſidentiam depuratorum borraginis, bugloſſi, fumariæ cichorij ℔ß. ℥. ſuccj veronicæ, & pomor. redolent. ana ℔ß.j. ſennæ mundat. ℥.vi. epithymi ℥.2. rhab. electi, & agarici recenter trochiſcati ana ℥.j. zinzib. & garyophyll. ana ℈.j. infundantur, & decoquantur vt artis eſt, donec colaturæ ſuperſint quart. v. in quibus diſſolue ſaccharj albi quart. v. fiat ſyrupus perfectè coctus ad vſum dictum.

Poſtremæ doſi iuſculorum adde extracti hellebori nigri gr. 4. capiat cum regione.

Hoc medicamentum ſumma cum vehementia ægrotantem expurgauit, non ſolùm per aluum, ſed etiam per vomitum, verùm eadem die tumor valdè imminutus apparuit, ac doloris expers.

Poſt vſum iuſculorum, vſus eſt balneo tepido per triduum, hirudines hæmorrhoidibus admotæ, cauſticum vtrique tibiæ inuſtum, ſeriùm lactis cum epithymo per menſem vſurpatum, & balneum iteratum ſingulis ſeptimanis.

Poſt quindecim dies ab aſſumpto extracto hellebori, idem remedium iteratum eſt, eadem doſi, cum diapruni ſoluti ℥. 3. cuius operatio fuit priori ſimilis, & eadem die tumor imminutus apparebat.

Topica omnia tumorem exaſperabant, & dolorem intenſiorem efficiebant, excepto vnguento ex ranis viridibus, quod maximè laudatur ab Aquapendente, Chalmeræo, & alijs, & in hoc affectu plurimum præſtitit; ita vt illius curationem duobus præſertim remedijs tribuendam eſſe exiſtimem, extracto ſcilicet helebori nigri, & vnguento de ranis viridibus. Non parum tamen contulit ſyrupus magiſtralis, quo bis in ſeptimana vtebatur.

Intra menſem à curationis principio tumoris portio ſuppurata eſt, & ſponte aperta, cum pure ſatis laudabili. Vlceri, & tumori vniuerſo admouebatur continuò vnguentum prædictum, & ſenſim tumor imminutus, ac tandem ſenſim reſolutus eſt, & vlcus ad cicatricem perductum.

Vnguenti de ranis viridibus compoſitio talis eſt.

℞. Ranas virides in arboribus, vel aquis puris degentes in vas fictile vitro illitum, multiſque exiguis in fundo foraminibus pertuſum conjecto: earumque ora butyro impleto: vas, ne quid exhaler, luto diligenter oblinito, & cooperto, cui aliud effoſa terra concluſum ſupponito, ignem in ambitu ad diſtillandum accendito, oleum, ſeu liquorem illum ſtillatitium colligito, & cum puluere ranarum miſceto, vt fiat linimentum.

OBSERVATIO XCVIII.

Peripneumonia Pituitoſa.

DN. Gualtier fiſci regij quæſtor generalis, ætatis 60. annorum, laborabat peripneumonis pituitoſa, quæ notoſcebat ex tuſſi, difficultate, febre, dolore ſub mamma ſiniſtro, & maxillarum rubedine. Cum autem, multa pituita refertus videretur, eiuſque ſatis bonam quantitatem emuiſſet, tum clyſtere iniecto ter, aut quater aluus ſoluta eſſet, poſtridie venæ ſectionis, ſemel tantùm celebratæ, purgans medicamentum fuit exhibitum ex infuſo rhei, cum manna, & ſyrupo roſaceo, quo optimè purgatus eſt quarta die morbi, quæ erat 29. Maij, anni 1635. & poſtridie à febri aliiſque ſymptomatis liberatus apparuit. Vnde patet purgationem in peripneumonia interdum conuenire, quauis vt plurimum, ante ſeptimum diem vſurpata perniciſit.

OBSERVATIO XCIX.

Phtiſis incipiens.

MENſe Maio anni 1635. vxor D. Thomæ curiæ computorum, ſubſidiorum, & fiſci conſiliarij, phtiſicæ interijt, & poſt vnum, aut alterum menſem illius ancilla; quæ diu, noctuque illi miniſtrabat, in ſimilem affectum incidere videbatur. Laborabat enim febre lenta, cum tuſſi ſicca diu, noctuque perſeuerante, macie totius corporis inappetentia, & vigilijs. Vocatus ad eam præſcribo venæ ſectionem, & purgationem vniuerſalem, ex apozemate, & balnea tepida, cum victus ratione incraſſante, & refrigerante, quæ nihil

nihil contulerunt. Tandem mecum reputans affectum procedere ex maligna qualitate, impressa pulmonibus, & cordi per contagium, præscribo decoctum guaiaci ad 15. dies cum victu analeptico, sine sudore, quo remedio perfectè curata est. Et febris, tussis, aliaque symptomata omninò desierunt.

OBSERVATIO C.

Variolæ.

Fllius D. Boudon receptoris stipendiorum curiarum præsidialium Occitaniæ, annos natus nouem, febre laborans, quæ videbatur variolas portendere, meæ curæ committitur mense Iunio anni 1635.

Prima die venam secari iussi, & sanguinem extrahi ad Unc. vj. & vesperi eadem quantitate iterari, iulepi præscribuntur, inunctio ex oleo scorpionum, & reliqua ordinaria, secunda, & tertia die parum delirabat. Variolæ apparent; minutæ, densæ, & depressæ. Paulatim increscebant, sed admodum segniter, ita vt sexta die facies nullo modo inflata videretur. Variolæ in facie, & toto corpore depressæ, & in medio concauæ, imò verò nonnullæ in medio erant nigræ. Magis timebant parentes ex eo, quod tres alios liberos amiserant ex eodem morbo, & variolis omninò consimilibus. Ego igitur ad efficaciora remedia confugiendum ratus, sequentem iulepum præscripsi.

℞. Aquæ card. bened. ℥.iij. aquæ theriacal. ʒ.iij. trochisc. viperin. ℈.j. lapid. bezoart. grani vj. capiat horis vespertinis.

Cordi applicabantur pulli columbini, ac deinde linimentum ex theriaca, confect. alKerm. & oleo scorp. Matthioli.

In omnibus iusculis dissoluebatur bezoart. mineral. ℈.ß. sequenti die, quæ erat septima morbi, ter excreuit per aluum materiam satis crassam, sed omninò liuidam. Eodem tempore copiosissimas excreuit vrinas, & variolarum eruptio ita promota est, vt intra vnum diem facies multum inflata fuerit, & variolæ ab eo tempore sufficienter increuerint. Continuatum fuit bezoart. mineral. per alterum diem, & postea confectio de hyacintho, quæ ab initio vsurpata fuerat. Donec tandem æger à sæuo illo morbo protinus liberatus fuerit.

LAZARI RIVERIJ
OBSERVATIONVM MEDICARVM
& Curationum insignium.
CENTVRIA SECVNDA.

OBSERVATIO I.

Colicus dolor.

DIE prima Iulij, anni 1635. Sarretus, Salinarum Visitator generalis, quadragenarius, correptus est grauissimo dolore colico, qui neque clysteribus laxantibus, & carminantibus, etiam cum aqua benedicta, neque fomentis ac semicupijs intra 24. horas vsurpatis, sedari potuit. Eoque continuò sæuiente sequentes pilulas præscripsi.

℞. Aloes optimæ ʒ.j. diagryd. gr. 8. laudani opiat. grani 5. fiant pilulæ sex deauratæ.

Has pilulas sumpsit media nocte, manè hora quarta dolor protinus quieuit, & per diei decursum purgatus est quinquies, sicque omninò liberatus.

OBSERVATIO II.

Variolæ cum alui fluxu.

Fllius Dn. Grasseti in curia Computorum, &c. Consiliarij, annos quinque natus, variolis laborabat cum alui fluxu per totum morbi decursum perseuerante. Septima die morbi, quæ erat 15. Augusti anni 1635. multò grauior fuit alui fluxus, febris intensa, sitis ingens, variolæ depressæ, quarum eleuatio ab alui fluxu impediebatur. Reliquis remedijs vsque ad id tempus parum conferentibus, sequentem præscribo iulepum, alui fluxum, & malignitatem respicientem.

℞. Rad. pentaphyli, & tormentillæ ana Vnc.j. fol. scabiosæ pimpinellæ ana M.j. scordij P.j. santal. citrini ʒ.ij. coquantur ad 4. 3. pro tribus dosibus bis in die sumendis. Addendo vnicuique dosi confect. de hyacintho ʒ.ß. trochiscor. viperin. ℈. sem. lapid. bezoart. gr. 4.

Post primam exhibitionem alui fluxus imminutus fuit, variolæ tumefactæ, & sitis imminuta.

In alijs pueris quamplurimis eadem potio mirè profuit ad sedandum alui fluxum, & variolas depressas tumefaciendas. Cui addebam aquæ rosarum, & naphæ an. ʒ.ß. Etiam citra alui fluxum, in depressis variolis mirum in modum contulit; & plerumque sic componebant.

℞. Rad. pentaphylli, & tormentillæ ana Vnc.j. fol. pimpinellæ, & scordij ana M.j. santali citrini, & rasuræ eboris ana ʒ.ij. coquantur ad 4. 3. in colaturæ ℥. 3. dissolue aquæ naphæ, & rosar. ana ʒ.ß. trochiscor. viperin. scrup.j. lapid. bezoart. gr. 4. fiat potio, quæ grandioribus detur vno hausto bis in die, lac verò sugentibus ex cochleari frequenter.

OBSERVATIO III.

Secundina retenta.

CLarissima Vxor Dn. de Grasset. in curia Computorum, subsidiorum, & fisci Consiliarij, principio mensis Octobris, anni 1635. cum abortum passa esset ex gestatione trimestri, fœtum optimè efformatum exclusit, retenta secundina. Hinc fluxu albo diu laborauit, & quendam oris fœtorem percipiebat, qui post aliquot dies desijt. Frustula quædam membrana exclusit, sed pauca, & exigua. Ita vt, asserentibus mulieribus, illam secundinas frustulatim eieciisse, ego contrarium perpetuò censuerim. Paulatim ad pristinam valetudinem redijt, fluxu tamen albo perseuerante. Attamen post duos menses cum dimidio immodico mensium fluxu correpta est, cum quo secundina exsiccata per frustula excreta est. Quod notatu dignissimum, secundinam tamdiu in vtero sine graui noxa retineri posse.

OBSERVATIO IV.

Hernia aquosa in infante.

Fllius D. D. Aumelas Franciæ Quæstoris generalis, vndecim menses natus, laborabat hernia aquosa, dextrum testem occupante, cum materia contenta, in membrana testis propria, dartos appellata, vt testis oui exigui magnitudinem æquare videretur; & hic tumor à natiuitate ferè eum occupabat, quem diu cotone, suffitu thuris imbuto, discutere tentauerant. Tandem vocatus sequens præscribo cata-

plasma, principio mensis Nouembris anni 1635.

℞. Farinæ fabarum ℔ß. §. decoquatur cum vino generoso ad pultis consistentiam, deinde adde oxymel. simpl. ʒ.3. fiat cataplasma admouendum manè, & serò.

Intra octo dies, hoc solo remedio tumor omninò discussus est.

OBSERVATIO V.

Lumbrici.

Die 29. Nouembr. anni 1635. Puer quatuor annos natus ex lumbricis ita laborabat, vt graui dolore ventris torqueretur, cum summa virium deiectione, ita vt pulsus in carpo non perciperetur, & oculi concaui essent, ac spiritibus orbati, quales in moribundis apparere solent. A tribus diebus laborabat, quatuor lumbricos mortuos per os excreuerat cum vomitu humoris nigri. Pharmacopæus potiones contra vermes exhibuerat, & potionem purgantem ex electuario diacarthami, & rhabarbaro, sed nullo modo ex ea purgatus fuerat. Præscribo ipsi potentia ad lumbricos remedia ordinaria, tum interna, tum externa, quæ nihil profuerunt. Postera die in eodem statu persistebat. Iubeo, vt exhibeantur calomelanos Torqueti gr. 8. cùm gr. 6. scammonij, quo medicamento aluus soluta est, excreuitque materiam viscidam, glutinosam, putridam cum duobus lumbricis, ter aluum deposuit, & maximè leuatus est, ac postea intra paucos dies omninò conualuit.

OBSERVATIO VI.

Hæmorrhoidum dolor.

Die 21. Decembris anni 1635. D. Joannes Charanton ciuis Monspelienſis, cum ad villam duobus milliaribus ab vrbe distantem pedes iuisset, multis vestimentis indutus vehementer incaluit, vnde facta est magna humorum commotio, eorumque decubitus ad anum, vnde hæmorrhoides valde intumuerunt, cum inflammatione, & dolore acerbissimo. Tota die sequenti, valde cruciatus est, noctemque insomnem transegit. Postridie ad vrbem redijt super equum sed pedibus subnixus supra stapedes, cum magno labore, ita vt tumor inde irritatus fuerit. Vocatus ego post meridiem, sanguinem detrahi iubeo ad ʒ.7. manè aluum deiecerat bis. Circa vesperam iteratur phlebotomia propter doloris vrgentiam, vesperi accepit iulepum cum syrupo de papauere, & vsus est quater sub noctis decursu suffumigio, ex semperuiuo maiori cocto in vino albo; dormiuit per interualla, dolor & tumor imminutus est, hæmorrhoidesque relaxatæ, & suffumigij, ac limentorum anodynorum continuatione breui sanatus est.

OBSERVATIO VII.

Fœtus in partu morientes.

VXor tinctoris Nemosensis à coniugij initio ter peperit maturum partum, nono gestationis mense: labores patiebatur consuetos ante partum, quemadmodum aliæ fœminæ, sine maiori molestia, ita vt neque partus admodum difficilis, aut laboriosus esset, neque mulier malè habita, aut aliquo affectu præternaturali laboraret, in ipsis partus doloribus fœtus in vtero mouebatur sufficienter, attamen statim post exclusionem mortuus inueniebatur, idque ter hactenus contigit. Medici post secundum partum purgationes præscripserunt, & diætam sudorificam, mutata etiam fuit obstetrix. Tertius tamen eodem modo interijt. Quæritur causa, & medela. Cum nulla causa in historia referatur, difficillimum est eam coniectura assequi. Vt tamen sententiam nostram proferamus, dicimus, hos casus accidere, vel ob fœtus debilitatem, vel ob constrictionem vteri, aut cervicis eiusdem tempore partus. Debilitas fœtus ex latente quodam seminis, aut sanguinis materni vitio contracta potest efficere, vt cum fœtus in partu, & maximo conatu exitum quærat, in eo exoluatur, moriatur, quemadmodum partus octimestris necessariò interire solet, propterea quod conatum ediderit septimo mense, quem si repetat octauo, exoluitur, & interit. Si igitur quilibet fœtus ex duplici conatu necessariò interijt; qui debilis est, vnico conatu potest interire. Alia etiam ratione debilitas illa mortis causa esse potest, quod ille fœtus exclusus, ob dictam debilitatem, aerem & lucem ferre nequeat, ab ijsque perimatur. Ac denique à constrictione vteri, vel cervicis id dependere potest; quia vterus in partu sese colligit, & constringit, ad exclusionem fœtus, & si nimia fuerit illa constrictio, ac fœtus corpus tenellum vehementer comprimat, eum suffocare potest. Idem potest contingere ab vteri cervice, si dum fœtus ad eam peruenit, sese constringat; ea enim constrictione potest fœtum opprimere. His ita propositis, remedia ad duo erunt dirigenda, imbecillitatem scilicet fœtus corrigendam, & vteri constrictionem nimiam impediendam.

Ratione prioris coniuges ante conceptionem debent vti victu euchymo, & laudabili; vt semen purum, & omni labe vacuum generetur. Tum mater, toto grauiditatis tempore, eodem victu vti debet, vt sanguinem laudabilem fœtui suppeditet. Et præterea, bis in septimana, puluere sequenti vtetur.

℞. Granorum chermes, rasuræ eboris, corall. præparat. & margarit. ana ʒ. j. masticis ʒ. ß. manus christi perlat. ʒ. 2. fiat puluis, dosis ʒ. j. in ouo sorbili, aut iusculo.

Alternis vicibus, loco puluueris, vtatur opiata sequenti.

℞. Conseruæ rosarum ʒ. ij. cort. citri condit. Vnc. j. myrabol. condit. & nucis mosch. condit. ana ʒ. ſ. coralli præparati, & margaritar. præpar. ana ʒ. j. rasuræ eboris ʒ. ſ. fiat opiata cum syrupo condit. citri, de qua capiat magnitudinem castaneæ, semel aut bis in septimana, loco puluueris prædicti.

Si vtrumque tandem fastidiat; vtatur tabellis sequentibus gustui gratissimis.

℞. Confect. alKerm. drach. iij. ambræ grif. scr. j. sacchari in aqua naphæ, & rosar. dissoluti Vnc. 4. fiant tabellæ, quibus etiam omni hora vti poterit, per suprà dictorum vsum.

Dum ingreditur nonum mensem sequentia applicentur ventri. manè, per dimidiæ horæ spatium.

℞. Vini generosi ℔ß. iij. calefiat, & in eo dissolue olei nucis mosch. ʒ. ſ. pulu. garyophyll. & gran. chermes ana ʒ. ij. misce, & spongia hoc liquore imbuta vmbilico applicetur calidè, bis in septimana.

℞. Nucis mosch. macis, garyophyll. & cinnam. ana partes æquales, excipiantur melle calido, ad formam linimenti, & extendantur super crustam panis assatam, & vmbilico applicentur manè, singulis diebus vacuis ab vsu fomenti.

℞. Aquæ naphæ, & rosar. ana ʒ. iij. aquæ cinnam. ʒ. j. misce capiat cochlear. j. singulis diebus manè per totum noni mensis decursum.

Tempore partus exhibeatur cum singulis iusculis Drach. §. confect. alkermes, secundùm descriptionem Mesuæi paratæ, ratione dosis ambari, & hora vna, post iusculum quodvis exhibeatur aquæ cinnam. cochlear. vnum.

Umbilico applicetur frequenter frustum semiassæ carnis calidum, & pulu. cinnam. nucis mosch. & garyophyll. conspersum.

Ratione constrictionis vteri, aut cervicis illius, si mulier non sit grauida extra hyemem, vtatur frequenter semicupio, ex decocto emollientium parato. In grauiditate, à principio noni mensis ad diem partus illinatur cervix vteri, & perinæum oleo seminis lini, sine igne extracto. Actum Monspellij, die 24. Decembris anni 1635.

OBSERVATIO VIII.

Dolores vagi circa thoracem.

D. Raymundus Arnaldus Melgorienſis, quinquagenarius, sanguineo temperamento præditus, è bello Italico rediens, conqueritur de sæuissimis doloribus, singulis noctibus affligentibus, post primum somnum, incipiuntque isti dolores in latere sinistro, simulque ad interiorem thoracis partem & posteriorem; tum ad latus sinistrum, & scapulas extenduntur tanta vehementia, vt subito expergiscatur, & in nulla decubitus formam consistere possit; sed assurgere cogatur. Perseuerant illi dolores vsque ad matutinum, & tunc temporis quiescunt. Nec tota die vllatenus apparent. Iam à duobus mensibus ijs vexari cœpit, neque vlla adhuc remedia adhibuit. Medicus, qui pro eo antea scripsit, existimat hosce dolores prouenire à catarrho tenui, in eas partes decumbente, horis nocturnis, quo tempore pituitosus humor commoueri solet. Ego verò censeo huiusmodi dolores prouenire à flatibus qui illis horis tantum excitantur à calore intensiori, facto ex concentratione ipsius per somnum. Materia, ex qua eleuantur flatus huiusmodi, est illuuies præteritorum

norum humorum, atque crudorum, in ventriculo meſenterio,& præſertim regione heparis congeſtorum. Hæc autem congeſtio facta eſt in caſtris, ob prauam victus rationem. Hinc etiam ventriculi coctio debilitata eſt, vnde fit, vt ciborum portio crudior, à prauis humoribus etiam infecta, vertatur in flatus, qui quoquo verſum tranſmittuntur. Peracta vero concoctione, non amplius flatus huiuſmodi tranſmittuntur, & ita dolores ceſſant circa matutinum.

Ad curationem huius affectus præſcripſi, primum euacuationem vniuerſalem per apozemata, & phlebotomiam, quibus abſolutis præſcripſi decoctum chinæ, ad 15. dies, quorum vſu affectus ſenſim imminutus eſt, & ſine vllo alio remedio intra menſem omninò, ſublatus.

OBSERVATIO IX.

Ictterus in grauida.

CLariſs. vxor Dn. Daumelas, Franciæ Quæſtoris generalis, circa finem ſeptimi grauiditatis menſis, occaſione quadam domeſtica, in iram vehementiſſimam concitata eſt; à qua vomitum manè patiebatur cum dolore ſtomachi, & icterica facta eſt. Hinc autem icterus duo habebat peculiaria, vnum, quod in lecto color faciei, & totius corporis remiſſiſſimam flauitiem referebat; cùm verò ſurgeret, & ſeſe aliquantulum commoueret; intenſius multò; & quaſi de repentè flaueſcebat. Alterum eſt, quod aluus non erat adſtricta, vt vulgò fit in ictericis; ſed potius liquida, & biliosa deijciebat. Vrina erat rubra, ſed lintea non tingebat. Ego Medicus ordinarius Dn. Ranchinum in conſilium aduoco, vt de phlebotomia decerneretur, vt vna enim parte cauſa prochartica ſuadere videbatur, omnibus enim morbi ab ira, venæ ſectio eximiè conuenit, propter maximam ſanguinis commotionem quæ ab ea excitatur. Præterea euaporationes ſanguinem valde exagitatum teſtabantur. Neque ab obſtructione meatus cholidochi oriebatur hic affectus, (in quo Galenus venæ ſectionem vetat lib. de ſang. miſſ.) quia aluus fuiſſet obſtructa, & alba deiecciſſet, ſed potiùs ab hepate accenſo, & præcalefacto: ex altera verò parte grauiditas iam prouecta phlebotomiam dehortari videbatur, & cum ægra ex morbo in aborſus periculo verſaretur; ſi poſt venæ ſectionem ille contingeret, culpam in eam reijci potuiſſet. His poſtremis de cauſis noluit Ranchinus phlebotomiæ aſſentiri, ſed decretum fuit rhabarb. in ſubſtantia exhibere ad drac. j. vt bilis illa per aluum ſenſim educeretur, quod factum fuit. Parùm præſtitit rhabarbarum, ægraque poſt quinque, vel ſex dies aborſum paſſa eſt. Forte venæ ſectione liberari potuiſſent. Sed noſtrat ium mulierum nequitia, omnes infauſtos euentus remedijs aſcribentium, efficit, vt etiam prudentiores Medici metu calumniæ ab vtiliſſimis interdum abſtineant.

OBSERVATIO X.

Angina.

DIe 18. Februarij 1636. iuuennis quidam foſſor, angina laborabat tam vehementi, vt nec loqui, nec deglutire poſſet, reſpiratio tamen integra manebat. Cum ad eum vocatus ſum; iniectus fuerat clyſter; ſtatim verò ſanguinem mitti iubeo ad Vnc. x. poſtea admouetur veſicatorium poſteriori ceruici, cucurbitulæ ſcapulis admouentur cum ſcarificatione, & quatuor horis à venæ ſectione exhibentur aquæ benedictæ Vnc. 2. quibus purgatus eſt per vomitum, & per aluum, & inde loqui, ac deglutire cœpit, ac paulò poſt integrè curatus eſt.

OBSERVATIO XI.

Symptomata hyſterica, & hypochondriaca.

DIe 15. Martij 1636. Clariſs. vxor Dn. de Clauſe, Conſiliarij Regij in Curia computorum, Subſidiorum, & fiſci Regij, annos nata 55. temperamento pituitoſo, & melancholico prædita, aduerſa à multis annis fruens valetudine, incidit ex mœrore diuturno in varia ſymptomata, quæ eam frequenter, & præſertim nocte infeſtabant. Ea autem erant, dolores totius lateris ſiniſtri, à coſtis ad illa pertingentes, vt non poſſet ſupra illud latus decumbere; vomitus pituitoſi, & acidi capitis dolores, cardialgiæ, & hypothymiæ ita vigentes, vt ſeſe moribundam putaret; horrores, & tremores totius corporis, quos ſudores excipiebant: pulſus valdè parui, languidi, & debiles; eructationes frequentes à copia flatuum per os erumpentium. Cum primum ad eam vocatus ſum, præſcribo clyſterem carminantem, & laxantem potionem ex aquis naphę, roſarum, & cinnam. ſacculos ſtomachichos, & oleum nucis moſchatæ regione ſtomachi admouendum, quibus valdè ſubleuata eſt, & prædictis ſymptomatis liberata. Sed cum ea frequenter rediret, purgatio vſurpata eſt bis intra quatuor dies. Redeuntibus autem ſymptomatis exhibui laudani opiati gr. 2. cum conſerua roſarum, in forma boli, hora ſomni, quo intra horam omnia ſymptomata omninò ſublimata ſunt, & placidè dormiuit, neque poſtea eadem ſymptomata redierunt adeò vehementia, ſed multò leniora. Poſtea purgata eſt bis in hebdomada pilulis ſpecificis, quibus ad melius in dies vergebat. Et ſic tandem integre ſanitati reſtituta eſt.

OBSERVATIO XII.

Colicus dolor.

VIgeſima ſecunda Martij 1636. Vidua Dn. Dortes ſumma duritie, & tenſione totius abdominis, à multis annis laborans, vnde per interualla dolores atrociſſimos, colicorum inſtar patiebatur, eodem dolore corripitur multò atrociori, quam antea circa noctem. Vocatus Pharmacopæus duos clyſteres injecit ſine vllo fructu, quamvis eorum vi multum purgata fuiſſent. Vocatus ego manè præſcribo pilulam, ex laudani gr. 5. conflatam, & intra horam dolor penitus quieuit, nec ampliùs redijt.

Eodem tempore Domina de Varanda, prædictæ mater, dolore colico verò, cui obnoxia eſt, corripitur, injicitur clyſter à Pharmacopæo, eoque nihil operante, aduocor, inuenio eam ex doloris grauitate clamantem, & vociferantem; præſcribo clyſterem ex decocti emollientis ℔. j. diaphęnici ℥. j. aquæ benedictæ ℥. iij. quo dolor omninò quieuit: & ægra multa pituitoſa cum multis flatibus excreuit.

Ego ipſe ante vnum menſem ſimili dolore vexatus, neque clyſtere emolliente, carminante, & laxante admodum leuatus, ſimili clyſtere curatus ſum, ita vt ſtatim, eo iniecto, dolor omninò quieuerit; quamvis clyſter non niſi poſt duas horas reiectus fuerit.

OBSERVATIO XIII.

Sanguinis mictio.

CLariſſimus Dn. de Serres Conſiliarius Regius, in Curia Computorum, Subſidiorum, & fiſci Corrector, quinquagenarius, temperamento bilioſo, & melancholico præditus, cum per multos dies grauia quædam animi pathemata, & mœrores paſſus eſſet, indeque noctem aliquam inſomnem tranſegiſſet, vrinas ſanguinolentas reddidit, quæ poſt equitationem immediatè apparuerunt; eodemque tempore vrinæ acrimoniam, ſeu ardorem paſſus eſt. Hinc quoties equitando itineri ſe commiſit, vrinas pariter ſanguinolentas reddidit, & ardorem prædictum inducentes. Imò verò prædictus ardor vrinæ ſæpè ſolet recurrere, etiamſi vrinæ ſanguine infectæ non appareant. Præterea cum vrinæ arenulas quaſdam matulæ parietibus adhærentes excernit, quas ipſe à multis annis excernere ſolitus eſt. Quæritur iam, à qua cauſa proxima, & immediata hæc ſanguinis mictio dependeat. Cum autem ſanguinis mictus in genere à pluribus cauſis ſoleat exoriri; in præſenti tamen caſu duæ tantum in controuerſiam reuocari poſſunt. Calculus nimirum in renibus contentus, & aſperitate ſua venulas collidens, ex ijſque ſanguinem eliciens, vel humores acres, ſalſi, aut biliosi, prædictarum venarum oſcula aperientes. Priorem cauſam duo potiſſimum videntur indicare: nempè arenulæ illæ, quas æger à multis annis cum vrina ſolet profundere; quaſi latentis calculi ſobolem eſſe poſſe, conjecere quis valeat. Et periodica illa excretio ſanguinis, eo ſolum tempore contingens, quo æger immodico exercitio vtitur, equitandoque renes, vehementer concutit, vnde alliſio lapidis ad renis ſubſtantiam, illiuſque venulas colligenda videtur. Verùm hæc duo ſigna minimè ſufficiunt, vt calculum in renibus latitantem demonſtrare valeant. Præcipua enim ſigna, & perpetuò vel aſſidentia, vel præcedentia, omninò deficiunt.

Quorum præcipuum est dolor lumborum, qui præsente calculo abesse minimè potest, sed necessario affligit, & per interualla recurrit, ijsque vel grauans, si calculus renum substantiæ hæreat, vel pungens, ac lancinans, si in renis cauitate membranea contineatur. Adde, quod clarissimus æger numquam tota vita nephriticis doloribus conflictatus fuerit, neque vllum vnquam calculum excreuerit, cum tamen fieri vix possit, vt calculosa dispositio, quæ vt plurimùm natiua, & hæreditaria est, ad quinquagesimum annum oriari possit, & ea primùm ætate in actum produci, quin prægressis temporibus quædam sui indicia prodierit, cùm præcipua coniectura mictus sanguinis, à calculo prodeuntis, ab Authoribus vulgò desumi soleat ex eo, quod antea laborantes, calculos excreuerint. Adde etiam, nullam in ægrotantis parentibus huiusmodi dispositionem calculosam fuisse obseruatam, quod non parui est hac in re momenti. Omnia denique alia signa calculum in rene contentum indicantia, hic protinùs desiderantur, vt stupor cruris è directo positi, testiculi retractio, nausea, vomitus, alimenta crassa diu antea vsurpata, & similia.

Duo verò signa pro calculo stabiliendo proposita, ita confutantur. Arenulæ calculum intus latentem verè iudicantes, in fundo matulæ subsident, etsi digitis comprimantur, non facilè comminuntur. Si verò matulæ parietibus hæreant, & digitis compressæ facilè comminuantur (quales sunt illæ, quæ à nostro ægrotante excernuntur) calculi indicia nunquam esse possunt. Neque enim illæ in renibus aut vesica generantur, sed in venis, ac hepate, ex humorum adustione, quorum particulæ crassiores, & tartareæ, arenularum formam æmulantur, & cum sero in venis contento separantur, ac in renes, & vesicam detruduntur. Quod cum à paucis fuerit animaduersum; fit, vt multi calculosi pronuncientur, qui ab eo malo prorsus immunes sunt. Et quotidiana docet experientia, multos à puericia huiusmodi arenulas excernere tota vita, qui tamen nunquam calculo laborarunt, quibusue calculus non facilè timendus.

Periodica verò sanguinis excretio, eo solùm tempore contingens, quo æger equitando sese vehementiùs exercet, licet ex allisione lapidis asperioris in substantiam renis possit contingere: minimè tamen dubium est, quin ille etiam ex calore, à motu immodico, in renibus, & tota sanguinis massa excitato, citra calculi præsentiam generari possit. Humores enim biliosi, & acres, vel pituitæ salsæ naturam redolentes, à motu, & calore exagitati ad renes amandantur vna cum sero, sanguini permixto, & renum venulas aperientes, sanguinis effluuium excitant. Et ita rem se habere in præsenti ægrotante prorsus asseuero, cum ille biliosо temperamento præditus sit, & ab animi pathematis, vigilijsque supra recensitis sanguinis massa maiorem aduſtionem adepta fuerit. Tũ eorum humorum, qui per renes efferuntur acrimonia, ex vrinæ ardore, quæ illum sæpissimè afficit, etiam citra sanguinis effluxum, facilè innotescit.

Hanc nostram sententiam doctissimorum virorum placitis esse consentaneam, infinitis exemplis facilè esset ostendere. Nonnulla tantum annotare sufficiet. Hollerius, vir in artis operibus, si quis alius exercitatissimus, cap. 25. lib. de morbis internis. Quibusdam (inquit) naturis eodem modo sanguis per vias vrinarias excernitur, quo alijs per nares, venas sedis, aut vomitum. At experientia constat, huiusmodi sanguinis excretiones in dispositis sæpè recurrere, quando vehementiori exercitio eorum corpora incalescunt. Potest igitur sanguinis mictio, illiusque recursus à sanguinis, & humorum calefactione suscitari. Multò apertiùs rem explicat idem Author. comment. aph. 78. sect. 4. Sunt (inquit) nonnulli, qui si duriùs equitent, aut sese exerceant immoderatiùs, ex calefactis renibus sanguinem meiant. Doctissimus Montanus cons. 283. casum proponit cuiusdam Episcopi Vngari, huic nostro, tàm simílem, vt ad verbum hic describendus videatur. Eius igitur verba hæc sunt. Arbitramur (inquit) sanguinolentam vrinam, & turbidam reddi ab hoc Reuerendiss. Episcopo, propter dilatationem, factam, tum in cauitatibus renum, tum in vasis vrinarijs propter intensam caliditatem, à motu violento primo generatam, dum curru salebroso itinere concuteretur; præcipuè circa dorsi regionem, deinde succedente ingenti calore, dum cum veste pellicea sub sole ardente montem ascenderet. Ex his igitur omnibus tantus calor circa partes renum fuit excitatus, vt ob nimiam dilatationem vrina sanguinolenta excreta fuerit. Et inde est quod nunc quoque, quotiescumque defatigatur, & corpus exercet, in idem symptoma incidat, turbidæ scilicet, & sanguinolentæ vrinæ. Excitatur enim dilatatio ob motum, quæ in quiete delitescit. Ardor autem in excretione vrinę, simulq; dolor circa annum, ab eadem causa prouenit; videlicet ab illa vrina fœculenta, habentes in se partes acres, & rodentes, vel bilis, vel humoris adusti, vel pituitæ salsæ, vel omnium simul. Dolor verò, qui circa ani regionem percipitur, est in ipsis musculis colli vesicæ, quod quidem collum illis partibus adiacet, & in ea potissimum parte non sine ratione dolor percipitur. Hæc Montanus. Ex quibus etiam apparet, vnam esse calculi vesicæ suspicionem, quam æger noster sibi affingere voluit, ex ardore vrinæ, & ani irritatione desumptam; cum ea symptomata ab ijsdem causis prouenient, quas mictum sanguinis prouocare ostendimus: Horstius obs. 3. 7. lib. 4. puer (inquit) annorum octo, magnifici Cancellarij Ioannis Strupij filius, macilentæ constitutionis, deiectum patitur appetitum, siti premitur, & vrinam omninò sanguineam emittit, absque omni dolore lumborũ, nec etiam in ipsa excretione quicquã sentit. Etsi cruenta mictio frequenter accidat, quod in calculo renum, in eorum, vicinarumque partium exulceratione, similibusque morbis manifestum est. Rarus tamen hic affectus est respectu præsentis casus, vbi talis mictio sanguinis omninò sine dolore, accidit, quo colligitur, nec à calculo, continuum soluente, nec etiam ab exulceratione quadam, cruentam hanc excretionem fieri. Restat igitur, in acrimonia biliosi sanguinis, & imbecillitate renum huius affectus causam esse quærendam. Hæc Horstius. Quæ exempla hic paulò exactiùs adscribere volui, vt clarissimi laborantis animus à calculi in renibus, aut vesica geniti metu, quò diutius, ex alterius Medici sententia, inquietatus est prorsus liberetur.

Quod ad curationem attinet; ea ad duas intentiones reuocanda est: humorum scilicet acrimoniam temperandam, & renes corroborandos, ne humores acres, aliunde confluentes, tam facilè recipiant. Ad hanc rem faciet primùm victus refrigerans, & incrassans, quo fere æger ab aliquo tempore vti cœpit, & in quo diu perseuerare debet vtendo præsertim lactuca, plantagine, & portulaca in iusculis, tum etiam horcteatis, auenatis, orizatis, & similibus, tum etiam in potu aqua ferrata, cum vino rubro, aliquãtulum austero. Abstinendo semper à vehementioribus corporis, & animi motibus.

Licet autem clarissimus æger haud multo abundet sanguine, vtile tamen censuerim, sanguinem ex brachio detrahere ad Vnc. 6. vel 7. vt totius massæ humorum calidior intemperies melius corrigi valeat. Imò verò, si affectus diutius consisteret, deriuatio quædam per inferiora, aperta vena malleoli, aut prouocatis hæmorrhoidibus, videretur consentanea.

Postmodùm verò purgatio blanda maximè conuenier, eaque per interualla erit repetenda, vt humores, ad renes confluentes, per aluum educantur, cuius compositio talis esse poterit.

℞. Fol. lactucę, portul. plantag. & summit. maluæ, ana M. ß. tamarind. Vnc. ſ. myrobal. citrin. ʒ. j. coquantur ad ʒ. vj. colaturæ infunde cassiæ recenter extractæ Vnc. j. colentur iterùm, & postea dissolue rhab. in aqua lactucæ cum santalo citrino infusi ʒ. j. ß. mannæ syrupi rosac. an. Vnc. j. misce fiat potio.

Post primam purgationem, iulepi, apozemata, iuscula, vel emulsiones, prædictas indicationes respicientes, ad ægrotantis tolerantiam accomodari poterunt. Ijsque ad aliquod tempus vsurpatis, lac ouillum, vel caprillum erit conuenientissimum. Et maximè commendatur ab Hipp. Auicenna, & recentioribus, inter quos Gattinara, & Forestus se hoc solo remedio sanguinis mictum sæpè curasse gloriãtur. Vnicuique autem dosi boli armeni veri ʒ. j. permiscent, quod quidem vt grauiori sanguinis mictui conuenit, ita in hoc leuiori rarò faciendum censuerim.

Quia vero æger sicco, atque macilento habitu præditus est, eoque calido, & sicco, ante, & post lactis, vsum balneum aquæ tepidæ illi conuenientissimum esse censuerim, & toto ætatis tempore frequenter vsurpatum, in formam semicupij.

Post vsum lactis, vtatur aquis Meynensibus.

Intermedijs temporibus, si ardor vrinæ aliquando vrgeat; aqua florum althææ, cum aqua rosarum, vel conserua florum maluæ, vel althææ, aut denique emulsiones, aliaque prædicta vsurpari poterunt.

Ac

Ac denique pro curationis sigillo, opiata roborans, mediocriter adstringens, & refrigerans in vsum reuocari poterit. Neque inutile futurum esset, perseuerante affectu, causticum tibiæ inuere, ad humores actes, in renes, & vrinas defluentes sensim deriuandos.

Toto curationis decursu, topica renibus admota, erunt maximè proficua, eaque refrigerantia, & adstringentia.

℞. Vnguenti comitissæ, & refrig. Galen. ana Unc. ij. abluantur oxycrato diligenter, & inungantur lumbi frequenter.

Lamina etiam plumbea, multis foraminibus perforata, supra renes diu gestari poterit.

OBSERVATIO XIV.

Caruncula virga.

SEquentia remedia transcripta sunt in camera Computorum Monspelliensis, quibus Geofroy Giannarus curauit Carolum IX. Galliarum Regem, anno 1584. Et donatus fuit duobus millibus aureorum.

Primò, ℞. cassiæ recenter extractæ ʒ. ſ. succi liquirit. ʒ j. elect. de succo rosar. ʒ. ij. aquæ lupuli ʒ. iv. fiat potio exhibenda manè, postèa per decem dies bibat sequentis decocti ʒ. 8. tepidas.

℞. Rad. liquirit. raſ. althææ, sebesten, passul. an. M. j. sem. althææ, maluæ, apij, petroſel. an. ʒ. ſ. aquæ fontis ℔. ij. bulliant ad medias de qua summat. ʒ. 8. per decem dies, præcedente potione, vel bolo ex cassia.

Modus primum vnguentum conficiendi.

℞. Olei rosac. ℔. j. ceruſæ Venetæ ʒ. 4. caphuræ, ʒ. ſ. tuthiæ aqua rosar. præp. ʒ. ſ. lithargyri auri præp. ʒ. 3. antimonij optimè puluerati ʒ. j. ſ. opij, thuris maſculi, seu olibani, mastiches, aloes hepatic. ana ϑ. ij. miſceantur omnia, & in pixide plumbea seruentur.

Modus ſecundum vnguentum parandi ad conſolidandum.

℞. Vnguenti rosati Gal. recenter parati, & loti aqua rosar. vnguenti albi Raſis camphorati an. ʒ. j. pomatæ ſine ſpecibus paratæ ʒ. ſ. miſceantur ſimul, & in pixidem plumbeam reponantur ad vſum.

In applicatione vnguenti ſic tegere.

℞. Candelam tenuiſſ. ex cera alba, tela vetuſtiſſima, & tenuiſſima inuolutam. Ut autem appareat locus carnoſitatis. ℞. candelam prædicta craſſiorem, oleo amygdal. dulc. illitam, & in virgæ canalem intromittatur. Quod ſi obſtaculum appareat, impediens, ne candela poſſit vltrius progredi; nota locum in candela, & menſura longitudinem candelæ intrantis, deinde inuolue candelam linteolo, eamque illinc in extremitate vnguento, & tunc immitte candelam in Virgam, quouſque carnoſitatem attingat. Quod ſit duplex carnoſitas appareat; tunc ita primum vnguentum aptandum vt vtramque attingat, continuando per 15. 18. aut 20. dies, iuxta mali magnitudinem, & provt carnoſitas videbitur aperiri, ac in pus diſſolui. Cum autem videbis vrinam liberè, & facilè reddi, & pauco pure turbatam, tunc oportebit primum vnguentum griſeum à candela tollere, ſed illines candelam totam ſecundo vnguento, continuando octo, aut decem dies, quouſque pus non amplius effluat cum caudela, nec vllus dolor inter meiendum percipiatur, quo tempore abſtinendum erit à remedijs.

OBSERVATIO XV.

Dolor Nephriticus.

DEcima octaua Aprił. 1636. Vidua D. Dortes dolore Nephritico vehementiſſimo vexabatur, qui à rene ſiniſtro ad pubem vſque ſecundùm longitudinem vreteris exporrigebatur, cum vrinæ acrimonia, & frequenti micturitione: huic neque clyſteres cum aqua benedicta; neque cum terebinthina; neque cum laudano; neque vomitus ingens, qui ſponte veniebat; neque ſemicupium, neque laudanum aſſumptum quicquam profuere, dolore clamoſo per biduum perſeuerante. Tandem aperta fuit vena malleoli, & ſtatim ſanguine miſſo, dolor ingens quieuit, ſuperſtite tamen dolore obtuſiori.

OBSERVATIO XVI.

Lumbrici.

DIe 8. Iunij 1636. Puella trium annorum filia piſtoris, nomine Roberti, laborabat febre acutiſſima, cum anxietate magna, & vitium proſtratione. Vocatus ad eam circa veſperam, iudico eam ex lumbricis laborare, & præſcribo potiunculam ex hiera ʒ. ß. ſyrupi roſacei ʒ. ß. cum aqua portulacæ quæ nocte eam purgauit, & inde plurimum leuata eſt: poſtridie præſcribo iulepos ſequentes.

℞. Fol. acetoſæ, portulacæ, & endiuiæ, an. M. j. ſummit. hyperici, & ſcordij an. P. j. coquantur ad ℔. j. in colatura diſſolue ſyrupi limon. ʒ 3. fiat iulep. capiat ʒ. 3. manè, meridie, & veſperi. Intra biduum omninò curata eſt.

Triduò poſt filia D. Beuf, Mercatoris, annos ſex nata, ſimili morbo laborabat, idque grauiſſimè. Præſcribo eadem remedia cum eodem ſucceſſu, ſed hiera erat ad ʒ. j. ſyrup. roſac. ʒ. j. in potione.

OBSERVATIO XVII.

Dolore tenſiuus abdominis.

DIe 15. Iunij 1636. Petrus Blanc ciuis Monſpelienſis diuturno alui fluxu laborauerat, vndè valdè debilis; & macilentus euaſerat. Tandem 15. Iunij 1636. murmur ingens percepit in abdomine ex quo vomitus conſequutus eſt, ac deinde tenſio dolorifica cum febre cum maximè affixit; nihil per vomitum aut receſſum omninò reijciebat, & clyſteres puros ſine vllo excremento reddebat. Iuſſu imperiti chirurgi ſumpſit medicamentum purgans, ex quo nihil deiecit ſed tenſio, & dolor inde maxima ſumpſere incrementa. Vocatus ego, quinto die morbi, inuenio hominem valdè debilem, facie hypocratica, & extremorum frigiditate, mortem imminentem indicantibus. Valdè anxius fui in huius morbi diagnoſi, & nihil aliud potui excogitare, quam ingentem inflammationem, quæ tumore inſigni inteſtina comprimeret, & excrementorum tranſitum impediret. Aperto cadauere inuenta ſunt inteſtina craſſa liuida, & ſemicorrupta, vnumque ex ijs perforatum; in abdomine verò multi humores fætidiſſimi, ex quibus apparuit, humores excrementitios, qui ad inteſtina confluere iamdiu ſolebant, & alui fluxum efficere, tandem diutiùs moratos, ob facultatem expultricem debilitatem, inteſtina corrupiſſe, ac tandem pondere ſuo eam partem, in qua humores dicti morabantur; magis putrefactam aperuiſſe, & impetu in abdomen irrupiſſe. Ac conſequenter alimenta, & clyſterum partem per illud foramen, ad capacitatem abdominis fuiſſe translata.

OBSERVATIO XVIII.

Febris maligna.

DIe 4. Iulij 1636. Petrus Stelle Conſul oppidi, Perolz nominati, quadragenarius incidit in choleram morbum, qui intra 24. horas ope remediorum cohibitus eſt. Hinc ſequuta eſt tertio die morbi hæmorrhagia copioſiſſima, ex qua valdè debilitatus eſt; ſiti tamen ingenti à morbi principio tenebatur, & inquietudinibus cum æſtu præcordiorum. Vocatus ad eum, inuenio pulſum paruum, & frequentiſſimũ, cum facie hypocratica, mox habitum corporis perluſtrans eum inuenio maculis latis, & liuidis conſperſum: vndè ſumma morbi malignitas colligitur, quæ tantorum ſymptomatum cauſa fuerat. Præter remedia ordinaria, & iulepos cardiacos cum ſale prunellæ, ter in die exhibendos, hunc puluerem præſcribo.

℞. Salis prunellæ ʒ. j. camphoræ ϑ. ß. miſce fiat puluis: qui diuidatur in quatuor partes, quarum vnam capiat tertia quaque hora. Noctu hunc puluerem ſumpſit, & manè multò melius habuit. Iubeo iterari puluerem cum alijs remedijs, & eadem die à preſentaneo vitæ periculo liberatus eſt, ac paucis poſtmodum diebus omninò conualuit.

OBSERVATIO XIX.

Cholera morbus ex ſuperpurgatione.

GLadiorum faber, qui pro inſigni habet florem lilij, purgatus à conſore puluere quodam valido, vigente æſtu

& ipſe admodum bilioſus, nocte in ſequẽte paſſus eſt ſuperpurgationem violentam, qua identidem bilioſa, & aquoſa per aluum, & vomitum reij ciebat cum dolore ventriculi, ſiti intenſa, & virium dejectione maxima. Poſtridie manè vocatus exhibeo ſtatim laudani gr.6. & intra horæ quadrantem omnia ſymptomata quieuerunt. Nihilominus admoti fuerunt ſacculi roborantes ventriculo, vino rubro macerati, & eadem die omninò ſanus fuit.

OBSERVATIO XX.

Alui fluxus contumax.

DIe 8. Septembr. 1636. D. Petrus Hucherus, Ioannis Hucheri, olim vniuerſitatis noſtræ Cancellarij celeberrimi filius, poſt febrem tertianam diuturnam, alui fluxu corripitur tam vehementi, vt intra triduum vires omnino proſtratæ fuerint, & illa de vita periclitaretur. Vocatus ego, præſcribo primùm rhab. pulu. ʒ.j. qua multò peius habuit; ſequenti die hora ſomni bolo ex maſtiches, & terræ ſigil. ana ʒ.ß. laudani gr.ʒ. aluus cohibita eſt, tamen non dormuit, ſequentibus diebus aluum deponebat tantum bis, aut ter, & intra paucos dies omninò conualuit. Eodem tempore Dn. Graſſetus in curia Computorum Præſes, poſt longam febrem continuam, cum acceſſionibus inunctam, correptus eſt alui fluxu moleſtiſſimo, quo vires admodum reſoluebantur. Inuiſebam eum cum altero Medico ſeniori, & vna tentauimus primùm roborantia varia, poſtmodum adſtringentia, omnia incaſſum. Senior Medicus exhibitioni laudani noluit vnquam acquieſcere, & fluxus ad viginti dies perduraverat, ſemper eodem impetu procedens. propoſueram etiam ſæpè tincturam corallorum, quæ roborando hepar, fluxus cohibet, tum potenter refrigerat, quod maximè optandum erat in hoc ægrotante, bilioſo temperamento prædito. Ea verò per multos dies neglecta fuerat. Tandem me quotidie vrgente illius præparationem, & exhibitionem, in vſum reuocata eſt, ægerque de ea ſumpſit ʒ.j. bis in die per triduum quo remedio alui fluxus manifeſtè imminuebatur in dies, & excrementa concocta apparebant, ita, vt paucis diebus integra ſanitas inde reuocata fuerit.

Nota, illi antea fuiſſe exhibitum cum iuſculo rhab. bis infuſum in aqua cichorij, ac deinde exſiccatum, ex quo peius habuerat.

OBSERVATIO XXI.

Dolor capitis ab inſolatu.

DIe 8. Octob. 1636. Dn. Guillelmus Dortomannus, Patronus celeberrimus, cum eſſet in villa, circa meridiem ſeſe ſoli expoſuit, eundo pedibus in aliam villam, ſatis à ſua diſtantem; hinc correptus eſt paroxyſmis febris tertianæ duplicis ſatis leuibus, & circa veſperam recurrentibus: hoc tamen ſymptoma in paroxyſmo vrgebat, nempè capitis dolor intenſus, qui tribus primis diebus cum febre ceſſabat, matutinis horis. Interim ſecta fuit vena bis, & purgans medicamentum ſemel exhibitum. Quibus non obſtantibus dolor capitis, & æſtus plurimum increuit, & continuus factus eſt poſt quartam acceſſionem; horis enim matutinis, non minùs quam reliquis, ſæuiſſimè eum infeſtabat; neque febris omninò aberat. Cum igitur ab inſolatu dolorem iſtum concitatum fuiſſe appareret, metuendum erat, ne inflatio fieret in cerebro, frontalia enim repellentia fruſtrà admota fuerant. Vt ante graue hoc ſymptomata tolleretur, venam frontis aperiendam conſului, ex eaque ſanguinis ʒ.8. eductæ ſunt, à qua venæ ſectione dolor capitis ſtatim valdè remiſſus eſt, & ſequens paroxyſmus multò leuior redijt, cum exiguo capitis dolore. At poſtera die manè doloris omninò expers fuit.

OBSERVATIO XXII.

Febris hectica cum putrida complicata.

DEcima tertia Octobr. 1636. Filia Dn. de Sterres, in Curia Computorum Correctoris annos nata 14. circa quem Æſtatis correpta eſt, febre tertiana intermittente, finæ poſt quatuor paroxyſmos ſponte deſijt, & poſt aliquod tempus iterum redijt, ac ceſſantibus iterum paroxyſmis febricula quædam eam occupauit cum obſtructionibus ventris, inferioris, quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt. In hoc ſtatu permanſit per tres menſes, ſine vllis remedijs, cum rurſus eſſet. In principio Octobris ad eam vocatus, inuenio febre lenta affectam, cum ſumma macie, & calore ad tactum valdè acri, qui nocte ingraueſcebat; illa tamen ſe febrire non percipiebat, ac licet calor igneus noctu appareret; ſiti tamen non afficiebatur, vnde febrem illam in hecticam verti coniecimus, cum & incaleſcentia poſt ſingulos paſtus appareret, & circa longitudinem arteriæ brachij, calor intenſior multò percipieretur, quod ipſi adſtantes aduertebant; & in vrinis oleoſum quippiam innataret. Cùm igitur appareret complicatio febris putridæ cum hectica incipiente, ad putridæ ſublationem primò animum conuertimus, ac ſtatim ſanguinem detrahi iuſſimus è baſilica dextra ad ʒ. 7. Poſtea die purgata eſt blando medicamento. Tertia iulepum hauſit refrigerantem, & aperientem. Quarta iterùm vena ſecta, ſanguis enim valdè aduſtus, & corruptus apparebat. Continuati iulepi, fotus emolliens, & aperiens regioni lienis admotus, tum etiam linimentum eiuſdem facultatis. Quinta, clyſter emolliens, & purgans injectus eſt, quo multum purgata eſt, ac febris valdè exacerbata eſt; pulſus erat paruus, & frequens, calor acer, & mordax; quæ omnia tota nocte, & media parte diei ſequentis perſeuerarunt. Duobus diebus ſubſequentibus multò meliùs habuit febris erat remiſſa, exacerbationes nocturnæ etiam valdè remiſſæ ſunt, tumor lienis, & renitentia minor: tum dolor, qui tangendo, & aliquantulum comprimendo lienem percipiebatur ab ægra, fere ſublatus eſt. Interim fotus linimenta, & iuſcula aperientia continuabantur. Poſt illud biduum purgata eſt blando medicamento, quo multa pituitoſa vomitu reiecit, & bis tantum deiecit. Eadem die febris adhuc remiſſior apparuit. Poſtea continuata ſunt iuſcula aperientia, fotus, & linimenta; cum in tertio quoque iuſculo ſennæ Vnc. ſem. infuſa fuit. Sic paulatim ad priſtinam valetudinem reuocata eſt.

OBSERVATIO XXIII.

Pinguia corpuſcula per aluum excreta.

FIliola Dn. de Rochemore in Curia Computorum, & Subſidiorum Principis, nomine Lucretia, ætatis annorum trium, laborabat febre continua verminoſa. Excrementa dejciebat valde cruda, & veluti gypſea, in quibus inueniebantur interdum globuli virides inſtar piſorum maiorum, qui ſuprà orbem poſiti dum orbis igni admouebatur, & tantillum incaleſcebat, ſtatim butyri inſtar liquabantur. Cùm nunquam antea talem materiam vidiſſem, neque vllum Authorem de ea ſcribentem legiſſem, valdè dubius fui, vnde iſta materia ſuam duceret originem. Pharmacopœus ſenex, & expertus retulit, ſe in propria filia ſimiles excretiones obſeruaſſe. Tandem cum à pinguedine, aut humido oleoſo ipſius corporis non videretur hæc materia procedere; (hectica enim febre aut colliquante ægra non laborabat), & excrementa admodum indigeſta apparererent; conieci hanc materiam procedere ex pinguedine aſſumpta cum carnibus, quę nimia copia offerebantur; vel cum iuſculis, à pinguedine malè recocta purgatis, quæ pinguedo relaxando ventriculum coctionem læderet, malè in ipſo concoqueretur: præſertim cum alia etiam alimenta, nimia copia ingeſta, male cocta remanerent. illa igitur pinguedo diu in ventriculo, aut inteſtinis retenta, à calore craſſitiem, & calorem illum viridem obtinebat.

Duodecima Octobr. 1636. hanc meam coniecturam confirmauit alius caſus viri cuiuſdam hypochondriaca melancholia laborantis, qui ſibi frequenter venenum porrigi putabat, quod vt oppugnaret, magnam olei copiam frequenter ingerebat. Rejciebat autem ſimiles globulos quos ipſe liquabat, & in phialis reſeruabat. Hæc autem materia in phialis contentam amurcam referebat, nullius prorſus odoris. Vnde conieci, oleum magna copia ingeſtum, non poſſe totum à natura ſuperari, ſed craſſiores partes calore diuturno magis incraſſari, & in huiuſmodi globulos effingi, qui liquati amurcam referebant.

OBSERVATIO XXIV.

Angina.

DEcima quarta Octobr. 1636. quidam ſartor quadragenarius, vocatus Vendermiam, Anginâ laborabat; qua de-

glutie-

glutitio impediebatur, eique secta fuerat vena, clysteres iniecti, & admotum vesicatorium à Pharmacopæo. His non proficientibus, me vocant, & aduertens, cum vix tantillum iusculi ex cochleari, magno conatu deglutire, ac per consequens medicamentum purgans haurire non posse: præscribo aquæ benedictæ Vnc.ij. quibus purgatus est pluries per vomitum, & secessum, eademque die ab Angina liberatus.

OBSERVATIO XXV.

Dolor Ischiadicus.

OCtaua Ianuar. 1637. Dn. Greffuille, in suprema Computorum Curia Consiliarius, coxendicò dolore vexabatur, rigida hyeme iniectis clysteribus, sumpto medicamento purgante, & admoto emplastro parti affectæ, dolor nihilo secius perseuerabat: tandem aperta est vena malleoli è directo partis affectæ, & intrà paucas horas dolor remissus est, ac postmodum omninò desijt, vt secundo à venæ sectione die ad consueta munia transire, & per vrbem pedibus ire potuerit.

OBSERVATIO XXVI.

Affectus soporosus, hypnotico curatus.

DIe vigesima secunda Octob. 1636. Virgo quædam Melgoriensis 20. annos nata, nomine Liquiere, tentata fuerat febre tertiana duplici, circa initium Autumni per 12. dies, ab eaque post quorundam remediorum vsum liberata. Iterùm recidit in similes paroxysmos, qua ab initio more consueto inuadebant, sed postmodum noua quædam symptomata cum paroxysmo accesserunt, nempè dolor insignis, facici rubor, oculorum prominentia, dolor lateris sinistri pungitiuus, deglutiendi summa difficultas, perueniens tamen cibus, & potus vsque ad extremum œsophagi, & iuxta orificium ventriculi, subitò reijcebatur; si quid verò intromittebatur, id magno cum labore fiebat. Suspicatus sum hystericam affectionem cum paroxysmo febrili complicari, & hysterica remedia præscripsi, quibus non obstantibus, malum perseuerauit. Post aliquot dies huiusmodi symptomata sine febre redibant, quod meam opinionem maximè confirmauit; tum quod dolor lateris sinistri ad dextrum interdum transiliebat; interdum verò dolores pungitiui in varij abdominis partibus apparebant, ventriculum dolor, & nausea infestabant; tum ægra suffocatione interdum promebatur. Tria in hoc affectu peculiaria obseruaui. Primum erat deglutiendi difficultas, quæ non est frequens in hysterico affectu, ea tamen non erat perpetua; sed interpolata: impediebat enim cibi, potusque assumptiones per multas horas, deinde prorsus euanescebat, vt etiam pilulas sine vlla molestia, me præsente, deglutierit. Secundum erat quod isti paroxysmi hysterici periodice recurrebant singulis diebus; nempe vespertinis horis quemadmodum accessiones febriles. Tertium, quod, vrgente dolore stomachi cùm alijs symptomatis, sacculi roborantes, & calefacientes, aliaque remedia calida augerent affectum, & suffocationem inducerent. Quod cum mihi relatum esset, & principio vnius paroxysmi adessem, conquerente ægra de maximo ventriculi dolore tuisi, vt crusta panis assata, & in vino calente madefacta, ac puluere garyophyllorum & nucis moschatæ conspersa, ventriculo apponeretur; quo remedio aucta plurimum fuit suffocatio; ita vt illud abijcere necessarium fuerit. Tum tentandi gratia iussi, vt linteum quadruplicatum in oxycrato maceratum ventriculo frigide admoueretur, eoque admoto, cessauit illicò suffocatio, ac dolor ventriculi. Huic rei fauit aqua frigida eodem tempore assumpta, cuius guttulas aliquot magna vi deglutiuit, earumque frigiditatem in ventriculo percepit, & statim leuata est. Postea iussi, vt iterùm crusta panis calida admoueretur, quam tunc temporis patienter tulit, cuius rei rationem esse puto, quod vapores commoti, & ventriculum afficientes, à calorificis magis commouebantur: at postquam frigidis remedijs compressi fuerant, ventriculus ab ijs vaporibus immunis calida remedia facilè tolerare poterat. Puto, à febre præcedente corruptum fuisse semel retentum, quod talia symptomata producebat. Fortè etiam reliquiæ sanguinis menstrui putrefactæ ad eosdem affectus producendos concurrere poterant. At materia illa putrefacta motus habebat periodicos, quemadmodum videmus sæpè materiam abscessuum internorum moueri etiam periodicè, & paroxysmos tertianæ febris æmulari.

Antequam autem paroxysmo corriperetur, cùm tunc temporis optimè deglutiret, sumpsit meo iussu quatuor exiguas pilulas, compositas ex laudani gr. IV. & paulò post accessit paroxysmus supra enarratus; sed post duas horas laudano operari incipiente, omnia remissa fuerunt. & tota nocte bene habuit cū prægressis noctibus maximè torqueretur. Postridie mane sumpsit apozema hystericum, & purgans, idque triduo continuauit, quibus absoluta est curatio. Multū dubitaui in exhibitione laudani, quod in paroxysmo ægra sopore graui afficeretur, qui vsu laudani grauior effici poterat. At tandem hoc apud me constitui soporem illum à vaporibus ex vtero ad cerebrum assatim translatis exoriri, quorum ascensum prohibendo, sopor impediri poterat. Et euentus huic ratiocinio respondit. Vnde vera elicitur conclusio, quę prima fronte videtur valde paradoxa, nempe soporosum affectum vsu laudani prohiberi posse.

OBSERVATIO XXVII.

Tormina puerorum.

DVodecima Decembri 1636. Filiolus meus Carolus, ætatis quatuor mensium, correptus fuit colico dolore sæuissimo, qui clamores, & eiulatus continuos ab eo extorquebat. Exhibui puueris elect. diamoschi dulcis ℈.ß. cum lacte, quo dolor quieuit per horæ quadrantem, & iterum redijt cum pari sæuitia. Iniectus fuit clyster ex decocto anisi, & chamomillæ, cum vitello oui, & saccharo, eoque dolor omnino sublatus est. Post octiduum eodem dolore affectus est, ita acerbo, vt priori deterior appareret, prout eiulatus indicare videbantur; sumpsit puluerem prædictum sed frustra; iniectus fuit clyster prædictus; etiam frustra. Tandem admoueo forum toti ventri ex decocto anisi, & chamomillæ in aquæ vitæ; prima applicatione dolor omnino desijt. Sequenti iterùm redijt dolor, eoque aliquantulum mitigato remedijs prædictis, postera die manè exhibita fuit syrupi rosac. Vnc.j. quem assumendo vomuit pituitam instar albuminis oui, sed nihil fere deiecit, tormina recurrebant. Iteratus syrupus cum ʒ. j. infusioni sennæ, etiam hoc medicamentum parùm præstitit. Tandem exhibui puluerem comitis ad ℈.ß. cum lacte, eoque blandè, ac copiosè purgatus est, & ab hoc affectu omninò liberatus.

OBSERVATIO XXVIII.

Fluxio in pulmonem in Infante.

DEcima nona Ianuarij 1637. Idem filiolus meus Carolus incidit post mensem à priori morbo in catarrhum sæuissimum, in pectus delabentem quo frequenter tussiebat, & inter respirandum stertebat. Purgationem exhibui ex syrupo rosaceo cum infus. sennæ, qua pituitam euomuit, sed parum deiecit. Syrupi pectoralis exhibebantur, inunctiones pectori admouebantur. Perseuerante affectu, eadem purgatio iterata est cum exiguo fructu. Tandem exhibeo puueris comitis ad ℈.ß. cum lacte, quo blandè, & copiosè purgatus, eademque die conualuit.

OBSERVATIO XXIX.

Vrinæ suppressio.

VIgesima septima Ianuarij 1637. Dn. de Labaie, in Curia Computorum Auditor, vrinæ suppressione omnimoda laborabat biduo, cum dolore renis sinistri, & vreteris eiusdem lateris. Iniecti fuerant clysteres ex præscripto alterius Medici, & fotus admotus pubis regioni. Vocatus sum in consilium cum dicto Medico, præscripta fuit apertio hæmorrhoidum (quæ intumuerant) admotis hyrudinibus, iteratus clyster emolliens cum dimidia oleorum portione, fotus admotus reni, & vreteri, mox inunctio ex oleo scorpion. & amygdal. dulc. tum etiam catapl. ex fæce decocti emollientis, cum cepis, coctis sub cineribus eodemque tempore exhibitus iulepus sequens.

℞. Succor. parietariæ, & fœniculi marini ana Vnc. I. ß. succi limon. & ol. amygdal. dulc. recent. ana Unc. I. misce fiat iulep.

julep. Intrà horam ab assumpto iulepo copiosè minxit, & liberatus est, horis septem ab initio consilio, in quibus prædicta remedia administrata sunt. Ad sigillum curationis, sumpsit postridie manè bolum ex cassia, rhab. & cremore tartari.

OBSERVATIO XXX.

Gonorrhœa contumax.

SExta Februar. 1637. Dn. N. triginta annos natus, biliosо, & sanguineo temperamento præditus, cum gonorrhœam pateretur duobus mensibus, & à Chirurgis multa incassum tentata fuissent remedia, meæ curæ sese commisit. Huic primùm præscribo phlebotomiam malleoli, postridiè mercurij dulcis ℈. j. cum diagryd. ℈. ß. in iusculo postmodùm bolum ex terebinth. ʒ iij. & rhab. ʒ j. per sex dies integros, quæ nihil profuerunt. Iteratur puluis purgans, & posteà sequenti aqua vsus est per 12. dies, quæ statim profuit, isque omninò curatus est, detergebat vlcus internum tam potenter, vt vrina in pauimentum effusa, illud inficeret colore albo, instar calcis dissolutæ.

℞. Menthæ siccæ ʒ. iij. sem. lactucæ, ruthæ, agni casti ana ʒ ij. ß. ireos florent. ʒ. ij. dictamni cretici ʒ. x. sacchari ℔ ij. omnia puluerisentur, addendo terebinth. claræ ʒ v. vini albi generosi ʒ. xxx. misce, destillentur in B. M. capiat æger cochlearia duo mane duabus horis ante cibum, & vesperi quatuor à cœna.

OBSERVATIO XXXI.

Hysterica Epilepsia.

DEcima septima Febr. 1637. Vxor. Dn. palemarchi de Sumenes, per multos annos varijs affectibus hystericis vexata est, qui epilepticos insultus referebant. Multa tentauit remedia, à multis Medicis præscripta, sed omninò incassum. Tandem cuiusdam mulieris consilio sumpsit carnem lupi in puluerem redactam; & frustulum eiusdem carnis salitæ semper gestauit, à quo tempore immunis omninò fuit à prædictis affectibus.

OBSERVATIO XXXII.

Mensium fluxus immodicus.

DIe 6. Martij 1637. inter alia remedia vxori Dn. de Vitrac præscripta, quę ad extrema redacta fuerat, ex immodico fluxu mensium, post abortum concitato, sequens iulepus mirum in modum profuit.

℞. Flor. chamæleontis, spicæ nardi, & sanguinis draconis subtilissimè puluerat. ana Drach. j. aquę plantag. & rosar. ana Vnc. j. ß. fiat iulep. huius cochlearia duo dabantur bis in hora.

Extractum coralli cum aqua plantag. profuit etiam non parum.

OBSERVATIO XXXIII.

Colica biliosa.

DIe decima octaua Maij 1637. Mulier quędam patiebatur dolores colicos atroces, & pungitiuos totum ferè abdomen afficientes. Ab alio Medico seniore curata fuit remedijs ordinarijs calefacientibus, carminantibus, & phlegmagogis, à quibus nullum leuamen percepit. Tandem vocatus ego, ex specie doloris, si tu eiusdem, temperamento mulieris præcalido, & vrinis valdè rubris, conijcio colicam esse biliosam; & præscribo statim venæ sectionem, clysterem refrigerantem, ac lenientem, & iulepum refrigerantem, quibus dolor valdè imminutus est: cum verò sanguis valdè biliosus, ac corruptus appareret, iterata est postridiè phlebotomia, qua dolor prorsus euanuit. Ac tandem potione cholagoga curatio absoluta est. Præscripseram ab initio semicupium, quo non vsa est propter maximam doloris imminutionem.

OBSERVATIO XXXIV.

Febris maligna.

DIe septima mensis Iunij, anni 1637. Dn. Patris in Curia Præsidiali Consiliarius, annos natus 55. correptus est leui frigore, & tota nocte febricitauit, eodemque modo persęuerauit. Postridie manè febris expers, & vesperi iterùm febricitauit, eodemque modo persęuerauit febris intermittens vsque ad septimam diem, qua facta est continua. Attamen frequentes patiebatur pedum, & genuum, ac interdum manuum perfrigerationis; vrinæ sanorum vrinis similis: tamen omnia in dies indeterius vergebant, vt facilè appareret, febrem esse malignam, quam tandem indicarunt exanthemata, nono die apparentia, tum deliria, & motus manuum conuulsiui cum sopore quodam, & alui fluxu. Cura ordinaria fuit administrata. Sed hoc peculiariter notandum, quod sanguis fuerit missus tertia die, & laudabilis apparuerit. Quinta, fuit medicamentum purgans exhibitum, cum adhuc febris esset intermittens. Septima, alui fluxus copiosus, & persęuerans vsque ad vndecimam, vlteriorem phlebotomiam impediunt. Cum aut duodecima alui fluxus sedatus videretur; dubitaui num venæ sectio esset celebranda, cum alia euacuatio nihil contulisset, vires admodùm fractæ, & summum periculum, in quo æger constitutus videbatur, vt tanquam breui moriturum affines lugerent, dehortari viderentur. Adde, quod per duos dies præcedentes plures cucurbitulæ fuerant admotæ cum scarificatione, vt supplerent defectum phlebotomiæ. Eandem visum est veluti tentatiuam phlebotomiam vsurpare, scilicet ad ʒ. 4. vel v. eo animo, vt si æger commodè ferret, iterari posset. Missus est sanguis niger, & corruptus cum euphoria ægrotantis; post quinque horas eadem quantitas detracta est, constantibus perpetuò viribus in eodem statu. Iulepis refrigerantibus miscebatur scordium, & hypericum. In dissolutione sal prunellæ & spiritus vitrioli, in singulis iusculi bezoard. miner. ad ʒ. j. Nocte eiusdem diei duodecimę aluus copiosè fluxit: æger tamen meliùs habere visus est. Vinum exhibitum pro potu valdè lymphatum. Multa in morbi decursu edidit sternutamenta, vndè salutem sperabam, etiamsi multa alia signa periculum portenderent. Decima tertia, & decima quarta alui fluxus persęuerabat cum virium debilitate summa. Iniecti fuere clysteres ex lacte, quibus alui fluxus temperatus est. Exhibitus iulepus ex aqua naphæ, & rosarum cum confect. alKermes, & guttis aliquot aquæ cinnamomi, cuius cochlearium sumebat interdùm ad vires reficiendas. Imminuto alui fluxu, sopor imminutus est die decima quinta, & delirium cessauit. Vrinæ tamen nihil aut exiguum admodùm deponebant, decima sexta, paulò meliùs habuit lingua antea sicca, humida apparebat, posteà verò sensim conualuit.

OBSERVATIO XXXV.

Alui fluxus.

DIe decima quinta Iulij 1637. Domina de Grasset octogenaria, sed robustissimo corpore prædita, correpta est alui fluxu tenesmode, quo pluries singulis horis deijciebat cum grauissimis torminibus. Uariæ erant deiectiones, nunc flauæ, nunc porraceæ, & aliquando nigrę. Morbi minera ablata est quatuor purgationibus, per interualla repetitis ex rhab. partim infuso, partim in substantia, cùm syrupo rosaceo: In interuallis clysteres detergentes, anodyni, & roborantes injiciebantur, iulepi refrigerantes, & incrassantes, nec non emulsiones exhibebantur.

OBSERVATIO XXXVI.

Dysenteriæ Prognosis.

MEnse Iulio 1637. Filia Dn. Guilliminet Occitaniæ Comitiorum Scribę, quinque annos nata, dysenteria laborans, varia excrementa reijciebat, flaua, viridia, & nigra aliquando. Circa finem morbi quædam exanthemata, pulicum morsibus similia, in facie, alijsque partibus apparuerunt, & manus altera tumore œdematoso affecta est: quæ certa fuere mortis præsagia.

Eodem tempore R. Pater Guardane, Cœnobij Franciscorum, qui minores vocantur, præfectus: alui fluxu dysenterico afflictus, crebris singultibus tentabatur, qui fuere mortis prænuncij.

OB-

OBSERVATIO XXXVII.

Dysenteria.

MEnse Augusto 1637. Filius Dn. de Mausfac. in Curia Computorum, Susidiorum, & fisci Præsidis, octo annos natus, dysenteria tenebatur multo sãguine, deiectionibus viridibus, & porraceis admixto, & febre continua. Tertia morbi die sumpsit infusum rhei ad ʒ. j. in aqua plantag. parato cum santalo citrino, dissoluendo rhab. pulu. ℈. j. syrupi rosac. ʒ. j. optimè purgatus est, multa excrementa reiecit sine sãguine, & febris ferè expers fuit tota illa die. Postridie sanguinem purum reijciebat, cui permixtæ erant veluti guttæ materiæ porraceę, frequens erat deiectio cum dolore ventris, & febre, quę perseuerauit, vsque ad diem octauam, licet omnia remedia ordinaria, interna, & externa adhiberentur, tum etiam clysteres varij. Septima die extractum corallorum ter exhibitum fuerat ad ℈. j. cum aqua plantag. ros. & syrupo cydonior. sed frustra. Principio octaui diei, cum & febris, & fluxus ingraueſcerent, ac merus sanguis excerneretur; secta fuit vena, & sanguis detractus ad Vnc. v. circa meridiem. Nocte omnia eadẽ. Postridie manè exhibui laudani gr. 2. cũ extracto corallor. aqua plantag. rosar. & syrupo cydonior. aluus omninò suppressa est, per horas quatuor placidè dormiuit, ac per interualla expergiscebatur. Post quatuor horas iterùm aluum deposuit ter, in duabus horis, merum sanguinẽ vt suprà excernebat, & iusculum euomit; hinc maior metus impẽdentis periculi, cum reliqua remedia nihil profuissent, neque ipsum laudanũ, quod perpetuò confert in hoc affectu. Semel sternuit. Quarta deiectio ab assumpto laudano fæces habuit satis multas, sine vllo sanguine. Non amplius vomuit. Circa vesperam deiectiones frequentiores, minùs tamen, quam ante assumptionem laudani, neque erant adeò cruentæ, sed ex parte stercorosæ. Nocte insequente dormiuit per interualla satis insignia, & deiectiones rariores fuere. Manè sumpsit medicamentum ex rhab. ʒ. j. myrob. citrin. ℈. j. sant. rubr. ℈. ß. infus. in decocto plantag. portul. & tamarin. dissoluendo in colaturæ rhab. pul. ℈. j. syrupi rosac. ʒ. ß. à quo materiã deiecit stercorosam, & humoralem copiosam, cum pauciſſimo sanguine, exiguisque torminibus. Febris imminuta est, & nocte insequente rariùs deiecit, meliùsque dormiuit. Sequentibus diebus alui fluxus perseuerauit per dilucida interualla sine vllo sanguine, sine torminibus, sine febre. Postea tamen alui fluxu diuturno cum febre lenta vexatus est, per mensem integrum, cum appetitu ingenti, nocte in lecto deijciebat, & frequenter in die, vt ad febrem hecticam vergere videretur. Tandem exhibito bolo armena orientali ad ℈. ij. cum iusculo per biduum, alui fluxu omninò curatus est.

OBSERVATIO XXXVIII.

Colicus dolor.

DIe vigesima quinta Septemb. 1637. Vxor Dn. de Sarret, Consiliarij Regij, in suprema Computorũ, & Subsidiorum Curia, grauida nonimestris, corripitur colico dolore grauissimo, quo omnia reuomebat in principio, & nihil inferius deponebat. Multis fructibus sese ingurgitauerat, dolor erat fixus circa hypochondrium dextrum, vt de inflammatione hepatis metueretur; quia febris, & sitis aderat satis intensa. Post multos clysteres, fotus, & semicupia, excrementa alui deiecit liquida, & cruda. Dolor tamen perseuerabat. Tandem exhibitum est purgans medicamentum ex catholic. ʒ. ß. infus. in decocto cichoraceorum, & capillarium cum rhab. ʒ ß. etiam infusi, mannæ, & syrupi rosac. ana ʒ. j. septies deiecit copiosè, cum magna doloris imminutione. Postridie perseuerabat dolor, sed remissior, iniectus fuit clyster, quo quinquies deiecit, & postea multas excreuit vrinas, vnde integra curatio subsequuta est.

OBSERVATIO XXXIX.

Testium inflammatione.

DIe vigesima Septembr. 1637. D. Dexier Neumausensis, I. V. Doct. ex equitatione violenta incidit in testiculi dextri inflammationem cum tumore insigni. Secta fuit vena brachij bis semel in malleolo, purgans medicamentum exhibitum. Pars fouebatur aqua rosarum, & imponebatur cataplasma ex farina fabarum cocta in oxycrato, ita vt quarta pars aceti cum tribus aquæ partibus misceretur, quod cataplasma nunquam me fefellit in hoc affectu. In hoc tamen ægro adeò tenera erat cutis scroti, vt excoriata fuerit ab aceto acriori, & cataplasma ferre amplius nequiuerit. Ego iterandum curaui cataplasma, sed ad tollendam acrimoniam aceti, illud decoquendum curaui cum lithargyro; & sic cataplasma optimè operatum est, ægerque intra triduum à tumore liberatus.

OBSERVATIO XXXX.

Fluxus hepaticus.

DIe Vndecima Octobr. 1637. Vxor Petri Banete Artocopi, post aliquot accessione febris tertianæ in fluxum hepaticum incidit, quo deiectiones erant omninò sanguineę. Vocatus ego, præscribo statim laudani gr. 2. cum conseruæ ros. ʒ. ß. & intra horam fluxus desijt postea vero rediens, humore stantùm, non sanguinem reijciebat, aliisque remedijs vulgaribus curata est.

OBSERVATIO XXXXI.

Erisypelas.

DN. de Gout nobilis Monspelienſis 25. annum agens, sæpè afficiebatur erisypelate in tibijs cœpit vinum bibere multo meracius solito, & pauciſſimæ aqu permixtum ab eo tempore nunquam erisypelate affectus est; & benè valet, licet quatuor aut quinq e anni effluxerint. Causam esse existimo, quod à vino roborata facultate expultrice, materia erisypelatis expellitur per aluum, vrinas, vel insensibilem transpirationem.

OBSERVATIO XLII.

Febris tertiana cum vomitu, & alui fluxu in paroxysmo.

DIe decima octaua Aug. 1638. D. Durant quinquagenarius, Procurator in Curia Præsidiali Monspelienſis, quinque paroxysmos febris tertianæ passus erat, ab ijsque liberatus sola venæ sectione. Per quindecim dies bene habuit, & fructus horæos comedebat. Recidit in eandem febrem, & in secundo paroxysmo grauissimo vomitu, & alui fluxu vexatus est, in quo multa biliosa supra, infraque reijciebat, cum inquietudine summa, & virium ex solutione, ita vt iam de vita periclitaretur. Sequentem præscribo iulepum, quo statim omnia symptomata cohibita sunt, per duas horas dormiuit, copioso sudore paroxysmus solutus est. Et intra paucos dies à morbo prorsus liber euasit.

℞. Aquar. lactucæ, rosar. & plantag. an. ʒ. j. syrupi cydonior ʒ. j. confect. de hyacinth. ʒ. j laudani opiati gr. 2. misce, fiat iulep. qui detur statim.

OBSERVATIO XLIII.

Aphtæ puerorum grauissimæ.

DIe quarta Septembr. 1636. Filius meus Stephanus, annos quatuor natus, passus est fluxionem acerrimam in linguam, & fauces, vt infinitis vlceribus scaterent, vsque albicantibus, & admodùm dolorificis cum magna inflammatione. Non poterat cibum capere, nec lac sugere. Et diebus, ac noctibus eiulabat in somnis, macilentus, ac ferè consumptus. Ex remedijs non profuit, mel rosaceum cum spiritu vitrioli, quod alias mirificè conduxerat. Aderat alui fluxus copiosus quo bilem porraceam ejiciebat. Vesicatorium valdè profuit. Sed dolores, & clamores perseuerabant, & continuò æger per os humorem serosum, & acrem emittebat, dolore & inflammatione magis, ac magis attrahente.

Tandem exhibui laudani gr. 1. cum iusculo, eoque dolor sopitus est, somnus lenissimus conciliatus, qui postmodùm perseuerauit moderatus, & suis horis adueniens. Hinc cępit conualescere, & fluxio illa humoris, per os emanantis, omninò cohibita est. Sequenti tamen die purgans medicamentum exhibitum est, quòd multum etiam profuit.

OB-

OBSERVATIO XLIV.

Dysenteria.

IOanna de Parauisol, octodecim annos nata, laborauit grauissima dysenteria cum febre acuta. Per septem dies fuit in manibus alterius Medici senioris, qui nihil aliud præscripserat, quàm clysteres detergentes, & rhabarbarum, quo febris aucta, & dysenteria deterior euaserat. Eo absente, vocatus ego, exhibeo primùm laudanum ad gr. 3. quo fluxus valdè imminutus est ea nocte, & per tres aut quatuor horas dormiuit. Manè secatur vena, & sanguis educitur seruidissimus. Dein exhibetur extractum corrallor. ad 3. j. cum aqua plantag. bis eadem die, sed sine fructu; noctem enim habuit acerbissimam tum ratione febris, tum ratione fluxus, eiusque sanguinei, qui ad aliquod tempus fuerat cohibitus vsu laudani. Sequenti die manè exhibeo iterùm laudanum, & fluxus cohibitus est. Vesperi vena iterum tunditur. Minor erat sanguinis excretio; sed bilem poraceam eijciebat valdè erodentem. febre, & siti plurimum vrgentibus. Ad sitim præscribo iulepos ex decocto portulacæ, & plantag. cum sale prunellæ, qui multum profuere: affectu tamen perseuerante. Tandem exhibita est manè aqua rosar. cum ol. communi, meridie decoctum intestinorum veruecis valde consumptum, cum puluere granorum actes. Magnum leuamen inde consequuta est ægra. Et postera die repetitis semel illius tribus remedijs, ad statum conualescentiæ perducta est.

OBSERVATIO XLV.

Morbili.

DIe vigesima octaua Septembr. 1638. Nutrix filij mei Stephani, nomine Claudia, correpta est morbilis, quibus totum corpus contectum erat, cum febre intensa. His accessit symptoma grauissimum, nimirum fluxio tenuis, in pulmonem descendens, quæ tussim frequenter excitabat, & suffocationis metum incutiebat, cum raucedine ingenti. Admotum est vesicatorium ceruici, & exhibita sunt laudani gr. 2. cum conserua rosarum. Fluxio cohibita est tota nocte. Postridiè rediit, & iterùm exhibitum est laudanum cum simili affectu, vnde ad conualescentiam paucis diebus perducta est, manente raucedine ad longum tempus.

OBSERVATIO XLVI.

Febris tertiana.

ANno 1638. Febres tertianæ longissimæ vigebant Autumno, à quibus multi liberati sunt, sumendo in declinatione post phlebotomias, & purgationes frequenter iteratas theriacæ ℥. j. cum aqua plantaginis manè per triduum. In quibus caliditas magis timebatur, à cœna exhibebam. Vnus autem sumpsit theriacam sine consilio Medici, morbo adhuc crudo existente cum vrinis rubris, & febris aucta est. His confirmatur Galeni experimentum, quod habetur lib. de Prænogn. ad Posthum. cap. 2. & 3. de Eudemo peripatetico, cui morbo adhuc crudo existente theriaca exhibita est à Romanis Medicis, & quartana simplex in triplicem versa est. Eadem verò theriaca à Galeno exhibita, apparentibus coctionis signis, feliciter curatus est.

OBSERVATIO XLVII.

Diarrhœa inueterata.

DIe decima quinta Octobr. 1638. Quidam nobilis vir, triginta annos natus Monspelium venit, consilium petiturus pro alui fluxu, ab octo annis infestate, quo quinquies aut sexies die, ac nocte deijciebat, partim biliosa, partim pituitosa. In hoc malum inciderat ex praua victus ratione, cui insistere coactus fuerat per multos annos, dum castra sequeretur, non erat valde ex eo debilitatus, quinimo faciem habebat rubram, saltem circa genas. Missus est à nobis ad thermas Balerucanas, quarum aquam potauit per sex dies, & alui fluxus omninò fuit cohibitus, ita vt per octiduum, à quo aquas sumere desierat, nunquam noctu surrexerit, cum antea bis, aut ter surgere consueuisset. Multa alia remedia vsualia illi præscripta sunt ad partes naturales roborandas, quibus se vsurum in patria asseruit.

OBSERVATIO XLVIII.

Vomitus contumaciſſimus.

DIe decima quinta Octobr. 1638. Dn. Enguarran, Ecclesiæ Monspelienſis Cathedralis Canonicus, temperamento melancholico, & adusto præditus, incidit in vomitum contumaciſſimum sine causa manifesta, quo multa pituitosa, viscida, & mucilaginosa excernebat cum maximo conatu. Flatus etiam multos eructabat ab assumpto iusculo. Ab alijs Medicis multa incassùm vsurpata fuere remedia per multo dies; postea purgatus est decocto sennæ, & infusione rhei, deinde per apozemata, in quorum vsu perseuerare nō potuit. Postmodum lac fuit exhibitum, quia suspicio erat vlceris vētriculi. Theriaca etiam frequenter propter veneni assumpti metum; fomenta & vnguenta plurima admota. Ego vocatus inuenio hypochondria valdè tensa, præcipuè sinistrum pulsum satis firmum, licet æger admodum esset debilis, quoad vires animales. Conieci humores fluere ab hypochondrijs, & vomitum illum esse speciem affectionis hypochondriacæ. Vesperi exhibentur ipsi laudani gr. 2. & tota nocte non vomuit, sed placidè quieuit. Sequenti die phlebotomia celebrata, quæ ab alijs Medicis omissa fuerat, & mittuntur sanguinis ℥. vj. qui valdè fuit adustus, vomuit bis, aut ter ea die clyster iniectus fuit circa vesperam. Præscriptus etiam fotus emolliens, & aperiens hypochondrijs admouendus, & linimentum ijsdem viribus præditum. Tertia die sumpsit hunc puluerem.

℞. Rhab. pulu. ℥. j. myrobal. citrin. ℈. j. spodij, & mastiches ana gr. 6. fiat puluis, detur manè cum iusculo. Reuomuit medicamentum, & nullis alijs voluit vti remedijs. Post mensem interijt, & aperto cadauere inuentum est epilon crassum, rubrum, scirrhosum, & contractum, vt hepar prima fronte referret, eiusque crassitiem æquaret: ventriculus liuidus in fundo, tenuis; parte verò superiori scirrhosus, intestina liuida, lien benè habebat. Humores melancholici in omento aceruabantur, & inde in ventriculum refluebant.

OBSERVATIO XLIX.

Alui fluxus diuturnus cum vlcere recti intestini.

DIe secunda Nouembr. 1638. D. Ludouicus Massanes febre tertiana duplici afflictus est per duos menses, cum alui fluxu partim stercoroso, partim humorali, partim hæmorrhoidali, quo octies, aut decies singulis diebus deijciebat. Tandem ab accessionibus liberatus est, manente alui fluxu, quo dolor in recto intestino excitatus est, paulò suprà anum, perpetuò affligens, etiam dum non deijciebat. Interdum fæces laudabiles excernebat, interdum verò materiam subrubram, calorem hepatis referentem, & interdum quasi purulentam; coniecimus ex diuturno fluxu factum fuisse vlcus circa hæmorrhoidas internas. Remedia ferè omnia auersabantur. Ideò consului vsum aquarum thermalium ad triduum. Prima die statim appetentia, iam diu deiecta, restituta est, consequenter dolor aut prorsus euanuit, manente alui fluxu mediocri, eoque bis noctu, & totidem interdiù procedente, quo excrementa molliora, sed benè concocta excernebat. Hinc singulis diebus in melius procedebat, vt iterato post 15. dies aquarum vsu, omninò conualuerit. Recepit tamen suffumigium ex decocto tapsi barbati in cathedra perforata, quo fluxus maximè cohibitus est, licet bis tantùm eo vsus fuerit. Sensibilis fuit effectus suffumigij.

OBSERVATIO L.

Dolores arthritici.

DIe duodecima Nouembr. 1638. Dn. Mouretus Monspelienſis tentabatur doloribus arthriticis, varias partes affligentibus, & per vniuersos articulos vagantibus. Per mensem vnum, & integrum hunc affectum passus erat, & pluries purgatus fuerat non omissa venæ sectione. Tandem vsus est bocheto sequenti.

℞. Rad. salsæ parill. ℥. j. rasuræ ligni guaiaci ℥. ij. aquæ q. s. bulliant ad quartæ partis consumpt. colentur addendo cinnam. parùm fiat bochetum.

Post

Postquam per octiduum vsus esset hoc bochëto, cœpit excernere cum vrinis materiam pituitosam, quæ fundo matulæ adhærebat. Eodemque tempore magnum à doloribus leuamen sensit, donec prorsus curatus fuerit, excreta per multos materia illa pituitosa.

OBSERVATIO LI.

Dolores vagi.

Die decima tertia Nouembr. 1638. D. Gaillard. cognomine Balbus, subitò correptus doloribus vagis atrocissimis, nunc crura, nunc genua, tibias, vel pedes, nunc lumbos discruciantibus. Vocatus alius Medicus sanguinem mittit ad quinque vascula intra horam, & dolore non remittente, postea exhibet pilulam ex laudano, qua dolores consopiti fuere, tum noctu, tum sequenti die vsque ad meridiem. Pomeridianis horis dolores recurrunt pari acerbitate. Vocatus ego, absente altero Medico, præscribo bolum ex diaprun. solut. Unc. ſ. ialepæ ℈. j. etiam noctu sumendũ, quam insomnem alioqui, & cum atrocibus doloribus traducturus erat. Purgatus est decies vtiliter, nam dolores illa admodùm imminuti sunt, consequenter breui temporis spatio omninò discussi. Erat vir quinquagenarius, atrabilario temperamento præditus, multis anteà animi pathematis agitatus ex consulatu, quem gerebat eo anno. Ideò conieci, hosce dolores prouenire à serosa materia tenuissima, & acerrima, quæ huc, & illuc velut orgasmo ferebatur; eamque citò purgante medicamento esse educendam.

OBSERVATIO LII.

Hæmoptoe.

Die decima Decembris 1638. Vxor Dn. Caponi in Curia Computorum Auditoris, quinquagenaria post mediam noctem correpta est sanguinis sputo copioso, quod per tussim ejiciebat, & præsalsum persentiebat. Vsque ad maturinum perseuerauit per interualla recurrens; quo tempore vocatus ego statim venæ sectionem impero ex brachio dextro ad vnc. 7. post duas horas iterandam. Post singulas phlebotomias sumpsit iulepum ex aquis plantag. & lactucæ, cum syrup. violac. ℥. 6. & de papauere ℥. 2. frictiones, & ligaturas in tibijs, cucurbitulas hypochondrij frequenter iterandas looch crassans, & adstringens. Noctu sumpsit syrupum compositum ex æquis partibus syrupi violacei, & de rosis siccis, & de papauere, scilicet cochlear vnum hora somni, alterum post mediam noctem. Et sanguinis sputum non amplius redijt.

OBSERVATIO LIII.

Tumor cancrosus in hepate cum dolore Ischiadico.

Die decima septima Decembris 1638. Vidua Petri Auberti Mercatoris Monspelienſis, per multos menses decubuit assidua febre affecta, patiebatur dolores atrocissimos in ischio sinistro, qui sese ad extremum pedem exporrigebant. Prætereà percipiebatur tumor in abdomine, versus vmbilicum, ad dextram partem inclinans, ijsque durus, ita vt scirrhosus putaretur, & in musculis epigastrij situs, quia sub cute statim tangebatur, non erat dolorificus, nisi cum premeretur. Aliquando dolores acres humerum dextrum occupabant, & latus ipsum, vt pleuritidem mentirentur. Existimabamus dolores istos prouenire à materia serosa acerrima, quæ in hepate feruidissimo generaretur. Sanguis, qui detrahebatur erat feruentissimus, & luidus. Nullum leuamen percepit vnquam, nisi à laudano, cuius ope dolores leniebantur. Cum dolor in coxa grauior euasisset, & tumor in parte appareret, concolor tamen, tum etiam pars compressa, multùm doleret; nec non ægra dolores lancinantes in eadem perciperet per vices, vocati fuere Chirurgi, qui abscessum profundum latitare firmiter asseruerunt: sicque consilio habito pars aperta est caustico, & scalpello, nullum pus effluxit. Post 15. dies ab apertione, venter anteà tumidus, magis intumuit, & hydropica facta est, ac tandem suffocata interijt. Aperto cadauere inuentum est hepar tumoribus scirrhosis & magna ex parte suppuratis refertum, in cuius extremo adnati erant duo tumores cancrosi, vsque ad vmbilicum prominentes, & pugni magnitudinem æquantes, qui cum essent ferè contigui, tumorem illum abdominis iam dictum repræsentabant; neque in hepate esse putabantur, quia non erant in loco hepatis naturalis, imò hepar seorsim ab illis tumoribus tangebatur, sed durum, & dolorificum: quia dicti tumores, erant magis prominentes, quam reliqua hepatis substantia. Totum illud hepar pendebat viginti libras, & amplius. Secta fuit coxa vsque ad os in loco apertionis, & inuentæ sunt paruæ quædam glandulæ suppuratæ, quæ pus concretum continebant, ita vt non potuerit effluere.

OBSERVATIO LIV.

Tumores strumosi.

Die octaua Ianuarij 1639. Puella quædam Nemausensis, 18. annos nata, patiebatur tumores strumosos in collo, qui multis remedijs per longum tempus, adhibitis suppurati fuerant, & postea consolidati. Attamen portio tumorum remanebat durissima, quæ nec emplastro de Vigo, quadruplicato mercurio, vlla ex parte dissolui potuit. Tandem præscripsi emplastrum ex æquis partibus dicti emplastri, & Vigo, vitrioli roman, i & gummi ammoniaci in aceto soluti, & inspissati cum terebinthinę ſ. q. quo emplastro intrà mensem tumores illi integrè soluti. Adhibito interim idoneo victus regimine, & conuenientibus euacuationibus interdùm vsurpatis.

OBSERVATIO LV.

Fluxus mensium inordinatus cum fluore albo.

Die decima quinta Ianuar. 1639. Vxor Dn. de Rignac, in Curia Computorum, subsidiorum, & Fisci Regij Procuratoris generalis, pingui, obeso, & pituitoso corpore prædita, post abortum patiebatur fluxum mensium inordinatum, cum fluore albo. Feliciter curata est phlebotomia, purgatione, bochęto ex salsa parilla, & suffumigio ex thure, mastiche, sandaraca, succino, styrace, benionio, garyophyllis, nuce moschata, & rosis rubris, per infundibulum excepto mane, & sero per longum tempus.

OBSERVATIO LVI.

Dolor capitis immanis, & diuturnus.

Die vigesima nona Martij 1639. Mulier Frontinianensis quadragenaria, atrabilario temperamento donata, post abortum non amplius passa est purgationes menstruas, indè grauissimus capitis dolor per quatuor menses eam afflixit, nihil conferentibus venæ sectionibus, purgationibus hyrudinibus, fronti, & temporibus admotis, alijsque remedijs. Vocatus ego præscribo apertionem arteriæ temporalis, quæ optimè celebrata fuit, neque sanguis saltu egrediebatur ob exilitate arteriæ, & sanguinis crassitiem, sed gutatim extractus fuit ad Vnc. v. ruber, & floridus, tum internatum externa superficie. Vulnus occlusum fuit emplastro exsola mastiche cum ligatura simplici, postquàm alia ligatura, quæ in vulneribus capitis solet fieri, per quinque horas adhæsisset. Liberata est à dolore capitis, sine residiua.

OBSERVATIO LVII.

Febris tertiana.

Die decima quarta Iulij 1639. Dn. Deuandiere, Medicinę studiosus, post quinque accessiones febris tertianæ, secta vena bis, & semel purgato corpore, sumpsit initio paroxysmi aquæ benedictæ ℥. 8. accessio fuit cohibita, tum etiam operatio medicamenti per duas horas, posteà vomuit quinquies, aut sexies sine molestia, quia in singulis vomitibus sumebat iusculi communis cum pilis parati ℥. iv. aut v. Accessio breuior solito fuit, & in fine illius purgatus est per aluum, plùribus vicibus, & omninò curatus est.

OB-

OBSERVATIO LVIII.

Dolor Nephriticus,

DIe vigesima secunda mensis Iulij, anni 1639. passus sum colicum dolorem, qui in imo ventre acriter vrgebat, & renem dextrum obsidebat. Duobus enematis iniectis, dolor ventris cessauit. Supererat dolor renis, qui per vreteris continuitatem exporrigebatur, sinistri testis retractione, ita vt verè nephriticus esset. Balneo calente dissolutus est, cum tepidũ augeret dolorem. Iterùm redijt dolor, cucurbitulis parti admotis discussus est. Postridiè redijt, & denuò cucurbitulis cessit; mox sumpsi bolum ex cassia, catholicone, rhabarbaro, & crystallo tartari; non ampliùs dolor redeijt. Conieci hunc dolorem nephriticum factum fuisse à flatibus, eum discutientibus remedijs, puta balneo calido, & cucurbitulis solueretur, & nulla materia obstruens, scilicet calculus, arenulæ, aut pituita per vrinas à me reiecta sit post solutionem morbi, neque in ipso morbo, neque vnquam anteà. Neq; impossibile est, eosdem flatus qui sese intra tunicas intestinorum insinuant, in renes & vreteres posse transferri, ibidemque graues distensiones efficere; cum in omnes corporis partes flatus interdum deferri soleant, in ijsque dolores, aut palpitationes efficere. Imò verò non pauci existimant, dolores dentium acerbissimos à flatibus exoriri, in vasculis ad radices dentium, perreptantibus inclusis. Coniecturam meam auxit, quòd operante medicamento cathartico, flatus à lumbis ad alium sensibiliter ferebantur cum sonitu blando, qui ab adstantibus facilè audiebatur.

OBSERVATIO LIX.

Diarrhœa.

PAucis diebus ab affectu prædicto correptus sum diarrhœa biliosa, tanta acrimonia prædita, vt anum eroderet; ardoremque vrinæ concitaret, translata materia portione ad vrinas. Dysenteria erat in procinctu. Ingressus semicupium tepidum, illicò liberatus sum.

OBSERVATIO LX.

Epilepsia puerilis.

QVidam puer trimulus patiebatur insultum epilepticum à quo liberatus fuit fumo tabaci, quem minister tubulo attrahebat, & insufflabat in os pueri apertum; vomitus puero concitatus est, & paroxysmus solutus.

OBSERVATIO LXI.

Phthysis incipiens.

DIe decima quinta Octobris 1639. Filius Dn. Le Sage, Monspelienſis, 20. annos natus, duobus mensibus laborabat fluxione, in pulmonem decumbente, cum tussi frequenti spiratione, & febre lenta, ita vt in phthisim iam prolapsus videretur. Præscribo phlebotomiam, purgationem ex manna iusculo medicata, & alia remedia ordinaria. Sed præcipuum fuit causticum vtrique axillæ, quod fluxiones ad pectus delabentes, & humores in eo contentos potentissimè deriuat, hocque intrà mensem restitutus est.

OBSERVATIO LXII.

Febris maligna.

DIe decima octaua Octobr. 1639. Ioannes Vezian, Aromatarius Monspelienſis, annos natus 24. laborabat febre maligna, ex qua tandem circa vndecimam morbi diem incidit in delirium, & paucis postmodum diebus in motus tremulos, & conuulsiuos neruorum, qui phrenitidi lethali superuenire solent; per mensem ferè integrum delirium perseuerauit, conuulsiones verò per dies duodecim, tandem euasit post multorum remediorum vsum. Ea quę magis profuere, sunt sectio venæ frontis, & iulepi, compositi ex aquæ card. bened. ℥.iv. aquæ theriacalis ℥.iij. bezoartici mineral. ℈.ij. camphoræ gran. 12. quinquies fuere exhibiti.

DIe 8. Decembr. 1639. Petrus Randon Lapicida 30. annos natus, simili morbo correptus est, qui mitis admodùm videbatur vsque ad septimum diem, in quo delirus factus est. Die vndecima aperta est vena frontis, postridiè sumpsit iulepos prædictus bis, & sequenti die semel, ijsque omnis malignitas discussa est.

OBSERVATIO LXIII.

Pleuritis.

DIe decima quinta Decembris 1639. Vxor Dn. Clauseli, in Curia Computorum Subsidiorum, & Fisci Regij, Consiliarij, annos 20. nata incidit in pleuritidem sinistram, eadem die, qua menstruæ purgationes apparere inceperant, quæ tamen suppressæ propemodum fuere; quando quidem perexigua humoris subruffi quantitas excernebatur, nihil verò colorem sanguinis referens appareb at. Vocatus ego manè, ante lucem, hæsitaui aliquantulum, an vena malleoli esset aperienda ad iuuandum naturæ motum. Attamen quia dolor lateris admodum vrgebat, censui satius esse venam brachij aperire eiusdem lateris, quod bene successit; dolor enim lateris admodum imminutus est. Statim à phlebotomia celebratæ sunt frictiones crurum, admotæ ligaturæ tibijs, & cucurbitulæ femoribus, ad iuuandam purgationem menstruam. Post meridiem secta fuit vena malleoli, admota lateri fomenta, & linimenta, iniectus clyster inter duas venæ sectiones. Præscripti iulepi cum sale prunellæ; secundò, & tertio die menses aliquantulùm perseuerabant, sed perexigua quantitate. Quia tamen malum nõ vrgebat; naturæ negotium reliquimus, cum præcipuè anacatharsis esset libera, & liberalis per quam excernebatur multa pituita, leni rubore suffusa. Quartò, die, cum menstrua prorsus desijssent, & affectus non imminueretur, missus iterùm sanguis fuit mane, ad ℥.9. & post meridiem iterum ad ℥.6. Quintò iterùm missus sanguis manè ad ℥. 8. qui similis præcedentibus fuit, nempe valdè pituitosus, cum mulier tamen macilenta, & biliosa temperamento prædita esset; in fundo vasculi adustus apparebat. Eadem die post meridiem, iterata phlebotomia ad ℥. 6. & sanguis rubicundus apparuit in superficie, qui anteà albus apparuerat. Hinc coniecimus, sufficienter fuisse venam sectam, cum sanguis detractus fuisset vsque ad coloris mutationem, iuxta præceptum Hippocratis: & ægra meliusculè habuit, nocte dormiuit, per tres aut quatuor horas, cum omnes antea insomnes traduxisset. In emulsione tamen syrupi papauerini ℥. 2. admixtæ fuerant; continuatæ emulsiones cum sale prunellæ, & admotum lateri catapiasma ex materia fotus, cum farina sem. lini, oleo lilior. amygd. dulc. butyro recenti & croco. Sexto die sumpsit pomum coctum in quod immissa fuerat thuris puluer. ℥. j. superhausti aquæ cardui bened. ℥. iv. & corpus tegendo plus solito ad sudores eliciendos. Manè hora nona fuit administratum hoc medicamentum, non sudauit, sed sputa per tres aut quatuor hora maiori sanguinis copia tincta apparebant, & facilius expectorabantur. Circa secundinam horam pomeridianam non ampliùs rubra sputa apparuerunt: sed omninò alba. Febris remissior erat, & dolor lateris omninò sedatus, vt ægra in vtrumque latus indolenter decumberet. Continuatæ emulsiones, ad feruorem sanguinis temperandum. Septimo purgationes menstruę eruperunt copiosè, & per quatuor dies perseuerarunt, vndè febris admodum imminuta est, & dolor lateris omninò sublatus. Duodecimo, purgata est medicamento ex sennæ Unc. ß. rhab. Drach. j. mannæ, & syrupi rosac. an. ℥. j. benè successit purgatio, & ægra omninò curata est.

Eodem tempore villica quædam eodem morbo laborauit: post septimam phlebotomiam imminutus fuit morbus; die duodecima purgata est simili medicamento, vndè maximè leuata est, & morbus ad declinationem paucis postea diebus peruenit.

OBSERVATIO LXIV.

Febris maligna.

DIe 11. Ianuar. 1640. Mulier quinquagenaria, nomine Martina, olei proxenæta, febre maligna tenebatur eum maculis latis, & violaceis circa humeros, & ceruicem, sed parua copia. Vocatus fui sexta morbi die: pulsus erat humilis, & languidus, magna ad somnum propensio, & affectus

coma-

comatosus. Bis illi secta fuerat vena. Præscribo enema molliens, & laxans, vesicatorium cruci. Iulepos refrigerantes cum alexipharmacis. Septima, die omnia exacerbata. Octaua iterum vocatus, præscribo potionem diaphoreticam, ex bezoartici min. ℈.2. camphoræ gr.12. cum aqua card. bened. quæ per tres vices fuit iterata, post primam exhibitionem additus est fotus diaphoreticus toti ventri, & pectori cum spongijs admouendus post assumptam potionem, & pulsus validior factus est, ac magis ordinatus. Post biduum iterùm vocatus, inuenio signa malignitatis adhuc vigentis; vndè ægra in summo versabatur periculo. Præscribo iulepos ex decocto rad. pentaphyli, carlinæ, buglossi, foliis scordij, acetosæ, &c. manè, & serò sumendos, & quatuor vesicatoria, & brachijs, & cruribus admouenda. Die vndecima, parotis apparuit, quæ topicis medicamentis in suppurationem venit, & tandem ægra pristinæ sanitati restituta est.

OBSERVATIO LXV.

Hydrops.

Die 8. Nouembr. 1640. Ancilla vxoris Dn. Ducros, Patroni celeberrimi, post febrem tertianam incidit in hydropem, quia sese in accessionibus aqua ingurgitauerat. Præscribo infusum sennæ cum sale tartari per 12. dies, vnde meliusculè habuit. Postea apozema sequens illi exhibitum est.

℞. Rad. enulæ camp. gentianæ, valerianę, Iridis nostratis, & aristoloch. longæ ana Vnc. j. corticum radicum capparum; median. fraxini, & tamarisc. an. Vnc. ß. fol. agrimon. absynth. vtriusque chamędr. & centaur. min. an. M. j. liquir. ras. & passul. mundat. an Vnc. j. sennę mundat. Vnc. j. turbith. & agarici an. ℥. ß. sem. ebuli ℥. ß zinzib. & garyoph. an. ℈. j. coquantur ad ℔ v. in colatura dissolue syrupi de cichor. compos. cum rheo ℥. iv. fiat apozema pro iv. dosibus matutinis.

Hoc apozemate vniuersam humorum illuuiem per aluum, & vrinas deposuit, & omninò sanata est.

Non parùm contulit, ac curationem, quod illa, dum vteretur aliquo suffumigio, ad tibiarum tumorem discutiendum, vstionem in vtraque tibia passa est, vnde exulcerationes subsequutæ sunt, à quibus aqua multa effluxit per vsum apozematum.

OBSERVATIO LXVI.

Febris quartana.

Die 15. Octob. 1640. Filius Magistri Roche annos 12 natus, febre quartana liberatus est vsu infusionis sennæ cum sale tartari, per septem dies.

Decima quarta Nouembr. Dn. Peleserius 30. annos natus febre quartana detinebatur per tres menses, principio Nouembris, post vsum apozematis aperientis, quòd paulò ante sumpserat per quatuor dies, admixtis etiam purgantibus: tandem præscribo infusum sennæ cum sale tartari per 15 dies. At duodecima exhibitione cessauit febrilis accessio, neque ampliùs rediit. Est autem præditus temperamento melancholico, & difficillimè purgatur, vir robustus, & procerę staturæ. Principio infundebantur ℥. ß. sennæ ℥. j. salis tartari in ℥. x. aquæ, semel tantùm in die purgabatur: post aliquot dies salis tartari ℈. iv. admiscebantur, & bis in die purgatus est.

Post vsum huius remedij, quamvis ab accessionibus liber esset, præscripsi opiatam roborantem, & aperientem ad 12. dies, à qua pristinum faciei nitorem recuperauit.

OBSERVATIO LXVII.

Hydrops.

Die vigesima Febr. 1641. Vidua Pauli Ducros, ciuis Monspelliensis sexagenaria, hydrope cum asthamate correpta est, ita vt totus venter fœmora, & tibiæ valdè intumuerint. Habitus fuerat tota vita pinguis admodum, & pituitosus. Præscripsi post quędam alia remedia decoctum guaiaci, cum senna, agarico, turpeto, & hermodactylis, per 15. dies continuos vsurpandum.

Posteà sequentibus duobus remedijs, per mensem continuatis, integrè restituta est.

℞. Rad. enulæ camp. apij, fœniculi, & Iridis siccarum ana ℥. j. ß. rad. valerianæ, gentianæ asari, scillæ ana ℥. j. corticis mediani sambuci, & ligni sassafras ana ℥. vj. fol. absynth. agrim. chamædr. capill. Ven. siccorum ana ℥. ij. summit. centaur. min. & flor. genistæ ana ℥. j. sem. petrosel. ameos, anethi, ana ℥. j. ß. cinnam. ℥. ij. conquassentur omnia, & infundantur in vini albi ℔ iv. per aliquot dies; deinde huius vini capiat ℥. 2. vel ℥. singulis diebus manè duabus horis ante pastum.

Quarto vel quinto quoque die capiat dosin pulueris sequentis. ℞. Sennæ mundat. turbith. gummosi, hermodactyl. Sem. ebuli, rad. ialapæ, & mechoacam. ana Vnc. j. cremoris tartari drach. ij. guttæ gummi drach. ß. pulueri. diambræ, diarrhodon abbatis & sem. fœniculi ana ℈. j. sacchar. candi drach. iij. fiat omnium pulvis, cuius ℥. ij. infundantur per noctem in vini prædicti Vnc. iiij. capiat manè vinum, & pulueretur.

OBSERVATIO LXVIII.

Vlcus ginginarum.

Die vigesima tertia Februarij 1641. Filia Dn. de Rastenclieres annos 18. nata cum à duobus annis gingiuarum erosiones contumaces passa esset in maxilla inferiori, ad radices trium dentium anteriorum, qui incisorij nominantur vt dentes vacillarent, & vsque ad alueolum carne denudati essent, ab eo affectu nonnisi multo labore, & multis remedijs liberata est: propterea quod à lienis intemperie calida, & sicca, atque adeò atrabilaria constitutione dependebat. Cùm per annum integrum curata remansisset, obortà est pustula in eodem loco, sed paulò inferiùs, scilicet iuxta ipsam maxillam, & in ea parte, in qua labrum inferius à maxilla separari incipit. Post quatuor, aut quinque menses cum nulla remedia adhibuisset, pustula disrupta est, & remansit vlcus cum denudatione ossis mandibulæ, quod intuentibus patebat omninò nudum, ad magnitudinem dimidia partis vnguis.

Post phlebotomiam & purgationem sequenti balsamo intra 15. dies vlcus omninò consolidatum.

℞. Myrrhæ electæ, & sacchari candi ana partes æquales pulucrentur, ipsque implea ur album oui coctum & per medium sectum, filo probè alligetur, & suspendatur, in cella Vinaria, supponendo vas vitreum, instillabit liquor, seu balsamus, quo par in die saepiùs illinatur.

OBSERVATIO LXIX.

Inflatio totius corporis in puero.

Die tertia Iunij 1641. Filius Roche Ciuis Monspelienſis, ætatis 18. mensium, toto corpore inflatus est subito, cum febre; & alter filius eiusdem familiæ ex eodem affectu incrierat. Varia per 10. aut 12. dies à me præscripta sunt remedia: purgatio nempe, clysteres, iulepi aperientes, vesicatorium, unctiones. Tandem præscribo syrupum ex decocto agrimonij, absinthij vtrisque, & centauri minoris, sumendum bis ex cochleari in die. Et intra triduum conualuit, succedente alui fluxu, & vrinæ profluuio.

OBSERVATIO LXX.

Dolor venereus in vno brachio.

Die decima quinta Junii 1641. Nobilis quidam extraneus 30. annos natus, ante biennium patius eratluem veneream, ex qua male curata relictus est dolor in brachio sinistro, totum ferè radium & cubitum continens qui noctu exacerbabatur, & circa periostium sentiebatur. Præscribo purgationem vniuersalem, & phleborom am iteratam. Postea diætam, sudoriferam per 12. dies, manè sumebat decoctum, & vesperi suffiebatur brachium decocto guaiaci, & herbarum cephalicarum, cum aqua, & vino albo parato, quo irrorabantur filices candentes, sicque multos sudor in brachio excitabatur. Post sudorem, admouebatur emplastrum de vigo, quadruplicato mercurio. Finita diæta, continuatum suffumigium per quinque dies, & serò, & postea imponebatur emplastrum, in Ischiade præscriptum, ex auripigmento, viridi æris, &c. compositum, quod pustulas excitauit, & vlcuscula in ijs locis, in quibus dolor maximè vrgere solebat, sicque omninò curatus est.

OBSERVATIO LXXI.

Colica bilioſa.

REligioſus quidam obnoxius erat colicę bilioſæ diuturnę, & contumaci, quæ ſæpè recurrebat. Cuiuſdam conſilio ſumpſit mane fruſtum butyri recentis ſuperbibendo parum vini. Hoc remedio per longum tempus continuato ab affectu liber, & immunis euaſit.

OBSERVATIO LXXII.

Dolor Iſchiadicus.

FIlius D. Paſcheque Medici Lunellenſis, arctiſſimo amicitię vinculo mihi coniunctiſſimi, correptus eſt dolore Iſchiadico, cui ſucceſſit ſtupor quidem brachiorum, & actio digitorum quodammodo læſa cum aliqua reſpirandi difficultate. Hæc omnia ſymptomata ab eodem affectu proueniebant, ratione quarti muſculi thoracis, qui oritur ab oſſe ſacro, & ab interno oſſe illum, & ſcandens per lumborum vertebras, decem primis coſtis adhæret, ac inſeritur ſeptimæ ceruicis vertebræ; vt non ſit mirum, ſi dum in exordio afficitur hic muſculus, tumore, vel dolore, vel laſſitudine aliqua, quæ ſit tenſiua, vel vlceroſa, vel phlegmonodes; læduntur partes quibus annectitur. Cum igitur inſeruiat reſpirationi, ea læditur hoc muſculo affecto in ſua origine. Et cum inſeratur vertebris ceruicis, à quibus nerui, brachijs inſeruientes, oriuntur, par eſt brachiorum, & digitorum actiones læsi. Hæc fuſius explicantur à Sanctorio lib. 2. c. 20. de vitandis erroribus.

OBSERVATIO LXXIII.

Febris maligna.

DIe vigeſima ſexta Octobr. 1641. Filia D. Conte Mercatoris Monſpelienſis, 20. annos nata, correpta eſt febre maligna quæ eò vſque proceſſit, non obſtantibus remedijs ordinarijs, vt circa undecimum morbi diem in delirium per interualla recurrens, & neruorum contractiones, in carpis præcipuè apparentes, inciderit; quibus accedebant interdum lipothymiæ & leatores nigerrimi dentibus adhærebant. Lingua erat ſcabra, nigra, & exuſta. In graui illo periculo præter epithemata, & pullos columbinos, aliaque toborantia, tùm interna, tùm externa, ſequentia remedia præſcripſi, quæ in hiſce affectibus maximæ ſolent eſſe efficaciæ. Nempè veſicatoria quinque, ceruici, brachijs, femoribus admouenda. Iulepos ex aquę cardui bened. vnc. 3. aquę theriacalis Bauderonij ʒ. 3. bezoart. mineral. ʒ. 2. & camphoræ gr. 6. qui Iulepi per biduum vſurpati fuere, mane, & ſerò. Tum etiam dictum bezoar. mineral. exhibebatur in ſingulis iuſculis ad ʒ. j. Hiſce remedijs intra paucos dies à graui illo morbo liberata eſt.

OBSERVATIO LXXIV.

Gonorrhœa.

VIr quadragenarius ex impuro concubitu gonorrhœam contraxit, cui ab initio præſcripſi bolum ex caſſiæ ʒ. j. rhab. puluer. & cryſtalli tartari, ſingulorum ʒ. j. ſequenti die volebam ſanguinem mittere ex pede, quod ipſe ægre renuit. Emulſiones præſcriptæ ſunt adhibitæ, aut quatuor dies, quibus vrinæ acrimonia temperata eſt, fluxu eodem modo perſeuerante. Poſtmodùm ptiſana laxante vſus eſt per ſeptem dies continuos, in hunc modum præſcripta.

℞. Tamarind. ʒ. 2. aquæ fontis ℔. 4. coquantur ad ℔. 3. colaturæ infunde frigidè per noctem ſennæ mund. ſem. coriandri, liquir. & roſar. rubr. an. ʒ. 2. capiat cyathum vnum mane, vna hora ante paſtum. Hoc remedio fluxus, valde imminutus eſt, ad quem omninò delendum, bolum ſequentem præſcripſi.

℞. Terebinthinæ Ven. ʒ. iij. rhab. puluer. ʒ. j. fiat bolus, quem capiat manè per quinque dies.

Deinde aqua ſequenti vſus eſt per ſeptem dies.

℞. Menthæ ſiccę ʒ. 2. ſem. lactucæ, ruthę agni caſti an. ʒ. 2. ß. ireos florent. ʒ. 2. tol. dictamni. ʒ. x. ſacch. optimi ℔. 2. omnia puluerizentur addendo terebinth. Uenet. Vnc. v. vini albi generoſi Vnc. xxx. Miſce, fiat deſtillatio in balneo, capiat æger cochlearia duo, mane, duabus horis ante cibum. Hoc modo gonorrhœa curata eſt. Quia tamen exigua quædam humiditas in extremitate glandis frequenter appa ebat, vt in fine gonorrhœæ plerumque fieri conſueuit; ad eam prorſus cohibendam, & exſiccandam, ſequentes piluiæ præſcriptæ ſunt.

℞. Gummi arabici, tragacant. carabæ, mumię, boli armen. ana ʒ. j. puluerizentur, & cum ſyrupo de roſ. ſicc. fiat maſſa pilularum, de qua capiat ℈. j. ſingulis diebus manè, duabus horis ante paſtum, per 8. vel 9. dies. Et ita fluxus omninò cohibitus eſt.

OBSERVATIO LXXV.

Empyema.

FIlius Dn. de Plantade in Curia Computorum. Subſidiorum, & Fiſci Regij, Conſiliarij, quintum ætatis annum agens, febre continua laborabat, per duos ferè menſes perſeuerante, cum tuſſi, frequenti, ac moleſta, ita vt ad tabem vergere crederetur. Tandem vocatis in conſilium Medicis relatum fuit illum conqueri de dolore lateris ſiniſtri, præcipuè, cum circa illam regionem manu contrectaretur. Tum etiam relatum fuit, in febris principio illum perſenſiſſe aliquem dolorem in illo latere, qui tamen intra paucos dies delituerat; idcircò pleuriticus non fuit iudicatus à Medico ordinario. Suſpicio fuit Empyema aliquod ibi latere, atque vt res clarior euaderet, decretum fuit, admouendum eſſe per aliquot dies cataplaſma emolliens, & attrahens, quo per triduum admoto, apparuit eleuatio quædam in parte, & in ea fluctuatio ſubobſcura percipiebatur. Conuocato iterum conſilio, de empyemate nemo ampliùs dubitauit: Et aperitione facta pus copioſum effluxit, eiuſque vacuatio per duos menſes continuata eſt, donec tota materia euacuata, æger tandem priſtinę ſanitati reſtitutus fuerit.

OBSERVATIO LXXVI.

Vlcus cum oſſis carie.

PVer 15. annorum vlcus habebat veruſtum in metapedio, quod à perito. Chirurgo per annum integrum curati non potuit. Alter Chirurgus Iunior, cum poſtmodùm æger commiſſus fuit, dilatato vlcere cariem percipit, puluerem catagmaticum imponit ad tollendam cariem, & fruſtra; poſteà oleum ſulphuris admouet; fruſtra; poſtmodum me conſulit, iubeo, imponi puluerem euphorbij, prima applicatione cum plumaceolo, ex linteo detrito facta, multæ educuntur exiguæ oſſium ſquillæ. Secunda die pulmaceolum nudum admouet, tertia die eundem puluerem denuò applicat, & plures iterum ſquillæ egreſſę ſunt, vt deinde os mundum, & à carie repurgatum apparuit, atque vlcus poſtmodùm intrà breue tempus curatum fuerit.

OBSERVATIO LXXVII.

Difficultas ſpirandi cum pulſu valdè inæquali.

CLariſſima Domina de la Roquette, ſexagenaria, pinguis admodum, & obæſa, vitam agens ſedentariam, admodùm religioſa, & diuturnis orationibus dedita; à quindecim annis difficultate ſpirandi laborare cœpit, quæ paulatim incrementum ſuſceperat; ita vt iam ſcalas aſcendens, in tertio vel quarto quoque gradu conquieſcere cogeretur. Circa principium menſis Ianuarij anni 1642. cum iter faceret in aere Auſtrino, & pluuioſo, ſubitò correpta eſt catarrho, partim in pulmonem, partim in mandibulas delabente. Inde aucta eſt difficultas ſpirandi, & tumor apparuit in gena dextra tùm mandibulæ ita erant coarctatæ, vt nullum cibum capere poſſet ſed iuſculum tantum ſorbillaret. Corripi ſolebat per interualla iam à multis annis, Eriſypelate tibiæ ſiniſtræ, quod ſæpè ex vlcerari conſueuerat; & ante huius catarrhi inuaſionem etiam apparuerat, cum vlceratione inſigni. Vocatus ego ad eam, octaua die morbi, inuenio pulſum admodum inæqualem, tertia vel quarta quauis pulſatione intermittentem, cum difficillima reſpiratione: vnde conieci graue eſſe malum, non ſolum in pulmone, ſed etiam in corde, aut vaſis cordi proximi, & ægram morituram prædixi. Quod prognoſticum certius reddebatur ex eo, quod

eo quòd vlcus Erisypelatis subito, ac de repente exsiccatum fuerat; iuxta sententiam Hippocr. aph. 25. sect. 6. Erisypelas foris introconuerti, malum. Præterea, resoluto paucis diebus genæ tumore, mandibulæ nihilominus clausæ permanserunt, tumque apparuit, illam constrictionem mandibularum à musculorum, eas mouentium conuulsione dependere. Decimo quinto morbi die, matutinis horis dexter oculus clausus apparuit, altero aperto existente, quòd contingit ex palpebræ paralysi, quæ grauiorem effectum minabatur, qui eodem die post meridiem contingit; scilicet apoplexia leuis, à qua intra duas horas aliquantulum resurrexit, sed media corporis pars, sinistra nimirum, reddita est paralytica. Et triduo post sensim fatiscentibus viribus extincta est.

Toto morbi decursu nulla tussis difficultatem spirandi comitata est neque sterror, nisi per vnum diem, ante interitum. Aperto cadauere lien repertus est putredine affectus, ita vt leui compressione in frusta discederet. Pulmonis substantia liuida, & humore aqueo perfusa, vnusque illius lobus, ad sinistram partem situs, pituita putrida, & purulenta refertus. Cordis ventriculus dexter, parte interiori, membrana denudatus, putridus, & exulceratus apparuit; vt illius fibræ carnosæ, summis digitis contrectando, in frustula secederent. Auricula dextra solito maior apparuit, & omninò referta substantia quadam carnosa, partim rubra, partim nigricante, sanguini concreto, simili, quæ tamen manibus diuidi non poterat. Hos duobus affectus, auriculæ nimirum, & ventriculi dextri, puto causam fuisse tantæ pulsus inæqualitatis, & intermissionis; dum cor rem sibi molestam, excutere tentans, varijs moribus quateretur; vnde pulsus naturalis interruptio atque interceptio oriebatur, spirandi verò difficultatem à pulmonis infarctu ortam esse satis manifestum est.

Similem pulsus inæqualitatem mihi videre contingit in duobus alijs ægrotantibus, duorum vnus erat filius D. Hugonis, Mercatoris Monspelienſis, quinque annos natus, qui tali pulsus inæqualitate diu vexatus tandem interijt. In aperto cadauere nihil præter naturam apparuit præter auriculam cordis dextram, quæ multò maior solito apparebat, & omninò referta erat substantia quadam pituitosa, dura, & concreta instar nucis maiusculæ, quæ quidem liberum cordis motum impediebat, & dictam pulsus inæqualitatem pariebat. Similes pulsus apparuerunt in filia Dn. C. 20. annos nata, in cuius cadauere aperto inuentum est vlcus in ipso corde, quo media ferre illius substantia absumpta fuerat. Horum casuum historiæ superioribus obseruationibus descriptæ sunt.

OBSERVATIO LXXVIII.

Phthisis.

FIlia D. Salomonis Ciuis Monspelienſis, annos circiter 25. nata, bilioso admodum temperamento prædita, grauiflux ione, in pulmonem decumbente, ab aliquot mensibus detinebatur, cum tussi molesta dies noctesque affligente, vigilijs perpetuis, dolore pectoris, febre lenta, alui constrictione, & macie totius corporis, ita vt phthisica omninò videretur, & à multis diebus lecto affixa, ad interitum rueret. Vocatus ego, calidissimam viscerum intemperiem aduertens, & perpetuam alui constrictionem, maximè importunam, præmisso clystere molliente, iubeo sanguinem detrahi ad ℥. vij. mox dua caustica adhiberi interscapulio, iuxta spinam dorsi. Ptisanam laxantem præscribo per quinque dies continuos vsurpandam, cuius descriptio talis est.

℞. Tamarindor. ℥.j.ß. aquæ fontis ℔.3. Coquantur ad ℔. 2. in colatura infunde frigide per noctem sennæ mundat. coriandri, & liquirit. contusor. ana drach. 2. rosar. rubr. drac. j. colaturæ capiat cyathum vnum, manè hora vna ante pastum.

Paucis hisce remedijs ita restituta est, vt post quindecim dies è lecto surrexerit, & ad consueta munia sese conferre cœperit. Manebat tamen alui constrictio & somni vacuitas, quibus affectibus eliminandis præscribo primum bolum ex conserua rosar. ℥.j. & laudani gr. j. compositum, quo per quatuor aut quinque horas dormiuit, ac deinceps, singulis noctibus fere integris sine vllius remedij auxilio. Deinde iubeo, vt ptisanam laxantem reiteret per aliquot dies. Uere sequente, lacte asinino per mensem vsurpato, omnino restituta est.

OBSERVATIO LXXIX.

Pleuritis.

DIe 4. April. 1642. Filius D. Roche Ciuis Monspelienſis, annos duodecim natus, laborabat pleuritide lateris dextri. Quinquies secta fuit vena, & alia remedia ordinaria administrata vsque ad septimam diem. Febris erat intensa, cum inquietudine magna, dolor valdè vrgebat. Exhibita fuit, die septima, fulignis caminis puluer. ℥.ß. cum aqua cardui benedicti, intra duas horas ab assumptione omnia symptomata valdè remiserunt, ægerque multo melius habuit & postmodum sensim conualuit.

OBSERVATIO LXXX.

Raucedo.

FIlia D. Vicentij Luuellensis, nata annos 20. cum sese aeri frigido exposuisset, incidit in raucedinem ita grauem, vt nullam vere vocem edere posset, sine tussi, sine difficultate spirandi, & sine catarrho apparente. Perseuerauit affectus, per sex menses multa remedia fuere vsurpata; sed frustra. Tandem inter dormiendum aquosa materiæ quantitas mediocris per aurem effluxit, liberè loqui cœpit, ac vocem claram edere. Inde conijcere licet, dicti humoris collectionem, in cerebro factam, eum occupasse nerui ramum, qui à quinta coniugatione fertur ad musculos laryngis à quibus vox efformatur, vnde illi musculi veluti paralytici euaserant.

Post quatuor menses altera virgo Lunellensis, Rudaude nominata, eodem affectus laborans ab octo mensibus, meum consilium exposcit. Exemplo superiori edoctus censui, omnem intentionem curatiuam ad materiam serosam aut pituitosam, in cerebro collectam, euacuandam vel discutiendam, dirigi debere. Et præmissa venæ sectione, ac purgatione, præscripsi decoctum guaiaci, & salsæ parillæ, cum senna, agarico, turbith. & hermodact. per 20. dies sumendum, cum bocheto ex salsa parilla, & victu exsiccante, postea misi eam ad thermas Balerucanas, vbi sudauit per triduum, & affectus integrè curatus est.

OBSERUATIO LXXXI.

Lues venerea inueterata, cum calido, & sicco temperamento, ac ferè atrabilario.

NObilis quidam annos natus 35. dicto temperamento præditus, à duobus annis lue venerea laborans vicera fœda in palato, labro superiori, & circa nasi radicem patiebatur. Primò tractatus fuerat per sudores, & hydrargyrosin, quibus curatus videbatur; sed paucis postea diebus vlcera recrudescant, & æger ad priorem statum redit. Iterùm curatio instituitur per sudorifica, & frictiones mercuriales, à quibus peius habuit. Tertiò instituitur curatio priori contraria per refrigerantia, & humectantia omissis prorsus luem oppugnantibus; sed nullo profectu. Tandem Monspelium se conferens, & consilium trium Medicorum implorans, tale præscriptum retulit. Vt scilicet tum à calida, & sicca viscerum intemperie, tum à lue ipsa indicationes sumerentur, quod sequentibus remedijs præstitum fuit.

Primùm clyster molliens iniectus.

Secundò, potio refrigerans, & purgans præscripta.

Tertiò venæ sectio ad ℥.9.

Quartò, apozema refrigerans, & purgans.

Quintò, balneum tepidum per biduum.

Ab exitu vltimi balnei prouocatio hæmorrhoidum.

Postea diæta liberali, & temperata præscripta, & salsa parilla, & ligno guaiaco, addendo sua finem decocti cichorium, endiuiam, acetosam, & tamarindo, vtatur per quinque dies, sudores leniſſimè prouocando.

Interim vtatur bocheto ex salsa parilla, cum victu liberali, & non exsiccante.

Post vsum decocti sudorifici, per quinque dies reiteretur potio laxans prædicta.

Per biduum sequens reiteretur balneum.

Postea vtatur rursum decocto sudorifico per quinque dies, ex solis sudorificis prædictis parato sine additione

herbarum, & tamarindorum. Et prouoca buntur sudores cum vapore spiritus vini, tinctura guaiacij imprægnati.

Post sudores, iteratos per quinque dies, iterum purgetur potione prædicta, quam sequatur balneum per biduum.

Et iterum repetantur sudores per quinque dies, cum decocto guaiaci solius, elapsisque quinque diebus, capiet iterum potionem purgantem, & postea vtetur balneo tepido per biduum.

Hanc methodum continuabit, donec vlcera consolidata fuerint. Atque vt eorum curatio magis promoueatur; topicis vtetur sequentibus.

Primò fiet gargarisma ex decocto rasuræ guaiaci, additus radicibus symphiti maioris, & aristolochiæ rotundæ, foliis agrimon. vincæ peruicæ, prunell. piloselle, betonicæ ana M. j. sumit. hyperici, rosis rubris, dissoluendo postea mel rosaceum.

Vlcera externa curentur primò infusione lithargyrij ex aceto parata. Et si eruptis ablatis valdè sordida appareant, sequens vnguentum vsurpabitur.

℞. Ol. rosac. omphacini ʒ.j.ß. succi plantag. & solani ana ʒ.j. buliant ad succorum consumpt. postea adde plumbi vsti & loti ʒ.iv. ceræ albæ q. s. fiat vnguentum.

Si gargarisma nimis ingratum videatur; poterit fieri sine aristolochia, & augeri quantitas mellis; aut loco illius poni sacchatum rosaceum.

Curatis vlceribus, vtatur adhuc per mensem vnum aut alterum bocheto prædicto.

In fine dietæ reiteretur purgatio, & balneum; & capiat iuscula refrigerantia per decem dies, in quibus dissoluetur salis prunellæ ʒ.j. crystalli tartari ʒ.ß. sacchari albi Drach. iij. Cum incipiet vti iusculis, applicatur cauterium vtrique tibiæ.

Denique ad firmandam curationem vtatur, per aliquod tempus opiata, ex sudorificis, & purgantibus composita, cuius descriptionem in Renodæi Pharmacopœa videre est.

OBSERVATIO LXXXII.

Vrinæ suppressio.

QVidam septuagenarius, cum successorem equum conscendisset per aliquot milliaria, incidit in vrinæ, suppressionem, qua ægrè, & guttatim vrinam excernebat. Ab alio Medico primum iniectus fuit clyster, sanguis detractus, & semicupium administratum; tum potiones quædam diureticæ exhibitæ. Cum non melius inde haberet; vocatus ego, aduerto tensionem & duritiem in regione vesicæ, cum dolore qui comprimendo tantum percipiebatur. Præterea æger patiebatur dolores in dorso, scapulis, & pectore, vt ægrè sese commouere posset. Tempestas erat Austrina, & pluuiosa. Conijcio hæc omnia fieri à catarrho è capite delabente, & influxum humorem vesicæ corpus inuasisse, ibique tumorem quendam excitasse, à quo sphincter vesicæ comprimebatur, eiusdemque vesicæ meatus angustior euaserat. Ideò ad fluentis humoris diuersionem, & vacuationem præscripsi apozema purgans, & temperatum, per triduum, vesicatorium posteriori parti ceruicis, & fotum emollientem ac parum, resoluentem, regioni vesicæ admouendum ac linimentum, ijsdem viribus præditum. Per apozematis vsum vrinæ in dies melius procedebant, ita vt triduo elapso multò commodiùs, & liberaliùs eas reddiderit. Postmodum præscripsi bolum ex terebinthina, & puluere liquiritiæ triduum, & fotum & clysterem, ex decocto emolliente, & magis resoluente paratam, & cataplasma ex residentia decocti, & cum farina fabarum, & fœnugr. oleo anethino, & chamomelino. His ad pristinam sanitatem restitutus est.

OBSERVATIO LXXXIII.

Febres puerorum.

FIlius Dn. Pauli, Ciuis Monspelienſis tres annos natus, laborare cœpit febre acutissima, quæ statim ab initio ad vigorem peruenit: aderat sitis perpetua, & inextinguibilis, quæ ab initio ad finem perseuerant, & intra quinque dies extinctus est. Extremorum frigiditas sæpe apparuit, & postremis diebus perseuerauit; ita vt febrem lypiriam referre. Aperto cadauere nulla inflammatio apparuit in ventriculo intestinis, aliaue parte, cuius magna erat suspicio, ex symptomatis propositis. Et cum nulla causa appareret tantorum symptomatum, omniaque viscera benè constituta essent; existimaui, grauia illa symptomata à maligna, & venenata qualitate prodisse, ex varioli nimirum, quæ tunc temporis grassabantur, quas puer ille non potuit excludere, propter natiuam quandam imbecillitatem, qua præditus erat, & veneni vehementiam. Hæc contigerunt circa initium mensis Iulij anni 1642.

Eodem tempore duæ puellulæ, octo menses natæ ægrotare cœperunt ex alui fluxu frequenti, quo bilis porracea, & æruginosa excernebatur, cum febre intensissima. Vtrique præscripsi clysteres iusculo, vitello oui, & confect. de Hyacintho; linimentum ventri ex vnguento rosaceo, comitissæ, & oleo cydoniorum; Epithemata cordi refrigerantia, & roborantia, & iulepos ex aqua plantaginis, portulacæ, syrupo cydoniorum, confectione de hyacintho, & salæ prunellæ, quibus vtebantur ex cochleari frequenter, & intra biduum febris valdè remissa est, ac propemodum extincta, aluique fluxus admodum imminutus. Nutrici victus refrigerans imperatus fuit.

OBSERVATIO LXXXIV.

Dysenteria.

DIe tertia Augusti 1642. Vxor mea incidit in grauem dysenteriam, pomeridianis horis, ab assumpto pridiè pharmaco leuiori, qui morbus tunc temporis populariter grassabatur. Circa horam somni exhibeo laudani ad gr. 2. cum conserua rosarum; postridie, hora secunda pomeridiana, cum perseueraret affectus, exhibeo eiusdem Laudani gr. 2. continuauit alui fluxus, sine sanguinea eiectione, qui per quinque vel sex dies perseuerauit non admodum molestus. Ac tandem medicamento ex infusione rhab. & myrob. cum rhab. pulu. rosac. omninò sublatus est.

OBSERVATIO LXXXV.

Hydrops.

JOannes Haguenotus Chirurgus, annos natus circiter 27. laborauit rheumatico affectu, cum doloribus vniuersalibus ex calida hepatis intemperie oriundis, qui affectus, per quatuor, aut quinque menses perseuerans, eum ad extremam maciem perduxit, cum febre lenta perpetua. Tandem, non obstantibus varijs remedijs, quæ ad tanta mala expugnanda fuere adhibita, incidit in hydropem, partim ascite, partim tympanitem, ex quo venter in magnam molem intumuit. Post multa præsidia frustra tentata, & varias consultationes irritas, rum desperatus omninò videretur, mihi soli committitur. Aderat extrema macies, vt musculi omninò consumpti essent, sicut in febre hectica tertij gradus. Existimabam ipsam hepatis substantiam esse valdè labefactatam, vt eam restituere esset impossibile. Ideò præmisso tali prognostico tentandi gratia, curationem aggredior die 40. Mensis Augusti, anni 1642. Ac primum exhibeo pilulas panchymagogas cum calomelanos Turqueti ℈ j. Purgatus fuit sexies cum Euphoria, deiecit serosa multa, & pituitosa.

Sequenti die aggressus est vsum apozematum sequentium.

℞. Rad. asparagi, bruſci, & enullæ campanæ ana ʒ.j. cortic. mediani fraxini, & tamarisci ana ʒ.ß. rad. valerianæ aristolochiæ rot. & asari ana Drach. ij. fol. cichor. agrim. ceterach. & capill. ven. an. M. j. absynthij vtriusque, chamedr. & centaur. min. an. M.ß. coquantur ad ℔.j. In colatura dissolue syrupi capil. ven. Vnc. ij. fiat apozema pro ij. dosibus matutinis, addendo cuilibet dosi salis diuretici Drach. j. spiritus diuretici Gutt. xxx. Continuauit per sex dies; deijciebat bis, aut ter singulis diebus pituitosa, & serosa. Septimo die sumpsit iterum pilulas prædictas cum eodem effectu. Postea continuauit apozema per quindecim dies, & totus venter detumuit quotidie enim deijciebat quater, aut quinquies, serosa, & pituitosa, & copiosas vrinas profundebat. Manebat extrema macies cum inappetentia. Præscribo puluerem ex vitrioli martis ʒ. j. & rasuræ eboris ʒ. ij. sumebat primum ℈.j. manè eum panatella; eodemque tempore exhibebantur manè, & serò tincturæ rosarum cochl. ij. Hæc per biduum tantum continuata fuere. Sed quia venter adhuc sub tumidus erat, & materia pituitosa, ac valde cruda per alium ejiciebatur,

batur, redijt ad iulepos aperientes, qui ex decocto rad. & herbar. aperient. temperat. compositi erant ad ecto sale, & spiritu prædictis, quia ex longo prioris decocti vsu nimia siccitas timebatur. Sumebat eundem iulepum vesperi sine sale, & spiritu, sed cum syrupo limonum, ad sitim temperandam. Deijciebat vt supra, pituitosa, & aquosa. Vespertino Iulepo addebatur interdum ℥. j. tincturæ corallorum, ad hepatis robur, & refrigerium. His per 12. dies continuatis, venter omninò detumuit, & interim cutis totius corporis mollior ad tactum apparebat, musculi impleri, & totus habitus refici incipiebant, appetitus vigebat, & decoctio in ventriculo ritè conficiebatur. Tandem ad viscera roboranda, & facultatem expultricem, quæ segnis remanebat, leuiter irritandam, singulis diebus exhibebatur rhab. ℥. ß. cum syrupo de absinthio pontico in boli formam redacto. Hic bolus per quinque dies continuatus fuit. Postea ab omni remedio abstinuit, per totidem dies. Postmodum ad maciem reparandam balneo vsus est, ex hordeo, & amygdalis confecto, quod semel in septimana iterabatur. Cum autem per mensem integrum à purgatione abstinuisset; doloribus quibusdam in artubus cruciari cæpit, non tamen admodum vehementibus, qui cum per plures dies continuassent, me iterum vocauit. Ego autem purgatione tollendam esse fluxionem asserui. Ille contra dicebat dolores prægressos, qui in principio morbi apparuerant, è purgatione non parum fuisse irritatus. Hoc causæ fuit, quod purgantia vulgaria adhibere noluerim, sed exhibitis pululis prædictis blandè purgatus est, & dolores prorsus sublati sunt. Curatus ab hydrope omninò fuit, sed cum incauta admodum victus ratione vteretur, & cibos absurdos identidem ingereret, in febrem tertianam incidit, à qua liberatus quibusdam remedijs, post 15. dies iterum in eam recidebat, & sic per quatuor, aut quinque menses vixit, tertianæ paroxysmis identidem redeuntibus ex nouis in victu erroribus, donec tandem è viuis discessit: cum tamen per sex menses ante obitum ab hydrope liber continuò degerit.

OBSERVATIO LXXXVI.

Gangrænæ ex Vesicatorio.

MEnse Augusto 1642. Filia Dn. Bon in Computorum, Vectigalium, & Fisci Regij tunc Consiliarij, nunc verò Protopræsidis, annos duos cum dimidio nata, laborans febre maligna variis remedijs curata est, & cum inter cætera vesicatorium præscriptum esset, pharmacopæus ex emplastro vesicatorio officinarum composuit, & ad vim illius augendam, multo puluere cantaridum sinapizauit, vnde cutis exusta est, sequenti die tota illa pars, quæ à vesicatorio continebatur, gangræna affecta apparuit. Ad cuius curationem celebratis scarificationibus, fotus admotus est ex aqua vitæ, deinde linimentum ex vnguento ægyptiaco, in aqua vitæ dissoluto. Intra, triduum eschara separata est, & vlcus residuum curatum sequenti vnguento.

℞. Pinguedinis renum bouis Vnc. j. lythargiri præpar. & minij ana scr. j. olei rosac. q. s. fiat vnguentum.

OBSERVATIO LXXXVII.

Febris maligna.

IOannis Richardus, ciuis Monspelienſis, cum laborasset febre maligna per sex septimanas, tanta virium deiectione detinebatur, vt breui moriturus videretur. Ego tunc temporis eum videre incipiens, & audiens, parum expurgatam fuisse toto morbi decursu, ab humorum sarcina vires opprimi censui, eas tamen adeò deiectas, vix purgationem sustinere posse. Ideò per epicrasin purgationem instituì, & potionem præscripsi ex infusione ℈. j. sennæ, in aqua cichorij, cum salis tartari ℈. ß. addendo syrupi ros. ℥. j. continuata fuit potio per triduum, ex ea bis deijciebat singulis diebus, vires paululum recreatæ, quarto die sumpsit syrupi de absynthio pontico ℥. j. quinto exhibita infusio ℥. j. sennæ, & per biduum continuata, blande purgatus est cum fructu. Vnde melius habere cœpit, sensim conualuit, repetitis per interualla purgationibus. Post aliquod tempus recidiuam passus est, & Medicum non vocauit, donec ad extrema redactus fuerit: atque ita vltimum diem clausit. Hoc tantum in hac obseruatione notatu dignum est, medicamentum purgans exhiberi posse in summa virium deiectione, modo perexigua dosis præscribatur.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Alui fluxus in puero.

FIlius Dn. Audessan in Curia Computorum, &c. Consiliarij, annos quatuor natus, diuturno alui fluxo laborabat, cum inappetentia, & deiectione virium. Origo illius alui fluxus erat ex prauo victus ratione, cum enim pluribus cibis ingurgitabant, & merum aliquando ei exhibebant; inde calor natiuus ita attritus est, vt alimenta in cruda, & pituitosa excrementa conuerterentur; nihil enim ferè, nisi meram pituitam deijciebat, quo tempore eum videre cœpi: cum ramen antea flaua, virida, æruginosa, & sanguinolenta reiecisset, vt mihi relatum est. Instituta victus ratione, præscribo medicamentum, ex syrupi de cichorio compositi Vnc. j. cum rhab. ℥. ß. per triduum, exhibendum, deinde tincturam corallorum manè, & serò sumendam, ad cochlearia duo; intra quinque dies meliùs habuit, & continuatis remedijs, paucis diebus restitutus est.

OBSERVATIO LXXXIX.

Alui fluxus diuturnus, & dolor capitis contumax.

DIe septima mensis Octobris anni 1642. Vocatus sum Lodouam ad Dominum Fleuty, Fisci Regij Quæstorem octogenarium, laborantem alui fluxu diuturno, à duobus mensibus eum infestante, quo multa serosa, & cruda excernebat; præcipuè verò nocturnis horis alui fluxus exacerbabatur; ex quo, & alijs signis conijcere licuit à cerebro potissimum influxum dependere. Præterea laborabat dolore capitis atroci, partem sinistram à summo vertice ad aurem, & tempus eiusdem lateris occupante, qui dolor, cum supra partem affectam decumberet, pulsans manifestè apparebat. Illius curationem aggrediens, primùm ratione alui fluxus sequentem potionem præscribo.

℞. Rhab. Electi ℥. j. myrobalan. citrin. ℥. ß. santali citrin. ℈. ß. Infundantur in aqua plantag. expressione facta dissolue rhab. pulu. ℥. ß. syrup. ros. ℥. ß. fiat potio: à cuius assumptione ter aluum deposuit interdiu, & nocte consequente bis tantum deiecit, cum prægressis noctibus quinquies, aut sexies deijceret.

Sequenti die eadem potio laxans exhibita est, addita in infusione fol. senn. ℥. j. Quinquies, aut sexies deiecit per diei decursum, nocte verò nihil, & ita alui fluxus omninò curatus est.

Tertia die, ad dolorem capitis pulsantem, & diuturnum auferendum, cum multa alia remedia frustra tentata fuissent, ad arteriæ temporis apertionem venio, qua sanguinis Vnc. 3. detractæ sunt, & desuper admotum est emplastrum ex thure, mastiche bolo armena, pilis leporinis, & albumine oui cum bona ligatura: & eadem die dolor omninò sublatus est.

OBSERVATIO XC.

Catarrhus in pulmonem defluens.

CIrca finem mensis Octobr. anni 1642. incidi in grauem catarrhum ab insolatu, qui in pulmonem defluens, difficultatem spirandi efficiebat cum stertore. Venæ sectio celebrata est, deinde purgatio per biduum, ex ptisana laxante, cum vini abstinentia, & magna cibi parsimonia. His stertor desijt, & difficultas spirandi valde imminuta est. Sed eorum loco tussis successit valdè molesta, quæ cum per biduum perseueraſſet, manè tabaci fruſtulum ori admoui, leuiter priùs dentibus contritum, quod cum per mediam horam supra linguam detinuissem, quædam capitis conturbatio orta est, mox nausea leuis, quam sequutus est vomitus satis exiguus serosæ materiæ, quæ in fine amarorem referebat. Conturbatio capitis per duas horas perseuerauit, & tussis sedata est, vsque ad vesperam, in qua leuiter denuò infestare cœpit, per interualla repetens. Circa horam cænæ capitis dolor obortus est; cum calore quodam, præsertim in parte sinistra. Post cœnam (quæ fuit satis liberalis) dolor capitis multò grauior efficitur, eũque comitabatur nausea molesta, quæ cum per horam perseueraſſent, & dolor capitis, magis ac magis ingraueſceret, immisso peritissimè in os digito,

vomitum excitaui, quo omnia alimenta in cœna assumpta eiecta sunt cum pituita multa, inde dolor capitis imminutus, mox in lecto me compono, vbi somno correptus noctem placidè transegi, & sequenti die à tussi, & catarrho prorsus immunis fui.

OBSERVATIO XCI.

Cephalæa ex Lue venerea malè curata.

VIr quidam lue venerea infectus, curatus fuit per diætam sudorificam & litum ex hydrargyro, vndè per aliquod tempus à morbo immunis visus est; postea verò idem affectus recurrit, & iterum curatus est decocto sudorifico, per aliquot dies assumpto, ac deinde suffitu cinnabaris iterum perfectè curatum visus est. Posteà tamen tentari cœpit graui cephalæa sinistram capitis partem desistente, quæ in mutationibus tempestatum, ac præcipuè ineunte autumno grauiter eum excruciabat, & in eodem loco claui instar semper infixa permanebat. Et cum multa remedia euacuantia, reuellentia deriuantia, & anodyna frustra tentasset ad nos venit. Nos verò statuimus grauem illam cephalæam ex reliquis luis venereæ non perfectè curatę, procedere. Causam tamen illius proximam, & immediatam, aut saltem fouentem, & augentem illum dolorem, præter virulentiam veneream esse vel humorē ącrem ac mordentem ad eam capitis partem confluentē; vel mercurium ipsum in parte congestum; vel cariem in osse capitis contractam. Quæ duæ causæ posteriores, licet infrequentes sint, aliquando tamen contingunt, vt multis historijs ab Authoribus relatis constat.

Vt igitur harum omnium causarum habeatur ratio, primò præscripsimus euacuationem vniuersalem per sanguinis missionem, & purgationem per apozemata ad quatuor.

Deinde diætam sudorificam ex decocto ligni guaiaci, & salsæ ad 39. vel 40. dies, habita ratione temperamenti quod si calidius fuerit, (neque enim hominem coram videre licebat sed ex scripta relatione consilium petebatur, non exposito ægri temperamento) balneis & iusculis refrigerantibus corrigatur. Sæpè enim lues venerea, quæ hydrargyro curari non potuit longo vsu decocti sanatur. Et si cephalæa ab humoribus tantum virulentis, membranas vellicantibus oriatur, sola diæta longior curari poterit.

Si verò dolor ille capitis, decocto diu vsurpato, non cesserit; videndum erit, num mercurius in parte collectus sit, quod internosci poterit, si globulus, ex folijs auri confectus, in narem sinistrum profundè immittatur, & post aliquam moram ex nare albicans extrahatur, signum enim erit adesse mercurium idem tentari poterit contegendo emplastrum, cephalicum folijs auri, & parti dolenti imponendo; si enim albescat aurum signum erit adesse mercurium, qui paulatim extrahetur, si lamina aurea tenuis supra partem dolentem continuò gestetur, & globulus aureus solidior frequenter in narem immittatur.

Si neque hoc præsidio cesset dolor; aperienda erit pars, & terrebello perforanda. Sæpè enim ab acribus humoribus, & virulentis, corroditur cranium, eique caries inducitur, cute integra remanente. Et licet caries non apparent; trepanum tamen sæpè confert educendo materiam virulentam, supra meningens cerebri collectam.

OBSERVATIO XCII.

Pleuritis.

FIlia D. Diuoul Ciuis Monspelienſis, sanguineo temperamento prædita, 20. annos nata, sæua pleuritide affecta est, lateris sinistri, in principio mensis Martij, anni 1643. Secunda die morbi secta fuit vena eiusdem lateris, & sanguis detractus ad ℥. 8. sequenti die, cum Chirurgus veller iterare phlebotomiam, non potuit venam attingere, quia virgo illa erat admodum obæsa, & vena in profundo brachij sepulta, ita vt cum in brachio dextro vena magis pateret, eam aperire coactus fuerit, ex eaque detraxit sanguinis ℥. 8. quæ tamen phlebotomia nihil profuit. Cum igitur pleuritis admodum vrgeret, me in auxilium vocarunt, & cum maximam iterandæ phlebotomiæ necessitatem viderem, ex eo, quod ægra fere suffocabatur, ac febre intensissima laborabat, iussi alios vocari Chirurgos, vt aliquis eorum venam aperiret; cum igitur vnum ex peritioribus vocauissent, cum monui, vt si venam aperire posset amplo foramine, id efficeret, & magnam sanguinis copiam vna vice detraheret, cum venæ sectionem iterare esset tam difficile. Ille rem præstitit, vt monueram, & sanguinis ereiter ℥. xiv. detraxit, qua euacuatione ægra maximè subleuata fuit, sine vlla virium iactura. Post quatuor, aut quinque horas missus fuit iterum sanguis ad Unc. x. qnam etiam vacuationem ægra facilè tulit, & sequenti die è pleuritide, & febre omninò liberata est.

OBSERVATIO XCIII.

Epilepsia.

FIlius D. Roche, Ciuis Monspelienſis, annos natus 12. ab aliquot mensibus, epilepticis accessionibus affligebatur, quæ primum semel in septimana, postmodum verò singulis diebus inuadebant. Purgatus fuerat semel aut bis, sanguisque detractus, & à multis annis cauterium habebat in brachio. Vocatus ad eum, præscribo apozema ex cephalicis, & Epilepsiæ specificis, cum purgantibus ad quatuor doses. Deinde inuritur causticum sutura coronali, & his duobus remedijs à morbo liberatus est.

Erat puer iste calido, & bilioso temperamento præditus, & in actionibus promptissimus. quod coniecturam faciebat, hunc affectum à vaporibus tetris exoriri, qui per illud emissarium difflari poterant.

OBSERVATIO XCIV.

Hydrops.

FIlia Dn. Patris in Curia Præsidiali Consiliarij, annos sex nata, & hydrope detenta, sequentibus remedijs, curata est mense Martio, anni 1643.

Primò iniectus fuit clyster sic paratus.

℞. Pulpæ colocyntid. ℥.j. furfuris macri M. j. coquantur in Vino albo ad quart. 3. fiat clyster, qui pituitosa & serosa eduxit, sine molestia, & fuit continuatus per triduum. Eodem tempore admotum fuit toti ventri cataplasma, ex rad. cucum. agrestis, cumino, & melle paratum, cuius descriptio habetur in praxi nostra fol. 102. cum autem venter detumescere inciperet, & ægra remedia interne sumere nollet; iteratus est clyster alternis diebus, ter aut quater, & continuatum cataplasma. Ex quibus maior ventris imminutio sequuta est. Tandem præscriptus fuit puluis purgans ex senna, turbith. alijsque paratus, cuius descriptio habetur in praxi fol 92. cuius dosis erat ℥.j. ex eoque parum purgata est, cum medicamentum vomitu reijceret, & venter adhuc tumidus apparebat. Postmodum præscribo Iulepos ex rad. & herbis valdè aperientibus cum sale, & spiritu diuretico, ad quatuor doses, quorum vsu maiorem vrinæ copiam reddidit, sed venter adhuc tumidus permanebat. Postmodum præscripsi puluerem ex rad. ialap. gr. xv. scammon. gr. 8. calomelanos Turquети gr. 12. quem sumpsit cum iusculo, & septies purgata est, multumque seri, ac pituitæ reiecit per aluum, & semel vomuit pituitosa multa, vnde tumor vētris dimidia sui parte imminutus est, intra 24. Iteratus est iulepus prædictus per triduum; quarto verò die iterum sumpsit puluerem prædictum, eum eodem successu, & cum venter admodum imminutus esset, ac ægra è lecto surgere inciperet, ciboſque lautè appeteret, à remediorum vsu vlteriori abstinuit, sicque sensim conualuit.

OBSERUATIO XCV.

Lues venerea in puerulo.

PVer 30. menses natus, Lue venerea laborans, & fœda scabie, totum corpus occupante, quam à nutrice acceperat, sequentibus remedijs curatus est.

℞. Rasuræ ligni guaiaci ℥. 2. aquæ fontis ℔. 2. infundantur per 24. horas, deinde bulliant ad tertiæ partis consumptionem. Colaturæ capiat ℥. 3. singulis diebus manè, duabus horis ante pastum, corpus tegendo paulò plus solito, & continuando per 20. dies.

℞. Scammon. puluer. gr. 6. calomelanos gr. v. fiat puluis tenuissimus, qui detur cum cochleari vno, vel altero panatellæ saccharatæ, & superbi bendo parum iusculi, continuetur hoc remedium quinto quoque die, augendo dosim vtriusque medicamenti, iuxta operationem.

℞. Re-

℞. Residentiam prædicti decocti, aquæ fontis ℔ß. ʒ. fiat bocherum pro potu ordinario, addendo sacchari, & liquiritiæ q. s. ad saporis gratiam. His remedijs per mensem continuatis probè conualuit.

OBSERVATIO XCVI.

Abscessus iuxta spinam dorsi.

INtra illud tempus, quo medicinam facio, quinque abscessus mihi videre contigit, dorsum occupantes, iuxta eius spinam, qui materia frigida sensim collecta geniti fuerant sine dolore, aut inflammatione, & partis colore nullo modo mutato. Molles erant tumores, ædemati similes, pugni magnitudinem ferè adequantes. Ex ijs tamen apertis pus laudabile effluebat. Tres priores de medio ægros sustulere, intra trium, aut quatuor mensium decursum, cum vicus ex abscessu aperto relictum, sinuosum admodum euaserit, ex eoque continuò magna puris copia effluxerit; vnde corpus vniuersum exhaustum, & in atrophia conuersum est, licet multis remedijs vlcerum curatio tentata fuerit. Quartus curatus fuit incisionibus magnis in dorso factis, quibus omnes sinus detecti sunt; mox foribus ex aqua catapultarum, alijsque topicis vlcera sanata sunt, interim tamen causæ antecedenti prouidebatur frequenti euacuatione, vsu decocti sudorifici. Quintus denique curatus est sine incisione, sed magna apertione facta per cauterium potentiale, mox detersione vlceris per iniectiones ex decocto catapultarum, & fotu ex eodem, ac denique valida compressione partis, cum fascijs, & splenijs; & valdè adstringentium emplastrorum continua admotione in ambitu vlceris. Interim verò causæ antecedenti prouidebatur remedijs prædictis.

OBSERVATIO XCVII.

Hydrops in puero septem annorum.

FIlius D. Baget Ciuis Monspelienſis graues obstructiones patiebatur, vnde venter intimuit magnam in molem, vt iam hydropicus factus esset. Vocatus ad eum die 28. mensis Aprilis, anni 1643. sequentia præscripsi.

℞. Sennę mundat. ʒ. ij. sem. anisi, & cremoris tartari ana ʒ j. absynth. pontic. P. j. coquantur ad ℥. ij. in colatura dissolue electuarij diacarthami ʒ. j. ß. syrupi rosac. ʒ. ß. fiat potio, detur manè cum regimine.

℞. Rad. apij, petrosel. & asparagi an. ʒ. ß. fol. agrimon. capill. Ven. ceterach. & hyssopi ana M. ß. polypod. querc. & carthami an. ʒ. ij. sem. apij, & petrosel. an. ʒ. j. cremoris tartari ℈. 2. coquantur cum quarta parte galli veteris, in colatura dissolue salis absinthij, & tamarisci ana ℈. j. fiat iusculum, quod capiat manè per 12. dies.

In tertio quoque iusculo infunde per noctem sennę mund. ʒ. iij. capiat cum regimine.

℞. Olei de capparibus, & tamarisc. ana ℥. 2. succi ebuli & cucumeris agrestis ana ℥. j. ß. bulliant ad succorum consumptum, in colatura dissolue sem. agni casti, & petrosel. macedonici subtilissimè puluerat. an. ʒ. ß. olei nucis moschat. ʒ. ß. ceræ q. s. fiat linimentum, quo illinatur totus venter calidè in introitu lecti.

Vtatur pro potu ordinario infusione chalybis, & rhab. in forma bocheti.

Hisce remedijs ventris tumor imminutus est, sed non omninò sublatus; ita vt ad sequentia remedia transeundum fuerit, quæ intra tres septimanas morbum integrè discusserunt.

℞. Conseruæ flor. tamarisci, & capil. ven. ana ʒ. j. ß. conseruæ rad. enulæ campanæ ʒ. ß. confect. alKer. ʒ. iij. salis absynthij, tamarisci ana ʒ. j. rasuræ eboris, & pulu. electuar. diarrhod. abbat. ana ℈. ij. cum syrupo capill. ven. fiat opiata, de qua capiat magnitudinem castanęæ, singulis diebus manè, duabus horis ante pastum, superhausto vini diluit momento.

℞. Calomelanos gr. 8. diagryd. gr. 7. fol. auri n. 1. fiat pulvis, qui detur semel in septimana, cum duobus cochlearibus panatellæ saccaratæ, superbibendo parum iusculi.

OBSERVATIO XCVIII.

Paralysis spuria.

HOnesta mulier Aquisextiana quinquaginta circiter annos nata, cum aborsum passa esset, & adhuc ex eo decumberet, affecta est primum sensu obtuso in regione abdominis, quem (manu ventrem contrectando) facilè percipiebat. Hunc aborsum post aliquot menses, sequuta est grauiditas, per cuius decursum illa sensus obtusio crura etiam, & tibias inuasit, cuique longè deterius symptoma accessit nempè motus impotentia. Post partum multa remedia purgantia, sudorifica, & alia quamplurima calefacientia, & exsiccantia fuere vsurpata sine vllo fructu, ita vt iam à duobus annis graui hoc affectu detineatur. Non est in dictis partibus omnimoda sensus priuatio; sed tantùm imminutio: motus verò omninò abolitus est. Hoc tamen peculiare, & animaduersione dignissimum occurrit quod dum tibiæ à ministris extenduntur, aut alio quovis modo commouentur, statim rigidæ euadant, & conuellantur, ita vt tetanus efficiatur. Huic accedit motus quidam conuulsiuus, epilepticorum motui consimilis, qui etiam spontè non rarò accidere consueuit, per quædam interualla. Dum autem ijs symptomatis ægra corripitur, quendam morum percipit in hypochondrijs, præterea doloribus vagis frequenter afligitur, varias partes, præcipuè verò thoracem occupantibus, ita vt nunc anterior, nunc posterior, nunc dextra, nunc sinistra thoracis pars illis doloribus fugacibus afficiatur. Hæc est morbi historia, ab ipsa ægrotante relata, quæ è thermis rediens, frustra vsurpatis à nobis consilium petijt die 4. Iulij, anni 1643.

Optarem equidem vt illius enarratio à peritis Medicis, qui illius curationi præfuerunt, exactiùs fuisset exarata: quo affectus intricatissimi, atque difficillimi natura, & curatio, ex omnium circumstantiarum attenta meditatione, solidius stabiliri posset. Non desinem tamen, ægrotantis voto satisfacturas, sententiam meam proferre, & peritissimorum Medicorum (qui omnia morbi momenta captare poterunt, remque penitus introspicere,) iudico subijcere.

Censeo itaque, hunc affectum non esse veram paralysin, ab humore pituitoso neruos laxante, ac resoluente oriundam, sed potius mixtum quendam affectum spuriæ paralyseos, & conuulsionis participem. Spuriæ autem huiusmodi paralyses, distensionibus neruorum, ac conuulsionibus complicatæ, in partibus illis inferioribus sæpè produci solent ab humoribus biliosis, melancholicis, aut serosis, in hypochondriis, aliisque partibus in ventre inferiori contentis, & in spinam dorsi transfusis; à qua cum nerui oriantur, motum & sensum partibus inferioribus, tum etiam musculis, & cuti abdominis tribuentes; non est mirum earum partium actiones animales plurimum oblædi. Hæc longiori discursu authorum placitis, & rerum vsu confirmari possent, sed peritis viris sufficiet paucula quædam indicare, quæ huius rei coniecturam satis probabilem efficere poterunt.

Primò itaque hoc, tanquam fixum, ratumque statuendum est: non omnem sensus, motusque priuationem ab humore pituitoso originem ducere; sed eam aliquando à calida, siccaque intemperie; humoribusque talem temperiem consequentibus proficisci. Hoc vel vnius Tralliani sententia confirmari potest, qui cap. 16. lib. 1. talem causam adstruit, eamque luculento exemplo confirmat his verbis. Noui ego sanè quendam resolutionem ex mœrore, multa sollicitatione, & inedia expertum, deinde sumpta hiera adeò læsum, vt totus ipse immobilis fieret, & propemodum interiret, nisi in contrarium mutatus fuisset, & humectantibus omnibus, tum potionibus, tum cibis, & aliis, quæ temperatum ipsum reddidissent vsus fuisset. Maximè verò balneis compluribus vnctionibus ex hydræleo, mutatione aeris temperati, & omni hilaritate. Huic non valde absimilem historiam videre est apud Forestum obser. 97. lib. 10. cuiusdam adolescentis, qui à cruribus ad pedes sensu, & motu destitutus, cum earundem partium extenuatione, & atrophia, cumque calefacientium, & exsiccantium medicamentorum, vsu ab aliis Medicis præscriptorum, in peius continuò rueret; tandem solis humectantibus assumptis, & admotis, ab eo restitutus est.

Præterea iamdiu apud practicos peruulgata est colica biliosa, quæ in paralysin frequenter degenerat, & hanc paralysin à bile produci, nemini dubium est.

Ac denique, ab humore melancholico, & seroso symptomata produci paralyseos, & conuulsionis æmula, ab iis Auctoribus, qui de scorbuto, & affectione hypochondriaca scripserunt, passim relatum est, vt apud Sennertum videre est, dictorum morborum symptomata explicantem in lib. de scorbuto, & de affectione hypocondriaca.

Iam verò sensus, & motus læsiones, quæ honestam hanc mulierem affligunt, à calidis, & exustis humoribus produci, conijcere primò licet à iuuantibus; & lædentibus. Cum enim à calefacientibus, atque exsiccantibus remedijs minimè adiuta sit, sed ab ijs perpetuò peius habuerit; consequens est, illa morbo minimè contraria fuisse. Et fuit vnica via, quæ Trallianum, & Forestum deduxit in historijs supra memoratis, ad dignotionem paralysis, à calida, & sicca intemperiæ oriundæ.

Secundò, siccam intemperiem in hac ægrotante inde colligere licet, quòd cauteria, varijs partibus admota, exiguum reddiderint, & breui exsiccata fuerint.

Tertiò, paralyses à pituita oriundæ, ex cerebro, tanquam humoris illius fonte ducunt originem, & partes capiti viciniores primam vt plurimum atque maiorem læsionem sentiunt. At hic nulla humoris à capite fluentis indicia apparent, neque vlla partibus superioribus læsio contingit: ita vt brachia, manus, & aliæ partes superiores integrè functiones exerceant.

Quartò, prima morbi inuasio, in ventre, & musculis abdominis sensum obtusum præbuit, quod ostendit neruos, è spina dorsi per vertebras lumborum oriundos, primum fuisse læsos, ac postmodum affectum fuisse propagatum ad neruos, qui ab osse sacro oriuntur, & ad crura, tibiasque perreptant. Quo innititur à partibus in ventre inferiori contentis, humorem noxium ad eos neruos fuisse translatum, non secus ac in paralysi, colico dolori succedente, huiusmodi translatio fieri consueuit.

Quintò dolores varias partes, præcipuè circa pectus infestantes, ijque fugaces, vapores arguunt acres, atque mordaces, ab hypochondrijs ad illas partes translatos, quemadmodum dolores consimiles melancholia hypochondriaca detentis sæpissimè contingunt.

Sextò, quoties pedes, & tibiæ huic ægrotanti commouentur, tensio, & motus tremulus statim oboritur: quod innuit, materiam neruis impactam, tenuem esse, & mobilem atque adeò vel leui motu agitatam commoueri, sicque tensiones, & vibrationes neruorum efficere.

Septimò dum conuulsiones mulierem aggrediuntur, præcedit motus quidam in visceribus, qui ab ea manifestè percipitur, & ille motus fit à dicta materia, sese commoueri incipiente; vel à vaporibus, ab eadem materia per commotionem illam eleuatis, quemadmodum in epilepsia symphatica, à partibus inferioribus oriunda, tales in ventre commotiones apparent, inuadente paroxysmo.

Denique hic affectus post aborsum apparere cœpit, & confectariæ grauiditatis tempore incrementum habuit, quòd significat humores prauos, in vteri venis collectos, & per menstruas purgationes non satis commodè euacuatos, ad partes illas neruosas decubuisse, & huiusmodi sensus, & motus ob læsiones tandem produxisse.

His positis, ad curationem veniendum est, quæ ad istas indicationes erit dirigenda, vt calida, & sicca viscerum intemperies corrigatur, humores melancholici, & exusti (quos præcipuam horum symptomatum causam esse existimo) præparentur, & euacuentur, viæ obstructæ reserentur, & viscera præcipua, tales humores producentia, roborentur. Materiam, hisce indicationibus adimplendis idoneam selectiorem, summatim proponemus, hoc præmisso prognostico, affectus, ab humore melancholico oriundos, esse curatu difficillimos: quod si neruosum genus inuadant, multò difficiliores: Affectus verò neruorum confirmatos, & qui iam in vetustatem abierunt, esse deploratos. Vnde sequitur, propositum casum vix remedijs esse superabilem, exiguamque spem curationis superesse. Tentandam tamen hanc curationem suaserim, quandoquidem multa præter spem quotidie eueniunt, & multi affectus curationem recipiunt, qui pro deploratis habiti fuerant.

Primò igitur victus ratio instituenda est ex cibis boni succi, & facilis coctionis, aliquantulum refrigerantibus, & valdè humectantibus. In horum censu carnes carnes iuniorum animalium, & oua sorbilia recentia principem locum obtinent. Cæteræ victus minutiæ Medicis ordinarijs præscribendæ relinquuntur.

Reliqua curatio à clystere laxante inchoanda est, quem sequetur postera die missio sanguinis, ex brachio sinistro ad ℥. viij. & si sanguis corruptus, aut praua alia qualitate infectus videatur; repetenda erit phlebotomia postridie, ex altero brachio, pari quantitate. Post venæ sectionem sequentium iusculorum vsum aggredietur.

℞. Rad. bugloss., & asparagi ana ℥.j. fol.agrim.ceterach. capillor.ven. & cichor. ana M.j. coquantur cum pullo gallinaceo, & fiat iusculum, in quo dissolue crystalli tartari ℥.j. capiat manè per 12. dies.

In quarto quoque iusculo infunde per noctem sennæ mundat. ℥.ß. fem.anisi ℥.j. in colatura dissolue mannæ electę ℥.ß. capiat cum regimine.

Finitis iusculis, vtatur semicupio tepido, ex decocto hordei, & amygd. dulc. per triduum, bis in die, longè a pastu.

Postridie vltimi semicupij, aperiatur vena malleoli sinistri, emittantur sanguinis ℥.vj.

Vtatur deinde sero lactis caprilli per xv. aut xx. dies sumendo primis diebus cyathum vnum, deinde duos, vel tres; provt ventriculus ferre poterit, quo enim maior quantitas assumetur, eò vtilius vsurpabitur. Debet autem serum lactis parari immediatè, antequam assumatur, & ex lacte educi recenter ab vbere extracto, coquendo dictum lac vna ebullitione, & quamprimum bullire incipit, irrorando pauca quantitate succi limonum vel aceti, & subinde ab igne remouendo. Fiet enim statim seri separatio à caseosa substantia, quod colatura, & clarificatione cum albumine oui, limpidissimum euadit, & magna copia sumi potest sine ventriculi offensa, ita vt non raro instar aquarum mineralium à nonnullis cum maximo fructu assumatur.

Quarto, vel quinto quoque die in primo seri cyatho mannæ ℥.ij. dissoluentur.

Per reliquum ætatis decursum semicupium iterandum est, semel aut bis in septimana, vt hypochondria humectentur, & noxij humoris acrimonia temperetur.

Si aluus sponte non fluat, clysteribus alternis, diebus sollicitabitur.

℞. Conseruæ fructus cynorrhodij ℥.iv. conserua flor. borrag. violat. & tamarisci ana ℥.ß. conseruæ rad. enulæ campan. & cortic. citri condit. ana ℥.ß. rasuræ eboris ℥.ß. salis absinthij, & tamarisci ana ℥.j.ß. myrobalan. condit. num.2. confect. alKerm. ℥.ß. cum syrupo capill.ven. fiat opiata, de qua capiat magnitudinem castaneæ, singulis diebus, manè, duabus horis ante pastum, superhausto vini diluti momento.

Quia verò morbus est valde contumax, & nonnisi remedijs diutissimè continuatis expurgari potest. Ineunte Autumno curatio de integro instituenda est, incipiendo à clystere iniecto, quem sequetur venæ sectio in brachio, ac postmodum apozema sequens ad 12. dies vsurpabitur.

℞. Rad. asparagi, bruscі, & bugloss. ana ℥.j. rad. enulæ campan. cortic. rad. capparum mediani, fraxini, & tamarisci ana ℥.ß. fol. agrimon. borrag. pimpinellæ, cichor. ceterach. & capill. ven. ana M.j. poma redolentia benè, & in talleolas secta n. ij. flor. borrag. viol. & tamarisci ana P. j. coquantur ad ℔.j. pro iij. dosibus addendo vnicuique dosi crystalli tartari ℥. j. salis absynthij, & tamarisci ana ℈. j. syrupi capill. ven. ℥.j. capiat per dictum tempus manè, tribus horis ante pastum, tertio quoque die decoctum renouando.

In quarta quoque dosi infunde per noctem sennæ mundat. ℥.iij. Sem. anisi ℥.j. in colatura dissolue mannæ electæ ℥.ij. capiat cum regimine.

Post vsum apozematum reiteretur semicupium per triduum, vt supra præscriptum est.

Postridie vltimi semicupii, anus confricetur panno asperiori, & affigantur duæ hirudines partibus eminentioribus, extrahanturque sanguinis Vnc.v. vel vi.

Sequenti die affigatur causticum vtrique tibiæ parti interiori, & vlcera, decisa eschara, teneantur diu aperta.

℞. Succorum recenter expressorum, & leui igne depuratorum borrag. bugloss., sumariæ, cichor. endiuiæ ℔.ij. succi pomorum redolent. recenter expressi, & depurati ℔.ij. sennæ mundat. Vnc.vi. epithymi Vnc.iij. agarici recenter trochiscati, & rhab. electi ana ℥.i.ß. macis, & garyophyllorum ana ℥.j. infundantur, & decoquantur, vt artis est, donec colaturæ supersint quart. v. in quibus dissolue saccharı albi quart. v. fiat syrupus perfectè coctus, de quo capiat ℥. ij. bis, aut ter in mense, cum iusculo pulli, foliis borrag. bugloss., agrim. & pimpinell. alterato.

Continuet vsum opiatæ prædictæ singulis diebus vacuis ab aliorum remediorum vsu.

OBSERVATIO XCIX.

Vomitus in febre maligna.

FAmula Dn. de Rozel, nomine Laprune, febre maligna laborans die decima morbi, vomitu detinebatur tam importuno, vt omnia iuscula, & potum reiceret, cumque per

per triduum perseueraſſet affectus ; Medicus qui eius curationi præerat, meo consilio exhibuit salis absinthij ℈. j. cum succi limonum cochleari vno , & vomitus subitò cohibitus est, ac postmodum omnia assumpta retinuit. Triduo post idem vomitus redijt, & eodem remedio statim sedatus est.

Post aliquot dies idem remedium ab eodem Medico exhibitum est duobus pueris, decem aut duodecim annos natis, eodem symptomate laborantibus, cum eodem successu.

OBSERVATIO C.

Falsa grauiditas.

MVlier Giniacensis annos nata circiter 45. Monspelium venit, de effectu suo consilium petitura, retulit nobis se, cum numquam viro nupsisset, & rem habuisset cum adolescente, in vtero concepisse, vnde sequuta est inappetentia, macies, & pallor totius corporis, quorundam eduliorum desiderium, cum alijs grauiditatis signis.

Post quadragesimum à conceptione diem percepit palpitationem quandam versus hypochondrium dexterum, ab eoque tempore melius habuit, & appetitus restitutus est. Venter in dies augebatur, mammæ intumescebant, in quibus tandem lac colligi cœpit, nempe quarto mense in mamma sinistra, idque subruſſum, postea album in dextra.

Quarto mense, fluxus menstruorum apparuit copiosus, triduò perseuerans, inde ventris tumor imminutus est. Postea tamen sensim denuò augebatur. Menstruæ purgationes singulis mensibus prodibant, quemadmodum ante grauiditatem. Motus in ventre sentiebatur illi consimilis, quem fœtus in vtero conclusus solus exercere.

Nono mense, dolores parturientium passa est, vt ita vocata obstetrice, omnes adstantes partum expectarent. Illi tamen dolores post 24. horas quieuerunt, & nihil exclusum est.

Ab eo tempore menstruorum fluxus adhuc ordinatus fuit, vsque ad decimum tertium mensem. In quo iterum parturientium dolores passa est, sine effectu. Postea verò nunquam amplius menstrua prodierunt, ventris tumor permansit, cum motu interpolato, instar fœtus inclusi. Iamque elapsi sunt triginta duo menses à principio grauiditatis, neque tumor ventris est admodum insignis, vix enim æmulatur semestrem gestationem. Duo tumores apparent sensibiliter distincti, vt quoddam interstitium medium appareat. Illi tumores ad hypochondria vergunt, decumbente muliere. At eadem erecta, veram grauiditatem referunt medium ventrem occupantes: compressi recedunt, & iterum accedunt. Mouentur sæpè motu proprio instar fœtus, vtero inclusi.

Mammarum tumor iamdiu euanuit, & ille admodum molles, ac flaccidæ euaserunt, è quibus exprimuntur lactis viridis guttulæ perexiguæ.

Toto grauiditatis tempore, mœrore, & ieiunijs sese confecit, domi inclusa remanens, quod grauiditas illa sine coniugio legitimo contracta fuisset.

Casus iste rarissimus est, & intricatissimis difficultatum labyrinthis inuolutus, è quibus tamen rationis, & coniecturæ filo nos expedire conabimur.

Primò quidem esse veram imprægnationem arguere possent appetitus deprauati, lac in mammis collectum, & motus ipsius fœtus cui nihil deesse videtur, quàm tempus partus consuetum, quod quidem tempus ex eo retardatum fuisse, quis dicere possit, quòd longa ieiunia & fluxus mensium fœtum debito alimento fraudauerint, vnde illius perfectio ad longius interuallum producta, hincque mora in vtero diuturnior consequuta fuerit. Attamen conuenit inter Medicos, Philosophos, & Iurisperitos, à quibus sæpè hæc controuersia disputata est, vltimum humani partus terminum vltra vndecimum mensem extendi non posse. Neque est, quod dicere quis valeat, præter naturalem, & ordinarium pariendi terminum, raros quosdam, extraordinarios casus posse contingere, quemadmodum apud nos recens adhuc est historia Dominæ de Cardet, quæ se primum ad decimumquintum mensem, posteà verò ad annum, duos, & tres fœtus in vtero gestasse asserebat, qua de re duo exstant consilia inuicè pugnantia doctissimorum virorum Hucheri cum Varandæo ex vna parte ; & Saportæ cum Prædilæo ex altera. Tum etiam apud Schenckium quædam historiæ proponuntur infantium, per biennium in vtero gestorum, qui statim ac in lucem editi essent, & loqui, & incedere cœperunt. Hasce enim historias, non historias; sed fabulas esse asserimus: idque ex earum lectione confirmari facile est; nam quod ad Dn. de Cardet spectat, rationibus in consilio Saportæ, & Pradilæi propositis abundè conuincitur, illam fuisse melancholiam, & imaginationis errore laborasse; quod non solùm ructus frequentes, cordis palpitationes, anathymiases ad caput, & faciem delatæ, aliaque testabantur; sed in primis, quòd ipsa se puerum in vtero clamantem audiuisse testaretur; quod esse impossibile, vel tantillum initiatis in Arte medica notum est. Et ea, quæ ab eo tempore subsequuta sunt, errorem illum mentis sufficienter ostendunt. Illa enim Domina, cum adhuc in viuis sit, se etiamnum hodie à viginti duobus annis grauidam pronunciat, quæ assertio reliquarum omnium ab ea prolatarum fidem facilè abrogat. Historiæ verò à SchenKio collectæ ex eo falsitatis arguuntur, quod asserant, in lucem editos statim loqui cœpisse. At nemo nesciat loquelam esse ex disciplina. Eiusdem farinæ est, quod Auicenna refert se à fideli quodam accepisse, mulierem post decimumquartum mensem peperisse. Auritum enim testem se, non oculatum profitetur. Cùm igitur nulla vera historia tales casus aliquando accidisse constet, ac demum in nostro casu conceptus circa diem quadragesimum moueri cœperit, cum verus fœtus tertio, vel quarto tantum mense moueatur, satiùs est asserere, nostram hanc mulierem verum fœtum non habere in vtero. Tantum enim abest, vt inedia, & purgationes menstruæ fœtum retardare potuerint, quin potius eundem accelerare potuissent, quemadmodum docet Hippoc. grauidam mulierem ex sanguinis missione in abortum incidere. Dicendum ergo est, in huius fœminæ vtero esse præternaturale quippiam, quod ad vnum ex quatuor generibus referendum sit, aquam, flatum molam, vel monstrum. Aquam esse nemo ausit asserere. De flatu maior esset coniectura : si quidem non rarò contingit, vt flatus, vtero conclusus, motus edat, fœtuum motibus simillimos, qui veram grauiditatem diu mentiantur. Attamen flatum non esse; duo conuincere videntur. Vnum quidem, quod ille vtero tamdiu contineri nequiuisset, sed tandem exclusus, aut dissipatus fuisset. Alterum, quòd lac in mammis apparens, aliquid flatu maius contestati videatur. Molam autem esse, tutius est asserere : tum quod illius generatio satis frequens, rei nouitatem imminuit; tùm quod proposita indicia illi satis videntur respondere, nimirum motus palpitans ad quadragesimum diem, lac in mammis crudum, mensium fluxus grauiditatis tempore, idem lac post nonum mensem euanescens. & mammarum detumescentia, quibus addere est tumoris ventris duritiem, qui premendo locum mutat, & iterùm regreditur. Quamvis autem Hippocr. 1. de morbis mulierùm asserat; ex mola lac in mammis non colligi id de vero, & perfecto lacte audiendum est, non autem de Ichoroso, quod in huiusmodi casibus reperiri solet. Cum autem duo tumores distincti tactui subijciantur; verisimile est, duas adesse molas.

His equidem acquiescere posset animus, nisi quædam obsisterent, ex quibus summa difficultas, ab initio proposita, exoritur. Primò enim ex doctrina Hippoc. mola nullum habet proprium motum; sed tantùm mouetur ad motum vteri, & si quis motus tangentibus appareat; ille palpitans tantùm est. In hac vero muliere maior motus percipitur, & veri fœtus motibus consimilis, qui ab adstantibus facilè conspicitur. Secundò, mola conuertitur in vtrumque latus lapidis instar, cum ponderis, & grauitatis sensu : in hac muliere nihil tale apparet. Tertio, in mola venter dilatatur in omnem dimensionem æqualiter, cùm in vero fœtu acuminetur versus vmbilicum, coarctatis vtrinque lateribus, cuiusmodi se habet venter huius mulierculæ. Quartò, mola ad pubem, & inguina propendet : in hac muliere tumor est ad hypochondria. Denique, mola continuò augetur, & spatio trium ferè annorum ad ingentem molem peruenisset. At in hoc casu tumor ventris perexiguus est, grauiditatem quinque tantùm, vel sex mensium referens, neque à longo tempore vlterius augetur. In harum difficultatum concursu, licèt satiùs duxerimus molæ generationi, tanquam frequentiori insistere : attamen omnibus phænomenis melius satisfieret, si liceret asserere, monstrum quoddam in huius fœminæ vtero latitare, quod ad præfinitam quandam magnitudinem auctum, nullum amplius incrementum suscipiat ; sed tantummodò viuentis humani fœtus instar nutriatur, indeque fiat, vt neque vterus amplius extendatur, neque fœtus alimento priuatus intereat. Ita enim nonnullas mulieres, serpentes, talpas, rans, mures, aues, aliaque animalia enixas fuisse, inter historias relatum est. Imò verò in Apulia, &

Lombardia frequentem esse talium animalium generationem multi Authores referunt, idque genus animalium ideò vocari fratrem Lombardorum à Gordonio, Tornamira, alijsque barbaris Medicis Arpa, seu Arpia nominatur, quod huiusmodi Monstrum multos plerumque habeat pedes, quos etiam sermone illo barbarico Arpas nominant. Hoc inquam supposito, omnibus phænomenis potest satisfieri. Nã in talis grauiditatis initio omnia veræ grauiditatis signa apparere potuerunt, scilicet lac in mammis motus veri fœtus motui consimilis qui quadragesimo die potuit apparere ex eo, quod tale animal citiùs conformatum fuerit, quam verus fœtus. Deinde absoluto animali, venter non ampliùs crescit, illud tamen non irritat naturam ad sui exclusionem, quia sola transpiratione viuit, & vteri tempore fouetur. Duplex autem esse animal coniiciendum est, quando duo corpora distincta in vtero percipiantur. Per huiusmodi coniecturas incertus diuagari potest animus, donec rei latenti exclusio rem totam oculis subijciat. Quam equidem exclusionem (vt hoc tantum de curatione dicam,) nollem artem promouere, ne mulier in aliquod vitæ discrimen coniiciatur: sed tantisper exspectare, donec vel natura sponte onus excutiat, vel ad tumorem ampliorem venter aliquando perueniat, quod tamen non euenturum ex propositis fundamentis asserere teneor. Post aliquot annos relatum mihi fuit, hanc mulierculam fuisse liberatam, sed quo euentu, explscari non potui, quia illa rem studiosè celauit.

Ad huius historiæ illustrationem non parum conducit alius casus, à vetula obstetrice mihi relatus, de quadam muliere Monspelienſi, cui primum menstruæ purgationes defecerunt, mox inappetentia, & quorundam peculiarium alimentorum appetitus eam inuasit; præcipuè verò piscium ostraceorum appetentia eximia premebatur, vt ijs continuò vesci cogeretur. Post secundum grauiditatis mensem, motum fœtus in vtero persensit, qui deinde sequentibus diebus, & mensibus perseuerauit: quod tamen ipsi, alijsque mulieribus mirum videbatur, cum ante tertium mensem fœtus in vtero moueri non consueuerit. Post septimum mensem, lac in mammis apparuit, sed prauo colore, ad viridem vergente, infectum. Partus ad finem vsque ad decimi mensis protractus est. Quo tempore mulier, doloribus parturitionis afflicta, obstetricem vocauit, & in ijs doloribus per triduum integrum perseuerauit. In eo autem prædicti dolores à vulgaribus parturientium doloribus erant dissimiles, quod ægra se in ventre pungi, & lancinari sentiebat, & vterum sibi laniari dicebat. Tanta autem erat doloris illius pungitiui atrocitas, vt magnis eiulatibus vociferari cogeretur. Tandem post plures enixus, animal quoddam, seu monstrum peperit, butoni non absimile, sed plusquam viginti pedibus in toto corporis sui ambitu munitum. A mulieris vtero in obstetricis sinum exceptum, inde in terram prosilijt, & supra pauimentum satis celeriter cursitauit, ac tandem infrà lectum se recepit: vnde extractum subitò enecatum est, & in cella vinaria sepultum, vt mulieris opprobrium celaretur. In pedum extremitatibus vnguiculi erant satis acuti, à quibus sine dubio dolores pungitiui, & lancinantes oriebantur, quas mulier parturiens percipiebat. Disruptis enim membranis quæ tempore gestationis animal continebant; illum exitum queritans, vteri membranam interiorem vnguiculis discerpebat, & dolores illos atroces concitabat. Quamvis huiusmodi monstra varias formas & figuras obtineant, quia casu & fortuitò, ac naturæ errore generantur: attamen ea, quæ frequenter in Apulia generantur, & fratres Lombardorum nominantur, ad iam descriptam figuram frequentiùs accedunt, vt ex Authorum, qui hac de re scripserunt, relationibus videre est.

LAZARI RIVERIJ
OBSERVATIONVM MEDICARVM
& Curationum insignium.
CENTVRIA TERTIA.

OBSERVATIO I.

Testis sinistri inflammatio.

DOminus B. Mercator Monspelienſis, cum gonorrhœam ex impuro concubitu contraxisset, Chirurgum consuluit, qui venam pedis aperuit, bolum ex cassia exhibuit, & sequenti die bolum ex terebinthina, aliaque remedia consequenter, quibus gonorrhœa suppressa est; vnde facta metastasi materiæ fluentis, testiculi tumor cum inflammatione obortus est, ita vt intra duos dies ad pugni magnitudinem excreuerit. Tandem ad me venit, die octaua mensis Iulij anni 1643. iubeo iterari venæ sectionem ex pede, emulsiones præscribo, & cataplasma ex farina fabarum, cocta in oxycrato. Per biduum vsurpata hæc remedia nihil profuere, tumore, & dolore testiculi perseuerante, non sine febre. Peto mihi ostendi cataplasma, quod à Chirurgo confectum fuerat nimis durum, & cum oxycrato valdè diluto, ideò inflammationem non sedabat defectu aceti, & partem calefaciebat nimia soliditate. Præscribo venæ sectionem ex brachio, fotum testiculi cum aqua rosacea & idem cataplasma iterandum cum aquis partibus aquæ & aceti, atque iterùm emulsiones cum decocto refrigerante paratas; quæ omnia apud Pharmacopœum ex arte præparata fuere. Sequenti die melius habuit, febris, & inflammatio imminuta: tumorem in eodem statu perseuerante. Purgationem præscribo ex senna, rhab. manna, & syrupo rosaceo: benè purgatus est, febris omninò sublata, inflammatio valdè imminuta est, sed testis adhuc tumidus permanebat. Iteratur venæ sectio in brachio, cataplasma componitur ex farina fabarum cocta in aceto puro; tumor valdè imminuebatur, sed aceti acrimonia scrotum vellicabat, ad cuius sublationem iubeo, vt acetum cum lithargyro prius decoquatur; sic enim prorsus aceti acrimonia tollitur, ex quo paratum est denuò cataplasma cum farina fabarum; optimè successit, & intra quatuor, aut quinque dies tumor ita imminutus est, vt testis affectus vix magnitudine sanum superaret.

OBSERVATIO II.

Dysenteria.

DOmina Luquissa, Soror Baronis de la Roquette, correpta est dysenteria graui, decima quarta die mensis Iulij anni 1643. æstu maximè sæuiente. Ad eam vocatus sum tertia die morbi, præscribo clysterem detergentem, & venæ sectionem. Quarta purgata est, medicamento ex rhab. ℥.j. ℔. myrobal. dr. ß. infus. in aqua plantag. dissoluendo rhab. pulu. ℈.j. syrupi rosac. ℥.j. his deiecit humores excrementitios, sed in reliquis deiectionibus, quæ erant frequentes, mucosum quid, sanguine perfusum. Vesperi exhibeo laudani gtana duo, quibus tormina parum remiserunt, & deiectiones paulò rariores fuerunt, tum per breuia interualla aliquantulum dormiuit, cum prægressis noctibus perui gil omninò fuisset. Quinta, tormina eadem, deiectio frequens, eaque sanguinea, clysteres ex lacte, & vitellis ouorum frequenter injicieban tur. Vesperi sumpsit iterum laudanum ad gr. ȝ. cum conserua rosarum, & illicò dolores sedati sunt, ac semel tantum in hora deijciebat, dormiuit per interualla. Sexta die, manè, deiectiones iterum frequentiores, cum doloribus intensis: iterum secatur vena, & post tres horas sumpsit decoctum intestinorum veruecis, cum pulueris granorum actes dr. j. do-

lo-

lores omninò sublati sunt, & deiectionum interualla multò longiora reddita, sed statim à venæ sectione totus venter inungebatur oxyrrhodino ex oleo rosac. aceto, & aqua ros. parato, quod singulis horis admouebatur, ad sedandam intestinorum inflammationem, quæ ex febre dignoscebatur, & ex eo, quod leuis ventris contractus dolorem inferret, & hoc remedio multum leuabatur. Vesperi iniectus fuit clyster ex lacte cum ʒ.3. succi plantaginis, ad eandem inflammationem intestinorum demulcendam, nam mihi maximi momenti visum est, in tempestate calidissima, & æstuosissima, ad inflammationem illarum partium præcipuam curationem dirigere, quia ex ea præcipuum solet impendere periculum: vt plurimum enim, qui ex dysenteria intereunt præcipuam mortis causam intestinorum gangrænam agnoscunt, quæ ex assidua prauorum humorum illuuie, in partes inflammatas, & vlceratas confluente, facilè inducitur. Nocte etiam exhibitus fuit iulepus ex aqua plantaginis, cum ʒ. j. pulu. granorum actes compositus. Tota nocte non dormiuit, & frequenter admodum defecit, sed sine dolore. Septima die deiectionum frequentia continuauit, sed sine dolore: clysteres continuati. Octaua sumpsit rhab. pulu. ʒ. j. cum iusculo, vnde maiora deiectionum interualla. Postmodum verò per triduum sumpsit manè decoctum myrobalanorum, quo integrè curatata est. Illud autem decoctum ita compositum fuit.

℞. Cortic. myrobal. chebulor. ʒ. j. citrinor. ʒ. ß. passular. corinthiac. ʒ. 2. coquantur in aquæ ℔ß. 2. ad tertiæ partis consumpt. colatur. dissolue sacchari Vnc. 1. clarificentur, & aromatizentur cinnamom. ʒ. 2. capiat in quatuor doses, manè & serò.

OBSERVATIO III.

Lumbrici.

DOminus de Saint Andrè, vir nobilis, sexagenarius laborauit dysenteria per multos dies, postmodum febre tertiana. Ac tandem cum conualescere videretur, pulsus apparuit intermittens, per tres aut quatuor dies, cum animi angore, & virium prostratione. Causa huius pulsus intermittentis, neque à me consilium vocato internosci potuit. Sed illa se ipsam prodidit, quæ erat lumbricus crassitie digitum æquans & longitudine brachij dimidium. Eo excreto, pulsus ad pristinum statum rediit, & æger, qui peregrinus erat, ad suos reuersus est.

OBSERVATIO IV.

Dysenteria.

DIe 2. Augusti 1643. Filius meus Carolus, septennis correptus fuit dysenteria, à frigore repentino producta, quod illis diebus contigit. Excernebat frequenter pituitosa multa, sanguini permixta, sed sine dolore, & febre. Secunda die, eadem. Tertia die febris eum corripuit, deiectiones pauciores, sed frequentiores, porraceæ, & cum torminibus: clysteres ex lacte iniecti, & sanguinis missus ad ʒ. 6. vesperi, cum fluxus vrget, exhibeo laudani granum semis, fluxus aliquantulum retardatus est, vt rariores essent deiectiones, & minus dolorificæ. Quarta, exhibeo potionem ex rhab. ʒ. j. infusa in aqua plantag. cum eiusdem pulu. ϑ. j. & syrupi ros. ʒ. j. cum febris admodum remissa esset, multam pituitam, & bilem excreuit per plures vices, cum leuamine, sed nocte insequente grauissimis torminibus vexabatur, ijsque ferè assiduis, cum perpetua, & inani defidendi cupiditate. Exhibeo circa mediam noctem laudani granum vnum, quo dolores illi sedati sunt, & fluxus imminutus, vt non nisi semel in hora deijceret. Pro potu sumpsit perpetuo decoctum rasuræ eboris, cum conserua rosarum agitatum, cui interdum miscebam salis prun. ϑ. j. Hæc erant iuleporum loco, quos pertinaciter renuebat. Quinta die, deiectionum interualla rariora, ita vt aliquando per duas, aut tres horas non deijceret, & humores pituitosi, ac bilioſi excernebantur, sine sanguine, & febre. Sexta, & septima, eadem. Octaua sumpsit rhabarb. ʒ. j. cum iusculo; multa deiecit, per dilucida interualla. Nona, rariores deiectiones, & crassiores, appetentia cibi premebatur, & sequentibus diebus sine alijs remedijs. Deo sit laus, & gloria, ad integram sanitatem perductus.

OBSERVATIO V.

Purgatio in Canicula.

ANno 1643. ardente Sirio, circa initium Augusti, tres pueruli, duorum, aut trium annorum, à Medicis, quorum curæ commissi fuerant, purgati blandis medicamentis, eadem die conuulsi perierunt. Horum duo laborabant catarrho, in pectus delabente, tertius verò dysenteria. Alij etiam pueruli ex catarrho in conuulsiones inciderunt, eodem tempore, & eadem die è vitis sublati sunt. Fiit autem huiusmodi conuulsiones Epilepticæ, colliquatis humoribus ab aere calidiori. Hinc patet, summa cautione vtendum esse in ægrorum purgatione, diebus canicularibus, iuxta præceptum Hippocratis.

OBSERVATIO VI.

Aluus adstricta.

QUidam Religiosus ordinis sancti Dominici, temperamento melancholicus, aluum habebat valdè adstrictam, ita vt interdum per sex aut septem dies non deijceret. Cui incommodo medebatur sumendo duabus horis ante cœnam pruna cocta cum eorum decocto, quibus addebat vini valde symphati cyathum semis, cuius mediam partem sumebat ante pruna, alteram verò medietatem ijsdem assumptis; & sic aluus commodè laxabatur, ac multò efficacius quàm ex solis prunis fieri consueuit. Idem præstabat interdum sumendo butyrum recens ad nucis maiusculæ magnitudinem, & desuper hauriendo vinum lymphatum.

OBSERVATIO VII.

Hæmorrhoidum dolor.

IDem Religiosus quinta die Augusti 1643. correptus est dolore hæmorrhoidum acerbissimo cum tumore insigni, atque inflammatione. Vocatus ad eum, venæ sectionem præscribo ex brachio sinistro, præmisso clystere, postea fotum anodynum cum cataplasmate de mica panis, quod ferre non poterat propter exquisitissimum partis sensum. Secunda die iteratur phlebotomia ex brachio dextro, sumpsit iulepos emollientes, & aliquantulum laxantes, vt aluus liquida seruaretur, siquidem fæces induratæ dolorem admodum exacerbare solent. Iulepi autem erant huiusmodi.

℞. Fol. lactucæ buglossi, & summitat. maluæ ana M. j. liquirit. rasæ, & passular. mundat. ana Unc. ß. flor. buglossi borrag. & violar. ana P. j. coquantur ad Vnc. 8. in colatura infunde cassiæ recenter extractæ Unc. j. colentur iterùm, & clarificentur addendo syrupi violacei Vnc. j. capiat bis in die.

Parti verò sequens vnguentum admotum est.

℞. Olei ros. & violac. an. ʒ. j. vnguenti popul. ʒ. ß. fiat linimentum.

Cum autem tumor, & dolor perseuerarent, admotæ sunt duæ hirudines hæmorrhoidibus, exstractusque sanguis ad Unc. 4. & tensio, atque inflammatio aliquantulum remissa est. Posteà verò suffumigium sequens præscriptum est.

℞. Semperuiui maior. M. j. vini albi ℔ß. 2. bulliant, & huius decocti fumum recipiat in cathedra perforata. Deinde sequens vnguentum parti admoueatur.

℞. Vnguenti ros. Vnc. j. mercurij crudi dr. 2. misce fiat vnguentum.

Quamuis autē mercurius eximiam vim habeat emolliendi, & tumorem discutiendi, duritiestamen in parte permanebat. Ideò, ad molliendum, ac discutiendum tumorem, duo remedia præscripta sunt. Primum fuit suffumigium aceti, in quo silices igniti extinguebantur, quo scirrhosos tumores emoliri Galenus docuit. Alterum fuit sequens linimentum, post suffitum admouendum.

℞. Oleo amygdal. amar. ʒ. 2. bdellij, & styracis liquidæ an. dr. 2. fiat linimentum.

His dolor, & tumor singulis diebus multùm imminuebatur. Cui rei etiam multùm contulit decoctum mille folij, quod per biduum sumpsit pro potu ordinario, cum pauco vino.

Quia verò aluus continuò adstricta erat; ad eam laxandam, & simul causam antecedentem per epicrasin auferendam, pilulæ sequentes præscriptæ sunt.

℞. Mas.

℥. Massæ pilul. de bdellio ʒ.ij. sennæ mundat. rhab. electi, & agarici recenter trochiscati ana ʒ j. cum syrupo ros. solut. fiat massa pilul. de qua capiat ʒ.j. singulis diebus manè, donec massa absumpta fuerit. Ex hisce per aliquot dies continuatis, omninò conualuit. Suffitus ex aceto ad tumorem discutiendum mirè profuit.

OBSERVATIO VIII.

Asthma, & hydrops.

VIr pauperculus, & senex, asthmate à multis annis laborans, hydropicus factus est. Cumque non posset multis remedijs tractari; clyster ei præscribitur ex furfuris M. j. & colocynthid. Dram. j. coctis in vino albo, quo multa serosa, & pituitosa excreuit. Idem remedium tertio quoq; die iterauit, & semel in septimana electuar. dia carth. ʒ. ß. sumpsit cũ iusculo, & intra mensem hydrops sublatus est. Asthma verò cũ curari non posset ob vetustatem, & æger tantùm aliquod remedium peteret, quo in paroxysmo vteretur, eoque ab imminẽte suffocatione liberaretur, aut aliquod grauissimæ spirandi difficultati solatium afferret, sequens ei præscriptum est.

℥. Aquæ cinnamom. ʒ.ij. oxymel. scyllit. ʒ.j. misce vtatur ex cochleari in paroxysmo.

Hoc remedio multam pituitam crassam, & viscidam expectorabat, & breui à paroxysmo liberabatur, qui suffocatione integram minabatur.

OBSERVATIO IX.

Dysenteria.

ADolescens 20. annos natus, circa finem Augusti 1643. laborauit dysenteria per duodecim dies, quam nullo remedio oppugnare conatus est, donec ad xenodochium deductus sumpsit ex præscripto Medici xenodochij salis vitrioli Dram. j. in aqua dissolutam, multa euomuit biliosa, & pituitosa, sicque facta est reuulsio humoris ad intestina defluentis, & hoc solo remedio curatus est.

OBSERVATIO X.

Tertiana duplex.

QVidam adolescens, Iacobus Durand nominatus, ætatis 17 annorũ, in mense Septemb. anni 1643. laborabat duplici tertiana, cuiusque octo accessiones passus erat, antequã vllo remedio vteretur. Secta fuit vena, iniecto priùs clystere; postridie verò sumpsit gutt. gummi cum spiritus vini, & sulphuris præparati grana decem, non purgatus fuit; sed tantùm læuissima quadam nausea eaque inani affectus est. Accessio ea die anticipauit, breuior tamen fuit, & nullam aliam deinceps passus est, atque à morbo immunis fuit.

OBSERVATIO XI.

Alia tertiana duplex.

PEtrus Alegre 20. annos natus patiebatur duplicem tertianam à sex septimanis in quarum decursu aliquoties vena secta fuerat, & purgantia medicamenta exhibita. Tandem sumpsit bolum ex mercurij præcipitati rubri sine corrosiuis parati granis decem, scammonij pari quantitate, & conserua rosarum compositum. Laborabat alui fluxu satis moderato ab octo, vel decem diebus ante assumptionem medicamenti, quod tamen Medico curanti non retulerat. Attamen operatio medicamenti ita successit, vt ab eo æger non purgatus fuerit, & alui fluxus cohibitus sit febribusque accessiones desierint.

Eodem tempore alius, eadem febre laborans, idem medicamentum sumpsit, & ab eo decies purgatus, nauseaque interdum affectus est, & ab accessionibus liber euasit.

OBSERVATIO XII.

Hæmoptoe.

VIr militaris nomine Beaulaguet Anianensis, triginta annos natus, temperamento sanguineo, & bilioso præditus, ab octo mensibus incidit in sanguinis excretionem per os, quem vomitu reiecit prima vice ad libras octo, à quo affectu frequenti phlebotomia liberatus est. Idem tamen vomitus sanguinis post aliquod tempus semel, atque iterum recurrit; sed minori copia, & iam per interualla sputa cruenta, & sincerum sanguinem per sputum reijcit. Huic sequentia præscripta fuere remedia, in principio mensis Augusti anno 1643.

Iniecto clystere laxante, aperiatur vena basilica cubiti dextri, mittantur sanguinis Vnc. 6. vel 7.

Postridie venæ sectionis brachij, aperiatur vena malleoli sinistri, mittantur sanguinis vnciæ totidem.

℥. Fol. plantag. M. j tamarind. Vnc. ß. coquantur ad Vnc. 6. in colatura infunde rhab. electi ʒ. j. myrobalan. citrin. ʒ. ß. santali citrin. ϑ. ß. in expressione dissolue mannæ, & syrupi rosac. ana Vnc. j. rhab. pulu. ϑ. j. fiat potio, quæ detur postridie vltimæ venæ sectionis, cum regimine.

Postridie purgationis applicentur duo caustica, posteriori parti cerucis inter tertiam, & quartam vertebram.

℥. Rad. bistortæ, tormentillæ, & symphiti maioris an. Vnc. j. fol. plantag. pimpinellæ, piloselle, & vincæ pertuncæ an. M. j. santali rubr. drach. ij. coquantur ad ℔. j. ß. in colat. dissolue syrupi de ros. siccis ʒ. iv. fiat iulep. pro quatuor dosibus matutinis, addendo vnicuiq; dosi salis prunellæ ϑ. j.

Finitis iulepis, reiteretur potio purgans prædicta, addendo pulu. ialapæ scrup. j. & totidem rhab. infundendo.

℥. Radic. consolidæ maior. ʒ. j. fol. plantag. pimpinellæ, bugulæ prunellæ. & pilosellæ ana M. ß. coquantur cum iusculo colli veruecini, & colaturam capiat, manè tribus horis ante prandium, continuando per 12. dies.

Post quartum quodlibet iusculum capiat potionem purgantem prædictam.

Finitis iusculis, vtatur opiata sequenti.

℥. Conseruæ rosar. & radic. symphiti ana Unc. j. trochisc. de carabe, & de terra sigillata ana ʒ. ß. coralli præparati, margarit. præp. & lapid. hæmatit. ana drach. j. gummi arabici & tragacanth. ana ϑ. j. cum syrupo de rosis siccis fiat opiata, de qua capiat magnitudinem auellanæ, duabus horis ante pastũ, superbibendo parùm aquæ potus ordinarij, quæ erit ptisana, confecta ex decocto hordei, & liquiritiæ, vel aqua ferrata, in qua pimpinella, vel pilosella infundatur.

In principio Autumni vtatur per 15. dies lacte caprillo, vel ouillo leuiter chalybeato.

Quam primùm aggressus est horum remediorum vsum, sanguinis sputum cessauit, neque vnquam amplius in toto eorum decursu comparuit, neque deinceps.

OBSERVATIO XIII.

Ex tumore in genu aperto, loco puris, ventus egreditur.

MVlier 30. annos nata ab octo mensibus tumorem patiebatur, partem femoris inferiorem occupantem, & ipsum genu. Nullus rubor aderat, sed dolor eam infestabat, vt claudicare cogeretur. Multis remedijs resoluentibus adhibitis, tumor in eodem statu permanebat. Tandem in duobus locis, parte scilicet interna, & externa, eleuatio satis insignis apparuit, eaque circumscripta, cum mollitie, & fluctuatione; ita vt purulentam materiam adesse omnes existimarent. Admotum est causticum potentiale parti magis tumenti, quæ erat exterior, post modum scapello incisa eschara, & aperto tumore, flatus quidam emanauit, & nihil aliud. Simile exemplum habetur apud Zacutum Lusit. lib. 2. prax. admir. obseru. 163. vbi ex Gal. & Auic. docet huiusmodi tumores in genu sæpè à Medicis aperiri, pus intus latere existimantibus, & nihil aliud tamen, quam flatuosum spiritum egredi.

OBSERVATIO XIV.

Punctura apum.

MErcator Monspelienſis, nomine Claparede quinquagenarius, cum summo manè ex vrbe egressus esset, peregrè discessurus, & mille passuum iter ab vrbe perfecisset, examen apum in aere volitans eum subitò inuasit, & totam faciem, ac ceruicem infinitis aculeis compunxit. Vnde grauissimi dolores statim exorti sunt, qui eum domum repetere con-

confestim congerunt. Ad illum statim vocatus, hominem inuenio maxima doloris impatientia oppressum, vt vix in lecto se continere posset, facies intumescebat, & rubore vndique infecta erat. Iubeo statim partes cum pũctas illiniri theriaca, quæ cum doloris atrocitatem non compesceret, fotum præscribo ex eadem theriaca, in aqua vitæ dissoluta, qua dolores aliquãtulum mitigati sunt, & tumor faciei imminutus. Postmodum locis magis dolentibus admotæ fuerunt cepæ contusę, in modum cataplasmatis. Lac ficulneum etiam quibusdã particulis admotum, ac deinde inunctiones factæ ex oleo scorpionum Matthioli. Doloris acerbitas remedia sæpè mutare cogebat, quæ per duas horas continuata, & exhibita potione cardiaca, & alexipharmaca, dolores in omnibus ferè partibus cessarũt. Adhuc tamen infestabat dolor acutissimus in auris sinistræ cartilagine, qui prædictis remedijs sedari non potuerat. Animo reuoluens non solùm apes parti admotas venenum attrahere, & dolorem sedare, sed etiam alia muscarum genera, existimaui cantharides duplici nomine conferre posse tum quod inter muscarum species numerentur; tum etiam, quod attrahendi vt potentissima præditæ sint. Et cum emplastrum vesicatorium quod in officinis habetur, magnã cantharidum copiam in sua compositione recipiat; ex eo paratum emplastrum auri admoueo, quod intra horæ quadrantem, dolorem, omninò submoui, vesicis non excitatis, propter moram exiguam.

OBSERVATIO XV.

Catarrhus cum raucedine.

CIrca finem mensis Octobris anni 1643. cum primùm Astri flare inciperent; catarrho affectus sum, in pectus delabente, summam vocis raucedinem, ac pene aphoniam efficiente; cui statim medelam faciens, purgationem instituo ex ptisana, laxante, quam sumo bis quotidie per biduum. Hoc remedio cessauit raucedo, & interdiu à catarrho immunis videbar; sed noctu fluxio ingraueſcebat circa mediam noctem, tussimque continuam efficiebar, meque è lecto egredi cogebat. Huic mederi cupiẽs, sanguinem detraho ad ℥.x. sequenti tamen nocte eadem tussis redijt, quæ non alia via, quàm surrectione è lecto sedari poterat. Postridie venæ sectionis, liberatus à catarrho videbar, sed nocte media iterum tussis redijt, ad quam potentiùs cohibendam, sumo eadem hora laudani grana tria, & lectum repetens post mediam horam noctis reliquum, siue tussis & fluxione, cum somno suauissimo transegi, ac noctibus insequentibus nec tussis, nec catarrhus ampliùs comparuit. Vrgente affectu à vino abstinebam, vtens pro potu ptisana ex coriandro, & liquiritia confecta.

OBSERVATIO XVI.

Febris tertiana duplex cum hydrope.

ANtonius Sany Monspelienſis, annos circiter 40. natus, homo humilis fortis, & pauperculus mense Septembri anni 1643. correptus est febre tertiana duplici, eaque vehementissima, quàm per mensem integrum sustinuit sine remedijs, & prauis vescens eduliis, vnde primum lien intumuit, & scirrhosam duritiem contraxit, ac tandem hydrops consequutus est. Dum esset in eo statu. Medicum xenodochij vocauit, qui primum potionem purgantem præscripsit, postea venæ sectionem, deinde apozema pro tribus dosibus refrigerans, aperiens, & purgans simulque totum emollientem, & aperientem regioni lienis per biduum, & iteratam venæ sectionem post vsum apozematum. Cum hæc nihil profuissent, exhibuit meo consilio bolum ex mercurij vitæ correcti, & per inferiora tantùm purgantis gr. 12. cum cõserua rosarum bis deiecit, sine nausea, & vomitu, & postera die paroxysmus mitior, ac breuior fuit, qui antea vehementissimus esse consueuerat. Duobus interiectis diebus, iterum exhibitum est idem medicamentum, quo per aluum reiecit atra, porracea, & fœtida quamplurima, ac bis tantum purgatus est, paroxysmus adhuc magis imminutus. Duobus iterum interiectis diebus, tertia medicamenti dosis exhibita est, & nulla euacuatio subsequuta, sed paroxysmi non amplius redierunt, ab eoque tempore ægra febre illa tertiana prorsus liberatus est. Manebat tamen hydrops cum tumore lienis, & dolore intenso eiusdem partis, ad quorum affectuum curationem exhibitus fuit bolus ex calomelanos turqueti gr. 20. & diagrydij gr. 10. cum cõserua rosarum, idque remedium per sex dies continuos vsurpatum fuit, ab eoque mouebatur aluus bis, aut ter singulis diebus, sine molestia. Et post quartam exhibitionem, ventris tumor resolutus apparuit, durities, & tensio lienis discussa, vt æger omnino curatus videretur. Ad maiorem non cautelam per biduum adhuc continuatum fuit remedium, ac postmodum relictus fuit æger, alimentis tantummodò restituendus, cum nullus effectus præter naturam in eo appareret. Tam subita verò resolutio tumoris abdominis, tensionis, & doloris lienis, coniecturam facit, flatuum copiam in ægri abdomine contentam fuisse, quæ breui discussa fuerit, reseratis vijs, & meatibus, partium naturalium.

OBSERVATIO XVII.

Hydrops in puero.

FIlius D. Chaugerij, in Computorum Curia Procuratoris, sex annos natus, principio ætatis, anni 1643. affligi cæpit dolore satis molesto in regione lienis, qui ad vmbilicum sese exporrigebat. Hunc sequutus est tumor abdominis, sensim increscens, cum macie totius corporis. Quæ tamen cum non valdè vrgerent, neglecta fuit curatio à parentibus, vsq; ad finem mensis Octobris, quo tempore me consulunt. Præscribo primum potionem purgantẽ, postmodum iuscula aperiẽtia per duodecim dies, addendo tertio cuiq; iusculo sennæ ℥. 2. syrupi cichor. comp. ℥.j. eodem tempore illinabatur totus venter vnguento de obstruente, sumebat pro potu ordinario buchetum rhabarbari, cum aqua infusionis chalybis paratũ. Hæc diligenter vsurpata nihil contulerunt. Ideo ad potentiora confugiens, præscribo opiatam aperientem, & roborãtem, singulis diebus vsurpandam, tum purgationẽ ex ialapæ, & scãmonij ana granis decem, calomelanos Torqueti gr. 12. quæ in formam boli reducebantur cum conserua rosarũ. In prima exhibitione fuerunt tantùm grana sex scammonij, & ialapæ; sed cum medicamentum duas tantùm sedes mouisset, grana decem vtriusque in secunda dosi vsurpata sunt, à quibus æger quater deiecit sine molestia, & postera die mane semel aluum deposuit, & in deiectionibus inuẽta est vesicula ydatides, nucis iuglandis magnitudinẽ æquans, cui adhærebat satis magna copia pituitæ crassæ, & viscidæ. Tertio quoque die purgationes istæ vsurpatæ sunt, & quinquies iteratę, vnde ventris tumor valdè imminutus est, ęgerque multò alacrior factus, sed cùm glaciales aeris frigiditas vrgeret, purgationes istæ ad aliquod tempus intermissæ sunt. Post duos menses vmbilicus sponte apertus est, & magna puris copia excreta, vnde æger interijt. Dolores in principio morbi apparentes abscessum indicare potuissent, sià Medico attentè animaduersi fuissent. Sed cum tunc temporis vocatus non esset, & mater doloris illius in prima morbi relatione mentionem non feciſſet, ac tumor vniuersum abdomen occuparet; vulgaris Hydropis coniectura facta est.

OBSERVATIO XVIII.

Vlcus cancrosum.

MAter Petri Renaldi, Chirurgi Monspelienſis, sexagenaria, vlcus patiebatur in tibia sinistra, magnitudinis votę manus liuidũ, & cacothe, carnem habens prędutam, & sensu prorsus orbatam, ita vt sine dolore secaretur, quod ab humore atrabilario partis substantiam adurente procedebat. Erat autem mense Octobri anni 1643. vigente frigore, ita vt semicupia, quæ alioqui viscerum intemperiei corrigendę admodum necessaria fuissent, vsurpari non potuerint. Ideò tussi tantùm, vt instituta victus ratione refrigerante, & humectante, vteretur per multos dies iusculis refrigerantibus, & humectantibus, & semel in septimana purgaretur ptisana laxante. Parti verò admouit mercurium præcipitatum rubrum, ad carnem illam emortuam absumendam, & facta eschara satis profunda, admotum est vlceri emplastrum stipticum Crollij cuius beneficio intra vnum mensem vlcus carne repletum, & ad cicatricem perductum est.

OBSERVATIO XIX.

Vulnus contusum.

SAcerdos septuagenarius, constanti virium robore præditus, vulnus contusum accepit in superiori humeri parte,

te, à fuste inflictum, vndè dolor acerbus eum cruciabat, & pars liuida admodum apparebat. Illi statim secta fuit vena, & admotum emplastrum de cumino, postridiè exhibitum blandum catharticum. Perseuerabat dolor, qua de causa oleo ceræ pars affecta inuncta est calidè frequenter, desuper admoto prædicto emplastro, sicque intra 24. horas dolor omninò sublatus est, & pristinus color parti restitutus.

OBSERVATIO XX.

Febris tertiana simplex.

IVuenis 25. annos natus, tertiana simplici laborans, circa finem mensis Septemb. anni 1643. sequentibus remedijs curatus est. Primum catharticum medicamentum exhibitum est. Secunda die celebrata phlebotomia. Tertia die exhibitus mercurius præcipitatus ruber, sine corosiuis paratus, cum scammonio, ad grana decem vtriusque. Excreuit biliosa multa, & porracea, bis per vomitum, & bis per secessum. Perseuerante morbo, eadem dosis vtriusque exhibita est, eodem modo purgatus, & febris non amplius redijt.

OBSERVATIO XXI.

Asthma.

SEnex septuagenarius, à multis annis asthmaticus, ad eam redactus erat angustiam, vt vix spiritum ducere posset, etiam erecta ceruice, & hianti ore continuò sterteret, neque vllo modo quiescere posset, quin statim suffocari videretur. Sequentium remediorum vsu sterror desijt facilior respiratio fuit, & æger multum leuatus est.

℞. Aquæ cinnam. ℥. ij. oxymel. scilit. ℥. j. misce vtatur ex cochleari frequenter.

℞. Radic. enulæ campanæ saccharo conditæ ℥. 3. sacchari candi ℥. 6. syrupi de hyssopo ℥. ij. gummi ammoniaci aquæ vitæ dissoluti ℥. ß. misce, fiat looch, de quo capiat cochlear vnum, manè & serò, sensim lambendo.

OBSERVATIO XXII.

Hysterica passio.

DIe 19. mensis Decembris, anni 1643. clarissima Matrona vxor Dn. de la Rocha in Suprema Computorum, Subsidiorum, & Fisci Regij Curia Monspell. Consiliar. correpta est dolore colico acerbissimo, quo tota lumborum, & hypogastrij regio vehementissimè premebatur. Laborauerat autem per duos menses rheumatismo, qui omnes ferè corporis partes seriatim, & vicissim peruaserat; in ijsque partibus dolores excitauerat, neque adhuc à dictis doloribus liberata erat. Ad quorum expugnationem sanguis fuerat detractus frequenter, ex venis tum superioribus, tum inferioribus; enemata frequenter iniecta, sed purgationes paucæ, & leues vsurpatæ, quia ægra mollis, & delicatula eas ferre non poterat. Ad dolorem hunc immanem auferendum, præscribo clysterem, ex decocto emollientium, & carminantium confectum, in quo dissoluuntur catholic. dupl. ℥. j. diaphœnic. ℥. 6. aquæ benedictæ ℥. 4. intra dimidiam horam ab assumpto clystere, vomitu reiecit pituitæ crassæ, & viscosæ patinam dimidiam, & post alteram dimidiam horam, eandem pituitæ quantitatem vomitu reiecit; & iterum post horam, eandem pituitam euomit, sed paulò minori copia, & bile flaua suffusam. Per aluum bis purgata est, & intra trium horam spatium ab iniecto clystere, à dolore omninò liberata fuit. Nocte insequenti optimè dormiuit, & dolores prægressi, à rheumatismo oriundi, prorsus quieuerunt.

OBSERVATIO XXIII.

Hydrops.

IAcobus Mignot, pistor Monspelienſis, annum agens 55. cum mense Augusto anni 1643. febre tertiana duplici intermittente per aliquod tempus afflictus esset, ex incauta victus ratione incidit in febrem continuam, quæ ad 20. dies extesa, in tertianam duplicem iterum commigrauit, eaq; per mensem integrum perseuerauit, & cum æger nullis aut paucis remedijs vteretur ac multo potu se ingurgitaret, tandem in hydropem Ascitem incidit, quo à duobus mensibus detinebatur, cum ad eum vocatus sum. Tunc temporis tumore insigni abdominis conflictabatur, crura etiam, tibiæ, & scrotum valdè intumuerant, ac totum corpus ita debilitatum erat, vt in lecto perpetuò decumbere cogeretur. Illius curationem ita aggressus sum.

Prima die, quæ erat 27. mensis Nouembris, purgans medicamentum ei exhibitum est, ex senna, agarico, manna, & syrupo ros. quo mediocriter purgatus est, 28. sanguis detractus est è brachio dextro ad ℥. 8. multo sero refertus. Vigesima nona sumpsit bolum ex calomelanos gr. 24. ialapæ ℈. j. cum conserua rosarum, quo quinquies deiecit excrementa crassa, & nigricantia. Trigesima die eiusdem mensis sumpsit calomelanos gr. 24. ialapæ ℥. ß. septies purgatus, & primum crassa, & nigra excrementa; postmodum serosi humoris, copiam excreuit, crura, & tibiæ valdè detumuerunt, scrotum media parte imminutum. Prima die Decembris idem remedium iteratum est, cum eadem operatione. Secunda Decembris, idem remedium iteratum, & eadem fuit operatio, sed paulò minor: crura, tibiæ & scrotum omninò detumuere, sed venter in eodem statu permanebat. Die tertia eiusdem mensis clyster iniectus est, ex pulpa colocintid. ℥. j. ß. furfuris M. j. in vino albo decoctis. Non diu retinuit, bis tamen deiecit satis copiosè. Quarta die eiusdem mensis idem clyster iteratus ex ℥. j. colocintid. cui addita est olei communis Vnc. j. vt minus irritaret facultatem expultricem, diutius retinuit, sed bis tantùm deiecit. Die 5. Decembris sumpsit puluerem hydropicum, & copiosè purgatus est: nigra multa deiecit, qualia etiam per clysteres, euacuata fuerant, puluis autem talis est.

℞. Sennæ mundat. turbith. gummosi, hermodactylor. Sem. ebuli, ialapæ, mechoac. an. drach. j. crem. tartari drach. ij. guttæ gummi dr. ß. pulu. diambræ, diarrhod. abbat. & sem. fœniculi an. ℈. j. sacchari candi dr. 3. fiat omnium puluis, cuius drach. 2. infundantur per noctem in vini albi, vnc. iv. capiat manè vinum, & puluerem.

Die sexta eiusdem mensis sumpsit iulepum sequentem.

℞. Radic. apij, petrosel. enulæ campan. an. Vnc. j. cortic. mediar. fraxini, & tamarisci an. Unc. ß. radic. asari Drach. 2. fol. agrim. ceterach. capill. ven. cichor. chamædr. centaurij min. & absynth. vtriusque an. M. j. sem. anisi, & petrosel. an. drach. 3. flor. genistæ, & sambuci ana P. j. coquantur ad quartaria quinque in colatura dissolue syrupi de limonibus Unc. 4. fiat iulep. pro 4. dosibus matutinis, addendo vnicuique dosi salis diuretici drach. j. spiritus diuretici ℥. ß. In prima exhibitione iulepi nullus effectus sensibilis apparuit; sed in secunda vrinæ copiosiores.

Post secundam dosin iulepi, scilicet octaua die Decembr. puluis hydropicus iterùm exhibitus est, quo multum purgatus est. Die nona, & decima eiusdem mensis iulepus iteratus est, venter mollior, & imminutus apparuit. Die vndecima, puluis hydropicus iteratus, multas aquas eiecit, venter magis imminutus: tota ferè die lenibus deambulationibus in cubiculo exercebatur. Die 12. 13. 14. & 15. iulepus aperiens iteratus, & vrinæ copiosiores apparuere, & venter in dies magis imminebatur, ita vt iam conualescere omninò videretur, & potentioribus remedijs non indigere. Ideò præcepi, vt tantum exactam victus rationem seruare; & pro potu ordinario vteretur vino albo, ex infusione chalybis parato, cum ptisana consueta, qua à principio curationis continuò vtebatur, ex decocto agrim. ceterach. capillor. ven. & corticibus medianis tamarisci composita. Hoc præscripto, per quinque vel sex dies non eum inuisi, quibus elapsis retulit mihi, se adhuc siti importuna detineri, qua etiam toto morbi decursu vexatus fuerat. Consulo ad sitim extinguendam, vt in ptisanæ ordinariæ ℔. 3. dissolueret salis petræ optimè purificati Vnc. ß. eaque vteretur pro potu ordinario, cum vino chalybeato prædicto. Quibus per quinque vel sex dies continuatis, sitis omninò disparuit, & vrinæ huius remedij vsu multò copiosiores excernebantur: ita vt, eo continuato, per decem aut duodecim dies, tumoris ventris reliquiæ omninò discussæ fuerint, & æger, Deo sit laus, & honor, pristinam valetudinem recuperauerit. Consului tamen, vt vino chalybeato adhuc per longum tempus vteretur in potu, eiusque Unc. ij. sumeret singulis matutinis. Ante duos annos hæc contingere, & ab eo tempore ille panceraticè vixit, & nunc inculpata fruitur valetudine.

OB-

OBSERVATIO XXIV.

Sanguis fluxus immodicus in grauida cum fœtu mortuo.

VXor Ioannis Chauuet, Curię Computorum, Subsidiorum,& Fiscij Regij Lictoris primarij, 30. annos nata, principio noni mensis grauiditatis suæ, quod erat circa mediũ mensis Decembris anni 1643. ictum accepit in ventre satis leuem, sed die sequenti valida brachiorum contentione lectum adornauerat, vnde exortus est exiguus sanguinis fluxus ab vtero, qui per duos, aut tres dies perseuerauit. Postea cohibitus est per totidem dies, atque iterum rediit, & cessauit per interualla vsque ad 18. diem eiusdem mensis, in quo tanta copia sanguis effluxit, vt intra tres, aut quatuor horas vires admodum deiectæ fuerint; eoque perseuerante, medicos in auxilium vocare coacta fuerit, qui primùm phlebotomiam ex brachio præscribunt,& iulepos adstringentes, quæ remedia, cum nihil conferrent, & fluxus immodicus perseueraret, sine vllo parturitionis indicio, relatumque esset ab ægra, se multis diebus nullum fœtus motum percepisse, qui etiam manum ventri admouendo, glomeratus,& immobilis sentiebatur, eum interijsse censuimus, & vterum onus inutile excutere conantem, sese assiduò contrahere, sanguinemq; per proprias venas expellere, neque posse sufficiẽter edere motum illum, qui ad partum necessarius est, ideo opus esse omni arte partum prouocare, vt immodico illa sanguinis profusio cohibeatur, quæ alioqui ægram ad interitum perductura erat. Ad hunc finem primum clyster iniectus est ex cathol. & diaphœnic. an. dr. 6. olei lilior. ℥. 3. salis dr. j. cũ decocto emolliente, quo bene purgata est, & statim, post illius reiectionem, sanguinis fluxus valdè imminutus, quod mirum videri potest, cum huiusmodi clysteres sanguinis profluuiũ augere potius videãtur. Sed illud ea ratione factum existimo quòd vterus ab excrementis, recto intestino contentis premebatur. Ab illa oppressione liberatus, sese colligere cœpit, & motum illum præposterum cohibere, vt ad magis genuinum ac naturalem sese accingeret. Cum autem post iectum clysterem vterus nihil moliretur; sed aliquis sanguinis efluxus semper continuaretur, & de fœtu mortuo constaret; ad illius exclusionem exhibita est salis vitrioli dr. j. in aquæ bugloss. ℥. 4. dissoluta. Quod sanè duplici nomine conferre videbatur primò quod vomitum ciendo, vterũ etiam irritaturus esset ad exclusionem; quandoquidem in vomitu omnes partes in imo ventre contentæ sese vehementer contrahunt: secundò, quod sal vitrioli maxima adstringendi vi præditum est, quæ sanguinis fluxui cohibendo conferre potest. Exhibito medicamento, bis vomuit, satis vehementer, ac multa pituitosa, serosa, ac biliosa excreuit, & paulò post dolores parturitionis apparere cœperunt: qui cum per quatuor, aut quinque horas perseueraſſent, neque frequentiores, aut intensiores euaderent; ad partum vlterius adiuuandum sequens potio exhibita est.

℞. Dictamni cretici, aristolochiæ vtriusque, & trochisc. de myrrha an. ℈. ß. croc. & cinnam. ana gr. 12. confect. alKerm. drach. ß. aquæ cinnam. Vnc ß. aquæ naphæ, & artemisiæ ana Vnc. j. ß. fiat potio, qua assumpta intra horæ quadrantem, validis conatibus, ijsque geminatis ter aut quater, fœtum exclusit, cuius cutis putrescere, incipiens, varijs in locis lacerata visebatur. Paulo post etiam secundinas semiputres exclusit, & ab eo tempore lochia valdè mediocria effluxere.

OBSERVATIO XXV.

Ophtalmia.

QVidam Rusticus quinquagenarius, ophtalmia inueterata laborans, ex Medici præscripto, victu refrigerante & aquæ potu, longo tempore vsus fuerat, sine vllo leuamine. Tandem ab alio rustico persuasus fuit, vt victum illum refrigerantem desereret, & meri potui indulgeret. Post assumptum primum meri ciathum, se oculis melius habere sensit, & intra paucos dies, eodem potu cõtinuato, ab ophtalmia prorsus liberatus est. Idem alijs duobus contigisse mihi relatum est, quod confirmat aphorismum Hippocratis, dolores oculorum interdum meri potione curari: quando scilicet ophtalmia fit à sanguine crasso, & pituitoso, oculorum tunicis impacto, qui meri vsu liquatur, attenuatur, atque resoluitur.

OBSERVATIO XXVI.

Illiaca passio.

DIe 29. mensis Ianuarij 1644. Dn. Guillelmus, Patris in Curia Præsidiali Monspelliensis Consiliarius, laborare cœpit colico dolore vehementi; ex intenso frigore concepto, quòd tunc temporis vigebat. Vocatus Pharmacopœus iniecit statim clysterem emollientem, carminantem, & laxantem quo fæces multas excreuit. Dolore perseuerante iteratus fuit idem, clyster, adiectis oleis carminantibus, quem non reiecit. Dolore adhuc sæuiente tertius postmodum iniectus est, quem etiam retinuit. Pluribus immissis suppositorijs, clysterum portionem excreuit, sine vlla materia fæculenta. Die secunda morbi vocatus ego præscribo fotum emollientem, & anodynum, toti ventri admouendum, & clystetem ex fotus decocto paratum, quem etiam diu retinuit, & exiguam illius portionem reiecit, sine vlla materia, nullus dolor aderat, neque vlla febris; vomitus autem per interualla infestabat. Hinc conijcere licuit, ægrum illiaca affectione laborare; sed à qua causa fieret, valde dubitatum est in consultationibus pro tanto affectu conuocatis. Inflammationem enim testari videbatur febris, quæ tertio die superuenit, sitis, & linguæ ariditas. Sed quomodo inflammatio intestinorum adesse posset citra dolorem; concipere non poteram: videbatur potius fieri à fœcibus induratis, vel contorsione alicuius intestini. Multa remedia vsurpata fuere, venæ sectio ter repetita, bis in brachio, & semel in pede; iulepi refrigerantes, exhibiti clystere ex decocto intestinorum veruecis iniecti, omni hora; fotus emolliens continuò admotus toti ventri. Vsque ad septimum diem vomitus perseuerauit; quo iuscula, & potulenta excernebat, cum materia biliosa, pituitosa, & stercorosa. Nihil verò per aluum effluebat. Circa finem septimi diei aluus fluere cœpit, & fœces multas excreuit per interualla, cessante prorsus vomitu. Alui fluxus continuauit per quinque dies, manente tamen febre; & virium imbecillitate liquida in fine deijciebat, qualia ante vomere consueuerat. Die decima tertia morbi, grauibus inquietudinibus affectus est, cum virium languore, quibus sensim deficientibus, è medio sublatus est. Aperto cadauere, inuentum est intestinum ileon tribus complicationibus conuolutum, & quasi compactum in vnam massam circa finem illius, tota autem illa intestini portio complicata, gangræna affecta erat, cum portione meseterij sibi adiuncta. Intestina reliqua amplissima apparebant, vt brachij magnitudinem æquarent. Præterea intestinum, gangræna affectum, perforatum erat supra complicationem. Existimo, à pondere materiæ contentæ in superioribus intestinis fuisse disruptum, postquam sphacelo affectum est. Per illud foramen tota excrementorum illuuies in abdomẽ effluxerat, & mora sua partem ani interiorem corruperat, in qua etiam foramen aliud apparuit, per quod excrementa effluebant per aluum, & obstructionis intestinorum apertionem mentiebantur. Vnde patet, alui fluxum, ileo superuenientem, posse interdum Medicis imponere.

OBSERVATIO XXVII.

Sitis inextinguibilis.

DIe 17. mensis Februarij anni 1644. Vocatus sum Lodouam, pro Illustrissimo Episcopo Lodouensis, annos sexaginta quatuor nato, sanguineo temperamento prædito. Is cum per aliquot dies arthriticis doloribus conflictatus esset, subitò dolores valdè imminuti sunt, eodemque tempore febris eum corripuit, cum siti inextinguibili, ita vt, postquam duos cyathos aquæ bibisset, sitis nullo modo imminuta appareret. Existimaui hos affectus prouenire ex retentione humorum, qui ad articulos antea ferebantur, illi enim intus coerciti febrem, ac sitim efficiebant; vnde maximum impendebat vitæ periculum. Arthritici enim plerumque interire solent senectute, quando facultas expultrix debilitata, non potest sufficienter humores superfluos deponere ad articulos, sed ij in visceribus retenti, grauia damna inferunt, & plerumque lethalia. Ad horum affectuum curationem præscripsi clysterem laxantem, & refrigerantem, bis in die iterandum, tum etiam phlebotomiam, bis in die, per biduum, & ingulis hausti bus potus ordinarij, qui erat ex decocto hordei, & graminis, dissoluebam salis prunellæ drac. j. spiritus vitrioli guttas xij. Hisce remedijs intra biduum sitis

illa

illa ingens extincta est, & febris admodum remissa. Ac paucis postea diebus, blandis purgationibus, cum iusculis refrigerantibus, per intervalla vsurpatis, integrè restitutus est.

OBSERVATIO XXVIII.

Catarrhus in pulmone defluens.

SVb fine mensis Februarij anni 1644. afflictus sum catarrho grauissimo, in pulmonem decumbente, vnde tussis vehemens, diu noctuque perseuerans, cum difficultate spirandi, ita vt in lecto non possem decumbere. Aderat praterea febris exigua, qui peripneumoniam minabatur. Aduersus istum affectum pugnaui quatuor venæ sectionibus, & totidem purgationibus, intra quindecim dies vsurpatis. His accedebant cucurbitulæ, vesicatorium, incrassantia bechica permulta. Licet bis, aut ter in anno, huiusmodi catarrhis affligi soleam nunquam tamē antea tam diuturnus, & contumax fuerat, ita vt valdè metuerem, ne in phthisin tandem degeneraret; cum irrita essent omnia remedia, quæ alias statim prodesse consueuerunt. Itaque ad efficax quoddam remedium confugiendum esse ratus, quo fluxionis radices euellerentur, sumpsi calomelanos gr. xx. cum ialapæ gran. x. quo remedio per aluum excreta sunt pituitosa, ac bilio sa multa, qualia in alijs purgationibus non apparuerunt: per os autem multam pituitam excreui, tussi, & screatu, qua euacuatione, per biduum perseuerante, cessauit postea catharrhus, & tussis omninò disparuit, sicque à graui illo morbo, Dei beneficio, liberatus sum.

OBSERVATIO XXIX.

Contusiones.

QVidam adolescens ex alto ceciderat, & omnia membra admodum contusa fuerant, vt breui moriturus videretur. Pater ipsius accepit fauos cum melle & coxit in vino ad consistentiàm vnguenti, quod extendit super corium veruecis recenter mactati, eoque ægrum inuoluit. Reiterata per triduum operatione, æger omnino curatus est.

In contusionibus particularibus extenditur vnguentum super linteum, & applicatur, statim curat.

OBSERVATIO XXX.

Febris lenta, cum doloribus lumborum, & crurum.

FIlius Iacobi de Ladeuese, ciuis Monspelienſi, septem annos natus, ab aliquot mensibus febre lenta detinebatur, qua corpus valde emaciatum fuerat, eamque comitabantur dolores, lumborum regionem, & crura affligentes. Multa remedia in vsum reuocauerat, sed frustra. Vocatus ad eum die 19. mensis Aprilis anni 1644. præscripsi bolum ex calomelanos gran. x. diagryd. gr. v. cum conserua rosarum, quem sumpsit die vigesima, bis purgatus est blandè, & inde melius habuit. Die vigesima prima eiusdem mensis sumpsit calomelanos gr. xij. diagryd. gr. vj. bis etiam blandè purgatus est, & multò melius habuit. Die vigesima secunda, eandem dosin sumpsit cum eadem operatione, & integræ sanitati restitutus est.

OBSERVATIO XXXI.

Tussis, & difficultas spirandi, cum doloribus humerorum, & brachiorum.

VXor Petri Florens agricolæ, Viuarese nominata, ab octo mensibus laborabat humerorum, & brachiorum doloribus; cum pectoris angustia, tussi, & difficultate spirandi, multam extussiendo materiæ pituitosæ, & aquosæ copiam excernebat. Pluribus potionibus, & apozematis, alijsque remedijs vsa fuerat, ab alio Medico præscriptis, malo in eodem statu perseuerante. Tandem meam opem implorat die decima octaua mensis Aprilis anni 1644. eique exhibeo bolum ex calomelanos gran. xx. diagryd. gr. x. cum conserua rosarum. Horis duabus ab assumptione remedij bis copiosè sudauit, postea per tres vices aluum copiosissimè deposuit, & postera die dixit se perfectè curatam esse. Tamen triduo post iubeo, vt idem remedium repeteret, à quo quater purgata est, & ab eo tempore à prædictis affectibus omninò liberata est.

OBSERVATIO XXXII.

Febris Chronica intermittens, sine typo, cum affectione hypochondriaca.

DIe 10. mensis Iunij anni 1644. dum essem Gratianopoli, Nobilis vir Dn. de S. Martino de Vercors, 30. annos natus, ad me venit, contumaciſſimi affectus curationem postulans. Laborabat à triennio paroxysmis febrilibus, bis aut ter in mense inuadentibus, sine typo, ita vt nunc post decem, nunc post duodecim, aut quindecim dies accessio inuaderet. Incipiebat cum leui horrore, quem ingens calor sequebatur, cum atrocibus crurum doloribus. Ad quindecim, viginti, & vigintiquatuor horas extendebatur, & nonnisi copiosa sudoris, & vrinæ profusione sedebatur. Diebus intermedijs omnes corporis functiones ritè exercebat, nisi quod aluum adstrictam habebat, & excrementa reijciebat cum magno labore, viscida, & ceram æmulantia. Ortum duxerat hic affectus ex febre continua, quam ante triennium in castris Italicis passus erat, neque in fine illius ritè purgatus fuerat; Ita vt morbi reliquiæ in mesenterio præsertim latitantes crassitiem adepræ fuerint, & contumaces obstructiones pepererint. A quibus impeditus humorum commeatus affectionem hypochondriacæ similem efficiebat, & in calido ægri temperamento febres huiusmodi concitabat. Quæ quidem febres à serosa illuie ebulliente, & putrescente oriebantur, eaque per sudores, & vrinas excreta, cessabant. Dolores vero crurum à crassis vaporibus concitabantur, ab hypochondrijs ad eas partes translatis. Multis remedijs vsus fuerat, per illud triennium à peritis Medicis præscriptis. Ego in hunc modum curationem aggredior.

℞. Sennæ mund. ʒ. ij. aquæ fontis ʒ. viij. salis tartari ʒ. j. spiritus sulphuris gutt. xxx. infundantur frigidè per noctem, colaturam capiat manè cum regimine.

Sequenti die aperiatur vena basilica cubiti sinistri, mittantur sanguinis Vnc. ix.

Post venę sectionem, reiteretur infusum sennę per triduum.

Per vsum horum remediorum foueatur venter decocto emolliente, & aperiente, manè, per horam ante sumptionem infusi, & vesperi, per horam ante cœnam.

Post fotum, illinatur, eædem partes vnguento emolliente, & aperiente.

Deinde vtatur pilulis ex chalybe, per quindecim dies.

Eodem tempore statim ab assumptis pilulis capiat infusionem ʒ. j. sennæ, cum sale tartari, & spiritu sulphuris paratam.

Per vsum pilularum continuetur fotus, & litus manè, & serò.

In medio, & fine pilularum, vtatur balneo tepido, per biduum.

His perfectè curatus visus est, neque enim redibant accessiones febriles, neque alui excrementa ceream illam consistentiam amplius obtinebant. Ad perfectiorem tamen curationem, ad aquas acidulas eum dimisi, per quindecim dies sumendas: Præscripsi per æstatis decursum syrupum magistralem; bis in mense sumendum, & opiatam roborantem, & aperientem, frequentem vsurpandam. Autumno verò vt præmissa purgatione, & venæ sectione, pilulas ex chalybe repeteret, per duodecim dies, cum fotu, & linimento. Deinde pilulas vsuales aperientes, & purgantes bis aut ter in mense per totam hyemem sumendas, ac denique opiatæ continuationem, diebus intermedijs. Posteriora remedia, nempe syrupum, pilulas, & opiatam, non vsurpauit, quia priorum effectu à contumaci morbo liberatus est.

OBSERVATIO XXXIII.

Mensium fluxus immodicus, cum principio hydropis.

AMplissimi viri Dn. de Burcin, in Senatu Gratianopolitano Præsidis, vxor clarissima, à septem mensibus fluxum menstruorum patiebatur ferè continuum, à quo in cachexiam, & principium hydropis inciderat, cum maxima virium imbecillitate. Vocatus sum ad eam, die 12. mensis Maij anni 1644. dicebat se à remedijs magis lædi, quia purga-

tio-

tiones menſium fluxum augebant, tum etiam ea omnia, quæ ad obſtructiones reſerandas præſcribebantur. Ego verò præſcripſi purgationem ex decocto plantaginis, & myrobal. in quo rhab.pulu.3.ß.diſsoluebatur. Blandè purgata eſt hoc remedio, per triduum vſurpato, & ſimul menſium fluxus ferè cohibitus, tum ſitis, qua perpetuò premebatur, valdè imminuta. Ad obſtructiones autem reſerandas,& vniuerſam humorum illuuiem educendam, pilulæ ſequentes præſcriptæ ſunt.

℞.Chalybis prepar. cum ſulphuræ Vnc. *j.* ſennę mundat. rhab.electt.& agarici recenter trochiſc. an.drach.j. pul.electt. diarrhod.abbat.3.ß.cum oxymel.ſimpl.fiat maſsa pilular. de qua capiat Drach.j.tribus horis ante paſtum,poſtea deambulando.

Hiſce pilulis per quindecim dies continuatis, à fluxu menſium immodico, & à cachexia liberata eſt. Ad robur autem hepati conciliandum, conſerua abſynthij pontici per multos dies vſa eſt. Et per quatuor aut quinque dies ante aduentum purgationis menſtruæ, ne immodicè proflueret, vnde maxima virium deiectio ſequebatur, ſumebat manè ſpicæ nardi grana octo, cum croci martis adſtringentis granis quindecim, in pilulas redacta cum conſerua abſynthij pontici, ſicque fluxus menſium immodicus cohibitus eſt.

OBSERVATIO XXXIV.

Dolor dentium cum tumore ſupra mandibulam ſuperiorem.

DIe decima quinta Auguſti anni 1644.correptus ſum dolore dentium,quem ſecutus eſt tumor ſupra mandibulam ſuperiorem ſiniſtram, cum inflammatione, & dolore inſigni. Poſt venæ ſectionem ex eodem latere, parti admoueo, per totam diem, cataplaſma de mica panis, quod renouabam tertia quaque hora,& ante applicationem partem ſoluebam per dimidiam horam aqua roſacea,in qua ſal ſaturni diſſoluebatur. Nocte conſequente,cum dolor perſeueraret, fumo laudani grana tria vnde ſomnus placidus,cuius vacuitas nocte prægreſſa adfuerat, dolor ſedatus eſt, ac fluxio cohibita, tumor verò multum imminutus poſtridie manè apparuit, & in die decurſu maiori ex parte diſcuſſus eſt.

OBSERVATIO XXXV.

Aphtæ contumaciſſimæ.

QVædam mulier laborabat aphtis contumaciſſimis, quæ neque venæ ſectionibus, neque purgationibus multis neque iulepis refrigerantibus, neque illitu ex ſpiritu ſulphuris curari potuerant. Noctes inſomnes traducebat, & vix cibum deuorare poterat, quia omnes oris partes huiuſmodi vlcuſculis ſcatebant. Sumpſit noctu laudani grana tria, idque remedium continuauit per triduum, & ſic fluxio acris in oris partes defluens cohibita, ac conſequenter oris vlcera paucis diebus percurata ſunt.

OBSERVATIO XXXVI.

Febris maligna.

DIe decimaquarta menſis Auguſti,Ancilla vxoris meę febre maligna laborare cœpit, quæ eam ad deliria, & conuulſiones deduxit, & quia paupercula erat, & parcebat ſumptibus, paucis remedijs curata eſt in ſequentem modum.

Quater ſecta fuit vena,cucurbitulæ pluries admotę humidę & ſiccæ,pro potu vtebatur decocto radicis acetoſę,in quo diſſoluebam bis in die ſalis prunellę drach.j.ſpiritus ſulphuris guttas xv.in iuſculis ſumebat frequenter bezoart.min.ℨ.j. Die vndecima morbi exhibui ſpiritus fuliginis 3.ij. in aqua cardui benedicti, & parum ſudauit die duodecima exhibui eiuſdem ſpiritus 3.iij. cum eadem aqua, & copioſè ſudauit, eademque die febris remiſſa eſt, deliria, & motus conuulſiui deſierunt, & intra paucos dies poſt modum conualuit.

OBSERVATIO XXXVII.

Hemicrania.

FIlia nobilis viri Dn. de Larcare, Picenenſis, annos nata duodecim, laborabat hemicrania, ab aliquot annis infeſtante, quæ nullis remedij ceſſerat, ſed corpus emaciatum permanebat, nullum ſumens incrementum. Miſſa eſt meo conſilio ad thermas Balerucanas, & aquis earum vſa eſt in potu, & lotione capitis, ſicque perfectè curata eſt.

OBSERVATIO XXXVIII.

Vulnus in brachio curatu difficile.

DN. de Rochemore annos natus circiter 25. vulnus acceperat in brachio paulò ſupra carpum, & verſus cubitum aſcendens. In curatione fluxiones nonæ frequenter obortæ ſunt, quibus totum brachium, & manus intumeſcebant, iſque ſuppurationes ſuccedebant, quæ aliis in locis tum brachij tum manus aperta ſunt, licet debita curatio adhiberetur. Brachium, & manus tumore œdematoſo afficiebantur, & ex vlceribus pus ſeroſum effluebat. Poſt multa remedia, cauſam antecedentem, & coniunctam reſpicientia, curatio peracta fuit per ſplema, locis tumentibus admota cum bona ligatura, quibus humorum in partem affluxus impediebatur, & ſinuoſorum vlcerum vnio procurabatur. Sicque æger intra quindecim dies curatus eſt, qui anteà per duos menſes laborauerat.

OBSERVATIO XXXIX.

Pleuritis.

IN principio menſis Septembris, anni 1644.filius Dn. Audifret, ciuis Monſpelienſis quinque annos natus, correptus eſt pleuritide lateris ſiniſtri, cum febre acutiſſima. Poſt remedia ordinaria per quinque dies vſurpata & quatuor phlebotomias, iuſſi vt cucurbitulæ duæ lateri dolenti applicarentur cum profundis ſcarificationibus. Contingit autem, vt ex ſcarificationibus illius cucurbitulæ, quæ dolentem locum propius attingebat ſanies multa effluxerit, per totum diem, ſimulque dolor ac febris deſierint. Iuſſi, vt admouerentur folia betæ ſupra loca ſcarificata, & per duos dies ſeniei fluxus continuatus eſt,ac denique in fine verum pus è vulneribus emanauit. Atque ita æger omninò curatus eſt. Credo, ſcarificationes ad locum pleuritidis peruenisſe, & materiam morbificam per ea vulnera emanaſſe.

OBSERVATIO XL.

Dolor capitis in hæmitritęo.

ILluſtriſſimus Princeps, Ianethinus Doria, claſſis Hiſpanicæ præfectus,cum in arce Monſpelienſis bello captus detineretur,afflictus eſt principio menſis Septembris febre hęmitritęo, quæ inter cætera ſymptomata, capitis dolorem grauiſſimum inferebat,eumq; continuum, & extra acceſſionem æquè moleſtum, qui tamen poſt quatuor phlebotomias, in brachijs celebratas, eodem vigore perſeuerans intra horam ſublatus eſt ſanguinis miſſione, ex malleolo dextro, in fine diei ſextæ vſurpata. Tam promptus effectus obſeruatione dignus fuit, vt tyrones videant, quàm bona fiat reuulſio à capite per ſaphenarum apertionem.

OBSERVATIO XLI.

Rheumatiſmus.

DOminus de Barri filius natus maior Domini de Rochemore in Suprema Computorum,& Subſidiorum Curia apud Monſpelienſis Protopræſidijs, principio menſis Auguſti, anni 1644. laborare cœpit rheumatiſmo vniuerſali, omnes propemodum corporis articulos infeſtante, cum febre aſſidua,& ſumma vrinarum cruditate. Contigerat præcipuè hic affectus ex natatione intempeſtiua. Cum enim ad flumen,longe ab vrbe diſſitum,æſtu vrgente,proficiſceretur, corpus calefactum in aquam demergebat, vnde catarrhus iſte vniuerſalis prodijt. Per ſex ſeptimanas fruſtra vſurpata fuiſſe remedia videbantur, cum nihil proficerent,

&

& dolores in varias partes vagarentur, ac sæpè recurrerent. Præcipua autem remedia fuere venæ sectio, decies vsurpata, & iulepi refrigerantes, & incrassantes, quibusbis, aut ter accesserunt leues purgationes. Tandem malo perseuerante, exhibitus est bolus ex conserua rosarum cum calom. gr.xx. extracti ialapæ gr.6. tertio quoque die; multa serosa, & porracea deijciebat, quo remedio, quater vsurpato, dolores omninò sublati sunt, postmodum tumores œdemnatosi, qui in nonnullis articulationibus, præsertim pedum remanebant, emplastris resoluentibus, & roborantibus discussi sunt.

OBSERVATIO XLII.

Singultus.

PVella tredecim annos nata, ab anno integro laborabat singultu admodum molesto, quater, aut quinquies in die infestante, nunc per horæ quadrantem, nunc per dimidiam horam, nunc per horam integram. Per totam hyemem prægressam symptoma hoc eam infestauerat: æstate verò, ab eo ferè immunis fuerat, vt per dilucida admodum interualla rediret. Aduentante Autumno, redijt cum pristina sæuitia. Parens illius à me consilium petijt die secunda mensis Octobris, anni 1644. Sequenti die exhiberi iubeo calomelanos gr. xvj. diagryd. gr. 8. quo solo remedio affectus in totum sublatus est eadem die.

OBSERVATIO XLIII.

Aneurisma.

FIlius Petri Vesian, mercatoris Monspelienſi, quinque annos natus, febre laborans, mense Iulio, anni 1644. ex venæ sectione incidit in aneurisma, propter apertam arteriam, quod integrè curatum est, admotis cataplasmatis adstringentibus ex bolo, terra sigillata, alijsque compositis, aceto, & albumine oui subactis, & tertio quoque die immutatis, quibus fascia arctissima superinducebatur, & trium mensium spatio, curatio peracta est.

OBSERVATIO XLIV.

Catarrhus in pulmonem decumbens.

DIe decima quarta mensis Octobris anni 1644. cum Austri per mensem integrum viguissent, subitò tempestas calida, & humida in frigidam, & siccam, nempè Aquiloniam mutata est, ex qua licet per biduum immediatè præcedens, ptisana laxante, & manna purgatus fuisse, fluxio in pulmonem mihi concitata est, tussim, & spirandi difficultatem patiens, cum leui stertore. Leuis fuit affectus per biduum, vt nihilominus per vrbem ambulare non desinerem. Tertio die ingraueſcente affectu, sumpsi mannæ ℥. j. cum resinæ ialapæ gr.4. quibus parùm purgatus sum, ideò sumpsi eadem nocte circa horam vndecimam, ptisanam laxantem cum manna, & copiosè purgatus sum per noctis decursum. Quarta die leuiter prandi, & quicunq; horis à prandio sumpsi eandem ptisanam laxantem, qua mediocriter purgatus sum per noctis decursum. Quinta die, hora somni, cum catarrhus perseueraſſet, licet admodùm imminutus, sumpsi laudani gr. iij. cessauit illico catarrhus, & tota nocte placidè domiuit. Cum tamen sexta die mane stertor leuis in pectore audiretur, cum leui spirandi difficultate, decreui ieiunio reliquias illas absumere. Ideò manens in lecto toto illa die, sumpsi tantilum iusculum vna hora prandij, & hordearum hora cenæ. Placidè dormiui tota nocte insequente, & catarrhus omninò discussus est. Dolor tamen in mandibula dextra satis leuis exortus est, qui fluxu sanguinis ex gingiua, vbi dens corrosus est, protinus sublatus fuit. Fluxit autem sanguis ferè guttatim cum pituita permixtus ad ℥. iij.

OBSERVATIO XLV.

Oculi Macula.

FIliæ Dn. de Meruiel octo annos natæ, ex diuturna ophthalmia, relicta est macula densissima in oculo, mediam iridis partem occupans. Quæ absumpta fuit aqua rosarum, in qua dissoluebatur sal ammoniacum, ea quantitate, vt linguam leuiter feriret, eaque detinebatur per biduum, aut triduum in vase ex auricalcho confecto, donec cærulæum colorem acquireret.

OBSERVATIO XLVI.

Catarrhus cum Raucedine.

DIe decima septima mensis Nouembris anni 1644. flante Austro, correptus sum catarrho cum raucedine. Secunda morbi die mensi in lecto, & nihil sumpsi tota die, præter hordeata duo, horis prandij, & cenæ. Tertia sumpsi ptisanam laxantem cum mannæ ℥. j. Quarta die quieui, & raucedo valdè imminuta erat. Quinta tussis ficca aderat, cuius ratione venam aperui. Sexta tussis perseuerabat. Ideò sumpsi calomelanos gr. xx. cum resinę ialapæ gr. 8. Medicamentum tota die nihil præstitit; sed tantum circa vesperam duas sedes mouit perexiguas. Tussis tamen omninò discussa est.

OBSERVATIO XLVII.

Difficultas spirandi cum tussis, & raucedine.

VXor D. Dortmanni Patroni celeberrimi laborabat tussi, raucedine, & difficultate spirandi à viginti diebus, in quorum decursu ter purgata fuerat cum infuso sennæ, & mannæ ℥. j. Vocatus ad eam in principio mensis Decembris anni 1644. præscripsi venæ sectionem ad ℥. viij. sanguis fuit valdè corruptus, deinde vsa est per septem dies iusculis pectoralibus, in quorum primo, & vltimo senna infundebatur, & manna dissoluebatur. Nihilominus tussis, & difficultas spirandi, quamuis remissiores perseuerabant; quia illa pulmonem habet debilem, & cerebrum valdè humidum. Qua ratione proponitur ab adstantibus vsus decocti sudorifici, quem me non improbare dixi: sed prius tentandum esse vnicum remedium, ad contumaces fluxiones eradicandas efficacissimum. Quare præscribo calomelanos gran. xx. cum resinæ ialapæ gr. x. à quo remedio septies purgata est, & à fluxione omnino liberata, ita vt alijs remedijs opus non fuerit.

OBSERVATIO XLVIII.

Dolor colicus antiquus cum alui fluxu.

HOnesta virgo Antonia de Parauisol. 27. annos nata laborabat ab octo mensibus dolore ventris, colico non absimili, quem comitabatur alui fluxus, quo pituitosam atque biliosam materiam, necnon purulentam excernebat. Pauciſſima remedia vsurpauerat, donec ad extrema redacta, & se morti proximam existimans auxilium meum implorat. Præscribo primum ad demulcendum dolorem, qui atrox, & continuus erat. Laudani gr. iij. cum conseruæ rosar. drach. j. quo dolor saltem ad tempus sedatus est, & alui fluxus imminutus. Deinde ad eundem dolorem leniendum, obstructiones reserandas, & tensionem, quæ in ventre tactui subijciebatur, tum etiam alui fluxum cohibendum, sequentia à me præscripta fuere.

℞. Radic. althææ drach. ij. folior. maluæ, pariet. violar. ana M. ij. sem. lini, & fænugr. ana ℥. j. flor. chamom. & meliloti ana P. ij. fiat omnium decoctio, qua foueatur pars dolens, manè & serò.

℞. Vnguenti de althea ℥. ij. olei chamom. & lilior. ana ℥. j. fiat linimentum, quo illinatur eadem pars post fotum.

℞. Rad. gram. asparag. bruſci ana Vnc. ij. fol. agrim. pimpinellæ, piloſellæ, & plantag. ana M. j. tamarind. Unc. j. tartari crudi Unc. ß. myrobal. citrin. ℥. ij. coquantur ad ℔. j. fiat apozema pro tribus dosibus matutinis, addendo vnicuique dosi rhab. pulu. ℥. ß. syrupis de rosis siccis Vnc. j.

His remedijs ita imminutus est dolor, & alui fluxus, vt ægra ipsa se integræ sanitati proximam putaret, elapsis quindecim diebus symptoma rediere cum eadem vehementia iterum sequentia præscribo.

℞. Rhab. pulu. drach. j. conſeruę rosar. ℥. iij. fiat bolus, qui detur manè cum regimine.

℞. Terebenthinæ aqua plantag. lotæ drach. iij. rhab. pulu. drach. ß. misce fiat bolus, qui detur per triduum post vsum prioris.

His duobus remedijs, quanquam leuioribus, omninò liberata est.

OB-

OBSERVATIO XLIX.

Febris tertiana diuturna.

PUella, decem annos nata, febre tertiana laborans, tribus mensibus, in Nosocomio, post multa remedia frustrà tentata, sumpsit die octaua Ianuarij, anni 1645. febrifugi mei gr. 12. quæ erat dies intermissionis. Quinquies purgata est per aluum, accessio venit eadem die præter morem, sequenti die non apparuit, neque deinceps. De hoc febrifugo plura dicemus in fine huius centuriæ.

OBSERVATIO L.

Febris quartana.

MVlier quadragenaria, in Nosocomio decumbens, laborabat febre quartana quatuor mensibus. Die decima Ianuarij, anni 1645. sumpsit febrifugi mei gr. 20. pridie accessionis. Sexies purgata est per aluum. Sequenti die loco accessionis, passa est quosdam labores, & inquietudines, sine rigore, aut frigore præcedente, & sine calore sensibili. Die sequentis accessionis eædem inquietudines rediere sine accessione. Postridie purgata est medicamento ex sennæ ℥. ß. diaphæn. ʒ. iij. syrupi ros. ℥. j. septies deiecit, & inde nullam ampliusaut accessionem, aut inquietudinem passa est.

OBSERVATIO LI.

Febris quartana.

VXor Ludouici Lauterij, sutoris, annos 23. nata prope portam Latensem habitans, & duplici quartana laborans, quinque mensibus, ad me venit die 27. Ianuarij, anni 1645. cui exhibeo die 28. febrifugi mei gr. 20. horis matutinis, cum circa vesperam prima accessio expectaretur. Purgata est sexies, & semel vomuit circa meridiem, tribus horis ab assumpto iusculo, & cum prandere inciperet, Vesperi accessio redijt sine frigore, sed calor solito longior fuit. Secunda accessio postridie non redijt, neque vlla alia deinceps.

OBSERVATIO LII.

Hydrops.

MEndicus quidam, nomine Rafeau, hydropem patiebatur tribus mensibus, ex quo venter in amplissimum tumorem increuerat, & cum propter inopiam, Medicis auxilijs vti non posset, ex rusticæ mulieris consilio vsus est per mensem integrum decocto radicis bruscі. Purgatus est bis, aut ter simplici sennæ infuso, & his solis præsidijs perfectè curatus est.

OBSERVATIO LIII.

Febris hectica cum suspicione phthiseos.

FIlius Domini Paschali, quatuor annos natus, per sex menses integros febrem hecticam patiebatur cum tussi, & sputis subputridis, vnde phthisicus putabatur, & tandem pro deplorato relictus est à Medico ordinario, hecticam esse in tertio gradu, palam profitente. Mater in hac desperatione victum tenuem instituit, cum anteà solidioribus alimentis vesceretur, iuscula enim tantum hauriebat per diei decursum, vesperi verò hordeatum sumebat. Bis verò in septimana infusum ʒ. ij. sennæ capiebat, in decocto cichorij, & buglossæ paratum cum aniso, in quod decoctum calens senna injiciebatur, & in eo pernoctabat sine alio calore. Hac simplici cura intra mensem restitutus est.

OBSERVATIO LIV.

Febris quartana.

DOmini Athanasij Salinarum Coaductoris Socrus, annos nata 52. febre quartana laborans, sex mensium spatio, die quinta mensis Februarij, anni 1645. sumpsit febrifugi mei gr. 20. Bis purgata est per aluum, & semel vomuit amara post assumptum iusculum. Erat pridie accessionis, quæ postridie redijt hora consueta, eadem forma, & durationе. Die vero sequenti inaccessionis nihil apparuit, neque deinceps.

OBSERVATIO LV.

Febris quartana.

LUdouica Beuonse anno 45. nata, prope fanum sanctæ Crucis habitans, & febre quartana laborans à quatuor mensibus, sumpsit die octaua Februarij anni 1645. Febrifugi mei gr. 20. pridie accessionis, à quo primum purgata est per vomitum, reiecitque bilem multam, eamq; amarissimam, tribus horis ab assumpto medicamento, & post vomitum sumpsit iusculum, quod paulò post vomitu reiecit, cum bile minus amara. Post mediam horam deiecit per aluum copiosos humores, & semel tantum per hanc viam purgata est. Sequenti die redijt accessio prioribus consimilis, & ab eo tempore nullam amplius accessionem passa est.

OBSERVATIO LVI.

Febris quartana.

FIlia Dn. de Boirargnes, in Curia Computorum, Subsidiorum, & Fisci Regij Correctoris, quindecim annos nata, à tribus mensibus quartana laborans, post multa remedia frustra vsurpata, sumpsit die nona Februarij, anni 1645. febrifugi mei gr. 20. pridie accessionis. Sexies purgata est per aluum. Sequenti die accessio redijt, sed tribus horis retardata est; & multò breuior fuit. Secunda accessio non redijt; sed loco illius quasdam passa est inquietudines. Tertia accessio iterum redijt; sed perexigua. Quarta maior fuit. Sumpsit iterum remedium pridie quintæ accessionis, quæ redijt paulò minor, & ab eo tempore nulla amplius apparuit.

OBSERVATIO LVII.

Febris quartana.

MVlier quadragenaria nomine Ieane Guillarde, à sex mensibus quartana laborans, die decimaquinta Februarij sumpsit febrifugi mei gr. 20. pridiè accessionis. Sexies purgata est per aluum, & nihil per vomitum reiecit. Postridie accessio redijt dimidio breuior, & non amplius deinceps comparuit.

OBSERVATIO LVIII.

Febris quartana.

MVlier quinquagenaria, nomine Motona, propè puteum templi habitans, febre quartana laborabat à septem mensibus, eaque vehementissima. Sumpsit die decima septima Februarij anni 1645. febrifugi mei gr. 2[illegible]. Ter purgata est per aluum, & semel vomuit bilem amarissimam; accessiones perseuerabant, sed multò remissiores. Post tertiam accessionem ab assumpto medicamento, sumpsit eiusdem febrifugi gran. 30. & purgata est per aluum duodecies, bis verò per vomitum excreuit bilem porraceam cum pituita mixtam, & ab accessionibus omnino liberata est.

OBSERVATIO LIX.

Febris quartana.

PUella tredecim annos nata, nomine Andrea Delona, filia Iacobi Delon, fratrum minorum hortulani, à quatuor mensibus quartana laborans, sumpsit die decima septima Februarij, anni 1645. febrifugi gr. 20. per vomitum bis purgata est, & nihil per secessum excreuit. Accessiones eadem perseuerabat. Post tertiam accessionem, die scilicet vigesimatertia eiusdem mensis, sumpsit febrifugi gran. 24. purgata est quinquies per aluum, & nullo modo per vomitum, sicque morbus omnino sublatus est, nulla accessione deinceps redeunte.

OBSERVATIO LX.

Febris quartana.

MAria Delona, prædictæ soror, annos vndecim nata, eandem febrem patiebatur ab eodem tempore. Sumpsit die decima septima Februarij anni 1645. febrifugi gr. 16. ter deiecit per aluum, ea die, postridie bis, & à morbo protinus curata est.

OBSERVATIO LXI.

Febris quartana.

DIe secunda mensis Martij, anni 1645. Antonius Bayle, quinquagenarius, propè fanum diuæ Annæ habitans, & quartana laborans à quinque mensibus, sumpsit febrifugi mei gr. 20. ter purgatus est per aluum, sine nausea vel vomito & sine vllo molestia. Postridiè redijt accessio, sed dimidio minor, & ab eo tempore non ampliùs apparuit.

OBSERVATIO LXII.

Febris quartana.

CLarissimus vir Dn. de Lespine in Suprema Computorũ Subsidiorum, & Fisci Curia Consiliarius, à septem mensibus febre quartana laborans, post multa remedia frustrà tentata, & cachecticum habitum adeptus, vnde hydrops metuebatur, quod ille in accessionibus multo potu sese ingurgitaret, & aquæ ℔. 6. aut 7. hauriret; sumpsit die octaua. Martij, anni 1645. febrifugi mei gr. 20. purgatus est per 24. horas ad minimum duodecies, vomuit verò ter, aut quater quæ omnia sine molestia passus est. Die nona eiusdem mensis, accessio, quæ hora meridiana recurrere solebat, redijt tantum hora septima vespertina, sine frigore, & cum calore minori quidem intensiuè, sed maiori extensiuè. Die decima quæ accessionem sequuta est, bene habuit. Die vndecima mane dolore insigni correptus est, colico persimili, sinistrum hypochondrium occupante, cum hæmorrhagia narium, qua sanguinis circiter ʒ. 4. excreuit. Dolor nunc intensior, nunc remissior, tota die perseuerauit, cum assidua desidendi cupiditate. Per dilucida tamen interualla prauos quosdam humores excernebat. Circa vesperam, molestam micturitionem passus est, cum ardoris sensu in fine mictionis. Die duodecima bene habuit tota die, & accessio, quæ tunc temporis expectabatur, non redijt. Decimatertia multoties vrinas reddit nigerrimas, atramenti instar, cum sedimento crasso, & nigerrimo. Die decimaquarta, dolor sinistri hypochondrij iterum apparuit, per interualla rediens, & intensior factus est die decimaquinta; tumque dolorem esse in liene certò constitit extensione illius partis, & inflatione, quæ antea non appparuerat. Admota fuere fomenta parti affectæ, & clysteres iniecti, vnde leuis alui fluxus sequutus est laxatis vijs, & attenuata materia, quæ intus retenta dolorem efficiebat. Die decimasexta sumpsit infusionem drach. 2. sennæ cum salis tartari ℈. j. purgatus est, sequenti verò die, iterato medicamento, quinquies deiecit, vnde meliùs habuit. Attamen diebus subsequentibus quosdam horrores passus est, illis scilicet, quibus accessiones redire consueuerant, donec tertia inuasione accessio integra apparuit, sed prioribus leuior. Sumpsit iterum sennæ infusum per biduum, quo purgatus est mediocriter, accessio tamen redijt priori similis. Die prima mensis Aprilis, sumpsit iterum febrifugum eadem dosi. Ter purgatus est copiosè per aluum, nullus vomitus concitatus est. Die secunda redijt accessio prioribus similis. Die quinta eiusdem mensis, accessio quæ expectabatur, non redijt. Die octaua leuissimam accessionem iterùm passus est. Die vndecima, accessio redijt, priori intensior, ita vt febris ad priorem statum recurre videretur. Ideò die decimatertia idem remedium iteratum est, duplicata dosi, vnde copiosè purgatus est per biduum, & ab eo tempore accessio non amplius redijt.

OBSERVATIO LXIII.

Pleuritis spuria.

DIe octaua mensis Martij, anni 1645. cum tempestas Austrina in Aquiloniam, & frigidissimam subitò conuersa esset, laborare cœpi horis matutinis dolore grauissimo, latus sinistrum, & sternum occupante, à quo summa respirandi difficultas oriebatur. Quem statim discutere tentaui fomentis calidis, quamuis febris apparere inciperet, quæ tamen erat satis exigua. A fomentis dolor factus est intensior, vnde, vocato chirurgo sanguinem misi à brachio eiusdem lateris ad Vnc. 10. qui seruidus admodum apparuit. Duabus horis à venæ sectione, assumpto ante horam iusculo, clyster iniectus est. Post secundum iusculum iterata est venæ sectio ad Unc. 12. Licet enim à flatibus præcipuè dolor ille exoriri videretur, verebat tamen, ne doloris atrocitas fluxionem ad partem attraheret, quæ duobus annis præteritis pleuritide vera bis affecta fuerat. His dolor aliquantulum fuit imminutus. Eo tamen sequenti die perseuerante, alium clysterem injciendum præcipio, ex decocto emolliente paratum, in quo diaphœnici Vnc. j. dissoluta est, cum aquæ benedictæ ʒ. 4. à quo aluus copiosè soluta est, & vomitus semel concitatos; tùm inter vomendum flatus in partibus thoracicis, contentus subitò explosus est, ita vt post vomitum à dolore lateris, & sterni me prorsus liberatum senserim, nullisque alijs remedijs opus habuerim.

OBSERVATIO LXIV.

Febris quartana.

DIe duodecima mensis Martij anni 1645. Ioannes Rey laternarum faber, quadragenarius, in via Lapeyre dicta habitans, & febre quartana laborans à sex mensibus spatio, sumpsit febrifugi mei gran. xx. ter purgatus est per aluum, pluries vomuit serosa, & biliosa. Sequenti die, quæ erat decima tertia eiusdem mensis, accessio redijt hora solita, sed minor. Die decima sexta loco accessionis leuem calorem passus est sine frigore. Die decima nona, qua accessio expectabatur, nihil apparuit, & ab eo tempore liber omninò fuit.

OBSERVATIO LXV.

Febris quartana.

DIe decima septima mensis Martij, anni 1645. mulier quadragenaria, nomine Mariæ Courbiague, ante ædes Domini d'Argencour habitans, paupercula, & pessimâ victus ratione vtens, ac vino frequenter sese ingurgitans, à duobus annis quartana laborabat. Sumpsit febrifugi mei gr. xx. nulla præmissa præparatione, quam omninò reiecit, vna excepta venæ sectione, quæ paucis antea diebus celebrata fuerat. Purgata est vigesies, quia corpus erat impurissimum; bis, aut ter vomuit. Postridie leuem accessionem passa est, & nullam deinceps.

OBSERVATIO LXVI.

Febris quartana.

EAdem die, scilicet decima septimana Mensis Martij, mulier quadragenaria, nomine Toinette Boyssere, vidua Ioannis Aliquier sartoris, iuxta domum prædictæ Mariæ habitans, & à septem mensibus quartana laborans, sumpsit febrifugi mei gr. 20. septies purgata est per aluum, quater vomuit, & postridie manè iterum ter deiecit per aluum copiosè. Eadem die accessio, quæ reditura erat hora tertia vespertina, post mediam noctem apparuit, sed cum leui frigore, & leui calore, per tres, aut quatuor horas, cum antea accessio vehementissima per quatuordecim horas durare consueuisset. Et inde nullam amplius accessionem passa est.

OBSERVATIO LXVII.

Febris Tertiana duplex.

PEtrus Palat, quindecim annos natus, in hospitio habitans, cui signum est Aquila argentea, febre tertiana, duplici laborans à quadraginta diebus, post venæ sectionem & purgationem aliquoties repetitam, & iulepos pluries exhibitos, ex alterius Medici præscripto, sumpsit die decima octaua mensis Martij anni 1645. febrifugi mei gr. 14. Sexies purgatus est per aluum. Sumpserat medicamentum hora quarta matutina quamuis accessio hora octaua redire solita esset,

esset, quæ etiam hora dicta apparuit, & morbo consueta, sed nullam amplius ab eo tempore accessionem passus est.

OBSERVATIO LXVIII.

Febris quartana.

SEreniſſimus Princeps Ianethinus Doria, Genuensis, Classium Hispanicarum Præfectus, cùm illius triremis à procellosis ventorum tempestatibus ad horas Catalauniæ propulsa fuisset, à nostris militibus captus, & in arcem Monspelensem deductus est, vbi per biennium moratus, æstate prægressa incidit in febrem tertianam, quæ per quatuor menses perseuerauit, nunc simplicis, nunc duplicis typum referentem, non obstantibus omnibus remedijs, quæ à Medico ordinario præscripta fuerant, alijsque in consilium vocatis, è quorum numero vnus interdum fueram. Tandem ineunte hyeme febris tertiana in quartanam migrauit, quæ trium mensium spatio multis etiam remedijs oppugnata fuit à duobus Medicis, sereniſſimo Principi seriatim opem ferentibus. Tandem, perseuerante affectu, meam opem implorat, eique morem gerens, exhibui die vigesima septima mensis Martij 1645. febrifugi mei gran. 20. Tribus horis ab assumpto medicamento, bis vomuit serosos humores, & nihil deiecit tota die. Circa mediam noctem semel deiecit copiosè. Postridiè manè bis. Eadem die expectabatur accessio hora sexta vespertina, quæ non apparuit, neque deinceps, & inde ad perfectam valetudinem perductus est.

OBSERVATIO LXIX.

Catarrhus cum tussi.

DIe quarta mensis Aprilis anni 1645. cum ex catarrho satis diuturno, molesta tussi laborarem, quæ noctu potissimum ingraueſcebat, & aliquot purgationibus non cessaret, sumpsi laudani opiati gr. 3. quibus tussis sedata est. Illa tamen rediit post biduum, ex iniuria aeris, & qui vna die valdè calidus fuit, postera verò frigidus, flante Aquilone. Die octaua eiusdem mensis, sumpsi eiusdem laudani grana duo, & tussis omninò sedata est.

OBSERVATIO LXX.

Febris quartana.

DOminus Pichory in Curia Computorum, Subsidiorum, & Fisci Regij Consiliarius à febre quartana liberatus est casu ratissimo. Cùm secta illi fuisset vena, paulò post occlusum vulnus, & ligatum brachium, fluere cœperunt ex vulnere guttulæ quædam aquæ limpidissimæ, quæ fasciam penetrabant, & indusia sæpè mutare cogebant. Perseuerauit ille fluxus per multos dies, donec febris quartana cessauerit. Notandum est, illum post multos annos ex hydrope interijsse.

OBSERVATIO LXXI.

Oesophagi obstructio.

QVidam rusticus famelicus, pedem suillum elixum comedendo, eius frustulum satis magnum deuorauit, in cuius medio osticulum carne contectum latitabat. Illud autem propter magnitudinem, & glutinositatem œsophago adhæsit, eique agglutinatum est, vt neque vomitu, neque sorbitione vlla excuti potuerit. Per biduum in eo statu fuit cum tanta anguſtia, vt breui moriturus videretur. Post multa tentata Chirurgus filum ferreum oblongum in apice duplicauit ad formam hami, quo pisces capiuntur, & filum illud penitissimè demisit in œsophagum, cuius vnco ruſtum illud pedis porcini arreptum est, & magna vi ab œsophago auulsum, foraſque extractum.

OBSERVATIO LXXII.

Angina.

QVidam Angina vera correptus, tam arctè occlusum habebat ab inflammatione superius œsophagi osculum, vt nihil omninò deglutire posset. Dum verò remedia vsurpabantur, ad vires reficiendas, vt copiosas sanguinis missiones, aliaque remedia ferre posset, immissus fuit catheter in œsophagum, & syringa catheteri aptata, per quam iuscula in ventriculum demittebantur, tum etiam alia remedia, quorum ope à morbo liberatus est.

OBSERVATIO LXXIII.

Ictterus.

PAter Iesuita laborabat ictero, & ventriculi imbecillitate ex bile in eum refluente, vnde vomitus frequens oriebatur. Pharmacopæus Collegij exhibuit ei succum fumariæ ad ℥. 3. Prima exhibitione cohibitus est vomitus, & per aliquot dies continuato remedio, ictterus omninò sublatus est. Factus fuerat ille ictterus calida hepatis intemperie cum obstructione pori cholidochi coniuncta. Ad vtrumque autem affectum fumaria plurimum valet, cuius vires in succo longè potentiores sunt, quàm in decocto.

OBSERVATIO LXXIV.

Catarrhus ferinus, cum variis febribus complicationibus.

DIe prima mensis Maij, anni 1645. vocatus sum ad Dominam de Beau-Fort, apud matrem Dominam du Pelous decumbentem, in Castelle Bayart nominato, apud Viuarienses, non longè à Rhodano, erat autem nata annos 35. sanguineo temperamento prædita. Per mensem integrum ægrotauerat ex catarrho ferino cum febre continua, cui iungebantur accessiones febris intermittentis, bis in die recurrentes, nempè hora decima matutina, & hora sexta vespertina. Cum his tussis molestissima dies noctesque eam infestabat, ex qua pituitam crudam ingenti copia reijciebat, vt nullus somno relinqueretur locus. Per mensis decursum quinquies celebrata fuerat venæ sectio à D. Chaumel Medico ordinario peritissimo, & ter purgatio administrata, aliaque multa remedia vsurpata, ex quibus vnum maximè profuerat, nempè bolus ex laudani gr. 3. cum conserua rosarum à quo per 12. horas tussis, & catarrhus omninò sedabantur, & ægra se curatam prædicabat ob summum leuamen, quod ex eo remedio percipiebat. Quam primùm eam inuisi in consilio, habito cum duobus alijs Medicis, censui, quoad typum febrium prædictarum spectat, esse febrem continuam, & duas tertianas duplices simul complicatas. Quoad remedia verò esse mittendum sanguinem ex brachio sinistro, cum dolor pungitiuus adesset in latere sinistro, cum febre intensissima, & linguæ nigredine, quam tussis ferè indesinens comitabatur. Die igitur prima mensis Maij, circa vesperam, missus est sanguis ad Vnc. ix. exhibitus est iulepus refrigerans, & incrassans. Noctem transegit cum paulò minori molestia, postridie manè, quæ erat secunda mensis Maij, cum febris intensa adhuc vigeret, iterata est phlebotomia ad Vnc. viij. ex qua febris remissior facta est, & dolor lateris euanuit. Circa vesperam eiusdem diei ægra conquesta est de dolore lateris dextri, qui sensim increscens, grauis, admodum factus est hora nona vespertina, vt venam eiusdem lateris aperire coactis fuerimus eadem hora, vnde lateris dolor imminutus est, & intra noctis decursum prorsus euanuit; nox tamen in somnis fuit, & molesta cum tussi ferè assidua. Accessiones febriles omnino desierant. Vna ex medicamento purgante, pridie mei aduentus. Altera, ex priori venæ sectione, sed febris continua perseuerabat cum tussis & febris vehementer vrgerent, exhibita est ante meridiem bolus prædicti ex laudani gr. ij. compositi, qui paratus habebatur, media tantùm pars, quæ intra horam tussim omninò sedauit, & ægra benè habuit vsque ad mediam noctem; tussis tamen per interualla recurrebat, qua pituitam crassam, viscidam, & valdè putridam excernebat; ita vt multa sputa essent flaua, & viridia, febre intensa continuò perseuerante. Cum autem vespere tussis admodùm vrgeret, & ægra inquietudinibus plurimùm affligeretur exhibita est bolus prædicti altera pars dimidia, ex qua noctem placidè transegit, cum pauciſſimo tamen somno. Die quarta manè tussis rediit, sed cum libera admodum, & liberali anacatharsi, qua sputa valdè putrida excerbantur, & nonnulla eorum sanguine tantillum conspersa erant. Post duas horas cessauit tussis vsque ad meridiem, quo tempore iterum rediit satis molesta, & cum diutius perseueraret, ægramque

grauiter affligeret, ac ſputa crudiora apparerent, ita vt ex fluxionis renouatione procedere videretur; exhibita eſt alterius boli ex gr. iij. laudani, compoſiti dimidia pars, qua tuſſis iterum ſedata eſt. Aluus mane ſoluta fuerat, & bis ægra deiecerat bilioſa multa, & ſub viridia, cum antea perpetuò aluus aſtricta fuiſſet, & clyſteribus parum ſolueretur. Circa veſperam iniectus eſt clyſter ex decocto ℥. ß. ſennæ com. Catholic. & diaphænic. an. ℥. j. quo quater purgata eſt, & in vltima excretione multam pituitam reiecit, viridi colore perfuſam; eique ſimilem, quæ per anacatharſim excernebatur. Poſt iectum clyſterem dormiuit placidè per horas tres, & ſe adeo ſuauem ſomnum toto morbi decurſu non percepiſſe aſſeruit. Hora decima noctis, cum tuſſis aliquantulum rediſſet, ſumpſit alterius partis dimidiæ boli prædicti partem quartam, quæ laudani granum dimidium non continebat, ea tamen tuſſis ſedata eſt, & noctu ægra placidè quieuit. Die quinta matutina ſumpſit manè purgans medicamentum ex ſennæ ℥. ß. in iuſculo pectorali quo bis in die vtebatur, infuſa, in quo poſt colaturam mannæ ℥. ij. diſſolutæ ſunt. Eademque die diſceſſi, ordine agendorum in poſterum cum Medico ordinario ſedulò deliberato, & ſcriptis mandato. Quibus intra viginti dies, à meo diſceſſu, priſtinæ ſanitati reſtituta eſt. Horum præcipua fuere iuſcula pectoralia continuata, venæ ſectio, & purgatio iterata. Sed præ cæteris palmam retulit bolus ex laudano, per plures dies conſequentes parua doſi vſurpatus, quo omnia ſymptomata tandem ſedata ſunt.

OBSERVATIO LXXV.

Tumor pedis dextri diuturnus.

NObilis Matrona, vxor Nobiliſſimi viri D. de Langon, quinquagenaria, tumorem ædematoſum cum dolore inſigni in dextro pede patiebatur, cuius origo talis fuerat. Cum aliquando iter faceret, equus cui inſidebat, in terram cecidit, & ſuper dextrum dictæ Matronæ pedem, quo ictu grauiſſimo calcaneum depreſſum eſt, & à parte pedis interiori ad exteriorem detruſum; vnde dolores acerbiſſimi cum mouendi impotentia exorti ſunt. A multis, cum Chirurgis, tum Empyricis pluries vexata eſt, nec os luxatum priſtinam ſedem protinus reponi potuit, vnde dolores, & ambulandi impotentia, cum pedis tumore œdematoſo eam continuò affligebant. Iam à quatuor menſibus in his angustijs erat, cum eam inuiſi, quod contingit die 20. menſis Maij anni 1645. Explorans autem diligenter partem affectam, video luxationem ſatis leuem remanere, eamque callum contraxiſſe, atque adeò eſſe protinus immedicabilem. Dolorem autem præcipuum eſſe in vola pedis, non in parte luxata; quod nerui partem illam occupantes humore multo imbuti eſſent. Ideò ad curationem oportere humoris ad partem debilem affluxum impedire, & eum, qui parti impactus erat, diſcutere, partemque ipſam roborare. Quæ omnia octo dierum ſpatio ſequentibus remedijs præſtita ſunt.

℞. Radic. ſaliæ parii. ℥. 4. aquæ fontis ℔. 4. infundantur per viginti quatuor horas: deinde bulliant ad mediæ partis conſumptionem, addendo ſub finem ſennæ mundat. ℥. j. turbith. hermodactylor. ana drach. 2. colaturæ capiat ℔. ß. manè per octo dies.

℞. Olei ceræ ℥. j. illinatur pars affecta manè, & ſerò, deinde ſequens emplaſtrum admoueatur.

℞. Maſſæ emplaſtri diapalma, vino rubro auſtero ſoluti & ad vini conſumptionem cocti ℔. ß. roſar. rubr. myrtillor. maſtich. & tartari vini rubri pulueratorum ana ℥. i. chamœpyt. & chamœm. pulueratorum ana ℈. ij. fiat maſſa, de qua formentur emplaſtra, quibus pes vniuerſus poſt inunctionem conteg atur. His tumor, & dolor ablatus eſt, manente tamen claudicatione, propter oſſis luxationem.

OBSERVATIO LXXVI.

Morbili.

EAdem Matrona Domina de Langon febre continua correpta eſt, cum tuſſi, & raucedine, die vigeſima ſexta Iunij 1635. Per triduum ſymptomata non valdè vrgebant, ideò tempus illud ſine remedijs tranſegit. Quarta die cum febris intenſior euaſiſſet, ſanguis detrahitur, & iulepus refrigerans exhibetur. Eadem die totum corpus morbilis conſperſum apparuit. Vocatus ego die quinta, præſcribo circa veſperam iulepum, ex æquis partibus aquæ vlmariæ, & cardui benedicti, cum bezoartici minerali gran. 20. Duabus horis ab aſſumpto iulepo, copioſè ſudauit, febris valdè imminuta, & portio morbillorum diſcuſſa eſt: poſt ſudores aluus ſoluta eſt magna excretione. Pridie manè idem iulepus iteratus eſt, ac copioſius ſudauit poſt duas horas, ac febris omninò ablata eſt, omniaque propemodum exanthemata diſcuſſa ſunt.

OBSERVATIO LXXVII.

Nephritis.

QUidam vir quinquagenarius, nephriticis doloribus valdè obnoxius, ſumpſit per duodecim dies decoctum radicis cardui aſinini, & liquiritiæ, quo multos lapillos, & arenulas excreuit, & poſtmodum per plures annos ab effectu liber permanſit. Erat autem radicis ℥. ß. cum liquiritiæ ℥. ij. in ſingulis doſibus.

OBSERVATIO LXXVIII.

Cholera morbus in febre tertiana maligna.

IUuenis quidam bilioſo temperamento præditus incidit æſtate media in febrem tertianam, quæ duabus primis acceſſionibus ſatis mitis apparuit, ſed in tertia acceſſione, tanta fuit humoris bilioſi malignitas, & ferocia, vt concitato vomitu, atque alui fluxu frequenti, cum maxima virium iactura, ſummum ægro periculum impenderet. Vocatus ad eum, præſcribo clyſterem ex iuſculo cum confect. Alchermes ℥. iij. theriacæ recentis ℥. j. quo ſtatim vomitus, & alui fluxus ſedatus eſt. Quia verò in huiuſmodi febribus malignis ſæua illa ſymptomata in ſingulis paroxyſmis redire ſolent, & ægrum ſecunda, vel tertia inuaſione de medio tollere; ad præcautionem præſcripſi victum incraſſantem, & laudani gr. 4. duabus horis ante paroxyſmum ſumenda; ſicque ſymptomata prædicta non rediere, leuis acceſſio fuit; & iulepis refrigerantibus, incraſſantibus, & atque alexipharmacis curatio abſoluta eſt.

OBSERVATIO LXXIX.

Lochiorum ſuppreſſio.

ELegans quædam mulier, triduo à partu, nimiam partium genitalium dilatationem emendare cupiens, vuluæ adſtringentia applicuit, quibus lochia ſuppreſſa fuere, & tanta copia ſanguis cumulatus eſt in vtero, vt rectum inteſtinum, & veſicæ ceruicem comprimendo, omnes euacuationes cohibuerit, & venter in vtris modum intumuerit. Vocatus ad eam, primùm immitti iubeo, catheterem in veſicam, & magna vrinæ copia excreta eſt. Poſteà peſſarium præſcribo in vteri ceruicem immittendum, quo lochia affatim fluxere; ac tandem clyſter laxans iniectus eſt, quo fæces plurimas deiecit; & ita omnes viæ apertæ ſunt.

OBSERVATIO LXXX.

Sudores nocturni.

VIr quadragenarius, melancholico temperamento præditus, ſudores nocturnos patiebatur à longo tempore, qui per quatuor, aut quinque dies perſeuerabant, & poſtea ceſſabant. Recurrebant verò bis, aut ter in menſe. Satis apparebat, hos ſudores procedere à colluuie ſeroſa, quæ per interualla colligebatur, & à natura poſtmodum per ſudores expellebatur. Ideò cum ſatis pauper eſſet, & multorum remediorum ſumptus ferre non poſſet, conſuli, vt bis in menſe ſumeret pulueris ialapæ 3. ß. cum cremoris tartari pari quantitate. Quibus, per trium menſium ſpatium continuatis, à tædioſo affectu liberatus eſt.

OBSERVATIO LXXXI.

Fluor muliebris.

MVlier quadragenaria diuturno fluore albo laborans, poſt multa remedia fruſtra tentata, ptiſana laxante per menſem integrum ſingulis diebus vſurpata protinus liberata. Huius autem ptiſanæ compoſitio talis fuit.

℞. Sennæ

℥. Sennæ mundat. drach. j. sem. coriandri præpar. liquirit. rasæ, ana drach. j. ℈. aquæ fontis, in qua tamarindor. dr. 2. & ligni lentiscini drach. j. bullierint, cyathum vnum, infundantur frigidè per noctem, & colaturam capiat manè, duabus horis ante pastum.

OBSERVATIO LXXXII.

Enterocele.

VIr quinquagenarius enterocelem grauissimam passus erat per quatuor dies continuos, à qua nullis auxilijs reuocari potuerat. Vocatus ad eum, pulsum valdè languidum inuenio, cum extremarum partium frigiditate. Tum pars affecta valdè frigida ad tactum sentiebatur, vt de illius narcosi metueretur. Inter alia remedia præscribo fotum ex aquæ vitæ calente, inguini admouendum, quo per duas horas continuato, intestinum repositum est blanda impulsione, & æger ab imminente exitio liberatus.

OBSERVATIO LXXXIII.

Hysterica passio.

MVlier 20. annos nata, bilioso temperamento prædita cum hysterica suffocatione præmeretur, & faciem haberet rubicundam, iniecto clystere ex oxycrato parato, confestim liberata est, ita vt alijs remedijs, quæ ipsi præscripta fuerant, non indiguerit.

OBSERVATIO LXXXIV.

Dysenteria.

QVidam dysentericus omnia remedia respuens, solo vsus est pimpinellæ decocto, cum aqua, & butyro confectio, cuius scutellam sumebat manè & serò, & intra triduum curatus est. Plurimum valet pimpinellæ ad depurandum sanguinem, & leuem habet adstringendi vim; ideò non est mirum, si dysentericis conferat.

OBSERVATIO LXXXV.

Tumor Pancreatis scirrhus cum affectione hypochondriaca.

ILlustrissimus vir Dominus Audeyer in Senatu Gratianopolitano Præses Amplissimus annos natos 57. grauissimis, & contumacissimis torquebatur affectibus, quorum idea vt exactius introspici valeat, series affectum quibus à viginti annis conflictatus est, paucis exponenda.

Ac primum sciendum est, eum temperamento bilioso, ac melancholico esse præditum, gracili habitu, & macilento. Prima autem malorum origo in doloribus arthriticis constituenda est, qui ab anno 1622. eum per interualla infestare cæperunt. Et illis postmodum succesere leues quidam insultus epileptici, qui circa annum 1626. primùm inuadentes, & per dilucida interualla redeuntes, post exactum biennium prorsus desiere, eodemque tempore dolores arthritici iterum reuersi sunt, qui per totum illud tempus, quo insultus epileptici sæuierant, omninò delituerant.

Illi autem arthritici dolores, bis aut ter, singulis annis eum exercuere, vt interdum per duos, aut tres menses lecto affixus fuerit, cum per exiguo ex varijs remedijs vsurpatis auxilio: hoc imprimis obseruans, se ex frequenti phlebotomia parum, adiutum fuisse; imò verò ex ea dolores arthritico intensiores semper redditos fuisse.

Postquam verò per octo annorum spatium, nempè ab anno 1631. vsque ad annum 1639. doloribus hisce per interualla prædicta conflictatus est; in grauiora mala postmodum delapsus est, à mœrore acerbissimo ex mulieris aulicæ, magnatis affinitate amicitiæ sibi coniunctissimæ, suisque rebus maximè necessariæ: interitu. Vnde primùm correptus est motu quodam palpebrarum inuoluntario, ad hanc vsque diem perseuerante, quo oculi per interualla clauduntur, & aperiuntur; vt sit veluti tremor quidam illarum partium, quo etiamnum manus, & pedes frequenter sæpissimè tamen corripiuntur.

Eodem tempore doloribus arthritici vexatus est, trium mensium spatio, quos ambulandi impotentia, subsequuta est, per sex menses perseuerans. Cum autem Parisijs tunc temporis degeret, aquis Villæ comitensibus, ex D. Delorme Medici clarissimi præscripto vsus est, à quibus magnam stomachi refrigerationem passus est, ac deinceps scabies pruriginosa, admodum molesta, totum corpus inuasit, quæ confestim curata est vnguento quodam (ni fallor mercuriali) carpis manuum, & plantis pedum admoto, ex consilio D. de Labrosse Medici Parisiensis, quam inunctionem sequuta est ingens diarrhæa, per viginti dies perseuerans, cum grauissimis ventris torminibus: ita vt interdum alui fluxus dysentericus apparuerit. Interim pedum, & tibiarum incommoda perseuerantia ambulandi facultatem per annum integrum sustulere. Eo verò tempore tum maximis animi contentionibus in libris, alijque chartis, euoluendis; tum grauissimis animi pathematis & mœrore ingenti, ob infelicem negotiorum successum agitatus est. Quæ reliquis affectibus infrà describendis originem dedisse, meritò existimantur.

Anno 1640. in grauem incidit spirandi difficultatem, & pectoris angustiam, cum dolore quodam ventriculi regionem obsidente, quæ quidam symptomata per 15. dies acerbiùs afflixere, ac deinde non leuem remissionem passa sunt; sed post aliquod temporis interuallum iterùm atque iterùm vires nouas resumere visa sunt, ita vt ad hunc vsque diem nunc remissius, nunc intensiùs ab ijs obsessus fuerit æger illustrissimus.

Pro contumaci affectu expugnando varia à varijs Medicis remedia per quatuor annorum decursum præscripta sunt: purgationes variæ per apozemata, potiones, syrupo magistrales, ptisanas laxantes, & similia. His accesserunt phlebotomiæ frequentes, cauteria, vesicatoria, apertiones hæmorrhoidum semicupia, iusculæ medicatæ, serum lactis chalybeatum, lac integrum, aquæ minerales sulphureæ, vt Borbonienses & Dinienses, tum enim vitriolatæ, vt Aurelianæ, apiatæ roborantes & aperientes syrupi pectorales, & alia quam plurima, quæ varijs temporibus, per quadriennium vsurpata maximum aliquando, aliàs vero minimum ægrotanti solatium attulere. Verùm habitualis affectus semper in orbem rediit, & per illustris æger ijsdem hactenus affectibus vexatus est.

Cùm autem nos ad eum inuisendum accersiti fuerimus circa principium mensis Maij, anni 1644. curationem vniuersam ad insignia duo symptomata superiùs recensita dirigendam esse censuimus, pectoris nimirùm angustiam, & spirandi difficultatem, quorum causæ primò introspiciendæ sunt, in quo maxima difficultas, & summa obscuritas residere videtur. Illa enim spirandi difficultas nullam veti asthematis, aut fluxionis, à capite in pulmone irruentis speciem præ se ferre videtur, licet pro asthmatico à præstantissimis quibusdam Medicis tractatus fuerit. Nulla enim tussis nullus stertor, & nulla humoris pituitosi per anacatharsin excretio apparet. Secundo, illas difficultas spirandi à causis procatarcticis in momento ferè concitatur, & desinit, ita vt, si paulò vehementius corpus commoueat, aut in leuissimam iracundiam feratur; statim anheliti difficili corripiatur, & paulò post spirandi libertatem iterum recuperet. Tertiò, quamquam vespertinis horis hoc symptomate magis premitur, ita vt erecta ceruice, & sedens in lecto vsque ad mediam noctem manere cogatur; attamen simulatque somno corripi incipit, protinùs euanescit spirandi difficultas, & capite in puluinar demisso æger decumbit; sicque noctis reliquum tam placidè peruadit, & cum tanta spirandi facilitate, vt nullum in pulmone affectum latitare facilè appareat.

Illius igitur anhelitus difficilis causa immediata alibi quærenda est: nempè in infimo ventre, cuius partes molestissimis affectibus obsessæ, omnium malorum mineram in se continent.

Hoc primùm demonstrat doloris, & angustiæ sensus, de quo nobilis æger perpetuo conqueritur, eiusque sedem sub diaphragmatæ, & circa ventriculi regionem ostendit. Et quoties difficultate spirandi premitur dolor ille, & angustia, atque oppressio (vt ipse nominat) toties augetur, & vice versa: ita vt vnum ab alio dependere manifestum sit. Nos autem doloris illius & angustiæ seu oppressionis causam diligenter inquirentes, & ventriculi regionem contrectantes eam quidem satis tractabilem inuenimus, quoties manum, suspensam aliquantulum adhiberemus; sed postquam eam penitiùs adegimus, satis vehementi compressione facta, duritiem quandam, & renitentiam profundiùs, & sub ventriculo sitam percepimus, eamque in pancreate residere censuimus; quod tumore duro & scirroso affectum arbitra-

mur. Et cum pancreas sub diaphragmate sedeat, non est mirum, illud tumore affectum, partem eam respirationi maximè inseruientem comprimere, eiusque motum liberum impedire. Verùm enim verò illa causa, per contactum explorata, non planè satisfacit. Si enim anhelitus difficultas ab ea solummodo penderet esse perpetua, non interpolata, neque à causis externis, corporis nimirùm, aut animi commotione tam facilè induceretur. Equidem ita conuincit hæc ratio, vt alia causa huic adiungenda sit, nempè materia quàm tenuis, quæ leui momento commoueatur, ac deinde facilè eiusdem agitatio sedetur. Quænam aut sit illa materia, & quam præcisè sed occupet; adamussim definere facillimum non est. Licebit tamen, cum præstantissimis Medicis qui nobilis ægri curationem susceperunt, ad communem, & magis probabilem rationem confugere, vapores, & flatus à liene, ventriculo, aliisque partibus translatos, accusantem. Hæc autem flatuum, & vaporum in ventriculo commotio inde facilè dignoscitur, quod nobilis æger post singulos pastus à prædictis symptomatis grauiùs torquetur. Si quidem ex coctione difficili, & laboriosa, in ventriculo debili, multi flatus generantur, qui ventriculum, distendentes pancreas, & diaphragma comprimunt, vnde maiori angustia, & difficultas spirandi, per aliquot horas à pastu, exoriri consueuit. Præterea in maximis aeris mutationibus, quando Aquilonia tempestas in austrinam conuertitur, maximè ingrauescunt symptomata prædicta, ex eo quod ab illa aeris mutatione excitentur rheumatismi, qui alias dolores arthriticos parere consueuerant, & iam in partes interiores, diuturnis intemperiebus, & obstructionibus debilitatas, confluunt, prauosque humores in ijs contentos exagitant: vel quod ab humidiori aere inflantur humores, ac veluti fermentantur, vnde anathymiasis eleuatur, quæ diaphragma, & pulmonem impetens pectoris angustiam, & spirandi difficultatem parit.

Si hæc symptomata ad aliquod morbi genus referenda sint, nos ea protinus ad melancholiæ speciem, quæ hypochondriaca nominatur, reducenda censemus: cum ex mœrore graui, & diuturno primam duxerit originem in corpore calido, & sicco, vnde magna humoris melancholici congeries, quæ obstructiones contumaces in hypochondrijs peperit. Imò verò quamuis scorbutus, in Septentrionalis plagis frequentissimus, hisce regionibus nostris infrequens omninò sit; Hic tamen affectus ad scorbuti naturam accedere videtur, cum prædicta duo symptomata, nimirum pectoris angustia, & difficultas spirandi frequentissima sint huius morbi symptomata, vt quam plurimis obseruationibus annotauit Seuerinus Eugalenus, in cuius patria morbus iste frequentissimus est, & ad illius imitationem Daniel Sennertus lib. de scorbuto cap. 4. vbi illius morbi signa proponit, & artic. 9. illius capitis hæc duo symptomata ita describit, vt illustrissimi ægrotantis nostri statum graphicè depingere videatur.

Quamuis autem (vt iam dictum est) morbus ille, scorbutus appellatos, hisce nostri regionibus insolens, ac planè inusitus sit; Nos tamen, ne in tanti affectus curatione aliquid neglexisse videremus, specifica huius morbi remedia statim vsurpauimus, cum alijs permixta, quæ obstructiones reserare, humorem melancholicum obtundere, & foras excludere valerent. Atque ita primùm nasturcij aquatici, beccabungæ, & fumariæ succos per multos dies exhibuimus, ijs admiscendo salem tartari, & spiritum vitrioli, in quibus etiam sennæ tantulum passim infundebamus, sicque humores crassi glutinosi, tartarei, sensim educebantur. Interdum succos prædictos cum decoctis rad. enulæ camp. cortic. tamarici, fol. agrim. absynt. pimpinellæ, permiscebamus. A quibus remedijs à die 7. mensis Maij, ad 28. continuatis plurimum adiutus æger noster videbatur. Cum verò ea die tempus siccum, & serenum in Austrinum, & pluuiosum fuerit conuersum; prædicta symptomata de integro renouata sunt, quæ ad diem tertium mensis Iunij perseuerantia, duplici phlebotomia parca manu celebrata, plurimum imminuta sunt. Ab eo tempore, sale seu vitriolo martis per mensem integrum vsus est, quod quidem ad obstructiones reserandas viscera roboranda eorumque calidam intemperiem corrigendam, vires habet eximias. Interdum tamen, tertio videlicet, aut quarto quoque die purgatiunculas ex senna prædictis infusa interijciebamus, interdum etiam pilulas ex chalybe exhibebamus, & aquam ex infusione chalybis paratam in potu ordinario, cum vino tenui, & olygophoro propinabamus. Quibus per mensem (vt dictum est) continuatis, nobilis æger ad multo meliorem statum perductus est, ita vt, qui antea neque in equo, neque in carruca, sine magna molestia, iter facere poterat; iam & carrucæ motum velociorem, & equi celerem ambulationem facilè toleraret. Præterea totius corporis vigor, & ipsius faciei color plurimum restitutus est. Hoc in primis annotatione dignissimum est, quod nobilis æger è semicupijs, & fotibus, regioni ventriculi admotis, maximè lædebatur, & in insignem anhelitus difficultatem conijciebatur: ita ut eorum vsum, quam vis huic curationi maximè necessarium, prorsus abijcere coacti fuerimus.

Hæc vsque ad diem quartam Iulij à nobis acta sunt, quo tempore impetrata ab Illustrissimo Præside discendendi venia, Monspelium redijmus relicto ipsi præscripto eorum, quæ in posterum agenda videbantur.

A discessu meo, per totum autumni & hyemis sequentis decursum prædicta remedia alternatim, & per debita interualla, ex clarissimi viri D. Ioannis Matthæi, Medici illius ordinarij præscripto vsurpauit, nempè salem Martis, pilulas ex chalybe, & infusionem sennæ in prædicto decocto, cum sale tartari, & spiritu vitrioli paratam; quibus addebatur opiata roborans, & aperiens, à nobis ante discessum præscripta. Cum verò post aliquot menses maxima symptomatum imminutio appareret, consului per litteras, vt fotum & semicupium tentaret, siquidem sperandum foret, vt causis morbificis valdè imminutis, minor fiat humorum commotio, quæ dictorum remediorum vsum impediebat. Res ex voto successit, & fotus sine molestia ægre ferre potuit, à quibus maximum fructum percepit. Vere autem sequenti non solum fotus; sed etiam semicupia vsurpauit, & prædicta remedia sedulò continuauit, alijs nonnullis additis, à quibus tandem, Deo sit laus & gloria, ad optimam valetudinem perductus est.

(Conf. lib. xi. cap. vi. p. 213.

OBSERVATIO LXXXVI.

Hydrops tympanetus.

CLarissima Matrona, vxor D. de Guerre Costensis, Iuris vtriusque Doctoris 30. annos nata, bilioso temperamento prædita, laborauit per 10. menses tumore ventris satis insigni, cui tensio maxima adiuncta erat, vt hydropis tympanitis naturam omnino referret. Prima effectus origo huic præsertim causæ ascribebatur, quod ægra, fluorem album à longo tempore parient, in balneum actu frigidum sese demerserit, à quo fluor ille suppressus est. Cui etiam causæ varij errores in victu accesserunt. Multi remedij vsa est per dictum tempus, à peritissimis Medicis præscriptis, potionibus nempè, apozematis, & iulepis aperientibus ac diureticis, opiatis hepar roborantibus, alijsque quàm plurimis sine vllo fructu, tandem circa finem mensis Maij anni 1645. curæ meæ se commisit, quam sequentibus remedijs aggressus sum.

℞. Rad. asparagi, brusci, & cichorij an. ℥. ß. rad. enulæ camp. & petrosel. an. ℥. 2. fol. agrimon. ceterach. capill. ven. an. M. ß. absynthij vtriusque ana P. ß. coquantur ad ℥. 6. in colatura infunde per noctem sennæ mund. ℥. j. salis diuretici ℥. j. spiritus diuretici gutt. xxx. cap. mane cum regimine, per sex dies continuos. Purgabatur quater, aut quinquies singulis diebus, & materiam viscidam cineritij coloris excernebat. Post secundam dosin sanguinis detractus fuit ad ℥. 8. In fine apozematum sumpsit pilulas ex calomelanos gr. xx. diagr. gr. xx. quibus septies purgata est, & sequenti die ventris tumor resolutus apparuit, qui tamen circa vesperam iterum inflari cœpit. Tumore subsidente, dum hypochondria contrectarem, percepi tensionem insignem, & dolorificam, circa ventriculi regionem: cuius ratione præscripsi (cum iuleporum continuatione) fotum emollientem, & aperientem, vniuersæ regioni hypocondriacæ singulis diebus admouendum, si quidem tensio etiam non leuis in dextro hypochondrio apparebat. Quibus per 4. dies vsurpatis, menstruæ purgationes prodiere, quæ per aliquot menses latuerant. Cum tamen illæ segniter admodum procederent, triduo elapso, iterùm vsurpati sunt tum apozemata sine senna parata. A quibus moderata mensium copia prouocata est, & ab eo tempore tumor ventris omninò discussus apparuit. Ad firmandum tamen curationem, præscripsi pilulas vsuales aperientes, & laxantes, bis, aut ter in mense deglutiendas: tum etiam opiatam roborantem, & aperientem, singulis diebus per mensem integrum vsurpandam.

OB-

OBSERVATIO LXXXVII.

Febris quartana.

IOannes Gossel Lotharingus, bonarum litterarum candidatus in Delphinatu prope oppidum Reuel nominatum, apud nobilem virum, cuius filios erudiebat, tunc temporis habitans; ad me venit die 15. mensis Iunij anni 1645. vt ei febre quartana ab anno integro laboranti opem ferrem. Eius autem hypochondria explorans, maximam tensionem, & duritiem in regione hepatis, & lienis inuenio, quam tantæ morbi contumaciæ, atque longitudinis causam esse existimans, eam priùs demoliendam censui apozemate aperiente, & laxante, (præmissa venæ sectione,) tum etiam fotibus mollientibus, & aperientibus, ac pilulis ex chalybe paratis. Quæ omnia ipsi præscripsi ad xx. dies vsurpanda. Tum febrifugi mei dosin ei tradidi, post dicta remedia sumendam. Cum autem ille non posset commodè Pharmacopœis vti, qui à loco, vbi degebat, satis longè distabant, & sumptus remediorum vix ferre posset, omissis ijs omnibus, quæ præscripta fuerant, febrifugum statim sumpsit, à quo multum purgatus est. Prima accessio, assumpto remedio, dimidio minor fuit; secunda priori adhuc minor. Et ita minuentibus sensibiliter accessionibus, post quintum paroxysmum, à febre quartana omninò liber fuit, de quo me per litteras monuit, addens, se tussicula infestari à febre sibi relicta. Cui rescripsit, vt remedia à me antea præscripta vsurparet, pro hypochondrij vtriusque obstructionibus reserandis, quas adhuc persistere, & tussin illam siccam producere non dubitabam.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Vomitus antiquus.

VXor D. Antonij de Manissy, Medici Romonensis & Vniuersitatis Ualentinæ Doctoris aggregati meritissimi, annos nata 24. laborabat per triennium vomitu molesto, cum dolore lumborum ad regionem lienis sese exporrigente, vomebat autem post singulos pastus omnem propemodum cibum, & potum cum pituita viscida permixtum: vnde ad summam maciem perducta est. Præterea quasdam velut accessiones febriles patiebatur, bis, aut ter in mense, per 12. aut 15. horas perseuerantes. Multi Medici ex ijs, qui pro ea consilium inierant, hæc symptomata à calculo, renum paranchymati infixo, prouenire existimabant. Alij verò obstructiones, & hystericos affectus accusabant. Quorum omnium ratione varia remedia vsurpata fuerant sine vllo fructu. Donec tandem ægra ad tantam maciem perducta fuerit, cum febre lenta coniunctam, vt febre hectica confecta putaretur. Ego autem rogatus à marito, vt quædam remedia ipsi præscriberem; censui præcipuam mali originem in liene residere, eumque tum obstructionibus, tum intemperie calida sicca laborare. Quorum ratione præmissa parca venę sectione, sequentia præscripsi remedia.

℞. Rad. cichor. asparagi brusci, & bugloss. an. ℥.ß. fol. agrimon. ceterach. capill. ven. & pimpinellæ ana M.j. ß. coquantur cum pullo gallinaceo, in colat. dissolue cremor. tart. ℥.j. fiat iusculum, quod capiat manè per sex decim dies.

In quarto quoque iusculo infunde per noctem sennæ mundat. ℥.ß. fem. anisi ℥.j. capiat cum regimine.

℞. Hord. integri, & amygd. dulc. ana ℔.j. contundantur, & decoquantur pro semicupio, quod ingrediatur tepidè, bis in die per triduum, post vsum iusculorum.

℞. Chalyb. præp. cum sulph. ℥.j. aloes opt. sennæ mundat. rhab. elect. & agarici recent. trochisc. ana ℥.ß. pulu. electuar. diarrh. abbat. Drach. ß. croci ϑ.ß. cum oxym. simpl. fiat massa pilular. de qua capiat Drach. j. singulis diebus manè tribus horis ante pastum, postea deambulando, & continuando per xv. dies.

Finito vsu pilularum reiteretur semicupium per quatriduum.

Hisce remedijs ordine vsurpatis, à prædictis affectibus liberata est, & in integram sanitatem restituta.

OBSERVATIO LXXXIX.

Febris tertiana.

ANcilla Domini de Sautereau in Senatu Gratianopolitano Consiliarij Regij, triginta annos nata, febre tertiana intermittente detinebatur, eiusque accessiones 25. passa erat, in quarum decursu bis ei sanguis detractus fuerat, & medicamentum catharticum bis etiam exhibitum; pluresque iulepi refrigerantes, & aperientes præscripti à Medico ordinario; qui post decimumquintum paroxysmum febrifugi mei gr. xx. illi exhibuit die intermissionis, quæ erat 25. Iulij anni 1645. Quinquies purgata est per alium blandè, & sine molestia. Postridie accessio redijt multò intensior. Et ab eo tempore nullam amplius accessionem passa est.

OBSERVATIO XC.

Febre tertiana.

DOminus de Pourroy, in Senatu Gratianopolitano Præses amplissimus, quinquagenarius, Febris tertiana intermittentis accessiones viginti passus erat, quando ad eum vocatus sum. Bis ei sanguis detractus fuerat: iulepi refrigerantes multi exhibiti: & aqua benedicta Rulandi bis propinata, vnde magnam bilis & pituitæ copiam excreuerat, per vomitum, & secessum. Vocatus ego in accessione vigesima prima, eam valdè intensam inuenio, quatuordecim horarum spatio ægrum valdè affligentem, cum siti ingenti, & graui inquietudine; quæ tandem sudoribus, in fine paroxysmi prodeuntibus, discussa est. Urinæ erant rubræ, quasi flammeæ, cōcoctionis indicium exhibente. Ideò sanguinem detrahi iubeo satis magna copia: iulepos valdè refrigerantes præscribo: succum limonum in ptisana potus ordinarij, & spiritum vitrioli in eadem ptisana, tempore accessionis. Quibus intra biduum color vrinæ ruber valdè remissus est, & leue enæorema in ea apparuit. Nihilominus accessio vigesima secunda eiusdem fuit durationis, sed cum minori inquietudine, quæ epithematis liquidis, regioni cordis admotis, valdè temperata est. Sequenti die exhibui febrifugi mei gran. xxv. cuius nulla fuit operatio per totum diem, nisi quod circa horam tertiam vespertinam semel aluum deposuit, & sub mediocrem materiæ biliosæ copiam excreuit. Postridiè verò, hora octaua matutina, iterum deiecit, sed multò copiosius excreta autem biliosa, & serosa erant. Hora nona redijt accessio, quæ multò remissior, & breuior fuit, ad horas octo tantum perseuerans. Post accessionem ter aluus soluta est. Contingit ista accessio die vltima mensis Iulij anni 1645. Die prima Augusti nulla accessio fuit, quia erat dies intermissionis. Die verò secunda, in qua accessio expectabatur, nulla etiam apparuit, ita vt æger curatus videretur. Attamen die tertia, quæ erat dies intermissionis, noua accessio prodijt. Sequenti die quæ erat quarta eiusdem mensis, secta fuit vena, cum vrinæ adhuc rubræ apparerent, post meridiem verò alia accessio contingit, ita vt febris tertiana simplex in duplicem versa videretur. Die quinta eiusdem mensis redijt accessio prioris similis. Hic amplum critici insultandi campum inuenere, quod febrifugo meo tertianam simplicem in duplicem conuertisset. At die sexta iterum exhibui febrifugum ad gr. xxxvj. quo sexies purgatus est, multaque deiecit serosa, biliosa, ac pituitosa. Accessio accessionem ter, aut quater iterùm aluum deposuit. Postridiè manè iterùm ter aut quater. Et accessio non redijt, neque diebus consequentibus, & intra paucos dies ad consueta munia redijt. In eoque statu permansit per 24. dies, in quorum decursu varios errores commisit in victu, qui eum in recidiuam coniecere. Itaque die trigesima, eiusdem mensis, noua accessione correptus est, hora secunda post meridiem, quæ decem horarum spatium peragrauit. Die vltima mensis alia accessio redijt hora quarta vespertina, sed multò leuior. Die prima Septembris redijt accessio hora decima matutina, priori consimili. Censui illas accessiones ex noua cacochymia ab incauta victus ratione cumulata exoriri, quæ leuem quandam putredinem nacta sit, & nondum esse partibus firmiter infixam, neque tenaciter fermentatam, atque adeò eam leuioribus remedijs euacuari posse, neque ad febrifugum esse confugiendum. Præscripsi itaque purgans medicamentum ex infuso Drach. iij. sennæ in decocto tamarindor. cichorij, & agrim. cum sem. anisi, & crystal. mineral. ana drach. j. addendo colaturæ mannæ, & syrup. ros. ana ℥.j. pulu. ialapæ drach. j. Optimè purgatus est, & accessio sequens minor fuit. Tum per biduum sequens sumpsit iuscula aperientia, & laxantia, sicque ab accessionibus omninò liberatus est, & debito victus regimine cautiùs obseruato, ad perfectam valetudinem perductus est; qua ad hanc vsque diem feliciter fruitur.

OBSERVATIO CXI.

Febris quartana.

FRater Theotimus iuuenis Religiosus, Ordinis recollectorum Cœnobij Gratianopolitani, incidit in febrem quartanam versus finem mensis Iulij anni 1645. Quinque accessiones passus erat, cum ad eum vocatus sum. Sanguis ei detractus fuerat sine vllo alio remedio. Sumpsit die septima Augusti febrifugi mei gr. xxx. pridiè accessionis. Multum purgatus est per inferiora, & aliquoties per superiora. Accessio postridie redijt multò minor, quam nulla alia subsequuta est.

OBSERVATIO XCII.

Febris quartana.

FRater Paschalius eiusdem Cœnobij Religiosus, decem accessiones febris quartanæ passus erat, cum eum inuisi: eique exhibui febrifugi mei gr. 23. die 25. mensis Octobris anni prædicti, octies purgatus est per aluum, & bis per vomitum, eaque euacuatione morbus omninò sublatus est.

OBSERVATIO XCIII.

Febris quartana.

VXor clarissimi viri D. de Chappoulay, apud Quæstores Franciæ Gratianopolitanos Aduocati Regij, quinquagenaria, à quinque septimanis febre quartana laborabat, adeò grauiter, vt in lecto perpetuò decumberet, & solis iusculis vesceretur; nunquam enim aderat integra ὄρεξις. Die prima mensis Septembris sumpsit febrifugi mei gr. in xvj. sexies purgata est per aluum, idque blandissimè sequenti die bis iterum purgata est, & accessio, quæ reditura erat post meridiem, vsque ad horam septimam retardata est, multòque remissior fuit. Sequentibus verò diebus non amplius comparuit. Cum autem sese reficere inciperet, & solidis alimentis vteretur, vuas immaturas in singulis pastibus comedebat, vnde in febrem quartanam iterùm recidit, quæ consequenter duplex, & triplex facta est, cum ego tunc temporis Gratianopoli discessissem, & Monspelium redijssem. Contigit autem, vt mense Decembri eiusdem anni Gratianopolin iterùm vocatus fuerim, eam verò tunc temporis inuisens, triplici, quartana grauiter oppressam inueni. Quamobrem ei exhibui febrifugi mei gr. xx. die decima nona dicti mensis, quibus septies purgata est per aluum, & bis per vomitum. Febris ea die non rediit, neque per biduum sequens. At verò die 23. cum lautè prandisset, longa accessione correpta est. Qua de causa sumpsit sequenti die febrifugi parem quantitatem, & quinquies deiecit per aluum, nihil verò per vomitum, & consequenter à febre immunis fuit.

OBSERVATIO XCIV.

Febris quartana.

MUlier quinquagenaria, in Nosocomio Gratianopolitano, per annum integrum febre quartana conflictata fuerat. Die 5. mensis Septembris anni 1645. sumpsit febrifugi mei gr. xx. & copiosè purgata est per aluum, semel verò per vomitum; idque septem horis ab assumpto medicamento. Die sexta accessio redijt paulò minor, & retardata est per horas quatuor. Ab eoque tempore nullam amplius accessionem passa est.

OBSERVATIO XCV.

Febris quartana.

ANcilla Vxoris Domini de Seruiem, in Camera Computorum Gratianopolitana Præsidis, febre quartana laborabat à quinque septimanis. Sumpsit die 6. Septembris anni 1645. Febrifugi mei gr. xvj. pridiè accessionis, quo multum purgata est per inferiora tantum. Secunda die rediit accessio sine frigore, sed prioribus longior, & retardata est per horas sex, sequentibus verò diebus non amplius rediit, & in eo statu permansit per mensem integrum. Incautam verò victus rationem seruans, ancillarum more; in febrem quartanam recidit, quæ primùm in duplicem, mox in triplicem migrauit, idque post meum discessum. Cum autem Gratianopolim redijssem mense Decembri, ipsi exhibui febrifugi mei gr. xx. die 23. eiusdem mensis rigida hyeme, atque glaciali existente. Matutinis horis materiam viscosam, & glutinosam, eamque copiosam vomitu reiecit, vespertinis verò plurimum per aluum expurgata est, & sic omninò liberata fuit à triplici quartana.

OBSERVATIO XCVI.

Febris tertiana triplex.

PEtrus Faiole, in Senatu Gratianopolitano Procurator, vnus ex Consulibus illius anni, annos natus 40. febre tertiana duplici laborabat 25. diebus, per quos vulgaribus remedijs ex alterius Medici præscripto abunde vsus fuerat. Vocatus ego die 25. Augusti anni 1645. eum lecto affixum inuenio, & solis iusculis vrentem, grauibusque paroxysmis quotidiè afflictum. Ei autem exhibui febrifugi mei gran. xvj. quibus septies purgatus est per aluum, idque blandissimè, & à paroxysmis febrilibus omninò liberatus.

OBSERVATIO XCVII.

Febris quartana.

GAbriel Poyt famulus Domini Marcha, Ciuis Monspelliensis, anno natus 24. febre quartana duplici laborans à tribus mensibus, & nullis vsus remedijs, per illud tempus sumpsit febrifugi mei gr. 24. die 10. Nouembris anni 1645. quæ erat dies intermissionis. Purgatus est septies ea die per aluum, sine vllo vomitu, aut nausea, & sine vlla molestia: sequenti die bis aluum deposuit. Accessio, quæ hora quinta vespertina expectabatur, retardata est vsque ad 3. matutinam sequentis diei. Secunda accessio, quæ vespertinis horis redire consueuerat, nullo modo comparuit, & ab eo tempore æger nullam amplius accessionem passus est.

OBSERVATIO XCVIII.

Febris quartana.

VXor Ioannis Alles Chirurgi Montirinensis, triginta annos nata, febre quartana laborabat à quatuor mensibus, & cum per illud oppidum trahsirem circa finem mensis Octobris anni 1645. rogatus sum à marito, vt quædam remedia illius curationi idonea præscriberem. Video mulierem admodum pallidam, & macilentam, cui menses non fluxerant à principio morbi, contrectans hypochondria, lienem inuenio durissimum, ac ferè scirrhosum. Ideò censui febrem quartanam curari non posse, quin obstructiones illæ graues prius auferentur. Præscripsi itaque primum potionem purgantem, & postridie venæ sectionem. Postmodum pilulas ex chalybe, aloe, ammoniaco, alijsque per xv. dies vsurpandas, & totum emollientem atque aperientem, per vsum pilularum singulis diebus hypochondrijs admouendum. Quibus diligenter vsurpatis, tensio hypochondrij sinistri admodum remissa est, sed accessiones febriles in eodem tenore consistebant; sumpsit itaque febrifugi mei gr. xx. à quo sexies purgata est per aluum, & ab eo tempore nullam amplius accessionem passa est.

OBSERVATIO XCIX.

Febris quartana.

INgenuus adolescens Michael Pineau, Romorantinianus, Medicinæ studiosus, cum febre tertiana per quatuor menses afflictus fuisset, tandem in quartanam incidit, eaque laborabat à sex septimanis, cum ad me venit, remedium exposcens. Dedi itaque febrifugi mei gr. xx. die 29. mensis Nouembris anni 1645. ea die bis tantum purgatus est per inferiora: idque circa vesperam. Sequenti die, quæ erat dies accessionis, decies purgatus est per aluum, & bis per vomitum, nempè horis prandij, & cœnæ, & cum assumptis alimentis biliosos humores excreuit, & accessio non apparuit ea die neque deinceps.

OB-

OBSERVATIO C.

Febris quartana.

PVella sancti Ægidij, nomine Iohanna Brunetta, decem annos nata, febre quartana laborans à quatuor mensibus, sumpsit febrifugi mei gr. xvj. die 29. mensis Nouembris anni 1645. Quinquies purgata est per aluum sine vlla molestia sequenti die redijt accessio more consueto, & ab eo tempore non amplius comparuit, atque ita ægra à morbo libera omninò euasit.

APPENDIX.

QVia omnes febris quartanæ curationes sub diuersis titulis propositæ centuriæ limites excederent; Ideò sequentes sub eodem titulo comprehendimus, vt ad hanc vsque diem, qua hæc prælo subijciuntur, curationum nostrarum series extendantur. Tum vt ea, quæ de febrifugo nostro inferiùs dicturi sumus, illustriora euadant.

Cùm Gratianopoli Monspelium peterem mense Octobri anni 1645. Valentiam transeunti occurrit mihi caupo quidam, qui Claudius Boudon nominatur, febre quartana laborans à tribus mensibus; ad cuius oppugnationem nullum remedium vsurpauerat, præter vnicam venæ sectionem. Præscribo primùm potionem purgantem, ad ea cochymiam in primis vijs restagnantem, euacuandam; quæ febrifugi operationem obsistere potuisset, ex sennæ ℥. ß. diaphœn. ℥. ij. syrupi rosac. ℥. j. sumendam postridie accessionis, qua satis copiosè purgatus est. Sequenti die sumpsit febrifugi mei gr.xx. ter purgatus est per aluum sine molestia, idque tantum circa vesperam. Postridie redijt accessio solito multò longior, & postmodum nulla alia subsequuta est.

In eodem itinere transiens per oppidum, quod le Bourg Sainct. Andiol nominatur apud Uiuarienses, rogauit me D. Henricus Chays, Chirurgus peritissimus, vt febrifugi mei dosin ipsi concederem pro mulierculâ quadam, à longo tempore febre quartana laborante: cuius voto statim satisfeci; & ille post aliquot tempus mihi retulit, illam mulierem à febre quartana, huius remedij vi, statim fuisse liberatam.

Ioannes Rideletus in Senatu Gratianopolitano Procurator, annos natus 54. febre quartana laborabat à tribus mensibus, eaque duplici & sæuissima; ita vt lecto affixus decumberet, & solis iusculis vesceretur. Summa macie confectus erat, tum faciem, pedes, ac tibias tumore œdematoso affectas habebat; vt in hydropem ruere videretur. Post multa remedia, frustra tentata, meam opem implorat die 23. Decembris anni 1645. rigida hyeme existente. Ego verò in pessimo illo statu eum constitutum videns, negabam me specificum meum exhibiturum, ne infamaretur remedium. Attamen vxoris, & fratris precibus tandem cedere coactus, remedium exhibeo ad gran. xx. die 24. eiusdem mensis. Septies purgatus est per aluum sine molestia. Primò biliosa, mox pituitosa multa excreuit. Die 25. ter iterum deiecit eandem materiam. Accessiones perseuerabant. Die 27. sumpsit febrifugi gr. xxiv. sexies purgatus est per aluum sine molestia. Sequenti die leuem accessionem passus est. Et ab eo tempore febris quartanæ accessiones non rediere; saltem per septem dies, quibus ego post vltimam accessionem Gratianopoli moratus sum; neque quid post meum discessum acciderit, reseire hactenus potui; imminens enim hydrops maximum vita periculum minabatur.

Claudius Mosleau, arrocopus Gratianopolitanus, cui signum est ensis regius, annos natus 40. febre quartana duplici laborans, à quatuor mensibus, sumpsit febrifugi mei gran. xx. die 25. Decembris anni 1645. hyeme rigida, & glaciali existente. Quater purgatus est per aluum blandissimè. Die 24. & 25. accessiones iterum passus est. Die 26. sumpsit febrifugi gr. xxxij. Bis tantum purgatus est, sed copiosè, & ab eo tempore nullam ampliùs accessionem passus est.

Michael Gounselin faber ferrarius Gratianopolitanus, à quatuor mensibus quartana laborans, sumpsit febrifugi mei gr. xxxij. die 26. Decemb. anni 1645. frigore intensissimo seuiente. Septies purgatus est per aluum, bis verò per vomitum. Sequenti die redijt accessio, prioribus intensior. Die 29. eiusdem mensis sumpsit idem remedium, & sexies purgatus est per aluum sine vomitu vllo, accessio nulla postmodum apparuit.

Martinus Lebreton Parisiensis, Ecclesiæ diui Ludouici Patrum Iesuitarum Musicus, 20. annos natus febre quartana laborans à quatuor mensibus per quos nulla remedia ex arte vsurpauerat, sumpsit die tertia Februarij anni 1646. febrifugi mei gr. xx. quibus pluries purgatus est per inferiora tantum. Postridie accessio redijt leuissima, & nulla alia deinceps.

Ancilla vxoris nobilissimi viri Domini Mareschalli de L'hospital, nomine Barbe Lepese, febre quartana duplici laborans ab octo mensibus. Sumpsit febrifugi mei gr. xx. die 25. Februarij anni 1646. quæ erat dies intermissionis; sexies purgata est per aluum. Die sequenti eodem modo purgata est, & pari quantitate. Accessio, quæ expectabatur hora quinta vespertina, redijt hora nona matutina, prioribus similis. Et ab eo tempore nulla amplius accessio comparuit; sicque ægra à duplici illa quartana contumaci prorsus liberata est.

Pedissequus D. Comitis de Larocheguion, octodecim annos natus, febre quartana laborans à quatuor mensibus, petijt à me auxilium die 27. Februarij anni 1646. Quia verò iam diu nulla remedia vsurpauerat, & cibis quadragesimalibus tunc temporis vtebatur: censui præparandum esse corpus venæ sectione moderata, & purgatione ex infusione ℥. iij. sennæ cum dr. ß. salis tartari, qua blandè purgatus est. Die 2. Martij sumpsit febrifugi gran. xx. quæ erat dies accessionis, sed tantum hora sexta vespertina redituræ, octies purgatus est per inferiora tantum. Accessio anticipauit, & redijt hora secunda, prioribus intensior. Die quinta eiusdem mensis redijt accessio itidem hora secunda, & prædictæ similis. Die septima sumpsit febrifugi eandem dosin, cuius operatio priori fuit similis: redijt tamen accessio more consueto, & consequêter tres alias accessiones passus est, nullo vtès remedio. Attamen corpus reficiebatur, & faciei color viuidior in dies euadebat, nec non ciborum appetentia melior. Post tres illas accessiones, & pridie quartæ, sumpsit febrifugi gr. xxij. quibus sexies purgatus est per aluum accessio redijt postridie paulò remissior, & ab eo tempore æger nullam amplius accessionem passus est, prorsusque à febre quartana liberatus fuit.

DE FEBRIFVGO NOSTRO.

HACTENUS febris quartana pro incurabili habita est in principio, augmento, & statu, quod materia morbifica illis temporibus nondum sufficienter concocta, & præparata sit, vt medicamentis purgantibus educi valeat, & quicúque vehementioribus remedijs eam educere nituntur, ex quartana simplici, non rarò duplicem, ac triplicem faciant, atque interdum continuam, quæ ægrotantes in maximum vitæ periculum conijciuntur. Hinc factum est, vt prudentiores Medici quartanarijs longam patiẽtiam consulant, eosque ad vernum tempus demittant, cuius temperies humoris peccantis concoctioni, & euacuationi maximè idonea est: hyemis verò frigus tantoperè aduersum, vt eo vigente febris quartana prorsus incurabilis censeatur, propterea quod humores tartarei, & melancholici magis condensantur ac veluti congelẽtur; nec non meatus corporis tum sensiles, tum insensiles constringãtur; vt euacuationis, aut diaphoresis spes omnis ablata videatur. Quinimò tanta est non rarò materię morbificæ cõtumacia, vt multæ quartanæ à doctissimis etiam Medicis recta methodo, & maximo vulgarium remediorum apparatu tempore idoneo, (id est vere, & æstate) oppugnatæ, eorum vim eludant, & ad annum integrum, imò interdum ad biennium, & triennium protrahantur.

Uerùm enim verò longus vsus, & exercitatio diuturna magna artibus incrementa afferre consueuit, & noua recentiorum inuenta antiquorum medicinam ad longè sublimius dignitatis fastigium extulere. Quorum ego vestigiis insistens, cum in penitioribus naturæ arcanis perscrutandis triginta septem annos, à quibus medicinam facio, sedulam operam nauauerim, licet publicis, ac fere continuis (præter egrorum visitationes) lectionum, disputationum, aliarumque Academicarum exercitationum occupationibus distrãctis attenta cogitatione diu, multumque meditatus sum; si qua via contumax, & diuturnus iste morbus exiguo tempore vinci, edomariq; valeret. Ac licet conatus ille peràrduus videretur, & propemodum impossibilis, successum tamen optatum (diuino numine aspirante, cui sit laus, & gloria) obtinere licuit. Tandemque diu meditando, elaborando, experiendo, coniungendo, separando, addendo, detrahendo, augendo, minuendo, variéque varia præparando, verum, atque specifi-

cum

cum febris quartanæ πάροξυσις inueni. Nolo infallibile remedium pronuntiare, ne agyrtatum vocibus vti videar. Sed quod res est, bona fide pronuntiare possum, me ad hanc vsque diem nunquam remedium exhibuisse, quin accessione febriles tertia saltem exhibitione cessauerint. In nonnullis tamen vel ob errores in victu, vel ob quosdam materiæ morbificæ reliquias, intus restitantes, recidiua contigit, quæ leui aliqua purgatione, ex vulgaribus medicamentis parata, vt plurimum discussa est.

A quatuordecim tantùm mensibus hoc remedio vti cœpi, quod per multos annos in mente agitaueram. Plurimorum verò, à quibus hactenus vsurpatum est, nomina & historias, scriptis mandaui. In quibus febres quartanæ in principio, augumento, & statu; tum etiam in media hyeme, eaque rigida, curatæ inueniuntur.

Huius remedij vires eiusmodi sunt, vt humorem melancholicum virtute specifica oppugnet, illius fermentationem qua paroxysmi causa est inhibeat, prauas eiusdem qualitates extinguat, totamque eius naturam immutet. Sicque omnes turbæ, quas ferus iste humor in corpore humano excitare solet, illico sedantur, eo scilicet imbelli atque inualido, aquæ communis instar effecto. Quemadmodum enim acetum, sale tartari, aut saturni admixto, omnem aciditatem, omnesque vires subito amittit, & aquæ similium fit; ita humor melancholicus ad specifici sui occursum, extinguitur, quodammodo, omnemque agendi, ac resistendi potentiam amittit ita vt plerumq; vna illius exhibitione febris quartana profligetur, & rarò ad secundam, rarissimè ad tertiam confugiendum sit. Cum alioquin materia rebellis; & non priùs edomita, centum medicamentis ne minimũ quidem commoueri valeat. Vndè Medici non rarò illius contumaciam pertæsi, curationem dimmittere coguntur. Licet autem hoc remedium febri quartana oppugnandæ peculiariter destinatum sit; febres etiamnum tertianas, propter analogiam, quæ illis cum quartanis intercedit (siquidem febres tertianæ longiores in quartanas plerumque degenerant) vna die profligat; vt in multis febris tertianæ curationibus supra, videre est vnde generico febrifugi nomine à nobis donatum est.

Exactam ac dilucidam huius remedijs descriptionẽ nondum proponendam censui, donec pluribus aliquot annorum obseruationibus ei virtus perspecta fuerit. Ut tamen interim curiosis naturæ indagatoribus inquirendi occasio præbeatur sub obscuram, & tenui velo obuolutam, fidelem tamen, & omni fraude vacuam descriptionem propono: quam filijartis, sedulo adhibito labore, non admodum difficilè euoluere poterunt. Componitur ergo pretiosum hoc medicamentum ex triplici Hercule, Sole, Antimonio, & Mercurio, duodecim (destillationibus) laboribus ad summam nobilitatem euecto quibus tandem quartus athleta Spiritus Uini additur, operis complementum efficiens. Dari potest pueris ad gr. x. xij. & xv. Adultioribus verò à gr. 20. ad 30. & 40. Blandè operatur iusta dosi exhibitum, nec magis conturbat, quàm medicamenta vulgaria, ex senna & rhabarbaro composita. Aliquando tamen per vomitum euacuat, si materiæ morbificæ portio circa ventriculum hæreat. Hoc enim habet peculiare, vt materiam morbificam vbicumque latentem recta via adeat, efficaciter aggrediatur, & fortiter oppugnet, donec tandem deuicerit. Historiæ supra descriptæ idipsum apertè indicant. In quibusdam enim vias apertas, & materiam non admodum copiosam inueniens, sine vlla molestia, & cum exigua euacuatione opus suum absoluit; vt in Principe Doria, aliisque contingit. In aliis verò qui nullis toti morbi decursu remedijs, vsi fuerant, & prauis edulij corpus suum impleuerant noxiorum humorum multitudinem, & contumaces viarum obstructiones, summamque eruditatem inueniens; non sine conturbatione, & labore ægrotantis, morbum vincere potuit, vt in pauperibus, & plebeis quibusdam contigit, in quibus prima huius remedij experimenta facta sunt. Hęc igitur de febrifugo, nostro dicta sufficiant. Specificum hoc febrifugum Germanorum Chymicorum Decano Hartmanno debetur, qui id ita describit ℞. Auri puri, & optimè purgati Vnc. ß. redige in crustulas tenues, & more solito in aqua Regia ex sale communi (non verò ammoniaco, quia illud Mercurium volatilem reddit.) solue Vitri antimonij Vnc. ß. & Mercurij probè mundati. Vnc. 2. in aqua forti solue, singula nempe seorsim, ac in separatis vitris, ita tamen vt solutiones omnes probè sint claræ, & transparentes. Omnes istas aquas confunde, & aquam abstrahe per alembicum, & nouam aquam Regiam affunde, sepius & identidem euoca, idque fac tantisper, donec præcipitatum in ignita ferrea lamina penitus nullum de se emittat. Quo signo præsente, totum præcipitatum diligenter sub tegula calcina, sic nimirum spiritus aquæ Regis omnes exploduntur, & dissipantur. Tandem ab eodem spiritum vini sexies destilla, donec quodammodo figatur Mercurius. Denuo sub tegula igniendus, & lentè calcinandus.

LAZARI RIVERIJ

OBSERVATIONVM MEDICARVM

& Curationum insignium.

CENTVRIA QVARTA.

OBSERVATIO I.

Febris hectica.

FILIA Dõmini d'Aumelas, Franciæ Quæstoris generalis, annos tredecim nata, laborat ab octo mensibus febre lenta, quæ hectica censebatur, propterea quod omnibus remedijs, quæ ad Chlorosin, & viscerum obstructiones reserandas vlgò præscribi solent, à duobus peritissimis Medicis illius curę successiuè incumbentibus, per dictum tempus auferri non potuerat; quin potiùs morbus ad extremam maciem, & summam totius corporis debilitatem ægrotantem perduxerat, vt ab omnibus pro deplorata haberetur. Cui iudicio maximè fauebat vomitus assiduus, qui eam statim à somno matutinis horis infestabat, & vsque ad horam prandij perseuerabat, ita vt omnia Medicamenta tum alterantia, tum vacuantia quæ ipsi matutinis horis exhibebantur, vomitum reiiceret. Et sic nullus videbatur esse remedio locus. Cum tandem curæ meæ commissa fuisset, præmisso Prognostico, quod exigua salutis spes superesse videretur, ad duo animum conuerti: primo vt remedia antea vsurpatis efficaciora adhiberentur; secundo, vt semel assumpta vomitu non reijcerentur. Remedia efficaciora è Spargiricorum officinis erant depromenda. Vt verò faciliùs retinerentur, gustui non ingrata esse debebant, & illis horis exhiberi, quibus vomitus non vrgebat. Ideo cum mihi relatum esset, illam à meridie vsque ad horam somni vomitu non tentari, censui remedia vespertinis horis esse exhibenda. Primùm itaque præscribo tabellas compositas ex Stomachici Poterij ʒ.2. & sacchari in aqua rosarum dissoluti ʒ.6. quarũ sumebat ʒ.2. singulis diebus, horis duabus ante cęnam. Continuatis hisce tabelis per octo dies, sumpsit auri diaphoretici gr. 4. ac deinde, per alias octo dies, tabellas Stomachicas continuauit; quibus elapsis aurum diaphoreticum iteratum est, post cuius exhibitionem febris illa lenia, quæ hectica putabatur, omninò disparuit: tum etiam vomitus cessauit. Quamobrem ab eo tempore etiam matutinis horis remedia exhibita sunt. Sumpsit igitur singulis diebus manè per mensem integrum, Balsami Peruuiani guttas 3. cum sacchari rosati subactas, ad Pilulæ formam, cui superbibebat tantillum vini generosi. Hoc remedium ad ventriculum roborandum,

dum, & obstructiones reserandas eximias vires obtinet. Et par dictum mensem sumpsit etiam quotidie vespertinis horis tabellas stomachicas, & semel in septimana aurum diaphoreticum, sicque ad integram valetudinem restituta est.

OBSERVATIO II.

Tertiana duplex.

DOminus Gerardus, in Curia Computorum, subsidiorum, & Fisci regij Consiliarius, annum agens 63. febre tertiana duplici laborabat à quinque septimanis in quarum decursu multa remedia administrata fuerant ab alio Medico. Quater secta fuerat vena, pluries purgatus fuerat, & multi iulepi aliaq; remedia exhibita. Morbus tamen in peius ruebat, & accessiones grauiores euadebant, vt ea die, qua ego vocatus sum, ipsum attonitum, & comatoso quodam stupore affectum inuenerim, & adstantes de ipsius salute maximè dubitarent. Tanta autem erat virium prostratio, vt nulli euacuationi locum esse censuerim. Prima igitur die, qua ipsius curationi incumbere cœpi, iulepum sequentem exhibui hora vna ante accessionem.

℞. Aquæ cichor. Vnc. 3. salis absynth. ʒ. ß. spirit. sulphur. ℈ 1. Misce. F. iulepus.

Secunda die idem remedium iteratum est, etiam hora vna ante accessionem, qua transacta, vrinæ meliores fuerunt concoctionis non leuia rudimenta ostentantes, quæ anteà crudissimæ apparuerat. Tertia die idem iulepus iteratus est eadem hora, & accessio perexigua fuit. Quarta die manè sumpsit potionem sequentem.

℞. Senn. mund. ʒ 2. salis tartari ʒ ß. spirit. vitriol. ℈ ß. aquę cichor. ʒ 4. infundantur frigidè per noctem, & colaturam capiat manè cum regimine.

Pluries purgatus est cum Euphoria, & ea die accessio non apparuit, equè deinceps, & ita perfectè curatus est.

OBSERVATIO III.

Hidrops Thoracis.

DIe vigesima mensis Iunij anni 1646. vocatus sum à D. Daniele Verchondo Ciue Monspelliensi quinquagenario, maxima spirandi difficultate à tribus mensibus laborante, ad quam amoliendam multis remedijs tum à Medico ordinario, tum in varij consultationibus præscriptis vsus fuerat, sed frustrà; cum enim inueni anhelantem, & extremos penè spiritus exhalantem præ suffocatione, qua vrgebatur. Censui eum pectoris hydrope laborare cum neq; tussis, neque stertor adesset, neque vlla sputa viscida, & crassa excernerentur, vt in vero asthmate solet fieri. Præterea tibiæ œdematoso tumore affectæ erant, & venter intumescere incipiebat, vt iam ascitius fieri videretur. Insuper in lecto à duobus mensibus non decubuerat, sed diu noctuque in Cathedra corpore erecto sedere congebatur. Ego vero de illius salute desperans, nolebam ipsi remedia præscribere, verum ipse instanter vrgebat, vt summam illam respirandi difficultatem minerem. Quamobrem illius precibus victus aliquod saltem solatium ipsi afferre contendens, exhibui die sequenti bolum ex Calomelanos ℈ j. cum diagryd. ℈ ß. in conserua rosarum septies purgatus est per aluum, & magnam feri copiam excreuit, vnde maximum leuamen eadem die recepit, ita vt liberiùs multò, quam antea, respiraret post biduum iteratus est remedium, pari successu, & sequente nocte in lecto decubuit sine vlla pectoris oppressione. Ventris tumore imminuto, hypocondria contrectare licuit, & lienem magnam atque scirrhosum inueni ideò præscripsi apozemata aperientia cum sale Tartari, & spiritu sulphuris, tum etiam fotus, & linimenta hypocondrijs admouenda, cum iterata tertio quoque die purgatione prædicta. Quibus per 15. dies continuatis, ad longè meliorem statum renocatus est, vt se curatum omninò putaret. Attamen elapso vno mense omnia symptomata redire, venter magis intumuit & post duos alios menses è viuis excessit. In hac obseruatione notanda est summa Calomelanos efficacia, quod in morbo lethali tantum adiumenti afferre potuit.

OBSERVATIO IV.

Febris quartana.

IOannes Alberger quinquagenarius, à quatuor mensibus hemiplegia laborabat, partem corporis dextram occupante, ita vt vix loqui, & verba pronunciare valeret. Ab anno integro hoc morbo affligebatur, & per illius decursum multa vsurpauerat remedia cum exiguo fructu. Ego verò, illius curationem aggressus, die 26. mensis Iunij anno 1646. bolum præscripsi ex Bezoartici mineralis gr. 12. cum conserua rosarum, bis in die sumendum, & quinto quoque die pilularum cochiarum minorum ℈. j. cum Mercurij calcinati per se, sine corrosiuis, gr. 8. Quibus per 20. dies continuatis, pristinæ sanitatis restitutus est.

OBSERVATIO V.

Hæmorrhagia.

VIr robustus 30. annos natus, bilioso temperamento præditus, contumaci hæmorrhagia ad extrema redactus fuerat. Post multa remedia frustrà tentata, tandem cuiusdam Medici consilio è lecto in pauimentum delatus est suprà mattam laneam, & totum corpus contectum linteis, oxycrato madidis, per longum tempus, donec rigore correptus est, tunc enim ad lectum deportatus, & rigorem febris subsequuta est, quam sudor excepit, à quo curatus est. Collum etiam ijsdem linteis obducebatur.

OBSERVATIO VI.

Hysterica passio.

DIe 17. Iulij anni 1646. ancilla vxoris meæ, nomine Ludouica Casta, subitò correpta est dolore atrocissimo, latus dextrum, & lumbos tam immaniter infestante, vt illa continuò eiulare cogeretur. Cùm nulla febri adesset, existimaui affectum esse hystericum. Ideò statim oxycrati cyathum exhibui, quem post horæ quadrantem vomitu reiecit cum multa pituita. Sedato vomitu, alterum oxycrati cyathum hausit, & statim dolor protinus euanuit, eaque prorsus liberata est.

OBSERVATIO VII.

Dolor Nephriticus.

DIe 20. mensis Iulij anni 1646. D. Iacobus Lemedre, Medicinæ studiosus filij mei præceptor, correptus est dolore nephritico valde vrgente. Vrinæ erant rubræ, & sanguinolentæ. Primum iniectus est clyster ex decocto emolliente cum diaphœn. ʒ. 1. aquæ benedict. ʒ. 4. qui parum præstitit. Sequenti die missus est sanguis ad ʒ. x. quia erat Pletoricus. Dolor tamen perseuerabat. Tertia die iteratus est clyster prædictus, qui cum tota die purgauit blandè, & per dilucida interualla; eademq; die à dolore prorsus liberatus est excretis, duobus calculis per exiguis. Clyster prædictus ad dolores colicos, & Nephritices præstantissimus est, vt in alijs centurijs videre est. In hac autem curatione hoc peculiariter annotandum, quod si prima vice iniectus clyster votis non respondeat; semel atque iterum repetendus sit.

OBSERVATIO VIII.

Cholera morbus.

VXor Petrei Portalon, ciuis Monspelliensis, correpta est Cholera morbo die 23. Iulij, anni 1646. circa meridiem, & ad vesperam vsque vigesies aluum deposuit, cum grauissimis doloribus, non solùm intestina, sed etiam ventriculum infestantibus, ita vt sequenti etiam vomitu premeretur, multosque humores acres, & biliosos excerneret. Maritus à me consilium petijt vespertinis horis cum alia remedia pararentur, consulo, vt ægra oxycrati cyathum assumeret, cuius adeò efficax fuit operatio, vt vomitus, & alui fluxus statim cohibitus fuerit, & alia remedia vsurpata non fuerint; dicitante ægra, se à morbo liberatam, & pristinæ valetudini restitutam.

OBSERVATIO IX.

Carbunculus.

FIlius Petri Bouiac, Mercatoris Monspelliensis, quartum ætatis annum agens, carbunculo afflictus à triduo integro, per quod nullum remedium vsurpatum fuerat, à me inuisus.

uisus est dies 22. Mensis Iulij anni 1646. Erat autè Carbunculus in media fronte cum tumore rubicundo, in medio nigerrimo, & tota facies valdè inflata erat, iubeo primùm ad fixandum Carbunculum, causticum inuri parti nigricanti, & imponi escharæ vnguentum Basilicum cum Theriaca, ol. Scorp. Matthiol. & Vitello oui: toti verò tumori cataplasma de Arnogloſſo. Eodem tempore clyster iniectus est, eoque retecto, venæ sectio iterata, quæ horis maturini, tum etiam pridie celebrata fuerat. Vesicatorium ceruici admotum, & portio cardiaca præscripta; tum etiam confectio de hyacintho in singulis iusculis exhibenda. Sequenti die febrem valde imminutam, tumoris inflammationem remissam, & omnia mitigata inuenio, vnde prosſimam salutem sperandam censui. In hoc casu notandus est præcipuè vesicatori vsus quod magnam humoris virulenti portionem deriuans, præcipuam curationis partem feciſſe credibile est. Ideo in omni carbunculo vsurpandum censeo, & parti vicinioris admouendum. Defensiuum ex vnguento de Bolo, Quod vulgò in his affectibus vsurpatur, adhibendum non existimaui, quia repellentia, faciei admota, in illius inflammationibus admodum noxia sunt.

OBSERVATIO X.

Epilepsia.

ANcilla Epileptica vsu oxycrati liberata est, cuius cyathum sumebat manè, singulis diebus, & ante tempus inuasionis acetum purum. Curato morbo doloribus artuum correpta est, qui vsu Thermarum curati sunt.

OBSERVATIO XI.

Hæmoptoe.

IOannes Figuiore Ciuis Monsplienſis hæmoptoe laborauerat per triennium, qua sanguinem reijciebat per internalla, satis magna copia. Tandem post multa remedia, per mensem integrum, manè sumpsit amylum, aqua decoctum (& sine calce paratum) instar Panatellæ, & ab eo tempore sanguinis sputo nunquam correptus est.

OBSERVATIO XII.

Febris tertiana.

MEnse Augusto anni 1646. Gulielmus Dortomanus, Patronus celeberrimus sexagenarius, bilioso temperamento præditus, laborauit febre tertiana, vehementi, eaque quater secta fuit vena, & semel purgans medicamentum exhibitum intra dies 14. Præterea iulepi refrigerantes, & aperientes, fuere vsurpati, tum ante sextam, & septimam accessionem specificam exhibitum est ex salis absynth. ℈. 6. spirit. sulphuris ℈. j. cum aquæ cichor. ℥. 3. quibus accessiones imminutæ sunt. Eodem tempore, in primo potu sumebat, vigente febre, spiritus sulphuris guttulas 15. in aqua fontis Tandem hora ante octauam accessionem secta fuit vena, præmisso decocto. Chamom. & Cremoris Tartaris, & Emplastrum Strobelbergeri carpis admotum est quibus remedijs imminens accessio fugata est, vt nulla eius vestigia apparuerint.

OBSERVATIO XIII.

Febris quartana.

FIlia Domini Ducabe Pouſſanenſis 15. annos nata, febrem quartanam patiebatur à 14. Mensibus. Monspelium adducta est, vt mihi, curanda tradetur; illi exhibui febrifugi mei gran. 16. die 22. mensis Augusti, & decies purgata est per aluum, bis etiam per vomitum, humores primùm acidos, mox amaros excreuit. Unicam accessionem passa est ab assumpto medicamento, & nullam aliam deinceps.

OBSERVATIO XIV.

Calculus vesicæ.

ILlustrissimus vir, Dom. de Burcin, Senatus Gratianopolitani Præses, mense Augusto anno 1645. correptus est dolore Nephritico, à quo post aliquot dies liberatus est de repentè etiamsi nullum Calculum excreuit, cum tamen alias, simili dolore tentatus, per Iapillorum excretionem liberari consueuisset; vnde conieci. Calculum à renibus per vreteres excussum, fuisse retentum in vesica. Nec falsa fuit coniecturæ siquidem ab eo tempore titillationes frequenter patiebatur circa vesicæ sphincterem, & vrinæ acrimoniam & dolores, ad Balani extremitatem sese porrigentes. Multa vsurpauit remedia toto anno, per interualla, ac tandem mense Augusto anni 2646. Calculum excreuit nucis auellanæ, magnitudinē æquātem, sed figuræ oblongæ, oliuam referentis: At verò tantæ difficultate ferebatur per virgæ canalem, vt intrà 25. tantum horas à vesicæ orificio ad balani radicem peruenerit; vbi meatum angustiorem inueniens nullo modo eum peruadere potuit, atque adeò necessum fuerit balam inciſionem extrahere, quæ in parte inferiori propè frænum celebrata est. Remedia quæ vltimo vsurpata sunt, & quibus præcipuè calculi excusio adscribitur, talia fuere.

Post euacuationes vniuersales vsus est per mensem integrum pilulis, ex balsamis Baccarum hederæ, & Nasturtij aquatici, Chrystallo Tartari, & minerali part. æqualibus, cum Therebinthina, in massam Pilularum redactis de qua sumebat ℈ j. manè singulis diebus, postea verò per nouem dies sumpsit aquæ cœparum albarum in vino albo destillatarum ℥. 3. cui aquæ addebat sal, ex capite mortuo elicitum, & nona die prædicti calculi excretio contingit.

OBSERVATIO XV.

Febris tertiana.

DOm. de Crouset, in curia Præsidiali Præses, & Iud. ex maior, correptus est febre tertiana duplici, mense Augusto anni 1646. Febrem esse malignitatis participem, ostendebant pulsus non admodùm frequens in paroxysmo, & summa perfrigeratio extremorū, quæ toto accessionis decursu nō recalescebant. Bis illi secta fuit vena, & bis Ptisana laxans, ac refrigerans exhibita; tum etiam spiritus sulphuris in quibusdam accessionibus ad guttas 15. cum aquę Cyatho permixtus propinatus est. Iulepus ex aqua Cichor. spiritu sulph. & sale absynt. bis vsurpatus est paulò ante paroxysmum, & emplastrum Strobelbergeri carpis admotum. Ac denique aquæ theriacalis refrigerans à nobis descripta capite de febre pestilenti, ad ℥. 3. exhibita est, ante duos postremos paroxysmos. Quos remedijs intrà 15. dies à morbo illo periculoso liberatus est.

OBSERVATIO XVI.

Febris tertiana.

DOm. Massauue, Quæstor Franciæ Generalis Mense Augusto anni 1646. duplicem tertiana patiebatur, in qua duo paroxysmi apparebant in vna die, altera existente vacua. In alterius Medici manibus fuit per 12. dies, morbo quotidie in peius abeunte. Meam postmodum opem implorauit, eodemque die febrem passus est ex duplici paroxysmo constantem, per 30. horas. Initio sequentis accessionis sumpsit ex meo præscripto decoctum Chamœmeli, & crystalli Tartari, eodemque tempore facta fuit vena, & emplastrum Strobelbergeri admotum. Vnicam tantum accessionem passus est, eamque leuiorem, ac triduò post omninò liberatus est, sumens in duobus paroxysmis spiritus sulphuris guttas 15. & iulepos refrigerantes cum eodem spiritu bis in die. Ante penultimam accessionem sumpsit Ptisanam laxantem, & refrigerantem; & ante vltimam hausit aquæ Theriacalis refrigerantis nostræ ℥. 3. Tum etiam admotum ventriculo cataplasma ex Tanaceto, pulueribus Aromaticis, & Terebinthina, in Placenta rosacea, quæ vltima accessio ferè nulla fuit.

OBSERVATIO XVII.

Variolæ.

FIliolus N. Benoist, Mercatoris Monspelienſis natus menses 23. variolis correptus, secunda morbi die in Coma, & conuulsiones incidit, cum tanta virium prostratione, vt intra paucas horas moriturus videretur. Vocatus ad eum die 12. mensis Nouembris, anni 1645. quæ erat secunda morbi dies, venæ sectionem statim præscribo, & sanguis derac-

tus

ſus eſt ad ʒ.4. deinde exhibetur ex cochleari frequenter iu-
lepus compoſitus ex aquæ Cardui Benedicti,& Scabioſæ ana
ʒ.3. Trochiſc. iuniperinorum,& Bezoartici mineralis an. ℈ j.
Eodem tempore exhibebatur tertia quaque hora Bezoartici
mineralis ℈.ß. cum pauco iuſculo;quibus per biduum con-
tinuatis,totum corpus variolis conſperſum fuit, quæ poſtmo-
dum ad decentem magnitudinem increuerunt, & æger reli-
quis morbi temporibus feliciter defunctus eſt.

OBSERVATIO XVIII.

Pleuritis ſpuria.

VXor Dom. de Cros, in Curia Computorum Auditoris,
Eryſipelas paſſa eſt in tibia, per ſeptem vel octo dies,
cum febre cõtinua Ab vtroque affectu liberata, cura & dili-
gentia Medici ordinarij, aeri frigido ſeſe præmaturè expo-
ſuit, vnde in lateris dolorem incidit,cum febre, tuſſi, & diffi-
cultate ſpirandi, tum etiam ſputa nonnulla ſanguine infecta
apparuerant. Secta fuit vena bis aut ter, & reliqua remedia
Pleuritidi conferentia adminiſtrata. Vocatus ego in Conſiliũ
die 19.menſis Nouemb. quæ erat quinta dies morbi, cenſui
purgans medicamentum eſſe exhibẽdum die ſequenti, quod
tamẽ contra leges artis, & vulgarem methodum eſſe videba-
tur;quibus ſancitum eſt,ante ſeptimum morbi diem purgãs
medicamentum Pleuritidis non eſſe exhibendum. Verum ſe-
quentes rationes purgationem illam ſuadere videbãtur:pri-
mò,quod Pleuritis illa vera,& exquiſita non apparebat à Sy-
ſtropica inflammatione genita, ſed potius ſpuria, à fluxione
quadam tenui, & ſeroſa, vel etiã vaporibus acribus,ex caco-
chymia in ventre inferiori contenta eleuatis & membranam
coſtas ſuccingentem vellicãtibus.Id ex eo colligebatur,quòd
ſanguis in vno vel altero tantum ſputo apparuit, iſque pau-
ciſſimus, inſtar filamenti, qui à Pleura inflammata tam exi-
gua copia prodire non potuerat, ſed potius à venula qua-
dam aperta, tuſſis vehementia, vel à cerebro deſcendere
potuit, cum ægra circa idem tempus leuem hæmorrhagiam
paſſa fuerit. Secundò, quod dolor ille continuus non fuerit,
ſed per interualla deſinens,ac rediens;qui ipſo conſultationis
tempore nullus ferè apparebat, tum etiam febris erat admo-
dum remiſſa. Tertio, quod per totum poſterioris inua-
ſionis tempus aſſiduæ vigiliæ adeſſent, licet lateris dolor
etiam nocturnis horis, valde interdum remitteretur, vnde
colligere liquit,intenſas illas vigilias ab humorum putredine
potius, & à febre eſſentiali, quam à Pleuritide dependere.
Quartò quod æger toto illo tempore, quo eryſipelate labo-
rauit,purgans medicamentum,à Medico ordinario præſcri-
ptum ſumere noluerit,atque adeò tota prauorum humorum
congeries intus concluſa remanſerit. Sumpſit igitur purgans
medicamentum die ſexta poſterioris huius morbi,ex Senna
Rhabarbaro, Manna & ſyrupo roſaceo compoſitum, à
quo blandè purgata eſt cum felici ſucceſſu nunquam enim
amplius lateris dolorem ſenſit, neque vigilijs afflicta eſt,
ſed tantum febricula quadam, veſpertinis horis apparente.
Poſtmodum lenibus aliquot remedijs vſurpatis, integram
valetudinem adepta eſt.

OBSERVATIO XIX.

Panaricium.

VXor Domini Sarræi in curia Computorum & Subſidio-
rum Conſiliarij, Panaritio laborans à quatuor diebus,
immiſit digitum, in aurem felis, & intra horæ quadrantem
curata eſt.Sentiebat per interualla calorem humeros,& bra-
chium inuadentem, ac ſenſim deſcendẽtem, cum grauiſſimo
extremi digiti dolore,qui calor poſtmodum euaneſcebat, &
paulò poſt denuò inuadebat cum ſimili dolore.Felis verò ex
dolore auris ſeſe violenter commouebat,vt à duobus homini-
bus ægre contineretur.Hinc colligere licet in capite felis eſſe
vim quandam magneticam, Panaritij qualitatibus familia-
rem, cuius beneficio venenum, in tumore illo latens, ad ſe
trahat.

OBSERVATIO XX.

Febris Tertiana.

Die 27.Octobris anni 1646.vocatus ad oppidum,Aimar-
gues dictum, vt inuiſerem vxorem Dom. Columbi
Computorum Auditoris, annos 22. natam, quæ laborabat
duplici Tertiana, à ſeptem diebus. Secta fuerat vena ſe-
mel, & nihil aliud præſtitum. Octaua die iterata venæ
ſectio ex brachio ſiniſtro, quia lien tenſus, & humidus
apparebat. Nona ſumpſit infuſum Sennæ cum Dr.ß. ſalis
Tartari; eadem die febrile Crollij ante acceſſionem. De-
cima febrile iteratum, & acceſſio non rediit.

OBSERVATIO XXI.

Cordis palpitatio, & pulſus inequalitas.

DOminus de Becheran in Curia Computorum ſubſidio-
rum, & Fiſci Regij Conſiliarius principio menſis No-
uemb. anni 1646. ad me venit, & de palpitatione cordis ali-
quot diebus ipſum infeſtante conqueſtus eſt. Pulſum illius
contrectans,illum inæqualem inuenio omni genere inæqua-
litatis,ita vt ſtatim mihi in memoriam reuocauerit hiſtoriam
illam Antipatri Medici apud Galenum, quem ipſe cenſuit
habere obſtructiones in leuibus arterijs, vel crudũ tubercu-
lum. Nulla erat tunc temporis reſpirandi difficultas,& æger
munia conſueta obibat, quotidie ad Curiam ſe conferẽs, ne-
que vlla remedia niſi diebus feſtis vſurpare volebat.Præſcri-
pſi ſtatim venæ ſectionem iteratam, ac poſtmodum purga-
tionem, à quibus meliuſculè habuit. Poſt 10.vel 12. dies ite-
rum conqueſtus eſt de eodem affectu,varia præſcripſi reme-
dia attenuantia,& incidentia, citra calefactionem, quibus ta-
men non vſus eſt,variis diſtrictus negotijs. Tandem princi-
pio menſis Decembris decubuit cum difficultate ſpirandi la-
borare inciperet, & tibiæ inflatæ apparerent; tum temporis
remedia prædicta vſurpauit cum iterata Phlebotomia, quæ
cum per 12. dies continuata nihil operis attuliſſent, ſed ma-
lum perpetuò in peius rueret, conuocatum eſt conſiliũ alio-
rum Medicorum,quorum ſententia fuit,eſſe affectum ſimilẽ
illi,qui recenſetur à Gal.4. de loc.affect. cap. 8. de Antipatro
Medico, & ita incidentibus, atque attenuantibus remedijs
eſſe oppugnandum. Variæ remediorum formulæ in hunc finẽ
præſcriptæ,quas recenſere foret ſuperfluum,quia nihil pro-
fuere, ſed æger perpetuò in peius ruebat, ſumma ſpirandi
difficultate laborabat, & pulſus nullus apparebat in Carpo,
admota tamen manu ſupra regionem cordis, palpitatio ſen-
tiebatur frequentiſſima debiliſſima & inæqualiſſima : aucta
etiam erat tibiarum inflatio, vt iam etiam crura inuaderet.
Remedia præſcripta fuere prioribus ſimilia, quibus addita
ſunt cardiaca interna,& externa. Biduo poſt æger ad extrema
redactus videbatur : ſuffocatio ingẽs aderat,& pulſus in bra-
chio nullo modo,in corde vix percipiebatur.Eadẽ die mori-
turus putabatur cucurbitulam apponi iubeo regioni cordis
cum ſcarificatione,cuius beneficio Zacutus Luſitan.obſ.133.
lib.1. praxis admirandæ ſequendam ægrotũ à deſperata cor-
dis palpitatione liberaſſe teſtatur. Meliuſculè habuit,& no-
cte inſequente cœpit excernere per ſputum ſanguinem niger-
rimum craſſum & glomeratum, cum tuſſi moleſta vnde le-
uior reſpiratio fieri cœpit. Ad expectorationem iuuandam
vtebatur frequenter ſyrupo de Tuſſilagine,cum quarta parte
oxymelitis ſimplicis,& iuſculum galli veteris cum pectorali-
bus ſemel,aut bis quotidie exhibebatur.Hiſce remedijs, per
quatriduum continuatis, æger in eodem ſtatu permanebat,
ſanguinem continuò nigrum,& craſſum excernens. Quinta
die à ſanguinis ſputo,quę erat quarto Ianuarij,anni 1647.ex-
hibui Elixir proprietatis ad guttas xij. cũ tantillo vini gene-
roſi, à quo leuamen percepit æger, & tota nocte facilior fuit
anacatharſis.Die ſexta iteratum eſt Elixir,tum etiam iuſculũ
galli veteris:verùm inde non meliùs habuit; ſed aucta in dies
ſpirandi difficultate,& ſanguinis ſputo etiam plurimum au-
cto,die octaua,veſpertinis horis interijt. Aperto cadauere in-
uentus fuit cordis ventriculus vterque ſanguine concreto,re-
pletus, ac diſtentus,tum etiam totus pulmo ſanguine multo
refertus viſus eſt; vnde caloris natiui ſuffocatio in vtraq; par-
te contigit. Paucis ante obitum diebus cauſa huius morbi
procatarctica relata eſt,quam æger nunquam retulerat; ter-
ror ſcilicet inſignis, quo ille grauiter affectus fuerat, dum
Arelate Monſpelium petens,ſupra Rhodanum cum familia
ſua in naufragij periculo verſatus eſt.Hinc conijcere licuit à
terrore ſãguinem retractũ fuiſſe magna copia ad cor,vt ab eo
regi nõ potuerit;ſed in eius ventriculis concreuerit ac dein-
de cor onus graue excutere cõtinuò tentans,motus illos pal-
pitantes,tremulos, & inæquales ediderit. Tum ſanguis per
venam cauam iugiter aſcendens,liberum aditum ad cor non
inueniens,ad pulmonem refluxit,eumque impleuit.Præterea

in ſini-

in sinistro cordis vẽtriculo inuentæ sunt caruncule rotundę, substantiam pulmonis emulantes, quarum maior ad auellanę molem accedebat, & arterię aortæ ostium præcludebat, vnde pulsationis defectum in arterijs contigisse existimo. Illas autem caruncolas genitas fuisse puto à sanguine redundante quem calor insignis ventriculi sinistri excoxerat, & in huiusmodi substantiam commutauerat. Caruncula similis, & multò maior ante octiduum inuenta fuit in dextro cordis ventriculo cuiusdam militis, qui in Theatro Anatomico dissectus fuit, postquam ab alio milite occisus fuisset. Illa tamen antea bona fruebatur valetudine, quia caro illa parietibus vẽtriculi ex parte adhęrebat. Ideo venarum orificia non occludebat. Ex prædictis patet sanguinem aliquando in cauitatem aliquam effusum in huiusmodi caruncolas conuerti, à calore concoquente: quod multis alijs exemplis confirmare possumus. Hoc saltem erit instar omnium, tanquam notissimum, quod plurimæ mulieres, præcipuè steriles, dum patiuntur purgationes menstruas, caruncolas exiguas cum sanguine menstruo frequenter excernere consueuerunt. Quod quidem in calidiori temperamento præditis magis contingit, quia à calore vteri excedente exiguæ sanguinis portiunculæ excoquuntur, & in eiusmodi caruncolas commutantur.

OBSERVATIO XXII.

Lues venerea inueterata.

QVidã aulicus Monspelium venit, pro Curatione luis venereæ, qua à xvj. annis laborabat, cum exostosibus in vtraque tibia, è quibus dolores insignes patiebatur, vt noctes insomnes transigeret. A me curatus est perfectè intrà mensem instituta venæ sectione vtriusque brachij, purgatione per apozemata, & diæta sudorifica ex decocto Guaiaci, & Antimonij per 20. dies continuata bis in die. Sudores autem eliciebantur cum vapore spiritus vini. Quinto quoque die exhibebam antiuenerei dosim exostoses verò sublatæ sunt vesicatorijs, ijsque bis, aut ter iteratis, cum fluere desinebant, & exsiccata erant.

OBSERVATIO XXIII.

Rara Hæmitritæi species.

IOannes Gerardus Ciuis Sommedrienſis febre continua pituitosa laborabat, mense Februario anni 1647. Cui hoc notatu dignum contigit. Die 28. morbi, febri continuæ accesserunt Paroxysmi febris Tertianæ, à rigore insigni incipientes, qui bis in die recurebant, & febre intensa ad multas horas perseuerante, leui sudore terminabantur, manente perpetuò febre continua; ita vt hæc febris dicenda videatur species hęmitritęi, ex Quotidiana continua & Tertiana intermittente quadruplici. Si enim duplex Tertiana dicitur, quæ semel recurrit singulis diebus, rationi consentaneum est, eam quæ bis in die inuadit, quadruplicem nominari. Triplicem alias notaui tertianam, quæ intra duos dies recurrit, nempe post singulas sexdecim horas.

OBSERVATIO XXIV.

Tonsillarum, faucium, & linguę inflammatio.

IN fine mensis Februarij anni 1647. vxor Domini d'Aumelas, Quæstoris Franciæ Generalis, correpta est prædicto affectu, quo deglutiendi, & loquendi facultas adempta est. Post quatuor Phlebotomias, perseuerante malo, & lingua multis vlcusculis infecta cùm iudicarem hunc morbũ à fluxione serosæ materiæ acerrimæ exoriri, & purgationem esse necessariam, ęgra autem medicamentum sumere non posset cùm vix iuscula paulatim sorbillaret, exhibui. Refinæ ialapæ gr. 6. in ouo sorbili, cuius remedij opera blandè, & copiosè purgata est, & postridie libere loqui, & comedere cœpit.

OBSERVATIO XXV.

Febris tertiana duplex.

MEnse Iulio anni 1647. Dominus de Rouanel in Ecclesia Cathedriali Archidiaconus maior, 30. annos natus, laborauit febre tertiana duplici, cuius accessiones erant grauissimæ, & longissimæ, magis inquietudinis comitatæ, cum insigni capitis dolore, etiam extra accessiones perseuerante. Vrinæ erant rubicundissimæ. Post celebratam bis Phlebotomiam, & leue medicamentum purgans exhibitum, sumpsit hora vna ante accessionem potionem, ex salis absynt. ℥.ß. spiritus sulph. ℈.j. aquæ cichor. Vnc 3. eodẽ tempore admodum est capiti emplastrum Strobelbergeri, & accessio non apparuit, neque deinceps, quamuis vrinæ rubræ, & alia symptomata ostenderent, morbum adhuc esse in vigore diebus consequentibus per leuem alui fluxum materiam morbifica expurgata est ad capitis dolorem maximè profuit cucurbita recens, contusa, plantis pedum admota, instar cataplasmatis, & frequenter iterata.

OBSERVATIO XXVI.

Vomitus sanguinis ab hausta in potu birudine.

QVidam rusticus vomitu sanguinis laborabat, qui nullis remedijs per multos dies vsurpatis sedari potuerat. Medicus cupiens sanguinem in ventriculo collectũ educere per vomitum, qui grauiter ægrotantem infestabat & oppressionem insignem in ea parte efficiebat, præscripsit olei amygd. dulc. ℥.ß. quibus vomitus excitatus est, vomuitque sanguinem concretum, simulque hirudinem vnam, sese in terra commouentem. Hæc erat causa ignota, & rara sanguinis vomitus. Retulit postea æger, se in riuulo aquam bibisse, cum qua simul hirudinem hauserat.

OBSERVATIO XXVII.

Alui fluxus diuturnus, cum febre lenta.

FIlia Domini de la Coste Piscenensis, octauum ætatis annum gens, laborabat à tribus mensibus alui fluxu biliosо, cum febre continua, & lenta, ita vt in magno vitę periculo versari videretur, propterea, quod illius frater in eadem ætate à simili morbo extinctus fuerat. Ad eam vocatus, sequentia præscripsi remedia.

℞. Fol. plantag. M.ß. tamarind. ʒ.ʒ. coquantur ad ℥.iv. in colatura infunde rhabarb. elect. ʒ.j. santali citrin. ℈.j. colentur iterum, & adde syrupi de absynth. Pontico Vnc. ß. rhabarb. puluerati ℈. j. fiat potio, quam capiat manè cum regimine.

℞. Tincturæ corallor. cum succo limonum recenter paratæ ℔.j. capiat Vnc.j.ß. manè, cùm pauco saccharo rosaceo, per octo dies.

Post vsum tincturæ corallor. reiteretur potio laxans prædicta.

℞. Rad. gramin. Asparag. brusc. & cort. mediani tamarisci an. Unc. ß. fol. agrim. pimpinel. cetcrach. capillor. ven. an. M.ß. rasuræ eboris, & santali citrin. an. ʒ. j. coquantur ad Vnc. j. colaturæ adde syrupi capillor. ven. Unc. j. ß. fiat iulep. pro tribus dosibus matutinis, addendo vnicuiq; dosi salis absinthij, & tamarisci an. ℈.ß. hisque finitis reiterentur pro totidem dosibus. Vtatur pro potu ordinario aqua infusionis chalybis, & rhab. in nodulo.

℞. Olei de capparib. & tamarisci an. ʒ. 2. illinatur totus venter calidè, manè & serò.

℞. Olei nuc. moschatæ ʒ.ß. balsami peruuiani ʒ.2. misce, illinatur regio stomachi, calidè, dictis temporibus.

℞. Rasuræ eboris, & margarit. præpar. an. ʒ.2. salis absynth. & tamarisc. an. ʒ.j. fiat puluis; de quo capiat ℈.ß. cum iusculis, & panatellis.

Hisce remedijs intrà mensem conualuit. Et quum post annum in eundem affectum incidisset, iteratis ijsdem remedijs, liberata est, & ab eo tempore optima fruitur valetudine.

OBSERVATIO XXVIII.

Coma, seu subeth puerorum.

DIe 18. mensis Septemb. anni 1647. filius Domini Ducos in Curia Computorum auditoris, quinque annos natus, crassus & obesus, incidit subitò in comatosum affectum, cui conuulsiones interdum superueniebant. Vocatus, statim præscribo clysterem, ex hiera, diaphœnicone, & aqua benedicta, quo multum purgatus est. Reiecto clystere, exhibeo salis vitrioli ʒ.ß. & prouocato cum pennа vomitu, multam pituitam excreuit, ac paucis post horis liberatus est.

O B-

OBSERVATIO XXIX.

Lues venerea antiqua.

VIr quadragenarius, ex superiori Occitania ad nos venit, pro curatione suis venereæ, qua à 12. annis laborabat. Tres insignes exostoses habebat in capite à multis annis, & tumorem schirrhosum in teste sinistro, pugni magnitudinem æquantem. Pluries tractatus fuerat per diætas sudorificas, & hydrargyrosim, sine successu. Principio mensis Octobris anni 1647. vsus est per 20. dies decocto chynæ, & salsaparillæ cum primario, tum secundinario, sine sudore & quinto quoque die pilulas antiuenereas sumebat. Postmodum per 15. dies sumpsit decoctum ad luem inueteratam, ex china, salsaparilla, putaminibus nucum, & antimonio compositum: intrà illud spatium exostoses discussæ sunt emplastro vesicante tumor verò testiculi suffiti aceti, & emplastro de sulphure.

OBSERVATIO XXX.

Febris quartana.

VXor Domini le Thaneur artis scribendi Magistri, 30. annos nata, febre quartana duplici laborans à tribus mensibus, sumpsit die intermissionis, quæ erat 15. Decembris anni 1647. febrifugi grana xx. ter blandè purgata est; & accessiones consequentes prioribus similes rediere. Altera die intermissionis sumpsit febrifugi gran. xxv. & nullus effectus sensibilis apparuit, nullaque euacuatio subsequuta est, & accessiones subsequenter per exiguæ, ac ferè nullæ apparuerunt, & breui postmodum omninò conualuit.

OBSERVATIO XXXI.

Dolor dentium.

DIe 30. Decembris anni 1647. grauissimo dentium dolore afflictus sum, qui cùm circam mediam nocte intolerabilis euasisset; frustulum tabaci ore assumpsi, & diu leuiter masticaui, donec vomitus excitatus est, quo omnia alimenta in cœna assumpta reiecta sunt, & cum ijs multa pituita, dolor verò intrà duas horas euanuit.

OBSERVATIO XXXII.

Hydrops.

JLlustrissimus Archiepiscopus Abredunensis, annos natus 58. hydrope ascite laborans, me vocauit circa medium mensis Aprilis, anni 1648. Præter tumorē ventris insignem, & tibias valdè inflatas, duobus grauibus symptomatis affligebatur: nempe siti inextinguibili, & difficultate spirandi quam inquietudines nocturnæ comitabantur. Purgatus fuit pluries Mercurio vitæ, correcto cum spiritu Salis, quo serosi humores euacuati sunt, & ablata spirandi difficultas; bitis spiritu salis sublata est, cuius guttas xx. sumebat manè cum iusculo, & vesperi cum aqua potabili. Omnia symptomata cessarunt, & venter detumuit, quia verò propter ætatem, & viscerum imbecillitatem nouus aquarum prouentus sensim cumulabatur, ad impediendam recidiuam purgatus fuit bis in mense, prædicto remedio, & sumpsit quotidie tabellas ex confectione alkermes cum bezoartico minerali. Hoc modo vixit per triennium cum minori incommodo, & sine hydropis reeursu; donec tandem, viribus deficientibus, ferè sine morbo conspicuo extinctus est.

OBSERVATIO XXXIII.

Febris tertiana duplex.

DIe 15. Septembris anni 1648. vocatus sum ad Illustrissimum Episcopum Agathensem febre tertiana laborantem. Illa autem primò simplex fuerat per octo accessiones mox in duplicem conuersa est, illiusque accessione quatuor medicamentum purgans bis exhibitum: sudoribus multis defluebat, etiam extra, accessiones, ita vt vix per horam dimidiam dormire posset, quin mutanda essent indusia. Urinę, rubræ, & crudę apparebant, ita vt metus esset longitudinis morbi. Die 16. per horam ante accessionem, exhibeo decoctum camomillæ, & crystalli tartari, simulque sanguinem detrahi iubeo ad ℥. viij. ea die accessio non redijt. Die 18. exhibeo Mercurij vitæ correcti gr. iij. blandè purgatus est; nihilominus accessio tertianę simplicis quæ decima septima etiam prodierat, 19. redijt. Die 20. iterata est Phlebotomia, cum adhuc vrinæ rubræ apparerent. Die 21. ante accessionem, exhibitum est febrile Crolli, quæ tamen accessio præcedentibus similis fuit. Die 22. quæ erat vacua ab accessione, exhibitus est bolus ex cassiæ ℥ ß. pulueris ialapæ ℥ ß. & febrifugi granis x. copiosè purgatus est per aluum, & semel per vomitum. Accessio sequenti die non redit. Die 24. exhibitum est infusum Sennæ cum sale tartari, ac spiritu sulphuris quo multa biliosa, & pituitosa purgata sunt. Sequenti die etiam accessio non redit, ita vt postridie discesserim: monui tamen periculum esse recidiuæ, quia vrinæ parùm videbantur coctæ; ideò præcepi, vt infusum sennæ iteraretur per triduum vel consequens, vel alternum, vt omnes morbi reliquiæ exturbarentur. Eadem die, qua ego discessi, accessio redijt, & triduo perseuerauit. Postmodum verò iusculis aperientibus vsurpatis, quæ ego ante discessum præscripseram, omninò conualuit.

OBSERVATIO XXXIV.

Aneurisma.

DOm. Pelet, Ciuis Monspeliensis quinquagenarius, atrabilario temperamento præditus, cum grauissimis curis afflictus esset, post multa symptomata, melancholiam hypochondriacam attestantia, passus est tumorem sub clauicula dextra eminentem, & oui dimidij magnitudinem æquantem, mollem, & reliquæ cuti colorem, in quo pulsatio insignis apparebat. Iudicatum fuit, esse aneurisma insanabile: eo defuncto inuenta est arteria magna ascendens à corde ad clauiculam ita declarata, vt brachij fere magnitudinem æquaret, & ouum gallinaceum in cauitatem suam facilè admittere posset. Præterea tunica illius admodum densa, & cartilaginea euaserat; quod admirabilem naturæ prouidentiam notat, quæ tunicæ maximè delatatæ ruptionem euitare contendens, eam densionem, ac duriorem effecerat. Sic vidi aliquando renem viginti duobus calculis refertum, in magnitudinem altero rene quadruplo maiorem excreuisse, quasi naturam enim amplificare voluisset, vt calculos cùm minori incommodo continere posset.

OBSERVATIO XXXV.

Febris quartana.

IOannes Verchandus Aromatarius, febre quartana satis diuturna laborans, quæ multis adhibitis remedijs non cesserat, miscuit cum Ptisanæ potus ordinarij cyathis tribus mixtionem ex Ambra, & moscho, quam pro conficiendis muscardinis parauerat, saccharo addito, in qua erant vtriusque grana viij. & in calore accessionis ptisanam sumpsit in tres dosses, singulis vicibus agitando, ne pulvis in fundo remaneret, vnde copiosissimi sudores obortì sunt, qui moschum redolebant, & ille perfectè curatus.

OBSERVATIO XXXVI.

Febris tertiana maligna.

NObilis Matrona, vxor Domini de Sumenes, febre tertiana duplici laborans, in paroxysmis graues lipothymias patiebatur, vt vererentur adstantes, ne ipsa omninò deficeret, quæ intensam morbi malignitate testabantur. Vocatus ad eam exhibui bis in die iulep cardiaco, Bezoartici ioualis gr. viij. & Bezoarticis mineralis ℈j in singulis iusculis. Intra biduum cessarunt omninò lipothymiæ, & paroxysmi sine graui aliquo symptomate transacti sunt, pauciſque diebus remedijs ordinarijs ægra à morbo liberata est.

OBSERVATIO XXXVII.

Hydrops in puero.

FIlius Guilielmi Delbosc. Ciuis Monspelienſis, biennis, hydrope ascite laborabat à quatuor mensibus, cui se-

quen-

quentia remedia præſcripſi.

℞. Rhabarb. puluer. ʒ. j. capiat manè cum iuſculo, ſemel in ſeptimana.

℞. Rad. aſpar. bruſ. & enulæ camp. an. ʒ. j. agrimon. cichor. ceterach. capillor. ven. chamedr. centaur. min. & abſinth. vtriuſq; an. M. j. coquantur ad ℔. j. in colatura diſſolue ſacchar. albi ℔. j. ℔. Fiat ſyrupus perfectè coctus, de quo capiat ʒ. j. alternis diebus, manè, per horam, ante poſt lactationem.

℞. Tabellar. triaſantal. quadruplicato Rheo ʒ. 2. capiat ʒ. 1. manè alternis diebus, vacuis ab vſu ſyrupi.

℞. Rhabarb. puluer. in nodulo incluſi ϑ. j. aquę font. ℔. i. ſ. infūdatur frigidè ſimul, & aqua vtatur pro potu ordinario.

℞. Paſſul. mundat. ℔. 3. bulliant in vino albo ad putrilaginem, deinde per ſetaceum traijciantur, ac poſtmodum recoquatur ad opiatæ conſiſtentiam; vtatur omni hora per ſe, vel cum pane, ad libitum.

Hiſce remedijs per duos menſes continuatis, ad integram valetudinem perductus.

OBSERVATIO XXXVIII.

Epilepſia.

PUella 12. annorum epilepſia frequenter corripiebatur, ad cuius curationem multa remedia fruſtrà tentata fuerant. Cum autem pleuritide correpta fuiſſet, pluries ei ſecta fuit vena, & ab eo tempore epilepſia nunquam correpta eſt. Inde colligere licet venæ ſectionem ad epilepſiæ curationem plurimum conferre.

OBSERVATIO XXXIX.

Febris maligna.

ILluſtriſſimus Epiſcopus Uzerienſis, febre maligniſſimæ laborans, quæ ex continua & intermittente complicata erat, ad hæmitritæi naturam accedens. Die vndecima morbi adeò grauem paroxyſmum paſſus eſt, vt de ita ipſius maximè dubitaremus. Symptomatibus ingraueſcentibus, duabus aut tribus horis à principio inuaſionis, ipſi exhibui aquę theriacalis noſtræ, ex ſucci limonum, alijſque paratæ, in tractatu noſtro de febribus deſcriptæ, capite de febribus malignis ʒ. j. ſ. cum aqua cardui benedicti Unc. 3. & intrà horæ quadrantem omnia ſymptoma ceſſarunt, æger ſomno correptus, ab eoque poſt tres horas expergefactus, febris immunis fuit, quæ non amplius deinceps rediit.

OBSERVATIO XL.

Febris tertiana:

FIlius Domini de Boirargos natu maior duplicitertiana laborans à 20. diebus, ſumpſit per horam ante tempus acceſſionis aquæ noſtræ theriacalis ʒ. j. cum aqua cardui benedicti Vnc. 2. & acceſſio non apparuit amplius.

OBSERVATIO XLI.

Febris quartana, ſcabies, & maraſmus.

RAymundus Michael Ciuis Frontinianenſi, annos natus 66. febre quartana laborans, poſt multa remedia tandem curatus eſt, media hyeme, ſumpto per 16. dies Mercurio diaphoretico ad gr. 6. à quo nullam ſentiebat operationem ſenſibilem, ſed acceſſiones in dies minuebantur, vt ferè omninò euanuerint. Integra tamen ſolutio febrifugo ſemel exhibito in parua doſi comparata eſt. Superfuit vero ſumma macies, quę illum ad Maraſmum ferè perduxerat, cū ſcabie ſicca valdè pruriginoſa, totum corpus occupante. Præſcripſi vſum lactis aſinini per 40. dies, & balneū integrū per triduū & ſemicupium per 20. dies, & inunctionem ab vſu ſemicupij cum vnguento ſcabiei appropriato, & integræ curatus eſt.

OBSERVATIO XLII.

Rheumatiſmus.

LVdouicus Michael Frontinianenſis, annos natus 25. menſe Septembr. anni 1649. incidit in Rheumatiſmum, à quo omnes totius ferè corporis articuli grauibus doloribus afficiebantur; iiſque vagis, ita vt nunc vnam, nunc aliam partem inuaderent. Licet autem Chronicus vt plurimum eſſe ſoleat hic affectus, & ad plures menſes vt perſeuerans, attamen intrà 15. dies ſublatus fuit, ſeptem venæ ſectionibus, in principio celebratis, & aqua papaueris Rhœados, manè, & ſerò exhibita. Remittentes verò dolore, purgatus fuit ter puluere arthritico, alternis diebus.

OBSERVATIO XLIII.

Phthiſis.

PUella Phthiſica, & ad extremam maciem perducta ex conſilio Medici ſolis paſſulis, victauit, cum pane cometis, & pro potu vtebantur decocto hordei, & liquiritiæ, ſicque intra octo menſes reſtituta eſt, & optimè, ac probè impinguata.

OBSERVATIO XLVI.

Hydrops.

PVella octo annos nata, hydrope laborans, vſa eſt conſerua ex paſſulis, in omni paſtu. Intra duos menſes liberata eſt. Illa autem conſerua fiebat ex paſſulis in vino albo decoctis ad putrilaginem, & per ſetaceum traiectis, iterumque recoctis ad opiatæ conſiſtentiam.

OBSERVATIO XLVI.

Vrinę ſuppreſſio.

VIr quidam vrinæ ſuppreſſionem paſſus per 11. dies, hac methodo curatus eſt. Sumebat quotidie ptiſanam laxantem, factam in decocto parietarię, qua humores ſeroſi attrahebantur, vt in veſicam confluerent. Semicupium etiam frequenter vſurpabatur. Poſt quatuor purgationes ſumebat circa veſperam olei Scorpionum Matthioli ʒ j. vel ij. cum eodem decocto. Hoc etiam obſeruatione dignum, quod poſt abſoluram curationem tota facies cruſta obducta ſit, quæ intra dies 15. exſiccata dedicit. Vnde coniicere licuit, virulentam quandam materiam, in corpore latentem, olei Scorpionum vi fuiſſe ad faciem propulſam. Ea fortè illud oleum Elephantricis plurimùm conferret.

OBSERVATIO XLVI.

Vomitus ad choleram morbum accedens.

MVlier quædam vomitu ingenti, choleram morbum referente laborans, curata fuit in momento hauſto aqua cyatho, ſpiritu vitrioli ſatis inſignē aciditatem adepto.

OBSERVATIO XLVII.

Lypothymia & alia ſymptomata ex vtero.

ALia mulier grauida ſymptomata ex vtero patiens, eodem ſpiritu aquæ mixto ſanata eſt.

OBSERVATIO XLVIII.

Hydrops ſpurius.

VIr quidam abdomen impensè tumidum habebat, vt hydropicus ab omnibus putaretur. Tandem poſt exhibitum medicamentum excreuit veſicas numero ſeptem, oblongas inſtar farciminum (quæ vulgò Boudinis nominantur) eiuſdem craſſitiei, & vnius palmi longitudinem æquantes, quæ humore fœtido repletæ erant, iiſque excretis, omninò liberatus eſt.

OBSERVATIO XLIX.

Colica biliosa.

PHarmacopæus Claromontanus, qui Michael nominatur annos circiter 40. natus, retulit mihi, ſe per multos annos colico dolore vexatum, nullum aliud remedium inueniſſe, præ-

præter hydropisiam, & quamdiu in ea perseueraret prorsus incolumem permanere, & quoties verò ad vini vsum redire voluerit, intra me biduum eodem affectu correptũ esse. Cùm autem à me huius euentus causam postularet, respondi, non à bile simpliciter colicum dolorem in eo excitari, sed maiori parte ab humore melancholico, humori bilioso permixto, cum ille temperamento melancholico à prædominio præditus sit. Cùm autem melancholia iugiter à liene in ventriculum effundatur, aciditate sua vinum assumptum inficit, & ita vnum confestim in ventriculum accrescit, ac morbi causam auget. Si verò bilioſus humor morbi causa existeret, ab aquæ potu quidem corrigeretur, sed vini vsus tam citò affectum non suscitaret, quia vinum bilis qualitates tam promptè non induit, sicut melancholiæ, quatenus facilè accrescit, non autem amarescit. Coniecturam meam auget, quod dictus Pharmacopæus, cum paroxysmo colicæ corripitur, acida per vomitum reijcit, non autem amara.

OBSERVATIO L.

Gangræna.

MUlier quædam pauperrima, ex fractura tibiæ insigni, cum graui vlcere, incidit in gangrænam, quæ totum vulnus ambiebat, & in horas increscebat, partesque vicinas inuadebat. Chirurgus meo consilio partem fouit continuò per biduum aceto, in quo scoria ferri (vulgò Marcheser) bullierat, & cohibita est gangræna, tum è vulnere exire cœpit pus satis laudabile, illudque postea ordinaria methodo curatum est.

OBSERVATIO LI.

Dolor in genu ex contusione.

JOannes Cauallier, famulus meus, circà meridiem accepit ictum in genu, ex globo ligneo quo luditur malleo. Ambulauit citra dolorem vsque ad horam quartam vespertinam, quo tempore dolor, totum genu occupans, adeò grauis inuasit, vt nullo modo ambulare potuerit. Statim partem oblinirt iubeo olei ceræ, & spiritus vini partibus æqualibus, admotis linteis calidis: hora somni repetitur inunctio, & iterum postridie mane, intraque 24 horas liberatur.

OBSERVATIO LII.

Tumor in genu contumax, & diuturnus.

DOminus Monts Tabellio Regius, per trium mensium spatium passus est tumorem in genu tàm contumacem, vt omnium remediorum vim deluserit. Mollis erat sæpè, vt ad suppurationem veniſſe crederetur, & Chirurgi aperuissent, nisi ego obstitissem. Post multa remedia sequens Emplastrum profuit plurimum.

℞. Massæ emplastr. diapalma ℥.j. Mercur. crudi cum sulphure extincti, & vitrioli Romani an. ℥.ij. terebinthinæ parum, F. emplastrum.

Manebat tamen adhuc tumor, quamuis valdè imminutus: denique sequens emplastrum curationem absoluit.

℞. Gũmi Ammoniac. & Sagapen. in aceto dissolut. & denuò inspiss. an. ℥.ij. emplastri diachylon. cum gummi ℥.j. ℈. liquefiant omnia simul, deinde adde cinnabaris, & æris vsti ana ℥.j. auri pigmenti, & viridis æris ana ℥.ij. fiat massa.

OBSERVATIO LIII.

Cholera Morbus.

PEtrus Manuel, Mercator Monspelienſis, septuagenarius, graui cholera morbo corruptus, quatuor præcipuè remedijs intra septem dies liberatus est, clystere ex lacte, confectione de hyacintho, conserua rosarum, & vitellis ouorum; foru ventriculi adstringente & roborante, cum sacculis, in vino rubro maceratis, iulepo ex decocto plantaginis, & portulacæ, cum syrupo cydoniorum, & confectione de hyacintho, manè & sero exhibito, & laudano, cuius gran. j. singulis noctibus in iulepo dissoluebatur. Pro miraculo habita est hæc curatio, in tam prouecta ætate.

OBSERVATIO LIV.

Febris maligna.

DIe 9. mensis Augusti anni 1650. vocatus sum Balneolas pro Dn. Guerino mercatore Lugdunensi, qui ibi morbo correptus fuerat. Dies erat morbi 15. delirio continuo tenebatur, & conuulsionibus perpetuis, seu neruorũ contractionibus, & membrorum subsultibus, præterea omnia respuebat tum iuscula, tum reliqua potulenta, & in os ex cochleari iniecta expuebat omnia. Ego primùm iuscula deglutire cogo, nares obturando, & cochlear diu in ore continendo: Postmodum exhibeo Bezoarticum iouiale ad gr. xx. bis quotidie, & in singulis iusculis Bezoartici mineralis ℈.j. per biduum, cum iulepis alexipharmacis, Epithematis, & alijs remedijs vulgaribus. Præterea admota sunt vesicatoria cerui, & vtrique brachio, & intra triduum à febre, omnibusque symptomatis liberatus est.

OBSERVATIO LV.

Febris maligna.

DIe 14. Augusti, anni 1650. Dn. d'Almeras nauis bellicæ Præfectus, à septem diebus laborabat febre continua maligna, cum tanta virium deiectione, vt sese in lecto nullo modo commouere posset, neque in alterutrum latus conuertere. Omnia remedia ordinaria in vsum reuocabãtur sine vllo profectu, imò neque lapis Bezoarticus, quem se à nobili Hispano habuisse dicebat ex India delatum. Tandem die 12. morbi, cùm omnia in peius ruerent, & ægrum mihi commẽdatissimum in summo vitæ discrimine constitutum viderem; exhibeo ipsi hora 9. vespertina, aquæ theriacalis nostræ cum succo limonum paratę ℥.4. hora vndecima cũ iusculo exhibui Bezoartici iouialis gr. 12. & manè hora 4. idem Bezoarticum fuit iteratum. Horum remediorum fructus talis fuit, vt hipothymiæ, quæ pridie eum afflixerant, nõ ampliùs apparuerint: imò cùm antea alui fluxu laborans, quoties deijceret, maximum virium languorem perciperet, ea tamen nocte aluum copiosissimè deposuit, & in vires firmiores euaserunt. Præterea post tres horas ab assumpta aqua & puluere sese sponte in latus conuertit, & in eo decubuit, cùm antea per multos dies supinus, & immobilis iacuisset. Manè vrinæ melius concoctæ apparuerunt, & ab eo tempore æger quotidie meliùs habuit, ac breui à febre integrè liberatus est.

OBSERVATIO LVI.

Febris maligna.

DIe tertia Septembris, anni 1650. vocatus sum ad oppidum, quod Aique mortes nominatur, vt inuiserem clarissimam matronam, Dominam de Guy, sexagenariam, quæ febre maligna laborabat; ad Hemitritæi naturam accedente; erant enim accessiones singulis diebus recurrentes, quæ ad non desinebant, & cum ijs accedebat totius corporis refrigeratio per 12. aut 15. horas perseuerans, cum maximo virium languore. Præterea aderat summa virium deiectio ex continuo, & copioso alui fluxu, quo humores crudissimi grisco colore infecti excernebantur, & accedebat iste fluxus ad lienteriam, quoties enim iusculum, aut potum sumebat, statim pes aluum excernebat, sed copia quadruplo maiori illis, quæ assumebantur. Accessi nona morbi die, & remedia ordinaria sedulò ac continuò per biduum vsurpaui, quæ pro febre maligna, alui fluxu, & corroboratione virium vulgò præscribi solent. Cum illa nihil profuissent, & ægra in peius rueret, vt die vndecima morti proxima, ac veluti in agone constituta videretur, ad Bezoarticum iouiale, tanquam alexipharmacum eximium, & potens diaphoreticum confugiendum esse censui, illiusque grana 12. exhibui. Ab eo tempore non ampliùs deiecit, perfrigerationes non redierunt, & intra biduum febris expers fuit, ac postmodum breui conualuit.

OBSERVATIO LVII.

Fouea in mamma.

RArus est iste casus. Nobilis matrona annum agens 51. temperamento bilioso, & melancholico prædita, ante olecennium subito terrore correpta est, ex repentina infantis

ui morte, à nutrice incauta interfecti. Hinc mensium fluxus omninò suppressus, nec vnquam amplius ab eo tempore apparuit. Post duos annos exortus est in parte superiori mammæ sinistræ tumor subdurus, & oblongus, digiti crassitiem æquans. Paulò post apparuit in parte inferiori eiusdem mammæ tumor alius exiguus, & rotundus, qui intra paucos dies foueam effecit in eadem parte exiguam, & sine dolore, quæ fouea sensim incrementum sumpsit, vt intra biennium dimidiam fere mammæ totius partem ad interiora retraxerit, & in fundo illius cutis costis adhærere videretur. In ambitu verò illius fundi quædam percipitur durities, quæ compressa digitis doloris sensum inducit. Aliquando ægra in tota illa parte dolorem pungitiuum percipit, sed exiguum, & rarò euenientem. Præterea calore intenso, afficitur regione hepatis, & dextra thoracis parte.

Habito consilio sancitum fuit, hunc affectum ad cancri occulti naturam accedere. Cum enim maxima sit in humoris melancholici, & atrabilarij natura varietas, fit, vt ab illis humoribus variæ formæ eiusdem speciei morbi contingant. Vulgò humor melancholicus adustus, cancrum efficiens, crassus est, & tumorem durum producit, qui tandem putredinem, & acrimoniam acquirens, partem exulcerat, & vlcus insanabile producit. In hoc autem casu humor ille renuis est, ideò tumorem perexiguum effecit, sed præterea humor ille malignam quandam, ac dissoluentem qualitatem habet, qua partis substantiam colliquat, & absumit, quemadmodum videmus quædam salia, erodiendi, exulcerandi prædita, qualia sunt ea, ex quibus cauteria potentialia componuntur, quædam verò dissoluendi durissima corpora, ex quibus fiunt aquæ fortes, lapides, & metalla dissoluentes, imò acetum lapides dissoluit, cutem tamen non erodit. Sic in microcosmo generantur salia, similibus facultatibus prædita, quæ humoribus permixta admirandos affectus producunt. Ita in hoc casu humor, qui à natura in mammam, ceu partem mollem, & spongiosam expellitur, substantiam illius sensim dissoluit, & absumit, ita vt fouea illa maius in dies recipiat incrementum. Iudicatus fuit iste affectus incurabilis, eique tantum curam palliatiuam esse adhibendam, metuendumque, ne tandem pars vlceretur, introducta maiori acrimonia. Remedia præscripta fuerunt alterantia, vacuantia reuellantia, roborantia. Puta purgationis, & phlebotomiæ periodicæ, iusculæ alterantia, serum lactis, aqua minerales. Cauteria, opiata specifica, & similia. Topica verò lenientia humoris ferociam, & humectantia, & linimentum ex oleo rosac. succo plantag. & solani, cum mercurio crudo, vnguentum de ranis viridibus descriptum, capite de cancro: linimentum è butyro, & oleo violac. cum sale saturni, fotus ex aqua rosarum cum sale Saturni.

OBSERVATIO LVIII.

Hæmorrhoidum dolor.

VIr sexagenarius, melancholico, & atrabilario temperamento præditus, dolore hæmorrhoidum molesto conflictabatur, cum tumore, & inflammatione partis, qui multis remedijs non cesserat. Præscripsi fotum ex aqua rosar. in cuius Vnc. vj. salis Saturni Vnc. j. dissoluebatur, qui fotus pluries de die iterabatur. Postmodum verò cataplasma admotum est, ex cæpa alba, sub cineribus cocta, & cum butyro subacta, partibus æqualibus. Intra biduum inflammatio sedata est, & tumor magna ex parte resolutus.

OBSERVATIO LIX.

Conuulsione in puero.

DIe 27. Octobris anni 1650. dum essem Nemausi pro alio ægro, filius Domini de Marguerite in curia Præfidiali Nemausensi Consiliarij 10. annos natus, correptus est conuulsionibus Epilepticis sæuissimis, vt omnes corporis partes atrociter conuellerentur, & paroxysmi identidem recurrerent, nullaque propemodum adesset intermissio. In tanto periculo, & tam præcipiti affectu exhibeo salis vitrioli ℥. ß. in aqua betonicæ, dissolutam, qua vomitus illicò concitatus est, ægerque multam reiecit pituitam, statimque conuulsiones cohibitæ sunt. Attamen post aliquot horas redierunt, sed longè breuiores, ac leuiores, ideò purgatio instituta est diachartami Vnc. ß. syrup. rosac. Vnc. j. cum aqua betonicæ, eaque exhibita est sub vesperam, cum manè affectus eum corripuisset; per noctem benè purgatus est. Postea ei exhibitæ sunt olei succini, & spiritus vitrioli ana guttæ v. in aqua betonicæ. Remissiores fuere paroxysmi, sed nocte insequente aliquantulum frequentiores rediere. Postridie manè exhibetur potio ex aquis cardui benedict. & scord. ana Vnc. j. aquæ theriacalis Bauderonij Vnc. j. salis Card. benedict. ℈. j. confectionis alKermes dr. j. cuius beneficio conuulsiones omninò sublatæ sunt. Ne tamen iterùm succrescerent, bezoarticum iouuiale bis exhibitum est, octo horarum spatio, ad grana 12. & sic omnino liberatus est. Potio alexipharmaca, & bezoarticum iouuiale exhibita sunt, quia magna erat malignitatis suspicio in hoc morbo, propterea quod puer iste ante 15. dies angina laborauerat, quæ tunc temporis Nemausi erit epidemica, pueros præsertim affligens, eaque etiam nonnulli moriebantur. Vnde conijcere licuit, malignitatem, ex eo morbo relictam, quæ in pueri corpusculo per tempus prædictum latuerat, subito suscitatam fuisse, & conuulsiones illas excitasse.

OBSERVATIO LX.

Angina.

DIe 27. Octobris anni 1650. D. Cheison, Patronus Nemausensis, 30. annos natus, graui angina laborabat, à quinque diebus, quæ illi deglutionis libertatem omninò abstulerat, ita vt ne guttulam iusculi haurire posset, & à 24. horis nihil assumpserat, præter aquam, quæ faciliùs permeabat. Statim ipsi exhibere iubeo aquæ benedictæ Vnc. ij. cuius operationem abscessus in faucibus latens, qui totum œsophagi orificium obturabat disruptus est, & æger multum puris reiecit cum pituita, ac tantillo sanguinis. Postmodum verò iusculum assumpsit sine magna molestia, & paucis alijs adhibitis remedijs, omninò conualuit.

OBSERVATIO LXI.

Tertiana duplex.

DIe 29. mensis Nouembris anni 1650. dum essem Nemausi, vocatus sum ad Nobilem virum D. de Mirabel, apud Dominum Barnier Consiliarium Regium habitatem, qui febre tertiana duplici laborabat à 15. dieb. Huius temporis decursu bis sanguis detractus fuerat, & totidem purgationes celebratæ, multique iulepi exhibiti, refrigerantes, & aperientes. Nihilominus febris perseuerabat accessiones anticipabant, vrinæ erant crudæ, & subrubræ, tum æger sudores nocturnos patiebatur: quæ omnia morbi longitudinem minabantur, vt metus esset, in quartanam degeneraret. Ego igitur curationem aggrediens, ad Phlogosim internam auferendam, quæ ex vrinarum rubedine, & magno accessionis æstu innotescebat, iterum sanguinem detraho, qui cum valdè exustus, & corruptus appareret, postridie iterandum censui. Postmodum ad sanguinem depurandum & contemperandum, præscripsi iulepos ex radic. aperientibus temperatis, cum cichoraceis, & capillaribus ad triduum continuandos, quos sequebatur potio ex senna tamarindis, manna, & syrupo rosaceo, qua sufficienter purgatus est. Attamen accessiones æquè valide perseuerabant. Exhibeo igitur febrifugi grana xx. quibus septies purgatus est tantùm per inferiora, & adeò blande, vt passim profiteretur, se nunquam benignius sumpsisse medicamentum. Sumpsit autem hora tertia matutina, cùm accessio hora prima pomeridiana expectaretur, quæ ad quartam vespertinam retardata est, & multo leuior fuit. Sequenti die rediit accessio eadem hora, & priori consimilis. Exhibeo iterum febrifugum eadem dosi, & eodem modo purgatus est, neque accessio amplius reuersa est. Postridie medicamenti hæmorrhagiam narium passus est, qua sanguis ℔. j. excreuit, sine vlla virium iactura. Et hoc interdum obseruaui in febrifugo nostro, vt cum omnia, quæ naturam grauant, expellere conetur, sanguinem etiam superfluum per hæmorrhagiam foras propellat: quod in hoc nobili viro contigit, cui iuuenis erat, & sanguineus, ita vt adhuc, non obstantibus quatuor venæ sectionibus, sanguis superfluus in ipso redundaret. Sic perfectè curatus est, & ad pristinam valetudinem perductus.

OB-

OBSERVATIO LXII.

Febris quartana.

REuerendus Pater Dominicanus, nomine Auguſtinus, ab anno integro febre quartana laborabat, cui ſucceſſit icterus niger. Multis remedijs hunc morbum oppugnare tentauerat, ex variorum medicorum præſcripto; ſed fruſtrà. Erat enim temperamento valdè melancholico, & aduſto præditus præterea hypochondrium ſiniſtrum durum, ac renitens habebat. Præſcribo ipſi venę ſectionem, apozemata aperientia, & melanagoga ad quatuor dies, cum foribus hypochondriorum aperientibus, & emollientibus. Poſtmodum exhibui febrifugi grana xx. Febris inconcuſſa permanet. Poſt duas acceſſiones exhibui eiuſdem remedij grana xxv. & acceſſiones imminuræ ſunt. Poſt alias duas acceſſiones exhibui grana xxx. & febris illa contumax omninò fugata eſt.

OBSERVATIO LXIII.

Paronychia.

PRincipio menſis Martij, anni 1661. filia nata maior Domini Baronis d' Aumelaz, Quæſtoris Franciæ Generalis, Paronychiam patiebatur in indice manus ſiniſtræ, quæ ipſam vehementer affligerat per 4. dies, ita vt noctis inſomnes tranſigeret, cum dolore inſigni, tuſſi, vt digitum immitteret in aurem ſelis, & intra duas horas doloris expers fuit. Sentiebat per interualla attractionem digiti in cauitatem auris, ac ſubinde dolor totum brachium inuadebat vſque ad humerum, eo denique tempore ſelis vociferabatur, vt credibile ſit, eum dolore affici à veneno attracto. (Paronichia enim eſt tumor venenoſus:) tota manus intumuit, ac poſtmodum detumuit, excepto digito, qui tumefactus remanſit, & doloris expers. Sublato dolore digitus extractus eſt, & ſuppuratus apparuit, ac deinceps ſolo emplaſtro diapalma curatus.

OBSERVATIO LXIV.

Hæmorrhoidum fluxus immodicus.

MEnſe Aprili anni 1651. nobilis matrona, vxor Domini de Riuiac, in Curia Computorum, ſubſidiorum, & fiſci regij procuratoris generalis, quadragenaria, patiebatur hęmorrhoidum fluxum immodicum, à quo nullis remedijs à duobus medicis conſequenter per octo menſes præſcriptis, liberari potuerat, & ad ſummam cachexia, hydropem minitantem, perducta erat, cum maxima virium imbecillitate, vt vix progredi poſſet, & icterico faciei, ac totius corporis colore. Remedia ferre amplius non poterat, & à purgantibus medicamentis, quantum vis leuibus, ex dictorum medicorum præſcripto vſurpatis, fluxus irritabatur. In hac deſperatione ad me confugit, meam opem implorans. Ego verò ſtatim illi præſcribo ſequentem potionem per quatuor dies continuos vſurpandam.

℞. Tamarindor. ℥.ß. fol. plantag. M.j. myrobol. citrin. ℥.j. coquantur ad Vnc. 6. in colat. infunde rhab. electi ℥. j. ſpicæ nardi ℈.ß. expreſſione facta, diſſolue ſyrupi roſac. Vnc. j. rhab. pulu. ℈.j. fiat potio.

In prima exhibitione ſanguinis fluxus cohibitus eſt, licet quinquies deiecerit, & in cæteris doſibus idem euentus.

Deinde præſcripſi iulepos ex decocto radic. pentaphyl. & tormentill. fol. plantag. pimpinel. & mille fol. paratos, cum ſale prunellæ, & ſyrupo granator. per 12. dies, iterando purgationem quinto quoque die, & toto illo tempore fluxus hæmorrhoidum nunquam comparuit.

Quia verò affectus erat contumax, & valdè diuturnus, qui ſemel cohibitus, poſt aliquod tempus iterum reuertebatur; poſt dicta remedia præſcripſi ſalem martis, ad multos dies exhibendum à gran. 6. ad gran. 18. & potionis prædictæ exhibitionem quinto quoque die.

Per horum remediorum vſum, fluxus hęmorrhoidum non comparuit per quinque ſeptimanas, quibus elapſis, redijt fluxus ſatis moleſtus: copiam enim ſanguinis puriſſimi excernebat, quoties aluum deponeret. Sequenti die vocatus præſcripſi iterum potionem purgantem, à quater, aut quater decies, ſine vlla excretione ſanguinis.

Poſtridie potionis præſcribo balneum ex hordeo plant. polygono, ſummitat. rubri, & roſis rubris paratum, per biduum vſurpandum.

Poſtmodum iterata ſunt eadem remedia per menſem integrum, & in dies vires reficiebantur, & color faciei viuidus reddebatur: donec tandem integram valetudinem acquiſierit. Attamen circa finem prædicti menſis calorem ſentiebat in hypochondrijs, & inquietudines hora ſomni. Facile erat conijcere, hæc à ſanguine retento prouenire, qui antea per hæmorrhoides effluebat, & quem natura probè regere non poterat, prædicti euacuationibus aſſueta; præſertim cum purgationes menſtruæ ab aliquot annis defeciſſent: ideò ſanguinis miſſionem ex brachio præſcribo, cuius beneficio ſymptomata illa ſublata ſunt.

OBSERVATIO LXV.

Contuſio, inflammatio, & excoriatio clunium ex decubitu diuturno ſupra partem.

VXor Domini de Briſſac, febre continua laborans, cum catarrho moleſtiſſimo, in pulmonem decumbentem, vnde tuſſis ferè perpetua, quæ vehementiùs affligebat, quoties decumbere tentaret; ita vt diu noctuque in lecto ſedere cogeretur. Cum autem valdè macilenta eſſet, clunium extrema, quæ ad podicem accedunt, ex compreſſione diuturna, contuſionem, & excoriationem paſſa ſunt, quem ſequuta eſt inflammatio, rubedine obſcura prædita, ad liuiditatem declinante. Poſt quædam vnguenta, & emplaſtra per aliquot dies à Chirurgo fruſtra tentata, & malo ingraueſcente, res mihi exponitur; iubeo foueri partem aqua roſ. in qua ſal ſaturni diſſolutum fuerit, & intra 24. horas malum curatum eſt.

OBSERVATIO LXVI.

Febris maligna.

MEnſe Iulio anni 1651. D. Delere, ſalinarum procurator, incidit in febrem malignam, quæ ipſum ad conuulſiones, & delirium perduxit cum ſumma pulſus inæqualitate, vnde breui moriturus videbatur. Ex variis, quæ illi exhibita fuerunt, maximè profuit aqua theriacalis noſtra, in febris peſtilentis curatione deſcripta ad Vnc. 4. exhibita, cum bezoartici iouialis gr. 12. à quibus ſudor copioſus excitatus eſt, & æger veluti miraculo liberatus.

OBSERVATIO LXVII.

Situs ventriculi monſtruoſus.

FIlius D. Rat. Ciuis Monſpelienſis 24. annos natus temperamento melancholicus, febre tertiana diuturna, nunc ſimplici, nunc duplici, per totam ferè ætatem laborauerat. Menſe verò Septembri, licet à paroxyſmis febrilibus liberatus eſſet, non ſatis tamen proſpera valetudine fueretur; ab Empyrico quodam antimonium ſumpſit, fortè malè præparatum, à quo vehementiſſimi vomendi conatus excitati ſunt abſque vllo effectu; ita vt conatus ille irritus, continuò affligens, cum intra ſeptem, vel octo horas ad extrema redegerit, & circa veſperam de medio ſuſtulerit. Aperto cadauere, inuentus eſt ventriculus in parte thoracis dextra, varijs humoribus repletus; qui quidem ſitus præternaturalis effecit proculdubio, vt ſeſe ſufficienter dilatare, ac ſubuertere nequiuerit ad vomitum efficiendum, coſtarum ambitu oppreſſus. Hunc autem ſitum ab ortu contractum fuiſſe teſtatur pulmonis carentia in illa thoracis parte, cum vnicus illius lobus in ſiniſtra appareret. Mirum eſt, hunc iuuenem toto vitæ decurſu ſpirandi difficultate non fuiſſe valde oppreſſum, & omnes corporis functiones, ante morbum prædictum, commodè exercuiſſe; militiam enim exercuerat, & febres prædictas in bello contraxerat.

OBSERVATIO LXVIII.

Hydrops.

PVer bimulus, hydrope laborans, ſequentibus remedijs intra duos menſes perfectè curatus eſt.

℞. Rhab. pulu. 3. j. capiat manè cum iuſculo.

℞. Radic. aſparag. bruſci, & enulæ cāp. an. ℥. j. fol. agrim.

cichor.ceterac. capill. ven.chamædr. centaur. min. & abſinth.vtriuſque an.M.j.coquantur ad ℔.i. fiat ſyrupus perfectè coctus, de quo capiat ʒ.i. alternis diebus, per horam, longè à lactatione.

℞. Tabellarum triſantali quadruplicato rheo Vnc.4. capiat ʒ.i, alternis diebus, vacuis ab vſu ſyrupi.

℞. Rhab.electi, nodulo incluſi ♃.j. aquæ font. ℔.j. ß. infundantur frigidè ſimul, & hac aqua vtatur pro potu ordinario.

OBSERVATIO LXIX.

Alui fluxus cruentus.

D. Rouſier Medicinæ Doctor, & Medicus Uticenſis, quadragenarius, à quatuor menſibus patiebatur alui fluxum biliоſum, pituitoſum, & ſanguineũ, quo plus ſanguinis, quàm reliquorum humorum excernebat, ita vt ad ſummam maciem, ac veluti marcorem perductus eſſet. Cum multa remedia per totum illud tempus fruſtra tentaſſet; me tandem in cõſilium vocat cui exhibui auri horizontalis gr.12. quibus blandè purgatus eſt, & copiam bilis porraceæ, ac æruginoſæ excreuit ſine vllo ſanguine. Idem remedium bis iterandum præcipio tertio quoque die, & eadem ſequuta eſt operatio. Poſtmodum verò ab alui fluxu prorſus immunis fuit, & euchymis vtens alimentis ad priſtinam valetudinem perductus eſt.

OBSERVATIO LXX.

Veneris impotentia.

NObilis vir, triginta annos natus, cùm à prima adoleſcẽtia veneri admodum indulſiſſet, & diuturnam gonorrhœam paſſus eſſet, qua vigente, frequẽti nihilominus vtebatur concubitu, etiam cum impuris ſcortis, debilitatis admodum à cauſis prædictis partibus genitalibus, incidit tandem in veneris impotentiam, quæ non in defectu erectionis conſiſtit, quam aſſerit eſſe ſufficientem, ſed ejaculationis, quæ rariſſimè contingit. Illam autem dependere cenſeo ex ſeminis defectu, quod perexigua copia generatur, propter teſtium imbecillitatem, quorum calor natiuus exhauſtus atq; exſolutus eſt frequentiori coitu. Fortè etiam paraſtatæ in vitio ſunt, & exiguam ſeminis copiam recipiũt à teſtibus propter cicatrices in ijs relictas, ab vlceribus, quæ diuturnas illas gonorrhœas comitari ſolent. Tum etiam propter frigidam intemperiem, illis partibus debilitatis introductam per inſiti ſpiritus exſolutionem. Pro curatione huius affectus, ſequentia præſcripſi prima die menſis Aprilis 1652.

℞. Decoct.emollient. ℔.j. ß. catholic.duplic. & diaphæn. an. ʒ.6. mollis roſ. & olei liliorũ an. ʒ.2. fiat clyſter, injiciendus hora quarta poſt meridiem.

Sequenti die aperiatur vena baſilica cubiti dextri, mittantur ſanguinis Vnc.8.

℞. Sennæ mund. Vnc.ß. ſem. aniſi ʒ.j. abſynt. pontici. P. ß. coquãtur ad Vnc.3. in colatura diſſolue diaphœnic. ʒ.3. ſyrupi roſ. Vnc.j. F. potio, quæ detur poſtridie venæ ſectionis cum regimine.

℞. Raſuræ ligni guaiaci Unc.4. aquæ font. ℔.4. infundantur per 14. horas, deinde bulliant ad mediæ partis conſumpt. addendo ſub finem ſennæ mundat. Vnc. j. turbith. hermodact. an. dr.3. colaturæ capiat ℔.mez. manè, tribus horis ante paſtum, per 20. dies.

℞. Radic. ſaliſ. paſill. Vnc.j. aquæ fontis ℔.8. infundãtur per horas 12. deinde bulliant ad quartæ partis conſumpt. colatura vtatur pro potu ordinario, cum vino generoſo, per vſum prædicti decocti, vtẽdo interea pane biſcocto, & aniſato, carnibus aſſis, & non elixis, nucleis pineis, amygdalis torrefactis aliiſque cibis ſiccioribus.

Finito vſu prædicti decocti capiat per triduum manè terebinthinæ, aquæ agrimonij diligenter lotæ dr.j.

Poſt horum remediorum vſum adeat thermas baleucanas, quarum aquam ſumat per triduum, more ſolito.

Poſtmodum verò vtatur ſemicupio eiuſdẽ aquæ per quatuor dies, manè & veſperi, ſudando, matutinis horis, veſperi verò teſtes tantum, & perinæum cum regione pubis balneando.

Ab exitu cuiuslibet balnei, poſt deterſum ſudorem vel madorem, inungatur ſcrotum, perinæum, & regio lumborum vnguento ſequenti.

℞. Olei liliorũ ʒ.ij. olei nucis moſchat. ʒ.ß. olei caryophyl. dr. j. piperis albi, nigri, & longi an. dr. ß. ſem. erucæ, vrticæ, nigellæ an. ♃. ß. pyrethri ß. j. ceræ q. ſ. fiat vnguentum.

℞. Olei nucis moſchat. Unc. ij. olei caryoph. dr. j. ambræ gryſeæ, moſchi, & zibetæ an. ♃ j. fiat linimentum.

Poſt vſum thermarum, foueantur partes prædictæ per 15. aut 20. dies, per horam, ante introitum lecti, decocto ſequenti.

℞. Radic. galangæ, calami aromat. & ireos florent. ana Vnc.j. fol. ſaluiæ, maioranæ, & roriſm. an. M. j. ſem. erucæ, naſturcij, vrticæ, cardamomi, & cubebar. ana dr.iij. nucis moſchat. garyophill. & cinnam. ana Vnc.ß. roſ. rubr. P. j. coquantur in vino rubro ad quartæ partis conſumpt. colatura vtatur pro fotu prædicto.

Poſt fotum illinantur eædem partes calidè linimento prædicto.

Per vſum prædictorum remediorum ſumat quotidiè manè conſeruæ ſatyrionis, veleringij Unc.ß. vel nucem iuglandem ſaccharo conditam, vel myrobalanum conditam, vel tabellarum ſequentium dr. ij.

℞. Confect. alkerm. dr.ij. ambræ gryſeæ. ♃. j. moſch. optimi gr. vj. ſaccharo in aqua flor. arantior. & roſar. diſſoluti dr. vj. fiant tabellæ.

Prædictis vti potuerit alternatim, ne vniuſtedio afficiatur.

Interim victu vtatur analeptico, & in primis comedat frequenter perdicis, & pullos columbinos, tepuſculos, & oryzam cum lacte.

In bellarijs verò vtatur piſtacijs, tuberibus ſcolymis, amygdalis, auellanis, dactylis, & nucleis pineis; tum etiam confectione ex ijs parata, quam vulgo pineolatum vocant.

Abſtineat à fructibus, & oleribus crudis, piſcibus, aliiſque frigidioribus, & humoribus alimentis, nec non à coitu, per vſum remediorum.

OBSERVATIO LXXI.

Hydrops pectoris.

IOannes Manenty, ciuis Monſpelienſis, annos natus 65. corpore craſſo, & obeſo præditus à tribus menſibus patiebatur magnam ſpirandi difficultatem, ita vt vix poſſet in lecto decumbere nocturno tempore imprimis, quo magis vexabatur. Nulla erat tuſſis, aut ſaltem rariſſima, neque quicquam effatu dignum per anacatharſim excernebat. Facies erat ſubtumida, & venter intumeſcere incipiebat, ita vt in aſcitem inclinare videretur, cum tibiæ etiam, & pedes intumeſcerent. Ad illius curationem præſcripta fuit principio menſis Maij 1652. purgatio vniuerſalis, quæ ad quatuor dies, per apozema phlegmagogum, & hydragogum fuit inſtituta; mox diata ſudorifica ex decocto guaiaci, & ſaliſ. paſill. ad xx. dies, copioſè ſudando in laconico, cum vapore ſpiritus vini parato. Et poſt quartam quamlibet doſin ſumebat puluerem hydropicum ex ſenna, turbith. hermodactil. ialapa, ſcammonia, & cremore tartari paratum, quibus remedijs omninò liberatus eſt.

OBSERVATIO LXXII.

Febris Tertiana duplex in grauida ſeptimeſtri.

VXor D. Bruieys in grauiditate ſemptimeſtri correpta eſt febre tertiana duplici, menſe Maio anni 1652. quæ per menſem eam afflixit, nulla apparente remiſſione, quod periculum non exiguum portendebat. Docet enim experientia qnotidiana, mulieres grauidas, huiuſmodi febribus laborantes, difficillimè curari, & non paucas, abortu interueniente, de medio tolli. Ter ipſi ſecta fuerat vena, purgans medicamentum bis exhibitum, & multi iulepi aperientes, ac refrigerantes propinati; tandem venæ ſectione per horam ante paroxyſmum celebrata, & exhibito immediatè ante venæ ſectionem iulepo, ex decocto chamæm. & cremor. tartari parato, febris omninò ſublata eſt. Acceſſio enim, quæ poſt venæ ſectionem expectabatur, non comparuit, neque deinceps.

OBSERVATIO LXXIII.

Hydrops.

VXor ſartoris vicini, triginta annos nata, cum cachectica, fuiſſet toto tempore partus, & malè ſe geſſiſſet in puerperio,

perio, febre acuta correpta est, in cuius fine incidit in hydropem; in quo venter, crura & tibiæ insignem tumorem subierant. Cum autem inops esset, hunc tantum puluerem ei præscripsi.

℞. Sennæ mundat. cryst all. tart. & radic. Ialapæ an. ʒ. ß. fiat pulu is, de quo capiat. ʒ. j. cum iusculo, singulis diebus. Hoc remedio per 20. dies vsurpato integrè liberata est.

OBSERVATIO LXXIV.

Mammæ inflammatio.

IVuenis mulier circa nonum grauiditatis mensem correpta est tumore mammæ sinistræ, cum tensione, rubore, & pulsatione. Vocatus Chirurgus cataplasma de mica panis statim admouet, vnde tumor admodum increuit. Vocatus ego cataplasma præscribo ex farina fabarum cocta in oxycrato, sæpè immutandum, quia intra paucas horas exsiccatur. Intra 12. horas inflammatio ablata est, tumorque admodum immiuutus, & intra paucos dies omninò euanuit.

OBSERVATIO LXXV.

Colica biliosa.

DN. de Chalanges, Salinarum coctor, correptus fuit colica biliosa circa finem mensis Ianuarij anni 1653. dolor erat vehementer excrucians, cum vigilijs assiduis, febre continua, & singultu frequenti vt Medicus ordinarius inflammationem alicuius partis imi ventris suspicaretur. Ego verò, in consilium vocatus, existimaui hæc omnia depędere ex cacochymia biliosa: hæc præcipuè ratione ductus, quod dolor esset vagos, & interdum partem ventris inferiorem, & hypogastricam occuparet; interdum superiorem, & epigastricam. Hanc sententiam euentus comprobauit. Nam post quatuor phlebotomias, enemata multa emollentia, purgantia & anodyna, fotus & semicupia, quatuor purgationibus curatus est, diebus consequętibus vsurpatis, ex decocto cichoraceorum, & capillarium cum summit. malu. & ʒ. ij. sennæ, cui infundebatur cassiæ ʒ. j. & in colatura dissoluebatur syrupi rosac. Unc. j. quotidie excernebat multam bilem porraceam, quę dicta symptomata patiebat.

OBSERVATIO LXXVI.

Tonsillarum inflammatio.

DIe 21. Mensis Maij anni 1653. vxor Dn. Engarran in Curia Computorum Consiliarij, afflicta est tonsillarum inflammatione grauissima, quam breui sequuta est exulceratio cum dolore intenso. Celebrata venę sectione, & gargarismatis ex oxycrato per biduum frustrà vsurpatis, sequenti curata est intrà vnum diem.

℞. Sem. sinapis ʒ. j. aceti rosac. & sacchari albi an. Vnc. j. aquæ Unc. iij. fiat gargarisma.

OBSERVATIO LXXVII.

Hydrops in puero.

FIlius D. Ioannis Guymercatoris, quinque annos natus, à quatuor mensibus hydropicus, cum alia remedia non profuissent, syrupo sequenti per 15. dies vsurpato perfectè curatus est.

℞. Radic. enulæ camp. Vnc. j. fol. agrimon. chamædr. centaur. m inor. & absynthij vtriusq; an. M. j. coquantur ad ℔. j. In colatura dissolue sacchari albi ℔. j. fiat syrupus, de quo capiat Vnc. j. singulis diebus, manè horis ante pastum.

OBSERVATIO LXXVIII.

Singultus.

DN. Segnin febre maligna laborans, grauissimo singultu & ferè assiduo torquebatur, post multa remedia, febrem & malignitatem oppugnantia, quatuor sectiones, & vnam purgationem, multosque clysteres, & multa remedia, singultui præsertim appropriata. Die 12. morbi iterum purgatus est: singultus erat frequentior circa vesperam, licet satis copiosè purgatus fuisset. Vocatus in consilium laudani g. 2. præscribo, cum emulsione 4. sem. frigid. maior. in qua salis prunellæ dr. j. dissoluta fuit, infra horam cessauit singultus, nec amplius redijt.

OBSERVATIO LXXIX.

Ad veneris impotentiam.

REcipe olei de liquidambar. Unc. j. sem. eruc. dr. j. reliquæ vide apud Zacut. in praxi admiranda fol. 23. 3.

Si pilulæ istæ non possint tám cito præparari, sequentes vsurpari poterunt, cum magno fructu.

℞. Ambræ gryseæ, moschi optimi, & agalloch. electissimi ana ʒ. j. ß. rasuræ ebor. diamosci dulc. galliæ mosch. an. ʒ. ß. rad. angelic. pœon. & carpobal. ana dr. j. Zibetæ q. s. fiat massa pilular. de qua capiat ℈. 1. vel dr. ß. singulis noctibus.

Ad variauda remedia aqua sequens interdum vsurpari poterit.

℞. Cinnam. garyophill. nuc. mosch. macis ana ʒ. j. cubebar. piperis longi, galang. zedoar. fem. ammi, seseleos, ana ʒ. ß. granor. iuniper. dr. j. vini albi generosi, aquæ rosism. & maioran. ana ℔. j. stent in digestione per dies 6. & postea distillentur B. M. capiat cochl. ij. manè & serò.

Denique cæteris non proficientibus, opiata sequens vsurpari poterit.

℞. Radic. satyrij rec. ʒ. iij. rad. pasti nac. recent. dr. ʒ. reliqua vide apud Zacut. in praxi admiranda fol. 232. Exterius fotus, & linimenta vsurpari poterunt, suprà, obseru. 69. præscripta, quibus etiam emplastrum sequens addi poterit.

℞. Massæ empl. de baccis lauri, & mastiche an. ʒ. j. gummi tachamac. & caragn. ana ʒ. ß. rad. bistort & tormentill. nucis mosch. garyophill. zinziber. & pulu. aromat. rosar. ana dr. j. ol. nuc. musch. ʒ. ß. bals. peruuian. q. s. fiat emplastrum quadratum, applicandum regioni lumborum, & perpetuò gestandum, ac singulis septimanis renouandum.

OBSERVATIO LXXX.

Febris tertiana diuturna.

VXor D. de Brissac. 20. annos nata, per mensem Iulium, & Augustum tentata est febre tertiana duplici, eaque valdè contumaci, quia corpus erat valdè debilitatum à grauiditate semestri, & abortu subsequente. Multa remedia in cassum per illud tempus vsurpata fuerant à Medico ordinario, venæ sectiones, & purgationes plurimæ, iulepi, iuscula medicata, &c. Uocatus ego, exhibeo per horam ante accessionem bezoart. iouialis gr. 12. cum aquæ cardui benedicti ʒ. 4. Accessio retardata est per horas, & duas multo minor fuit, tum in fine illius aluum bis aut ter, deposuit, quæ anteà non nisi clysteribus soluebatur, & fœtidissima reiecit excrementa. Sequenti die idem remedium fuit vsurpatum, & accessio similiter retardata, & imminuta fuit, tum etiam in fine illius fœtidissima excreuit, ac postmodum accessiones quasdam passa est vix perceptibiles, deindè sensim integrè liberata est.

OBSERVATIO LXXXI.

Fluxum hæmorrhoidum.

DN. Engarran, in suprema Computorum, subsidiorum, & Fisci regij curia Consiliarius immodico hæmorrhoidum fluxu laborabat à quinque, vel sex diebus, quo sanguinis Vnc. viij. vel x. singulis diebus profundebat. Post venæ sectionem, iulepos refrigerantes, & incrassantes, aliaque remedia interna & externa frustra exhibita, cum res vrgeret, & æger admodum debilitaretur, præscripsi succum vrticæ, leui ebullitione depuratum ad Vnc. ij. cum pauco sacchar, & hoc solo remedio fluxus omninò cohibitus est.

CAndidè Lector. Quia numerus obseruationum deficiebat in scriptis Riuerianis, ad implendam hanc centuriam, sequentes subiunximus, plures eiusdem speciei morbos sub eodem titulo, clarioris doctrinæ gratia, aliquando comprehendentes, 82. igitur erit prima nostrarum, huic centuriæ perficiendæ additarum.

OBSERVATIO LXXXII.

Hydrops.

ANno 1645. quidã nomine Felizat Costensis hydropicus factus, sine remediorum ope curatus est vmbilico sponte, & contertim aperto dum per vrbem incederet, ita vt reuersus domum, multa stragula, & lectum continuò irroraueri per aliquot dies, vnde sanus hilaris per totum annum vixit. Eo tamen elapso iterum venter super eum magnificatus est, vt Arabum verbis vtar) & ita intumuit, vt cum insigni respirandi difficultate per vrbem incederet: cumque tumor adeò increuisset, vt suffocationis periculum immineret, & adesset satis insignis exomphalos, seu vmbilici prominentia constantibus etiam viribus de eius apertione nos iterum atq; iterum rogauit, alioqui sibi violentas manus illaturas. Quod cum tãdem Chirurgus tuto, & sine dolore præstitisset; aquam statim fluere permisimus ferè ad ℔. j. & sub noctem eadem quantitate: verum eadem nocte sensim subsidentibus partibus, vires etiam subsidebant. Ita vt sequentem diem vltimum obierit. Vnde patet, naturæ opera non semper esse imitanda, vt videre est in hoc ægrotante annorum circiter 25. Attamen licet conitare videremur vires, quod per vrbem incederet, & ritè comederet, morbum tamen fuisse confirmatum, & viscera iam labem præsertim ex pripie morbo contraxisse, conijciendum est.

Multis alijs hanc operationem, & cum præmeditatione fuisse administratam, sed neminem sernatum, à multi Practicis audiui.

Hydrops vniuersalis à me pluries curatus est breui, & facilè per diuretica, hydragoga; qui scilicet hydrops, seu tumoris vniuersalis genus, non erat tertia hydropis species, leucophlegmatia passim dicta, quæ non nisi ægrè curatur. Sanguinis enim pituitosi crudique, & male compacti nec potis partũ bene aggluti nati, & assimilati, ideoque in toto redundantis, & superflui soboles existit, ex defectu tertiæ coctionis, quæ in singulis partibus fieri debet. Adde quod in hac color cutis subalbidus atque lacteus, aut liuore suffusus, cum anorexia, & siti importuna assiduaque conspiciatur: ea verò symptomata non apparebant in prædicto tumore vniuersali, qui ideo continentem habebat causam diuersam, scilicet serosũ humorem, curẽ inter & cæteras membranas vniuersales stagnantem, vnde aqua intereus Celso dicitur, cui color idem ferè atque ante; quod etiam confirmat tactus. Nam cutis digito compressa resilit, ex se statim retrudẽte aqua, sponte illuc, vnde à remente manu detecta; in leucophlegmata autem impressum relinquitur digiti vestigium, sanguine crasso non facilè refluente illuc, vnde expressus fuit. Præterea cita curatio, quę consequuta est, illud satis euidẽter arguit, quod vlterius patet in sequentibus obseruationibus, quas ideò annectere placuit.

Deinde modus solutionis differentiam etiam statuit inter leucophlegmatiam, & prædictum tumorem vniuersalem, quandoquidẽ longè facilius pleonexia serosa seu illuuies in toto redundans corrigitur, quàm intemperies frigida siccaq; viscerum, crudioris sanguinis parens, emendatur. Prædicta autem curatio per hydragoga a me celebrata sententiæ Hippocratis coacis respondere mihi videbatur, cum ait. *Incipienti hydropi aluũ profluuium aquosum sine crudit ate, morbum soluit, & purg atio per renes.* Idem etiam dixit. *Si aqua ad vesicam aut ventrem fluat, solutio.* Cum tamẽ experientia doceat, euacuationem, quæ fit per vrinas, melius succedere ea, quæ fit per aluum.

Rusticus quinquagenarius ex perpessa per aliquot menses febre tertiana notha incidit in hydropẽ vniuersalem, à quo cum liberauimus succo ireos nostratis, ad Vnc. 3. cum mannę Vnc. ß. eoque intra septem dies ter exhibito, venter omninò detumuit maxima serosæ illuuiei copia per aluum, & vrinas excreta.

Alter annorum circiter 26. ex febre quartana diuturna incidit in tumorem vniuersalem totius corporis, in quo cutis digito compressa resiliebat, cum durities regione lienis. Huic Chirurgus quidam sine vllo præscripto, vt ferè semper apud rusticos præstare solent, multa remedia per longum tempus, sed sine fructu exhibuerat, donec ad extrema ferè redactus, meam opem implorauerit, quippe quem ab acuto morbo aliquando liberaueram. Huic ergo cum quædam remedia ex arte præscripsissem, præcipuè vnum iuniperinum, hoc solo vti voluit, iamdudum omnium fermè medicorum pertæsus, sumebatque illius Unc. 6. singulis matutinis, vnde vrina copiosius & frequentius fluere, venterque parum detumescere cœpit. Quod cum resciuissem, & cum reliqua remedia præscripta amandasse, suasi vt saltem ℥. j. pulueris ex senna, cremore tartari, & radice ialapæ cum iusculo sumeret per 12. dies alternos, & interim diebus vacuis perseueraret in vsu vini iuniperini; quo peracto integram sanitatẽ recuperauit, & breui ad solitos labores reuersus est.

OBSERVATIO LXXXIII.

Febris tertianæ.

FRater Eloysius, iuuenis Religiosus Ordinis Fratrum Minorum apud Costam, febre tertiana duplici laborans à quatuor mensibus, frustra vsurpatis multis remedijs, ab alio Medico præscriptis, à me curatus est, rigida existente hyeme, exhibitis febrifugi Riueriani gr. 12. quibus blandè purgatus per inferiora tantum. Grauiore eadie (vt sæpè fieri solet in huius remedij vsu) passus est accessionem, sed nullam deinceps; attamen post 15. dies ob incautam victus rationem, & fructuum vsum nimium, leues rediere accessiones, quæ leui cathartico exhibito iterum disparuerunt. Quod in huiusmodi febribus, & quartanis, ita sæpè vsurpauimus, quoties recidiua contigit.

Febrem tertianam duplicem in sartore Costensi 30. annorum, melancholici, & pituitosi temperamenti curauimus, præmissis duabus purgationibus cum præparantibus idoneis, & duplici venæ sectionem, vsu febrilis Crollij ex ℥ ij. aquæ cichor. salis absynth. ℥. ß. & spiritus sulphur. gutt. xv. ex cuius prima dosi febriles accessiones imminutæ sunt, ac tertia penitus sublata, quæ prædictis remedijs per 20. dies non cesserant. Hocque remedium à 12. annis centies vsurpatum in varijs febribus, & præcipuè tertianis, semper profuisse animaduertimus. In defectu autem salis absynthij, sal tartari sæpè substituimus exemplo præceptoris nostri D. Riuerij, & aliquando etiam cum decocto absinthij vt videre est in ipsius obseruationibus.

Dn. de la Riuoire, laborans principio Augusti 1648. febre tertiana duplici cuius alterni accessus cum grauissimè affligebant inquietudinibus, siti dolore capitis, & respirandi difficultate, à me curatus est premisso clystere, & venæ sectione, exhibendo in vigore paroxysmi, ad extinguendos spiritus febriles sitibundos, aquæ fontis magnum haustum, cum spiritus sulphuris per campanam elicit q. s. ad sensibilem aciditatem, & syrupo de limonibus; quo potu febricitantibus siticulosis gratissimo, ter aut quater exhibito per biduum, omnia febris prædictæ symptomata longè mitiora euaserunt, & paroxysmi multò breuiores, ita vt hac præuia præparatione materiæ morbificæ, & imminutione symptomatum, curatio absoluta fuerit vsu pulueris Comitis, & febrilis Crolliani per biduum sequens exhibiti. Notandum autem est, prædictum ægrotantem 35. annorum natum, obstructionibus vtriusque hypochondrij præcipuè verò lienis esse affectum, & singulis ferè annis, grauibus morbis diuturnis esse obnoxium, ob incautam, & igneam viuendi rationem.

Prædictus Dn. febre tertiana laborans, mense Iulio anni sequentis, curatus est vnica dosi febrilis Crolliani; cuius quia duæ doses missæ fuerant, alteram exhibuit puellæ 10. aut 12. annorum, eodem morbo laborant, & sic febris in vtroque disparuit.

Pater Christophorus ex Ordine fratrum Minorum huius vrbis ętatis 40. annorum, macilento & melancholico corporis habitu præditus, in principio Septembris anni 1649. incidit in febrem tertianam, quam curaui, præmissis clystere, & venæ sectione, vnica dosi pulueris Cornachini.

Eodem tempore frater Norbertus annorum circiter 35. firmiori corporis habitu, & eusarco donatus, laborabat eadem febre, quam ex caloris ingentis gradu, inappetentia, dolore capitis, inquietudinibus, cacochymia, & paroxysmorum longitudine, diuturnam fore immeritò suspicabar; adde, quod anno elapso eodem morbo grauiter laborauerat, per mensem integrum, cum insigni virium dispendio. Post iniectum clysterem, & phlebotomiam celebratam, sumpsit calomelanos Torquati gr. 10. Scammonij gr. 10. in forma pilulari, vnde copiosè, & blandè purgatus est eadem die. Sequentibus verò duabus ter, aut quater, sicque prædicta omnia symptomata breui disparuerunt, vnamque tantum, & leuem accessionem, post assumptum remedium passus est. Calomelas Turqueti, est mercurius dulcis sexies, aut septies sublimatus, vt videbis infra.

Do-

Domina de Doissin Monialis mense Martio anni 1651. à febre tertiana liberata est post 4. accessiones sumendo in vigore paroxysmi spiritus sulphuris per campanam eliciti guttas 20. cum ptisana vulgari, & syrupo de ceratis acidis, vel aqua sola saccharata bis aut ter, vrgente siti, instar iulepi; sequenti die sumpsit Mercurij prædicti dulcis gr. 20. & resinæ scammonij gr. 10. in pilulam, redacta, & pelliculam cerasi saccharo conditi inclusam, qua optimè, & blandè euacuata est.

Illustrissimam Comitissam Dominam de Ferrieres, eodem modo eademque ratione à simili affectu liberauimus principio mensis Februarij, eiusdem anni rigidissima existente hyemali tempestate.

Innumeros, quibus multa remedia frustra exhibita fuerant per longum tempus à tertiana simplici, & duplici curatos vidimus, assumpta semel aut bis aqua benedicta Rulandi. Alios sale vitrioli ad 3. j. Plurimos, quibus hęc, & reliqua non profuerant, vsu syrupi de asaro Lozelli ad cochlear vnum sumpti: & certè vomitoriorum virtutem atque vtilitatem præ cæteris remedijs, & ijs frustra tentatis, multoties expertus sum in varijs casibus, cum cætera consentirent.

Præterea phlebotomiam in plenilunio celebratam pro febribus intermittentibus plurimum prodesse vidimus, quia tunc, ob lunæ vim, humores ebolliunt, & fluxior fit sanguis, ac promptius vena secta educitur. Quo remedio eo tempore celebrato plures curatos, alios leuatos esse testatur Zacutus Lusitanus, & ipse nouissimè in viro religioso, ac instante paroxysmo duplicis tertianæ, curationem subsequutam vidi.

Mulier Costensis sexagenaria, nomine Ludouisa Soyson, à quinque septimanis febre tertiana duplici laborabat, cuius alterni paroxysmi ad 15. & 20. horas extendebantur, & matutinis horis cum leui horrore, sed diu durante inuadebant, alij verò circa meridiem, & aliquando tardius cum rigore satis insigni, nec vltra 12. vel 14. horas protrahebantur, vnde diuersorum humorum in diuersis locis putrescentium, non leuis coniectura fuit, ideòque morbum etiam fore diuturnũ, aut in quartanam abiturum prædixeram, propterea, quod etiam ægra de hypochondrij sinistri dolore semper conquesta esset. Huic primò purgans medicamentum bis aut ter exhibitum, phlebotomia semel celebrata, cum clysteribus identidem iniectis per 12. dies à seniori Pharmacopæo. Tandem vocatus præscripsi quatuor doses apozematis ex radic. & herbis aperient. refrigerant. & specificis, addendo cuilibet dosi sennæ mundat. ʒ.3. syrupi rosac. ʒ. j. & salis tartari ʒ. ß. vnde laudabilis euacuatio sequebatur, attamen febris parum imminuta. Sed propter ætatem, & virium imbecillitatem intermissa remedia, pro inducijs naturæ concedendis, & restauratione virium, vt deinde felicius per Epicrasin naturæ obstetricaret; sicque post aliquot dies iterum duæ doses prędicti apozematis alternatim præscriptę, & exhibitæ sunt, vnde febris post tres, vel quatuor dies disparuit per vnum, aut alterum diem, quo elapso, cum pari vigore iterum inuasit, ita vt etiam aliquando ab ea omninò expers non videretur; sicque lecto affixa languebat circa dies caniculares anni 1655. Huic igitur tandem exhibui febrifugi Riuerianigr. xx. cum confectione de hyacinth. in formam boli, in maiori febris interuallo. vnde quinquies aluum deposuit cum tolerantia, in paroxysmo verò bis per vomitum reiecit magnam copiam materiæ porraceæ, æruginosæ, & viscosæ, cum aliquot ventris torminibus, quæ duas vel tres sedes per inferiora præcesserunt. Paroxysmus breuior fuit, neque deinceps apparuit. Hoc autem dignum erat, quod in operatione ægrotans sibi aliquid ex hypochondrio sinistro, vbi dolor antea fuerat euelli sentiebat, quod causam febris, & doloris ibi latitantem à remedij virtute specifica in suo loco oppugnari, euidenter demonstrabat.

Iuuenis annorum 20. febre tertiana duplici laborans, in exercitu Pedemontano sumpsit cyathum vnum vini albi calidè in quo dissoluit sulphur pulueratum ad magnitudinem vnius oui. Post dimidiam horam copiosissimè sudauit, nec amplius febris apparuit, quod remedium in duobus alijs hac in vrbe vsurpauit, cum eodem successu.

OBSERVATIO LXXXIV.

Febris quartana.

IUuenis Sabaudus annorum 22. habitu cusarco, & pituitoso, à duobus mensibus laborabat febre quartana duplici. Huic cum remedia vniuersalia per apozemata, & venæ sectionem respueret; febrifugi dicti gr. xx. exhibuimus, vnde febris ex quartana duplici simplex facta est, iterumque bis exhibita eadem dosi, omninò curatus est.

Sacerdos quinquagenarius multum melancholicus, febrem quartanam passus erat per quatuor menses. Hanc ego curaui media hyeme, exhibendo febrifugi Riuerianiprædicti gr. 24. verum post 25. dies reuersa est, & iterum curata eodem remedio.

Prædicta Domina de Doissin, annorum 30. laudabilis temperamenti, & elegantis formæ, ac ingenij singularis post varios effectus ex mœrore oriundos, incidit in febrem quartanam, à qua post quatuor menses curata est mense Decembri anni 1650. post multa remedia frustra tentata, vnica dosi prædicti febrifugi.

Nepos meus Franciscus Iacoz annorum duodecim, febre quartana post tertianam diuturna laborauit per sex menses, quorum spatio multa sumpsit remedia, etiam febrifugum prædictum, at frustra, partim propter ingluuiem, partim etiam ob prauam viscerũ dispositionem. Tandem vno cochleari syrupi de prędicti de azaro in ptisana communi, curatus est, excitato scilicet ter, aut quater copioso vomitu variorum humorum parietibus ventriculi, & vicinis partibus ita adhærentium; vt catharticis pluries exhibitis deturbari non potuissent, qui appetitum valdè deijciebant, iamque colorem, atque habitum corporis valdè immutauerat, quem tamen recepit post breue tempus, cuius decursu ita febris imminuebatur, vt vix eam persentiret, donec omninò disparuit, redeunte appetitu laudabili, & viuido faciei colore.

Nepos meus Bernardus annorum 30. febre quartana laborauit, mense Octobri 1650. per tres septimanas cum anorexia, languore, & pallido ac macillento totius corporis habitu. Sumpsit paulo ante paroxysmum cochlear vnum syrupi de azaro dicti in iusculo multoties, & copiosè vomuit amarissima, cum labore, per duas circiter horas. Ita vt sequentibus quatuor diebus os ipsi fœtidum, & amarũ instar fuliginis esse videretur, & febris perseueraret, sed leuior facta. Post septem dies omninò sublata est assumptis mercurij dulcis vt supra sublimati gr. 32. & resinæ scammonij, gr. 20. (difficilè enim purgatur) statimque viuidum facie colorem, & appetitum simul recuperauit, cum viribus in horas redeuntibus.

Frater Otho Recollectus huius vrbis, squalidi, & sicci temperamenti, febre quartana laborans à tribus; mensibus, cum tensione & dolore lienis, ac sudoribus nocturnis, curatus est mense Nouemb. anni 1651. sumendo primum infusionem ʒ. ß. salis tartari cum guttis aliquot spiritus salis & ʒ. j. fol. sennæ factam in ʒ. 6. aquæ fontis per noctem, mane, quatuor dierum spatio, vnde bis, aut ter singulis diebus purgabatur, appetitum, & robur sensim redire afferens: febris leuior, quæ tandem disparuit post septem dies, iterumque reuersa curata est per gr. 5. resinæ scammonij, & ʒ. ß. Mercurij sublimati dulcis prædicti, quibus optimè, & blandè purgatus, iterum sumpsit per triduum prædictam ptisanam tartarizatam laxantem. Verum quia sudoribus diffluebat singulis noctibus, & dolor circa lienem non omninò sublatus erat, ac lassitudinem in tibijs grauem persentiebat, iterum sumpsit calomelanos similem dosin, vt supra, in forma pilulari, ad recidiuæ occasionem euitandam.

Febris duplex quartana, grauissimè affligens à duobus mensibus honestum virum, Dominum Rigoudin, temperamento valdè melancholicum, meo consilio curata est principio Nouembr. anni 1651. tribus dosibus infusionis sennæ in aqua febrifugi Riuerij factæ, & phlebotomia semel celebrata, quia eius indicationes aderant. Est autem aqua hæc febrifuga sola aquæ fontis cum sale tartari, cuius certè miros effectus quotidiè experimur in omnibus diuturnis febribus, & morbis, ab obstructionibus productis, vt clarius patebit infra. Eodẽ tempore frater meus quinquagenarius, postquam bis recidiuam ex tertiana duplici passus esset, quia multis negotijs, & domesticis rebus implicitus, nec satis purgatus, incidit in quartanam triplicem molestissimam, sed post quatuor vel quinque eius paroxysmos, sumpta bis infusione prędicta, purgatus euasit à longiori febris molestia.

Dn. Gruisard. mercator Costensis 30. annorum, laborans quartana duplici, à duobus mensibus, sumpsit febrifugi gr. 24. in pilularem formam redacta, & in quartanam simplicẽ eamque leuissimã versa est febris quę tamen post aliquot dies ob errores in cibo, & potu commissos, grauior facta est, & aliquando duplex, alias verò triplex; iterum sumpto febrifugo leuior facta sensim euanuit, imperato vitæ regimine

parciori : sed quia arti suæ, æquitationi intempestiuæ, & genio nimium deditus ; iterum passus est recidiuam, iterumque sumpsit febrifugi gran. 30. sicque sensim conualuit.

Pater Andreas à Costa frater meus natus maior, e Franciscanorum familia, post febrem acutam multorum dierum, multosque labores perpessos, incidit anno 1654. in febrem quartanam, quam multis remedijs oppugnare conatus est, sed frustra. Tandem, missis ad eum duabus dosibus febrifugi Riueriani, sed finem hyemis anni 1655. à prædicta febre liber omninò euasit.

Eodem tempore rusticus quadragenarius, Villicus Magistri Dumas, Chirurgi Costensis, eodem morbo laborans à duobus mensibus, vnica dosi prædicti remedij feliciter, & integrè curatus est.

Mulier Tullinensis, 24. annorum, à quindecim mensibus laborans febre quartana, quæ aliquando duplex, imo semel continua facta, eam ad extrema coegerat, cum icterico faciei colore, appetitu deiecto, maciei corporis, & tumore insigni vtriusque hypochondrij, maximè verò lienis, de valetudine recuperanda parum sperans, ad me venit, auxilium si quod superesset, tot malis enixè postulans. Huic igitur primò præscripsi ptisanam tartarizatam laxantem prædictam in decocto hepatico, & splenetico, per octo dierum spatium, cum fotu, & linimento, ijsdem vtribus prædito, & vtrique hypochondrio admouendo. Tum deinde pilulas tartareas Bontij ex aloe, gummi ammoniaco, & tartaro vitriolato, per duodecim dies ; quibus elapsis, iterum sumpsit per triduum prædictam ptisanam, tumor, & dolor è regione lienis multum imminutus apparuit, faciei color citrinus euanuit, appetitus redire cœpit, febris tamen eadem, quæ tandem omninò disparuit, ter exhibito pridie accessionis febrifugo Riueriano : sicque post aliquot dies sine vllo recidiuæ metu sana, & hilaris in patriam reuersa est.

Tædiosum foret omnes recensere, quibus prædictum febrifugum exhibitum, vel febrem sustulit, vel multum imminuit, nec vnquam nocumento fuit.

Sutor Costensis, nomine Gelas, febre quartana laborauit per sex menses, & ab ea liberatus est, sumendo dimidium cyathum vini albi, in quo decoquebat mala aurantia, in partes dissecta, idque singulis matutinis, per aliquot dies.

Multi rustici in his oris curant febrè quartanam putuere chamædr. exsiccati cũ iusculo per aliquot dies sumpto, quod certè sine ratione fieri non existimo, præcipuè, si quædam purgantia præcesserint, cum splenetica, ac hepatica sit, & insigni virtute polleat, viscera ab intarctu liberandi.

OBSERVATIO LXXXV.

Colicus dolor in purgatione menstrua, & hysterici affectus.

LEctissima virgo Monialis Domina de S. Paul, annorum 27. laudabilis temperamenti, (sicut, & ingenij) ad pituitosum tamen nonnihil vergentis, circa tempus menstruę purgationis, imo in ipso, fluxu, solita est pati dolorem colicum spurium, cumque atrocissimum, per duos vel tres dies, vnde aliquando menstrua purgatio supprimitur. Vtrique affectui subuenimus aliquando clystere carminante, & laxante ; alias verò, olei anisi guttas aliquot in vino, vel iusculo sumptis, ita vt colicus ille dolor qui multum durare solebat, in momento sæpè sublatus fuerit.

Eadem Domina sæpissimè cõrripitur suffocationibus hystericis, cum dolore capitis, & ventriculi, à quibus affectibus eam multoties liberauimus exhibito sale vitrioli ad ʒ. ß. & ʒ. j. in aqua fontis dissoluti. Blandè siquidem prouocat vomitum, & hystericis affectibus specificum prædicant omnes chymici ; aliquando etiam granis aliquot laudani ex descriptione Crolij, cuius certè miros effectus se percepisse semper fatebatur, etiam ex solo ipsius laudani olfactu, cuius sæpè maiorem pilulam manibus volutabat, & identidem odorando.

Mulier vidua Costensis, quadragenaria, hystericis affectibus diu, noctuque ita vexata, cum febre & vigilijs, vt moritura videretur, post vnum aut alterum clysterem iniectum, sumpsit laudani gran. 4. breuique post tempore quieuit, & symptomata omnia cum febre euanuerunt.

OBSERVATIO LXXXVI.

Mensium fluxus immodicus.

NObilissima Domina de la Iassodiere, annorum 40. opruni habitus, & temperamenti, à duobus ferè annis laborabat fluore muliebri seroso, qui per interualla adeo copiosus erat, vt ægrotantem in vitæ periculum conijceret. Ad eam aliquando vocatus, cum longè ab vrbe distaret, & remedia in promptu non haberentur, ea verò propter fluxum immodicum deficeret, exhibere iubeo ʒ. j. pulueris ex putaminibus ouorum combustis in iusculo. vnde tanta serosi sanguinis iactura multum imminuta est intra paucas horas, ac sequenti die, iterato remedio, omnia suppressa est, ægraque victu reficiente, & analeptico sensim restituta, ac post aliquod tempus causæ morbificæ per debita præsidia prouisum est.

Vxor pulcherrima Claudij Viuier Costensis annorum circiter 27. post excretionem molæ bimestris, indicit in fluxum sanguinis immodicũ, qui per tres septimanas perseuerans, eã in vitę discrimen adduxit, & tantam spirituum cum sanguine iacturam ; vt vires, & animus continuò deficerent. Vocatus suasi, vt succi vrticæ depurati ʒ. 4. manè, & serò sumeret per biduum ; sed bis assumpto remedio, sanguinis fluxus valdè imminutus est, & ante 24. horas omninò cohibitus. Eodem tempore admouebat regioni vteri forum, ex spongia in aceto & vino rubro austero madefacta : hoc remedium aliàs in simili casu cum pari successu à me vsurpatum est, illudque valdè prædicat Amatus Lusitanus in centurijs.

OBSERVATIO LXXXVII.

Dysenteria.

RVsticus 60. annorum, principio Augusti anni 1648. laborabat à multis diebus grauissima dysenteria, cui cum remedia ex arte præscripta non tam citò ab vrbe asportari potuissent, cataplasma ex absynthio, & rosis rubris in lacte decoctis toti abdomini applicari iubeo, exhibitis interim laudani gr. 4. Inde post aliquot horas rariora fuerunt deiectionum interualla, dolor imminutus, nec non tranquillior, ita vt præscriptis remedijs opus non habuerit.

Illud idem fere contigit in alio Rustico 20. annorum, qui per multos dies, & noctes dysenterico fluxu ad extrema ferè redactus propter dolores immanes, & vigilias perpetuas ; sumptis laudani gr. 3. sub noctem, quam ferè integram placidè transegit, cum leuamine, & fluxo tantum bilioso, cui postmodum per debita remedia prouisum est.

Vir militaris fide, & laude dignissimus multos curauit in exercitu à dysenteria, & alui fluxu per ʒ. j. suberis puluerati in vino, vel iusculo, quod remedium vide in obseruationibus Riuerij.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Pleuritis.

MVltos, & præcipuè mulieres, quibus appropriata remedia defuerant, ex pleuritide ad extrema ferè redactos, & restitutos vidimus vsu pomi Quercetani semel, aut bis sumpti, intra 24. horas, vnde præter spem vel copiosus sudor, vel anacatharsis libera sequebatur. Plurimos certè nominare possem, quibus ferè desperatis hoc remedij genus præscripsi, nec vnquam alium, quàm felicem euentum ex eo animaduerti ; multisque, qui hoc apud ęgros obseruauerunt, ita successisse multoties audiui.

OBSERVATIO LXXXIX.

Tumor mammarum.

MVlier nobilis huius vrbis, puerpera, laborans tumore mammæ sinistræ perduro, ex concretione lactis, irritis omnibus remedijs ex arte per mensem integrum vsurpatis, curata est, sumendo ʒ. j. pulueris mille pedum præparat. in iusculo per triduum, huius autem pulueris eximias dotes sæpè vidimus, & audiuimus ab expertis in huiusmodi tumoribus ex lacte concreto, nec non etiam in cancro mammarum, ac reliquarum partium, vt contigit cuidam viro religioso, qui patiebatur vlcera multa etiam profunda in multis partibus corporis, præcipuè verò in tibijs, à quibus bre-

ui

ui tempore curatus est sumendo ℥. j. prædicti pulueris per 7. vel 8. dies alternos, præmissis tamen præmittendis. Præterea puluis hic cum sit tenuium partium, insigne præbet apertiuum, & diureticum.

OBSERVATIO XC.

Dolor dentium.

VXor D. Dumas Chirurgi Costensis, grauida septimestris, & bilioſi temperamenti, ab acuto morbo resurgens, tanto dolore dentium correpta est, vt frustrà tentatis omnibus remedijs, per multos dies insomnis, & clamitans, cum lachrymis, & vigilijs continuis, quælibet remedia, imò ferrum, & ignem experta, ad desperationem fermè adducta fuerit. Ita vt coactus fuerim ipsi exhibere nocturnis horis (quia tunc præcipuè intolerabilis ipsi dolor erat,) Laudani opiati ritè præparati gr. 4. quibus cum pauca quantitate confectionis de hyacintho assumptis, post horæ quadrantem placidè per aliquot horas dormiuit, ac sine dolore expergefacta, reliquum grauiditatis tempus inlucunde transegit, propter cariem, & nigredinem dentium, eorumque dolore ferè continuò laborare, solebat.

OBSERVATIO XCI.

Lues venerea.

D. Gr. mercator Cottensis, lue venerea laborans ab aliquot mensibus, à me curatus est sine vllo alio remediorum apparatu, per opiatam Neapolitanam Renodæi, cui addebam singulis diebus Mercurij præcipitati albi, cum spiritu sulphuris præpar. ℈. ß. & per interualla exhibeam dosin calomelanos Turqueti, seu mercurij dulcis sexies sublimati gr. 20. cum resinæ scammonij gr. 12. in forma pilulari, cum subocheti, ex decocto guaiaci, & salsæparillæ per 20. dies.

Alter iuuenis eiusdem amicus eodem morbo laborans, eodem etiam tempore, & modo curatus est circa vernum tempus anni 1648. & ab eo tempore multo, etiam curauimus vsu solius opiatæ prædictæ, cum mercurio prædicto, & decocto salsæparillæ per longum tempus, Quibus autem albus multum mouebatur; illa tantum alternis diebus sumebant prædictæ opiatæ. Unc. ß.

Puellam 15. mensium Domini B. consobrini mei à lue venerea per contagium à nutrice accepta curauimus, exhibito mercurio præcipitato albo, vt supra præparato ad gr. 3. & 4. per aliquot dies cum panatella saccharata, vel lacte.

OBSERVATIO XCII.

Phthisis.

PHthisin per contagium communicatam curauimus, præter omnium ipem, principio Iulij anni 1649. sequentibus remedijs: ac primo potione ex manna, & syrupo rosac. in decocto pectoral; sequenti die applicita sunt duo caustica posteriori parti cerulcis; postmodum iuscula per 15. dies cum radic. chinæ, foliis bugloss. tussilag. pulmonar. & passulis corinthiacis, quæ per interualla, purgantia reddita sunt. Utebatur etiam continuò conserua ros. rubr. & sæpè sub noctem syrupum fluxionem cohibente, ac tussim sedante ex æquis partibus syrupi violac. de ros. siccis, & de papauere. Erat autem puella 15. annorum, nondum menstruata quæ febre lenta laborabat à tribus septimanis, cum tussi continua laboriosa, anorexia, difficultate spirandi, & macie totius corporis, ac vigilijs ferè continuis, quem affectum contraxerat à sorore sua quæ lac præbuerat per aliquot dies Illustrissimo D. Abbati de S. Paul, qui phthisicus perierat ante duos menses. Prædicta autem mulier 22. annorum, benè habita, breui deinde tempore, eodem affectu etiam perijt.

Illustrissimo Baro N. à morbo Castrensi, & dysenteria diuturna incidit in febrem hecticam, ferè marasmodem, ita vt Lugdunum deportatus, à medicis tandem deploratus & suo prognostico derelictus, sed à Ruttico; qui eodem morbo laborasse, & euasisse ferebatur, sequenti remedio restitutus est, scilicet iusculo per aliquot dies exhibito, in quo decoquebat limaces rubros agrestes exenteratos, & totos in aqua ros. vel alio liquore; iusculum colatum sic propinabat, quod certè non mirum, neque respuendum, siquidem testudines præscribere solemus ad reparandos hecticos, & alia huiusmodi alimenta, quæ solidam, glutinosam, & minus dissipabilem substantiam obtinent.

OBSERVATIO XCIII.

Pica, & Chlorosis.

TAcere non possum mirabiles effectus ex puluere cachectico Quercetani, cuius beneficio innumeras tum virgines, tum mulieres, & viduas chlorosi, & picatum etiam sæpè cachexia laborantes curauimus, præmissis tamen vniuersalibus remedijs.

Certè miratus sum, quod etiam feles pica laborarent, vt vidi in fele mea domestica carbones, & cinere comedente, cum tam à multis diebus vix quicquam comedere vellet; ea autem ideò, vt existimo, nunquam catulos peperit.

OBSERVATIO XCIV.

Febris putrida continua.

CIrca medium Maij anni 1652. cum tempus valdè calidum fuisset per aliquot dies, mox boreale, & ita frigidum, vt teneriora fructuum, & arborum germina aduret, atque iterum calidius factum, corpora tali inæqualitate, & subita mutatione malè disposuit. Quod ego certè meo incommodo expertus sum; tunc temporis enim ferè semper ad ægros rure profectus, die vigesima eiusdem mensis incidi in grauissimum capitis dolorem, cum febre continua, inquietudinibus, siti, ac vigilijs importunis, calore acri, & mordaci ad tactum. Quæ cum iam 24. horas afflixissent, statim iniecto clystere, sanguinis adusti, & parum corrupti ℥. 10. è brachio dextro exire iussi, vnde cum parum leuaminis perciperem, iterum post nouem horas eiusdem diei ℥. 9. detraxi, qui magis corruptus apparuit, & post horam vnam, vel alteram capitis dolor, & febris remmittere cœperunt, ac sequentem noctem quietior transegi cum placido somno aliquot horarum. Tertia die febris omninò disparuit, quæ certe duratura videbatur vlterius. Vsque adeo verum est illud Hipproc. in principijs morborum, si quid mouendum videtur, moue; & quo ad iterationem eodem die fieri debet, si reuulsionis gratia, diuersis diebus. Nam vbi vacuandum est præcipuè in acutis, subitò corpus in alium statum, transferendum est, quia sæpè accidit, vt morbus mox principium percurrat, ita vt postea venæ sectione non ita commodè vti liceat.

OBSERVATIO XCV.

Tumor hepatis spurius, & decipiens.

ALiquando tumor schirrhosus occupat musculos epigastricos, quod certè decipere potest iuniores, incautos, aut vmbratiles medicos, vt vidimus contigisse seniori, & celeberrimo Medico, cuius latidi n hil popter à detrahendum, qui talem tumorem sumpsit pro scirrho hepatis in nobili viro & remedia ad talem affectum oppugnandam ordinaria, sed frustra prescripsit, cum solis externis opus esset; ijsque curatio absoluta fuerit. Nobilis autem ille vir, licet sexagenarius, optima valetudine fruebatur à duobus annis, ac viuido faciei colore quod tamdiu non fuisset, si verus hepatis scirrhus adfuisset, adde, quod tumor ille locum mutaret, quoties nobilis ille ad latus sinistrum verte-batur, & huius rei testis Dominus Riuerius.

OBSERVATIO XCVI.

Ictus serpentum.

RVsticus à serpente ictus in ingentem totius corporis tumorem incidit, attamen euasit multas hirundines singulis diebus morsui applicando per aliquot dies.

Qui in his oris vi peras capiunt, propè syluam sancti Hilarij, quando ab eis punguntur, nihil applicant morsui, præter allium contusum, cuius esus etiam vtilissimus.

Venator quidam amicus meus, morsum in canibus suis fricat cum saliua sua, & post reditum, aquam frigidam propinat, sicque omnes liberat. Idem retulit mihi, cor

viperæ statim exhibitum; præstantissimum esse remedium, illud etiam præstat puluis eiusdem cordis, vel totius animalis, in iusculo, aut alio liquore appropriato.

Cum aliquando canis mea venatica ictus viperæ accepisset, subitò in terram concidit, nec erecta progredi poterat, quin statim recideret. Huic vultus cultello scarificaui, & in proximam domum deportatæ ossam exhibui, cum theriaca, & alio, sicque liberata est, collo tamen, vbi demorsa fuerat, per aliquot dies tumido remanente.

OBSERVATIO XCVII.

Morbi Chronici, & diuturni.

IN morbis omnibus Chronicis, & contumacibus curandi experientia, & lectione vbique didici, vel hydrotica & sudorifica, vel præcipuè aperientia valida præstantissima esse; qualia sunt sal tartari, spiritus sulphuris per campanam elicitus, & mercurius dulcis sexies sublimatos, & his similia, ad longos dies vsurpata, vt centies obseruaui, & præscripsi exemplo Præceptoris mei, qui sæpè ita sal tartari, & spiritum sulphuris infundebat cum ℥. j. vel ʒ. 2. sennæ (aliquando radic. ialapæ ʒ. ß.) in aqua fontis sola, aut decocto appropriato, vt videre est in eius obseruationibus; sicque febres intermittentes diuturnas, & ipsam quartanam, chlorosi, cachexiam, melancholicos affectus, & contumaces viscerum obstructiones, iritis alij, sæpissimè durauimus.

Aquam autem sale tartari impregnatam, febrifugam iure meritoque vocauit D. Riuerius in obseruationibus, vbi calomelanos nomine donauit Mercurium dulcem, vt supra sublimatum, qui certè laudabile, nec vnquam noxium efficit catharticum ad ʒ. j. cum ʒ. ß. resinæ ialapæ, vel scammonij, quorum dosis minui, vel augeri potest: Et sanè nunquam alium nisi optatum ex remedio assumpto vidimus effectum in casibus innumeris, & in omni ætate. Illius autem dotes apud Authores chymicos nunquam satis laudari poterunt.

OBSERVATIO XCVIII.

Animaduersiones practicæ circa febres malignas.

ANnis 1649. & 1650. hoc obseruatione dignum existimaui in omnibus febribus malignis, quæ adeo grassabatur, vt omnis generis remedia eluderent. Scilicet quod quicunque ab initio de corde, vt vulgò dici solet, conquerebantur, seu leui syncope, aut cardialgia corripiebantur, omnes fermè interierint: causam huius rei in malignam qualitatem iam in maiora vasa, & intimas corporis partes irrepentem referendam censeo, & ventriculum grauiter à venenata illa qualitate eius affici, quam remedia illam oppugnantia exhiberi possent.

Quibus etiam dolor capitis longe ante febrem oriebatur & quicunque vermes in statu morbi per superiora reiecerunt, etiam interierunt præcipuè, vere, & æstate non ita vero autumnali tempestate. Omnes autem, quotquot euasisse vidi, multum sudauere quinto, & sexto die, quod mihi mirum visum est, eo quod in frequens, & præter rationem, ac leges dierum criticorum; atque ideò ni fallor, omnibus fere recidiua contigit, idque ter, & quater, & iterum per sudores iudicati sunt, præter eos quibus leuia cathartica exhibita sunt; & quicumque ab initio correpti sunt febre continua cum vigore symptomatum, vel alio modo purgati sunt: quibus missus is sanguis, omnes fermè perierunt; Quibus autem circa autumnum pauca remedia administrata sunt, ij citius euaserunt.

Hoc vnum afferam de remedijs, scilicet me vidisse miranda experimenta aquæ theriacalis Bauderonij, & alterius etiam minus compositæ, etiam in deploratis, & quibus maculæ purpureæ, aut varioiæ tunc etiam grassantes retrocesserant.

Alui fluxus in principio fere semper funestus fuit, cum vrina, suspensum, & aliquando sedimentum perseuerans, ac colorem laudabilem habente: ij etiam citius euaserunt, quibus parce missus fuit sanguis, & nulla purgatio exhibita, quæ alioqui periculosa fuit, & multis pernicioſa.

Toto anno sequenti 1651. & præcipuè autumnali tempestate, hoc ego verissimum esse expertus sum, si vnquam alias, quod dicit Fernelius corporibus cacochymis, quibus purgatio necessaria est, eamque respuendo, alimentis potius quam remedijs sese reficere conantur, non se (inquit) sed suam ipsi intemperiem alunt. Sic enim natura cum sit paucis contenta, ita suas functiones, melius perficit, nec putres, aut crudi humores in ventriculo collecti, aut aliunde illapsi, actiones illius destruunt, sicque vita in longiores, & leuiores annos prorogatur solius temperantiæ beneficio, quæ vna est vitæ salubris moderatrix, vt ait Hippocrates, & ante illum Ecclesiasticus verbis prorsus diuinis. Propter crapulam (inquit) multi obierunt, qui abstinens est adijciet vitam. Omnes autem, quotquot à popularibus hisce febribus euaserunt: temperantes erant, & quicumque recidiuam passi sunt (omnes autem ferè patiebantur) hoc contingebat propter cibum, largius, quam par erat sumptum, licet etiam in minori copia, & alimenta facilis coctionis, ac laudabilis succi sumere, viderentur; quod certe omnes fere ægri fatebantur inuito appetitu.

OBSERVATIO XCIX.

Pestis.

QVidam, cui demandata fuerat cura tertiæ partis alicuius vrbis, peste afflictæ, omnes fere curauit vomitorio compositio ex ʒ. ij. cuiuslibet vitrioli, mellis Vnc. ij. & aquæ communis ʒ. vj. simul mixtis, quod exhibebat statim, atque apparebant aliqua signa morbi imminentis, vel præsentis, ita vt vix decem, aut duodecim obierint in suis partibus, cum in reliquis pauci euaderent. Quod semper & vlterius denotat vires, & necessitatem vomitus in tali casu, sicut etiam probant tot Authorum obseruationes, & illæ quas annotauimus ex pestilentia Costensi, in priori editione obseruatione Riuerianarum.

OBSERVATIO C.

Suffusio, & Cataracta.

MUlier 30. annorum, ex confirmata suffusione, quæ cataracta vulgo nominatur, per annum integrum obcæcata, videndi facultatem recuperauit, præmissis vniuersalibus, beneficio aquæ ophtalmicæ Quercetani per longum tempus vsurpatæ & purgationibus interpositis: huic autem loco aquæ chelidonia maioris ab authore præscriptæ substituimus vinum album imitatione prædicti Præceptoris nostri, à quo prædictam aquam cum felici successu multoties præscriptam vidimus & audiuimus.

Puella 20. annorum, dolore intenso, & rubore insigni oculorum, cum lachrymis ferè continuis laborans, per multos menses, tandem eo redacta, vt per annum integrum vix oculos attollere, & sine alterius ope progredi posset. Huic varia remedia omnis generis administrata sunt, sed frustra; soloque setaceo auriculari à me tandem præscripto, curata est, scilicet in extrema parte vtriusque auriculæ facto, cum stylo triangulari ferro candenti foramine, immissisque radicis thymelææ fruticulis, postea emplastro diachylone gummato obuolutis, & ad initar setacei vulgaris bis, aut ter quotidie, si opus sit, renouatis, per longum tempus.

Certè mirum est, & incredibile dictu quantam serosæ illuuiei copiam per huiusmodi foramina depluere sæpè vidimus, ita vt vix decem dierum spatio ea copia per setaceum, quæ aliquando intra viginti quatuor horas per hæc emissaria fluere possit: Nec tantum in eiusmodi fluxionibus ad oculos, sed etiam partes omnes inferiores (præcipuè verò externas) vt pectus, dentes, articulos, &c. hoc remedij genus multum valere sæpè vidimus, multosque ab imminente phthisi ex tenui acrique destillatione, alios ab inueteratis capitis doloribus, curatos experti sumus, dignumque remedium, quod omnes Practici in fluxionibus, tum vacuandis, tum auertendis pro variis affectibus in vsum reuocare non dedignentur.

OB-

OBSERVATIONES
AB ALIIS COMMVNICATÆ.
PRÆFATIO AD LECTOREM.

OMNIBVS, sedulò, & accuratè artem Medicam exercentibus multa frequenter occurrunt obseruatione dignissima, quæ tamen vt plurimum neglecta, infeliciter pereunt, & obliuioni deuouentur. Ea verò, quæ à quibusdam in Commentarios priuatos referuntur, illorum quidem vsui reseruantur; sed vtilitati publicæ nequicquam censerunt. Ideò sedulos quosque artis Professores rogatos velim, vt si publicæ prodesse cupiant, & præclaras obseruationes hactenus collegerint, quæ iustum volumen implere valent publicis iuris faciant. Si verò impar volumini construendo numerus earum fuerit, mihi liberaliter communicare dignentur, eas cum quarta centuriam (quam, si Deus vitam concesserit, breui editurus sum) sub eorum nominibus in lucem prolaturo. Quemadmodum in sequentibus obseruationibus ab aliis communicatis, à me factum videre est: quas hic inde ab amicis collegi, & sub propriis singulorum nominibus edidi. In quibus multa meis præstantiora legentur; vt inde pateat, vnicuique licere artis Medicæ dignitatem hoc scribendi genere vlterius promouere, & aliquod inde nomen sibi comparare.

Præterea benevolum Lectorem etiam mouendum dixi, me hasce obseruationes secundum ordinem, quo mihi communicatæ sunt, describendas curasse. Ne quis de dignitatis ordine parum obseruato conqueri valeat.

OBSERVATIONES COMMVNICATÆ
A D. PETRO PACHEQVO.
Medico Lunellensi Celeberrimo Amico meo Antiquissimo.

OBSERVATIO I.

Inappetentia.

MILES chronica febre malè mulctatus, incipiens iam aliquantisper respirare ab accessionibus, quæ multum pristinæ sæuitiæ deposuerant, supplex à me petit, vt appetentiam in se plane delectam reuocare, alioquin intra quatriduum indubiè periturum. Ego præscripsi potionem ex ℥ß. dia phœnici, cum absynthij vulgaris, & agrimonij decocto postea sequentibus, veluti cotæ, appetentiam acui.

℞. Fol. agrim. absynth. vulgaris, centur. min. ana. M.ß. fiat omnium decocto, decolatura cape ℔.ß. cum pauco saccharo. Lusseram at nouem dies huic decocto indulgeret febricitus noster sed post dies quinques exacto redij ad me enixe rogans, vt caninam appetentiam vsu medicamenti nostri excitatam obtunderem, quod præstitimus abstinendo à potione nostra amara, illique consulendo, vt butyro, pinguedine, & vino generoso vteretur. Plures in talem affectus incidisse eodem remedio testis sum.

OBSERVATIO II.

Colicus dolor.

DN. Præses de Rupemora senior grauissimo colico dolore excarnificatus triduum integrum cum nullis anodynis leuaretur sumpta ℥. j. pulueris intestini lupi cum pauco vino generoso incantamenti instar in pristinam valetudinem erectus fuit. Item presbiter huic valdè obnoxius. Item vidua, quæ Monspelij degens 27. dies crudeles cruciatus tolerauerat. Denique mille alij, quos breuitatis gratia prætereo, nullo iniecto clystere, aut medicamento purgante sumpto, quod admirationem fouet.

OBSERVATIO III.

Colica Nephritica.

VIdua quædam colico dolore; eoque nephritico diuexata, petijt à me, agente in Belilucanis thermis, vt malis suis obuiam rem, quod in momento feci, tussi enim, vt thermas nulla interposita mora descenderet, & statim dolor perfectè quieuit, & mirati sumus, quod nullo prægressus clystere aut cathartico, tam subito leuamen accesserit.

OBSERVATIO XLII.

Alui fluxus cholericus, febribus intermittentibus superueniens.

QVi febribus intermittentibus biliosis, & malignis laborant, præcipuè duplici tertiana, propter multitudinem materiæ biliosæ furentis, in choleram morbum incidunt, recurrente paroxysmo cuius impetum si non frænaueris medicamentis infra statim à me scribendis morietur, æger intra duos aut tres paroxysmos. D. Labrunaus vir literis apprimè tinctus, eiusmodi febre laborans, vix potuit à paroxysmo seruari, cui superuenerat cholera morbus, frigus marmoreum, pulsus minutulus & fermè deficiens, oculi concaui, aliaque horrenda symptomata. Tandem post innumera adhibita remedia quibus multi ægri noluerant vti, qui vale dixerant mundo, è faucibus Orci redijt. Ego vt craftinam tempestatem auerterem, iussi ægrotum panatellis crassiusculis, & gelatinis recreari, vt frænum injceretur humoribus sequenti die seuituris. Epithemata, & opiatas præscripsi ex conserua rosarum, bugloss. borrag. myrobal. saccharo conditis, margaritis, tribus verò horis ante paroxysmum, clysterem hunc mirabilem injciendum curauj, sine quo actum erat, ni fallor. de meo amico.

℞. Rosar. rubr. M. j. coquantur in iusculo capitis, & pedum veruecis, in colaturæ ℔. j. dissolue theriacæ recentis ℥. 2. vitellum n. j. fiat clyster, quem retinuit ad reditum vsque paroxysmi, qui fluxum reduxit, sed minorem multò. Huic methodo inhærens multos, deploratos seruaui.

OBSERVATIO V.

Hæmorrhoidum dolor.

MVlti in hoc cœli tractu æstuoso cæcis internisque hæmorrhoidibus laborant, quibus summus dolor creatur. Ab excrementis etiam induratis, & suppressis, propter tumorem illarum intestinum claudentem, sæuissimus excitatur cruciatus. Vulgus Medicorum cassia ventrem emollit, vt liberius aluus deponat sua excrementa, sed malè profectò. Cùm enim venæ inflantur in sede potissimum, propter insitam mollitiē, qua paratæ sunt sanguinem recipere; accidit, vt vsu cassiæ ita molliantur, vt in posterum, luxuriantem sanguinem facile recipiant, affectumque hoc modo magis augeant. Ego verò à mulierecula stipem emendicante didici infundere mille foliū in aqua feruente, & bibere infusionem illā per mensem integrum, aut diutiùs, & omnes tali affectu laborantes sanati sunt.

Do-

Domina Dumasia, malè habita à tumẽtibus venis sedis. Vxor Creancerij Chirurgi, fuerunt hac arte curatæ. Tandem hoc ipsum remedium reperimus apud Arnaldum de Villanoua, cap. de hæmorrhoidum doloribus. Idipsum remedium ac fluxum illarum immoderatum valdè confert, si prædicto Arnaldo credere est, & ratio etiam suadet.

OBSERVATIO VI.

Ictus vespæ.

CVm vespa manni aculeum meæ fixisset, dolor adeò sæuus exortus est, vt impar essem ad ferendum malum. Admota theriaca in momento cruciatus cessauit. Sed cum post tres horas theriacam illam admotam abiecissem, redijt dolor crudelissimus vt antea, qui sopitus est eodem remedio, parti per diem integrum admoto.

OBSERVATIO VII.

Epinyctides.

CVm nullis remedijs epinyctides potuisse curare in atrabiliario venatore, mulierculæ consilio, illitæ fuerunt oleo iuniperino, & vir iste placidè dormiuit, cum antea insomnes nocte, duceret, & sanatus fuit.

OBSERVATIO LIII.

Conuulsio.

IVuenis toto corpore conuulsus erat, ita vt spina dorsi non posset inflecti. Sequenti remedio statim expedite ambulauit.

℞. Butyri rancidi, & laridi veteris ana quart. j. bdellij, ammoniaci ana ʒ. j. myrrhæ, castorei ana drach. 3. flor. stachad. antos ana P. j. nucis moscat. & garyophyll. an. ʒ. j. carum paruum exentereatum, excriatum, & in frustra concisum. His inferciatur anseri, & consuatur, & torreatur in veru, primus qui defluet succus, abijciatur, secundus qui defluet, colligatur in vase aceto semipleno, pro spinæ conuulsæ. Remedium est diuinum.

OBSERVATIO IX.

Faciei tubercula retrocedentia.

CArmelita quidam, comis certe, & optimis moribus prẽditis, sed tuberculis eminentioribus, rubris, ac crassis, per totam faciem sparsis de honestatus me inuisit, quem prima fronte non cognoscebam, quod prædictæ pustulæ nullo artis præsidio, sed sponte detituerant, complanatæque fuerant. Huic prædixi in grauissimum morbum breui casurum, nec fefellit, coniectura, nam intra 15. dies, in continuam febrem incidit; à qua de medio sublatus est.

OBSERVATIO X.

Hysterica passio.

PVellà quædam viro matura, motibus quibusdam conuulsiuis, vagis tamen affligebatur, ex quibus conieci (vt etiam ex doloribus vteri) illam suffocatione laborare, missis ex antro pudoris vaporibus; sequenti remedio momento liberaui.

℞. Vssæ fœtidæ ʒ. ij. castorei, feculæ bryoniæ an. ʒ. j. sem. rutæ ϑ. j. croci ϑ. ß. laudani Paracelsi gr. 8. (quæ cerie addidi, tum consilio Hippocratis, qui succum papaueri somniferi præscribit in suffocatione vterina lib. 2. de morbis mulierum sect. 5. pag. 237. circa finem Hippocrate Fœsij) cum vt cætera remedia admixta laudano contemperarem, cum syrupo de arthem. fiat massa pilul. de qua capiat ʒ. j.

OBSERVATIO XI.

Dolores a Partu.

MVlier temulenta sæuissimis à partu exercebatur doloribus, qui post alia remedia huic præsidio cesserunt.

℞. Galbani, assæ, fœtidæ ana ʒ. j. paretur emplastrum rotundum, cum quatuor granis moschi in medio, admoueatur paulò infra vmbilicum. Vterus conglobatus in inguinales suos repetit, & dolor euanuit.

OBSERVATIO XII.

Ad dolores vesicatorij.

DN. Amalricus comate laborans, & ab eo emersus, conquerebatur mirum in modum de dolore à vesicatorio excitato, sed cum nullo anodyno potuissem illum sedare, Domina Ranchina vxoris meæ soror solo hydræleo lenijt. Ego mulierculam vesicatorio excarnificatam breui sic, & omnes alias, quæ in tale tædium inciderunt.

℞. Corticis secundi, & viridis rami sambuci cultello derasi M. j. coquantur in oleo dulci cum pauca aqua ad consumptionem aquæ, colaturæ adde ceræ parum, fiat vnguentum, quo dolores omnes à vesicatorio excitatos demulcebat diuinum mehercule est.

OBSERVATIO XIII.

Tumor cruris.

VXori Dn. Instamondi crus intumuerat, quod gangrænam minabatur, calore natiuo ab humerum pondere suffocato iam, & obruto. Secta vena, syrupi de rhammo Unc. j. exhibui, cum pauco decocto cicerum rubrorum, & crastina die detumuit bene membrorum affectum. Hoc etiam obseruaui in pluribus alijs mulierculis, quas notaui crurum tumoribus magis obnoxias, quam viros, quod sit vterus corporis sentina, iniquam confluit, cumultarumque humorum colluuies, & in coxas vicinas excrementa sua deponit.

OBSERVATIO XIV.

Mammillarum fissuræ.

VXor mea male mulctabatur mammillarum fissuris, quas multo remedio potueram sanare. Mulier pannosa, & annosa breui curauit, illico denucleis oleo recens expresso, sinapisato saccharo desuper, tenuissimè puluerato. Balsamum sacchari idem præstat, quot centies obseruaui.

OBSERVATIO XV.

Hydrops.

SAbardetus presbyter, post vomitum sanguinis libratum octodecim, in hydropem ascitem incidit, a quo eum liberaueram infuso rhabarbaro in aqua communi pro potu ordinario: sed cum genio indulgeret, nec memor esset prætorium malorum, redijt hydrops, quo de medio sublatus est.

OBSERVATIO XVI.

Hæmorrhagia.

RVsticus ex hæmorrhagia liberali, iam vicinus morti, me accersiuit: sed cum nulla remedia contulissent instilla ui in aurem è directo natis sanguinem fundentis guttas aliquot aceti rosati, & sanguine fluxus statim substitit. Dediceram à Dn. Pontando, qui viderat hoc remedium à Belga Medico factitatu, legi apud scribonium Largum cap. de hæmorrhagia.

OBSERVATIO XVII.

Singultus.

DVmasius Centurio febre tertiana laborans, sumpto syrupo de papauere in medio paroxysmi: tam importuno singultu premebatur, vt pene moreretur, sed cum nec aloe sæpius sumpta, nec alia medicamenta potuissent affectum illum sanare; tandem consilio ægri nostri misimus ad thermas Balerucanas, quæsitum aquam, qua copiosè epota, vt in thermis fieri solet, breui curatus est, fusis, & detersis humoribus à syrupo tunicis ventriculi infixis.

OBSERVATIO XVIII.

Fluxus sanguinis ex auribus.

VIdi Brousolum Giniacensem, qui cecidit ex equo in lapides, & supra aurem dextram, è qua lb. 3. sanguinis effluxerunt

fluxerunt. Vidi etiam plurimos, qui sanguinem copiosum ex casu, auribus reddiderunt, nec obierunt. Quotquot autem vidi ex casu per aures sanniosam materiam reddere, omnes de medio sublati fuerunt.

OBSERVATIO XIX.

Venus languida.

MUlier mollis cupidissima, sed appetentia veneris nullo modo lacessita, à me petijt, vt stimulos veneris in se emortuos (vt dicebat) accenderem: quod feci sequenti opiata.

℞. Conseruæ radic. eringij, & satyrionis maris ana Vnc. j. corticis arantiorum melle conditorum drach. 6. nucem iuglandem conditam n. j. confect. alKerm. Vnc. ß. ambræ grisea, formicarum volantium an. ℈. j. moschi gran. 6. cum syrupo conseruationis corticis citrij fiat opiata, de qua capiat ante leuem cenam, ad molem paruę castaneæ, superbibendo parum vini Hippocratici. Illa confessa est, se miram percepisse voluptatem post vsum opiatæ nostræ. Nihil autem efficacius inuenitur, quam litus regionis vteri, ex oleo de formicis volantibus, quod sic fit.

℞. Formicarum volantium Vnc. ij. infundantur diebus canicularibus in oleo ad solem feruidum per quadraginta dies.

OBSERVATIO XX.

Dolor pleuriticus.

PUellla atrabilaria sæuissimo pleuritidis dolore excarnificata, iam vndam lethæam bibebat; è qua eam retraximus sic.

℞. Olei amygd. dulc. Vnc. ij. laudani Paracelsi gran. 3. paulo post quieuit dolor, & melius habuit.

OBSERVATIO XXI.

Hypersarcosis.

LAborabam vlcere sub vngue pollicis pedis delitescente. Huic vt obuiam irem, iussi Chirurgum, è directo vlceris vnguem superpositum incidere, & foramen efficere, vt remedia vlceri admoueri possent; sed caro fungosa supercreuit: quam cum sæpius deleuissem, iterum crescebat. Quare post longum vsum aluminis vsti, decreui remedium nouum experiri. Præcipitato igitur rubro, bene loto, & nullo modo dolorifico vsus sum, ad carnem superfluam abolendam, quod breui factum, nec amplius pullulauit.

OBSERVATIO XXII.

Vulnerum prognosis.

IN obsidione Monspelienſi, multi milites in manibus præcipuè sauciati, conuulsione musculorum temporalium intra aliquot dies corripiebantur, & omnes moriebantur vt vidimus nos. Dux quidam in pugna illa cruenta facta Caluissoni à Mareschallo Dutrec, & Duce Rohanno, sauciatus fuit in femore, vulnusque ad periostium vsque penetrauit. Conuulsio successit partibus femori vicinis, & sensim ad crotaphitas musculos vsque ascendit, mortemque inuexit. Qui tali conuulsione corripiuntur, non possunt aperire os loquuntur initio conuulsionis expeditè, nec sentiunt res suas malo esse loco.

OBSERVATIO XXIII.

Hypercatharsis.

BAro Caluissionis post sumptum puluerem diacarthami; me repugnante, centies euacuatus est. Hunc saluum fecimus sic.

Primò ex iusculo, in quo rosæ coxerant, & flores chamomillæ, cum pauco sacharo, & vitello oui, clysterem paraui-mus, postea sequentem iniecimus.

℞. Iusculi capi ℔. j. sacchari Vnc. j. laudani Paracelsi gr. 5. vitellum oui num. j. super purgationem statim composuit. Loco laudani addatur theriacæ recentis ℥. j.

OBSERVATIO XXIV.

Sitis intensa.

DN. Viuentius, febre continua laborans, tam intensa siti vexabatur, vt crederet se esse vnum ex batulis illis Parisiensibus, qui aquam per vrbem circumferunt, clamabatque diu, ac noctu sic (de l'eau) sed cum sitis eius nullis potuisset extingui remedijs, cessauit, sumpta ℥. j. ß. salis prunellæ cum aqua communi. Item Simeonmeus, sumpto syrupo de rhamno, tam immensa siti premebatur, vt ferme moreretur, sumpsit ℥. j. salis prunellæ, & sitis statim desijt.

OBSERVATIO XXV.

Variolæ.

VIdi filium Dn. Martineti variolis laborantem cum signis laudabilibus, febris enim post exortum pustularum remiserat, respiratio libera erat, nullus alui fluxus, tuberculæ eminentia, satis, somnus mediocris, benè se habebat ad ea, quę offerebantur, subitò tamen, & sine manifesta causa pustulæ sese occultauerunt, morsque secuta est illarum occasum. Idipsum vidi in pluribus alijs eodem morbo afflictis, quibus omnibus mortem certissimam portendi.

OBSERVATIO XXVI.

Prognosis lethalis.

DN. Engaranus filius febre afflictus, non poterat deglutire, sed potum naribus, reijciebat, musculis œsophagi (ni fallor) resolutis, obijt. Item cum non esset vultu matri similis, illius tamen vultus materno erat similis ita ante obitum, vt astantes omnes mirarentur. Item neptis mea nullo modo matri similis, paulo ante mortem matris imaginem præseferebat. Omnes autem ægroti, potum naribus reijcientes, aut repræsentantes atauos, auos, aut parentes, perierunt, quod mirabile est.

OBSERVATIO XXVII.

Sudores nocturni.

VXor Dn. De Ladauese singulis noctibus post expürgatam febrem sudabat. Huic præscripsi iulepum refrigerantem ex aquis cichori, & bugłosi, cum syrupo de pomis, nec imposterum sudauit; vnde conijcio, sudores in somno erumpentes, non esse semper signum humorum luxuriantium, sed aliquando caliditatis. Nam sani; calido temperamento donati, noctu sæpè sudant. Adde quod prædicta domina sine vlla euacuatione naturali, aut artificiosa curata est.

OBSERVATIO XXVIII.

Hæmorrhagia ex dente auulso.

DOmina Uiuentia cum sibi dentem auulsisset, tam copiosa hæmorrhagia successit, vt ferme moreretur, irritis omnibus remedijs. Uocatus iussi, vt emplastrum contra rupturam satis magnum tempori, denti auulso respondenti, admoueretur. Item vt alueolo è quo dens extractus erat parum colcotharis puluerisati adhiberetur cum cotone, & digno continueretur. His satis intra horulam subtitit sanguis.

OBSERVATIO XXIX.

Pleuritis.

OMnes pleuritici, qui vomunt statim in principio morbi, euadunt, vt in infinitis obseruaui, leuata pleura ab humorum sarcina, vomitus beneficio.

OBSERVATIO XXX.

Sanguis menstruus.

SAnguis menstruus mulierc ularum, præcipuè beneuolentium, odorem florum calendulæ spirat. Hinc conijcio, similitudine quadam substantia calendulam mouere menses.

OB-

OBSERVATIO XXXI.

Artrhitis.

DOmina de Cottereau arthritide vniuersali laborans, nella enim corporis pars vacabat à dolore, liberata fuit beneficio croci metallorum, quidquid dicat Hippocrates de 40. diebus.

OBSERVATIO XXXII.

Vteri dolores.

MVltas mulieres cuias vidimus, vteri doloribus excarnificatas, quę parum leuaminis à laudano nostro sentiunt Exhibita verò ℥. j. antidoti asyncriti, statim dolore vacant. Quod ego valdè miratus sum, nec contemnas.

OBSERVATIO XXXIII.

Balneum calidius.

HOnestissima mulier in cuitu balnei calidioris, in tantam totius corporis phlogosin inciderat, vt nullo temporis punćto à doloribus, & anxietatibus quiesceret. Cumque omnia refrigerantia, tam interna quàm externa, in vsum reuocata fuissent in cassum, balneum ex sola aqua tepida eam ab omnibus doloribus liberauit, quod animum meum valdè anxium leuauit.

OBSERVATIO XXXIU.

Ventriculi dolor.

BIlioſi, macri, ruſſi, raræ texturæ, ineunte æstate dolore ventriculi exercentur, quia cum orificium illorum præditum sic accerrimo sensu, à biliosis humoribus (antea à veris, & hyemis temperie, aliquo modo frænatis,) vellicatur. Medela est purgatio ea tharbarbaro, tum dare bis, aut ter mane laudani Paracelsi gran. 3. aut 4. certe obtuso ventriculi sensu multò melius degunt.

OBSERVATIO XXXV.

Scabies tibiarum.

AD magnam illam scabiem, quæ in tibias excuritur post morbos longos, & præcipuè febrem quartanam, doloribus sæuissimus iunctam, nihil inueni in tota Medicina efficacius sequenti vnguento.

℞. Vnguenti Basilic. Vnc. 4. terebinth. Vnc. 2. oleirof. ℥. 4. vitellos ouor. n. 3. ceræ, tantillum fiat vnguentum, quo intingantur partes scabie laborantes.

OBSERVATIO XXXVI.

Oris inflammatio ex hydrargyrosi.

VNguento mercuriali inunctis inflammatio, & vlceratio oris ex saliuatione accidit, quibus aliquando difficillimè occurritur. Ego cùm quendam inungi curasse; tanta in ore excitata est inflammatio, vt penè in desperationem venerit, quæ irritis alijs omnibus remedijs, solo iusculo expulso comparato sine vllis herbis, omnimodum leuamen accepit, retusa virulentia, vt puto, mercurij à benigniori pulli substantia.

OBSERVATIO XXXVII.

Hemicrania.

POst hæmicraniam quindecim annorum, accidit, mihi apertio venæ in superiori labio, è qua singulis mensibus ℔. 4. aut 5. sanguinis ferue ntissimi, & salsi profundebantur. Tædium hoc amolitus sum secta vena brachij è directo labij affecti, bis singulis mensibus, & educto liberaliter sanguine hæmicrania cessauit.

OBSERVATIO XXXVIII.

Capitis contusiones.

PVella annos nata 20. lapide percutitur, paulo supra frontem, non deserit consueta munia. Illa tamen post, tres dies de dolore capitis obtuso conquerit, somnolenta sit, febris exigua ad modum est; decimo septimo die, motus quidam conuulsiui apparent: vigesimo, rupto abscessu, & excreto è naribus viresćente pure, moritur. Dn. Uiuentius in posteriora cecidit, mansit dies aliquot negotijs suis intentus, posteà verò cœpit delirare, ignem petere, dicens se frigere, somno lentus erat, nox erat laboriosa, manum subinde capiti admouebat; vndecima die, rupto abscessu, ore excreuit materiam purulentam, & statim mortuus est. Nepos meus cũ contusionem capitis accepisset, tristis factus est, dolore capitis leuiter conquerebatur. Tandem post mensem incidit in febrem continuam cum somno ent a, & capitis dolore, surgebat subinde, & clamabat, septimo die morbi, excreto pure per nares, vitam statim cum morte commutauit.

OBSERVATIO XXXIX.

Impetigo, & pruritus totius corporis.

MUlier quædam piscatrix, ferina totius corporis impetigine laborabat cum tanto pruritu, vt perpetuò sese scalperet, nec posset punctum temporis quiescere. Mane ex perpetuo scapin squammarum M. 3. aut 4. in lecto colligebantur, piscium squammis similium. Ego imperato victu ex pullis gallinaceis, carne hædina, & hordeatis, primò præscripsi bolum ex cassia, posteà venam brachij vtriusque basilicam aperiendam curaui, tum fronti, & vtriusque malleoli, vt vitiosum ex toto corpore sanguinem exhaurirem. His peractis, sequentem syrupum magistralem per triginta dies imperaui.

℞. Folior. sennæ mundat. polypod. querc. recentis an. Unc. 4. epithymi ℥. j. ß. rhab. electi ℥. j. sem. anisi dr. 3. santal. citr. dr. 1. ß. infundantur per noctem in succo pomorum, per residentiam depurato, postea coquantur, vt artis est, addendo sacchari q. s. recoquantur, in syrupum perfećte coctum cuius capiat prima, & secunda vice ℥. 2. aut ℥. 2. ß. cum sero lactis. Alijs diebus huius syrupi capiebat cochlearia duo manè, sic enim aluus libera seruabatur; & materia illa sensim, & pedetentim vacuabatur. Tabellas diarrhodon. abbat. aliquando sumebat mane, post assumptum syrupum. Iusculis pullorum indulsit per pluries dies, quibus maximè infracta est vis atrabilarij humoris. Tandem ad aquas Meynensis ægram nostram relegauimus, quarum frigiditate, temperato hepatis incendio, in perfectissimam valetudinem restituta fuit, nec ab annis quindecim postea opem meam imploraut. Filius maritus lepra perierat.

OBSERVATIO XL.

Lumbrici per vrinas excreti.

JUuenis quidam, renum dolore, excarnificatus, excreuit cum vrinis vermes plurimos nigros, & magnitudine, & longitudine acus communis, cornutos, & friabiles, quorum duos misimus ad te, si bene memineris.

OBSERVATIO XLI.

Stultitia.

DN. N. post vsum longum aquæ papaueris rheados infatuatus est, tandem obijt. Aperto cranio, cerebri ventriculi inuenti sunt à me pleni humore nigro, atramenti æmulo, summè fœtido.

OBSERVATIO XLII.

Ferina destillatio.

PLurimos vidi ferina destillatione laborantes, tanto sudore diffluentes, vt in summam virium dejectionem venirent, quem cohibimus hoc modo.

℞. Thuris, mastich. santali rubri, granor. chermes, rosar. rubr. an. Vnc. j. fiat pulvis quo sufficiantur capitis operimẽta.

OB-

OBSERVATIO XLIII.

Oculorum maculæ.

AQua mellis oculorum maculas certissimè delet, si penicillo illas tangamus, sed oculorum dolor, si quis sit, primò mulcendus est enim dolorifica, quod notandum.

OBSERVATIO XLIV.

Testium magnitudo præternaturalis.

DN.N. testiculos magnos admodum habebat à natura, vt multo interuallo superarent magnitudinem testiculorum equi; ille nunquam prolem suscepit: illius, vt credo, instrumentis parum aptis, aduenerit sacra. Intumuit scortum post casum ab equo instar sphæræ, qua trunculis luditur, tumor ad suppurationem versus est, ex quo puris insignis copia effluxit. Vlcere detersò perfectè, deciderunt testiculorum fistula omninò lapideæ; similiceam enim duritiem æmulabantur, & maleolo in multas partes dissiliebant, vt cæteri lapides. Corporis, & animi functiones parum erant immutatæ. Tandem post aliquot dies superuenit febricula cum anxietate, & siti, quæ paulò post accepit incrementum, pulsus, è directo testiculi affecti valdè imminutus erat, priusquam in alio latere mutaretur: successit saturatus rubor in facie, nec non exanthemata rubra in corpore vniuerso, quæ breui mortem adduxerunt; certè hæc historia notatu dignissima est.

OBSERVATIO XLV.

Gemelli in vtero.

VXorem meam, & multas alias mulierculas geminam prolem parituras prædixi, quarum matres gemellos ediderant, grauiditas illis molesta præter morem, vterus maximè turgeret, & breui tibiæ, & pedes inflarentur, parumque moueretur fœtus vltimis mensibus conclusus in angusto loco propter locum dimidium loci occupantem: raro in prædictione aberrauimus.

OBSERVATIO XLVI.

Sanguis eductus actu frigidus.

VIdi mulierem, natura admodum iracundam, febre continuam laborantem, cui secta est vena, me præsente, sed cum sanguis inflicto scalpelli vulnere ad me peruenisset, percepi illum actu frigidissimum; niuis enim, vel glaciei frigiditatem æmulabatur: intra dies quinque à secta vena obijt.

OBSERVATIO XLVII.

Saluatellæ apertio in quartana.

SAluatellæ sectio maximè prodest in febre quartana Domina Trostella quartanaria, secta hora vna ante paroxysmum saluatella, confessa est paroxysmum multum imminutum fuisse; secunda vice, fermè extinctum esse, post tertiam saluatellæ apertionem, omninò desijsse accessiones.

OBSERVATIO XLVIII.

Impetigines.

DOmina de Castelan laborabat fœda, feraque impetigine vtriusque manus, propter quam tædio maximo afficiebatur. Venæ sectionem, cathartica, & omnia alia remedia respuebat. Hanc paucis diebus sic curaui.

℞. Vnguenti rosati ℥.3. præcipitati alb. ℥. 4. misce pro litu partium.

Hoc remedio prædicta domina matronam quandam magni nominis in Prouincia, vt retulit mihi, eodem morbo afflictam curauit.

OBSERVATIO XLIX.

Scirrhus lienis.

VEtula scirrho lienis laborans supra modum anxia petijt à me, vt mala sua lenirem; cognoscebat enim nullis posse præsidijs libitinam euitare. Dedi pilulam ex gr. 4. laudani contectam, qua grauia omnia symptomata quieuerunt, præcipuè summa spirandi difficultas, qua premebatur; quod miratus sum.

OBSERVATIO L.

Epilepsia puerilis.

PUeri fermè omnes, qui aluum adstricta habent, obnoxij sunt conuulsionibus, vt ex Hippocrate didici, & experientia. Filius Caroli mei adstrictione alui perpetuò laborans, conuulsus perijt.

OBSERVATIO LI.

Animi deliquium ex venæ sectione.

MUlti venæ sectionem, & sanguinis effusionem benè tolerant, sed dum soluitur ligatura, & vulnus occluditur, in animi deliquium incidunt. His subueni es iusculo optimo ante venæ diuisionem exhibito, quod non semel obseruaui.

OBSERVATIO LII.

Dolor Ischiadicus.

MVlti sunt, qui acutissimis doloribus exercentur ischiadicis, bilioſi, & æstatis tempore, quos non excrucio medicamentis calidioribus, sed secta vena post clysterem purgantem, injicio secundum clysterem cum iusculo, & laudano. Sic Lunelli sanaui tuum Iacobum salibus, & dicterijs ditissimum.

OBSERVATIO LIII.

Impetigines.

PVer annos decem natus, impetigine affligebatur, quæ pichoroſam materiam sudabat. Succedente Boreali constitutione, suppressa est fœda illa materia, & in pulmonem conuersa, quæ horrendum excitauit asthma: quod desijt, recurrente statim constitutione Australi.

OBSERVATIO LIV.

Ad puris attractionem ex abscessu pectoris, & alijs.

MIles sauciatus in pectore, nullum sanguinem reddidit per diem septem. Consilio Chirurgi emplastrum vulneri apposuimus, quod magnam puris quantitatem eduxit. Sigillorius etiam tumore ad suppurationem verso exercebatur, sed cum non fuisset apertus, vt decebat, & in tempore, æger videbatur in alea vllæ concentrato, & occultato pure, quod attraximus beneficio sequentis emplastri.

℞. Resinæ pini recentis, elatæ, & odoratæ ℔. j olei laurini, & terebinthinæ, an. Unc. ij. gummi elemni Vnc. 4. Primò oportet resinam, & gummi pelui manere, donec misceantur, posteà addes terebinthinam, & oleum, omniaque simul bullant iterum, tum demum per linteum crassius transcolentur. Extendatur pars huius materiæ supra alutam, fiat emplastrum, quod vulneri apponatur. Mutetur autem hyemis tempore semel in die tantum, æstate verò bis in die, & mirabilia videbis neque puto in omnibus nostris obseruationibus aliquid certius reperiri, vt discere poteris ex Pareo lib. 10. de vulneribus pectoris, & thoracis cap. 30. Prædictum autem emplastrum debet in medio perforari incisuris duabus, aut tribus longis, vt pus attractum facile effluat.

OBSERVATIO LV.

Anodynum ad dolores impetiginum.

MVlier animosa, fera impetigine laborans cum summo dolore, irritis omnibus remedijs sequenti cataplasmate mirum in modum fuit leuata.

℞. Putria poma num. 6. per setaceum transmittantur, quibus adde olei rosacei ℥. ij. lactis muliebrum parum, fiat cataplasma, quod admoueatur parti dolenti. Longa autem experien-

rientia didici, putria poma dolorem magis lenire, quam cocta, quod semper aliquod empyreuma præseferant.

OBSERVATIO LVI.

Febres æstiuæ puerorum.

MEnse Iulio, Augusto, & Septembri, magnus infantium numerus moritur lactentium, quos nostrates mulierculæ vermibus laborare asserunt. Ego verò asseuero, mortem prouenire ab acriusculo nutricum lacte, quo inflammatur ventriculus. Nam frigus extremorum adest, sitis inexplebilis, anxietas ingens, nausea, vomitus, diarrhæa, vt testis sum. Quare vena secanda est. Posteà verò regioni ventriculi admouendum sequens cataplasma.

℞. Farinæ hordei ℔. j. micæ panis ʒ. iiij. coquantur leuiter in lacte caprillo, addendo postea succi solani ʒ. j. olei rosati q. s. Misce fiat cataplasma ad dolorem inflammatorium leniendum. Debemus etiam nutricem mutare, & mucilaginem sem. psyllij cum saccharo pauco rosato exhibere ægro ex cochleari. Iuscula pullorum, portulaca, & acetosa, aut lactuca alteranda. Item animalium per dorsum diuisorum admotione calorem furentem foras allicere.

OBSERVATIO LVII.

Lumbrici.

NOstrates mulierculæ putant omnes pueros vermibus laborare; sed cùm nullus reijcitur vermis, eos dicunt in humores putridos fuisse conuersos, nec malè: nam vt vermes in phiala concluſi, & fimo calente obruti, breui conuertuntur in pastam cur in corpore nostro, cuius calori qui fimi calori respondet, non idem fiet, vermibus enecatis ab amaris medicamentis. Certè hoc videtur mihi ratione consentaneum.

OBSERVATIO LVIII.

Hysterica symptomata.

MElancholica mulier, suffocationi vterinæ obnoxia, maximam vrinæ quantitatem profundebat, crudam, nulloque colore tinctam, semel in die qua extra, symptomatum illius statim emergebat, velut ex equo Troiano, quorum causam difficillimam esse puto: Nam modo capiti dolor eam exercebat, modo cordis palpitatio, modo lipothymia, modò nausea, modo sudatiuncula in collo, & fronte apparebat, modò horrore totum illius corpus quatiebatur. Sed vnde nam eiusmodi symptomata? Puto certè debere referri ad vterum, corporis muliebris sentinam. Cum enim prædicta symptomata non nisi excreta vrina seproderent, in ea sum sententia, vesicam vrina distentam, vtero superpositam, motè sua vterum cohibere. Hinc fit, vt impuritates, & vapores, in antro coerciti, non possint liberè sæuire in alias corporis partes, euacuata verò vrina, putridi illi humores sui iuris fiunt, & varia illa accidentia pariunt.

OBSERVATIO LIX.

Vomitus horrendus.

PVella annos nata 25. conquerebatur die lienis dolore, altè sebulto, cui succesit scirrhus. Vomebat singulis diebus, sed tamen per interualla 20. aut 22. ℔. materiæ viridescentis, In dirum hydropem incidit mense Nouembri, & 16. die Ianuar. obijt. Vidi rusticum, qui materia illius viridescentis ℔. 20. 25. aut 30. vomebat fermè singulis diebus, sed tamen per interualla, vt prædicta nostra puella, quem vsus chalybis seruauit. Sanatus enim fuit, & hodie perfecta sanitate fruitur, quod certè notandum est.

OBSERVATIO LX.

Catarrhus.

NIhil magis sistit catarrhum immoderatissimum, quam sequens Rulandi cataplasma.

℞. Formenti acrioris ʒ. 2. carabes pulueratæ ʒ. 2. fiat cataplasma quod vertici, raso capillitio, admoueatur.

OBSERVATIO LXI.

Febris ex pluuia.

PLurimi madidi pluuia, in morbum incidunt, & in febrem continuam sæpissimè, prohibita cutis transpiratione, quæ febribus excitandis valdè est idonea. Post venæ sectionem nihil inueni vtilius, quam decocto sudorifico corpus relaxare.

℞. Radic. salsæ parill. ʒ. j. sem. cardui bened. ʒ. ß. fol. scabiosæ, calendulæ vna m. ß. fiat omnium decoctio, quæ calide hauriatur, addito pauco vino albo, aquæ theriacalis guttis aliquot. Vidi multos Medicos, qui nullo modo de sudorificis cogitauerant, videntes autem potionis nostræ effectum laudarunt illam.

OBSERVATIO LXII.

Variolarum prognosis.

QVotquot variolis aut morbilis laborantes vidi, quitensione, meteorissimo ventris, cum anxietate huc atque illuc agitabantur intra paucos dies obire vidi, præcipuè si dolor iunctus fuerit.

OBSERVATIO LXIII.

Prognosis ex anni constitutione.

ANno 1640. vndecimo mensis Octobris die 12. 13. 14. 15. tam asperum frigus sæuit, vt amnes, & riuuli nostri omnes glacie frænarentur. Februario mense sequenti lateris dolores superuenerũt qui plurimus de medio sustulerunt.

OBSERVATIO LXIV.

Prognosis in febre continua.

INfinitos vidimus, in febre continua nullo modo dormientes, manentes tamen quietos sine vlla querela nullo modo loquente, nisi interrogarentur. Quibus si pulsus contrectaretur, retrahebat manus tremulas, quasi vitæ suæ timerent. Eos omnes vale dixisse terræ vidimus.

OBSERVATIO LXV.

Dentium caries.

INfinitos in hoc cœli tractu videmus dentium doloribus excarnificatos, propter dentes corrosos, & cauos. Ego cauitatem dentium therebinthina impleo, & cauterio actuali dentem inuro fœliciſſimo cum successu.

OBSERVATIO COMMVNICATA AD. DABADIE, MEDICO Tholosate celeberrimo.

Scabies pruriginosa in sene octuagenaria.

ILlustrissimus Senator, & Decanus D. de Maussac, octuagesimum quartum annum attingens, à primordijs mixta crasi prædituspræpollente sanguine bilioso, vnde emersit habitus inter carnosum, & excarneum medius, cum liberali procerit ate, & decora structura totius compaginis. Præterea versatili ingenio, & eximia in disceptandis litibus solertia, in tam prouecta ætate insignis, eleganti valetudine fruebatur, absque vllo discrimine tempestatis frigidæ, vel æstuantis, de cuius tamen vel integritate ter fuit dejectus intra quinquennium ex ἀπεψίᾳ, siue organi, ventriculi scilicet, ætatis decursu fatiscentis damno, sine vitio obiecti: quamuis enim nunquam expleatur epulis, nec genio indulgeat, edax tamen est acetorium, fructuumque horæorum, qui, etsi familiares naturæ nostræ, concoctuque faciles videantur, vix tamen in probum sanguinem mutationem suscipere possunt vnde praui succi generantur, & succrescunt, qui aliundè ad putrendum exiguam occasionem nacti, non rarò febres malignas accendunt, hoc manente Gal. 2. de anim. facult. Quod moris accendunt, hoc manente Gal. 2. de anim. facult. Quod venerando seni contigisse obseruauimus, influente Maio in primis

primis, sequenti anno post ἐπωρὰν, postremò circa occasum pleiadum & grauiùs; ita vt in febrem acutam inciderit cum exacerbatione, alternis diebus grauiore, post cuius insultum perturbata fuit aluus, ductaque ἄνω καὶ κάτω pituitoso humore excrementitio, bile tandem concitata perfuso, cum δυσφορίᾳ & cardialgia graui, quæ sunt morbi cholerę, saltem spuriæ argumenta, à quo discrimine emersus septimo, natura ad commune emissarium morbificæ causæ reliquias propulsante. Vnde totius habitus fœda prurigo partim in tibias, potissimum sinistram, in qua erysipelas exortum est, cuius materia ferè discussa, superstes fuit erysipelatosa quędam διάβασις, siue effusio instar herpetis militaris, cum molesto prurito, crebrò stimulante ad scalpendum, ab ichore multiplici salso, acri, putrique, per vtramque tibiam effuso, qui cacochymiæ dissimilaris est soboles, & cachexiæ, quæ senibus familiaris, eo grauior erat, quo pedes, & tibiæ subtumescerent, cuiusmodi affectus non exiguam viscerum labem denunciabant, maximè recoris, cuius vitiatam diathesin à prægresso ardore febrili, cum ætatis multum prouectæ beneficio, vix pristinæ sanitati restitutum iri suspicandum erat.

Curatio, primis insultibus inaugurata fuit coeffusione humoris excrementitij, in ventriculo fluitantis, concitato magis vomitu, cùm iam vomituriret; quo sedato aluinæ regionis subsidens impuritas clementiori cathartico fuit expurgata. At cum huic curationis ornamento non cederet nimis cruda feraque affectio; de venæ sectione deliberatur, circa quam celebrandam dissidant sententiæ, illa reclamante ætate prouectiore, & inchoata cachexia, quæ abundè elucebat ex pruritu stimulante ex pedum, tibiarumque inflatione. Veruntamen febre ingrauescente, sanguis mittitur, nec immeritò; cum periclitari melius sit, quàm omninò perire: conspurcatus effluxit cum εὐφορίᾳ, septimoque iudicatus est, depositis materiæ morbificæ reliquijs ad corporis habitum, & tibias. Post aliquot dies repullulantem cachymiam iterum repurgandam censuimus, vt ad vsum balnei suauis liceret tutiùs confugere, tum ad procurandam ἐκδιαφόρησιν, contemperandum feruorem, & acrimoniam humorum vaporumque tum ad illos, laxata cute, euocandos. Balneo per plusculos dies administrato, prurigo molestior euasit, euocata à centro ad peripheriam cacochymia, nondum satis exhausta, quare cum illustris Senator iteratam purgationem respueret, στίμματιν, moliri apud me decreui, explorando vsum lactis asinini, quod interdum loco lenientis, & purgantis, medicamenti eligitur ab Hippocr. potissimum, quarto de dieta acutorum, nec defuit optatus euentus, propinato enim per mense integrum lacte, soluta est aluus sicciissima, ichorum, humorumque redundantium vacuatio, proborumque humorum repositio accessit, & diluta crassiorum humorum fæce euasit hæmorrhoicus, cuius vacuationis beneficio pristinæ sanitati, firmiorique fuit restitutus. Nihil de roborantibus recenseo, nec de topicis, pruriginem sedantibus, & remisso feruore erysipelatis materiam illius superstitem discutientibus, quæ bonis ægri rebus in vsum reuocata fuerunt Deo Optimo Maximo, sanitatis, & bonorum omnium largitore nostris votis fauente.

OBSERVATIO COMMVNICATA

A D. Antonio Iodon Medico Autissiodorensi celeberrimo.

Hydrops ventriculi.

ANno Domini 1620. mulier statura grandiori, quadragesimum octauum agens annum, Ioanna Delier, ciuis Autissiodorensis vxor, in vtero se habere credidit, increscente sensum abdominis tumore. At cum tempus gestationi cognoscceret elapsum; Medicum ordinarium consuluit, qui eam illicò hydropisim contraxisse pronunciauit. Remedijs frustrà tentatis, tumor, triennior, perseuerans, in tantam molem excreuit, licet interim ægra consueta munia obiret, vt tanto ferendo oneri vix sufficeret. Tandem in febrem continuam incidit, cum maiori difficultate spirandi, siti implacabili, inquietudinem turma. Intrà septimum diem, animam efflauit. Cuius cadauer, cum ferretro includi non posset, propter insignem totius ventris vndequaque distensionem, à parentibus defunctæ rogati, ventrem secuimus, & tam ingens serosæ humiditatis factum est affluuium, vt nonaginta librarum pondus excederet. Vltimo manante sero obscuro, & parum turbido, vt potè sua hypostasi vel fœce non destituto. His peractis, & penicillis intra vulnera per quæ aqua educta fuerat, relictis, ad apertionem totius abdominis debita methodo deuenimus, & cum peritonæum quæreremus dissecandum, mirum dictu, sed magis visu mirandū hæc membrana, partes naturales inuestiens, ventriculo antica parte tam firmiter adhærebat, vt nisi vi discerpta atque dissecta, auelli ne quiuerit; imò verò inuenimus nostrum penicillum in vulnere relictum, in cauitatem ventriculi fuisse demersum, ante cuius anatomen, eiusdem insolitam magnitudinem pauli per fumus contemplati, duoque eiusdem orificia, stomachum scilicet, & pylorum, eundem situm prope obtinentia, seseque inuicem tangentia, epiploo regionem superiorem occupante, hepate satis sano, quod tamen ventriculus tumidus efferebat desuper; cor mediante diaphragmate eidem grauiter incumbens, turbinatam suam figuram parti gibbæ eiusdem, instar ceræ imprę ferat (nec mirum si ægrotantem valida spirandi difficultate, per biennium saltem premeretur, reliquis visceribus, liene, renibus, intestinis, mesenterio, cystide fellea, vesica, & vtero, integris, & parum calore febrili alteratis.) His notatis prægrandem illum ventriculum cum œsophago, duo denoque extraximus, qui per medium dissectus, vlnam Parisiensem superabat, in cuius decliuiori parte illuuie serosa notabatur, hypostaseos prædicti seri residuum, fibris omnibus, quæ interiorem membranam contexebant à se inuicem latè distitis, orificio vtroque nulla vitij nota impedito, nisi quod in medio pylori ipsiusque limine cystis pendebat, longitudinis medij digiti, pollice paulo crassior, aqua pellucida plena, cauitatemque duodem subintrans. Cæterum membranā illam interiorem ventriculi, multis ydatibus, partim integris, partim exe fis conspersam vidimus. Et hęc post homines natos (nimea me fallat opinio) nondum fuere notata, saltem à nobis perlecta vel audita. Causam verò tam rari affectus ventriculi scilicet hydropiseos, cum apud nos solidiori minerua inuestigaremus, ventriculi totius intemperiē frigidam, humidam, hecticamque arguimus, qui cum sanguinem à trunco venæ portæ per gantricum canum, aliosque pro alimento attraheret, propter illam dyscrasiam in serosum excrementum ad instar hydropsis hepatis conuertebat. Illa autem frigida humidaque intemperies, ex largo frigidæ potu, fructuum crudorum esu, aliisque causis originem durat. Cum vero ex maxima fibrarum ventriculi laxitate, & peruersa partis figura, orificium inferius eundem cū superiori situm obtineret, facilis alimentorū ab vno ad aliud transitus fiebat, vt in vastum illum serositatum gurgitem non mergerentur, sed in duodeno intestino qualemcumque cylificationem obtinerent, siquidē in intestina chilificandi vi non esse destituta apud omnes in confesso est, quam quidem vim natura, necessitate coacta potentiorem reddiderit. Aquas autem illas ventriculus perductus illos potentes nō reijciebat, ex eo, quod fibræ illius resolutæ erant à copiosa humiditate.

OBSERVATIONES,

Communicatę A. D. Francisco à Chomel Medico Annæensi celeberrimo.

OBSERVATIO I.

Ileos seu miserere mei.

VIR quidam, Ileo laborans à quinque diebus, vt fæces per os reijceret, multis remedijs frustrà tentatis, sumpsit mercurij eum sulphure extincti, & in formam pulueris redacti ʒ. j. in globulo ceræ inclusam. Statim post exhibitionem fotus, continuò adhibiti, & clysteres frequēter iniecti. Post aliquot horas frustula quędā cerę in reiecto clystere apparuere, quod indicio fuit apertam fuisse viam, & medicamento purgante exhibito, æger à morbo prorsus liberatus est.

OBSERVATIO II.

Cauterij efficacia.

QVidam æger dolore lumborum diutissimè afflictus, nullis remedijs conferentibus, tandem diem suum obijt. Inter alia remedia paulò ante iteritum, cauterium femori, quatuor digitis supra genu affixum fuerat, à quo decisa cichara, fluxit sanies quædam circiter ad Unc. ʒ. postmodum

verò singulis diebus fluebat ex cauterio pus verum, & laudabile ad ℥.j. vel amplius. Mirabatur Chirurgus neque vnquam potuit conijcere, vnde pus illud emanaret. Defuncto ægrotante apertoque illius cadauere, inuentus est pulmo purulentus, quæ præcipua mortis causa fuit. In lumbis verò magnus abscessus inuentus est, à quo dolor ille diuturmus, & contumax oriebatur. Ab abscessu autem ad cauterium vsque inuentus est canaliculus per quem puris portio quædam effluebat. Vnde colligere est quanta solertia natura vti soleat ad causas morbificas foras eliminandas, quæ canaliculum illum efformauerit ad abscessum lumborum per cauterium expurgandum, quod tamen perficere non potuit, à morbi magnitudine superata.

OBSERVATIO III.

Febris tertiana.

REtulit mihi dictus D. Chomel se omnes propemodum tertianas curare solitum, quod tamen per horam ante accessionem bonum haustum decocti chamom. & cremor. tartari, & statim ab assumpto remedio, sanguinem detrahendo. Si non sit ad manus decoctum, aquæ frigidæ cyathum exhibet, & idem ferè succedit effectus. Putat aquam illam assumptam, per phlebotomiam ad venas rapi, & materiam ebulitioni proximam diluere, vnde accessio impeditur.

OBSERVATIO IV.

Colicus dolor.

PVella quædam annos nata quatuordecim, laborabat colico dolore atrocissimo, cum ventris inflatione, qui neque clysteribus, neque potionibus purgantibus, vel lumbricos enecantibus, sedari poterat; sed tantum balneo tepido sopiebatur. Sed egressæ balneo recurrebat, donec intra viginti dies, ægram de medio sustulerit. Per biduum ante mortem, magnam sanguinis nigerrimi copiam per alvum excreuit. Dissecto cadauere, inuenta est multa pituita vitrea, externæ intestinorum, tunicæ adhærens, & per totam eorum longitudinem frustillatim dispersa magnitudine varia, vt quædam frustula fabæ, alia auellanæ magnitudinem æquarent. In venis autem, & cordis ventriculis nullus sanguis inuentus est, quia natura extremo conatu totum ad intestina detruserat, qui in ijs nigrescens, vt omni sanguini extrauasato contigit, ante obitum exclusus fuerat. Vbi notanda est sedes materiæ, colicum dolorem efficientis, & authoribus non expressa, nempè externa intestinorum superficies.

OBSERVATIONES,
Communicatæ à D. Ioanne Marfino, Medico Apauminensi peritissimo.

OBSERVATIO I.

Ascites.

ANNO 1642. mense Octobri, vocatus fui ad puerum quatuordecim annos natum, ascite post variolas à mense laborantem: nulla aderat febris: licet æger prostratis omninò viribus cogeretur decumbere. Præscripsi quamprimum apozema aperiens, & hydragogum, quod habetur in praxi D. Riuerij cap. de hydrope, & post vsum apozematis iussi, vt suffumigio instar stuphæ ex aperientibus, & discutientibus composito vteretur per triduum, semel in die, quibus vsurpatis plane conualuit.

OBSERVATIO II.

Inflammatio testium, cum vrinæ suppressione.

EOdem anno, menses Decembri, inuisi hominem quendam quinquagenarium inflammatione testis dextri, & vrinæ suppressione laborantem. Præscribo clysterem partim emollientem & laxantem, partim carminantem, eoque reiecto, basilicam dextram, aperiri iubeo ad ℥.8. Renes, oleo scorpionum Mattioli inungi, & post inunctionem placentam ex cepis minutim incisis, ouis quibusdam agitatis, & axungia porci confectam, eidem parti applicari & in crastinum, bolum ex cassia diaphœnic. & theo pulu. exhiberi. His fluxit vrina copiosè, Ad inflammatum verò testem confectum est cataplasma ex farina fabarum, cocta in oxycrato ad pulticulæ consistentiam, quo remedio per triduum applicato parti affectæ, pristinæ sanitati restitutus est.

OBSERVATIO III.

Ischuria.

EOdem anno, & mense indici in medici mulierem quadragenariam, eusarcam, & obœsam ischuria laborantem: febris aderat; sed non intensa; vrina autem quæ in exigua admodum quantitate excernebatur, erat valdè rubra; dolor circa renes aderat, isque insignis: Demùm vomitus frequenter recurrebat. Varij iniecti fuerant clysteres emollientes, laxantes, & carminantes, sed frustra: celebrata venæ sectio bis, in brachio scilicet, & pede; fotus insuper, & linimenta, vt in simili casu fieri solet, vsurpata fuerant, bolus ex cassia, diaphœnic. & rheo compositus, exhibitus, sed omnia incassum. Tandem adhibui placentam superiori obseruatione laudatam, circa renes. Postremo hocce remedio, placidè quieuit, copiosè minxit, & benè omninò habuit. Simile quid mihi contigit in altero ægrotante, qui cum febre acuta laboraret, absque tamen dolore vllo nephritico, & non posset mingere, applicita eadem placenta, minxit in posterum, & fugata febre, sanus factus est.

OBSERVATIO IV.

Vlcus fistulosum.

MEnse Ianuario anno 1643. Dominus Ferries Uatilien-sis, annos natus 55. temperamento bilioso admodum quinque sese varijs curis laboribusque fatigauerat, se mihi sanandum obtulit. Laborabat à quatuor iam annis, varijs in pectore, doloribus, productis ab humoribus, à capite versus partes thoracis exteriores delabentibus. Aderat circa clauiculam tumor, oui gallinacei magnitudine: sed quod peius erat, supra os pubis dextrum, videbatur tumor vnius, & alterius oui anserini magnitudinem æquans, ex quo à quibusdam mensibus aperto, effluebat pus laudabile. Vlcus erat profundum, ferè ad semipedis altitudinē: Ad quod sanandum varia, sed frustra tentata fuerant remedia, ita vt de fructum fistula omnes timerent. Curationem hoc pacto aggressus sum.

Præscripsi primum potionem purgantem, partim phlegmagogam, partim cholagogam, deinde phlebotomiam. Post hæc apozemata ex aperientibus temperamentis, vulnerarijs, & purgantibus. Finito apozemate decoctum sequens sumpsit bis in die, per duodecim dies.

℞. Hordei integri P. j. fol. scabiosæ, saniculæ, pilosellæ, vincæ per vinc. agrim. & pimpinell. ana M.j. sem. hyperici, & cardui bened. ana 3.2. flor. trium cordial. ana P.j. coquantur in hydrom. tenui ad ℔.j. 6. colaturæ capiat Vnc. 6. manè, & ferò.

Interim eo eodem decocto, fiebant iniectiones singulis diebus in vlcus. Verum cum hęc non sufficerent, sed omnes prædicti affectus perseuerarent; ad diætam sudorificam deuenimus per viginti quinque dies continuandam, ex decocto radic. salsæ parill. & rasuræ ligni guaiaci ad partes æquales. Ex residentia parabatur bochetum, pro potu ordinario. Sexto autem quolibet diætæ die sumebat medicamentum purgans. Uersus finem diętę cum vlcus in eodem ferme statu permanere videretur, iussi, vt Chirurgus inducto in vlcus baculo, superpositam cutem, & carnem, quæ vnius digiti latitudinem ferè adæquabat, nouacula scinderet, vt cauo illo derecto, faciliori negotio debita remedia adhiberentur. Successit votis euentus, consumpta siquidem fungosa illa, & minimè laudabili carne, vlcus ad cicatricem breui deductum est, ægerque non tantum à doloribus, sed etiam à metu fistulæ liber euasit. Ad sigillum curationis præscripsi causticum, brachio sinistro inurendum, diuque gestandum.

OBSERVATIO V.

Secundinarum retentio.

EOdem tēpore Domina de Ruffia, annos nata 35. temperamento sanguineo, post editum multo dolore, & labore fœtum, incidit in secundinarum retentionem. Pulsus nul-

lus

ius apparebat, facies mortuo similima, ita vt conclamata omnia videretur. Cum accessi, præscripserat quidam Chirurgus, vt ex capillis ipsius nonnihil abscinderetur combureretur, & vino dissolutum propinaretur. Quod cũ præstitisset, ægra, secundinas feliciter expulit. Verùm emissis secundinis lochia suppressa sunt, vnde febris exorta est. Postridie præscripsi sanguinis missionem ex malleolo dextro ad ℥.8. (pulsus enim erat validus, & plenus) & in crastinum, quia aluus erat adstricta, clysterem in hunc modum.

℞. Fol. maluę, violar. pariet. merc. an. m.j. flor. cham. & meliloti an. P.j. sem. anisi & fæniculi an. ℥.ß. coquantur in iusculo capitis vituli, ad ℔.j. in qua dissolue syrupi violacei, & sacchari rub. an. ℥.j. clyster.

Reiecto clystere, aperta est vena malleoli sinistri ad ℥.7. His febris remisit, somnus quo antea planè caruerat, redijt: & paulatim absque alijs remedijs conualuit.

OBSERVATIO VI.

Catarrhus salsus cum propensione ad phtisin.

MEnse Octobri anno 1643. vocatus fui ad ægrum, quadraginta annos natum, temperamento bilioso, habitu grancili, & macilẽto. Laborabat catarrho salso & acri, à capite in pulmonem delabente à quatuor annis; tussis aderat sicca, obstructio vtrumque occupabat hypochondrium, cum febre continua, & lenta. His adde phlogosin quandam, dolore circa sternum, dorsi vertebras manifestam. Præscripsi primum potionem purgantem ex rheo, tamarindis, senna, manna, & syrupo rosaceo confectam, sed in exigua quantitate. Deinde venæ sectionem ex brachio dextro ad ℥.7. His præstitis, iusculis medicatis ex aperientibus temperatis vsus sum per duodecim dies, infundendo per noctem in tertio quoque iusculo sennę ℥.6. & dissoluendo mane Vnc.j. Finitis iusculis ingressus est semicupium tepidũ ex decocto hordei, amygdal. dulc. paratum, per triduum, bis in die. Ab initio curationis applicui duo caustica inter duas scapulas, spina dorsi intermedia latitudine duorum digitorum: iussique, vt semel in hebdomada cucurbitula superponeretur: quod remedium, tantum in hoc laborante præstitit ob serositates, quæ in magna copia singulis vicibus educebantur, vt integram curationem illi ferè adscripserim.

OBSERVATIO VII.

Ophthalmia.

QUidam annos natus 30. temperamento sanguineo, sed cerebro admodùm catarrhoso donatus, laborabat à longo tempore inflammatione, quæ tum adnatam tum, vtriq; palpebram occupabat. Affectus non erat continuus, sed recurrens: aria vsurpata fuerant antea remedia, sed frustra. Tandem præscripsi duo cauteria inter duas scapulas gestanda, necnon cucurbitulam vtramque amplectentem, applicãdam, vrgente nimirum fluxione. Quod cum præstitisset, sani omninò illius oculi euasere. Non parum ad illius curationem contulit vnguentum sequens, quo in ipso curationis initio vsus fuit, purgato prius corpore, secta vena.

℞. Viridis æris gr.12. camphorę, & lapidis calamin. an. ℥.ß. tuthiæ præparat. Vnc.ß. butyri recentis, aqua rosac. loti ℥.ij. misce, fiat vnguentum.

OBSERVATIO VIII.

Febris maligna.

MEnse Maio anno 1644. mulier 30. annos nata, sese mihi curandam obtulit. Laborabat febre maligna à duobus diebus, cum dolore capitis, inquietu dinibus fermè continuis, sitique intensa, maculis quibusdam liuidis, circa pectus, & dorsum apparentibus. Ter intra biduum sanguinem eduxi ad Vnc.8. singulis vicibus cũque interna omnia remedia auersaretur; ad externa animum contuli. Quinto itaque morbi die, cataplasma ex cochleis cum suis testis contusis, stupisque superpositis, vtrique pedi circa plantas applicandum curaui. Admotum est hosce remedium circa horam tertiam pomeridianam. Inclinante autem die cœpit ægra sentire dolorem quendam molestum, & grauem, in vtroque femore, & tibia, qui ad mediam vsque noctem durauit, ea læuitia, vt ægra de remouendo cataplasmate perpetuò quereretur. Media autem nocte sudor totum corpus inuasit, tanto fœtore, & graueolenta, vt illum ægra sustinere vix posset. Mutatio indusio, amota sunt à pedibus cataplasmata, tetrum adeò odorem exhalantia, vt adstantes fermè inficerent. Manè ægram alacrem inuenio, febre alijsque symptomatis valdè imminutis. Cumq; omnia in tuto posita mihi viderentur, nihil ampliùs agendum duxi, sola contentus purgatione, quam tamen laborans, ob summam inobedientiam, sumere noluit: nihilominus breui post benè omninò habuit.

OBSERVATIO IX.

Arthritis.

NObilis quidam, mense Februario anno 1646. temperamento sanguineo, habitu eusarco, & obeso, gonagra à tribus diebus laborabat. Quam primum cum inuisi, sanguinem ad ℔.j. mitti iubeo, qui cum valde impurus apparuisset, postridie iterum sanguinis missionem ad parem quantitatem præscribo qua se multùm recreari sensit labotans, sanguine educto priori simili. Tertiò demum sanguinem detraho ad ℥.x. postridie verò medicamentũ ex senna, & rhab. in decocto conuenienti, cum diaphœn. & syrupo rosac. propino, quo benè omninò habuit. Simile quid mihi contigit in alijs duobus ægrotantibus, eodem temperamento, & habitu donatis, in quibus venæ sectio ter, aut quater repetita in ipso initio, affectum penitus sustulit, oxycrato fouendo partem affectam, & posteà illinendo oleo rosaceo.

OBSERVATIONES,
communicatæ à D. Desgrandspres Medico Gratianopolitano Peritissimo.

OBSERVATIO I.

Linguæ tumor.

QVIDAM lue venerea infectus, per frictiones mercuriales curabatur, quæ cum supra Medici præscriptum Pharmacopei iussu, frequentius, & diutiùs celebratæ fuissent; maximus fluxionis impetus tantum linguæ tumorem excitauit, vt quatuor digitorum transuersorum mensura extra os prominaret. Cur Medicus nihil præscribere voluit ægre ferens, quod ordo à se prescriptus, contemptus, & superatus esset. Unde ægrotans in misero hoc statu quatuor mensium spatio permansit & lingua ab aere continuò alterata trium digitorum transuersorum crassitudinem acquisierat. Vocatus ego, post phlebotomiam purgationem, quasdam partis lotiones, & feracem cerusci admotum, puluerem ex pipere, zinzibere, synapi, & sale decrepitato, linguæ admouendum præscribo. Cuius vsu, primo statim die lingua mollescere, & per se moueri cepit. Tertio die eam ablui iubeo pluries in die aqua vitæ probè rectificata, vt quarta die longè mollior apparuerit, vt in os protrudi potuerit, cum tamen illicò rursùs egrederetur. Postmodùm vero in parte inferiori linguæ iuxta renulas, vlcera animaduertens, quæ ex collisione dentium, quibus illa innitebatur oriunda erant; aqua alba, ex præcipitato albo parata, ea vlcera abluenda curaui, & profundas scarificationes circa ranulas fieri iussi. Quibus intrà paucos dies tumor discussus est, & lingua in propijs oris cancellis coercita.

OBSERTATIO II.

Mutus casu curatus.

QUidam Mendicus Ponsenarium prope Muram noctu appellens, à magnæ illius domus conductore hospitaliter exceptus est. Vbi per aliquot dies commoratus propter pueorum mutum, & surdum, secum adductum, qui febre continua eadem nocte correptus fuerat. Tandem impatientia percitus, & de illius salute desperans, clam discessit, ægrumque ibi desseruit, quem ad pristinam valetudinem reuocatum, conductor primum agnorum, postmodùm ouium, & vetuscum custodię præfecit, quo munere fungebatur egregiè. Cõtigit autem post aliquot annos, vt alea ludens crassiori baculo percussus fuerit, quo ictu grauissimo os occipitale in multas particulas contractum est. A quo tamen vulnere, valde periculoso, periti Chirurgi industria curatus est. Dum

autem conualesceret, sensus auditus illi succrescebat, & verbula quædam balbutire incipiebat, donec tandem integram audiendi, & loquendi facultatem adeptus est, & in eo statu vixit ad annum ætatis suæ 45. D. Patano Procuratori Gratianopolitano pro vinitore inseruiens; vixque duo anni ab illius interitu elapsi sunt.

OBSERVATIO III.

Cranij depressio.

IN multis cranij depressio curata est, admota post vnam, vel alteram phlebotomiam supra depressionem cucurbitula cum multa flamma addita interdum incisione, & multis interdùm scarificationibus, & interdum sine illis. Sed inter cæteros vnum notatu dignissimum referam. Qui Artaudus nominatur, Procurator Gratianopolitanus, is in profundo itinere inimico ob viam factus, lapide percussus est supra os, parietale sinistrum, quo ictu ex equo in terram delectus est, & pro mortuo derelictus. Inde in villam vicinam delatus, à duobus Chirurgis curari cœpit, qui tantum venæ sectione, & cucurbitulis vsi sunt, sine vlla vulneris prouidentia, quod nullam solutionem continui manifestam perciperent. Vocatus ego hominem inuenio sanguine perfusum, qui ex ore, & naribus excernebatur, cum nausea, & vomitu ferè continuò, vix adstantes agnoscentem, ægerrimeque loquentem, & ne quidem oculos aperientem. Perlustrato capite vniuerso, dum locum cranij depressum summis digitis tantillùm comprimebam, nausea statim excitabatur. Quo animaduerso, Chirurgo præscripsi vt partem illam raderet, & cucurbitulam satis magnam illi applicaret, cum multa flamma: quæ licet partibus sanis, & solidis inniteretur, tantum dolorem ægro inferebat, vt loquendi facultate carens, in lectum sese mussitando demitteret. Postquam verò cucurbitula auulsa est, & incisione facta supra partem affectam, atque iterum admota cucurbitula, tantum abest, vt dolorem perciperet: quin potius maximum indè solatium consequutus fuerit: vnde nobiscum loqui cœpit, omnesque adstantes agnouit. Ac quanquam per cucurbitulam sanguinis ℥. 7. vel 8. extractæ fuissent, præcepi tamen, vt sequenti die phlebotomia iterum celebraretur, sicque æger paucis postmodum diebus omninò conualuit.

OBSERVATIO IV.

Phthisis.

FIlius natus tertius Amplissimi viri Domini de Perissol in Senatu Gratianopolitano Præsidis, annos natus 14. Geneua Gratianopolim aduectus est octauo morbi sui mense, macie & phthisi consumptus cum alui fluxu insigni, ita vt cum breui moriturum patri prædixerim, prouter vicus pulmonis, quem frustulatim extussiebat, & frustula illa supra carbones iniecta grauissimum fœtorem exhalabant; tum fœtor anhelitus cadauerosus, non solum ægrotantis cubiculum, sed etiã vicina vsque ad scalas inficiebat. Quibus animaduersis me nullum aliud remedium præscribere posse pronunciani, quam lac muliebre ab optimè nutricis vberibus sugendum. Quod posteà die in vsum reuocatum, post quatuor dies ægrum in paulò meliorem statum reduxit, & intra duos menses integrę sanitati restituit. Ortus erat hic affectus ex pleuritide malè curata, quæ in empyema migrauerat, & empyema in phthisin. Hoc idem remedium in pluribus alijs expertus sum, tum etiam in me ipso, & filio meo, & duobus nobilibus viris, qui sanguinem per os magna copia reijciebant.

OBSERVATIO V.

Punctura nerui.

QVidã mercator Gratianopolitanus, manu inuersa mensã percutiens, acum in eam infixit, quę globulo fili inserta erat. Per biduum nihil inde manui mali percepit, sed tertio die tantus in parte dolor obortus est, in dies sequentes perseuerans, vt neque venæ sectionibus, neque fotibus, neque cataplasmatibus anodynis sedari potuerit. Huius doloris contumaciam aduertens, peto à Chirurgo, num eum alias morbo aliquo venereo affectum viderit? respondit eum quidem ante triennium gonorrhæa, & carie pudendi affectum fuisse; sed perfectè curatum. Præscripsi statim suffumigiũ ex cinnabari, storace beniouino, thure, & semine hyoscyami, terebinthina exceptis; quo manus tantum fumebatur statim melius habuit, paucisque diebus continuato remedio perfectè curatus est.

OBSERVATIO VI.

Febris quartana.

MVltos curaui quartanarios, quorum felix successus post vniuersalia remedia, oleo magnetico præsertim à me tribuitur, quod nullum effectum sensibilem produxit. Eius autem guttas duas, vel tres in vini cochleari exhibeo in principio accessionis, Ex eoque pilulas febrifugas compono.

OBSERVATIO VII.

Epilepsia.

NOn rarò expertus sum, & plures habeo huius rei testes, pœoniam sub propria constellatione collectam nemoẽ inclinante luna in Ariete existente, epilepsiam soluere sola applicatione. Radicem autem mediam, & præcipuam atque maiorem, per longitudinem diuisam, collo & brachijs circumdedi in quadam nosocomij virgine 18. annos nata, quæ puerilia hoc morbo affligebatur, & singulis diebus paroxismos patiebatur. Attamen ab eo tempore protinus curata visa est. Hinc patet, quantopere vtilis sit in Medicina facienda syderum obseruatio.

OBSERVATIONES COMMVNICATÆ.

A D. HENRICO RVFO.

Apud Sammarcelinenses Medico practico, & inter Gratianopolitano conscripto.

CLARISSIMO VIRO DOMINO, D. LAZARO RIVERIO, REGIS Consiliario, & Medico, necnon in celeberrima Monspelienſium Medicorum Accademia Professori Regio dignissimo,

HENRICVS RVFVS S. P. D.

CVM nouum sydus huic prouinciæ affulseris, (Professor Meritissime,) non mirum si omnium in te conuertuntur oculi: cumque tuo lumine magna lætitia nos afficians; par est, vt magna laude afficiaris, quia per te beatiores sumus. Quicumque enim virtutes tuas, & vitæ summum decus non nouit, audiit saltem, & proprius nouisse

nouisse desiderat Mitto animi dotes, & colloquiorum cum doctrina suauitatem. Tot ægrotantes, quos & Gratianopoli & vbique locorum Delphinatus ab Orci faucibus redemisti, laudes tuas reticere non possunt nec debent, in vno afflicti & infelices, quod Gallia Narbonensis totumque Monspelium te nobis inuideat: nusquam tamen totus aberis (Doctor & Professor Clarissime) præter commemorata, opus practicum, quod omni puncto absolutissimum publici iuris feceris tui desiderium nobiscum subleuabit, atque Reipublicæ Medicæ hoc conferet, emolumentum, vt & absentem te consulere liceat, neque hic labori finem dedisti nam inter tot grauia exercitia, quibus in schola Monspelienſi incumbis, & tot ægrotantium pro sua salute interpellationes, alterum præterea obseruationum tuarum librum moliris, nec sanitati parcis, aut à lucubrationibus cessas, vt Medicinæ splendorem adaugeas: quod cum solus, exequi potuisses; apprimè tamen quorundam amicorum παράκλησις *subiexere voluisti: neque à me (etsi quondam discipulus artis latricæ rudimenta de tuo dictamine hausisse glorior,) obseruatiunculas expeterè dedignatus es Conceſſi, te iubente, non inscius, me aquas in mare deportare: has si legeris, & in ijs quædam minus aptè exarata videantur (D.C.) à te castigari non ægrè feram, qui, obsequium perpetuum tibi deuoui, teque in æternum colendum suscepi. Vale, & mihi totique Apollineæ familiæ viue diù; e nostro Musæolo: diebus Iulij anni 1645.*

OBSERVATIO I.

De portentoso, & insolenti singultu.

ANno 1634. mense Decembri Sammarcellini, sutor quinquagenarius, ab inedia, frigore, & itinere, incidit in ephemaram, quæ intra 24. horas per copiosum sudorem discussa est: ita vt postera die omni febre, & dolore capitis vacuus remanserit, vsque ad octauam; ciborum tamen inappetentia superstite, cum qua, & somnolentia, & torpente lassitudine tenebatur. Verùm octaua die manè iterum febricula absque rigore obsessus est: mox, sub vesperam grauissimo singultu angebatur cuius sonus, siue strepitus vltra quartam domum vicinam sue, è subiecta autem via, facilè audiebatur, nulla remissione, nullis datis inducijs. Inter quæ haud mulum siticulosus mente coltans, sed tam ferocis symptomatis maximè impatiens; vndecima aliquid cruentum carni sepiputri non absimile per vomitum, concurrente tussicula, eiecit, quodquidem ab abstantibus caro cythoniorum saccharo condita, quam non pridem comederat æger, putabatur. At die sequenti, fructum eiusdem magnitudinis, & coloris, rubrum scilicet, & auellanæ molem æquans, per nauseam excreauit; quod primum in aqua lauari, deinde prunis apponi iussimus, atque exempto colore sanguinis, quo aqua perfusa est, & nidore fœtido, qui ab vstione exhalauit, quod ante exnarratione fueramus suspicati, dilucidè apparuit, illud nempè explosum, fuisse molem carneam cum membranis ab vlcere in œsophago vel propè superiùs ventriculi os latitante abrasam. An verò vlcus istud de repentè ortum sit, & à prima illa die qua Ephemera correptus est homo, inustum, an potiùs à longo tempore fuerit contractum; non benè constat. Est tamen verisimile tam breuem non habuisse originē, primò quia Phlegmone, vel alius tumor non præcesserat, quem plerumq; subsequi solet vlcus; deinde quod à pluribus annis leui tussicula, & inani itidem præmeretur: fine vlla è pulmonibus manifesta excretione: idcirco malum, quod sub prima ęsophagi vel stomachi tunica iampridem radices egerat, à causis externis supra allatis concitatū, sese confestim exeruit, symptoma verò fuit cōtinuum ab vlcere, à quo mors 14. cùm delirio fuit inducta cum singultu; neque phlebotomia iterata, neque cucurbitulis, neque medicamentis detergentibus, digerentibus, & purgantibus (inter quę hiera valdè commendatur) quicquam de crudelitate vsque ad exitum remiserit.

OBSERVATIO II.

De Phlegmone cerebri partem posticam obsidente, & symptomatibus inde consequentibus.

NObilissimus, & illustris iuuenis D. de Larthaudiere, annos natus 37. sub cane in grauissimum, & acutissimum dolorem capitis incidit, qui ad posteriora, & latus sinistrum magis porrigebatur. Aderat obscura, & sæuissima febris, sensuum vigor, gustus precipuè cum his nihilominus sitis ingens, & vigilię perpetuę: frons nihil incaluit, caput parum, ex tactu licet duro, non dolebat, appositis, ad frontem manuum vna, ad sinciput altera, cerebrum intus concuti, ac conuelli sentiebatur, at caput vniuersum inuoluntariè subsiliebat, vrinæ in principio crassæ, & albæ: quibus animaduersis, phlegmonem in cerebro, vel erysipelas metuentes, ex cephalica primum, deinde ex mediana mitti statim sanguinē ad ℔. ij. iussimus. Diebus sequentibus, quod dolor insisteret crudeliter, iterum partiti vicibus phlebotomiam celebrauimus ad ℔. ij. ex aduerso brachio. Quinta ventrem subduximus: sexta per cucurbitas humeris affixas sanguinis ℔. ß. detraximus; inter hæc caput derasum, oxyrrhodino illitum fuit, nec quicquam eorum omisimus, quæ à cerebro cuiusuis generis humores reuellere, deriuare, vel repellere valent. Quarta morbi die in linguæ latere dextro erupit tuberculum, quo durum, & cauum & sine sensu vlcerosum deprehensum est, carcinoma scilicet. Septima sub vesperam paululum delirauit, mox sudor in facie primùm deinde per totum corpus copiosus obortus est, ita vt veram, & perfectam crisin ad fore speraremus. Mador detergitur, permutantur lintea, sudor itidem abundè prorumpit. At æger iam de operimentis conqueri cepit, ac se suffocari exclamat, quæ dum amouentur, & sudor vt anteà abstergitur, illum fermè resolutum inuenimus, & continuò delirantem; vires, quæ ante sudorem fuerant præualidæ, omninò fractæ percipiuntur, atque in eo statu nocte tota vsque ad horam octauæ diei nonam matutinam perstitit, garrulus supra modum, & insipiens, & immemor omnium, quæ sibi in morbo contigerant, vel facta fuerant. Circa decimam resipiscere visus est, quorundam reminiſci, & sic spes animis addita fuisset; ni pulsus conuulsiuus artuumque tremor cerebrum pessimè affici indicassent. In procinctu vrinæ excretio copiosissima, quæ rubra, & ignea splendore coruscabat: simili hora, qua pridie, sub vesperam rursus ægrotantem inuasit delirium, in eo peius, quod cum vires rursus constarent, factus phreneticus, adstantes summo terrore profligabat. Nona matutina iterum resipuit, vsque ad vesperam, sub quam tumor exortus est in ceruice, pomi mediocris magnitudine, non doloroſus, neque à cute diuersi coloris, nec minus delirium iuuenem occupauit, cum manuum motu conuulsiuo. Die decima omnia similiter se habuerunt. Sub finem vndecimæ conuulsus moritur. Porro cum morte ante septimam nec spectata, nec prænuntiata sub latus fuisset vir, vt illustrissimæ familiæ, sic & magni momenti apud omnes sui generis consultum fuit, cadauer dissecare, vt causa latens apud populares detergeretur. Cætera corporis partes, & patenchymata laudata conditione seu diathesi inuenta sunt, præter cerebrum. Aperta quippe caluaria, magna copia sanguinis nigerrimi, etsi diluti illicò effluxerit, intactis adhuc menyngibus, imò ossibus vix deductis ad ferrę capedinem, qui quidem sanguis inter caluam, & membrana effusus ponderis ℔. ij. vel pluries æstimabatur. Vbi detectę sunt cerebri tunicæ, mox vniuersim venulis nigro torridoque sanguine turgentibus conspersæ apparuerunt. Pars autem posterior duorum digitorum latitudine, longitudine quatuor, vbi torcularis sedes definitur, non solum nigricans; sed præterea membranę puniceo colore, & gangræna corruptæ visæ sunt, in qua parte dum scalpellum adigi iussimus, protinus inde materia purulenta ad ℥. v. vel vj. cum fœtore emanauit. Exinde nouacula altius penetrantes Chirurgi tota ferre basis cerebri, imprimis cerebellum, & ea pars spinali medullæ, quę primis vertebris excipitur, & super qua tumor apparuerat, sphacelo similiter corruptæ sunt inuentę, menynges vero partis sinistræ, vlculculis exesæ, per quę sanguinem sub caluam effluxisse verisimile est. Ex quorum narratione facile inferre licet, causam doloris illius acutissimi, vigiliarum, delirij, & conuulsionis, fuisse solutionem continui, in cerebri parte posticа, cerebello vulgo nominata. Soluere vero vnitatem causæ duæ, vlcus, & phlegmone erysipelatodes: vlcus quidem, vt causa primaria, ab aliquot mensibus cōtractum ex cauſis mihi relatis, sed reticendis, vt sobolem habuit vlculculum illud, in lingua enatum; & sic partem debilem reddidit, & inflammationi locum dedit. Phlegmonem autem erysipelatodem promouerunt ætas iuuenili, temperamentum sanguineo-biliosum, temporis constitutio ardens: Sed præ cæteris causæ externæ, natatio scilicet in frigida sub dio, post insolationem præcedentem, & excandescentiam. Causæ verò, cur febris tam obscura cum tot terrificis symptomatibus deprehenderetur, hæ sunt: prima, quod ceteris partibus

benè valentibus vnum cerebrum laborabat; secunda, quod cerebrum obscuro sensu sit præditum ex se, & præterea frigidum, & humidum: tertia & magis notatu digna, quod cerebrum longè sit dissitum à corde, ideoque spiritus, caput perreptantes, semel in plexus binos illos labyrintheos illapsi, difficile ad cor recurrunt, & contagium partis affectæ cordi minimè communicant.

OBSERVATIO III.

De morbo lento, à syderatis pulmonibus orto, quo virgo, nihil mali sentiens, interijt mense Febr. 164.

INgenua virgo, annum agens supra 14. breui morbo (vt multis videbatur) sublata est: ante biennium tamen attu ducebat spiritum, solitudinem affectabat, & facies totiusque habitus pallore albescebat. Ante duos menses, dum eiusdem fratrem lento quoque morbo confectum inuiseremus à matre fuimus rogati, vt istius pulsum exploraremus, num febricitaret: pulsum obseruauimus languidum & inæqualem, sed sine calore febrili; ideoque vbi vultum allescentem paululum sumus contemplati, & de ætate sciscitati, venit in mentem menstrua forsan instare quæ d mob venarum & viarum angustias, naturæ ἐπλαυσις impedita, referare laboraret, sanguis ab ijs inficiebatur, & leuia illa symptomata suscitabat, vti soleat contingere non raro in virginibus huius ætatis, quodque mater, & consanguineę opinabantur: quare his obiter dictis, & factis discessimus, altius rem indagaturi, si malum protraheretur, vt symptomata ingraueſcerent. Sed ijs vtrinque vel neglectis vel obliuioni datis post duos menses seriò vocati, morbum multò grauiorem reperimus vt quem ἀποστιξις, & febri s continua comitarentur: quique sub noctem intenderetur, sine calore mordaci, & sensibili ἐπισημαντικη, vires præterea deijciebantur, narium pinnæ inter expirandum expandebantur, nec tamen insignis dyspnœa aderat, nulla sitis, non rubor ingens, non vigiliæ; decumbens non nihil tussiebat sine sputo. Cor vero cerebro, & valido motu, continuo sub noctem recrudescente, tangenti palpitabat, ægra non sentiente, vrinæ crassæ albæ, adiposæ, cum encoremate vel hypostasi eiusdem conditionis d nullæ; nunquam delirauit, nullam noctem duxit in somnem, ne quidem vltimam, in qua placidè & sine agone hanc vitam cum meliore commutauit. Ergo propter istius mortē inopinatam, apud parentes, & quod etiam tredecim alij eiusdem genituræ ante vel circa pubertatem defuncti essent, consilium fuit apud amicos, corpus mortuum aperire, & primum nudato cadauere, latus vtrumque ab alijs ad costarum norharum vltimam, maculis latisè rubro liuentibus, & sugillationem referentibus erat consperſum, viscera in abdomine contenta sana visa sunt, solo iecore, nonnihil plus solito nigricante, & ventriculo pereiguo, bile porracea intincto. Vbi in thoracem deuentum est, ab vtraque eius cauitate incisa, confertim aquæ vitrosæ magna effluxit copia, ad ℔ 4. mirum quod orthopœam vel saltem dyspnœam viuenti, non inuexerit, aut fluctuationem non prodiderit: pulmones syderati inuenti sunt, præterea in eorum ambitu puncta passim albescentia cernebantur, quæ leuissimo tactu disrupta, pus & tabum eructabant, imò labes vasa omnia, & cauitates puniceo colore affecerat; pleura musculique intercostales virores erant prefusi, non diaphragma; sed pericardium lege vicinitatis erat ex succum, putrefactum, & humore suo priuatum: cor & cerebrum sana. Ex his deliberatum & decretum fuit, hanc labem à primo ortu duxisse originem, siue à semine, siue à sanguine; Exempla fratrum rem maximè comprobant, & si ab externis causis affectus iste in virgine deriuasset portio duntaxat pulmonum, non vniuersi fuisset labefactati: nam non peccauerat illa in victu neque in alijs rebus non naturalibus, deinde mors, placida, corruptionem in substantia, & temperamento sensim, & per progressus factam fuisse non à causa violenta. Atque etiam cum nunqam tussierit, ex eo pater neque fluxionem, neque congeriem humorum vitiasse pulmones. Secundo tales affectus, vt à parentibus deduci nemo dubitat; ita & facile posse communicari est concedendum, & vulgò comperimus in familijs eiusmodi labe infectis, plures simul vel successiuè pari morbo corripit, imò & aliquando ad quintam sextamue generationem protrahi, & in extraneos, qui istorum consuetudine vtuntur prorepere.

OBSERVATIO IV.

De calculis per annum perpetuò excretis.

VIrum nobilem; cuius castellum non longè à Sammarcellino distat, nouimus, qui quoties aluum exonerat; calculos ina quales, fastigiatos, cineritios cum excrementis dejcit, iam à pluribus annis, non dissimiles in colore, & substantia illis, qui per vreterem à renibus deciduntjisti & mole & scabritie, podicem transeuntes infestant, ita vt de re, neque degeneratione perpetua non sit dubitandum.

OBSERVATIO V.

De calculis in omnibus corporis partibus procreatis.

VIrum aluum probum nouimus degentem in domo D. de Leyssius in Suprema curia Delphinatus Cōsiliarij Regij, eiusdem scribam, & rerum forensium Præfectum, qui calculus & lapides musculos in quauis sui corporis parte ostendit. Vidimus sæpè, & tales tetigimus super carnis musculos, membranas, neruos, ossa indifferenta vt aures nasus, mammæ, cilia illis non carent: prouberant quippe manifestè & tangentibus mobiles apparent, & si quando resoluantur in parte aliqua, in alia pullulāt, & in dies numero & magnitudine multiplicantur. Est & idem nephriticus quem dum aliquādo inuisimus, nobis super rotulam genu dextri tumorem inlignem ostendit eiusmodi lapidibus varijs, & distinctis refertum, ac si in pera fuissent conclusi strepitum edebant si commouerētur. Post aliquot menses in eundem rursus incidimus; qui tumorem illum mollem, & æqualem euasisse nobis declarat. Genu vtrumq; detegimus, tum ores palpauimus, & re vera humorē subesse comperimus, infigitur scapellum, & subinde tres vel quatuor vnciæ materiæ coctæ albissimæ, & crassioris erumpunt, qualia à sleatomate prodire sæpè visum est, in genu sinistro, quoniam calculi partim adhuc solidi tangebantur, cum spatijs licet mollioribus: apertionem non sumus aggressi, resolutionum perfectionem expectantes.

OBSERVATIO VI.

De calculis in liene genitis, & inde per vomitum reiectis.

SÆuissima nephritide per quadriennium laboraui, sine sensibili renum vel hepatis intemperie calida à qua sensim (Deo fauente) sum liberatus vsu aquarum vitriolatarum. Aureli apud Datenses; At vis calculos arenasque emingere cessauerat, eum in cruciatus crudelissimos incidi lateris sinistri: sub costis circa lienem dolor breui spatio circumscriptus, ad ventrem & vmbilicum non porrigebatur, ren tantum sinister alternatim comparebatur, ventriculus maximè sinistrorsum, præcipuè cum vomitus instaret. Soluitur primo non ante decimam diem affectus iste: his obseruatis, quod neque aluus erat suppressa, vt in colico dolore, neque vrina repressa vt in nephritide: contra vrinæ copiosæ mingebantur, crassæ, turbidæ, in quibus lat. rculor puluer iseulos dissolutos fuisse dixisses, quod breuiter matulæ fundum petebant: at nihilominus crassa ista hypostasis non erat aspera, neque vllo modo calculosa, sed calcis instar in vrinam l ui agitatione rursum diffundebatur. Tali paroxysmo prima hyeme ter quaterue fui cruciatus, celebrando ad tanti doloris expulsionem remedia, quæ in colico vulgo vsu rpari solent vno omisso balneo, atque pessime habueram in principio. Uerum cum vomitus frequens, & laboriosus inter cętera symptomata maximè infestaret, quem angor & grauis cardialgia præcedebat, venit in animum explorare accuratius, cuius conditionis esset materia illa, quæ tam abundè etiam ieiunio ventriculo reiectabatur. Erat certè quoad colorem è rubro nigricans, pultis consistentia, crassa tenaxque, in qua dum bacillo agitatur, multi calculi cineritij, & subflaui quales per vrinas primò excreueram, inuenti sunt, non semel tantum, sed quoties vomerem, magno conatu, & labore, vel quoties talis dolor repeteret. Anno hoc postremo 1645. dolores mitiores sensim tacti fuere, ren parum doluit, sed magis lien, & ventriculus, sed pars sinistra de more solito, at longioti interuallo. Ex quibus agnoui mineram calculorum, primò & vltimo liene, & eius vasis delituisse, & per vas breue (quod ex vsu aquarum acidularum, deinde, & per vomitum patentius factum est) in ventriculum cum humeris atrabilarij magna copia sui portionem amandasse, quę primo ad renes tantum modo propellabatur.

OB-

OBSERVATIONES COMMVNICATÆ.

A D. SIMEONE IACOBO MEDICO COSTENSI PERITISSIMO.

CLARISSIMO VIRO DOMINO, D. LAZARO RIVERIO, REGIS Consiliario, & Medico, necnon in celeberrima Monspelienſium Medicorum Accademia Profeſſori Regio digniſſimo.

QVOD à me nuper deſideraſti, ſeu potius quod imperaſti (PROFESSOR REGIE CLARISSIME) id nunc haud inuitus ex ſequor, & offero naſcentes Medicinæ meæ practicæ primitias, ſeu potius eruditionis tuæ fructum, quem nemo iuſtis ſibi vendicet quam is, qui tanta eum cura excoluit. Redeunt igitur ad te, tanquam ad originē ſuam obſeruationunculæ noſtræ quas tuis, & aliorum præſtantiſſimorum arti noſtræ Hæroum obſeruationibus, & experimentis coniunctas eſſe voluiſti. Tuę ſunt, quia tuus ſum, tibi debentur, quia primus earum es author, quo duce Pæonium conoſcendi nauibus æquor: quo monſtrante viam ſtadium Apollinare feliciter emenſus ſum, & felicius tandem quieui per bieunium in portu tuo domeſtico, in quo vt prima Medicinæ practicæ, tum publicè, tum priuatim in me ſparſiſti ſemina, & fouiſti, ita ea iam in lucem edenda, ab eo in quo verſantur calumnię periculo defendere, glorię eſt tuæ, cum primos vt plurimum conatus tot comitentur difficultates, tantaque ſubſequantur pericula, vt vix ac ne vix quidem hoſce naſcentis Hygeę meę fructus vnquam proferre auſus fuiſſem; niſi ſub felicibus tui nominis auſpicijs in publicum prodiiſſent, tuque ipſi mihi fuiſſes publicę duxque comeſque viæ. Quem quia morborum cura celebrem, vſus peritum, & experientia felicem in arte fecit, & fortunatum, quem morbi timent vt hoſtem, homines amant vt ſalutis vindicem, & mors odit vt victorem. Ideò non pigebit in medium prodire ſub tanto duce, qui mihi præterea in rebus tum publicis tum priuatis, ſemper propitius fuiſti, & inter innumeros difficultatum: aduerſorumque fortunę fluctuum impetus animum meum domeſtica conſuetudine erexiſti, meæque eruditionis maximè ſollicitus, ingenium meum omni tempore, facundo tuæ doctrinæ flumine irrigaſti; & aperuiſti viam ad maiora, quæ forſan maturior ętas, & occaſio amplior aliquando ſuppeditabunt.

Si modo fata ſinant, Phœbique in vota vocati
Nomina, ſint ſtudijs non inimica meis.

Vale interim, & quam diutiſſimè inclytæ Vniuerſitati, ſicut & toti Galliæ, noui Apollinis inſtar affulgas, vitamque protrahas in longos, & alcyonæos dies, quos tibi votis omnibus deprecratur, tibi omnibus etiam vitę titulis addictiſſimus SIMEON IACOB Medicinæ Monpelienſis Doctor. Datum Coſtæ ſancti Andreæ 6. Idus Octobr. anni 1645.

OBSERVATIO I.

Linguæ frigiditas lethalis.

ADOLESCENS Monſpelienſis 20. annos natus, nomine Ludouic. Decamp. diuturno alui profluuio laborauit menſe Iunio ann. 1643. & tandem adductus eſt in xenodochium Monſpelienſe, cuius cura mihi à Conſulibus delata fuerat. Poſt aliquot remedia pro ſua ſorte per 15. dies fruſtra tentata, morbus in eodem ſtatu perſeuerauit, eum inſigni virium dejectione, perſeuerante tamen appetitu ſatis laudabili, & ſiti non multum intenſa, in eoque ſtatu vixit adhuc per ſex aut ſeptem dies: quibus elapſis, lingua ſatis, humida, & colore naturali prædita mihi inſpicienti apparuit; ſed tangenti actu frigida ſentiebatur, ſine extremorum prefrigeratione; ita vt nihil ipſum affligere videretur, præter alui fluxum, a quo multum dejectę fuerant vires: breui tamen moriturum exiſtimabam; ſed vixit adhuc per quatuor dies, cum actuali linguæ frigiditate.

Alter eiuſdem ætatis in eodem noſocomio patiebatur vlcera multa, in vtraque tibia, ac fiſtuloſum in inguine ſiniſtro, breui emaciatus ad interitum ruebat. Poſtquam tamen in eo ſtatu per duos menſes aut amplius, cum vlteriori extenuatione, permanſiſſet; lingua ei apparuit actu frigida ſicut prædicto, cuius exemplo edoctus, breui moriturum prædixi, ſicut accidit poſt 14. horas.

Alius nomine Ioannes Auenturier 15. annos natus in eodem noſocomio laborauit dyſenteria; & intra ſex dierum ſpatium macie conſumptus apparuit, lingua actu frigida exiſtente, ſine perfrigeratione extremorum, ac die ſequenti obijt. Et quibus colligere licet linguæ frigiditatem inter ſigna lethalia eſſe referandam.

OBSERVATIO II.

Epilepſia cum paralyſi.

PUella quædam, nomine Caterine Bognole, decem annos nata, pituitoſo temperamento, & quadrato corpore prædita, à quinque aut ſex menſibus laborabat epilepſia, cuius inſultus ſingulis ferè diebus, imò aliquando bis, & ter in die ſolebant inuadere; iſque ſuperuenerat motus, & ſenſus priuatio in brachio dextro. Huic in noſocomium noſtrum adductæ menſe Decembri 1643. primò præſcripſimus potionem phlegmagogam cum decocto cephalico, quæ iterata fuit poſt aliquot dies, quorum ſpatio præparantibus, & ſpecificis vſa eſt, ſed ſine fructu. Tandem opiatæ Montagnanæ circiter ℥. ij. ſumpſit per 4. aut 5. dies, quibus elapſis, cœpit mouere digitos mox totum brachium, & rariùs tentari paroxyſmis epilepticis; ita vt intra 20. dies (continuato ſcilicet ſingulis matutinis vſu prædictæ opiatæ) ab vtroque affectu omninò liberata fuerit. Deſcriptio autem talis eſt.

℞. Radic. pœoniæ maris, ſtœchad. coſti an. dr. x. agarici ℥ v. pyrethri, carui, ſem. anethi. aſſæ fœtidæ & ariſtolochiæ totũd. an. dr. ij. ſ. ſ. ſucci ſyllæ, & mellis electi an. ℔ ß. ſ. & ℥. ij. coquantur ſimul ſcylla & mel lento igne, vſque ad bonam conſiſtentiam deinde ſuperadditis ſpeciebus fiat electuarium; de quo capiat dr. ij. ſingulis diebus manè, tribus horis ante paſtum.

OBSERVATIO III.

Hyſterica paſſio.

MVlier Monſpelienſis, ſexagenaria, patiebatur hyſtericum ſuffocationem à 24. horis cum dolore capitis, & ventris inferioris, præcipuè regione lienis. Aderant ingens inquietudo, vigiliæ, ac ſitis, cum neque cucurbitulas, neque clyſteres admittere vellet, ſolo emplaſtro ex galbano, vmbilico admoto contenta ſuaſi, vt quoties ſitiret, cyathum oxycrati ſumeret, quòd feliciter, aut quater, & intra paucas horas immunis euaſit. Aliam fœminam liberaui ab hyſterica ſuffocatione, ſolo clyſtere ex oxycrato, quem per quas horas retinuit.

OBSERVATIO IV.

Dolores Arthritici, & venerei.

ADoleſcens 25. annos natus, nomine Matthæus Farlet à duobus menſibus laborabat doloribus articulorum atrociſſimis, præcipuè in genu cum tumore, qui tamen concolor erat parti, nec ad tactum dolebat, ſed profundi doloris ſenſum efficiebat; tum etiam in ſcapulis, cubito, metacarpio, & digitis, qui noctu ſolebant exacerbari & ægrotantem lecto affixum maximè cruciare. Poſt totius præcu-

dentiam per apozemata,& phlebotomiam sæpiùs iteratam, sensit aliquod leuamen, & præcipuè ex puluere radicis ialapæ,ita vt iam incedere posset.Remansit tamen dolor,licet minus atrox in genu,cubito,& scapulis,noctu semper recurrens : vndè ego venereum esse conieci ; rum etiam ex eo, quod ante duos annos gonorrhœam passus fuerat, à qua citius quam par fuisset, liberatus, se nullum incommodum ab eo tempore persensisse affirmauit. Huic igitur in xenodochium tandem adducto,quia extraneus erat, exhibui per septem dies continuos mercurij dulcis sexies sublimati per se cum sola conserua rosarum, primo scilicet die ℈.j.secundo, tertio,& quarto ʒ.ß. reliquis vsque ad septimum,℈.ij. leuem saliuationem excitabat hora vna, aut altera post assumptionem, quæ perseuerabat vsque ad horam prandij. aluum bis mouebat singulis diebus sine vlla molestia,vel nausea. Octauo die sumpsit puluerem ex senna cremore tartari, & radice ialapæ, à quo optimè purgatus, nullum deinceps dolorem persensit.

OBSERVATIO V.

Tumor, & dolor ingens.

ALter adolescens 22. annorum in eodem nosocomio Monspelienſi patiebatur tumorem in genu sinistro, cum dolore identidem recurrente,qui rheumatismo succedserat,ægrumque afflixerat per 4.aut 5.menses.Post vniuersales euacuationes sumpsit eodem tempore mercurium dulcè methodo supradicta, per septem dies, cum leui saliuatione, singulis matutinis ab assumpto puluere. At septimo die ingens ptyalismus exortus est, cum exulceratione faucium, & palati, dentibus tremulis, & quasi prolabentibus, pituitę continuo fluxu, actanto oris fœtore vt eum ager ferre non posset,noctu diuque insomnis. Post quatuor dierum spatium de cohibendo ptyalismo cogitādum fuit.Ideò præscripsi ptisanam laxantem bis die sumendum per biduum, sicque humores facti sunt , tumor disparuit, dolor cessauit,ægerque sine adminiculis incedere cępit,nullisq; adhibitis remedijs prophylacticis, post quindecim dies, sanus, & incolumis in suam patriam reuersus est.

OBSERVATIO VI.

Hydrops.

RVsticus 30. annorum, à tribus mensibus hydrope laborans, in xenodochium adductus est circa finem mensis Ianuarij anni 1644. At post aliquot dies vitam cum morte commutauit. Dissecto cadauere ingens aquarum copia fluxit;iecur optimè constitutum,& naturali temperie prędituin inuenimus,lienem verò corruptum,& totam ferè ipsius substantiam pici liquatæ similem. Vndè patet, non omnem hydropis speciem ex summa hepatis imbecillitate, aut intemperie perpetuò generari.

OBSERVATIO VII.

Mensium fluxus immodicus.

MVlier quædam rustica,trigesimum ætatis annum agens laborabat mense Iunio anni 1644.mensiū fluxu immodico, & maximam virium cum sanguine iacturam patiebatur singulis horis ab aliquot diebus, ita vt de ipsius salute iā actū esse videretur. Ego fortè fortuna rura perambulans, venationis gratia,cum remedia non supperterent,nec ægrotantis fortuna eorum sumptus ferre posset,exhibui statim,idque circa horam sextam vespertinam,succi vrticę Vnc.v.aut vj.& iussi admoueri parti hypogastricę prędictum succum cum farina tritici subactum instar catapiasmatis; circa mediam noctem vtrumque reiterari iubeo. Quod cum factum fuisset, ęgra matutinis melius habuit,& sanguinis fluxus immodicus omninò cohibitus est,ac sensim conualuit absque alterius remedij ope.

OBSERVATIO VIII.

Fluor muliebris.

MVlier Costensis quadragenaria, laborabat à septem mensibus fluxu muliebri seroso, quem curauimus intra quinq; septimanas,exhibendō singulis octo diebus gr. 8. resinæ ialapæ; educta scilicet serosa illuuie,à qua pendebat affectus. Deinde recidiuæ occasio sublata est vsu sequentis opiatæ.

℞.Conseruæ rosar.antiquæ vnc.ij conseruę absinthij ponti. Vnc.j.pulueris electuar.triasantali,& aromatici rosati an. ʒ.j.coralli rubri præparati ʒ.ß.theriacæ veteris ʒ.ij. cum syrupo de rosis siccis fiat opiata, de qua sumebat ad magnitudinem auellanę singulis diebus, hora somni, per longum tempus.

OBSERVATIO IX.

Lupia.

PVella Costensis ætatis 20. annorum, laborabat tumore scirrhoso nucis iuglandis magnitudine, superiorem partem metacarpij occupante, qui discussus est meo consilio, admota super partem affectam lamina plumbea hydrargyro illita, eaque per octo dies gestata tumor disparuit, nec amplius reuersa est.

OBSERVATIO X.

Hydrops incipiens.

MVlier 25. annorum, nomine Damiana Gullon, neptis mea, laborabat à duobus annis mensium suppressione, ob incautam viuendi rationem, & errores à partu commissos, (citius enim externo aeri sese exposuerat) cum vigilijs, inappetentia, pigritie ad motum, difficultate spirandi, tumore & duritie lienis,ac extenuatione totius corporis,ita vt ad phthisin, aut hydropem breui ruitura videretur. Varia per annum fere integrum vsurpauit remedia, à peritissimis Medicis ex arte præscripta. Verùm procedente morbo & irritis omnibus auxilij exortus est tibiarum tumor ędematosus,& totius abdominis inflatio,quæ tamen multorum flatuum particeps erat. Ingraueſcebant in dies omnia symptomata, actandem regio ventriculi in tumorem pellucidum elata est. His afflicta, & prostrata ad me accessit, ac sequentium remediorum vsu conualuit mense Septembri, anni 1644.

Primò sumpsit per quatuor dies ptisanam laxantem ex infusione ʒ.ij.sennæ cum ʒ.ß.salis prunellæ,& guttis xv. spiritus sulphuris per campanam eliciti. Deinde sequentium iusculorum vsum aggressa est.

℞.Radic.asparagi,graminis,& cichorij an.ʒ.ß.radic.chinę in taleolas sectę dr.j.folior.agrim.ceterach.buglossi,& cichor.an.M.ß.crystalli tartari ℈.ij. coquantur cū quarta parte galli veteris,in colaturę dissolue salis absinthij,& tamarisci an.℈.j.sacchari rosacei dr.ij.fiat iusculum,quod capiat manè per 12. dies, tribus horis ante prandium.

Finitis iusculis, iterum sumpsit ptisanam laxantem prædictam per triduum.Ac deinde opiatam sequentem,cuius miros effectus sępè vidimus.

℞.Conseruæ flor.tamarisci,& capillor.ven.an. ʒ.j. ß.conseruæ radic. enulæ campanæ dr.vj. chalybis præparati cum sulphurę ʒ.j.salis tamarisci dr.j.spiritus sulphuris per campanem eliciti ℈.j.cum syrupo conditurę citri fiat opiata,de qua capiat dr.ij. aut iij. singulis diebus manè posteà deambulando, & continuando per 15. aut 20. dies.

Vtebatur aqua ex infusione chalybis parata cum mediocri vini rubelli quantitate.

Affixum fuerat ab initio vtrique tibiæ causticum, ac continuò gestatum vsque ad integram curationem, quæ sensim sequuta est prædictorum remediorum vsum. Paulatim enim venter detumuit, appetitum recuperauit, ac viuidum faciei colorem cum naturali somno, & hypochondrij sinistri molitie, ac recuperato menstruæ purgationis beneficio.

OBSERVATIO XI.

Lumbrici.

PVellus quatuor annorum lumbricis valdè obnoxius, mense Septembri anni 1644. laborabat inappetentia, nausea, pruritu narium, siti, inflatione ventris cum eiusdem torminibus,& febre,quam cum verminosam ex prędictis,& præcedentibus signis esse manifestum esset; exhibui mercurij dulcis sexies sublimati gr.xij.cum diagryd.gr.v. Post duas

horas

horas ab assumpto remedio viginti circiter lumbricos simul glomeratos per aluum reiecit, & prædicta omnia symptomata simul euanuerunt, ægerque conualuit.

OBSERVATIO XII.

Dolor capitis intolerabilis.

VIr quidam quinquagenarius gracilis, & raræ texturæ, ad iram maximè proclivis, laborabat à duobus circiter annis dolore capitis acutissimo, partem dextram à summo vertice ad tempus eiusdem lateris occupante, qui quoties recurrebat, (recurrebat autem ter aut quater in anno) ægrum lecto affixum adeo cruciabat, vt in desperationem fermè adduceret, sine febre tamen, ac sine siti aut phlogosi vlla, sed cum pulsatione insigni arteriæ eiusdem temporis. Ad eum vocatus mense Sept. anni 1644. phlebotomiã imperaui, præmisso clystere, ad eluendas primæ regionis impuritates, deinde medicamentum cholagogum exhibitum, & iteratum est post aliquot dies, vsurpatis interim iulepis refrigerantibus, & humorem bilosum præparantibus. Posteà admota capiti repellentia, & oxyrrhodina, aut reuulsiones per cucurbitulas tam siccas, quã scarificatas, & frictiones extremorum celebratæ. Iterata phlebotomia, quibus tamen non cessit dolor, qui cùm reuersus esset, aduentante vere anni 1645. clystere emolliente, & refrigerante præmisso, cum medicamento bilem alterante, & euacuante, ad arteriæ temporis apertionem venio, eaque celebrata fuit vrgente dolore, & sanguis cum impetu, ac saltu prosiliens extractus est ad ℥. v. deinde admoto vulneri splenio ex linteo complicato, & aqua frigida madefacto, ac fascia super inducta, vt in vulgata phlebotomia fieri solet, dolor intra dimidiam horam sublatus est, qui anteà per multos dies affligere solebat, nec ab eo tempore reuersus est.

Admoueri poterat ad maiorem cautionem emplastrum Galeni ex thure, mastiche, bolo armena, & pilis leporinis, cum albumine oui, & bona ligatura, sicut paratum habebatur; hoc tamen opus non fuit.

OBSERVATIO XIII.

Dolor capitis contumax.

MUlier Costensis quinquagenaria, nimis nota, & nimis famosa, laborabat mense Octob. ann. 1644. difficultate respirandi, cum dolore capitis atrocissimo, qui tamen vagus erat, & noctu præcipuè ingrauescebat, cumque remedijs ordinarijs tum vacuantibus, tum roborantibus per mensem integrum vsurpatis non cederet; venereum esse suspicatus sum. Angebant autem hanc suspicionem spontaneæ corporis lassitudines, desidia, torporque ad motum, interdum grauis auditus, cum tinnitu aurium, imminuta ventriculi, & iecoris cõcoctio, dolor & cruciatus insignis in priori parte vtriusque tibiæ noctu potissimùm recurrens, tum quod præter anteactę vitæ rationem, anno superiori, dietam sudorificam, & frictiones ex vnguenti mercurialibus, ac pilulas mercuriales multoties vsurpauerat. Itaque cum anni tempestas frigidissima & ægrotantis status antiuenereorum vsum non pateretur, de dolore capitis subleuando cogitandum fuit, qui cùm vagus esset, à mercurij cerebrum impetentis, & obsidentis maligna qualitate produci existimauimus, nec fefellit opinio. Inditus enim vtrique nari numus aureus circumuolutus, & per aliquot horas ibi detentus, ac tandem extractus, albicans vterque ex parte, ac Mercurio tinctus apparuit, qui deinde carbonibus appositus pristinum colorem recepit. Alter etiam numus in ore detentus per quatuor aut quinque horas, eodem modo albicans extractus est, eoque cardonibus impositio mercurius euanuit, hocque remedio aliquoties iterato dolor capitis acutissimus omninò sublatus est, cum tamen grauitas quædam supereesset; & ægra melius habere visa est per multos dies; ita vt è lecto surgeret, cibum ritè appeteret, seque curatam profiteretur, remanente tamen difficultate spirandi, & tibiarum dolore noctu semper recurrente. Verùm post quindecim dies, oborta febre continua, è viuis decessit.

OBSERVATIO XIV.

Febris tertiana notha.

VIr quidam Costensis, annorum 27. optimi habitus & temperaturæ circa initium mensis Septembris 1644. febre tertiana notha correptus est, quæ cum per mensem integrum perseueraset, frustra tentatis exarte remedio, ab alio Medico præscriptis, sumpsit meo consilio vomitorium ex ℥. i. salis vitrioli in aqua dissoluti, à quo ter aut quater excitatus fuit vomitus, nec febris amplius apparuit.

OBSERVATIO XV.

Dolor dentium.

PRincipio mensis Februarij anni 1645. correptus sum frequenti, & molesta salliuatione, cum dolore dentium acerbissimo, qui tandem febrem accersiuit, eaque, post iniectum clysterem, & celebratam phlebotomiam euanuit, remanente tamen dolore dentium, & continuo ptyalismo materiæ tenuis, & serosæ, cuius excretione perseuerante, obortisunt in diuersis corporis partibus dolores vagi, modo vnam, modo alteram partem occupantes, quos cum à serò melancholico prouenire iudicarem, sumpsi resinæ ialapæ gr. 8. quibus optimè, & blandè purgatus, serosam illuuiem in corpore redundantem, septem diectionibus excreui in maxima copia, & sequenti die à prædictis doloribus, & molestissimo ptyalismo immunem me sensi. Attamen mense Aprili reuersi sunt dolor dentium, & ptyalismus, qui sumpto eodem medicamento, intra 24. horas prorsus euanuerunt.

OBSERVATIO XVI.

Lues venerea.

MEnse Maio anni 1645. Puellæ duæ, quarum maior vix attigerat quintum, minor verò tertium ætatis annum, laborabat lue venerea, quam per contagium susceperant à quinque mensium spatio, cum vlceribus multis in ore, & pudendis, nec non pustulis, & fœda scabie, per totum corpus erumpentibus. Frustra exhibitum fuerant decoctum guaiacinum per mensem integrum à perito chirurgo. Vocatur ego intra quindecim dierum spatium curaui prædictas puellas mercurio præcipitato albo, exhibendo scilicet singulis diebus maiori prunellæ gr. vj. minori verò gr. iv. augendo tamen aliquando vtriusque dosin, iuxta operationem, quæ talis fuit, vt vtraque singulis diebus bis aut ter aluum, deponeret; nec vomitus vllus, aut ptyalismus vnquam subsequutus est. Perseuerabant tamen per dictum tempus in vsu bocheti ex rasura ligni guaiacini.

OBSERVATIO XVII.

Verucę manuum.

QUidam patiebatur verucas multas in digitis manuum, quas curauit meo consilio, illitu lactis ficulnei quater aut quinquies adhibiti. Idem præstitit, idque multo efficacius, spiritus sulphuris per campanam elicitus, & per aliquot dies admotus, instar fomenti, in quodam rustico.

OBSERVATIO XVIII.

Vulnus contusum.

DVx quidam, milites conducens, in hac vrbe pro D. de Ville principio mensis Maij 1645. è summis scalis cecidit in subiectum dolium, vulnusque contusum accepit in dextro latere, ad costas nothas; ita vt multo sanguine circa illas partes effuso perpetuus dolor; isque sæuissimus cruciaret ægrotantem, qui vix ac ne vix quidem sese mouere, nec loqui spirare, nec tussire posset, quin statim ingentes clamores ederet. Vocatus ego venam subito aperiri iubeo ex eodem latere; & emplastrum de cumino apponi partibus dolentibus; quo per duodecim horas gestato, & semel renouato dolor valdè imminutus est, liuidus partis color disparuit, melius spirauit, ac sequenti die è lecto surgere cœpit, sicque post alterum diem discessit.

OBSERVATIO XIX.

Pestis.

TEmpore pestilentiæ, quæ per totam ferè Galliam grassata est annis 1628. & 1629 Homo quidam Costensis, cu-

se

se peste correptum exstimaret, propter subitam capitis grauitatem, & dolorem, nec non vomitum variegatum, statim catharides cum fermento, & aceto applicuit pone aures & alij emunctorijs, ac in lecto decubuit. Post 24. hora erupit parotis, ex qua continuò fluxit humor quidam acer & serosus sicut & per alia emunctoria; vnde morbus minus grauis, & salutaris extitit; Indeq; post aliquot dies æger euasit, nec amplius laborauit: licet assiduo cum pestiferis ageret; eisque inseruiret. Eiusdem vxor post aliquod tempus cum malè habere persentiret, eodem modo libera euasit, quod remedium ab alijs didicerant, qui ita bene, & bonis suis rebus egerant.

Eodem anno vxor N. Nicha, Costensis, cum filiam suam primogenitam, annorum circiter 12. peste correptam existimaret vt coniecit mulier ingeniosa, ex aspectu horrido, febre calore, dolore capitis, & nausea: statim accepta puella, pennam oleo illitã in eius fauces immisit: & excitato vomitu, serosam primò materiam, deinde flauam, ac tandem porraceã, & viridem veluti herbam semicoctam in magna copia eduxit posteà filiam suam in lectum reposuit, iusculum propinauit, ac quieti commisit. Post aliquot horas puella surrexit hilaris, nec amplius, vllo symptomate pestifero correpta fuit, licet cum pestiferis sæpè versaretur. Interiectis, octo diebus, fratres eiusdem duo natu minores, & sororuncula, ijsdem, imo grauioribus symptomatibus correpti sunt, quos mater eadem ratione, excitato vomitu, & simili humorum sarcina deposita, à mortis confinio liberauit.

OBSERVATIO XX.

Strumæ.

PVella vicini nostri Iacobi Gòrrez, quatuor annos nata laborabat scropholosis tumoribus circa collum, & aures valdè eminentibus. Consulit aliquis parentibus ipsius, vt eam pediculis corripi sinerent, qui tandem vlcera toti capiti inferre possent, per quæ materia morbifica, humor scilicet pituitosus in magna copia ritè euacuatus est, per aliquot menses, & ægra tandem liberata fuit absque alio remedio.

OBSERVATIO XXI.

Hydrops.

MVlier 30. annorum, hydrope anasarca laborans, consilio alterius mulieris, & Pharmacopæi senioris abstinuit ab omni potulenta materia per annum fere integrum, & sic tãdem conualuit absque alio remedio. Cuius exemplo rusticus ipsius vicinus, eodem morbo laborans, eodem etiam modo curatus est intra quatuor menses. Alter hydropicus multis vesicatorijs admotis in multis partibus, à Pharmacopœo curatus est.

OBSERVATIO XXII.

Hysterica passio.

ILlustrissima Domina de Popiam in Occitania, affectibus hystericis multum obnoxia, varijs remedijs vsa est per multos annos, sed frustra, quia continuò recurrebant prædicti affectus. Tandem vsu sequentis puluueris libera euasit per quindecim annos, sumebat autem illius circiter. dr. j. cum vino vel pane hostiario bis aut ter in septimana, & sæpius etiam, si affectus vrgeret. Vtitur præterea hoc puluere aduersus omnia venena, pestem, febres intermittentes, & inappetentiam, cum felicissimo successu, vt nos sæpè vidimus. Descriptio autem puluueris talis est.

℞. Rad. gentianæ, dictam. albi, tormentillæ, pyrethri, rhapontici, bistortæ, aristolochiæ rotund. carlinæ, baccarum lauri, angelicæ, imperatoriæ Sem. coriandr. præparat. sem. anisi, granorum iuniperi mastich. boli armen. orientalis, terræ sigillatæ an. ℥. iij. ß. croci orientalis ℥. ij. ß. misce, fiat puluis tenuissimus ad vsum reseruandus.

OBSERVATIONES COMMVNICATÆ

A D. SAMVELE FORMIO, CHIRVRGIÆ

Magistro Monspelienſi exercitatissimo, & à 50. annis artem exercente.

OBSERVATIO I.

Hæmorrhagia ex vulnere.

ANno 1593. cum miles quidam vulnus accepisset in brachio quo radius, & cubitus transuersim secabantur, tanta sequuta est hæmorrhagia, vt post varia adstringentia admota, tum etiam caustica, & escharotica, fluxus tamen sanguinis per interualla recurreret, ita vt Medici, & Chirurgi de brachio penitus amputando cogitarent. Ego vero cui æger commissus fuerat, linteum complicaui in formam cylindri, longitudinis trium digitorum transuersorum, crassitici pollicis quod perpendiculariter in vulnus demisi. Deinde plumaceolis reliquum vulneris spatium impleui, & quia cylindri extremum extra brachij superficiem, pollicis crassitie eminebat, splenia quatuor admoui, quæ cylindrum æquabant firmabantque: ipsi verò cylindro quintum splenium, idque quadratum apposui, ac denique fascia arctè ligaui. Et ab eo tempore sanguis amplius non effluxit, vulnus autem non detexi per quatuor, aut quinque dies donec caro intus enata venæ orificium impleuerit.

OBSERVATIO II.

Hæmorrhagia ex arteria vulnerata, ligatura cohibita.

ADolescens Monspelienſis, nomine N. Peyre, in singulari certamine vulnus acceperat in parte anteriore brachij, prope axillam quo vena, & arteria axillaris præcisa fuerant, vnde tanta hæmorrhagia sequuta est vt eam nullis adstringẽtibus cohiberi posse iudicarem, ni statim ad ligaturam venerim, quam hoc modo feliciter perfeci. Acum incuruam in partem sanam supra vulnus adegi, ita vt ad os vsque penetraret, & dictam venam, atque arteriam ambiret, à parte inferiori incipiendo, vbi musculus extensor longus transfigebatur, & acu in exitu musculum bicipitem perforaui, in extremo acus filum erat quadruplex, quo vena, & arteria intus cingebatur; deinde admoto cylindro ex linteis confecto, supra cutem inter duo fili extrema, filum arctè supra cylindrum alligaui, ne scilcet cutis, & vasa filo rumperentur, & hoc modo ligata fuere vasa, vt nulla ampliùs hæmorrhagia apparuerit. Post decem, aut vndecim dies, cum vulnus conglutinatum videretur, filum abscidi & æger curatus est. Interim post dictam ligaturam, ad compescendum dolorem, qui ex ea oriebatur, & arcendam inflammationem, quæ dolorem sequebatur, phlebotomiæ frequentes celebratæ sunt, & oxyrrhodina parti admota, aliaque remedia dolorem sedantia, & inflammationem cohibentia.

OBSERVATIO III.

Dolor ossis sacri intolerandus.

HOmuncio quidam, veterum calceorum instaurator, annos natus circiter 40 dolorem atrociſſimum passus erat per duos menses in parte inferiori ossis sacri: qui adeò vehemens fuerat, vt eo æger in maniã incideret. Frustra vsurpatæ fuerant varia remedia, vniuersalia, & particularia. Tandem vocatus

vocatus ad eum, cucurbitulas duas applicui, vnam parti dolenti, alteram verò paulò inferius, nempè supra natem, eum profundis scarificationibus, ex quibus multus sanguis emanauit, eoque detersò iterum cucurbitulas admoni supra loca scarificata, & sanguis iterum profluxit, satis bona quantitate. Æger à dolore liberatus videbatur, nihilominus sequenti die magnum causticum inussi loco dolenti, supra ipsas scarificationes, idque ibi detinui per 24. horas, ita vt eschara capitis latitudinem æquaret, & ad os vsque penetraret. Decisa eschara vlcus ad cicatricem perductum est, & æger à tanto malo liberatus.

OBSERVATIO IV.

Hydrops.

IDem calceorum instaurator, post biennium à prædicta curatione, incidit in hydropem ascitem, quo cum à sex mensibus detineretur, & vmbilicus promineret ad magnitudinem oui gallinacei, paracentesis facta in medio exomphalos, & aqua per partes educta admota cannula ex aurichalco confecta, in cuius extremo lamina erat lata, ne in ventrem mergeretur, foraminibus vtrinque peruia, vt alligari posset. Deinde dicta lamina vecte, seu strato clauo claudebatur, & ita curatus fuit.

In hac operatione aduertendum, ne hydropici aperiantur, nisi exomphalos appareat, quasi natura viam illam ad exclusionem aquarum affectante. Alioqui omnes qui aperiuntur, non prominente vmbilico, intereunt. Hæc autem vmbilici prominentia arte procurari potest admotis frequenter vmbilico cucurbitulis siccis, cum multa flamma, tum etiam fomentis emollientibus, & attrahentibus, quæ intra octiduum plus minus vsurpata, prominentiam faciunt, in qua apertio administrari potest.

OBSERVATIO V.

Alius hydrops.

MUlier quædam 25. annos nata paupercula, hydrope laborabat. Vetula quædam, ei consuluit, vt ossa cuiuslibet animalis sub diu exsiccata sumeret, & in puluerem reduceret, eiusque ʒ. j. sumeret per mensem integrum cum vino albo, succo petroselini permixto. Ille autem succus ita extrahebatur, sumebat fol. petroselini M. j. quem linteo inuolutum decoquebat sub cineribus calidis, & deinde contundebat in mortario marmoreo, sensim affundendo vini albi q. s. exprimebat succum, & vinum ad cyathi quantitatem, & in eo ossa puluerata dissoluebat, & quotidie manè sumebat per dictum tempus, quo elapso, integrè curata remansit.

OBSERVATIO VI.

Hydrocephalos.

INfans recenter in lucem editus, hydrocephalo laborabat, totum caput occupante, cum magna futurarum dilatatione. Ego sine vllo medicamento, aut alio remedio hunc affectum curaui sola fascia Guidonis, in formam cucuphæ concinnata, qua totum caput obuoluebatur duabus extremitatibus in globulo obuolutis, quæ Gallicè (capeline de Guidon) nominatur, quotidie dicta fascia renouabatur, & intra quindecim, aut viginti dies tumor prorsùs euanuit.

OBSERVATIO VII.

Hydrops.

ACcepi à testibus fide dignis, duas mulieres hydropicas sanatas fuisse, vnguibus pedum ita arctè præcisis, vt cutis portiuncula raderetur, & aliquid sanguinis emanaret, quem sequebatur serosi humoris stillatio per multos dies, & sic paulatim totus humor in abdomine contentus educebatur.

OBSERVATIO VIII.

Vulnus capitis cum contusione.

QVædam mulier ex lapsu trabis in verticem graue vulnus accepit cum contusione, vnde paucis diebus sacrus apparuit in parte inferiore supra os parietale, magnitudinis, quatuor digitorum transuersorum. Volui ipse saccum, seu abscessum aperire in parte decliui, quod ægra pertinaciter renuit. Prædicta igitur fascia, (capeline dicta) & splenio denso emplastrato, vt firmiùs hæreret, supra abscessum admoto, facta fuit expressio materiæ ad vulnus, quod superiorem partem occupabat, ac deinde glutinatio, vnde curatio integra feliciter sequuta est.

OBSERVATIO IX.

Abscessus in sterno.

QVidem Medicinæ Studiosus phlegmonem passus est in sterno insignis magnitudinis, quę volę manus magnitudinem æquabat, ea suppurata, abscessus apertus fuit imperitia alterius Chirurgi in parte superiori. Vocatus ego abscessum iterum aperire volui in parte decliui; quod æger ferre noluit: admoto igitur splenio denso emplastrato, eoque fasciæ firmiter alligato, totum pus ad locum apertum expulsum est, & vlnus hoc modo consolidatum.

OBSERVATIO X.

Vlcus sinuosum.

ADolescens 18. annos natus, à quatuor mensibus vlcus sinuosum habebat in crure dextro, inter ingenum, & ischium; & orificium erat superius sinus verò deorsum serebatur vsque ad medium femur. Noluit etiam dictus æger apertionem sustinere in parte inferiori, quæ necessaria videbatur. Ego necessitate coactus, post iniectiones detergentes sępè repetitas, splenium admoui valdè spissum, & emplastratum, vt firmiter hęreret; & inducta fascia spirandi, quę à parte inferiori ad superiorem tendebat, vsque ad orificium vlceris, quod apertum seruabatur; vlcus illud sinuosum intra mensem conglutinatum est.

OBSERVATIO XI.

Subeth puerorum.

FIlia D. Ludouici ciuis Monspelienſis, octo annos nata, comate seu Subeth Auicennæ, detinebatur, cum conuulsionibus frequentibus, cui Medici multa remedia adhibuerant: clysteres nempe, frictiones, cucurbitulas, vesicatoria, sternutatoria, & similia. Ego vitrioli albi ʒ. j. cum iusculo exhibui, & vomitu excitato, illico liberata est.

Filius cuiusdam hortulani quinque, vel sex annos natus eodem affectus cum conuulsionibus detinebatur, cui exhibui aquæ benedictæ Rulandi ʒ. ß. vnde supra, & infra purgatus est, & ab affectu liberatus.

Filia magistri de la Croix mercatoris, annicula, eodem affectu laborans, sine conuulsionibus, sumpsit succi ceparum, & olei communis ana cochlear vnum, simul mixta, quibus vomitus fuit excitatus, & ægra ab affectu liberata.

Filia magistri Morand. aurifabri, quatuor annos nata, eodem remedia ab eodem affectu liberata est.

OBSERVATIO XII.

Febris tertiana, & lumbrici.

QVidam ciuis Monspelienſis 30. annos natus, febre tertiana laborans, sumpsit aquæ benedictæ ʒ. j. & à febre curatus est, & operatione huius medicamenti latum lumbricum excreuit septem pedum longitudinem æquantem.

OBSERVATIO XIII.

Globulus plumbeus vulnere sclopeti calcaneo infixus.

QVidam miles vulnus acceperat in tibia, quod inferiùs descendebat vsque ad calcaneum, in cuius substantiam globulus infixus fuerat, ibique hęrebat. Non curatum fuit vlcus, sed fistulosum euasit, & in eo statu per septennium permansit. Tandem se mihi curandum commisit. Ego verò specillum in vlcus demittens, in ipsius ossis cauitate, contactus globulum inueni. Tum locum metiens cum specillo,

quod

quod sex digitorum transuersorum latitudine vlcus ingrediebatur, è directo loci, in quo erat globulus, magnum causticum admoui, quod cum ad os vsque non peruenisset, eschara ablata, aliud causticum denuò apposui, cuius operatio ad calcaneum vsque peruenit, eoque denudato, trepano calcaneum aperui, & in eo latentem globulum inueni, & extraxi, ac breui postmodum tempore vlcus sanatum est.

OBSERVATIO XIV.

Cranij depressio ex vulnere.

MAgistri Strinc ciuis Monspeliensis filia 18. menses nata, per scalas cecidit, & capite illiso in lapidem, facta fuit cranij depressio in futuram sagittalem, & coronalem, magnitudinis dimidiæ nucis. Ad quam vocatus, raso capillitio parti cucurbitulam admoui sine scarificatione, & consequenter iterum admoui cum scarificatione: Postea applicui cataplasma ex furfure, pane cum rosis, & vino compositum, idque iteraui bis in die per quinque vel sex dies, iterando cucurbitulæ applicationem sine scarificatione ante singulas admotiones cataplasmatis, deinde, per quatuor, aut quinque dies, solum cataplasma admouendo. Tumor à curbitula excitatus, discussus est, & depressio sublata apparuit, atque os ad suum naturalem locum, & consuetam connexitatē restitutū.

OBSERVATIO XV.

Enterocele.

MVltos curaui tum viros, tum fœminas enterocele laborantes, quorum nonnullis à tribus, aut quatuor diebus intestinum extra peritonæum exierat: ita vt etiam ad iliacam passionem, quam miserere mei vulgò vocant, peruenerint; idque sequenti methodo: Mensam vel asserem satis latum iuxta lectum ita dispono, vt vna illius extremitas pauimentum attingat, altera verò lecto innitatur. Deinde ægrum supra asserem subiectis puluinaribus tali situ collo co, vt caput ad pauimentum, crura verò ad lectum vergant. Mox linteis quadruplicatis in aqua frigida maceratis, diu partem foueo, eam interim digitis leuiter contrectando, & toru per mediam horam continuato, linteum multiplex ad triangularem figulam efformatum, & aqua frigida imbutum applico, superinducta ligatura contentiua; & sic intra paucas horas, vt plurimum intestinum sponte reponitur. Quod si post primum fotum, & sequentem lintei applicationem, intestinum non reponatur, eandem operationem repeto bis in die, & secunda aut tertia iteratione affectus curatur.

In quibusdam autem seriùs vocatus, cum intestinum esset inflammatu, vt præ tumore angustum ruptionis peritonæi foramen denuò ingredi non posset, dilato illo foramine per incisionem tres ægrotos à propinqua morte liberaui. Hanc autem operationem hac methodo perfeci. Primò ægrum colloco, vt pro repositione dictum est, & præterea artus probè alligantur, ne in operatione sese commouere possit. Post modum lineam transuersalem duco cum atramento, supra lineam strangulationis intestini, vbi est ruptura peritonæi. Deinde alteram lineam duco perpendiculariter supradictam secantem iuxta ipsum locum strangulationis, & in medio ipsius: Postmodum cutem duobus digitis vtrinque adduco secundum lineam transuersalem, eaque nouacula incido secundum perpendicularem, ita vt incisio sua longitudine duorum digitorum transuersorum latitudinem æquet. Postmodum musculi rupturam tegentes hamulis sensim eleuantur, & scalpello separantur, donec productio peritonæi detegatur. Eaque detecta hamulo eleuatur, eodemque scalpello inciditur, & hoc modo intestinum reponitur. Quod si intestinum in inflammatione, aut flatibus ita intumuerit, vt in abdomen protrudi nequeat, apertio iam facta amplificari poterit, immisso in vulnus catheteræ canulato, supra quod lythotomia solet fieri, & supra ipsum, labdomine forcipibus inciso in parte superiori, aut inferiori, prout à Chirurgo melius visum fuerit.

In hac opertione hoc notatu dignissimum in muliere quadam obseruaui, quam prædicta operatione curaui, quod nimirum aperto abdomine intestinum quòd tredecim annis extra peritonæum exierat, & in inguine perpetuum tumorem efficiebat; carnea veluti fascia contectam apparuit, quæ dictum instrumentum ambiebat, & à parte inferiori iuxta rupturam continuò accrescens, tandem intestinum in ea parte adeò coarctauerat, vt excrementa præterlabi non possent, vnde mulier in iliacam passionem inciderat, quæ operationi locum dedit.

OBSERVATIO XVI.

Ganglion in facie supra zigoma.

IVuenis quædam mulier ganglion habebat in facie, cerasi magnitudinem æquans, infra oculum, supra zigoma, quod intra mēsem discussum est, admota lamina plumbea hydrargyro illita, & emplastro infixa, vt meliùs hæreret; eaque supra ganglion admota, vna cum emplastra splenium satis solidum superimponebam, deinde fascia alligabam, quæ sumiphalera à Galeno nominatur.

OBSERVATIO XVII.

Anchilops.

MVlier quadragenaria tumorum habebat in maiori oculi cantho, qui Anchylops nominatur: hunc sustuli admoto causticigranulo, & decisa eschara vlcus curaui tantillo Mercurij præcipitati rubri, cum alumine vsto, ea proportione, vt dupla sit quantitas Mercurij, & simplex aluminis: puluis iste exceptus vnguento aureo, vlceri admouebatur, donec noua inducta eschara ad lentis magnitudinem, eaque decisa os detectum fuerit, quod cùm illęsum appareret, vlcus confestim carne implendum procuraui, admotis linteis detritis, & bis in die immutatis, sicque affectus integrè curatus est.

OBSERVATIO XVIII.

Alui constrictio lethalis.

QVidam sutor per mensem, aut vltra fæces alui non excreuerat, & mutis clysteribus, ac potionibus, purgantibus frustrà vsurpatis, tandem interijt. Aperto cadauere omnia intestina inuenta sunt fæcibus, aut alimentis, vel potulentis omninò repleta instar sanguiculorum, vulgò boudins quod iudicatum fuit à facultate intestinorum expultrice abolita prouenisse.

OBSERVATIO XIX.

Fractura cranij in tempore sinistro.

MVlier quædam vulnus accepit in tempore sinistro ex ictu lapidis, quæ cum statim ab accepto vulnere in iuuenis Chirurgi manus veniſſet, ille grauitate vulneris perterritus me vocauit. Ego verò cognita fractura, & admotionem trepani necessariam esse iudicans, non dubitaui incisionem crucialem efficere supra crotaphitam, qua os fractum detectum est, & effractio reperta, in qua frustulum cranij, nuclei amygdalini magnitudinem æquans omninò separatum, ad duram matrem depressum, & sub cranio latitans, visebatur. At trepano ritè administrato portio illa cranij extracta est, & vulnus feliciter curatum, neque vllum graue symptoma ex incisione crotaphitæ exortum est.

OBSERVATIO XX.

Cancer.

QVædam mulier quinquagenaria laborabat cancro in mamma sinistra, vlcerari incipiente: iuuenis Chirurgus extraneus sequens remedium admouit.

℞. Aquę fortis ʒ.j. sublimati crudi ʒ.iv. salis ammoniaci ʒ ij. arsenici ʒ. j. ponatur omnia in alembico, & distillentur ad siccitatem, addendo aceti distillati par pulueri pondus, distilletur iterum a cetum donec materia ad pastę consistentiam redeat.

Primò cancrum diligenter ablubat vino calente, cum linteis eo imbutis, & fortiter fricabat, vt pars irritaretur, deinde extendebat pastam supra plumaceolum sextuplò minorem ipso tumore, quod remedium supra partem relinquebat per 24. horas, & fiebat eschara plumaceolo sextuplo maior, ita vt cancrum omninò absumeret, & decisa eschara

vlcus

vlcus carne implebatur, & ad cicatricem perducebatur. Quod si dicta eschara tumorem vniuersum non abstulisset, sed quædam illius radices subsisterent: illas absumebat pulcre præcipitati rubri, cum alumine vsto permixti.

Ad vlcus vero carne implendum, linteis tantum detritis vtebatur.

Hoc autem notatu dignissimum est, quod admoto parti medicamento, febris accendebatur, vomitus, & alui fluxus excitabatur, & vrinæ fluxus prouocabatur, quæ symptomata per biduum aut triduum perseuerabant, natura irritata à venenati medicamenti deleteria qualitate.

Eodem remedio cancer in nasi extremitate obortus, qui nasi apicem exederat, in quodam militie curatus fuit.

OBSERVATIO XXI.

Alia cancri curatio.

VEtula quædam mulier cancrum habebat in mamma sinistra, quem per tredecim annos gestauerat, in quo exigui tumores cancrosi adnascebantur, qui multò acerbiores dolores excitabant, propterea quod exulcerati fuerant, quam tota cancri ipsius moles, qui tamen exigui tumores sublati sunt frequenti applicatione aquarum papau. rhead. plantag. & rosar. cum melle ros. permixtarum, ad initio, deinde solis aquis admotis. In altera etiam muliere vlcus cancrosum patiente in mamma, idem remedium vlcus protinùs sustulit, & ad cicatricem perduxit.

OBSERVATIO XXII.

Gangræna in vulua.

MUlier 30. annos nata, ex partu laborioso & laceratione labiorum vuluæ, ingentem tumorem contraxerat in labio dextro ex affluxu sanguinis in eam partem, quod malum cum neglexisset per tres, aut quatuor dies, tandem gangræna in parte introducta est. Vocatus tunc temporis, profundas, & magnas incisiones feci in parte interioti vuluæ, deinde in ipsas incisiones manum immittebam, eaque trombos sanguinis quamplurimos extrahebam ad ℔. j. ß. quantitatem. Postmodum vino, sale, melle, & aceto simul mixtis partem ablucbam calidissimè, & linteis fouebam, deinde nouas incisiones efficiebam, & denuò abluebam, atque fouebam. Postmodum portiones tunicæ interioris correptas resecabam, atque iterùm refouebam, & indesinenter perseueraui in eiusmodi incisionibus, & fotibus, donec nullus fœtor in parte apparuerit, & omnes particulæ corruptæ ablatæ fuerint. Ac deinceps fotus prædicti diu, noctuque continuati sunt per duos, aut tres dies, quibus elapsis ægyptiacum cum aureo mixtus parti admotus fuit, & tandem aqua vulneraria vlcus ad cicatricem perductum est.

Eadem methodo ciuis quidam Monspelienſis è testiculi gangræna liberatus est.

OBSERVATIO XXIII.

Alia gangræna in pede.

NObilis mulier ex morbo diuturno gangrænam contraxit in pede, quæ cùm esset adhuc incipiens: protinus sublata est fotu diuturno cum decocto vulnerario ex aristoloch. rotund. rhapontico, zedoaria, myrrha aloe, & vino albo parato, cui addebatur post decoctionem, & colaturam aqua vitæ, in qua camphora dissoluta fuerat.

OBSERVATIO XXIV.

Alia gangræna in tibia.

VIr quidam nobilis gangrænam patiebatur in tibia, quæ eo processerat, vt Medici, & Chirurgi partem amputare decreuerint, quod cum ad sequentem diem distulissent; post eorum discessum, adductus fuit empyricus, qui gangrænæ curationem pollicitus est, & cum æger illi commisisset, per totam noctem partem affectam fouit aqua, in qua calx, & creta alba decoctæ fuerant, & matutinis horis gangræna apparuit protinus ablata.

OBSERVATIO XXV.

Lupia.

FIlius Magistri Malafosse Marcatoris Monspelienſi lupiam magnam habebat pugni maioris magnitudinem æquantem iuxta spinam dorsi sub homoplata, quæ hac methodo curata fuit. Instrumentum comparaui ex fraxino, vel querca, aut alio ligno densiori ad exiguæ molis figuram efformatum, quali pictores colores in marmore conterere soliti sunt, eoque lupiam confricabam, & conterebam bis in die per dimidiæ horæ spatium: deinde cataplasma emolliens suppurans valdè calidum admouebam, idque continuando per quatuor aut quinque dies lupia insuppuratum abijt eaque aperta pus effluxit liquidum ac deinceps tota materia in lupia contenta, in pus conuersa, euacuata est, & vlcus ad cicatricem perductum, attritione prædicta instrumento ligneo facta cystis lupiæ rumpitur, & materia contenta attenuatur, atque in particulas diuiditur, vt facilius concoqui valeat. Loco cataplasmatis sanis calens è furno per medium sectus, vtiliter adhiberi potest.

Hoc idem remedium in pluribus alijs eundem effectum protulit.

OBSERVATIO XXVI.

Lues venerea in puello nuper in lucem edito.

MUlier lue venerea infecta puellum peperit, pustulis, & vlceribus in varijs partibus affectum, qui curatus fuit præcipitato albo ad grana duo, vel tria exhibito, cum saccharo, & lacte, singulis vel alternis diebus continuando per mensem integrum, & incepta est remedij exhibito, decimo quinto natiuitatis die.

OBSERVATIO XXVII.

Renes purulenti.

PVella 18. annos nata purulentas vrinas reddiderat per longum tempus, & febre diuturna, lenta, hecticaque detinebatur, ac tandem interijt. Aperto cadauere, renes inuenti sunt in pus omninò conuersi, ita vt eodem tunica pure omnino referta fuerit, nullis aparentibus paronchymatis reliquijs.

OBSERVATIO XXVIII.

Macula in Cornea.

QVedam mulier infirmæ sortis maculam habebat in oculo, cui consilium dedi, vt bis in die succi rutæ guttam vnicam in collum instillaret, quod cum satis diu continuasset, macula prontius absumpta est.

OBSERVATIO XXX.

Gutta serena.

IVuenis mulier in guttam serenam inciderat, qua ita afflicta fuit vt cibi abstinentia, sibi mortem inferre decreuerit, cum tamen maritus, & aditantes aliquid iusculi, aut vini forbere per vim cogerent, & illa perexiguum sumeret, omnia quantum poterat, respuendo. In eo statu per annum integrum perseuerauit & ad extremam maciem perducta est, calore natiuo, defectu pabuli, humidum substantificum depopulante: cum eo verò omnis simul corporis humiditas tum ipsa materia, guttam serenam efficiens, absumpta est: & sic ægra vsum recuperauit, ac postmodum sensim victu analeptico refecta est.

OBSERVATIO XXX.

Crura vara.

SÆpe pueri in ætate duorum annorum, cum progredi incipiunt vari esse consueuerunt, de quo matres sollicitæ auxilium quærunt à Chirurgis qui plerumque varijs machinis tibias, & crura erigere conantur, sed frustrà, quia sponte naturæ vt plurimum circa ætatem trium, vt quatuor annorum, tibiæ, & musculi firmantur, & partes, ad naturalem statum redeunt.

OB-

OBSERVATIO. XXXI.

Cephalæa, & emicrania.

IN dolore hemicranio à causa calida oriundo, & in dolore illo, qui à Gordonio clauus nominatur, qui est dolor fixus in temporibus, arteriotomia mirifice prodest, quam tutò celebraui in plurimis, vulnus alligando simplici splenio ex linteo complicato confecto, & aqua frigida madefacto, vt in vulgari phlebotomia, fascia superinducta, quæ à Galeno le pus sine auribus nominatur, neque vlla vnquam sequuta est hæmorrhagia. Item vidi cephalæam diuturnam curatam fuisse in Nosocomio, admoto causticopotentiali, super arteriam temporalem; Decisa enim eschara cauterij potentialis supra venas, & arterias admoti, nullus sanguinis fluxus emergit, quia prouida natura, dum escharæ separationem molitur, simul nouam carnem generat; qua venarum oscula teguntur. Ad id verò, quod obijciebatur, magnas hæmorrhagias, quæ in vulneribus cauterio actuali vel catbæreti cis medicamentis cohibentur, sæpè iterum renouari, cùm eschara decidit. Respondeo, escharas illas tenuiores esse, & citius excidere, ideò non intercedere sufficiens temporis spatium ad nouam carnem regignendam, escharas verò, à potentiali cauterio inductas, crassiores, ac solidiores esse, & non nisi longiori tempore excidere, sicque in eo spatio carnem sufficientem generari ad occlusionem venarum.

OBSERVATIO XXXII.

Mania.

QUidam adolescens maniacus: ad cuius curationem potentissima remedia vsurpata fuerant, ita vt ventum fuerit ad vsum Antimonij, trepanum, & arteriotomiam temporum. Cum hęc omnia nihil conferrent, castrationem consului, qua vsurpata, remissa fuere omnia symptomata, & furor omninò cessauit, manente tamen delirio melancholico, ita vt mania in melancholiam versa fuerit.

OBSERVATIO XXXIII.

Ischuria.

EFficax remedium ad ischuriam expertus sum in tribus ægrotantibus ex cerebro picæ exsiccato, & cum vino albo propinato, intra horam fluxus vrinæ promouetur.

OBSERVATIO XXXIV.

Verrucæ.

INtra septem vel octo dies curantur portulaca contusa, eaque pars confricatur, deinde instar cataplasmatis admouetur, iter ato bis in die.

OBSERVATIO XXXV.

Claui pedum.

ABscindantur claui decrescente luna, pedibus aliquandiu primùm aqua calida lotis, deinde admoueantur folia hederæ contusa, & singulis diebus iteretur remedium manè, & sero; intra quindecim dies clauus extrahitur. Vnde colligere est attractiuam vim hederæ inesse potentissimam.

OBSERVATIO XXXVI.

Ambusta.

EAdem hedera ambustis medetur, si folia illius in aqua decocta applicentur.

OBSERVATIO XXXVII.

Pestis.

CVm pestis sæuissima grassaretur Monspelij, anno 1630. duo egrotantes, cum peste correpti essent, ad me miserunt, vt quid acturi essent, præciperem. Ego in memoriam reuocans me legisse apud Pareum, muriam encraticholorum piscium qui vulgo (Anchoes) nominantur, nonnullos peste affectos liberasse; Consilium dedi vt eandem sumerent, vnus muriæ scutellam sumpsit solam, alter cum vrina permixtam, & vterque liberatus est, & oborta vacuatione vehementi per vomitum, & secessum.

OBSERVATIO XXXVIII.

Alias pestis curatio.

IN eadem peste tres eiusdem familiæ. Martius nempè, vxor & soror illius, peste correpti sunt, stercus proprium, cum propria vrina dissolutum, & linteo colatum hauserunt, vnde grauissimus vomitus, & alui fluxus obortus est, & omnes à peste immunes euaserunt, similis quodammodo historia habetur apud Zacutum Lusit. obs. 89. lib. 3. vbi narrat in prouincia Occidentali animal quoddam esse paruum, instar lacertę, in agris frequentissimum. Garit nominatum, cuius morsus omninò lethalis est, nisi ægri stercus humanum assumant, quod vnicum est illius alexipharmacum. Alij tamen vomitorijs multos à peste liberari constat.

OBSERVATIO XXXIX.

Dolor arthriticus.

CItissimè sedatur, fouendo partem aqua foliorum fraxini distillata in alembico plumbeo, quo vulgus rosas distillare solet.

OBSERVATIO XL.

Dolor Dentium.

INfinitos à dolore dentium liberaui, denti corroso admouendo tantillum gossipij, oleo buxi imbuti. Illud autem oleum extrahitur per retortam igne reuerberij, scobem illius priùs infundendo per 24. horas in vino albo, & omnia simul distillando, primum egreditur aqua acida, quæ etiam ad eundem affectum confert, simplici ablutione dentis, mox egreditur oleum vsui diligenter obseruandum.

Hoc etiam remedio feliciter vsus sum.

℞. Sem. plant. ʒ. 2. torment. ʒ. 3. rad. hyosciami albi ℈. iv. omnia exsiccata regrediantur in puluerem subtilissimum, addendo opij granum vnum includantur in nodulis, qui macerentur in decocto sequenti.

℞. Flor. sambuci M. 1. iosar. rubr. P. 2. bulliant in aceto ad vsum dictum.

Hi noduli in dicto decocto macerati, intra dentes leniter comprimuntur, & detinentur, & intra exiguum temporis spatium multus humor effluit per os, & dolor aufertur.

OBSERVATIO XLI.

Lues venerea.

HEnricus Tertius Gallorum Rex lue venerea laborans, à Medicis ordinarijs curari non potuerat. Monitus fuit, Penam tunc temporis Lutetiæ Medicinam facientem, multos ab hoc morbo liberare remedio peculiari, quod à quodam Turca didicerat; illum vocari iussit, ab eoque curatus est: Hoc autem remedium tale erat.

℞. Radic. bardanæ in tallcolas sectæ ʒ. 8. vini albi, & aquę font. ana ℔. 2. bulliant ad mediæ partim consumptionem, addendo sub finem sennæ mundat. ʒ. j. vel ʒ. j. ß. pro dispositione ægrotantis, colaturę capiat manè ℔. ß. sudores prouocando cum siliquis maioribus calidis linteis obuolutis, quorum vnus admoueatur plantis pedum, duo tibijs iuxta peronem, duo cruribus iuxta medium parti exteriori, & duo iuxta humeros probè tegendo ægrum, sudores copiosi excitantur per horam vnam cum dimidia, & circa vesperam aluus soluitur bis, aut ter.

Hoc remedium vsurpabatur præmissis vniuersalibus, per spatium 15. aut 20. dierum, & interim pro potu ordinario vtebatur decocto chinæ, vel salsæ parillæ, cum victu in diætis consueto.

Post horum remediorum vsum, capiebat manè singulis diebus decoctum bardanæ sine senna, & sine vllo alio regimine, per mensem integrum, aut etiam per quadraginta dies.

OB-

OBSERVATIO XLII.

Ischuria.

PHarmacopeus Parisiensis, nomine Lafoxiliere, ischuria laborans, post multa remedia per quatuor dies frustrà vsurpata, sequens sibi ipsi composuit, à quo vrina prouocata est, & liberatus fuit.

℞. Vini albi canarini Vnc. 4. succi limonum Unc. j. spiritus terebinthinæ dr. 2. pro vno haustu.

OBSERVATIO XLIII.

Hæmorrhoides internæ.

DIctus Lafoxilliere hæmorrhoides internas felicissimo cum successu curabat, injiciendo primum cum syringa decoctum sequens.

℞. Cortici. mediani vlmi ℥ ij. rad tapsi barbati ℥ ß. aquæ flumini ℔. 4. coquantur ad medias; & colentur ad vsum.

Post injectionem immittatur in anum pilula ex antimonio crudo, & lythargiro auri, subtilissimè pulueratis, & vnguento rosaceo exceptis.

Immissa pilula in anum, illius ambitus vnguento sequenti illinatur.

℞. Succorum semperuiui maioris plantagin. tapsi barbati, solani an. ℥. iv. axungiæ porci ℔. j. coquantur ad succorum consumpt. in linteo exprimantur, & refrigeratis adde pulueris cancrorum fluuiatilium in furno exiccatorum Vnc. ß. tapsi barbati pulueratí, & pulu. concharum mytulorum ana ℥ 2. fiat vnguentum: continuetur hæc remedia mane, & serò per octiduum.

OBSERVATIO XLIU.

Dolores vniuersales.

QVidem vir quadragenarius doloribus vniuersalibus torquebatur, qui multis remedijs à Medicis præscriptis non cesserant; tandem mulierculę consilio solijs alui in duobus saccis maioribus conclusis, & in furno calefactis post extractionem panis totum corpus in lecto contectum est, & vndique obuolutum, vnde sudores copiosi excitati, & remedio ter iterato, à doloribus omnino liberatus fuit.

OBSERVATIO XLV.

Parulis cancrosa.

ANcilla quædam 25. annos nata, tumorem durum in gingiua superiori supra caninum dentem patiebatur, magnitudinis dimidiæ nucis, quæ bis amputata fuerat nonacula, & deinde candente ferro cauterizata. Semper redijt affectus, & post secundam operationem, manente vlcere, & tumore, integrè à me curata fuit admonitione Mercurij præcipitati rubri cum albumine vsto permixti, quo plumaceolum saliua madefactum inspergebam, vel vnguento Apostolorum permiscebam, & iterata singulis diebus applicatione, intra sex septimana, probe curata est, absumptoque penitus tumore per catharcticum remedium carnis regeneratio procurata est linteis detritis admouendum ossi denudato pulueremque catagmaticum Guidonis; & sic vlcus ad cicatricem perductum est.

OBSERVATIO XLUI.

Excrescentia carnea in faucibus.

QVidam sartor Monspelienſis, cum pisces comedendo, spina satis insignis faucibus infixa esset, eam extrahendo, sibi fauces laniauit, vnde temporis progressu exorta est paulatim excrescentia carnea in faucibus iuxta vulam, nucis magnitudinem superans, ad cuius curationem Empyricum vocauit, qui cauterio actuali frequenter admoto, tumorem iterum absumpsit: sed cum vlcus ad cicatricem non perduxisset, tumor iterum redijt; & alterum Empyricum vocauit, qui & ad vitrioli frequenter admoto, tumorem iterùm absumpsit, & ad perfectam cicatricem perduxit.

OBSERVATIO XLVII.

Gonorrhœa.

COnserua fructus brusci à ℥ 2. ad ℥ ß. per aliquot dies exhibita gonorrhœas multas curaui.

Idem præstat aqua eiusdem fructus destillata.

OBSERVATIO XLVIII.

Ensis portio insignis in vulnere diu latens extracta.

DN. de Suellies in singulari certamine vulnus acceperat in humero supra homoplatam, quod à parte superiori ad inferiorem descendebat, & ensis portio in eo remanserat ad pedis longitudinem; quod cum ignoraret Chirurgus, vulnus ad cicatricem duxit, manente ensis cuspide, quæ inter homoplatam, & musculos eam contegentes latitabat; in eo statu permansit per septennium integrum dolores in ea parte frequenter patiens. Tandem natura ferrum propellente versus partem superiorem, iuxta cicatricem vulneris, eleuatio quædam apparuit cum dolore, cui admotum fuit causticum, & incisa eschara, ferri extremitas apparuit, quæ rostro gruino apprehensa, facilè extracta est, rubigine contecta.

OBSERVATIO XLIX.

Tumores strumosi in digitis.

FIlia Magistri Duseigneur Autifrabi, decem annos nata, patiebatur tumores duros, & strumosos in tribus digitis, qui curati fuerunt suffitu aceti supra sulfures candentes coniecti, manè, & serò per mensem integrum continuato quod remedium à Galeno miris laudibus effertur ad tumores scirrhosos discutiendos.

OBSERVATIO L.

Visus imminutio in sene.

SEnes quidam à fluxione in oculos decumbente, incidit in tantam visus imminutionem, vt solus in via incedere non posset, à quo affectu liberatus est, visumque recuperauit, immittendo in oculos singulis noctibus in introitu lecti, seminis hormini maioris grana quinque vel sex, à quibus humores pituitosi ab oculis extrahebantur, & cornea tunica abstergebatur.

OBSERVATIO LI.

Lues venerea in puero quinque annorum.

CVrata à me fuit præcipitato albo ad grana quatuor exhibito singulis diebus per viginti dies cum panatella. Per inferiora tantum purgabat, nec vllus vnquam sequutus est ptyalismus.

OBSERVATIONES,

Communicatæ A D. Petro Estanoue Chirurgo Monspelienſi peritissimo.

OBSERVATIO I.

Vulnus in pectore.

QVidam miles hasta confossus est in parte thoracis anteriori, vulnere ad illius capacitatem penetrante. Intra duas horas ab accepto vulnere, vniuersus corporis truncus vna cum scroto vtris instar inflatus est, quæ tamen inflatio furfure torrefacto, & calente varijs sacculis incluso facilè discussa est.

OBSERVATIO II.

Abscessus in abdomine.

PVer quidam tumore ventris laborans, hydropicus censebatur, & cum vmbilicus valdè promineret, apertio tandem

dem facta est, ex qua puris laudabilis octo vel decem libræ profluere, sicque omninò æger curatus est: aduertant tyrones in pueri frequenter tales abdominis abscessus generari, qui hydropem mentiuntur, & si maturè à perito artifice aperiantur, & ægros à certo interitu plerumque liberari.

OBSERVATIO III.

Alter abscessus in abdomine.

PVellà quædam ventris tumorem patiebatur ab octo mensium spatio cum doloribus assiduis, quibus ad extremam maciem perducta fuerat: hydropica ab omnibus censebatur. Ego verò ad eam vocatus, & ventrem diligenter explorans, abscessum latentem inuenio intra musculos hypogastrij, cumque caustico potentiali aperio, vnde quindecim, aut viginti libræ puris laudabilis effluere intra plures dies, sicque ægra perfectè curata est.

OBSERVATIO IV.

Tumor scroti.

FAmulus Domini Ricardi in Suprema Computorum curia Consiliarij, cum ab equo calcitratione percussus esset in regione ventris inferioris, quatuor horarum, spatio, tumor in scroto obortus est, capitis infantis magnitudinem æquans, & liuiditate infectus, qui præmissa venæ sectione discussus est intra decem dies, cataplasmate ex farinis hordei, & fabarum, semine cumini, floribus chamomill. melilot. & rosar. pulueratis, & cum oxymelite decoctis.

Vir quidam ense confossus in regione lumborum similem tumore passus est, qui eodem cataplasmate, intra idem tempus discussus est.

OBSERVATIO V.

Lapis sub lingua.

VIr quidam quadragenarius graues, & frequentes in fauces, & tonsillas fluxiones patiebatur. Tandem animaduersum est, lapillum sub lingua concretum fuisse, qui facilè extractus est, ægerque ab eo tempore fluxionibus prædictis vexatus non fuit.

OBSERVATIO VI.

Cornu in facie enatum.

CVidam vetulæ spura zigoma corpus durum, & callosum ebatum est, duorum digitorum transuersorum longitudinem æquans, materia, & figura cornu omninò referens, latum in basi, & acutum in cuspide, quod successu temporis sponte cecidit, & illius loco cancer obortus est.

OBSERVATIONES,
Communicatæ A D. Dionisio Pomaret, Chirurgo Monspelienſi peritissimo.

OBSERVATIO I.

Tumor suppurdtus resolutione curatus.

MAria Pomareta filia mea, octo annos nata, tumorem phlegmonosum, & œdematosum satis exiguum passa est in parte externa mandibulę inferioris dextræ, quæ ad suppurationem venit. Ego vero metuens, ne à cicatricæ facies fœdaretur, antequam ad abscessus apertionem venirem, resolutionem prius tentare decreui, Guidonis authoritati innixus, qui in sermone generali de apostematis dicit, aliquando apostemata suppurata resolutione finiri: quod etiam solemni Paræi experimento confirmatur, qui se apostema suppuratum Mercurio crudo, cum eplastro diapalma subacto, per viam resolutionis curasse testatur. Ad cuius imitationem dicti Mercurij ℥. j. cum emplastri diapalma ℥. j. admiscui, & tumori suppurato admoui, qui intra quatuor dies omninò resolutus est.

Ad materiam suppuratam resolutione discutiendam, sequentes conditiones necessariæ sunt, 1. vt materia sit quantitate exigua, 2. vt sit tenuis, & serosa, 3. vt cutem, & corporis superficiem occupet, non autem partes profundas, 4. vt sit in corpore robusto, inuenili; & molles carne habente, 5. vt tempus sit æstiuum.

OBSERVATIO II.

Tumor œdematosus.

EAdem filia mea passa est tumorem œdomatosum crudum, & minimè suppuratum supra regionem lumborum, magnitudinis volæ manus, qui eodem remedio intra paucos dies discussus est.

OBSERVATIO III.

Lupia.

FRater quidam Capucinus, cœnobij Monspelienſis, annos natus 25. lupias habebat in genu, quam longo tempore gestauerat, ita vt ad summam mollitiem tandem perducta fuerit, cuius ratione apertionem suadendam, cum materia contenta ritè concocta videretur. Ille verò renuit, inquiens, se lupias huic consimiles resolutione curatas vidisse, folijs acetosæ charta madida inuolutis, & sub cineribus coctis quę postmodum cum cineribus per cribrum traiectis incorporabantur in formam cataplasmatis, quod ille per plures dies calidè applicuit, & tumor prorsùs euanuit, quod ego valdè mirarus sum, & ab eo tempore duas alias lupias in eadem parte eodem remedio curaui, quarum vna detinebatur Ioannes Guerrinus sexagenarius altera verò vxor Timothei Coula, fabri lignari Monspelienſis.

OBSERVATIO IV.

Ecchymosis.

VXor Petri Laiardi mercatoris Monspelienſis, quinquagenaria, cum è scalis cecidisset, vulnus contusum accepit in capite, ita vt tumor ex sanguine extrauasato, ecchymosis dictus, oui gallinacei magnitudinem æquans obortus fuerit. Post primam applicationem ex albumine oui, & oleo rosaceo compositam, & venæ sectionem celebratam, detumoris apertione per nouaculam, aut suppuratione cogitaui, iuxta aph. Hipp. 20. sect. 5. si sanguis in ventrem præter naturam effunditur, necesse est suppurari. Ad hoc concurrebant materiæ copia, ægrotantis ætas, cutis capitis durities, & tempus hyemale. Cum autem ægra incisionem renuisset, ego verò suppurationis dolores, aliasq; molestias euitare cuperem, resolutionem tentare per aliquot dies decreui, licèt perexigua illius spes affulgeret. Hac autem methodo vsus sum. Primò partem affectam aqua calente per mediam horam bis in die fouebam. Post fotum partem nouaculam radebam aduersis pilis, vt pori magis aperirentur, & omnes sordes partis hærentes probè abstergerentur, ac tandem oleum liliaceum cum chamomęlina partibus æqualibus applicabam superposito corone, suffitu aromatum imbuto, & calente sicque tumor omninò resolutus est.

OBSERVATIO V.

Carbunculus.

CIrca carbunculos, duo obseruaui notatu digna; vnum: quod licet carbunculi febrem perpetuò solea nt habere comitem, propter inflammationem ingentem, quæ in ijs reperitur, vt docuit Galen. 2. ad Glauconem his verbis. *Cum verò sanguis admodum calidus, & crassus in quamcunque partem confestim fluxerit, hanc exurit, vlcusque cum crusta efficit quidquid verò circumstat, in inflammationem attollit, feruentem, ac graui dolore constictantem.* Attamen ab eo tempore, quo Chirurgiæ incumbo, tres mihi videre contigit, qui sine vlla febre, sua percurrere tempore, & sine vllo alio graui symptomate, ita vt ægri à consuetis muneribus nunquam destiterint, vnus erat in gena sinistra, alter in cervice, tertius sub palpebra inferiori oculi sinistri. Qui omnes curati fuere ijsdem remedijs, quibus cauteria potentialia curari consueuerunt, videlicet escharæ casum procurantibus.

Altera circa carbunculos obseruatio mea est. Quod in sæuissima illa peste, quæ Monspelij grassata est anno 1629. & 1630.

1630. carbunculi apparebant, signis stipati ab ijs omninò diuersis, quæ à Galeno, Guidone, & Neotericis describuntur. Quod causæ fuit; complures Medici, & Chirurgi etiam peritissimi, in illorum diagnosi in principio errauerint, signa autem diuersa in illis carbunculis apparentia, hæc erant. Virium deiectio, pulsus paruus, pars carbunculo affecta tumoris expers, exigua inflammatio pustulam ambiens, escharæ mollities ingens, quæ putredinis potius, quàm vstionis soboles erat, motus libertas in parte affecta, & grauitatis sensus carentia, qui in vulgaribus carbunculis tantus est, vt pars vinculis constringi videatur.

OBSERVATIO VI.

Sarcoma.

IVuenis quidã, nomine Claparede, excrescentiam carneam patiebatur, sarcoma Græcis dictam, in parte interna inferiori tibiæ dextræ, quatuor digitis supra malleolum, figuræ cylindricæ longitudinis trium digitorum transuersorum, & crassitudinis brachij infantis nuper nati. Hic tumor ab arteria nutriebatur ad basim suam protensa, quæ cũ admodùm lata esset, ligari non poterat. Si quando æger altero pede tumorem percuteret tanta fiebat sanguinis effusio, vt in vitæ periculum incideret. Vocato mecum in consilium D. Samele Formio, Chirurgo seniore peritissimo, decretum fuit inter nos, extirpandum esse tumorem, & ad sanguinis effusionem impediendam, quæsita fuit arteria poplitea eaque tactu inuenta in parte superiori; & interiori tibiæ, compositum fuit splenium durum, & compactum ex linteis arctè complicatis in formam cylindri, & succo vrticæ imbutum, quod superinducto adstringente communi, arteriæ admotum est, secundum illius longitudinem, superinducta fascia multis circumuolutionibus, illud arctè constringent. Tum alia splenia toti tibiæ, & cruris extremitati, adstringente dicto illitato admotæ sunt cum fascijs arctissimis. Nec non cauteria actualia parata habebantur, ad coibendum sanguinis profluuium, siquidem illud non obstantibus prædictis ligaturis affatim erumperet. Tali præmisso apparatu, tumorem manu sinistra apprehendi, & extrosum attraxi, eumque manu dextra, nouacula minuta, radicitùs præcidi sine vlla sanguinis arterialis profusione. Mox adstrigens cataplasma vulneri admoui, quod per 24. horas in parte relictum est post cuius extractionem nulla hæmorragia apparuit, neque deinceps. Et quia caro quædam superflua, & parùm laudabilis relicta fuerat, ea blandis cathereticis assumpta est, vlcus pus laudabile reddidit, ac tandem, detergentibus, epuloticis, & cicatricem inducentibus, ad integram curationem perductum est.

OBSERVATIO VII.

Calculus in gutture.

SAcerdos sexagenarius, sanguineo temperamento præditus gutturis inflammatione frequenter corripiebatur, præcipuè quoties canendo acriùs contenderet, quæ quidam inflammatio venæ sectione sedabatur, & gargarismate ex oxycrato. In postrema inuasione, cum partem affectam attentius introspicerem, corpus quoddam extraneum gutturi infixum conspicio, iuxta finem mandibulæ dextræ inferioris, globolum sclopeti referens quod à me facili negotio extractum est, & diligenter ablutum, nihil aliud fuit, quàm lapis durus, & compactus, ad pyri syluestris formam compositus, qui cauda sua musculis massereribus infixus erat. Vlcus rotundum, & purulentum superfuit, quod œnomelite detersum, & consolidatum fuit.

OBSERVATIO VIII.

Vulnus sclopeti.

DOminus de Roquès iunior. Eques cognominatus, in Salsæ obsidione vulnus ex sclopeto accepit in parte superiori & media sterni, quod oblique ad dorsum ferebatur, & sex digitis transuersis à spina dorsi exitum habebat. Statim ab inflicto vulnere dolores punctorios, acutissimus in æsophago percepit, ac si spina illi parti infixas haberet, & quia à sanguine suffocabatur, maximis conatibus illum nitebatur excernere; ac tandem post longos, frequentesque conatus, multamque sanguinis excretionem, quia plurimas pelues impleuerat, dolor œsophagi punctorius omninò desijt. Post multos dies eger aluũ deponẽdo, eosdem in ano dolores pũctorios percepit, quos in œsophago passus erat, & digito explorans quid rei esset, corpus solidum, & pungens inuenit, quod sensim ex ano extraxit, altero statim excreto, prior, consimili. Hæc autem corpora erant duo ossis fragmenta tenuia, lata, & depressa instar foliorum arborjs, ex vna parte læuia ex altera verò aspera; in extremitatibus vero acuta, & incidentia, instar aciei gladiorum. Indicatum fuit, glandem sclopeti hæc ossis fragmenta è sterno abrasisse, & in œsophagum violenter impulisse, vnde dolor punctorius in œsophago sentiebatur, quamdiu ea infixa parti adhærebant. Ijs verò tandem post multos conatus auulsis, & in ventriculum protrusis, doloris punctorij cessatio fuit, sed post aliquot dies fragmentis illis ad intestina deuolutis, idem dolor in ano excitatus est. Fragmenta illa vnguis digiti auricularis latitudinem æquabant, longitudinem vero superabant.

OBSERVATIO IX.

Tumores strumosi.

RVstica quędam mulier tumoribus strumosis quamplurimis scatens in collo, & ipso capite, ad me veniens, ostendit duo vlcera supra os petrosum, & duos tumores molles etiam in capite, vnum scilicet supra os syncipitis dextrum, alterum verò supra os occipitis, tribus digitis transuersis inuicem distantes. Vlcus incisione à me apertum est, inuentumque os petrosum carie affectum. Cum autem suspicarer, sub dictis tumoribus simile quippiam latitare, eos aperiendos censui caustico potentiali ad noto, & decisis escharis (dictu mirum) sub vtroque tumore cranij vtraque tabula perforata apparuit, ac si trepano aperta fuisset, foramina autem assis magnitudinem æquabant, quorum beneficio motus cerebri facilè conspiciebatur in meningibus ipsius, supra quas aliquid puris innatabat; neque vllam quantumuis exiguam, ossis particulam inuenire licuit. Post aliquot dies miesia ægrotans tot mala pertæsa, sese in puteum præcipitauit.

Notanda hic est mira humoris strumas efficientis malignitas, & acrimonia, quæ ossa liquare, ac dissoluere valeat.

OBSERVATIO X.

Phrenitis.

QVidam Agricola nomine Poulet, ex febre ardente factus est phreniticus, & in delirio, ac vigilijs perpetuis, se damnatum esse & mori velle clamabat. Hoc autem artificio à me curatus est. Votis illius annuens, dixi me eum occidere velle, & cum hirudines plures fronti admotæ essent, ex quarum vulneribus cruor emanabat; nouaculam ei ostendo qua ipsi iugulum me incisurum esse dicebam; ac subinde manubrio eiusdem nouaculæ iugulum violenter corrado, idque pluribus repeto. Interim nouacula sanguine inficitur, qui à frontis vulnusculis emanabat; eique postmodum eam cruentam ostendens, iam occisum esse prædico; ac subinde faciem linteis contego, & feneſtras occludo, vt nullus splendor in cubiculo appareret. Ille se mortuum esse putans, immotus permanet, & paulò post somno profundo corripitur, sicque à phrenitide liberatur.

OBSERVATIO XI.

Vteri prolapsus.

QUædam fœmina vteri prolapsum patiens, globum cereũ magnitudinis pilæ palmariæ, in vterum magna vi introduxit, eumq; per decennium gestauit, à morbo prorsus libera. Quod mihi compertum fuit post illius obitum ex dissectione, cadaueris, cũ ex febre continua interijsset, inuentoque in vtero globulo prædicto, soror ipsius asseruit eũ ante decennium fuisse in vterum introductum, & continuo gestatum.

OBSERVATIO XII.

Aneurisma.

HOnesta, virgo nomine Margareta Varsaline Villanouẽsis, cum sanguis ei mitteretur, ab imperito Chirurgo,

Aneurisma ipsa est, ob arteriam simul cum vena apertam, quod ab initio resoluentibus medicamentis applicitis in magnam molem excreuit. Habito consilio, decretum fuit aperiendum esse tumorem ligata prius arteria in parte superiori cui sententiæ ægra subscribere noluit. Sed, relicto priori Chirurgo, ad me venit, rogans vt topicis remedijs curationem tentarem. Ego ipsi morem gerens, splenia parti admoueo, decocto adstringente imbuta, superinducta fascia comprimente. Quibus per 10. aut 12. dies continuatis, tumor admodum imminutus est: postmodum ægra Villanouam redijt, vbi nullis remedijs vtens, & brachium in varijs operibus exagitans, tumorem iterum suscitauit in molem ingentem, cum dolore insigni, vigilijs, inquietudinibus, febre, dolore capitis siti, alijsque symptomatis. Qua de causa me vocauit cum D. Formio Chirurgo seniori. Censuimus tumorem esse aperiendum, constricta prius arteria splenijs fortioribus, vt suprà in Claparedi operatione factum fuerat, sed ægra prorsus renuit. Post 12. dies tumor sponte apertus est in eo loco, qui venæ sectione apertus fuerat, & per foramen satis exiguum sanguis niger, liquidus, ac minimè fœtidus egressus est, sequentibus diebus pus laudabile, sed pauca quantitate egressum est, ac tandem vlcus ad cicatricem perductum; sicque ægra omninò curata, hoc tantum incommodo relicto, quod brachium omnino extendere non valeat, semiflexum perpetuo remanens.

OBSERVATIO XIII.

Colicus dolor.

VXor Domini Sartrei in Curia Computorum, Subsidiorum, & Fisci Regij Consiliarij grauissimum ventris dolorem passa erat per mensem integrum quamplurimis remedijs frustrà adhibitis. Ego tandem cucurbitulam magnam vmbilico admoui, qua humoris seri osi Vnc. 6. vel septem elicitæ sunt, & ægra doloribus liberata est.

OBSERVATIO XIV.

Pleuritis.

PEdissequus D. Demansæ, Quæstoris Franciæ generalis, ex cursu exæstuans, ac sudore perfusus aquam frigidam copiosam hausit; & paulò post dolore lateris atroci correptus fuit cum tanta difficultate respirandi, vt suffocari videretur. Ego confestim vocatus magnam sanguinis quantitatem detraho, & dum sanguis effluere, respirandi difficultas, & lateris dolor sensim remittebatur, absolutaque euacuatione, vtrumque symptoma prorsus desijt, ægerque omninò curatus est.

OBSERVATIO XV.

Dens auulsus in alueolum intrusus.

CVm virgo quędam oppidi vicini dolore dentium torqueretur, quem à dente incisorio, carie affecto prouenire putabat, Chirurgum vocat, vt dentem auelleret. Ille proximum dentem bene sanum auulsit, ac subinde, cognito errore, carioſum abstulit, moxalueolum prioris vino abluens, dentem sanum in eum intromisit & gargarisma adstringens præscripsit ex rosis rubris, balaustijs, cortice granatorum, ligno lenticino, & alumine in aqua, & vino austero decoctis, quo ægra frequenter vtebatur. Tum eam per aliquot dies alimentis liquidis vti iussit, à masticatione prorsus abstinendo. Et ita dens auulsus in alueolo conglutinatus est.

OBSERVATIO XVI.

Lues venerea.

CHirurgos interdum errare contingit in luis venereæ curatione, quando post ordinaria remedia, conuenienter vsurpata, ægros perfectè curatos non esse existimant, quod adhuc quædam symptomata luem veneream comitantia apparere non desinant, vnde ægros interdum in noua tormenta conijciunt, & in atrophiam, aut tabem præcipitant. Cum tamen illa symptomata vt plurimum post aliquod tempus sponte dispareant, aut lenibus quibusdam topicis remedijs discutiantur.

Dùm essem Lutetię apud D. Helotum Chirurgum peritissimum, nobilis quidam Parisiensis, temperamento melancholicus se illi curandum tradidit, qui præter dolores nocturnos, aliaque luis venereæ symptomata, tumorem in cerui ce patiebatur, ex pituita, & melancholia genitum. Post inunctionem ex vnguento Mercuriali copiosus fuit ptyalismus, & omnia luis venereæ symptomata prorsus abolita sunt, vno excepto tumore, cuius duæ tertiæ parte discussæ fuerant. Existimabat æger se non esse curatum propter tumorem superstitem. Ab alio tamen Chirurgo seniori ad hanc rem vocatio confirmatus fuit, & admoto emplastro de vigo, quadruplicato Mercurio, tumor discussus est mensis vnius spatio.

Alter vir nobilis, curæ meæ commissus, absoluto ptyalismo, se non curatum esse putabat, quod vlcus in cerui ce, & regione œsophagi remaneret. Hoc tamen vlcus remedijs vulgari, intra mensem curatum est, sine vllo remedio, luem veneream respiciente.

Tertium habui præmanibus, qui inter alia symptomata dolorem insignem patiebatur supra os tibiæ. Temperamento bilioso præditus erat, & frictiones Mercuriales quater passus erat; quibus ad summam maciem perductus fuerat. Diæta humectante per mensem vsus est. Postea frictio ex hydrargyro vniuersaliter vsurpata, & hac vnica frictione dolor sedatus est, ptyalismus prouocatus, per quem humores flauos, tenues, & fœtidissimos mensis vnius spatio reiecit, mox per 15. dies pituitam crassam excreuit; qua euacuatione nimium perseuerante, coactus sum aeri illum exponere, vt citiùs cohiberetur. Tandem supra locum antea dolentem incisio facta est, & caries in osse reperta, quæ cauterio actuali, & puluere catagmatico ablata est, & ægер omninò curatus.

Ultimum exemplum erit Equitis cuiusdam, qui à lue venerea methodo ordinaria curatus fuerat. Supererant tamen dolores insignes, omnes articulos occupantes, vt membra sine clamore commouere non posset. Dominus Ioannes Delott, Professor Regius Monspelienſis, & in praxi Medica exercitatissimus, horum dolorum causam diligenter inquirens censuit eos non à lue venerea procedere; sed potius ab intemperie sicca, ligamenta articulos connectentia, & partes neruosas annexas occupante. Ab eaque intemperie indicationem sumens, victum, humectantem, & balnea præscripsit, quibus diu continuatis, omninò curatus est.

OBSERVATIONES Communicatæ à D. Ozia Aimar, Chirurgo Gratianopolitano celeberrimo.

OBSERVATIO I.

Vulnus contusum in oculo.

ILLVSTRISSIMVS vir Dominus de Sennien, qui nunc Munsteri pacis ineundæ gratia plenipotentiariam legationem exercet, ante multos annos in spatio quodam Parisiensi vulnus accepit in oculo sinistro ex ictu pilę palmariæ, ex quo grauissimi dolores exorti sunt. Chirurgi Parisienses docti, & experti omnia remedia, quæ ad huius affectus curationem necessaria videbantur, ex arte adhibuerūt; & inter cætera, cum ecchymosin coniunctiuam occupantem aduertissent, leuibus scarificationibus sanguinem extrauasatum educere conati sunt. Nihilominus dolores in eodem statu constiterunt. Ille igitur, cum malum in peius rueret, Gratianopolim venire decreuit, vt sese curæ meæ committeret. Ego verò pluribus venę sectionibus cucurbitulis, variisque topicis parti admotis, malum delinire conatus sum. Verum ijs omnibus nihil conferentibus, ei tandem persuasi, vt oculum introspici pateretur, quod anteà nunquam obtinere potueram, propter acerbissimos dolores quos ille ad luminis occursum patiebatur. Aperto igitur oculo, vidi album quidpiam totam pupillam contegens, quod hyppopyon esse iudicaui, idque aperiendum censui, ad euacuandam materiam, eo contentam, quæ dolores continuos efficiebat. Facta itaque leui incisione, exiguus sanguinis trumbus egressus est, qui exteriori superficie albicans, erat interiori verò ruber. Educto illo trumbulo statim dolores omnes quieuerunt, & intra paucos dies æger lucem sustinere cepit, ac breui integram sanitatem adeptus est.

OB-

OBSERVATIO II.

Vlcus cariosum in sterno.

DOminus Speaute Quæstor Franciæ generalis, tumorem scirrhosum patiebatur in sterno, qui post annum elapsum sponte apertus est. Ego verò vlcus explorans, subiecta ossa carie affecta inueni, quibus multa cauteria actualia admoui ac deinde detergentibus,& epuloticis vlcus ad cicatricem perduxi, non omissis remedijs vniuersalibus, causam antecedentem respicientibus.

OBSERVATIO III.

Costæ carie corruptæ.

QVædam Matrona quadragenaria,vehementi lateris sinistri dolore vexata, cum febre lenta, & extenuatione totius corporis. Postquam per annum integrum multis remedijs vsa esset, sine fructu in pago, vbi degit, Gratianopoli duodecim milliaribus distante; tandem Gratianopolim se contulit,& sese curæ meæ commisit. Ego statim latus dolens explorans, tumorem suppuratum in eo inueni, & magna incisione cruciatim facta, puris valde inæqualis, & fœtidissimi vascula duo extraxi. Euacuato pure,tres costas reperi in extremitatibus suis carie valde infectas, quartam videlicet, quintam & sextam,ab inferioribus ad superiores computando. Necessum fuit costas illas amputare trium digitorum transuersorum longitudine, admoto postmodum earum extremitatibus cauterio actuali. Hic naturæ prouidentiam admirari licuit, quæ pleuram sub costis carie infectis multa carne munierat, ad eam roborandam & costarum defectum supplendum. Hæc matrona postmodum victu analeptico, & vsu lactis ad integram valetudinem perducta est.

Dominus de Bessin Centurio,tumorum scirrhosum patiebatur à longo tempore in latere sinistro, supra costas veras, qui tam nimirum,sextam,& septimam. Quidam Chirurgus cauterio actuali tumorem aperuit, ex quo pus perexiguum emanauit, & dolor in parte grauissimi permanserunt, quod eum coegit,ruri degentem,Gratianopolim venires, & meam operam implorare. Vlcus animaduerti volę manus magnitudinem æquans,& costas subiectas carie infectas plusquam dimidium earum penetrante. Pramissis igitur remedijs vniuersalibus costarum extremitates amputaui quatuor digitorum transuersorum longitudine, admoto postmodum cauterio actuali earum extremitatibus. Tādem pulueribus catagmaticis partium exustarum ex foliationem procuraui, remedijsque detergentibus, & incarnantibus vlcus ad cicatricem perduxi.

OBSERVATIO IV.

Fractura ossis temporalis.

VIr quadragenarius vulnus accepit in tempore dextro, quos os subiectum insigni fractura affectum est. Uocatus ad eum, & trepani necessitatem aduertens, supra musculo crotaphitas crucialem incisionem feci, sine vllo superuenięte symptomate, quamvis Auctores eorum musculorum vulnera tanquam maximè periculosa, plurimum reformident. Trepanum admoui, ossa depressa reposui, & omnibus conuenienter administratis, æger ad pristinam valetudinem feliciter perductus est.

OBSERVATIO V.

Vlnus aspera arteriæ exsclopetto.

ANcilla Domini de Viuires in Senatu Gratianopolitano Secretarij Regij,ictu parui sclopeti, quod vulgò pistolet nominatur,vulnerata est in guttur sub larynge,tribus globulis, in dicto sclopeto inclusis,quos ægra per os reiecit. Ex tribus asperæ arteriæ foraminibus,ventus,cum murmure,& sibilo egrediebatur. Licet autem pars illa cartilaginea difficillimè coalescat, attamen diligenti cura adhibita, vulnera illa perfectè consolidata sunt.

OBSERVATIO VI.

Empyema ex vulnere epigastrij.

NObilis quidam Occitanus Gratianopoli, pugionis ictu, vulnus accepit in epigastrio, ad capacitatem illius penetrans, sine intestinorum, aut ventriculi læsione. Breui vulnus hoc ad cicatricem, perductum est. Attamen post duos menses ad me venit, magna spirandi difficultate oppressus, cui iungebatur sensus ponderis in pectore, & fœtor os continuò inficiens. Hæc symptomata, puris in thorace collecti maximam suspicionem fecerunt, sed vulneris cicatricem explorans, eamque in parte epigastrica inueniens, miratus sum, quomodo vulnus ventri inferiori inflictum, puris collectionem in thorace producere potuerit. Tandem inquirens, in quo situ esset æger, cùm vulnus accepisset respondit, se in domus cuiusdam scalis tunc temporis fuisse: & vulnerantem in gradu inferiore situm pugionem sibi in ventrem adegisse. Ex quibus conieci vulnus à parte inferiori ad superiorem vergens, diaphragma penetrasse, & ad thoracis capacitatem peruenisse, vnde puris collectio, ex sanguine diaphragmatis vulnerati extrauasato, facilè fieri potuit. Latus aperui inveris costis inter quartam, & quintam, ab inferioribus ad superiores computando, quatuor digitis transuersis à vertebris dorsi. Apertione facta, pus effluxit album, & fœtidissimum: eius prima vice tria vascula eduxi, postridie verò eandem quantitatem; & consequenter paulatim educto pure, æger intra duos menses optimè conualuit.

OBSERVATIO VII.

Gangręna perinæi, ani, & scroti.

DOminus Pourroy in Camera Computorum Gratianopolitana Magister, sexagenarius, tumorem patiebatur in perinæo, qui à solo Pharmacopæo curabatur, gangręna partes illas inuasit, ad cuius curationem vocatus, inuenio eam perinæum, scrotum, & anum occupasse. Statim multis scarificationibus ijsque profundis celebratis, partes aceto, sale aqua vitæ, vnguento Ægyptiaco, & mercurio sublimato simul mixtis frequenter abluo. Quæ tamen gangrænæ progressum non impediebant; ita vt ad cauteria actualia coactus sim, quorum beneficio gangræna cohibita est. Tantus fętor ex partibus illis exhalabat, vt adstantes inficeret. Magna excidit carnis putridæ copia. Vretra prorsus detecta erat, & duobus foraminibus pertusa, per quæ vrina egrediebatur. Nihilominus omnes illæ partes vnitæ, incarnatæ, & cicatrices feliciter obductæ sunt.

OBSERVATIO VIII.

Enterocele desperata, sectione curata.

QVidam Procurator Gratianopolitanus nomine Baro, ex prolapsu intestini in scrotum, in iliacam passionem incidit, quia intestinum fæcibus repletum fuit, quæ admodum induratæ, intestinum fæcibus repletum fuit. Post multa remedia per nouem dies frustra tentata, in consilium vocor cum dominis de Villeneuue, & Dauins Medicis celeberrimis. Sententiam ferens dixi, aperiendam esse partem, vsque ad productionem peritonæi, qua intestinum strangulabat, quamuis metuendum esset, ne intestinum, propter morbi diuturnitatem, grangręna affectum esse, nihilominus sequendam esse Celsi sententiam dicentis: satius esse anceps remedium experiri, quam certo exitio ęgrum exponere. Clarissimi Medici eiusdem fuere sententię. Itaque ægro in situ conuenienti collocato, in inguine incisionem feci vsque ad peritonæum, diligenter cauendo, ne intestinum læderetur. Postmodum cannulam argenteam, ex vna parte rotundam, ex altera verò cauam, in processum peritonæi immisi, & super cannulæ cauitatem dictum processum aperui, ea longitudine, quæ ad reponendum intestinum necessaria videbatur, deinde intestinum blandè in ventrem immisi, sutura processum vnui, & reliquarum partium vulnus gastroraphia, remedijsque conglutinantibus, ad perfectam sanitatem perduxi.

OBSERVATIO IX.

Abscessus lumborum ad renes penetrans.

VIr nobilis Gratianopolitanus tumorem in regione renis dextri passus est, qui in suppuratum abijt, eoque aperto, magna serosæ materiæ quantitas effluxit. Post aliquot dies ex vlcere egressi sunt duo calculi, amygdalæ magnitudinem æquantes, quod mihi admirationem peperit; Sed vlceris profunditatem aduertens, quæ quatuor digitorum transuersorum latitudinem æquabat: cùm etiam consequenter alij calculi fabæ magnitudinem æquantes, ex vlcere prodierint; credere coactus sum, eos calculos à rene etiam vlcerato procedere. Huius rei fidem etiam faciebat, quod ex vlcere magna serosæ materiæ copia continuò effluebat, & lintea subiecta intra paucas horas madore inficiebat, quasi in aquam demersa fuissent. Præterea pus interdum cùm vrina per penem effluebat. Iam à decennio casus iste contigit; & vlcus in fistulam abiit, quæ sæpè occluditur per tres aut quatuor menses: cùm denuò aperitur sanguineam quandam materiam emittit, posteà iterùm sponte occluditur. Æger in eo statu satis comodè viuit, & omnes actiones ordinarias liberè exercet.

OBSERVATIO X.

Rara conuulsionis species.

DOminus de Bullon vir militaris, ex ictu tormenti bellici vulnus accepit in brachio dextro, quo totum brachium abscissum est, superstite tantum parte, quæ humero vicina est ad quatuor digitorum transuersorum longitudinem. Curato brachio vulnere omninò consolidato, quadam conuulsionis specie correptus est: qua retrahebatur caput versus partem dextram, & mandibulas frequenter agitabat; ita vt lintea continuò intra dentes habere cogeretur, quæ identidem mordebat, ac dentibus conterebat. Multas Medicorum, & Chirurgorum consultationes conuocauit qui omnes vno ore censuerunt, in extremitate ossis, à tormento bellico præcisi, aliquam eminentiam acutam adesse, quæ neruum aliquem feriendo, talem conuulsionem produceret, & ideò rescindendam iterum esse ossis extremitatem, ac diligenter adæquandam. Hæc operatio sedulo celebrata, nihil tamen profuit, & æger eodem incommodo continuò affligebatur, quod ei omnem sanationis spem ademit. Forte fortuna, cùm ei occurrissem, & ille incommoda sua mihi enarraret, in mentem venit aliquod virus venereum, intùs latens hunc affectum forsan posse producere. Et illicò ab eo quæsiui, nùm dum vulnus accepisset, morbum aliquem venereum pateretur, vel ant. à passus esset: respondit se per aliquot tempus antequam vulneratus esset grauem passum esse gonorrhœam, quæ tamen curata prorsus fuerat. Hoc meam coniecturam auxit, ita vt ægro consuluerim, remedia luis venereæ experiri, quibus ille huius morbi curandi cupidissimus, se libenter submisit. Præmissis igitur purgatione vniuersali, & dæta sudorifica, frictiones ex vnguento mercuriali celebraui, à quibus ptyalismus prouocatus est, & post tertiam diem ptyalismi contractiones illæ, & conuulsiones desierunt, neque ab eo malo amplius vllo modo æger conflictatus est.

OBSERVATIONES, Hinc inde decerptæ.

OBSERVATIO I.

Vlcus renum.

RElatum mihi fuit quendam Empiricum curasse vlcus renum inueteratum sola inunctione vnguenti mercurialis.

OBSERVATIO II.

Gibbositas.

DOminus Franciscus Ranchinus, Cancellarius facultatis Medicinæ Monspelienſis, narrauit mihi modum, quo curauit luxationem spinæ dorsi Illustrissimæ Dominæ de Mormoranci, quæ contigit, ex catharro è cerebro in spinam decumbente, quo duæ vertebræ in medio spinæ luxatæ fuerant. Ille igitur post remedia vniuersali, ad reductionem vertebrarum vsus est primùm torculari Chirurgorum, quo comprimunt lintea complicata, capillorum tonsuræ destinata, quod satis proficiebat, dum vnum tabulatum dorso, alterum pectori apponebatur, & ita sensim comprimebatur, interiectis inter ligna, corpus puluinaribus lineis: sed incommodum fuit hoc remedium; siquidem pectus comprimendo, respirationem offendebat. Tandem vsus est alio instrumento, quod habetur in carrucis, ad eas attollendas, dum viæ concauæ infiguntur, & Gallicè vocatur (cric) cuius extremo circulari admouebat lignum aptandum vertebræ luxatæ, intermedio pulumari lineo. Alterum extremum huius instrumenti parieti admouebatur, mox ægra firmiter circa scapulas continebatur, posteà instrumentum blandè impellebatur, donec ægra amplius dolorem ferre non posset, quo tempore ab opere desistebatur, idque bis in die iterabatur, atque ita sensim luxatio illa perfectè curata est.

OBSERVATIO III.

Oculorum inflammatio cum sordibus.

INfans recens natus oculorum rubore afficiebatur, cum multis sordibus, puris instar inde effluentibus. Per tres menses affectus continuauit, & multa collyria admota nihil contulerunt. Tandem, ex præscripto cuiusdam medici, gossypium singulis noctibus admotum est vtrique oculo, quod pius ad prunas diligenter exsiccabatur; digitis prius discerptum, & bene carminatum, postmodum vterque oculus contegebatur pauca cotonis quantitate instar plumaceoli, fascia super inducta. Mane gossypium auferebatur; dictis sordibus valdè imbutum. Continuando remedium per plures noctes, infans optimè curatus est.

OBSERVATIO IV.

Hysterica epilepsia.

VXor Domini Polemarchi de Sumenes per multos annos varijs affectibus hysterici vexata est, qui epilepticos insultus referebant. Multa tentauit remedia à multis Medicis præscripta, sed omnino incassum. Tandem cuiusdam mulieris consilio sumpsit carnē lupi in puluerem redactam, frustulum eiusdem carnis salitæ semper gestauit, à quo tempore immunis omninò fuit à prædictis.

OBSERVATIO V.

Febris tertiana.

QUidam Empyricus multos curauit tertianarios purgando semel leui medicamento, posteà venam aperiendo in ipso accessionis initio. Cohibebatur accessio, & valdè exigua apparebat, posteà verò non redibat.

OBSERVATIO VI.

Vulnus thoracis curatu difficile.

DHenricus Bachaman, Medicus Auenionensis exercitatissimus, retulit mihi Filium D. Dorsan 20. annos natum, vulnus accepisse in thorace, ad capacitatem illius penetrans, quod multis variisque remedijs adhibitis curari non potuit, & ad tres aut quatuor menses perseuerauit, vnde æger valdè emaciatus, & ad tabem perductus est. Tandē illius consilio, lacte mulicbri vsu est, quod ex mammilla sugebat, eoque iniectiones fiebant in vulnus atque hoc solo remedio intra mensem curatus est à vulnere, & ad bonum habitum perductus.

OBSERVATIO VII.

Colicus dolor.

QVidam ciuis Narbonensis retulit mihi, se colico dolori obnoxium fuisse per multos annos, quo frequenter affligi solebat, ab eoque affectu liberatum sequenti remedio, vna tantùm vice assumpto, ita vt nunquam deinceps in eum recideret, & plurimos alios, quibus idem remedium communicauit, fuisse etiam liberatos. Hoc remedium est dolij obtu-

ra-

ramentum ex subere confectum, quod per plures annos huic vsui inseruierit, atque adeo vino probe imbutum sit, illud autem suber igne comburendum est, eiusque cinis exhibendus cum vino albo ʒ. j. pondere, vrgente dolore.

OBSERVATIO VIII.

Hydrops.

VIr quidam fide dignus retulit mihi, se multos ascite laborantes cutatos vidisse sequenti remedio.

Silices colligebantur albissimi, quia circa flumina reperiuntur, & facti aliquantulum pellucent, crystalli instar, illi autem super prunas incalescebant, & candentes in vino albo extinguebantur, huius vini cyathum vnum ægri sumebant mane, vsque ad perfectam curationem, quæ intra mensem perficiebatur.

Huiusmodi silicum calcinatorum sal, in vino albo exibitus felicius, ni fallor, operaretur.

Sal mille pedum à celebri Medico feliciter vsurpatur in hac curatione, quem iulepis alijsque remedijs aperientibus admiscet præmissa purgatione, cum succo ireos nostratis, quem si æger vomitu reijciat, pro deplorato habendum esse, existimat.

OBSERVATIO IX.

Alios hydrops.

QUidam hydropicus curatus est solo vsu salis prunellæ in potu ordinario per mensem integrum, cum spatio aqua vniuersa in abdomine contenta euacuata est.

Hanc curationem contigisse existimo non solum propter virtutem diureticam, qua sal prunellæ præditum est, sed etiam ex eo, quod hydrops ille forsan à feruida hepatis intemperie productus fuerat, quæ à sale prunelle, potentissima refrigerandi vi prædito, extincta est.

Alius hydropicus curatus fuit decocto summitatum quercus, cuius cyathum vnum sumpsit manè per 15. dies.

OBSERVATIO X.

Strumę.

ARmoricus quidam, Danielis nomine 30. annum agens, vir rusticanus habitu Eusarco, & robusto à pluribus annis strumis laborabat, tum circa collum, tum etiam sub vtraque axilla, qui cum amicis, & notis omnibus inuisus esset, propter contagiosum istum affectum, ad Nosocomium Charitatis Lutetianum, velut ad verum Æsculapij templum sese contulit, ratus se illic certam mali medelam reperturum. Nec cassia spes frustratum reliquit ægrotantem; primo enim decubitus die ab Illustrissimo D. Gabriele Harduino de sainct. Iacques Nosocomij Medico ordinario inuisus est, qui præmissis vniuersalibus, cataplasma ex foli js cucumeris asinini leuiusculè contusis, partibus tumentibus admouit, præscriptaque diæta tenui, nec non modicè exsiccante, altera die optata sequens præscripta est.

℞. Turbith. hemordact. ana ʒ ij. rad. vtriusque scrophulariæ ʒ j. rad. angelicæ maior. ʒ ij. fol. orient. ʒ ß. scammon. crudi ℈ iv. fiat omnium pulvis, & excipiatur cum syrupo rosar. pallid. dosis ad ʒ ij. addendo cuilibet Mercurij sublimati dulcis gr. xx. qua alternis diebus per 15. dies repetita, necnon renouato cataplasmate, disparuerunt tumores omnes scrophulosi absque sectione, aut eradicatione vlla, ipsumque Armoricum sanum, & incolumen dimisit anno salutis 1641. communicata à D. Leseq Medicinæ Doctore Monspelienſi, & dicti D. de sainct Iacques olim discipulo.

OBSERVATIO XI.

Dolor dentium.

D. Leseq Medicinæ Doctor supra nominatus, se curatum vidisse retulit dolore dentium sale fraxini, quo impletur digitale mulierum, aut quid simile, & applicatur arteriæ temporum, vbi sentitur pulsatio ntra breue tempus nodum facit in arteria, quo fluxus intercipitur.

OBSERVATIO XII.

Arthritis nodosa.

D. Chomel Medicus Annonæensis scripsit ad me, se nuper Arthriticum vidisse varijs articulorum vlceribus scatentem, è quibus calculli tophacei plusquam ducenti exierant, pilorum magnitudinem superantes, & ita duri, vt malleo resisterent. Et quod mirum dictum est, pus, sanies, & serosa materia ad vlcera confluens, exigua in parte mora, concrescebat illicò, & tophaceam duritiem acquirebat. Hoc etiam rarum, in illo ægrotante obseruauit, quod topica, vni parti conducentia, alteram lædebant, & vice versa.

OBSERVATIO XIII.

Hæmicrania.

D. Genton Romanensis, natu minor, retulit mihi, se hemicrania laborasse per multos annos, & post multa remedia, frustra tentata, curatum fuisse suffitu ex carabe, per mediam horam tempore paroxysmi, ore, & naribus excepto.

OBSERVATIO XIV.

Hernia.

IDem retulit, se Hernia intestinali per multos annos laborasse, & curatum fuisse tribus emplastris, à quodam empyrico sibi traditis, quorum singula gestare iussit per nouem dies cum subligaculo; erant autem ex eadem materia confecta, & valdè fętida; tum quando auferebantur, materia eorum tota consumpta apparebat nisi quod in aluta puluis quidam remanebat vitro pulueruto similis. Per vsum primi emplastri nullus effectus apparuit, post admotionem secundi vrinę copiosę prodierunt, & varij coloris nunc virides, nunc nigræ, & aliquando cum dysuria. Post diem 27. absumptis tribus emplastris, pars strigosa, & macilenta apparuit, vt omnis caro, & pinguedo subiecta protinus absumpta videretur. Conijcimus ex fętore hoc emplastrum ex galbano fuisse compositum, quod summa attenuandi vi præditum, humores ad partem affectam affluentes, & fortè circa eam concretos, fundere, & liquare potuit, vt natura deinde eos partim per vrinas excusserit, partim insensibiliter discusserit.

OBSERVATIO XV.

Hydrops.

RUsticus quidam hydropicus factus, abscessum passus est in dextra parte abdominis, eoque aperto, infinitus propemodum vesicularum aqua repletarum numerus egressus est, vt ducentarum numerum excideret, idque per plurium dierum spatium, & sic omninò curatus est. Hac obseruatione confirmatur historia à Schenckio proposita, cuiusdam hydropici, cuius abdomen post obitum apertum, vesiculis aqua repletis, peritonæo, alijsque partibus adhærentibus, refertum apparuit.

OBSERVATIONES

Quædam infrequentium, curatuve difficilium Morborum cum curationibus eorundem, in veteri quadam Bibliotecha sine Authoris nomine repertæ.

PRÆFATIO.

Occasioquam obrem de raris curationibus morborum quorundam scribere, qui mea ætate ingruerunt, susceperim, huiusmodi est: nam cum quotidie morbi quidam noui, aut saltem cura inauditis nonnullis symptomatibus suboriantur, de quibus paucos admodum, aut forte nullos mentionem fecisse constat, præterea multos quotidie veluti postliminio reuersos repullulare, atque redire percipiamus, ad quorum veram et germanam curationem inueniendam multæ horæ bonæ frustra consumuntur, quandoquidem sexcenti codices ante reuoluendi sunt, quàm morbus de quo agitur aut innotescat, aut expulsionis ratio teneatur, proinde tum ex optimis quibusque Authoribus, tum ex vs, quæ ipsi longo vsu, atque experientia comprobauimus, quosdam veluti exotico, flores excerpsimus, quibus quisque pro arbitrio vtatur. Insuper habeat, vnde curationes morborum, symptomatumque rarò contingentium depromere queat.

OBSERVATIO I.

Singultus.

QVidam Germanus, annum agens circiter quadragesimum correptus fuit singultu, quem mira postea subsequuta sunt symptomata, & creditu difficilia. Ille igitur è Germania Nemausum vsque profectus, radicum buxi emendarum gratia, quarum maximum est comercium in Gallia Narbonensi, ardoreque Solis intenso exæstuans (tum enim Syrius ardebat) vt erat ritis impatientissimus, simul atque in hospitium diuertit, arrepta puteali situlæ frigida recenti oppleta, adeo sese ingurgitauit, vt ob aquæ tum copiam, tum frigus immodicum, in spasmum vētriculi inciderit, vsq; adeo ingentē, vt nulli auxiliorum formulis aut victus ratione, per bimestre spatium cesserit: imò verò quando magis eū superare nitebamur, tāto magis conatus nostros eludere videbatur.

Sed, & hoc in primis admirandum, vt cum primum quis, vel vestis pali, fimbriam digitulo attingeret, singultu antea sedato, ille tanta cum totius corporis concussione suscitabatur, vt vel cubiculi tabulata tremiscerent, & cum forte fortuna D. Rondeletius visendorum ægrorum gratia, Nemausum accederet, eo in consilium adhibito, cum D. Ferrando, & aliis, qui tum ibi aderant Medicis, atque Chirurgis, ac tandem peroratis singulorum sententijs, quid rei an causæ subesset, cur in sanitatem pristinam tam difficulter rediret, præterea quà industria remedijs vti liceret, omnes vno ore maximam ventriculi intemperiem causam esse asserebant, cur hæc symptomata perseuerauerint tamdiu quantum verò attinebat ad remedia, in fotibus, cataplasmatis, embrochis, cucurbitulis, non neglecta, & purgatione, & syruporum, & opiatarum, pulcerumque assumptione persistendum, appositè ad hanc rem citato aphorismo Hippocratis. *Omnia secundum rationem facienti, non esse transeundum*, &c. Ego verò tentatis frustra omnibus remedijs, de quibus inter nos conueneramus cœpi mecum cogitare balneum calidum posse tantam intemperiem mutare, & in temperamentum naturale reducere, partim quia longa in balneo mora promptus corporis habitus vis balnei sese insinuaret, vnde fieret cum affecto membro communicato, partim quoniam existimaram, maiorem vim penetrandi accedere medicamentis, si balneo commiscerentur, ob cutis quam calida balnea afficiunt laxiorem raritatem maiorem. Nec mea me fefellit opinio, quando quidem parato balneo ex lauro, origano, mentha, absynthio in aqua coctis, tantam ex mora in eo vtilitatem percepit, vt intra quatuor, aut quinques dies sanus euaserit, præterea interim sacculum contextum in quem insertę herbę prędictę erant, regioni ventriculi quamdiu in balneo permansit, accommodauimus. Neque verò ommittendum bimestri spatio singultum adeò Germanum illum excreuisse, vt tam eruditate, in ventriculo & intestinis radices agente, deplorata eius videretur salus, sed Dei beneficio, qui mentem hominum quando vult illustrat & ad inuenienda remedia nos quasi manu ducit, pristinę sanitati fuit restitutus non sine Doctorum Monspelensiū Nemausensiumque qui ęgrotantem inuiserant, admiratione.

OBSERVATIO II.

Phthisis.

QVidam Catalanus, natus annos circiter 44. humor. sanguine, & atrabile, in eo dominantibus. Cum autem annis duobus antea quadam (vt referebat) leui pleuritide laborasset, & in curia sua vel Medici præsidia quæ ad morbi curationem requirebantur, neglecta fuissent, phthisicus factus est: nam per triennium excreato sanguine, simul cum pure tantus eum marcor obsedisset, vt ossa, vt vulgò dicitur, cutem transmiserint. Interim tussis ipsum adeò inquietabat, vt vel modicum somnum capere haud potis esset, præ copia purulentæ materiæ, per tracheam arteriam à natura expulsæ, alioqui in gutture ferentis, & liberam respirationem impedientis. Itaque cum mecum vocaret insigniores Medicos Auenionenses, nihilque omissum fuisset, quod ad eius salutem recuperandam videretur, præscriptis abunde ijs, quæ artis erant, nec quicquam proficientibus, consuli, vt à D. Schiroaio, & Rondeletio docentibus Monspelii, tanquam ex tripode Apollinis oracula peteret, eos remedia nonnulla edoctos, vt erant ingenio non tantum perspicaci, sed etiam experientia longa in morbis fugandis exercitati, quò tandem si non in totum sanaretur, saltem meliusculè haberet, ne tam miseram vitam, non quiescendo, non quidquam cibi appetendo degeret: malle enim se vitam cum morte commutare, quam diutius vitam, quę potius mors erat, prorogare dictitabat. Medici ergo illi Monspelienses, visis omnibus, quæ à nobis præscripta fuerant, nil amplius addiderunt, quàm, vt frequenter cancris fluuiatibus vesceretur in aqua hordei prę-coctis, simi liter, & testudinibus memoralibus, annexisque nonnullis formulis remediorum, quas Pannaliones, vocant, ægrum ad Tabias miserunt, id est, ad oppida temperamenti similitudine Tabias referentia, nempe aperto cęlo loco alto, siccoque exposita, cum verò iam suæ vitæ taderet, vtpote qui plus quatuor annis talem affectum non sine summa molestia angustiaque tolerauerit, arrepta dextra manu mea, per deos inquit te oro, vt à fœtido morbo isto me liberes, vel tentatis extremis remedijs me de medio tollas; omnem prętabo culpam, & te ab eam exsoluam. Quando ita vis, inquam, experiar in te vnum quod supereſt remedium, à Galeno summo Medico proditum. Scribit enim suffitum quendam ad veteres tusses, ad nempe trochiscos ex auri pigmento quorum vapore necesse est per os recipere, hoc vnum relictum est remediū, ex quo deplorati ferè restituti sunt multi, proinde te hortor, vt illud experiaris, postquam alia remedia tibi fuere frustra adhibita, fateor quidem id genus remedii esse tuis viribus impar, sed tam parua dosi in principio vti conuenit, vt possit illas coniectura nostra quodammodo exæquare. Tandem igitur illorum trochiscorum fumum, prunis suppositis, cępit per infundibulum vesperi per os haurire. Ille verò se nolle in posterum iis vti, mane cum cum reuiserem protestatus mihi est, quia videlicet se respiratione priuatum iri sibi persuaserat, si iterum id auxilii genus tentaret. Ego autem instare non destiti, donec iterum trochiscos vt paulo ante experiretur: quid multa? nocte sequenti intempesta, post haustum vaporem trochiscorum tantus, cum rigor inuasit, vt nō solum lectus, in quo decumbebat, sed etiam tabulatum cubiculi, quodam veluti terrę motu concuti viderentur; ipse verò cum morti proximum se arbitraretur, misit puerum, qui me accerseret. Nolui ei in re tam vrgente deesse, cumque me introeuntem inueretur, quia nolui, inquit, non tibi vale dicto, facto meo fungi, propterea te non vocaturus in posterum, volui vocare, simul vt videre miserum meum statum. Ego vero tentata carpi quatuor, digitis arteria, deprehenso vndoso pulsu cum vitalium vitium robore, prædixi breui futurum, vt copioso sudore diffluere, qui tantus quidem paulo post emanuit, vt culcitra, & lintea tota permaduerint, proinde, ac (si vt vulgo dicitur) in fluuium demersa fuissent, exinde somnus, & quies optata, nulla tussis, nullus excreatus in summa, sanitate integra frui illi licuit plus quindecim abhinc annis, cęterū hic mirari licet vnde à corpore tam exangui, & ex succo tantus sudor exire potuerit, hoc certè conti git insulæ, quo tempore tyrocinia Medicinæ faciebam. Narrauit per litteras. D. Rondeletio, rem prout gesta fuerat: miratus est talē morbi curationē, exitū, & subitā solutionē, atq; in commentaria se relaturū hunc morbi decursum mihi pollicitus est.

OB-

OBSERVATIO III.

Febris maligna.

NVlla vnquam symptomata seuiora cuiquam acciderunt, quam quæ adolescenti Nemausino nomine Grasset superuenere, degenti Belliquadri an. 1574. is natus anno circiter 20. aut 22. incidit in febrem καῦσον in qua siti inexhausta cruciabatur; lingua nigrescens; vigilię perpetuę à 4 vsque tum nonum diem hominem exercebant, parum, & inequaliter sudabat, tunc delitia inceperunt, cum vrina reni pulsuque rarò. Vndecimo stridores dentium, conuulsiones, rigores die, & nocte, cum clamoribus, & eiulatibus, terrorem incutientibus; pulsus inordinatus, & perturbatus apparuit. Decimo quarto, vrinæ copiosæ, & egestiones, non sine delirio, animi deliquio, conuulsionibus. Decimo septimo, axanthemata, & papulæ multæ per vniuersum corpus sparsæ, & singulæ magnitudinis fabæ colore liuidæ: quæ cum cutem extimam excederent; carnem subiectam depascendo, vlcera caua reddebant, proinde ac si ferrum candens illa inussisset, erant autem profunda ad pollicis latitudinem. Vigesimo, parotides sub vtraque aure magnę durę eruperũt, hinc febris sensim remitti deprehensa est, quibus omnibus, longo temporis interuallo duratis, viribusque tefocillatis, æger incolumis Auenionem profectus est, totumq; morbi decursum. D. Philippo Gulielmo narrauit. Quod ad curationem attinet, non desciui à communi Medicorum vsu, (vel vt dici solet) ad latum vnguen, quãdoquidem inspecto lotio, iniectoque clystere, cũ aluus dura esset, idonea sanguinis missio facta fuit, sanguis valde corruptus apparuit. Deinde iulapijs, ardorem febrilem extinguentibus, putredinemque arcentibus. Octauo die sumpsit dilutum Rhabab. cum diaprun. solut. vigilijs occurri syrupo papauerino, tibiarum lotionibus, vnguento popul. temporibus, volis manuum, & pedum plantis accommodato. Sed vix credibile est, quam lac muliebri, puellam lactantis mixtum succo lactucæ, & rosato delirium sedauerit. Deliquijs animi succurrimus epithemati, regioni cordis admotis, & mixturis ad cor recreandum dicatis, dentium stridoribus, oleis camomelino atque amygdalino dulci, ceruici & temporibus calide applicatis, lana succida superdata: vlceribus, & papulis relictis, vnguento albo camphorato: parotidibus, oleo camomelino, & de lilio, deinde enim ad suppurationem ea tendere cognouimus (nam materiæ crassities discussionem detrectabat,) ad cataplasmata atque emplastra ex mucilaginibus, herbis emollientibus, diachylo magno, & alijs eiusdem farinæ, transire coacti fuimus cum autem Auenionem profectus esset; apertione facta, reliqua industriæ D. Philippi Gulielmi commisimus.

OBSERVATIO IV.

Febris maligna cum sopore.

DIgna est, quæ scriptis mandetur ægritudo vxoris D. Fomerij Nemausensis Causidici, quę post curatum maritũ febri ardente, maligna, omnia sæua symptomata secum vehente nimirum paraphrenitidem, dentium stridorem, iactationem inquietantem, sitim inexpletam, in continuam febrẽ propter vigilatas tot noctes, coniungis causa, inediam, curam liberorum, reique domesticæ incidit: quæ sexaginta dies vno eodemque feruore citra aliquam intermissionem veluti stupida, conniuentibus oculis permansit, nec interim per totum morbi cursum vlla crisis se prodidit, vsque ad diẽ sexagesimũ, in quo tantum sputum album, & spumosum, sine vlla tussi reiecit (vt pelui m duodecim libras capacem liquoris impleuerit, quo abundè per os emisso, à febre libera, ad sese rediit asserens se nihil doloris, nihilque propter morbum incómodi percepisse, quin se grauiter, & cum summa suæ vitæ discrimine ægrotasse, vix in eius animum inducere potuimus. Interim scire licet, nihil omissum fuisse, quod ad veram morbi profligationem pertinere potuimus conijcere, vt pote à sanguinis missione auspicati, nam hæc mulier adhuc adolescens erat plethorica, deinde ad purgationem deuenimus clysmata, cucurbitulam somniumque prohibentia præscripsimus.

OBSERVATIO V.

Vulnus vesicæ ex scopleto.

REm inauditam, & omnem fidem sperantem, attamen veram, vereor ne si narrare coner, vanitatis immuniet: cæterum viri fide digni tum in arte medica apprimè versati, tum in Chirurgia admodum exercitati, vt interim sileam nobiles, insignesque viros qui curationi interfuerunt, me ab omni calumnia vindicabunt. Quo die igitur, Nemausenses subuculatos id est subuculis albis indutos, traiecto Rodano Taraconę clam venientes, indijsque quibusdam Bellicadium oppidum ingressos fugarunt, atque fuderunt, quidam eorum, qui terga vertebant, grande Sclopeti per penis mearum, seu fistulam intrusa vesicam, & dextrum latus ossi sacri penetrante, ita vt per vulnus posticum, lotium redderetur, læso tantum meatu vrinario, ceu excoriatione integræ sanitati fuit restitutus à Chirurgis Taraconensibus, me assistente, Antonio Fortunato, & Ioanne Bonnero, & quod mirum est nullis alijs medicamentis, quam triuialibus, & quæ ad manum erant. Tria igitur hic sunt quæ omnes Medicinæ peritos in admirationem trahere debent. Primum, quomodo in meatum vrinarium glans illa, pene illæso, nisi modica excoriatione meatus, ingressa fuerit. Secundum, qua ratione, aut naturæ proprietate, vesica vulnerata alioqui remedia omnia respuente, sanatus sit. Tertium, qui, non conquisitis secretis remedijs, sed ijs tantum quæ ad manum erant præscriptis (cum sæpenumero in alijs vulneribus non vsque adeò letalibus, & exoticis, & prætiosis vti cogamur, cùm ægri tamen pernicie) nam initio defensiuo vocato vulneri circumdato vsi sunt, Chirurgi, tum Basilico cum vitello oui turunda oblita, postea vnguento de resina, denique carnem regenerantibus, & cicatricem inducentibus, vnde adeò prosperè ad pristinam sanitatem redijt, vt adhuc sit superstes Arelate, dictus cognomine Boriau, hoc tam admirandum vulnus viderunt fere omnes præcipui Taraconensium simul cum Doctoribus D. Philippo Gulielmo, Bertrando Vanio, qui mecum explorato vulnere, radiolo Chirurgico ad id destinato, rem ita habere, curiosa inuestigatione conspexerunt.

OBSERVATIO VI.

Tumor in crure.

RArum morbi genus silentio non est prætermittendum: id est tumor interiori parte cruris dextri, nobilissimæ, & bonis moribus ornatissimæ, quæ tum vidua erat D. Deledignam. Hæc igitur in ea parte, tumore obortio, phlegmones speciem præbente, tantis cruciatibus, noctu, & interdiu inquietata fuit, quamque varijs anodinorum formulis D. Rondoletius qui vna mecum ad ei opem ferendam vocatus fuerat, vtebatur, vt nihil spei de eius salute reiectum videretur, nam quanto magis tumoris illius duritiem mollientibus vincere nitebamur, tanto magis nostris conatibus reluctari percipiebatur, nec tamen interea dolor vllas dabat inducias. Itaque coacti fuimus, tumorem causticomedicamento aperire, quo humor contentus, licet crudus, (vt nobis videbatur,) dolorem committens, apertione facta exitum haberet. Postquam igitur suspicati sumus, causticum suas vires exeruisse, dissolutis fascijs, quibus illud suppositum fuerat, nullum humorem intus delitescentem, nullum serum inde exisse vidimus. Imò verò (quod caput est) hiante vulnere subiectam carnem nihil imminutam aut alteratam conspeximus, nec aliam extitisse tanti tumoris doloriſque occasionem quàm flatum iudicauimus, sed nec simili tumorem Medici, quos conuenire nobis contigit, se vidisse, aut alicubi legisse, tum quia flatus tantos dolores excitabat, vt animi deliquia, & vigilias perpetuas induceret, tum quia nihil intra vulnus delituisse alienum à naturali cõstitutione repertum fuerit, nobis asseruerint. Ab apertione tumoris, flatu dissipato, omnia euanuerunt symptomata, in posterumque adeò benè valuit, ac si nunquam ægrotasset.

OBSERVATIO VII.

Paralysis linguæ.

SUbit admirari sæpenumero opera naturæ: dissectis enim corporibus admiranda inueniuntur, quæ citra κατάληψιν ita esse, vt sunt, vix persuaderemur, cuiusmodi dum Nemausi agerem, Roberto Barriere contigerunt; nam ferrè quamdiu vixit, destillatio perpetua, ad neruos, motui linguæ destinatos, adeo ei loquelam impedierat, vt balbutiem molestam inuexerit, quæ nullis auxilijs potuit vnquam emendari vnde tamen fluxione aucta, suffocatione repentina est ex-

tinctus. Parentes igitur, qui cum vltimæ eius dici intererant, me rogarunt, vt defuncti recens cadauer iuberem dissecari, quo causa, & origine tanti huiusce mala cognita, post hac simili destillationi tutiùs occurreretur. Quare iussæ eorum petitioni morem gessi, apertoque primum cranio ac vtrobiq; separata sensim portione extima cerebri, in conspectum nostrum se dedit cystis, id est sacculus robusta membrana compactaque contextus, vndiq; serosum humorem continens, qui in fundo exiguum foramen habens semper nouâ materiâ neruis linguæ suggerebat. Quamobrem cum nullis remediorum formulis hic serosus humor, nec vlla industria absumi, discutiue posset, cum propter eius copiâ, tum propter membranæ densitatem, quæ nimirũ obstabat, quo minus vis medicamentorum eo peruenirent, vno ore diximus, talem affectionem curationem nunquam admissuram fuisse. Sed quis, obsecro, vmquam iudicasset vesiculam quandam intra cerebri substantiam generatam seroso humore tumentem tam pernicioſæ destillationis causam fuisse.

OBSERVATIO VIII.

Syncope à liene.

VIr Nobilis, & strenuus D. Egminius Tarasconensis, quodam morbi genere laborabat, quod (vt arbitror tanquam inauditum, & infrequens à paucis visum erat. Vir igitur ille mihi retulit, tunc se in syncopen statim incidere, simulatque in latus sinistrum decumberet, ita vt difficulter ab ea reuocaretur, adeo omnes vires collapsæ erant, secus se nihil doloris, aut incommodi percipere, nec proterea minus cibi assumere, imo omnia sẽ munia obire, quæ integra sanitate præditus mihi asseuerauit. Mecum itaque meditatè perquirens, ac animo reuoluens, quid causę esset, quamobrem tam sæuum symptoma sine manifesta causa apprehenderet, & veluti exanimem reliqueret hominem, cœpi cogitare humorem melancholicum, malæ alicuius qualitatis participem, ex liene vaporem quendam venenosum ad cor mittere, eumque occasionem præstare tam maligni symptomatis. Nec mea me fefellit opinio: siquidem ratione victus commodè instituta, purgatoque vniuersaliter corpore ab humore melancholico, & priuatim exhibito medicamine, lienem ab obstructionibus liberante, atque demum roborato corde, tam epythematis, quàm mixturis cardiacis liber omninò à tam lethali symptomate euasit.

OBSERVATIO IX.

Morbus epidemicus Coqueluche vulgo dictus.

ANno 1557. Mense Iulio paulo ante cataclysmum, Nemausinos agros vastantem, totam ferè ciuitatem occupantem, seuijt epidemicus morbus, nemini parcens, (Coqueluche) vocitatus, adeò immanis & truculentus, vt quamplurimos de medio tolleret, quosdam quarto die alios septimo, ad summum 14. eos tussis cum faucium asperitate inflammatione feruenti, & febre continua corripiebat, dolor capitis vehemens ægros affligebat nec prætussi vsque ad rauim inquietante, cuiquam somnum capere fas erat: ad hæc accedebat renum, & lumborum dolor assiduus, & eximius, qui paucos admodum progredi sinebat: ad hæc coryza perpetua vix aerem inspirare per nares permittebat. Cæterum, qui tantam (vt ita loquar) pestem euadebant, facta sanguinis missione, & medicamentis expectorantibus exhibitis, sudore fœtido superueniente, constantibusque viribus è toto corpore manante, liberabantur. Qui verò febre, & inedia consumpti, (cum vix durare possent,) inualidi reddebantur, omnes ad interitum pergebant. Quare in eo cardo curationis versabatur, vt adhibitis sine mora vniuersalibus remedijs, quanquam leni tantum purgatione egerent, appetentia reuocaretur. & fauces cibis fierent peruiæ: ad purgationem sufficiebant manna, cassia fistular. rhabar. cum decocto bechij. & aliorum pectoralium. Vehementiora tanquam acuti scopuli vitanda erant.

OBSERVATIO X.

Febris Epidemica.

EPidemicus morbus, prædicto non absimilis, grassatus est anno 1580. per ætatis maximam partem, post infectorum innumerabilium congeriem, mensibus Aprili, & Maio è terra exortam, quæ quidem tam ingens erumpebat, vt itinera quæq; occuparet, nec affugere quisque potis erat qui infinitos vellet, nollet, pedibus conculcaret, vnde non multo post Arelate, Auenione, Belhicadri, & alijs in locis non procul ab his diffitis, tanta pestilentia grassata est, vt perpauci eam euadere potuerint. Sed vt ad rem redeam, prædictus morbus multos quidem ingulabat; sed si primis diebus, & quam citissimè fieri poterat, auxilia administrabantur, ferè omnes erant superstites. Is igitur simul cum febre, & tussi inuadebat, quam dolor capitis, & lumbrorum subsequabatur, interim febris aliquot diebus intermittebat, postea veluti vires resolligens grauius ægros affligebat. Interim quosdam nulla quiete frui sinebat; sed magis, ac magis vrgente feruore ad interitum eos præcipitabat. Phrenitide quidam furentes, quidam Phthisi languescentes interibant. Cæterum si maturè, vt dictum est curabantur, omnes fere intra paucos dies conualescebant. Nec curatio alia à præscripta paulò ante adhibebatur, siquidem pectoralibus medicamentis, & lenibus purgationibus (non neglecta imprimis sanguinis missione (clysteribus refrigerantibus iniectis, admotis cucurbitulis, & cardiacis opiatis, ac epithematibus frequentibus, maximum leuamem percipiebant; denique ratione victus optimè instituta tandem ad integram sanitatem perducebantur.

OBSERVATIO XI.

Deglutitio impedita.

DOminus Bonius, Causidicus Nemausensis clarissimus grauissimo ventriculi dolore, simul cum degluti endi difficultate summa laborabat, cum febre continua comitante, & cum ante meum aduentum præscripta essent medicamenta purgantia, nec quidquam profuissent, vt porè quę ad fundum ventriculi descendere haud potuerant, vbi primum ad eum accessi, tractat isque à me diligenter cum ventriculi regione hypochondrijs, deprehendi renitentem tensionem, vndiquaque has partes occupantem, simulque rugitum internum, frequentibus ructibus per os emissis, exitum habentem, quæ causa erat quamobrem nec iusculum, nec cibus vllus ad ventriculi fundum delabi posset, nimirum sublato, & suspenso è flatuum copia cibo. Proinde cum periculum immineret, ne corpus edendi penuria absumeretur, cum iam quatuor, aut quinque dies à cibo abstinuisset, in id totum curationis scopum dirigere volui, vt tantam flatuum abundantiam discuterem. Quocirca admoueri iussi ventriculi, & hypochondriorum regioni (in lecto prius clystere partim discutiente, partim vacuante) fotus calidos ex decocto absinthij, mentha, floribus chamomeli, melilloti, seminibus cymini, faniculi, & similibus quibusdam peractis, oleo nardino & chamomelino his partibus calidè irrigatis, meliuscule habuit, cœpitque deglutire, spemque bonam recuperandæ sanitatis habere: cum antea, ac si res deplorata esset, de hac vita migrare cogitaret. Tum demum præcepi admouendam ventriculo cum multa flamma cucurbitulam; à qua flatus adeò potenter digesti fuere, vt postea, & iusculę, & quæ vis edula transglutire valeret, ex exinde febris cum dolore quieuit, febrem tamen potissimum extinxit multa vrinæ excretio. Cæterum, ne affectus recrudesceret, euacuationem iterandam suasi.

OBSERVATIO XII.

Febris maligna cum Exanthematis.

IVdex ordinarius Nemausensis, Blanus nomine, Febre tertiana duplici accessiones acerbissimas secum vehente conflictabatur. Eum curabat D. Vegratius ætate prouectior. Ille igitur, cum in quodam paroxysmo symptomatibus tam vehementibus, atque malignis vrgeretur, vt in lypothimiã laberetur ob nimirum exorta repente per totum corpus, exanthemata subluuida, nolens quidquam, quod saluti conferret, prætermittere, me vt sibi cum D. Vegratio adessem, vocari iussit, qui simul atque in eius conspectum veni, conquestus est de intolerabili ardore, ad exanthematis excitato, simul cum virium prostratione obsecrauitque, vt sibi, in maximo discrimine vitæ constituto, opem subitam ferrem. Ego verò bene inspectis, & meditatè consideratis exanthematis, quæ adhuc pululare videbantur, pulsuque carpi cognito, iussi bonam spem de sua salute conciperet, arreptaque dextra D. Vegratij secessimus in cubiculum remotum, vt, qui facto

opus

opus esset, inter nos deliberaremus. Ipse enarratis omnibus quæ præscripserat, petijt à me, quid agendum censerem. Ego sermonem eius excipiens fui in ea sententia, vt quod eius fieri posset, citissimè fieret venæ sectio, secus futurum vt in grauæ suæ vitæ periculum incideret. Ille verò repugnare, nam (inquit) verendum est ne humor malignus per cutem (commune totius corporis expurgaculum) dispersus, intrò remeet, & partem aliquam principem adoriatur. Ego iterum instare factum, nam Authoribus Montano, Auicenna, Aetio Rondoletio, alijsque multis nixus, posse fieri, contendebam in eruptionis eorum principio, dum natura materiam extiosam expellebat, alioqui si per aliquot dies in cute firmata esset, non reuocanda intra corpus. Quare tandem is in meam descendit sententiam, & hilari animo nunciaui ægro, ante discessum nostrum sanitati restitutum iri, si sanguinis missionem tolerare vellet ipse autem, se quiduis subiturum, dummodo à tantis malis eximeretur. Cum igitur saphena non esset conspicua, venam dextri brachij communem secari iussimus, qua secta, id euenit, quod futurum prædixeram; siquidem antequam discederemus, ardor sedatus fuit, pacatum etiam fuit sæuum, quod timorem incutiebat, symptoma. Unde pro tantis beneficijs dici non potest, quàm artem Medicam, & nos extulerit. Hinc nos ad febris reliquias profligandas properauimus, quas breui Deo adiutore expulimus.

OBSERVATIO XIII.

Lumbrici.

DVas Virgines filias Notarij Fezanderij Nemausensis vidimus, quarum altera annum septimum, altera nonum non excedebat, quæ intra semestre spatium dolore acerbissimo ventris totius obiere, qui nullis remediorum generibus mitescere poterat nempe iniectis clysteribus, potionibus pituitam vacuantibus flatus discutientibus, denique vermes necantibus. Itaque prouectiore defuncta, cum cadaueris fieret dissectio, vt nobis addita causa, mortem accelerans, innotesceret; sunt inuenti in inferiori ventre lumbrici, qui intestina, & præsertim colon perforauerant. Exactis abhinc sex mensibus, cùm similibus doloribus altera interfecta fuisset, dissectione facta non solùm intestina exesa, & vermibus transfixa vidimus; sed etiam cor, & hepar ab ijs corrosum, & altè euacuatum, quæ res non parum fluporem adstantibus omnibus incussit, quærentibus, qui ab intestinis quaque via ad hepar, & cor peruenerint, cùm in illis locis vix alimentum sibi similare, neq; materiam vermium generationi idoneam quanquam ex putredine quadam ibi nata quispiam eos gentos existimauerit, adde nec viam paratam; sed tot anfractibus, ac circumuolutionibus impeditam habuerint. Quare nihil aliud quàm naturæ opera minori causam scire non valentes potuimus; sed hanc hinc discedentes præscriptis tum pulueribus ex scordio, & dictamno albo, & vnguenti vermes fugantibus necantibusque reliquis, quæ adhuc, superstites erant puellis, horũ generationem in posterum prohibuimus.

OBSERVATIO XIV.

Tumor œsophagi.

NOnnunquam Tumor in œsophago succrescit, qui cibos deglutiri non permittit, ægerque inedia debilitatus, vires amittere solet; eius curatio vt interim cognitionem sileam, non parum etiam ocularitissimis facessit negotij: quam sic felici successu præscribere consueui, primùm victus ratione præfinita, adhibitisque vniuersalibus remedijs, id est sanguinis missione, (præsertim quando febris aut inflammationis suspicio subest,) item purgatione, reuulsione per cucurbitulas. Linctus sequens ex vsu est.

℞. Conseruæ rosar. Symphyti maioris ana ℥.ß. conser. violar. ℥.ij. Boli armeni oriental. ʒ.ß. mucilag. sem. cydonior. extractæ ex aqua rosar. ℥.ß. cum syr. cydonior. fiat linctus, quo sæpè vtatur æger: exterius verò supra collum huiusmodi vnguentum admouendum est.

℞. Oesypi medullæ cruris bouis axungiæ gallinæ anseris, & anatis an. ʒ.ß. mucilag. sem. althææ, & lini an. ʒ.ß. olei nymphæ ℥.ij. Croci ϑ.ß. ceræ albę q.s. fiat vnguentum lotum ex aqua hordei, & nymphææ, hoc ter aut quater die, ac note collum liniatur lana succida supera ddita.

OBSERVATIO XV.

Scabies fœda.

NUnc me conuertam ad labiorum fœdam quandam scabiem cum oris vlceribus coniunctam, quæ multum mihi, vt eam discuterem, exhibuit negotij, sed tantum his remedijs cessit scabies, vlceraque sanata nunquam repullularunt. Nam adeò cacoethe erant, vt conatum omnem respuere viderentur. Itaque post vniuersalia remedia his topicis vsus sum.

℞. Clauicularum vitium, fol. plantaq; caprifol. tribuli terrestris ana m.j. rosar. rubr. hordei, lentium an. P.j. fiat decoctum ad ℔.j. in colatur. dissolue succi granator. & diamor. an. ℥.ij. hoc decocto frequenter os colluere oportere dixi: labijs verò iussi sequens medicamentum ad lini.

℞. Pul. coralli vtriusq; vsti, loti, & cornu cerui itidem vsti, & loti ana Unc. ij. corticis burgie ʒ.j. ß. cum pomata, & syr. de rosis siccis, fiat linimentum. Soleo etiam penuria pomate pulueres dissoluere in cera alba liquefacta, & axungia hirci recenti.

OBSERVATIO XVI.

Hernia.

PRæter multorum expectationem, ramicem intestini, & omenti auxilijs infra dicendis curaui sine Chirurgi manu: maximè verò eum qui quendam germanum, ludi magistrum Auenioni anno 1543. torquebat, qui herniam intestinalem decem annis passus fuerat, non sine doloribus grauissimis, australi constitutione ingruere solitis. Huic igitur imperaui, vt in lecto se contineret, mensem vnum, simul quantum fieri posset, adductis cruribus non diuaricatis, victu exsiccante vteretur, nisi fortè prunis elixis ex saccharo, & aqua ad aluum subducendam, nullis crudis, flatuosis, & coctu difficilibus præter suum, hœdorum, aut arietum pedes vesceretur, his autem medicamenti vsus est.

℞. Terræ sigillatæ, rad. consolidæ maior. boli arm. veri ana ʒ.ij. cornu cerui vsti dr.j. capiat per 14. aut 15. dies dr.j. ß. aut dr.ij. manè ex iusculo capi. Deinde.

℞. Sanguinis draconis, mumiæ, mastices, thuris. rad. consol. maior. boli arm. limacum rubrarum, erinacei terrestris puluerisati an. ℥.j. incorporentur omnia terebinthina, & fiat emplastrum. Quod admoueatur inguinibus. Verum scire licet, vniuersalia auxilia pro ratione morbi præcedere debere.

OBSERVATIO XVII.

Fœtus Mortuus.

VOcatus fui à nobili quadã muliere, quæ febre continua grauiter laborabat, cui semestri grauiditate per febris vehementiam fœtus in vtero suffocatus fuit, qui cum multis & varijs remedijs foras extrudi non posset, tandem myrrha cum chrysocolla, & vino Hippocratico propinatis, admotoque ventri cataplasmate ex colocynthide, vtroque pulegio, sabina, artemisia marricaria, herba cati, magno puerperæ conatu prodijt, non sine summa medicinæ laude, cum illa in summo vitę periculo constituta tandem, excluso fœtu, à febre ardentissima immunis fuerit, quanquam ab hinc 6. aut 7. menses morbo acutissimo decumbens extincta fuerit.

OBSERVATIO XVIII.

Strumè.

MOrbus est & frequens & curatu difficilis strumę à Medicis dictus; eo filia D. Præsidis Nemausini Clauerij affecta fuerat dum in viuis esset. Itaque cum à multis Medicis vario vsu medicamentorum vexata, nihilo melùs se haberet, sed magis atque magis sæuiente morbo, collum ipsius putris, vitioſuique humor depasceretur; tandem ego vocatus post præscripta, vt decet medicamenta purgantia, ei emplastrum cheradicum ab Aetio descriptum, diligenter sanie expressa exterfaque, superponi iussi, deinde tertio quoque die eodem medicamine renouato prius vt (dictum est) vlceribus exterſis eoq; quater aut quinquies repetito; sana in totum effecta est. Quod si chærades non sint vlceratę soleo earum duritiem puluere pyritis lapidis simul cum diachylo iterato ma-

laxa-

laxato remollire, atque tandem aperta cute ferro candente, aut causticq medicamento sordem intus contentam digitis exprimere; postremò emplastrum chæradicum superligare, nec ante triduum soluere, quod semper est obseruandum, idque tam diuturare, donec completa videatur curatio.

OBSERVATIO XIX.

Tertiana duplex.

PRæfectus præsidij Bellicadrensis, & D. de Rancoine quotannis solebat in Gallia apud suos tertiana duplici affligi, bimestri, aut trimestri spatio: is cum in Narbonensem prouinciam profectus fuisset simul cum Protomacho nostro non multo post eodem morbi genere correptus, me ad se visendum vocauit, qui tristis admodum, eum putaret, (vt solebat) se diu hac febre vexatum iri, rogauit me, vt quod remedium haberem, quò tutò tertianam duplicem expellerem, sua causa explicarem. Respondi me, Deo duce, votis suis satis facturum, sim modo mihi morem gereret. Itaque iniecto eodem die clystere, postridie verò, cum vrinæ in principio subcrudæ apparerent, consilium Auicennæ sequutus, non ante secundam, aut tertiam accessionem, in quibus vrinæ collocatiores conspiciuntur basilicam dextri brachij secare iussi & sanguinis sex aut 7. euacuari, interim præparantibus iulapijs mane vtebatur, quibus vix dum finitis, miratus fuit decumbens, febris accessionem sequentem fere nullam fuisse, peractaque purgatione, post hac ne vestigium quidem vllum febris subrepsisse; quamobrem supra quam dici potest lætus, quod tam breui temporis curriculo curatus esset, alijs suis commilitonibus (æstas tum ardebat) simili febre ægrotantibus suasit, vt sese curando, mihi committerent, qui omnes simili ratione sanitati fuere restituti.

OBSERVATIO XX.

Dolor Ischiadicus.

INgenuus, & boni moribus imbutus Antonius Clemens Bellicadrensis, Ischiadico dolore tam vehementi vexatus fuit, vt opem à Medicis Monspelien&b. quærere coactus fuerit, præcipuè verò à D. de Fegnes, Doctore Medico, qui tunc temporis maximam sibi famam, ob raram in curandis morbis dexteritatem, comparuerat. Is nec Ischiadicæ venæ apertione, nec purgantibus catapotijs diæta vulgò dicta, nec demiq; fotibus, cataplasmatis, hypocaustis, emplastris, cucurbitulis, dolorem tam acerbum pacare poterat, quinimo eo in dies magis, ac magis vrgente, æger se vlterius vitam protogare posse diffidebat. Forte verò cum Namauso Bellicadram confugerem, quod tempore per cancellos ferreos aquam fontanam excipientes, vir religiosæ factionis, antea circumlimatus, sunt ingressi, & me ad se in vscendum vocaret, auditisijs, quę D. de Fegnes præscripserat, Admoueri Cantharides ex fermento veteri loco dolenti iubeo, vnde post vesicas excitatas, atque acu perforatas tanta humoris serosi copia vacuata fuit, vt optata quies subsequuta fuerit, nec in posterum dolor hominem afflixerit: veruntamen vlceribus, quę à Cantharidibus inflicta erant, sanatis, iussi, vt per aliquot temporis spatium locus dolens emplastro ex diachylo & diamelitoto compacto regeretur adiecto sulphuris ignem non experti momento, & seminis iberidis, atque Nasturtij pari pondere.

OBSERVATIO XXI.

Vlcus sordidus.

NOn diu est, quando D. Comes de Tantem, vir, & generis nobilitate, & animi corporisque præstantia clarissimus nouissimè pulmonis vlceribus extinctus, vlcere cacoethe, in tibia sinistra omnem consolidationem respuente, affectus erat. Is cum esset rerum antiquarum studiosissimus, & me iussisset accersi, vt quandam in veteri numismate inscriptionem interpretaret: postquam de variis hinc inde rebus verba fecimus, me rogat, vt si quid haberem, quod vlcus tibia ad cicatricem perduceret, id sibi impertirem; nam alia atque alia mihi conferentia expertus, nunquam sanari posse sibi persuaserat. Ego verò non potui tanto viro operam studiumque meum denegare, proinde si velis (dixi) meis dictis auscultare, breui futurum est, vt sanitati pristinæ restituatis. Atque adeò cœpi post remedia vniuersalia, præsinitamque ratione victus idoneam hoc linimentum sequens præscribere; quo intra 12. aut 15. dies plane curatum fuit vlcus. Interim tamen volui, vt hoc syrupo, ne vlcus recrudesceret, 15. diebus vteretur per interualla.

℞. Ramentor. ligni guaiaci ℔.ß. infundantur in ℔.12. aquę Rhodani, postea fiat decoctio ad media; in fine eius adde polypodij quercini ʒ.4. carthami ʒ.ij. turbit. ʒ.j. agarici ʒ.ß. Rad. pentaphylli ʒ.4. colaturæ adde mellis rosati, & sacchari rub. ana ℔.j. clarificetur, & aromatizetur ʒ.ß. santali rub. fiat syrup. semicoctus de quo sumebat ʒ.v. vel vj. tertio vel 4. quoque die addebam sennam quando aluus non bene respondebat, vlcus abluebatur frequenter aqua alum forma linimenti erat huiusmodi.

℞. Axungiæ porci ʒ iij. axungiæ hirci ʒ. ij. fol. hyosciami coctorum sub cineribus, & diligenter contusorum cum axungijs, m. j. litharg. & cerusæ diligenter loræ an ʒ.j. plumbi vsti, & loti, antim. minij an. ʒ.ij. agitentur in mortario plumbeo, fiat linim. addito tantillo opij cum dolor intendebatur; postea cum ægrè adhuc cicatrix duceretur, iussi laminulam plumbeam in aceto macerari triduo, deinde siccari, & vluerem subtilissimè vleeri aspergi, alteramque integram superimponi, & sic voti sui compos, vnde laudem eximiam (vt præmium fileam) reportaui.

OBSERVATIO XXII.

Virgæ caruncu'æ.

QVidem Monachus familiæ Diui Augustini, Ambrosius nomine, caruncula in collo vesicæ, oborta inter meiendum vehementer torquebatur, & ad eam absumendam multorum opem implorauerat, nam iam à quinquennio morbus suas radices egerat. Cum verò in dies acerbiores dolores experiretur, licet puluer. fabinæ per ceream candelam intruso, aliisque hinc inde vteretur, fortè occurrit mihi obuiam præ dolore veluti mentis impos. Non possum (inquit) diu loco consistere, nec mihi temperare, quin è sublimi me præcipitem dem tam acri dolore crucior. Ego miseratione commotus, verbis lenibus animum effrænem quam potui placidè mulcere volui, meque de sua salute bene speraturum nunciaui dummodò recta viuendi norma seruata, meis iussis obtemperaret, quod certe aliquandiu sedato dolore se præstiturum mihi pollicitus est. Consului igitur vt perpetuo virgulam plumbeam in vrinario meatu teneret, sic agendo, vt quam fieri posset, sensim, & placide per collum vesicæ. licet an gustum in vesicam intromitteretur, periculo primum facto à gracili, & tenui virgula, deinde gradatim ad crassiorem veniendo donec liber esset in eius vesicam ingressus, atque hoc in auxilio diu persisteret. Is itaque cum nocte, dieque plumbeum radiolum, vt iuxeram in vrinaria fistula teneret, mihi tantam vtilitatem intra 15. dies se percepisse retulit, vt liberè iam, & indolenter lorium redderet, iterque vrinæ adeò fuisse peruium, vt nullis amplius ad metendum medicamentis egeret.

OBSERVATIO XXIII.

Hæmitriteus.

COnuocati fuimus ad curationem hemitritæi D. Quæstoris Nemausensis, de rage vocati, D. Ferandus, Castellanus & ego. Cumq; in consultationem venissemus, D. Castellanus, ecquid sentirem de morbo Quæstoris à me primo (cum primus eum inuiserim) sciscitatus est. Respondi ingenuè illum vera hemitritæo laborare, atq; ea de causa egere optimis, & promptis remedijs. nam tertio quoque die tertiana cum rigore hominem affligebat, nec post sudorem, declinationi tertianæ superuenientem, erat vnquam ἀπύρετος, meæ opinioni acriter repugnabat D. Ferrandus, vt erat ingenio ad contradicendum procliui, dicens in febricitationem inter duos paroxysmos percipi, propterea tantum esse tertianam nothan maioris famæ asserebat. Contra ego audacter affirmabam, delitescere quotidianam continuam, addebam febrem, si fuisset notha, non tantas vigilias, non hipothymias excitaturam, præterea hemitritæum, autumno sæpius quàm alio tempore accidere, in quo æger noster correptus erat, denique gulosos homines, & cauillones, qualis ipse erat, potissimum infestare. Vocatis in testes non solum optimis quibusque Medicis, sed etiam Martiale.

Vri Tongilius male dicitur hæmitritæo.

No-

Noui hominis vires, esurit, atque sitit.
Deinde in fine Epigrammatis.
Omne Tongilium Medici iussere lauari.
O stulti, febrem creditis esse, gula est.
D. tamen Castellanus perrogatis auditisque nostrum sententijs, subscripsit D. Ferrãdo, atque os in me conuertens subiecit hæc verba, non mirum videri debet (inquit) si quædam febricula subsequi tertianam videtur, nam cum febris hæc notha sit, plurimam habet crassam pituitam permixtam, qua de causa fumi eleuati ab ea diutius perdurant, appositè citato exemplo Gal. lib. de diff. febr. de lignis viridibus, quæ quidem difficulter flammam concipiunt, ea vero extincta, longo temporis interualio fumus crassus ex eis attollitur, quod non contigit lignis aridis; itaque inquit, cum ratio curationis non valdè diuersa sit inter hemitritæum, & tertianam notham, hoc inter nos sit statutum, sanguinem promptissimè mittendum. Porro licet omnia hæc, & epithemata ad cordis roborationem, multaque alia ex arte administrarentur, æger ab hinc tribus aut 4. diebus vitam cum morte commutauit, cumque fama de eius obitu ad aures Castellani peruenisset, mutauit sententiam, dixitque hemitritæum verum ægrotum iugulasse; tamen D. Ferrandus noluit ad latum vnguem de sua persuasione discedere.

OBSERVATIO XXIV.

Polypus.

VXor Antigraphi Vrgenensis polypo deformis erat, dolebat autem, quod Chirurgi citra excisionem vix posse sanari contendebant cum Medicis; accedens igitur ad me, post congruentem traditam vitius rationem, præscriptamque purgationem, iussi vt capitellum Vigonis origini neruorum admoueretur, deinde hoc vnguento polypus vngeretur, quod est.

℞. Corticis malor. granat. gallarum viridium ana ʒ.j. ß. summitatum sabinæ exsiccatarum, & pulu. ʒ. ij. chalcitidis vstæ ʒ.j.ß. vsti aluminis, & hermodact. an. ℈. iv. cum vnguento ægyptiaco polypo applicabatur, interim dum hoc vtebatur, circumlinebantur loca propinqua refrænantibus, vnguento de bolo, vel de lithargyro cum succis: deinde.

℞. Plumbi vsti, & loti ʒ. j. ß. corticis cucurbitæ longæ vstæ ʒ.j. antimonij, lapidis calaminaris diligenter lotor. an. ℈. iv. testarũ cancrorum fluuiatilium vel marinor. ʒ.j.ß. tuthiæ præp. ʒ.ij. succi plantaginis, & solani depurati an. ʒ.ß. olei ros. omph. ʒ. iv. diducantur diu in mortario, & pistillo plumbeis, addendo succi granat. ʒj.ß. per vices abluebatur locus aqua aluminosa, & citra Chirurgi manũ breui extirpatus fuit polipus.

OBSERVATIO XXV.

Postulæ faciei.

QVidam occurrunt affectus, qui licet vt parui momenti negligantur, & ratò Medici eorum curationi præsint, tamen quod molesti sint, & pertinaciter hæreant, non sunt contemnendi. Ita rem habere sæpe vsu venit, vel non ita diu in quadam muliere, quę nullis remedijs faciei intensum ruborem cum multis variis pustulisque illam indecorè dehonestantem, quales bibaces homines, propinas sectantes habere solent, abolere poterat; quam vis famosos Medicos ad id agendũ adhibuisset. Illi consului, regimine vitæ humectante, & refrigerante præscripto, & tusa iecoraria vena item q; sumpta per triduum opiata, sensim dosim eius augendo humores adustos euacuante, hac aqua destillata faciem ablueret.

℞. Summit. myrti, & mali gran. oleastri, ceterach. plant. morel. quę species solani est, clauiculatum vitis an. M. iv. vuarum acerbarum cum pediculis, vel lambruscarum ℔. ij. Incidantur, & irrorentur aceto, & aqua destillata reseruetur vsui.

℞. Aquę præscriptæ ʒ iv. luminis vsti ʒ vj. albuminis ouorum fortiter agitatorum ʒ j. admouebantur faciei, eundo cubitum, & abluatur frequenter facies prædicta aqua. Posteà.

℞. Tuthiæ præpar. ceruse vstæ an. ʒ ij. lithargyri ʒ j. succi plant. aquæ superiori destillatæ an. q. s. olei myrtil. ʒ ij. olei de vitellis ouorum ʒ j. incorporentur simul, & reducantur ad formam nutriti, adde calcitidis ʒ iij. aluminis ʒ ij. sulph. ʒ j. succi citri ʒ j. ß. applicentur noctu, mane verò abluatur facies aqua destillata: si istis medicamentis non cessisset, addidissem argenti viui ʒ j. aut eo plus. Sed cum rubor, & vari euanuissent; nihil opus fuit quidpiam adijcere.

OBSERVATIO XXVI.

Cholera morbus.

ANno, si bene nemini [1664.) antequam pestis Nemausum adoriretur, grassatus est morbus, cholata vocitatus, multos intra 4. dies interficiens. Attamen illi, qui in primis morbi insultibus auxilium petebant, ferè omnes hac curandi methodo euadebant. In primis, cum satis euomuisse ægrotantes conijciebam, ne vires collaberentur, miuam cydoniorum aromatidam, febre non admodum intensa; quod si intensa erat miuam simplicem mane, & vesperi duabus horis ante cibum propinabam ex cochleari argenteo, omni circumscripta potione, aut saltem parcissima concessa, licet ægri inextinguibili siti cruciarentur, quandoquidem potio, & vomitum, & alui fluxum adauget, vnde mors ineuitabilis sequitur. Torpori, & conuulsionibus tibiarum oleo chamemel. calente succurrebam: vomitui verò, & alui fluori embrochis ex oleo nardino, mastichino, cydoniorum, totius ventris regionem irrigabam superaspersis pulueribus coriandri præpar. ros. mastiche, menthæ siccæ, corticis citri sicci, ligni aloes, laudani, nucis moschatæ, coralli vtriusque & similium. Opiata etiam sumebant ex conserua ros. myrob. conditis pulu. margar. & corall. rubri & eboris cum syrup. cydon. & de ribes formatam interdum, si vires validæ erant in morbi principio rhabarb. cum substantia exhibebam, non posthabitis epithematis cardiacis, iisdem remediorum formulis in pueris; tali fluxu, aut colliquatiuo nominato emaciatis, ætate præsertim pro ratione ætatis, iniectis interdum clysteribus etiam, partim roborantibus, partim reficientibus, vti suadebam, & fere omnes salutem, Dei benignitate, adipiscebantur.

OBSERVATIO XXVII.

Hæmorrhoidum dolor, & ani procidentia.

QVidam Insulanus, comitatus Venanyssimi, vehemens hæmorrhoidum dolore torquebatur, qui nullis anodynis præscribi solitis cedebat, nimirum fotibus ex malua herba hæmorrhoidali, floribus tapsi barbati chamemeli, neque vnguentis ex butyro, adipe recenti anseris, gallinæ, oleo de semine lini, atque huiusce farinæ aliis sexcentis quapropter deiecta appetentia, vigiliæ, vires prostratæ subsequutæ erant, sed neque mucro fistulę, per quam clysteres iniiciuntur, in anum intromitti poterat, adeo venę illæ hæmorrhoidales propinqua loca tumefecerant, qua causa fuit cur aluus nullas feces spatio octo dierum excreuit, quamuis cassiam recentem æger bis deuorasset, tandem verò à quodam docto Germano, illac transeunte monitus, multis fotibus ex remollientibus repetitis, vnguentum de succo nummulariæ cum butyro recenti non rancido parari iussi, quo turunda illita, & sensim intromissa dolorem compescui, vnde somnus optatus sensim surreplit, appetentia reuocata fuit. Eidem ægro paulò post intestinum rectum prociduum fuit, quod hoc remedio curatum nunquam postea foras exijt.

℞. Olei mastich. qu. s. in eo bulliant scarabæi N. 8. deinde oleo vngatur intestinum supra asperso puluere putaminum ouorum, ex quibus pulli fuere excluſi, idem Germanus mihi asserebat succum blattariæ itidem mirè dolores omnes hæmorrhoidum mitigare.

OBSERVATIO XXVIII.

Febris Elodes.

DOminus, Richerius, Consiliarius Regius Nemausinus, subito dolore, & grauissimo in inferiori parte metaphreni, cum in horto qui prope ædes suas erat quippiam moliretur, correptus est. Cum autem præ dolore stare non valeret, sed coactus fuerit in lecto decumbere; cepit febricitare, nulla tamen siti premebatur, quod febris non admodum acris eum vrgeret. Præterea nihil illi caput dolebat, satis ex sententia dormiebat. Posterò die sudore totum corpus maduit, nullis medicamentis prouocato, at sponte foras prodeunte, ex quo dolor metaphreni sedatus fuit. Cæterum ab eo multo copiosior sudoris facta fuit emissio, scilicet tanquam ex riuulis vndiqueque diffluentibus emanasse quiuis potuisset conijcere. Et hoc quidem vsque ad nonum diem: nullis etenim diaphasmatis, ad sudores immodicos cohibendos

dos comparatis potuit supprimi, imò nec frequenti ventilatione, nec strangularum reiectione, nec fenestrarum apertione, quo peruius ventis in cubiculum introitus fieret; sed viribus sensim deficientibus, loquendo, & vt dicitur domi suæ disponendo repentina morte præuentus fuit, nullis alijs symptomatibus cum sudore coeuntibus. Iam verò licet, & clysmatis, & medicamentis per aluum euacuantibus vteremur vt naturæ impetum à centro ad superficiem, tandem à superficie ad centrum reuocaremus. Veruntamen auxilia omnia nostra irrita fuerunt, nec vnquam à tanto sudoris effluuio ægrotantem vindicare potuimus. Omitto rationem victus ex solidis, & viscidis alimentis præscriptam fuisse, ne ex subtilibus, humidis, velociterque nutrientibus, eorú quoq; velox, vt ait Hip., per cutem fieret excretio. Itaque omnes Medici vno ore extitisse febrem eam quæ Elodes, aut Typhodes à Gal. nuncupatur, affirmarunt. Nam (inquit) in ea febre parum, aut nihil ex sudore iuuantur ægrotantes, qua de causa plerumque lethalis censetur. Interim notandum, sudorem vsque ad extremum diem manasse calidum, quo quidem die frigidissimus extitit.

OBSERVATIO XXIX.

Paralisis.

NOn possum obliuioni tradere paralysin completam, ita à practicis dictam, matris clarissimi Iurisconsulti, & beneuolentiæ vinculo mihi coniunctissimi D. Fauerij Nemausensis, quarum nata erat annos circiter 64. ea igitur paulò ante vigiliarum occasum, sub vesperam, repentem paralysin dextri lateris incidit, ita vt nec valeret distinctè loqui, nec corpore notæ sufficiebant vires (vt inquit ille) id est artus dextræ partis motu, & sensu destituti fuerant. Huc accedebat summa capitis grauitas, non sine magna ad somnum propensione, & cum ei aluus non liberè flueret, flatim, iniecto clystere, partim ex remollientibus, partim ex herbis capitalibus, in colatura dissoluitur hiera Nicolai cum diaphænico, oleo chamomel. & melle anthos. eoque hinc ad horam electo, cum fæcibus plurima excrementa pituitosa educta fuerunt, sub noctis autem galli cinio iussi deglutiret 7. cataportia ex fœtidis chochijs cum iij. gr. trochisc. alhandal. composita excepta verò syrup. de stœchade, quæ circa auroram tantum pituitæ crassæ, & viscidæ, cum portione quadam biliosi humoris tenuis eduxere, vt iam capitis grauitas; & sopor magna ex parte diminutus videretur. Tertio die sumpsit apozema confectum ex rad. gal. crassæ, calami aromatici, herbis beton. melis. hyrea arthritica, saluia, hyssopo, & cæteris huiusce ordinis, cum oxymel. scilitico de quo quatuor doses diebus sequentib. manè hausit, post quas iteratis cataportijs paulò ante dictis, melius cœpit habere. Nihil dum tamen vel minimum dimouere digitum ex affecta manu potis erat. His peractis; errhynis, & apophlegmatismis excrementa quædam cerebri mucosa per nares, & os electa fuere, ab hinc verò tres dies, manè, & vesperi, dicta de guaiaco, cuius colatura aromatizata erat pulu. nucis moschatæ, (cuius alioqui portiunculam lingua assiduè in ore continebat) interdum etiam diamoscho dulci vsa est, hacque epota cum secundo decocto, spatio 2 5. dierum membra paralysi affecta sensum quendam recuperasse, motumq; obscurum obijsse deprehensa sunt. Sed postquam hypocaustis vbiabunde lapides candentes decocto sol. lauri, lauend. pseudospicæ, flor. vtriusque stœchados, chamem. callytrici, fuerunt extincti; sudor prouocatus fuit, & vnctionibus calidis ex martiato oppoponace, oleo de castorio, de piperibus, vulpino, & cæteris huiusmodi per totam dorsi spinam, & membra affecta, calidè vncta fuit, in totum sanitatem adepta est. Præterea victus ratio per totum morbi curriculum siccans inuncta fuit. Hac methodo à me non pauci sanati sunt, queis artuum, & linguæ motus erat denegatus.

OBSERVATIO XXX.

Melancholia hypochondriaca.

AFfectus existit non admodum frequens, attamen curatu difficilis, cuius malitia vix in facie deregitur, vnde à vulgo ferè derident eo detenti, male se ægrotare dictitantes cum bene se habeant ad ea, quæ offeruntur, & negotia sua interdiu sanorum more plerumque obire valeant; nihilominus tamen varie exagitantur, tum quia insomnes nocte, traducunt; tum quia vaporibus à ventriculo atque hypochondrijs sursum elatis, aurium tinnitibus obtunduntur; multi timorem sibi incutiunt, alij tremores cordis patiuntur, quidam tanquam mente alienati absurda secum submurmurant & vitæ, tædio multa de morte oppetenda animo versant, quosdam rugitus, & murmurilla ex hypochondrijs exeuntia cum multo, & frequenti sputo exercent, nonnulli incendium quoddam in illis partibus, perinde ac si phlegmone obsiderentur, sentiunt. In summa, tantis malorum symptomatum concursibus diuexantur, vt vel exercitatissimis in operibus artis, medicis multum negotij præbeant, antequam illorum ingentem pertinaciam funditus expugnare queant. Hic autem affectus melancholia hypochondria à clarissimis Medicis vocatur, qua diu quidam Franciscanorum, vir Doctus Pibris nomine, alioqui bene habiti corporis & ætatis vigentis inquietatus fuit. Atque adeo huius occasione suggestum, in quo concionabatur, subitò cordis tremore, cum scotomia correptus vacuum relinquere sæpè coactus fuit. Iam verò is ab omnibus ferè prædictis symptomatibus à tribus, aut quatuor annis (vt asserebat) afflictabatur, nec quicquam leuaminis ex tota Tholosatium Monspelienſiumque Medicorum præscriptis se percepisse referebat. Itaque me summè obsecrauit, vt calculum meum reliquis adijcerem; etiamsi ab aliorum sententia desciscere vellem. Respondi me totis viribus (visis atque discussis quibusque schædis) quæ præmanibus habebat, in eorum consensum descendere; attamen non grauate me traditurum, ea quæ longo vsu non tantum in alijs, sed in me ipso, dum adolescentiæ fines non præteribam, felici successu periculum fecerim, fortè enim futurum, inquam, vt inter tot, & tanta remedia, nouissimè tentata sint profutura, spemque aliquam sibi relictam debere, eum præsertim egomet tali affectione laborans, Dei beneficio saluus iamdudum euaserim. Quare verbis meis aures adhibens, animum bonum habuit, vt à tantis malis mea ope, liberatum iri, sibi tandem persuaderet. Nec certe sui ipsius persuasio vana fuit, nam remediorum vsu, à me præscriptorum, intra bimestre spatium optata sanitate potitus est. Illi igitur post traditam victus rationem, parum ad frigidum, & humidum temperamentum declinantem qualia sunt iusculæ ex carnibus caponum, veruecis, hædi bene habiti, cum borragine, & modica lactuca parata, item perdices, turdi pingues, cothurnices, atque huiusce generis aliæ aues assæ modice, pro potu vino concesso oligophoro, aqua larga limpida, & qualitatis experte diluto, atque rubello. At prohibitis caseosis omnibus, & sanguinem crassum, atque melancholiam generantibus proculque semotis animi affectibus, tristitiam timoremque inducentibus. Iussi vt hac clysmatum formula bis in hebdomada vteretur, etiam haud aluo difficulter se exonerante.

℞. Iuris intestinorum veruecis q.s. in eo decoquantur, mal. acanth. borrag. an. M. j. flor. trium cordial. chamem. an. P. j. passul. à gigartis purgat. p. 20. in colatura ℔. j. ß. dissolue cassiæ cum sacch. & cathol. an. ʒ vj. olei viol. ʒ. iij. sacch. rubri Vnc. j. misce fiat clysma, præterea portionem sequentis opiatæ laxatis octauo quoque die sumeret.

℞. Pulp. passular. & sebest. an. Vnc. j. cassiæ recent. è theca sua exemptæ, & cathol. ana Vnc. j. ß. cum syr. violato fiat compositio ad instar opiatæ, de qua sume dr. xv. vel ad summum Vnc. j. ß. manè hora 5. ex colatura decocti bugloss., cicerum rub. passul. glycyr. & flor. cordial. interdum etiam simplicem cassiam sacchar o inuolutam ad Vnc. j. deuoraret, nec permisi vsum vehementiorum catharticorum, nec exagitata morbum committente materia, tanquam crabro (vt est prouerbio) irritatus magis atque magis sæuiret, quandoquidem æquo medicamentis actioribus lacessita, violentius fuerit, ac sursum vapore eius irruente, & vigiliæ, & aurium tinnitus cum cordis palpitatione maiores, molestioresque redderentur; vt hinc non facile symptomatum ferocitas mulceri queat. Tribus aut quatuor diebus post sumptam opiatam præcepi apozema ex Endiuia vtraque borrag. capillaribus vuis passis mundatis, glicyrr. seriatim ebiberet, postridie verò iterùm opiata purgaretur, qua iterata magnam percepit vtilitatem, nimirum sensim vacuata bona parte humoris adusti, atque melancholici. Iam verò paucis: post dies, iussi ingrederetur balneum dulcis aquæ tepidum, manè, ieiuno ventriculo, aluoque exonerata, ibique moreretur, sesqui horam, nullo sudore elicito. In illo incoctę erant, mal. violæ, aliquot folia lact., instabat enim æstatis principium, borrag. fuit autem continuatum balneum 5. aut 6. dies. Aluo suo officio non fugente, injiciebatur præscriptus clyster, atque

his peractis longè se habuit melius, nempe somno reuocato, sedatoque cordis tremore, postremo alienis imaginationibus mentem perturbantibus extinctis, & quum adhuc aurium quidam tinnitus relicti essent, in aures oleo cucumeris asinini cum tantilla castorij portione, instillato, discussi flatus fuerunt. Ad reliquias autem symptomatum hac opiata sequenti cardiaca quam alternis diebus ad Unc. ℥. vsurpabat in totum à tantis periculis perfunctus fuit.

℞. Conseruæ violarum, & bugl. vtriusque ceterach. an. ʒ. j. ß. passul. dulcium recent. à vinaceis purgat. ʒ j. cort. citri saccharo conditi ʒ ij. confect. alchermes ʒ ij. pulu. margarit. electarum ʒ j. cum syrupo de pomis redolentibus simplici. Fiat cardiaca opiata. Denique vt iucũdas hominum conseruationes frequentaret, suasi. Omitto, hypochondrium sinistrum post purgationem fotum fuisse ex decocto mal. flor. tamaris chamemel. chamæd. rad. capar. ceterach. agni, linguæ ceruinæ, adiecta aqua fabrorum: nam lien tumere videbatur.

OBSERVATIO XXXI.

Hysterica passio.

MVlier ex vtero suffocatio frequenter infestat, in vitæque discrimen trahit; maximè, quibus vel menstrua, aliqua occasione fuerunt suppressa, vel à viri societate pudicitiæ aut honoris ergo alienatis, viduitas solitariaue vita cordi est. Aqua tamen difficulter suscitantur quædam quædam nulla ope quamuis prompta arte præstita, in priorem statum referuntur. Quapropter non grauabor aliqua omniũ quæ nouimus præstantissima, aduersus præposteram istam atque periculosam affectionem scribere, quibus illas veluti e xanimes in naturalem constitutionem reddimus. Primum itaque post iniectos clysteres eccoproticos, fiatusque discutientes, cum ijs (quæ loquuntur practici) vterum respiciuntur, qualia sunt Origanum, Arthemisia, Matricaria, herba Cati, stæchas, chamemelum, fem. anisi. cymini, faniculi, baccæ lauri, dissoluta autem Hiera Nicolai, Catholico, oleo rutaceo, & alijs huiusmodi, non neglectis postea cucurbitulis, imò ventri admouendis, frictionibus, inferiores partes calefacientibus, fœtidis, naribus objiciendis, bene olentibus autem, vt gallia moschata, benzoino, styrace, suffitu ab illicu subijciendi postero die catapotia ex hiera Nicolai, vel Ruffi (si vires suadeant) deuorandas præcipio. Cæterum si tam vrgens sit symptoma, vt actionem catapotiorum expectare non patiatur, emplastrum ex Asphalto vmbilico accommodandum erit, aut oleum ex lapide gagate parua copia liniendum, deinde propinanda potio ex decocto artem, in quo camphora selecta, identidem igne accensa, extincta sit. Quod si neque ob hæc excitentur; os aperire cogendæ sunt, si maxillæ (vt sæpe sit) adeo cohæreant, vt potuit non pateat aditus, compage quadam lignea, vel ferro ad id destinato, tùm demùm puluere sol. anagyris ʒ. j. ex aqua destillatitia artem, ingurgitandæ (vt ita loquar) veniunt multas siquidem semimortuas hoc remedio restituimus. Denique semel liberatæ, si menses suppressi suffiocationis occasionem præstiterint; missione sanguinis ex saphena, & pharmacis mẽstrua cientibus, quo tempore consueuerint, sunt prouocandi, non desunt quæ amuleti vice hydrargyrum intra nucis ponticæ corticem inclusum collo gestent, vt se à tanto malo tutas reddant.

OBSERVATIO XXXII.

Vlcus verminosus.

QVidam Vrgensis, claris Parentibus ortus, vlcere cacoethæ, in tibia sinistra infestatus nescio an in curia detentus, an præpostero regimine vsus eo putredinis illud sinit deduci, vt vermiculorum innumerabili preuentu refertum fuerit, adeò excussu difficili, vt nullis medicamenti ad eos interimẽdos, aut fugandos comparatis mirum (quæ comminisci potuimus) cesserint; sed in dies magis ac magis multiplicati, subiecta carne exesa, dolores inferebant intolerabiles. Omitto succum minoris Centaurij, absynthij, persicariæ, fol. perfici, quinimo calcem, & æruginem, & alia sexcenta, vlceri verminoso fuisse admota, at nulla prorsus vtilitate proinde chironis manu potius quam nostra egere videbatur, tũ ad vermiculos carni mordicus adhærentes euellendos, tum ad tam prodigiosum vlcus extirpandum, & ad cicatricem ducendum. Quare medianti mihi aliquandiu, quid tandem aduersus odiosa illa animalia parua agendum esset, subito venit in mentem opilionis cuiusdam canis, qui à lupo in crure demorsus similibus vermiculis torquebatur, sola autem Eupatorij herba ex collo gestatione innumeri quibus vlcus scatebat gregatim decidere. Vnde cum eius herbæ periculum pro spere factum viderim, itidem hoc præstare posse in hoc viro quemadmodum in Cane, analogismo vtens, mihi persuasi, licet hominis temperiem ab animalis huius natura diuersam esse, non fuerim nescius; Itaque ad priscorum medicorum imitationem, voluti remedium, ad hominem transferre; nec me experimentum meum frustratum est, siquidem partim succo illius herbæ vlceri infuso, partim eiusdem ex collo gestationem totam vermium inuolutam congeriem aufugere vidimus, non sine summa Chirurgorum, qui ibi adstabant, & amicorum quorundam admiratione, vtpote cum non qualitatibus manifestis, sed arcana nescio qua proprietate (nullis antea amaris aut acribus, aut acidis proficientibus) præditæ, tantam luem abegerit. Itaque diligenter mundato (vt decebat) vlcere, carne sarcoticis medicamentis restituta, & cute cicatricem ducentibus obdurata, vir ille breui conualuit, qui in alijs postea, & potissimum in vterinis animalibus, simili morbo affectis, hoc experimentum ex sententia successisse mihi affirmauit.

OBSERVATIO XXXIII.

Hydrops à calida intemperie.

ILlustri loco nata mulier Nemausina, ascite grauiter laborans quamuis laudata victus ratione vteretur, à potuq; nisi parcissime abstineret, attamen eius venter, crura quoque in tantam mollem excreuerunt, vt respirandi progrediendique vsum ademerit. Cum vero paucis ante diebus, apoze mata, opiatas, & decocta quædam à D. Schironio præscripta sumpsisset; detumuerant quidem aliquanti per crura, & venter. Cæterum errore bibendi repetito, maior, & tumoris moles, & respirationi facta fuit læsio, quapropter, postquam narrata omnia mihi fuerunt ordine, quæcunq; fuerant illi administrata, inspecto primùm lotio, eoq; admodum rubro; Iudicaui non tantum hepar intemperie calida laborare; sed etiam rudimenta nonnulla inflammationis significari, quę tam duri tumoris in hypochondrio dextro recisionem præstaret. Quare sumptis, & admotis ijs, quem intemperiem calidam iecoris corrigerent, cataplasma regioni hepatis admoueri curauimus, sed in primis potu cuiuscunque liquoris interdicto; qui ad sitim sedandam paratus esset quandoquidem stultum est ei potum propinare, à quo maior irritatus sitis, vt adeò non temere ab Ouidio dictum sit. *Quot plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.* Cataplasma fuit huiusmodi.

℞. Micæ panis syncomisti ß. j. dactyl. à pellicul. s, & ossibus mundator. p. xij. ficuum passularum cum suis gigartis an. p. x. coquantur in aqua, & aceto, donec mollescant. Deinde per setaceum colentur, colaturæ adde schænanti, myrrhæ, spicæ celticæ, santali albi, & rubri, & rosarum rubrarũ an. ʒ. ij. olei amygdalarum amararum nardini & de absynthio an. ʒ. iij. fiat cataplasma, quod tepidum applicetur regioni hepatis, mane, tribus horis ante prandium. Hoc de cataplasmate seu mantis emplastro, spatio 6. aut 7. dierum admoto, & tumor sensim decrescere, & omnia symptomata sedari cœpere, quibus peractis, ad serosum humorem discutiendum me conuerti: in quem finem vsus sum cataplasmate, facto ex rumentis, coriorum, recenter ex calce paratorum, aqua sola coctis, ad putrilaginem vsque hæc enim præstantissimam vim tum flatus dirigendi, tum humorem aquosum euocandi sortita sunt quemadmodum in hac muliere experti sumus, siquidem post tertiam, aut quartam inunctionem, (hepate tamen defenso, ex vnguento rosato, & cerato, santalino,) in totum venter subsedit, atque adeò frequenti vsu opiatæ, quæ recipit conseruæ flor. tamarisci, cichorij, cereracb. capilli ven. an. ʒ. j. corticis citri saccharo conditi, conseruæ rad. apij an. ʒ. ß. pulueris elect. triasantal. ʒ. ij. trochisc. diatrhod. de Eupatorio an. ʒ. j. opiatam recuperauit sanitatem.

OBSERVATIO XXXIV.

Erysipelas, herpes, & lichenes.

DOmina de Colias, vxor D. Albenasij iudicis Legati, rerum priuatarum curiæ Nemausensis, sæpe numero dum ætatem consistentiæ ageret, veto Erisypelate faciem occupante detinebatur; ingraueſcente autem ætate tandem herpete miliari, quo tempore Erisypelas suas sedes figebat,

tota

tota fuit facies notata. Porrò hic herpes plurimum Medicis exhibuit negotij. Nam nec purgatione neque remedijs extrinsecus admotis, vlcerationem prohibere potuimus, curatu pertinacem. Cæterum post alia atque alia vsurpata vnguenta, hoc demum inculpatam sanitatem restituit.

℞. Vnguenti delithargyro ℥.j. argenti viui, succo limonum extincti ℥ß. tutiæ præpar. ℥ iij. ceruſæ, & lapidis calaminaris an. ℥. ij. aquę roſarum, & aceti roſati an. ℥j. ß. agitentur omnia in mortario, & piſtillo plumbeis. Poſt exactam hepatis curationem, conqueſta eſt mecum de quibuſdam lichenibus per cutem quotannis redeuntibus, adeò ſuas radices altè agentibus, vt ſedes ſuas niſi poſt ſemeſtre ſpatium non relinquerent. Hoc igitur linimentum intra 3. aut 4. dies exterebat lichenes.

℞. Styracis liquidæ olei roſati completi ana ℥ß. agitentur ſimul in mortario, donec optime mixta fuerint, iſque mane, ac veſperi tricabantur lichenes, contra eos etiam efficax aqua heliotropij.

OBSERVATIO XXXV.

Mammellarum fiſſura, & hircus alarum.

NObilis quædam matrona Nemauſina ſemper partu, edito, dolore acerbiſſimo impacillis propter vlcuſcula quædam excitato ſolebat tentari, quæ nec vnguentis, nec lotionibus ſiccari poterant, multo verò minus, dolor mitigari. Me igitur conſulens, quid agendum iudicarem aduerſus tam importuna mala, iniunxi, vt poſt hac dum gereret vterum, menſe vno ante partum aqua deſtillatitia Rhois papillas ſæpè abluereret, quod cum feciſſet, proximo puerperio grauida nullis imposterùm vlcuſculi fuit inquietata, hoc remedio deinceps vſæ ſunt mulieres non paucæ, quæ ſimilibus vlceribus obnoxiæ erant fœtu edito, maximo adiumento. Iam verò, cum forte oſtenſis mammis, ex alis ipſius, (quia hircum olebant,) grauis & odioſus odor expiraret, me obnixè rogauit, vt ſi quid eſſet, quod hunc fetrum odorem (cum is inuiſas hominibus reddat mulieres) aboleret, id ipſi impertirem, vnguento ex puluere lithargyri auri compoſitorum aceto roſato, quo mane, & veſperi axillas illiniret, fœdus ille odor in totum.

OBSERVATIO XXXVI.

Catarrhus ferrinus, & aphtę, cum Phthiſeos periculo.

MVlier quadam Vrgenenſis per totum hyemem tenui, & acri ad pectus defluente deſtillatione, ita nocte, & interdum vexabatur, vt inquieta tuſſiendo, & exſcreando vſque ſedere coacta eſſet, nec interim euacuationibus, reuulſionibus, diuerſionibuſque per cucurbitulas, & frictiones, deſtillatio cedebat: hic deiecta appetentia, inſomnia, cruditas ventriculi, mulierem tam macilentam reddiderunt, vt Phthiſeos graue periculum immineret. Proinde ſequenti opiata, ſomno captato, emplaſtroque ex ammoniaco, thure, maſtiche, nuce moſchata, nigella torrefacta futuræ coronali capitis accomodato, tuſſi ſedata, appetentiaque ſenſim reſtituta in priſtinam habitudinem rediit, erat autem opiata huiuſmodi.

℞. Conſeruæ roſar. antiquæ ℥. ß. diacodij cum ſapa ℥. ij. puluer. diarragach. ℈. j. miſce, fiat opiata ſub lingua, vel inter cratliores dentes, & muſculos internus maſtetereſ tenenda hora qua ſomnus noctu captandus venit, & quia actis illa deſtillatio aphthas excitauerat, ad eas exterendas, hoc remedio à me præſcripto vſa eſt.

℞. Tribuli terreſtris, & capriſolij ana m. j. hordei integri p. j. fiat decoctio ad vnc. viij. in colatura diſſolue ſuccimalorum punicorum dulcacidorum ℥ij. miſce. Hoc decocto colluebat ſæpe os, & breui temporis ſpatio vlcera quibus illud ſcatebat curata fuerunt; ſed paucis poſt diebus, recrudeſcente morbo, coacto fuit cruſtas vlcerum oleo ex Mercurio leuiter illinire, quo cato decciderunt, nec impoſterum vllum veſtigium eorum relictum fuit.

OBSERVATIO XXXVII.

Ructus acidus.

DConſiliarius Regius, cognomine Chefdebien, filius adoptatus D. Chefdebien, Quæſtoris, Regij, longo temporis interuallo Monſpeſſuli laborauerat, oxyremia, & cum ibi varijs medicamentis tum aſſumptis, tum admotis vſus nihil aut parum proficeret: imò in dies ſe emaciari perciperet, nimirùm ſubſtracto nihil appetendo corpori alimento, tandem cogitauit aeris mutandi gratia ſolum vertere, atque adeo Vrgenum properare, quo cum veniſſet, atque forte fortuna mihi obuiam occurriſſet, occaſione mihi ſui aduentus explicata, ſuaſis bonam ſpem de ſanitate priſtinam recuperanda haberet (ille etenim vix ſe in integrum poſſe reſtitui ſibi perſuaſerat) quin affectum non adeo eſſe curatu difficilem vt non, vel vnius aſſis pretio euinci poſſit. Cumque primum meis monitis parum fidei adhiberet, attamen euici tandem, vt grana 5. aut 6. piperis integra manè, quinque horis ante prandium, ieiunus deglutiret: quod quum peregiſſet, ſpatio trium, aut quatuor dierum, nullum in poſterum percepit oxyregmię veſtigium, cumque antea maxime illi fuiſſet deiecta appetentia, inde adeo vires ventriculi fuere collectæ, vt poſtea auidè cibum caperet atque concoqueret, ex quo & totum corpus reſocillari, & eius ſubſtantia aſſumpta reparari viſa eſt.

MEDICAMENTA QVÆDAM Riueriana.

A*Reanum Nephriticum* ℞. ocul. Gemin. cum ſpir. ſalis im. præparat. ℥. ij. ſpec. lichontript. offic. ℥. j. ß. ſem. ſaxifrag. milij ſolis an. ℥j. Cinam. ℈. ij. ſalis api, petroſel. onon. an. ℈. j. Sacchari cant. ad pondus omnium M. f. puluis, qui ſumatur in ſequenti ad ℞. aq. heder. terreſtr. ℥. j. petroſ. onon. parietar. ceraſ. nucl. ana Vnc. i. ß. Spir. iuniperi Vnc. i. ß. ſalis dr. ß. m.

Puluis diaphoreticus. ℞. Antim. diaphor. ℥. ß. bezoardici miner. ℈. ß. bexoar. or. ℈. ß. Lap. prunell. gr. xv. Camphoræ gr. v. m. doſis ℈. i.

Puluis cephalicus ſpecificus eſt puluis Riuerii de Gutetta mixtu cum ſeq. ℞. Cinn. antim. Magiſtr. Corall. perlar. cranii humani vugul. alcis an.

Puluis aperiens. ℞. Antimon. diaphoret. ſal. tamariſci, abſynth. crem. Tart. æqual. part. addito pauxillo ſpir. ſulphuris & ſantal. rubri.

Pilulæ Catholicæ componuntur ex Panch. Crolii ſcr. i. & Mercur. dulc. ſcr. ß.

Antiuenereum in pilulas redactum ſit ex Mercurio dulci cum extr. helleborj nigri, aloes, & diacrad.

Pilulæ ad morbos deploratos. ℞. maſſ. pilul. Ruffi ℥. j. Antimon. diaphoreti, gummi Guaiaci an. Vnc. ß. Cum balſ. Peruu. f. pilul. doſis ſcr. j. per 30. dies, ſi aluus ſoluenda add. Scammon. ſulph. gran. iij.

Spiritus diureticus, eſt Spir. Tartari ter rectific. vid. p. 194. 2.

Sal diureticum, eſt Sal Tartar.

Piſanæ laxantis deſcriptionem vid. p. 440. 1. fin.

Calomelas Torqueti, eſt Mercurius dulcis, ſexies aut ſepties ſublimatus p. 462. 2. vtitur eo Author. p. 3. 2. & 474. 1. 398. 2. 240. 1. 428. 1. 434. 1. 463. 1.

FINIS.

INDEX

RERUM ET VERBORUM, QUÆ IN HOC OPERE Passim continentur, in prioribus editionibus tripartitus, sed in hac postrema ob faciliorem Lectoris indaginem, & inuentionem in vnum congestos.

Num. 1. denotat pag. & 2. columnas.

A

Absessus legitimi qui. 32.1
Absessus futuri signa. 90.2
Absessus qui mali. ibid.
Absessus abdominis. 487.2
Absessus iuxta spinam dorsi. 508
Absessus in sterno. 563.1
Absessus in abdomine. 567
Alter absessus in abdomine. ibid
Absessus lumborum ad renes penetrans. 571
Abdominis musculorum inflammatorum signa. 325
Abortus quid. 402
Abortus causæ internæ, & externæ. ibid.
Abortus præcautio. 479
Ab aborsu symptomata. 481
Abortus sæpe per phlebotomiam in grauidis præcauetur. 399.1.& 2.
Abortus gemelorum cur frequentior. 400
Abortum cur indicet mammarum extenuatio. ibid. 2.
Abortum cum afficiat tenesmus. ibid.
Abortus futuri signa. ibid.
Abortus imminentis signa. ibid.
Abortus periculosior quàm verus partus. 401
Abortum quæ symptomata, & morbi sequantur. ibid.
Abortus curatio in præseruatione consistit. ibid.
Abortum quæ impediant vi specifica. ibid.
Abortum coitus sæpe procurat. 402
Abortus imminentis curatio. ibid.
Abortus cur magis contingat primis, & vltimis gestationis mensibus. 400
Absinthij sale cum succo limonum vomitus in febre maligna curatur. 455.1
Absinthij vsus in tertiana intermittente longiori. 435
Absinthij decoctum cum senna, in quartana vtilissimum. 440
Absinthij Pontici conserua nonnulli hydropici curati. 333
Absinthij succus vel decoctum in melancholia hypochondriaca laudatus. 342
Accessiones longiores quid arguant. 60
Accidentium essentia vnde pendeat. 26
Accretio quid. 19
Anutritione realiter distinguitur. ibid.
Accretionis terminus quis. ibid.
Acetosa. 101
Acetum non permiscendum medicamentis, somnum conciliantibus. 132
Acetum commendatur in affectibus lienis. 338
Acida pituita quid? 11
Acida in biliosis febribus cur vsurpanda? 350
Acida humorem melancholicum fermentare creditur. 430.1
Acida, & acuta appetere, quam res absurdas, in pica melius. 255.
Acidus ructus cur dysenteriæ longè superueniens salutar. ib.
Acida quibus morbis non conueniant. 428
Acida amara dulcificantur? ibid.2
Acida cur febribus pestilentibus conueniant? 549.2
Actio læsa præcipuum symptoma morbi. 40
Differentia actionum læsarum. ibid.
Actionum læsarum causæ. ibid.
Actiones naturales quæ malæ. 70.1
Acutus morbus. 29
Acuti morbi quando iudicentur. 89
Acuti morbi signa. 58
Adeps an sit pars corporis. 15
Adnatæ tunicæ affectus. 45
vlcera. 49
Adolescentum victus. 99
Adstritio quid. 29
Adstritio vnde producatur? 39
Adstringentia medicamenta. 241
Aegylops & anchylops in quo differant. 218
Aegylops cum inflammatione, & sine inflammatione. ibid.
curatio. ibid.
Aeris qualitates. 1 22
Aer qualis esse debeat ad curationem frigidæ, & humidæ cerebri intemperiei. 170
Aeris Aquilonaris incommoda. 171
Aer nocturnus cerebro frigido, & humido inimicus. ibid.
Aer in febribus quomodo refrigerandus. 427.1
Aer ambiens pestilentium febrium præcipua causa. 279
Aer à quibus causis vitiosus euadat. 443.1
Aeris in primis qualitatibus excessus, quomodo sit causa febris pestilentis? ibid.1.& 2
Aer quomodo alteretur ab influxu syderum. ibid.2
Aer in constitutione pestilenti quomodo corrigendus. 449.1
Aeris in aure implantati motus causæ. 224
Aeris peculiaris vitio dysenteriæ epidemicæ excitantur. 405
Aer frigidus an hecticæ febri conueniat? 422.2
Aequiuocageneratio. 19
Aeruginosa bilis quid? 10
Aeruginosa bilis an præter naturalis, & vnde procreet. 56
Aestatis temperamentum. 7.1
Aestatis victus. 99
Aestatis qualitates. 107
Aestus in toto corpore acuti index. 56
Aetatum temperamenta. 6
Affectio hysterica æmula. 482
Affectus soporosus hypnotico curatus. 496
Agaricus specificus ad absessum in angina rumpendum. 252
Agnina caro. 125
Albulgo, seu leuconta, quid. 210
Eius causæ. ibid.
curatio. 211
Albuginis à cicatrice productæ remedia melli permiscenda. ibid.

Aloes vngulas specificum in hysterica passione. 384
Alchekengi fructus, & vinum ad calculum. 354
ad Ischuriam. 367
Alexipharmaca in febribus malignis, diaphoretica, & sudorifica quando exhibenda? 452
Allex pharmacorum variæ classes. ibid.
Alexipharmaca diaphoretica in vera peste statim initio vsurpandi. ibid.
Alexipharmacorum diaphoreticorum varij gradus. ibid.
Alexipharmaca ad variolos. 459
Alibilis humor quid, 7
Alimenta calida quomodo calefaciant. 38.39
Alimentorum excessus refrigerat. ibid.
Alimentorum qualitas, & ordo sumendi. 95
Alimentorum præparatio. 98.2
Alimentorum quantitas quæ necessaria. 94.2
Alimentorum vitia. 279
Alimenta concoctu faciliora, vel difficiliora redduntur ex coquendi, & condendi ratione. ibid.
Alimenta, calculi materiam suppeditantia. 350.1
Alimentorum prauitatis causæ. 443.2
Allium. 274.1
Allium, & cæpe auditui nocent. 222.2
Allij hortensis vis ad menses mouendos, & conceptionem iuuandam. 350
Ad præcauendam arthritidem. 417.1
Aloes in singultu maxime commendatur. 141.1
Aloe tusa, cum lacte exhibita, ad vlcera renum, & vesicæ. 62.1
Aloe puluerisata, & in pilam redacta, commendatur ad epiphoram. 220.1
Alteratio exsiccat. 39
Interdum humectat. 20.21
Alteratrix facultas quid sit; ibid.
Alui fluxus. 497.2
Alui fluxus quando malus. 86.2
Alui fluxus diuturnus cum vlcere recti intestini. 499.2
Alui fluxus in puero. 506.2
Alui fluxus diuturnus, & dolor capitis contumax. ibid.
Aluus adstricta. 512.2
Alui fluxus diuturnus cum febre lenta. 534.1
Alui fluxus cruentus. 539.2
Alui fluxus cholericus febribus intermittentibus superueniens. 547.1
Alui constrictio lethali. 97
Alui adstrictæ incommoda, & causæ. 298.1
curatio. 301.2
Alui fluxus inueterati per venerem exsiccantur. 309.2
Alui fluxus hecticæ superueniens, quomodo curandus. 475.1
Alui fluxus authoris longior ouis induratis aceto intinctis curatus. 286.1
Alui fluxus differentiæ. 304.1
vnde desumantur. ibid.
Alui fluxu criticus quibus contingat. ibid.
Alui fluxus grauidis abortum minatur. 305
Alui fluxus symptomatici curatio. ibid.
Et vomitus, & venæ sectio conueniunt. ibid.
quales cysteres. ibid.
Alui fluxus quando salutaris in hydrope. 333.2
Alui fluxus incertum præsagium in febre pestilenti. 451.2
Alui fluxus tertiana intermittens terminatur. 517.2
Alui fluxus symptomatici in febribus putridis superuenientis curatio. 434.2
Aluminosa aqua quomodo calefaciat. 40.1
Amara dulcificantur per acida. 429.1
Amarities in lingua quid significet. ibid.
Amaurosis, seu gutta serena quid? 203
eius causæ. ibid.
Amaurosis ad adstrictione facta facilius curatur quàm ea, quæ fit ab obstructione. 205
Amauroseos curatio. ibid.
Amaurosi vena sectio aliquando conuenit. 206
Ambræ griseæ vsus in melancholia hypochondriaca. 342
Ambra grisea ventriculum roborat. 283
Ambusta. 99
Amnios quid? 23
Ammi semen ad curandam sterilitatem maxime prædicatur. 391.1
Ameos semen cantharidum nocumentum impedit. 450.1
Amuleta ad suffocationem hystericam. 285.2
Amuleta proprietate quadam aduersantia pharmacis, occulta vi sterilitatem inducentibus. 398.2
Amygdala. 104.1
Amygdalarū dulciū oleū in calculo renū cōmendatur. 131.2
Amygdalæ amaræ calculos renum imminuunt. 356.1
Anacatharsis libera, & liberalis, fieri incipiens, venæ sectionem debortatur. 259.1
Anachartasi expurgata materia ex pectore per pulmones transumitur. 258.2
Anacatharsim promouentia in pleuritide. 260.1
Anacollemata in hæmorrhagia. 338.2
Ἀνασυρσιγγὰ signa. 45
Anasarca quid? Eius causæ. 335.1
Anasarca inter species hydropis minus habet periculi. ibid.
Anasarca sudorifica semper prosunt. ibid.
Ἀνασωμοι quid, causæ? 236.1. & 255.1
Anastomosis quando fiat? 195.2
Aneurisma. 619.533.1 & 569.1
Aneurismatis varia exempla. 440
Sæpe melancholia hypochondriaca incurabilis. ibid.
Anchylops. 564
Angina. 538.3
Angina quid. 249.2
Eius differentiæ. ibid.
causæ. 250.2
curatio. 162.1
Angina laborantes cur liquida difficilius, solida verò facilius deglutiant. 249.2
Anginæ cur viri magis obnoxij, quam fœminæ. 250.1
Angina facilè in peripneumoniam mutatur. ibid.
Angina laborantib. cur spuma circa os apparēs lethalis. 251.1
Anginæ copiosa venę sectio vtilis. ibid.
Anginæ quando conueniat purgatio. ibid.
Anginę conferunt cucurbitulæ, sub mento scarificata. ibid.
Anginosus profundis scarificationibus sub maxillis, & supra collum curatus. ibid.
Anginosis abscessus quomodo rumpendus. 252.1
Anginæ abscessus ruptus quomodo curandus. 253.1
Angina quomodo oriatur. 28
Anhelitus acidus lumbricorum in pueris indicium. 313.2
Animaduersiones practicæ circa febres malignas. 345.2
Animi deliquium ex venæ sectione. 551.1
Animalis spiritus quis, & vbi generetur. 13.1
Probatur dari. ibid.
cibi ex Animalibus. 104.105. & seqq.
Animata quomodo calefaciant. 39.1
Animalia, aut eorum partes capiti admouenda in febre maligna ad dolorem capitis, & vigilias. 454.2
malè in principio phrenitidis admouentur. ibid.
Animalia recenter mactata, per medium secta, & applicata in phrenitide. 191
Annorum diuersitas a qua causa dependeat. 444
Ani affectus. 318.1
Anodyna medicamenta. 142.1
Anodynum ad dolores impetiginum. 551.2
Anodyna medicamenta ad dolores arthriticos. 412.2. 413.2
Anodyna in conuulsione. 183.1
in ophtalmia. 213.2
in aurium dolore. 231
in pleuritide. 259.1
in cancro depascente. 217.1
Anodyngglandes ad dolore vesicæ leniendos. 263.2
288.1
Ἀνορ. ξια. 55
Anorexia magnum morbum arguit. 106.1
Anseres. 33.1
Antecedentia signia criseos. 60.1
Anticipatio accessionis quid notet? 38.2
Antiperistasi calefacit. 448.2
Anthraces in febre pestilenti qui boni, qui praui. 175.1
Antimonij vsus in letbargo, & soporosis affectibus. 189.1
in paralysi. ibid.
in mania. ibid.
Antimonium diaphoreticum ad curationem hydropis. 335.2
Antimonium à prudenti, & perito medico exhiberi debet. 435.2 271.2
Antimonium diaphoreticum ad phthisim. 334.2
ad hydropem. 415.2
Antipodagrica varia. 344.2
Antiscorbutorum vos à sale quodam volatili depēdet. 148.2
Ἀπεψία. Ape-

Apepsia magnum morbum denotat. 219.2
Aphthæ quid? 247.1
Earum curatio. ib.
Aphthæ contumaciſſimæ. 518.2
Aphtharum peſtilentiam differentiæ. 446
Aphthas in ventriculo facit incautus limonij ſucci vſus. 353
Apnœa quid. 254
Apophlegmatiſmi tabi obnoxijs infenſi, eorum formidæ. 177
Apophlegmatiſmi in Aſthmate non conueniunt. 2
Apoplexia lethalis quæ. 63
In Apopleſia cur ſenſus, & motus in toto corpore pereant. 31.1
Apoplexia in quo differat ab alijs affectibus ſoporoſis. 173
Apoplexia fortis qualis ſit. 174
Apoplexiæ quando febris ſalutaris. ib.
Apoplecticis ἐπιδρομὴ ſuperueniens mala. ib.
Apoplexiæ venæ ſectio interdum neceſſaria. ib.
Apoplecticis ingularium ſectio conuenit. 176
Apoplecticis fortius catharticum exhibendum. ib.
thoracis parti, aut hypochondrijs nocent. 176
Apoplecticis ab humore melancholico hæmorrhoidum fluxus vtilis. 177
Apoplexia quomodo diſtinguatur ab hyſterica paſſione. 278
Apoplecticæ aquæ variæ. 176
Ἀποσκοπεῖν. 278
Apoſitia magicum morbum arguit. 219
Apozema alterans. 148
purgant. 145
Apozema alterans, & purgans in frigida humida cerebri intemperie. 171
purgans in gutta ſerena. 204
purgans ad inappetentiam à frigida cauſa. 280
Apozema abſtergens, & purgans ad ventriculi in appetentiam. ib.
ſimpliciter abſtergens in vlcere ventriculi. 296
bilem euacuans. 332
aperiens, & laxans. 326.327
phlegmagogum, & hydragogum. 338
aperiens, & purgans in melancholia hypochondriaca. 341
Apozema ſanguinis feruorem temperans in mictu ſanguinis. 361
incidens, & purgans in febre quartana contumaci. 439
Apparitionis menſis. 203
Appetentia quæ mala. 72
Appetitus naturalis eauſæ. 378
Appetitus deprauatus ventriculi vtrum feratur ad ſimilia, vel contraria. 283
Appetentiam excitant acida. 195
Appetentiæ deprauatæ cauſæ. 281.284
Aquæ. 280 281
Aquæ apoplecticæ. 176.2
Aqua frigida per accidens calefacit. 8
Aqua ſingularis in paralyſi. 180
Aquæ hyrundinum laus in conuulſione. 184
in Epileſia. 186
Aquæ acidulæ in epilepſia ſympatica. ibid.
Aqua nucum in recenti catarrho. 199
Aquæ ſingulares in ſuffuſione. 208
in ophtalmia. 214
corneæ cancro. 115
ſurditate. 222
Aquæ fraxini ad ſurditatem. 223
auris dolorem. 230
Aqua ſublimata ad vlcera narium, eius compoſitio. 233
Aqua benedicta ad curationem arginæ. 251
Aquæ ad hæmoptoen. 265
Aquæ ſtillatitiæ reſtaurantes. 277
Aquæ claretæ compoſitio. 2 0
Aqua imperialis ad vomitum. 290
Aqua copia luxuriãs in pericardio, palpitationẽ excitat. 191
Aqua ex hydrargyri cruda infuſione aduerſus lumbricos 315.1.& 2.
Aquæ minerales vitriolatæ hepar refrigerant. 314
earum in hydrope à cauſa calida vſus. 357
in melancholia hypocondriaca. 342
ad præcauendam arthritidem biliоſam. 416
Aquarum mineralium acidularum dotes. 430
vtiles in mictu ſanguinis à renum calculo. 361
Aqua ferrata, vel chalybeata lienem imminuit. 336
Aquarum thermalium potus an conueniat in melancholia hypocondriaca. 341
in iſchuria, & ſtrangluria à pituita. 367
ad Cloroſim. 372
Aqua extinctionis auri, pro potu ordinario, in melancholia hypochondriaca. 342
Aquę calculum imminuentes. 35
Aquæ minerales aluminoſæ & ferratæ vtiliter vſurpantur in vlcere renum, & veſicæ. 353
in dyſuria. 368
fluxu menſium immodico. 375
Aquæ menſes prouocantes in ſuppreſſionum menſium. 207
fluxum menſium immodicum cohibentes. 375
Aqua refrigerans, & ſemen extingues in furore vterino. 379
Aquæ hyſtericæ. 384
Aqua, ſeu ſeroſa materia, in cauitate vteri quomodo contineatur. 391
Aqua à liene ad omentum per quem ductum ferat ur. 318
Aquæ conceptionem adiuuans. 371
Aqua reſoluentes ad arthritidem. 413
Aquæ frigidæ exhibendæ in ſynocho ſimplici cautiones. 421
cur illius vſus obſoleuit. ibid.
quando conueniat in febre hectica. 424
Aquæ in febribus cõtinuis putridis an poſſit tutò exhib. 430
Aqua benedicta ex troco metallorum fit. 435
febres tertiana vt plurimum eradicat. ibid.
Aquæ theriacali laus in febre peſtilenti, eius varię deſcriptiones. 453
Aqua deſtillata è pedibus vitulinis ad variolarum cicatrices implendas. ibid.
Aqua calcis ad ſcirrhum lienis. 328
Aquæ ex vtero profuſæ varia exempla. 391
Aquæ thermales ſulphureæ nitroſæ, ac bituminoſæ cerebrum roborant, & exſiccant. 172
Aqua frigida facies aſperſa quomodo hæmorrhagiam ſiſtat.
Aquei humoris affectus. 26
Arantiorum corticum decoctum ſanguinis profluuium immodicum curat. 355
Ardentis febris eſſentia, differentiæ, & cauſæ. 424
ſigna pathognomonica. 427
Arenulæ excretæ quid notent. 49
Arenulæ frequenter in vrina excretæ an calculum ſemper indicent. 351
Hipp. Aphor. 79 ſect. 4. explicatur. 257
Argentum viuum, ſed crudum an exhiberi poſſit in curatione vermium. 315
Ariſtolochię decoctũ cõmendatur in vlceribus curãdis. 394
Aromata bilem generant. 211
Aromata quomodo calefaciant. 205
Aromata in cibis vſurpata frigidis affectibus proſunt. 157
Arteriæ vulnus quomodo noſcatur. 49
Arteriæ quomodo impleantur. 20
Arterialis ſanguis quis. 8
Arthemiſiæ ſal, & conſerua ad choloroſim. 371.1.2
Arthritis. 468
Arthritica medicamenta. 310
Arthritis ſcorbatica quid differat à vera arthritide. 344
Arthritis quid. 409
differentiæ. ibid.1 & 2
Arthritidis humor raro in cauitatem articulorum influit. ib.
Arthritidis humor, in partes neruoſas, & membranoſas fluens, cur non faciat conuulſionem. ibid 1
Arthritidis cauſæ internæ. 318
externæ. ibid 2
Arthritide comitens humor, à quibus partibus effluat. 296.2
Arthritis cur veneris, & bacchi filia dicatur. ibid.2
Arthritidis imminentis ſigna. 151
præſentis. 409
cauſarum ſigna. ibid.
Arthritis cum duratione contumaciſſima. ibid.
Arthritici qui ſanari poſſint. ibid.1.& 2
Arthritis quando periculoſa. ibid.2
Arthritidi ſtatim ab initio conuenientiſſima eſt ſanguinis detractio. ibid.
itidem & purgatio. ibid.
cautiones in ea obſeruandæ. ibid.
Arthritidi an conferant vomitoria itidem, & ſudorifica. ib.
topica ſtatim vſurpanda. ibid.2
Arthriticis pinguedines, & olea exterius admota an conueniant. 412
Arthritidi incipienti an repellentia conueniant. 413

Arthritidis prophylaxis. 415
Arthriticis vinum maximè noxium. ibid.2
Arthriticis cur longæuitatem interdum efferat. 416
Arthritis in quo differat à rheumatismo. 417
Articoca. 104
Articulorum abscessu tentandorum signa. 90
Articulorum affectus. 409
Articulos occupantes dolores an omnes sint arthritici. ib 2
Articulorum dispositio ad recipiendam arthritidem qualis sit. 410
Articulos causæ debilitantes. ibid.
Articulos roborantia. 446
Asarum, mediocre vomitorium in febre tertiana intermittente. 435
febris quartanæ maxime proficuum. 440
Ascites quid. 22
causæ. 150
Aselli seu mille pedes ad asthma. 256
ad vesicæ calculum. 259
ad renum calculum dissoluendum. 253
ad vrinæ suppressionem. 266
ad sedandos dolores aurium. 230
Asininum lac. Vide lac asininum. ibid.
Ἀσφυξία in quo differat à syncope. 272
Assa elixis facilius inflammantur. 422
assatio. 18
Assidentia signa. 545
Assodis febris essentia, & causæ. 425
Astma. 254
Eius causæ. ibid.2
Astma flatulentum. ibid.2
Asthmatis causa interdū ab hepate, & venis proficiscitur. 251
Astmati pleuritis, aut peripneumonia superueniens lethalis. ibid.2.
Astmati vomitoria maximè conueniunt. ibid.2
Asthmatis curatio in paroxysmo. 80
extra paroxysmum. ibid.2
Asthma, per peripneumonia, cordis palpitatio. 530
Asthma & hydrops. 515
Asthma quando periculosum. 63
Asthma. 515
Aspectus lunæ cum Zodiaci signo, & loco, in quo erat initio morbi, ad crisin est obseruandus. 36
Asperitas quid sit. 33
Asperitas vnde oriatur. 34
Astringentium moderatus debeat esse vsus. 375
aduertenda in astringentium vsu ad mensiū suppressionē. 376
Astringentibus quando locus in dolore dentium. 245
in dysenteria. 311
Astrorum in hæc inferiora actiones. 443
Astrorum influxus an morbos pestilentes excitet. 444
Atrabilaris quid sit, & eius differentiæ. 11
Atrabilarij ofores proditores. 23
Atrophia quomodo noceat. 28
Attractio per quid fiat. 17
Attractris facultas sit? ibid.
Auctrix facultas. 19
Auctio siue acretio quomodo fiat. ibid.2
Auditus quid. 21
Auditus in bilios is acutus. ibid.
Auditus signa lethalia. 44
Auditus grauis causæ. 49
curatio. 221
Auditio melius fit obturatis auribus, & aperto ore. ibid.
Auditus exquisitior tinnitum aurium quomodo efficiat? ib.2
Auditus grauis facilè in surditatem degenerat. ibid.
Auditus instrumentorum cum loquelæ instrumentis consensus. 222
Auellanæ nuces, calculos expellunt. 355
Auena. 270
Aues cur durissima plantarum semina dissoluent. 287
Augmentum morbi. 29
Aurium dolores quando periculosi. 67
Auri fabri tremoribus obnoxij, à vaporibus hydrargyri. 89
Aurem interiorem vellicando cur tussis excitetur. 54
Aurium cauitati inserta quomodo auferenda? 222
Aurium sonnitus. 229
causæ. 224
differentiæ. ibid.
signa. ibid.
curatio. ibid.
Aurium tinnitus à lue venerea ortus difficilimè curatur. ib.2
Aurium dolor. ibid.
causæ. ibid.
Aurium dolorem cucurbitula scarificata, pone aures apposita, multum iuuat. 239
Aurium inflammatio topicis sedenda. 230
In ea vitentur potenter repellentia. ibid.2
Auris suppuratæ curatio. ibid.
Auris vlcera qnomodo curanda. 231
Aurium excreta præter naturam. 232
Autumni temperamentum. 7
Autumni victus. 99
Autumni qualitates. 113
Autumnalis aer acrium destillationum causa. 268
Autumno incipiente, catharri maximè fiunt. 197
Axungia anatis laudatur in conuulsione. 183

B

Albi qui sint. 196
Balbos inter, & traulos differentia. ibid.
Balbutiei causa. ibid.
Balerucanarum aquarum dosis ad calculi prophylaxim. 351
ad vrinæ suppressionem à pituita mucilaginosa. 368
ad chlorosim. 371
ad suffocationis hystericæ prophylaxim. 380
Balneum. 152
Balneum calidius. 549
Balnea ex oleo puro conuulsioni conferunt. 184
Balnea sulphurea, & ex decocto herbarum cephalicarum etiam conueniunt. ibid.2
Balnei vsus in ictero, ad coloris flaui discussionem. 330
in melancholia hypocondriaca. 341
aquæ tepidæ in mania. 194
in ophtalmia. 214
sulphurei in surditate. 222
Balneum aquæ tepidæ corpus refrigerat, & humectat. 325
valet ad prophylaxim rheumatismi. 149
ad curationem febris hecticæ. 424
vt moderandum in hecticis. ibid.2
ex hydrelæo laudatur. ibid.2
in febribus quando conueniat. 131
in febre quartana interdum vsurpari debet. 440
sulphureum ac bituminosum in mensium suppressione. 372
aperiens, & relaxans in chlorosi. 371
refrigerans in furore vterino vtile. 379
Balsamum, cerebrum corroborans. 7
ad gingiuarum erosionem. 247
Balsamum Guidonis in paralysi. 180
Galbani. 180
Peruuianum ad inappetentiam à frigida causa. 282
Peruuianum ad vomitum. 290
Peruuianum ad calculos expellendos. 355
Balsamum sulphuris in hæmorrhoidum dolore, & vlcere. 419
Apoplecticum in epilepsia puerorum. 86
Peruuianum in vlcere pulmonum. 272
Bardanæ radicis decoctum laudatur ad arthritidem. 442
Βερυτικεια quid. 221
Beccaburga seu anagallis aquatica, antiscorbutica. 345
Bedagaris spongia exsiccata lapillos, expurgat. 355
Benignus morbus. 325
Betæ. 101
Bezoardicus lapis cur apud nos rarissimus esse debeat. 452
Bezoardici lapis vsus cōmendatur aduersus morbos melancholicos. 342
Bezoardicum minerale in obstructionibus plurimum commendatur. 356
Bezoardica chymica in febre pestilenti vsurpanda. 472
bilis alimentaria quid? quæ ætas, quod alimentum, quod temperamentum eam generet. 9
eiusdem affectus. ibid.
Bilis excrementa quid. 10
Illius vsus, & differentiæ. ibid.
Bilis atra quomodo cognoscatur, vnde procreetur. 56
Bilis præternaturalis signa. ibid.1
Cibi calidi, & sicci bilem generant. 45
Bilios i humoris prædominantis signa. ibid.
Excrementa eorundem, & habitus corporis. ibid.&2
Bilios is vnde oriantur insomnia. 23
Bilis redundantis signa. ibid.
Bilis porraceæ generatur in ventriculo, ex corruptis alimentis.

tis. 281
Bilis grugìnosa ex diuturnis doloribus, & vigilijs generatur. 352
Bilioſarum febrium continuarum eſſentię, & cauſę. 345
ſigna diagnoſtica. 348
prognoſis. ibid.2
diæta conueniens. ibid.
Bilis an poſſit eſſe cauſa paralyſeos. 12
Bilem temperantia. 191
an dulcia ſemper procreant. 313
Bilem deprauantes cauſæ. 330
Bilem purgantia in iſtero. ibid.
in hepatis intemperie calida. 323
Bilioſis in febribus cur mittendus ſanguis. 429
Bilis an magis efferueſcat à ſanguinis miſſione. ibid.
Bocbetum arthritici proficuum. 415
Bocbetum rhabarbari ad obſtructiones puerorum. 130.2
Boli expurgantes primam corporis regionem in febribus continuis. 429
Bolus purgans in rheumatiſmo. 149
diſcutiens in hydrope vteri. 388
calculum imminuens. 353. & 354
ſemel expurgans in furore vterino. 379
purgans in ictero. 324
in calculo renum. 352
mictu ſanguinis. 360
ad inappetentiam. 280
ad diarrhœam. 105
ad dyſenteriam. 309
Bolus. 149
Bombus quando malus? 667
Borborygmus quid arguat. 50
Borrago. 102
Bothor Arabum. 256
Βοῤῥὼρ quid. 281
Bulimia in quo differat à fame canina. 281
Βεβύπεψία. 283
Braſſica. 102
Breuioris morbi ſigna. 60
Bronchia pulmonem quo ſigno notentur. 49
Bronchocele familiaris Alpinorum montium incolis. ibid.
Bryoniæ radix prædicatur in hyſterica paſſione. 385
Bryoniæ fęcula ad choloroſim. 370
Bubo peſtilens ſignum febris peſtilentis præcipuum. 363
ſed non vere pathognomicum. 445
Bubones plures, paucioribus periculoſiores. 448
Bubones in febribus maligni. 54
Bubula caro. 165
Buſo ſyluęſtris, renibus alligatus, hydropicorum aquas per vrinas educit. 336
ex eodem paratur puluis, & ceratum ad hydropem. ib.
Bugloſſi ſuccus humorem atrabilarium contemperat. 343
Bugulæ decoctum phthiſi, & internis vlceribus mirè prodeſt. 271.
Butyrum.
Buxi oleum quomodo præparandum. 191
Buxi flores ſanguinem purgant. 246
Buxi oleum ad hæmorrhoidum dolorem leniendum efficaciſſimum. 260
dentium dolorem ſedat. 318
ad epilepſiam. ibid.

C

Cachexiæ cauſę. 186
Cachecticorum febris qualis. 334
Cacochymia. 425
Cæſarea ſectione an celebranda. 122.2
Calcis aqua pro fotu in ſcirrho lienis. 405.1
Calculi medicamenta. 338
Calculus quomodo noceat. 141
Calculus veſicæ. 29
de calculis in liene genitis, & inde per vomitum reiectis. 531.2
De calculis per annum excretis. 556
Calculus in gutture. ibid.2
Calculus ſub quo affectum genere collocandus. 147
Cauſæ ex Gal. & eius aſſeclis impugnatæ ib. & 348.2
cauſa efficiens, & ſpiritus lapidificus. 349
cauſæ antecedentes. 320
ſigna diagnoſtica. ibid.2
Calculus renum cur valde periculoſus. 351
eius curatio. 352
ibid.2
Calculum imminuentia, & expellentia. 353
Calculoſi quomodo præſeruandi. ibid.
Eis quantum vtiles aquæ Balerucanæ. 355
& minerales accidulæ vitriolatæ. ibid.
Calculus veſicæ eamdem habet cauſam materialem, & efficientem, ac calculus renum. ibid.
Calculo veſicæ cur pueri magis obnoxij, & calculo renum ſenes. ibid.2
An ſemper rudimonium accipiat à renibus. ibid.
Eius ſigna. ibid.
Prognoſis. 357
Curatio. ibid.
Vix niſi per lithotomiam curari poteſt. ibid.
Calculorum aliter curatorum exempla. ibid.
vſu aquæ deſtillatæ ex cœpis. 260
Calculus in meatu penis quomodo excludendus. 267
Calculus veſicæ cur extractu facilior in mulieribus, quam in viris. 330
Calendulæ florum conſerua in menſium ſuppreſſionem. 372
vertigini ſpecificum. 25
Caliditas, qualitas ignis, & aeris. ibid.
cauſæ caliditatis in corpore. 34
Calidum innatum quid? 13
Calor actiuus qualis, illius origo, & quomodo conſeruetur. 14
illium cœleſtem putat Fernelius. ibid.2
refutatur tamen. ibid.
Calor in febribus, qui malus. 84
Calor præcipua fluxionis cauſa. 195
Calui fiunt bilioſi. 46
Cambium, humor ſecundarius. 9
Camphora in hyſterica paſſione commendatur. 348
fœcunditati nocet plurimum. 397
in vomitu commendatur. 29
in vomitu ſanguinis. 291
Cancer morbus perpetuò malignus. 54
Cancro depaſcenti caro pulli columbini in tenuis lamina cociſa, optymum anodynum. 217
Cancri vteri cauſæ ſigna. 390
curatio palliatiua. ibid.
per linimenta, per fotus partis affectæ per narcotica in vehementiſſimo dolore. ibid.
Cancer. 489
Canina fames. 281
cauſæ. ibid.2
curatio. ibid.
eam obtundunt pinguia, & oleaginoſa. ibid.
Cantarides non ſolum veſicæ, ſed etiam vtero inſenſę. 37
Cantaridum noxa quibus inhibeatur. 450
Canthar ides veſicæ noxia. 49
Capitis dolores quando periculoſi. 35
Capones. 106
Capitis dolorum differentiæ. 100
ſigna diagnoſtica prognoſtica. ibrd.
internus dolor quomodo diſtinguatur ab externo. ibid.
ſpecifica. 366
Capitis dolor ex vtero. 381
doloris à vapore, vel humore diſtinctio. ibid.
in febribus quomodo curandus. 432
in febre maligna. 454
Caput facile tentantia. 157
Caput quot affectum origo. 342
an ex eo fluxiones arthriticæ. 409
Carbunculus ſignum præcipuum febris peſtilentis. 443
ſed non vere pathognomonicum 446
plures paucis periculoſiores in febre peſtilenti. 448
curatio in febre maligna. 456
In eo venæ ſectio ad lipothymiam quandò conuenit. 446
Carbunculi in febribus malignis. 55
Carbunculus. 547
Cardiaca medicamenta. 137
Cardialgię cauſa. 293
pro varietate cauſarum exacerbatur. 294
reliquis ventriculi doloribus periculoſior. ibid.2
Caricarum, & hordei decoctum humores efficaciter ad cutem expellit. 455
Caries quid. 29
Carnes quę vtiles. 104
Carnoſę partes. 15
Carnoſæ partes in naribus quomodo perficiantur, & quando in fœminis. 24

Carnes exhibitæ pueris lactentibus cur in lumbricos faciant. 313
Carnis hœdinæ, vitulinæ, aut veruecinæ vsus in ophtalmia 214
pullorum in cancro corneæ. 217
Caros, siue Carus in quo differat ab apoplexia, comate, & lethargo. 7
Comate, & lethargo periculosior. 8
Caryophylli. 107
Carpis applicanda in tertiana intermittente longiore. 437
in quartana intermittente. 440
Caruunculam in penis meatu extirpandi modus. 367
Caryo consimilaus in arthritide. 415
in ischiade. 416
Caseus. 106
Cassiæ infusum in dolore hæmorrhoidum. 318
Castanea. 104
Cataplasma cerebrum exsiccans. 170
supurans in empyemate. 263
plantis pedum admotum in dolore capitis. 41
admouendum regioni ventriculi in singultu. 187
applicandum regioni ventriculi tertiana in febre intermittente contumaci. 437
Regioni hepatis. ibid.
attrahens malignitatem in febre pestilenti. 450
suppurans. 455
attrahens. 456
suppurans in phlegmone ventriculi. 256
Ad fluxum immodicum hæmorrhoidum cohibendum. 317
refrigerantia, & resoluentia in hepatis inflammatione. 326
in hydrope. 356
scirrho lienis. 38
in calculo renum. 352
regioni renum pubis, & lumborum in ischuria, & stranguria. 376
in fluxu mensium immodico. 375
Epismaticum plantis pedum admouendum in passione hysterica. 383
discutiens. 386
aliud suppurans. ibid.
emolliens, & resoluens. ibid.
Ad vteri gangrænam. 390
de tribus farinis dictum. ibid.
imminentem abortum præcauens. ibid.2
in torminibus à partu. 408
ad dolores arthriticos. 412
Cataplasmata anodyna, & parum reppellentia. 414
resoluentia. ibid.
ex iberide ad dolorem ischiadicum. 417
Cataplasma. 324
Morbi in cauitate quotuplices. 28
Cataracta, suffusio, aqua & ὑπόχυσις idem. 206
in vnctione mercuriali curata. 290
Catarrhus quid. 196
Eius causæ. ibid.
signa. 197
differentiæ. ibid.
triplex est: ferinus suffocans, & epidemicus. ibid.
in senibus difficillimè coquitur. 198
curatio. ibid.
Catarrhi calidi curatio. 199
Catarrhis obnoxy non raro cerebrum frigidum, & hepar calidum habent. ibid.
Catarrho tenui fortius resoluentia infensa. ibid.
Catarrhalis febris causa. 197
Catarrhus contumax, in pulmones defluens, sæpe veram phthisim mentitur. 269
Catarrhi à rheumatismo differentia. 417
Catarrhus cum alijs symptomatis. 467
Catarrhus in pulmones defluens. 506
Catarrhus cum raucedine. 514.1
Catarrhus in pulmonem decumbens. ibid.
Catarrhus cum tussi. 522.1
Catarrhus ferinus cum varijs febrium complicationib. ib 2
Catarrhus. 552.1
Catarrhus salsus cum propensione ad phthisim. 554.2
Catellus viuus admotum, dolorē demulcet in arthritide. 41.3
Caulium rubrorum decoctum asthmaticos iuuat. 256
Causæ minus principales dierum Criticorum. 36.2
Causi, seu febris ardentis essentia, differentiæ, & causæ. 425
signa. 427
cur in sene, aut hyemis tempore adueniens lethales. ibid.2
Causticum, posteriori cernicis parti inustum, cerebrum expurgat. 173
paralyticis inurendum. 180
syncipiti epileticis. 186
Caustica medicamenta. 144.2
Cauterium actuale inter primam, & secundam vertebram applicatum soporosis affectibus conuenit, item pueris epilepticis. 176
Cauterium Syncipiti admouendum in vertigine. 188
futuræ coronali applicandum in mania. 194
Cauteriorum vsus vnde. 197
retro aures destillationibus remedium oportunum. 198
posteriori parti cernicis, & inter scapulas admotum. ibid.
Cauterium, seu fonticulus inter pollicem, & indicem admotus in dolore capitis. 200
futuræ coronali, & tumoribus. 201
accipiti in gutta serena. 204
Cruribus in furore vterino. 379
ad præcauendum abortum. 402
Cauteria in hydropicis cur non applicanda. 335
tibijs admota conferunt in mensium suppressione. 374
tibiæ dextræ, vel sinistræ in chlorosi contumacissima. 377
Cauterij efficacia. 553
Centaurium minus cum febrifuga vocatus. 453.2
Cepæ quomodo calefaciant. 12
Cepæ. 102
Cepæ subcineribus coctæ vsus in hæmorrhoidum dolore. ib.
Cephalagia quid? 208
Cephalæa. ibid.
Cephalica medicamenta. 305
Cephalæa. 367
Cephalæa cum alijs affectibus. ibid.
Cephalæa ex lue venerea mala curata. 507
Cephalæa, & hemicrania. 565.2
Cerasa. 274
Cerata varia contra ægilopas. 218
Ceræ oleum ad pleuritidem. 200
ad dysenteriam. 310
Cerebrum pituitæ metropolis. 11
Cerebrum par organica. 10
Cerebri, frigida, & humida intemperies morborū ferax. 169
Cerebrum refrigerantes præcipuæ causæ. 170
frigidæ intemperiei signa. ibid.
Cerebri frigidæ intemperies hæreditaria incurabilis. ibid.2
Cerebro maximè infensi lunares radij. ibid.
Cerebro frigido, & humido conueniens victus ratio. 170
Cerebrum frigidum, & humidum alterantia, & roborantia. 171. & 172.
Cerebri abscessus, & sphacelus quid. 192
causa. ibid.
signa. ibid.
curatio. 193
Cerebri excrementa per quas vias expurgentur. 460
Cerebrum quasi cucurbitula corporis imposita. ibid.
velut spongia à frigore aeris ambientis comprimitur. 197
Cerebri cur cesset actio cessante actione cordis. 273
Cerebri nimium calefacti effectus. 274
Chalybis vsus in omnibus febribus chronicis vtilissimus. 359
Chalyps, ex, eoque parata medicamenta, ad obstructiones hepatis potentissima. 328
Cautiones obseruandæ post sumptionem medicamentorum chalybeatorum. ibid.
Eain obstructionibus lienis vsurpanda. 338
in melancholia hypocondriaca. 342
scirrho hepatis. 331
Chamædryos extractum præstantissimum in febre quartana 438. 430
Chamedryos vsus in febribus lentis, & diuturnis. ib.
Chamæmeli decoctum in pituitosis febribus commendatur. 311
aqua stillatitia, & decoctum specificum in doloribus ventriculi. 244
florum decoctum ab vteri dolorem commendatur in torminibus à partu. 407
Chemosi species ophthalmia. 212
Chærefolij succus hydropicis vrinas mouet. 336
China decoctum in hæpate calido, & obstructo. 334
in melancholia hypocondriaca. 343
ad interna vicera. 297

Chloroſim congreſſus ſanas. 371
Ei an conueniat venæ ſectio. 370
Chloroſis ſeu pallidi virginum colores. 369
Eius cauſæ. 378
Chloroſis antiqua quibus præſidijs curata. 370
Chloroſis cum colico dolore. ib.
Cholagoga medicamenta. 303
Cholera morbus, vnde dicatur. 292.1
pars affecta, differentiæ, & cauſæ. ib.
quomodo conueniat venæ ſectio. 294.1
an ſint quædam criticæ. 293.1
Cholera morbus ex ſuperpurgatione. 445
Cholera morbus. 532.& 536
Cholera morbus cum febre tertiana maligna. 525
Choledochi poripraua conformatio facit pierocholos 289
Chordapſus cur ileos vocetur. 299
Chorion quid? 24
Chronicus morbus. 30.1
Chronicus morbus quis. 54
Chyloſis vbi fiat. 58
Cibi ex volatilibus. 167
Cibi faſtidij in febribus cauſa. 434
Ciborum maxima auerſio in febre peſtilenti cur periculoſiſſima. 448
Cibi conſueti, an alijs vtiliores. 99.2
Cicadarum puluis, cum vino albo exhibitus, ad diarrhæa. 305
Cicatricem inducit vinum rubrum, in quo aluum diſſolutum eſt. 242
Cicatrices à varioli relictas quæ repleat. 414
Cicatricem inducentia medicamenta. 145
Cicera. 101.2
Cichorium. ib.
Cichorij ſanguinis quomodo parandus. 324
ſanguinem depurat. ib.
Cicuta tumores emollit, & diſcutit. 338
Cinnabaris natiuæ laus in epilepſia, cinnabaris item antimonij. 186.2
Cinnamomum. 107.1
Cinnamomi aqua in hydrope. 236.1
aqua puluis, & oleum ad accelerandum partum. 404.1
Citri mali laus in febre peſtilenti. 451.2
Citri cortex conditus ventriculum roborat. 280.2
Claui pedum. 566.1
Clyſter. 150
Clyſteres ex oxycrato in cholera morbo. 122
in furore vterino. 380.1
hyſterica paſſione. 383.2
lenientes in plegmone ventriculi. 296.1
emollientes in adſtrictione alui. 302.2
detergentes in diarrhæa. 204.1
in dyſenteria quales eſſe debeant. 308
adſtringentes in dyſenteria. ib.
aduerſus lumbricos. 300
carminatiui, & hydragogi in hydrope. 335.& 336
Clyſterum frequens vſus in melancholia hypochondriaca maximè prodeſt. 341.2
Item ollientes in calculo renum. 352.2
Calculum imminuentes. ib.
in renum inflammatione. 355.1
molliens, & euacuans. 266.2
in menſium ſuppreſſione. 373.2
Summa efficaciæ in iſchuria, & ſtranguria. 368
alius in dyſuria. 368.2
in hyſterica paſſione. 383.2
in vteri inflammatione. 386
diſcutientes, & laxantes in dolore aurium. 404.1
emolliens. 149
in partu difficili diſcutiens, & dolores leniens. 194.1
emolliens, laxans, & aperiens. 406.2
leniens in torminibus à partu. ibid.
reſoluens, & diſcutiens in dolore iſchiadico. 417.2
nutriens. 424.1
Clyſterum materia in febribus continuis. 429
& cautiones obſeruandæ in eorum vſu. ibid.
emolliens, & purgans febre quartana. 446.2
in variolarum curatione ex quibus componendi. 459.1
Coagulum badi, vel leporis ſanguinem fluentem ſiſtit, & concretum in vtero diſſoluit. 375.1
Cœna an largior prandio eſſe debeat. 97.1
Coindicantia. 188.1
Coitus quomodo aborſus cauſa. 402.2
dyſenteriæ medetur. 312.2
Cœlica mutatio in febre peſtilenti omnium præſeruationum præſtantiſſima. 449
Cœliaca paſſio in quo differat à lienteria. 302.2
ſit tum ventriculi tum inteſtinorum vitio. ibid.
Cœliacæ paſſionis peculiaris cauſa. 303.1
curatio. ibid.
Colica Pictonum in paralyſin degenerat. 78.2 & 297
Colicus dolor, & rheumatiſmus. 546.& 547
Colicus dolor in purgatio menſtrua, & hyſterici affectus. 543
Colicus dolor vnde nomen habeat. 536
Eius cauſæ. ibid.
ſigna. ibid.
Colici doloris exacerbationum, & remiſſionum cauſæ. ibid.
materia non ſemper in ſola inteſtinorum cauitate continetur. ibid.
Colica peſtilens. ibid.
Colicus dolor quibus ſignis diſtinguatur à nephritico. 299
flatuoſæ, & pituitoſa curatio. ibid.
bilioſæ curatio. 300
Colica ſedata exhibitione mannæ granatæ, cum oleo amygdalarum dulcium, in iuſculo gallinæ. ibid.
Coli inflammatio quomodo à renum inflammatione diſtinguatur. 259.2
Colliquantes febris eſſentia, & cauſa. 325.1
ſigna diagnoſtica. 426.2
Collutiones variæ ad dolore dentium. 246.& 247
Collirij compoſitio. 151
Collyria in ſuffuſione. 208
ophthalmia. 214
in pupilla dilatatione. 209
albugine. 207
hypopo. 215.2
in principio ophthalmia repellentia non conueniunt. 214
Collyrium valdè detergens, & exſiccans. 220
adſtringens, & exſiccans. ibid.
ad oculorum affectus, à variolis excitatos. 460.2
in pterygio ſeu vngue oculorum. 219.2
Collyrium Lanfranci ad oris, & facium vlcera. 349
Colocynthidis correctio, & doſis. 198.2
Color niger in lingua ſine ſiti morbum indicat. 221.2
Coma quid? 159.2
Comatoſus affectus acutiſſimo morbo ſuperueniens. 160
Coma vigil quid, eius cauſæ. 163.2
idiopathici, & ſympatici curatio. ibid.
Cometæ quomodo ſint cauſa peſtilentium morborum. 144.2
Cometæ qui anno 1618. apparuit, deſcriptio. ibid.
Compoſitio medicamentorum. 144.2
Conceptio quando fieri dicatur, & quænam ſint potiſſima ipſius ſigna. 232
Conceptio interdum fit in mulieribus, quibus numquam menſtrua effluxerunt. 396
Conceptionem impedientia. 395.2
quot operationes requirat conceptio. ibid.
in quibus ſuperabilis, in quibus non. ibid
Concoctio quomodo, & vnde perficiatur. 18
ſit in craſſando, triplex eſt. ibid.
Concoctio humorum. 126.2
Concoctrix facultas quid ſit. 28
Concoctionis primæ vitium non corrigitur in ſecunda. 243.2
Concoctio naturalis viſcerum fit per elixationem. 339
Concomitantia criſeos. 33
Concreſcentia à calido liquantur ab humido. 342
Condimenta. 108
Conditum. 149
Condita ad vires reficiendas in febribus continuis. 430
Condyloma in quo differat ab hæmorrhoidibus. 318
Confectionis hyacinthinæ, & chermeſiuæ vſus in febribus malignis. 454.1
Conformatrix facultas quid. 19.2
Coniunctio quid comprehendat. 15.2
Connexio partium quomodo peruertatur. 40.1
ſigna partis laborantis per conſenſum. 216
Conſtantis ætatis temperamentum. 6
Conſtipatio interdum refrigerat. 38.2
Conſtipatio calefacit. ib.

Contemplabiles dies ab crisim qui. 34.2
Continentia contenta, & vim facientia quid sint. 13.1
Continuæ febres periculosæ. 63.1
Continuus morbus. 302.
Contagiosus morbus. ibid.
Contra indicantia. 318.1
Contrayerua radix alexipharmaca. 452.1
animalia bezoardicum lapidem generantia, ea vesci consueuerunt. ibid.
Conturbatio quid sit. 36.1
vnde fiat. ibid.
Contusio quomodo soluat continuum. 29.2
Contusiones. 517.1
Capitis contusiones. 550.1
Contusio inflammatio, & excorratio clunium ex decubitu diuturno supra partem. 539
Conuulsio quæ periculosa. 70.1
Conuulsionis futuræ signa. 92.1
Conuulsio. 181.2
fit à repletione vel inanitione. ibid.
est vniuersalis, vel particularis, eius differentiæ. 182
Conuulsionis, & motus conuulsiui discrimen. ibid.
Conuulsionis, & paralyseos causa materialis non est eadē. ib.
Conuulsio ab inanitione cur in hectica, & marasmo non contingat. ib.
quæ thoracis musculos obsidet, periculosissima. ib.
à phrenitide lethalis. ib.
Conuulsioni febrem superuenire melius est, quam febri conuulsionem. 268.2
Conuulsionis ab inanitione, & repletione curatio. ib.
Conuulsis partibus animalia per medium secta adhuc calentia admoueantur. ib.
Conuulsiones in febribus quomodo curandæ. 432
Conuulsiui motus in febre pestilenti sapè contingunt. 447.1
Conuulsiones in puero, 537.2
Conuulsio. 547.2
Conuulsionis Rara species. 571.2
Cor pars organica. 16.2
Cor quomodo impleatur. 187.2
Cœlorum syrupus, & tinctura ad hæmoptoen. 364.2. 291.1
diarrhœam. 324.1
in fluxu mensium immodico conuenit. 255.2
rheumatismo. 419.2
Cordis affectus. 242.2
morbi insignes. ib.
Cordis palpitatio, & pulsus inæqualitas. 533.1
Cornari abstinentia mirabilis. 93.2
Corneæ ruptura. 217.2
signa. ib.
curatio. ib.
Cornu cerui vstum conferi in febre maligna. 455.1
Cornu in facie exortum. 568.1
Corporis humani triplex flatus. 24.2
Corpore in viuente omnia trans fluxilia, & permeabilia. 431.2
Corruptio sæpe putredinem præcedit. 442.2
Coryza quando periculosa. 71.1
Coryza. 234.2
Eius causæ. ib.
curatio. ib.
Coste carie corruptæ. 570.2
Cotone moschato surditas curata. 223.2
Coturnices. 107.1
Cranij humani vsus in dysenteria. 109.1
Cranij depressio. 556.2
Cranij depressio ex vulnere. ib.2
Cremor lactis. 106.1
Cremor tartari vtiliter medicamentis addi potest in febre tertiana intermittente. 435.2
Crisis quid, & variæ illius nomine acceptiones. 31.2
similitudo illius cum iudicio forensi. ib.
Crisium differentiæ perfecta, & imperfecta. ib.
Crisium signa. ib.
Perfecta crisis quæ. ib.
Imperfecta crisis. ib.
Causæ crisium, & dierum criticorum. 36.2
in crisibus luna plurimum pollet. ib.
signa futuræ criseos per vomitum, per alui fluxum, & sudores. 90.1
Crisis per vrinas futuræ signa. ib.
Crisis per hæmorrhagiam futuræ signa. 91
Crisis per menses futuræ signa. ib.
Criticus dies habet indicem. 34.1
Dies critici qui. 35.2
Criticorum dierum computatio à qua hora debeat fieri. ib.
Crisi instante cur narcotica non vsurpanda. 432.1
Crocus. 107.2
Croci metallorum aqua ad suffusionem. 208.1
Crocus in condimentis pectori vtilis. 256.1
accelerat partum. 404.2
Crystalli pustularum malignarum species. 456.2
Crystallum minerale suppressam vrinam monet. 367.2
admiscendum iulepis in fluxionibus. 208.2
Crystallini humoris affectus. 205.1
situs mutatus. ib.
Crystallini situs vitiatus myopiæ causa. 202.1
Criste ficis finitimæ sunt. 238.1
Crura varia. 565.2
Cubitorum dolores quid portendant. 92.2
Cucupha. 324.1
Cucupha ad cerebrum roborandum. ib.
Cucumeres. 219.2
Cucurbitæ. ib.
Cucurbitularum vsus in paralysi. 180.2
in conuulsione. 183.2
summo capiti affigendæ in phrenitide. 192.2
occipitio cum scarificatione admota in gutta serena. 251.2
Cucurbitæ hypochondrijs admotæ in hæmorrhagia aliquando periculosæ. 238.1
sub mento scarificata ad linguæ inflammationem. 242.1
linguæ paralysim. ib.
cū scarificatione lateri dolenti admota in pleuritide. 260.1
thoraci, & cordi in palpitatione cordis. 276.2
Cucurbitula regioni ventriculi admota in singultu à flatibus. 287.1
Cucurbitularum vsus in febribus continuis. 428.2
in febribus malignis. 513.2
quibus partibus applicandæ. ib.
quo morbi tempore. 453.2
in variolis præsertim puerorum. 459.1
ventriculis admota ad illius dolores sedandos. 294.2
vmbilico in dolore colico. 199.1
quomodo admouenda in renum calculo. 355.2
mammis admotæ in fluxu mensium immodico. 374.2
pectini admota hysterici affectibus multum prodest. 383.1
sine scarificatione in summa parte doloris admotæ ad dolorem ischiadicum. 417.2
Caniculorum caro. 105.2
Curatio. 116.1
Curationis primum, & generalissimum principium. 289.2
Cutis est instrumentum, quo dignoscitur temperamentum. 5.2
Cidonia. 102.2
Cinara. 215.2
Cydonium, cydoniorum mivæ, syrupus cydoniorum ad ventriculum roborandum. 280.1
Cynorrhoidi fructus conserua ad roborandum in rheumatismo. 149
refrigerat, & vrinæ vias expurgat. 355.2
Cynosbati radicis decoctum potenter aperit. 329
in melancholia hypochondriaca. 343.1
Systidis fellea obstructio vna ex causis icteri flaui. 330.1

D

Decimus quartus dies est criticus. 33.2
Decimus septimus dies decretorius. 34.2
Declinatio morbi. 28.2
Decocta sudorifica. 318.2
Decoctum galli veteris. ib.2. & 6
Decretorij dies quando computandi. 35.2
Decubitus in morbo quando periculosus. 68.1
Deglutionis facilioris, vel difficilioris causa. 249.2
Deglutio impedita. 576.2
Deiectiones quæ malæ. 248. & 249
Deiectione quæ hepar imbecillum arguunt. 205.2
Deiectiones sinceræ cur malæ. 279.2
Deiectionum chylosarum causa. 303.1
Deliquium frequens quid arguat. 63
Deliquium subitum malignum. 22.2
Deliquium animi quam hæmorrhagiam cohibeat. 238.2
Deliquium animi in in quo differat à syncope. 93.2
Delirij futuri signa. 91.2

Delirium praui signum in vniuersum. 63
quando lethale. 64
Deliry variæ significationes. 54
Delirium morbi maligni index. ibid.
Deliry causa in mania. 93
Deliriorum melancholiorum varietas. 195
Delirium sedentia. 193
in febribus. 131
in febre maligna. 454
Densitas qualitas Elementorum. 3
Dentes prodeunt anno septimo. 149
Dentium stridor quid arguat in febribus. 430
Dentes sensus præditi. 244
dolent secundum ipsorum substantiam. ibid.
doloris causa. ibid.
à seroso humore vt plurimum fit. ibid.2
medicamentis in aurem immissis leuatur. 245
quibus topicis curandis. ibid.
Dentis dolentis erosi nervus cauterio adurendus. ibid.
extractio in contumaci dolore non vno ictu fieri debet. ib.
Dentium casum remouentia. 246
nigredo, & erosio. ibid 2
causæ curatio. ibid.2
Dente auulso hæmorrhagia incurabilis contingit. 247
dealbat, & detergit oleum vitrioli seu spiritus. 246
Dentium caries. 552
Dens auulsus in alueolum intrusus. 670
Deriuatio. 124
Destillatum restaurans in fluxu hepatico. 312
Destillata per descensum facta magis restaurant quam ea quæ fiunt per ascensum. 423
ferina destillatio. 550
Detergentia medicamenta. 315
Detergentia, & exsiccantia moderata. 216
Diabete significetur. 219
Diabetes Græci διψακος alio hydrops ad matulam. 363
rarissimus affectus. ibid.
causæ ex Galen. & alijs. ibid.
signa curatio. ibid.2
affectus incurabilis. ibid.1
an sudorifica conueniant. ibid.2
Diabrosis. 236
causæ. 264
Diacodium album. 191
Diæta. 128
quænam sint eius species, & quibus morbis conueniant. ib.
Diæta sudorifica ad calefaciendum, & exsiccandum cerebrum. 5. septimo quoque die interponatur medicamentum purgans. ibid.1
vtilis in paralysi. 87
gutta serena. 203
vlcere renum, & vesica. 263
hysterica passione. 384
in vrinæ incontinentia à frigida causa. 365
ad chlorosim. 371
ad vteri procidentiam. 394
ad prophylaxim arthritidis. 415
Diagnostica signa. 209
Diacrydiata in febribus continuis exhibenda. 131
Diapalma articulos in arthritide roborat. 416
Diapedosi quando fit. 28
Διαπηδησις. 236
causæ. ibid.
Diaphœnicum cum phylonta Romano in singultu. 188
in dolore ventriculi. 294
in colico colore. 298
Diaphoretica chymica in febre pestilenti. 453
Diaphragmatis inflammatio signa. 347
consensus cum cerebro. 189
Diarrhœa vnde oriatur aliquando. 192
Diarrhœa quid. 303
in quo differat ab alijs alui fluxus speciebus. ibid.
differentia. 272
signa causarum. ibid.1.& 2
& partis mandantis. ibid.
curatio. 304
critica quibus præcipuè contingit. ibid.
biliosa largo frigida haustu in æstate curata. ibid.2
in hydrope quando bona. 335
inueterata curatio. 109
Diarrhœa. 470
Diarrhœa inueterata. 495
Diasarum Fernelij in fluore muliebri. 478
Diastoles effectus. 20
Dies critici. 33.1.2
Dies critici puerperæ febricitantibus. 34
Dierum criticorum computatio in morbis puerperarum an à principio morbi fieri debeat: an die partus. 491
Degestiuum ad vlcus mundificandum. 455
Degestiuus puluis: vide puluis digestiuus. ibid.
Digitorum extremitas apta ad dignoscendum temperamentum. 5
Dilatatio vnde oriatur. 28
Dilatatio in quid. ibid.
Discursus facilis sanguineis. 46
Dispersi morbi. 47
Dissimilares partes. 16
Distinctio trium facultatum vitalis, naturalis, & animalis quomodo probetur. 410,
Diuinis in morbis. 144
Diuretica medicamenta. 25
Diuretica non sunt frequenter vsurpanda in curatione calculi renum. 36
in febre tertiana longiori vsurpanda. 436
an fluori muliebri conueniant. 376
ad vteri hydropem. 393
an conueniant grauidis. 400
in febrium continuarum declinatione commoda. 429
Διψακος quid. 363
Diuisio quid sit. 29
Dolores quando periculosi. 167
Dolor pungitiuus quid significet. 49
Dolor dentium promptissimũ remedium sanguinis missio. 345
Dolor οξυοπος quis dicatur. 437
quartanarijs proprius. ibid.
Dolores capitis in febribus sedantia. 432
lumborum. ibid.
Dolores à partu. 547
Dolores arthritici. 469
Dolores arthritici, & venerei. 559
Dolor dentium. 534.545
Dolor dentium cum tumore supra mandibulã superiorẽ. 518
Dolor capitis lethalis. 522
Dolor capitis ab insolatu. 450
Dolor capitis immanis, & diuturnus. 510
Dolor capitis in hæmitriteo. 518
Dolor intolerabilis. 50
Dolor capitis contumax. 561
Dolor colicus antiquus cum alui fluxu. 466
Dolor in genu ex contusione. 538
Dolor Ischiadicus. 375.502
Dolor nephriticus. 470.493
Dolor ossis sacri intolerandus. 562
Dolor pleuriticus ex lumbricis. 483
Dolor pleuriticus. 548
Dolor tensiuus abdominis. 454
Dolores vagi circa thoracem. 451
Dolores vagi. 499
Dolores venerei. 566
Dolores venereus in vno brachio. 502
ad dolores vesicatorij. 518
Dolores vniuersales. 506
Dorsalis tabes quid. 568
Dosis. 118
Dulcis pituita quæ. 12
Dulcia bilem generant. 45
Dulcia an semper bilescant. 261
hystericos affectus excitant. 580
Dulcibus hepar inflãmatum in maiorẽ molem attollitur. 326
Δυσορεξια. 278
Δυστοκια. 284
Durities quid sit. 3
Durities cutis quando malæ. 85
Dysenteria. 305
species. ibid.
propriè dicta.
causa. 309
signa. 438

quartanam soluit. 438
Dysenterica exulceratio, à qua causa fiat. 495
Dysentericum contagium quomodo operetur? ibid.2
Dysenteria epidemica peculiari acris vitio excitatur. ibid.
ab atra bile cur lethalis? ibid.
vomitus, & venæ sectio an conueniant, 308
specifica. 307
astringentia quando conueniant, ibid.
epidemicæ curatio. ibid.
potus qualis exhibendus? 310
Dyspnœa quid. 254
Dysuria quid? 368
causæ, ibid. & seq.
in decrepitis senibus sæpe incurabilis. ibid.
phlebotomia ex venis inferioribus ad deriuationem conuenit. ibid.
quæ purgantia conueniant, ibid.
quæ vomitoria. ibid.
topica. 369
Dysuriæ ab acri, & bilioso humore apertio hæmorrhoidum, & cauſticum tibiæ dextræ admotum conueniunt. ibid.
Dysenteria. 165.2.481.2.497.498.2.505.2.512.1.513.1.
Dysenteria prognosis, 306

E

Euli decoctum sudorificum est. 180
Ebullitio sanguinis in variolis, & morbilis alia perfectiua, alia corruptiua, 457
Ecchymosis. 568
Eclegma. 149.2
Eclegmata vide Looch. ibid.
Ἔκλυσις quid differat à syncope, 272
Ἔγκυρσις quid? 216
Electuarium cypoides ad roborandum hepar in hydrope. 337
aliud calculum minuens. 355
carioſtini vſus in arthritide. 414
triasantali quadruplicato rheo ad roborandum in rheumatismo. 149
Elementa quid sint? 2.3
Qualitates, & numerus. ibid.
Elephantiasis perpetuo maligna, 53
Elixatio. 18
Elixir propietatis in paralysi. 180
in ventriculo frigido, 280
in singultu, 287
Elleborastri vis in casu dentium promouenda. 246
Elodes febris qualis. 435
signa, 149
Emplastra medicamenta. 512
Emplastica medicamenta quomodo calefaciunt, 378
Emplastrum, 152.2
Emplastrum caput roborans, 172
attrahens, & resoluens. ibid.
supra spinam dorsi applicandam in paralysi, 180
cerebrum roborans, 20
de vigo cum mercurio capiti admotũ in dolore capitis. 269
in dolore dentium. 245
supra partem affectam applicanda in conuulsione. 183
Emplastrum Galeni hæmorrhagiam sistens. 234
pus attrahens, & foras educens. 311
ventriculum calefaciens. 280
ventriculo admouendum in singultu. 288
ad vomitum compescendum. 289
ad duritiem alicuius partis. 327
emolliens scirrho hepatis. 331
Emplastra abdomini applicanda in hydrope. 337
in scirrho lienis. 338
astringens, & roborans in vrinæ incontinentia. 365
in hysterica passione qua forma fieri debeant. 383
vulgare pro matrice propter astrictionem in affectibus hystericis non ita conuenit. ibid.
aduersus sterilitatem à frigida causa. 398
ad præcauendum abortum. 402
per intervalla remoueantur. ibid.
resoluentia ad dolores arthriticos. 415
diachalciteos seu diapalma impositũ articulos roborat. 416
resoluentia ad dolorem ischiadicum. 417
regioni ventriculi admouendum in febre tertiana intermittente. 436
validè atrahentia ex quibus componantur. 459
supra suturam coronalem in catarrho applicanda. 192
Emollentia medicamenta. 142.2
Emprosthotonos conuulsionis species. 181
Empyema. ibid. & seq
causæ. ibid.
signa. ibid.
latus affectum quomodo dignoscatur. ibid.
pus aliquando per aluum, & vrinas expurgatur. 265
per chirurgiam lateris apertione curatur. ibid.2
Empiema. 567
Empyema ex vulnere epigastrij. 571
Emulsio. 517
Emulsiones in phrenitide. 161
in renum inflammatione. 259
in dysuria. 269
furore vterina. 379
in synocho simplici, 421
in febre hectica. 423
in febribus maximè conueniunt. 430
ad febrem malignam. 452
inflammationem ventriculi. 296
Enchantidis curatio. 303
Enæorema quod malum. 81
Ensis portio in signis in vulnere diu latens extracta. 567
Endemij morbi. 3
Endiuia, 101
Enterocele, 514
Enterocele desperata sectione curata. 551
Ephemeræ febris perpetuo maligna. 53
Ephidrosi in apoplexia mala. 174
Epialæ febris essentia, & causæ. 425
signa. 416
Cur calor, & frigus in eadem parte sentitur. ibid.
Epidemij morbi. 31
Epidemica febris potest esse sine obstructione. 443
Epidemicus Catharrus. ibid.2
Epidemica dysenteria acris peculiari vitio excitatur. 360
Ἐπιγενόμενα signa. 209
Epilepsia vnde excitatur. 205
Epilepsiæ definitio. 183.2
imperfectæ historia. ibid.
duplex est idiopatica, & sympathica. ibid.
ad imperfecta ventriculorum cerebri obstructione generari probatur contra neoreticos. ibid.
imminentes, & præsentis signa. ibid.2
post. 25. annum non semper incurabilis. 184
vehemens paroxysmo sæpè lethalis. ibid.
Epilepsiæ quartana superuenentes curam soluit. ib. & 358
idiopathicæ curatio. ibid.
sympathicę curatio. 186
specifica. 185
Epileptici, plerumque fiunt melancholici, & contra. ibid.
Epileptici paroxysmi curatio. ibid.
Epilepsia. 382
quomodo distinguatur ab hysterica suffocatione. ibid.
Epilepsia. 507
Epilepsia puerilis 580
Epilepsiæ cum paralysi. 559
Epimictides. 547
Εὔστομαχον signa. 43
Epiphora quid. 218
causæ, 219
signa. ibid.2
Epiphorę humor fluit per venas internas, vel externas. ib.2
vesicatorio epiphora curata. ibid.2
Epispatica medicamenta. 143
Epithemata refrigerantia. 24
in mania. 194
in hæmoptoe. 266
refrigerans in colico dolore. 299
in fluxu hepatico. 311
refigerans in hepatis inflammatione. 326
resoluens. ibid
in calida renum intemperie. 356.
cordi & hepate admouenda in synochio simplici. 321
in febre hectica. 423
liquida; & solida cordi, & hepati admouenda in febribus continuis. 431
in summo vigore febris tãtum, aut potius in declinationis prin-

principio.
cordi admouendum in febre maligna, 435
ad hæmorrhagiam sistendum. 434
in vteri inflammatione. 240
ad præseruationem a calculo renibus admouendum. 465
Epuloticamedicamenta. 355
Erosio quomodo soluat continuum. 144.1
Eratioes affectus quid? 24.2
Errhina medicamenta. 418
Errhinorum compositio. 305
Errhinorum formulæ. 150.2
ad exsiccanda narium vlcera. 171
quando vtendum. 131
Errhina, & sternutatoria in affectionibus oculorum damnantur. ibid.
eorum formulæ. 205
ad fœtorem narium. ibid.
Eringij radicis decoctum pro potu in calculo renum. 234.2
Eruca. 355
Erysipelas. 101
Erysipelas herbes & lichones. 498.2
Eschare casus quomodo procurandus. 581.2
Escharotica an in hæmorrhagia sistenda adhibenda. 456
Essētię chymicæ vētriculū calefacientes, & roborantes. 239.1
Euacuatio bona πεπτῶς fieri debet. 281
Euacuationis causa. 237
Euacuatio per sudores. 37
Euacuatio per vrinas. 127
Euacuatio, & illius differentiæ. ibid.
Euacuatio particularis. 120
Euentus morbi. 122
Ἐπιφανὸμενα qui. 30
Exantemata in febribus maligna. 334
Exantemata quid differant à purpureis maculis in febre pestilenti. 221
differentia. 447
Excessus alimenti signa. ibid.
Excitationes feroces a somno quid significent. 95
Excitationes a somno grauida quid nocent. 91
Excreationes quæ pulmonem affectum indicant. 65
Excrementum quid? 149
Excrementa quot modis peccent. 18
Causæ symptomatum in excrementis. 41
Excrementa morbum acutum indicantia. 42
Excrementa quæ ominosa. 55
Excrementitius humor quid? 74
Excrementitia bilis quid? 10
Melancholia excrementitia. ibid.
Excretio quando salutaris. ibid.2
Excretio quæ periculosa. 33
Excretio interdum pro crisi vsurpatur. 74
Excrescentia, carnea in faucibus. 31
Exedentia medicamenta. 493.2
Exercitatio violenta quomodo exsiccet. 144.2
Exercitatio quę vtilis. 39
Exercitationis & corporis motus vtilitas. 113
Expectorantia in asthmate. 171
in pleuritide. 254
Expulsio quando fiat. 260
Expiratio quid efficit? 18.& 19
Expultris facultas quę? 20.2
Extenuationis in phthisicis causa. 190
Extenuatio non semper est cum sanguinis penuria. 267
Extenuationi in febre hectica clysteres nutrientes conueniunt. 372
Extractum restaurans ex carne veruecinæ, & ex cordibus veruecinis. 423
Exulcerationem indicat dolor acer. 277
Exulcerationis intestinorum causa in vera dysenteria. 258

F

Fabæ. 101.1
Fabarum aqua calculos imminuit. 354
Facies cadaueroſa lethalis. 66
Facies pallor frigidam cerebri intemperiem sequitur. 170.2
Facies hyppocratica quid. 421.2
Facies quomodo defendenda à variolarum noxa. 460
an frequenter abluenda aqua rosacea, aliisque adstringentibus. ibid.
Facies turbercula retrocedentia. 547
Facultas animalia quæ, & quotuplex. 20.2
Facultas auctrix. 19
Facultas concoctrix. 18
Facultas generatrix. 19
Facultas vitalis quid sit. 20
Facultates minus principes quæ. 21
Facultas naturalis quid sit. 17
Facultas expultrix. 18
Facultas quid sit. 17
Faculatum subiectum. ibid.
Fames quæ ominosa. 72
Fames canina magnum morbum arguit. 53
Fames canina. 281.2
causæ. ibid.
curatio. 198
quomodo distinguatur à boulimia. 281
pinguia, & oleaginosa obtundunt. ibid.
Farinacea sedimenta in primis mala. 80
Fasciæ seu lumbrici lati an sint vermis vnicus. 312.2
Fascinus, & incātatio an conceptionem impedire possint. 396
signa. ibid.2
quæ arte dissoluenda. 397
Fastidium cibi quando malum. 280
Fastidij ciborum causæ. 278.1
quodnam magis funestum. 279
cur in diuturnis longis malum. ibid.
Faucium signa periculosa. 88
Faucium vlcera. 248
causa, & differentiæ, ibid.2
curatio. ibid.
narcotica interdum conueniunt. ibid.
Faucium ardor siccitas, & scabrities in febribus quomodo curanda. 432
Febres continuę acutæ. 55
Febres quæ periculosæ. 63
Febris albæ quid? 369
Febris apoplexiam solutura qualis esse debeat. 147
Febrem conuulsioni superuenire cur melius quàm febri conuulsionem. 103
Febris catarrhalis vnde. 197
Febris lactis, eiusque symptomata. 408
Febrium diuisio in simplices putridas, & pestilentes. 420
Febris vnde excitetur in arthritidis principio. 410
vnde febres catarrhales. ibid.
Febris simplex diuiditur in ephemeram, synochum simplicem, & hecticam. 424
Febris ephemera. ibid.
causæ, signa, ibid.2
curatio. ibid.
Febris ab hepate corrupto signa. 321
Febris hectica, vide hectica. ibid.
Febrium putridarum differentiæ. 424.2
Febres putridæ continuæ. ibid.
causæ. ibid.
tempora quomodo considerari debeant. ibid.
Febrium continuarum differentiæ accidentales vnde desumuntur. ibid.
Febris lentæ essentia, causæ, & differentiæ. 425
Febris a sanguine in stomaco putrescente excitatæ historia. ib. putridarum continuarum diagnosis ib.2 curatio 426 & 427. diæta in acutis ib. in minus acutis & longis ibid. cibus quo tempore exhibendus, ibid. quam sit vtilis venæ sectio. 428. mittendi sanguinis temporis ibid. ex quibus venis. ibid. cucurbitulis quando locus. ibid.
potus qualis. ibid.2
Febrium continuarum initio an purgantia conueniant. 427
vomitoria ibid. an aqua frigida. 429. an 430. quando debeantur purgatio. ibid. cur iterari debet. ibid. & seq.
Febre lentæ ob obstructionibus frequens debetur purgatio. ib. quæ diuretica, & sudorifica conueniant. ibid.
Febris tertiana. 358.2. 500. 531.2. 532. 535.2.
Febris tertiana cum vomitu, & alui fluxu in paroxysmo. 498.2
Febris tertiana duplex cum hydropisi. 522.1
Febris tertiana simplex. 515
Febris tertiana diuturna. 520.1
Febris tertiana maligna. 535
Febris tertiana duplex in grauida septimestri. 540
Febris tertiana notha. 561
Febris tertiana, & lumbrici. 463.2
Febris quartana. 502.1. 520. 521.1. 527.2. 528. 531.1. 505

Febris maligna cum parotidibus, 502. 1. 520. 2. 521. 1. 527. 2. 528. 1. 531. 1. 535. 1.
Febris maligna cum sopore. 575. 1
Febris maligna cum exanthematis. 576. 2
Febris hectica. 530. 1
Febris hectica cum suspicione phthiseos. 520. 2
Febris hectica cum putrida complicata. 595. 1
Febris purpurata. 468. 2
Febris elodes. 579. 2
Febres putridas comitantia symptomata, 431. 2
eorum curatio. ibid.
Febres subintrantes dictæ. 435. 2
Febres longæ ab obstructione pendentes decocto cichorij & chamædrios curantur. 434. 2
tertianæ intermittentis specifica. ibid.
Febres compositæ, seu complicatæ. 441. 1
earum differentiæ. ibid. 2. horridæ malignæ. ibid. 2
Febris pestilens, & maligna differunt tantum secundum magis, & minus. 441. 1
intermittentes non semper periculo carent. ibid.
Febrifugium. 524. 1
Fel catelli lactentis antepilepticum. 21. 2
Feminarum temperamentum. 6. 2
Fermentū acre admotum ventriculo, vomitum sedeat. 119. 1
Fermentationes humorū melancholici quæ incommoda sequantur. 340. 1
Fernelius improbatur circa sanguinem è naribus die critico fluentem. 237. 1
Ferri scoria ad exsiccanda aurium vlcera. 29. 1
Fibræ sanguinis quales. 6. 2
Ficus. 103. 2
Figura partium quomodo peruertatur. 20
Filiorum similitudo. 24
Finis Medicinæ quid? ibid.
Fini in quo differant ab hæmorrhoidibus. 318
Filamentorū in vrinis causæ variæ secundam authores. 352
Fissuræ quid? 29
Fistula lachrymalis quid? 218
si per annū perseuerat, cariē in osse producit. ib. 2 profunda, & inueterata cū offis carie solo cauterio curari potest. ib.
curatio. ib. cum ossis carie, solis medicamentis curata. ib.
Fistulam in ano sæpe relinquunt hæmorroides suppuratæ aut exulceratæ. 317
Flatus discutientia medicamenta. 140. 1
Flatuum signa. 57
Flatuum in tympanite causa. 334
materia magis ordinaria est humor melancholicus adustus & atrabiliarius. 419
Flatus quomodo in vteri cauitate contineantur. 391
cū crepitu ex vtero explosus suffitus nucis myristicę. 395
393
Fluor vterinus. 524. 1
Fluor muliebris. 376. 2
Fluor muliebris quid? huic virgines sunt obnoxiæ. ibid. vetulas ad mortem comitatur. 377. Ei an conueniant venæ sectio. ib. 2. diuretica. ibid. 378. caustica tibiæ. ib. 2. adstringentibus quando locus. ibid. lactis chalybeati vsus. ib. 2
39
Fluxio per attractionem. ibid.
Fluxio per congestionem. ibid.
Fluxio quot modis fiat. 30
Fluxiones à capite per quas vias fiant. ibid.
excitantur à frigore comprimente. ibid. 2
causæ. 31
Fluxioni attrahendæ calor maxime idoneus. ibid. 2
interna quomodo ab externa distinguatur. ibid.
Fluxio in pulmonem in infante. 90. 1
Fluxus alui imminentis signa. 311. 1
Fluxus hepaticus quid? differentię. ibid. curatio. 312. causa præter vulgarem intemperiem alia est. ibid. in quo differat à dysenteria, ib. legitimus spurio periculosior. ibid. 2. an locus sit clysteribus, & medicamentis purgantibus. ibid. 2
ei conuenit tinctura rosarum, destillatum restaurans. 336
Fluxus alui in febribus pestilentibus quomodo curandus. 451
481. 2
Fluxus hepaticus, dysenteria. 498. 1
Fluxus hepaticus. 541. 1
Fluxus hæmorrhoidum. 488
Fluxus mensium immodicus, cum hysterica suffocatione. 500
Fluxus mensium inordinatus cum fluore albo. 548
Fluxus sanguinis ex auribus.

Fœcunditatem, vel sterilitatem fœminæ indicantia. 397
Fœminæ minus obnoxiæ anginæ, quàm viri. 249
Fœnugræci vires in opthalmia. 214
Fœtor in ægrotante malum. 86
Fœtus vitalis editur septimo mense. 33. 2
Fœtoris narium causa. 234
curatio. ibid. 2
Fœtum in vtero Galen. comparat fructibus ab arbore pendentibus. 399
Fœtus quomodo sit causa abortus. 400
Fœtus enecantia. ibid 2
Fœtu debili existente, purpuræ quomodo curanda. 404
Fœtus morbi causæ. ibid.
signa. ibid.
Fœtuum mortuum excludentia. ibid. 2
Fœtus mortui ossa per vmbilicum matris excreta. 404. Is, frustra tentatis alijs præsidijs, chirurgica operatione educi debet. ibid. 2
Fœtus mortui per longum tempus in vtero seruati historiæ plures. ibid.
Fœtus in partu morientes. 491. 1
Fœtus mortuus. 577. 2
Fomentum. 151. 2
Fontana aqua. 109. 1
Formatrix virtus ad similitudinem valet. 24
Formatricis virtutes defectus. 39
Forma noua introducta priorem corrumpit. 441
Formicarum vna ad surditatem. 223
Fotus in suffusione. 207
in albumine. 211. surditate. 223. 1. & thalmia. 280. prostomacho in vomitu. 296. in dolore ventriculi. 302. in lienteria. 304. adstringens in diarrhœa. 327. in obstructione hepatis. 311. in scirrho hepatis. 336 in hydrope. 360. chalastici in renum inflammatione. 356. adstringens in mictu renū. ib. dolorem sedans in vlcere renum & vesicæ. 365. vrinæ incontinentia. 373. suppressione mensium discutiens, & roborans in hydrope vteri. 323. sicci flatus discutiens. ibid. & 402. adstringens. ib. emolliens. ibid. valde roborantes in partu difficili. ib. 2. adstringens in fluxu lochiorum immodico. 407. emolliens, & aperiens ad suppressionem lochiorum. ib. 2. carminans in torminibus à partu. ib. in doloribus arthriticis. 389. emolliens. attenuans, & roborans in febre tertiana intermittente. 436. emoliens & attenuans ad curationem febris quartanæ spuriæ. 440
Fractura ossis temporalis. 571
Fractura quid? 29
Fractura cranij in tempore sinistro. 564
Frictiones partium extremarum in gutta serena. 204
Frictionum modus in hecticis. 423
Frictiones in febre syncopali humorosa qua methodo celebranda. 433
In febre pestilenti. 348. 1. in fluore muliebri. 377
Frigiditas qualitas aquæ. 3
Frigiditatis causæ in corpore. 38
Frigus in acutis quando malum? 65
Frontalæ. 153
Frontale in phrenitide. 421
Frontalia repellentia in febre maligna ad capitis dolorem, & vigilias, aut delirium. 455
Frontis vena secanda in febre maligna, ad capitis dolorem, & vigilias. ibid.
Frontale in opthalmia. 213
in hæmorrhagia. 238
Fruges quomodo ab immodica acris siccitate corrumpantur. 443. 2
Fructus, & olera serum generant. 57. 1
Fructus esculenti. 102
Fuligo candelæ ex cera rubra vlcera narium exsiccant. 233
Fuligo cumini, & eius spiritus ad pleuritidem. 260. 2
in paroxysmo hysterico exhibetur. 384. exterius admouetur ad fluxum lochiorum immodicum. 406. 2
Fulmini miscentur interdum spiritus fixantes. 273
Furor vterinus quid. 378
causæ. ib. 2. signa. ib. conueniunt remedia maniæ, & melancholia hypochondriaca propria. 379

G

Gatinum oleum in paroxysmo hysterico confert. 383
& puluis gagates. 385
Galbanetum Paracelsi, in colica, eius descriptio. 298
Galbanum Paracelsi, in colica, eius descriptio. 379
Galenus ex pulsu furibundos mulierū amores cognoscebat. Ga-

Galenus defenditur circa epilepsiæ idiopathicæ causam. 186 impugnatur circa causam materialem, & efficientem calculi. 349. circa causam bullarum vrinis innatantium. 352 circa arenosam in vrinis subsidentiam. 257
Galli Indici. 106
Gallinæ. ibid.
Galli annosi decoctum ad asthma. 256.2 reprobatur opinio eorum, qui eius vsum damnant. ibid. in obstructione hepatis. 327. melancholia hypochondriaca. 341 in calculo renum. 354
Gallina viua, per spinam secta, latari admota in pleuritide. 259.
Gallinarum ventriculi cur in pulueribus digestiuis præscribantur. 285
Ganglion in facie supra Zigoma. 564.1
Gangrænæ signa in vrina. 80
Gangrænæ vteri curatio. 390
Gangræna. 406
Gangræna ex vesicatorio. 506
Gangræna in vulua. 565
alia gangræna. ibid.
alia gangræna in pede. ibid.
Gangræna perineæi, ani, & scroti. 571
Gargarisma. 151.1
Gargarisma ad expurgationem cerebri. 172
discutiens, & resoluens in linguæ paralysi. 243
ad linguæ scabritiem, & ardorem. 353. fauces & guttur à variolis defendens. 459. refrigerans, & repellens in inflammatione linguæ. 242.2.251
Gaudij affectus. 115
Gelatina pro hecticis instaurandis. 423
cornu cerui ad febrem malignam. 454.1
Gemellorum abortus cur frequentior. 400.2
Gemelli in vteri. 550.2
Gemmas cur puerpera in in partu deponere debeat. 404
Genarum reboris causa in peripneumonia. 261
Generatrix facultas quid sit. 194
Generatio quid sit, & quotuplex. ibid.2
vniuoca Generatio. ib.2
Generationis primæ defectus. 40.2
Generalium fotus in febre maligna. 353.1
Gentilitij morbi. 30
Gibbositas. 571
Gingiuarum erosio in pueris aliquando vermium est indicium. 247
Gingiuarum erosi, & exulceratio. 247. curatio. ib.
Gingiuarum fluxus sanguinis aliquando criticus, alias symptomaticus. ib.
Gingiuarum vlceribus maximè obnoxij. ib.
Gingiuarum putredinem arcet spiritus sulfuris & vitrioli. ib.
Gingiuarum affectus in scorbuto. 244.1
Glaciales aquæ. 110.1
Glastea bilis quid. 11
Glastea bilis vndè procreetur, & an præternaturalis? 56
Glande anodynę ad dolores vesicæ leniendos. 260
Glandulæ cur fluxiones facilè recipiant. 189
Glandulæ mesenterium obstruentes. 346
Glaucoma quid? causę & curatio. 234
Globulas plumbeus vulnere sclopeti calcane infixus. 553
Glutinantia medicamenta. 144
Gluten humor secundarius. 9
Gonorrhœa. 503
Gonorrhœa antiqua. 466
Gonorrhœa contumax. 496
Gossypium ad exsiccandos oculos. 215
Granatorum florei exsiccati præseruant à calculo. 355
Graciles quomodo purgandi. 126
Grauitas, qualitas Elementorum. 3
Grauedo quid? causæ, & curatio. 335
Grauatiuus dolor vnde? 221
Grauidæ mulieres quomodo, & quando purgandæ? 124
Grauiditas quomodo vteri tumore distinguatur. 392
Grauidis mulieribus cur familiaris pica. 282
cur circa quartum mensem ea vt plurimum ilberētur. 283
Falsa grauiditas.
Grumi sanguinis in vtero à parte remanentes quomodo educendi. 406. 1. vt agnoscantur. 408
Guaiaci decoctum in paralysi. 180
in epilepsia. 185. in gutta serena. 445. an possit in febre tertiana intermittente tuto exhiberi. 280. in ventriculo frigido. 205. in singultu. 188
Gurgulionis præcisio. 332
Gustatus vitia, causæ. 87. 2. signa, & curatio. 242
Gustus signa prana. 60
Gustus quid. 22
Gutua serena. 203.1
an curabilis? 204. an conueniat phlebotomia. ib.
Gutta serena. 565.2
Gypseapituita. 11.2
Gypsi cum aceto subacti vsus in hæmorrhagia. 239
Gypsum sotum albumine oui exceptum sanguinem fluentem potentissimè cohibet. 247

H

Hæmatites lapis in hęmoptoem. 266.2
Hæmatosis vbi fiat. 18
Hęmoptoe. 485.1
Hæmoptisis quid propriè. 264
causæ ib. partis mandantis signa. 265. & 2. curatio ib. 2
Hęmorrhagia quando periculosa. 74
Hæmorrhagia instantis signa. 90
Hęmorrhagia febris ardens in iuuene indicatur. 32
Hæmorrhagia quid? 65
differentię. ib. causarum signa. ibid imminentis signa ib. 1. criticè apparet in morbis acutis. ibid. 2. & 66.2. quę è directo partis affectæ accidit bona. ib. 2. curatio. ib.
Hæmorrhagiæ sistendę animi deliquium vtile. 63
& cauterium actuale in vtraque planta pedum appositum. ibid. 2. contumacem sistunt narcotica. 69
Hęmorrhagia è naribus, in quartana febre superueniens, eius pessima. 332. 1. salutaris, & critica per gingiuas. 76
Hęmorrhagia ex dente auulso. 549
Hęmorrhagia ex vulnere. 562
Hęmorrhagia ex arteria vulnerata, ligatura cohibita. ibid.
Hæmorrhoidalium venarum apertio per birudines inteneſmo. 313
Hæmorrhoidum fluxus moderatus à quibus morbis præseruet. 316
fluxus immodici causæ. ib. 2. fluxum immodicum cohibentia. 317
Hæmorrhoides ligandi, incidendi, & vtendi modus. ib. 2. post curationem cautio adhibenda. ib.
Hæmorrhoidum dolo. 537.2. 512.2
Hæmorrhoidum immodicus. 538
Hæmorrhoidum dolor. 317.2. causæ. 318.1. curatio. ibid. quę purgatio conueniat. ib. topica admouenda ib. vlceratarum curatio. 287
Hæmorrhoides absumentia. ib. quomodo aperiendæ. ib.
Hæmorrhoidibus obnoxio causticum tibiæ vtilissimè admouetur. ibid.
Hæmorrhoidum apertio in febre pestilenti vtilis. 449. & in calculo renum. 353
Hectica febris inter omnes sola est in facto. 193 t
Hectica febris. 421.2. Eius differentiæ, & gradus ib. 2. causę internæ, & externæ. ib. sedes. ib. quare habitualis dicatur. ib. signa, variorum graduum. ib. curatio. ibid.
Hecticos instaurantia alimenta. ib. 2. aquæ frigidæ potus an conueniat. ib. qualis debeamus purgatio. 425. 1. lac, & balneū maximè conueniunt. ib. 2. antiquorū balneādi modus. ib. alterantia potius quàm purgantia conueniunt. ibid.
Hederæ terrestris succus ad dysenteriam. 302
Hellebori vis in mania. 194
Hellebori extracto cancer incipiens sanatus. 210. & seq.
Hemicrania quid. 150. 1. arteriotomia curata. 101
Hemicrania. 518.2
Hemitritæus. 578.2
Hemitritæa febres plerumque ad intestinorum, & mesenteriij inflammatione exoritur. 347.1
Hemitritæus quid. 44. 1. Eius differentię. ib. signa diagnostica. ib. 2. motus inequales a qua causa dependeant. ib. cur periculosus. ib. curatio. ibid.
Rara hemitritæi species. 533
Hepar pars organica. 16
Hepatica medicamenta. 137
Hædina caro. 105
Hepatis affectus. 323
Hepatis calida intemperies. ib. differentiæ, & causæ. ib. curationem. ib. 2. inflammatio 324. differentiæ, causæ. ib. 1. & 2. signa. ibid.
Hepatis inflammatio à topicis calefacientib. præpostere admo-

motis excitata. ib. & cucurbitulis regioni hepatis admotis. ib. à musculorum abdominis inflammatione quomodo distinguatur. ib. à pleuritide, & mesenterio inflammatio. ib. 2
Hepaticus solo faciei colore plurimos Galenus agnouit. ib.
hepatide siculum modicum tentari cognouit Galen. ex deiectionibus. ib. quæ periculosior. ib. quibus modis terminetur. ib. 2. ad suppurationem vergentis curatio. 325
Hepatis vlcus. ib. sine præcedenti inflammatione quomodo dignoscatur. ib.
Hepatis obstructio. 325. 1. est morbus in via, & meatu obstructio. ib. causa materialis ib signa. ib. 2
Hepatis scirrhus. 331. 1. differentiæ. ib. causæ signa. ib. curatio. ib. insensibilis curationem non recipit. ib.
Hepar gratiosi humoris fons est. 381
Hepate calido, cerebro frigido, vt plurimum sunt, catarrho obnoxij. 198
Hepatis atonia in hepatico fluxu pendet à causa supra primarum qualitatum excessum. 311
Hepar inflammatum dulcibus offenditur. 326
Hepar an semper afficiantur in hydrope. 331. sanguificatio an lædatur in hydrope. ib.
Hernia. 573
Hernia aquosa in infante. 490
Hermeticorum opinio circa causam sitis morbosæ. 584. circa ventriculi concoctionem vitiatam. 285. circa causam choleræ morbi. 350. circa calculosas causas. 294
Hiera commendatur in morbis ventriculi. 280
Hirci sanguinis, & vrinæ vsus ad renum, & vesicæ calculum. 353
Homines cur alij sint breuioris, alij procerioris staturæ. 19
Hordeum. 101
Hordei ptisana febricitantibus maximè conuenieus. 427. 1. duplex erat antiquos. ib.
Hordeatum in catarrho. 99
Hormini semen oculum à sordibus purgat. 207
Horror primo perceptus, aut frigus indicat principium morbi. 35
Horror quando malus. 241
Origo eius. ib.
Conseruatio. ib.
Horrificæ febris essentia, & causæ. 425. & dicitur à Græcis. ib. 1
Hydatides vesiculæ. 333
Hydrargyri assiduus contactus paralysim excitat. 179. 1
Hydrargyro curata cataracta. 52. 1. ophthalmia inueterata. ib. surditas. 223. 1
Hydrargyrus maximè dentes denigrat. 246. in ileo desperato exhibendus. 301. an possit exhiberi contra vermes. 299.
Hydromel ad phthisim. 271. pro potu in vlcere renum. 282
Hydrops pectoris. 263. 1. & 2. causæ. ib. signa curatio. ib.
ad Hypocr. graphice delineatus. ib.
Hydrocephalos. 563
Hydrops. 534. & seq.
Hydrops pectoris. 540. 1
in puero septem annorum. 508
Hydrops in puero. 535. 2
Hydrops tympanites. 525. 2
Hydrops thoracis. 530
Hydrops spurius. 536
Hydrops ventriculi. 553. 1
Hydrops incipiens. 560
Hydrops ab intemperie calida. 581
Hydrops abdominis aliquando degenerat in hydropem pulmonis, & vice versa. 264
Hydrops pulmonis, lateris apertione non curandus. ib.
Hydrops ex sanguinis profluuio lethalis. 291
Hydrops duplex particularis, & vniuersalis. 331
vniuersalis species. ib. an semper hepate affecto fiat. ib.
Hydropicorum aqua interdum non cauitate abdominis: sed in vesiculis quibusdam continetur. ib. 2
Hydropis ascitis causa præcipua. 248. non sanguificatio læsa, sed serosæ materiæ retentio. ib. 2. causæ variores 333. à nimio potu aquarum. 331. 333. & seq.
Hydropicorum aqua per quas vias feratur in capacitatem abdominis. ib. 2
Hydropis signa & species. 484. alui fluxus quando salutaris. ib.
Hydropici qui sanabiles. ib. 2. in cruribus abscessus vel maculæ mali sunt ominis. ib.
Hydropis curatio. 334. 1. diuretica laxantibus magis proficua. 335. venæ sectio quando conueniat. 333. cauteria, vesicatoria, & scarificationes cur non debeant fieri. ib. an conueniat paracentesis. ib. sudorifica vtrum proficua. ib. potus qualis esse debeat. ib. sitis fallenda mandendo grana aliquod mastiches. ib. refrigerantibus interdum curandus. 336. & 337.
Hydragoga medicamenta. 133. 2
Hydrops fere lethalis. ib.
Humidum primigenium. 14
origo eius. ib.
conseruatio. ib.
Humidæ intemperaturæ causæ. 39
Humiditas qualitas aquæ. 2
Humoris natura. 7
Humorum differentiæ & numerus. ib.
Humores primarij. ib. 2
secundarij qui. 90
eorum numerus. ib.
Humores excrementitij. ib. 2
Humorum motus & dispositio ad crisin obseruanda. 37
Humorum præparatio. 126
Hiemis temperamentum. 7
Hyemis victus. 99
Hyemis qualitates. 123
Hyosciami folia in aceto decocta scirrho hepatis. 331
Hypochondrij durities quid significet. 49
Hypochondriorum signa periculosa. 88
Hypercatharsi superueniens conuulsio lethalis. 182
Hypercathartica medicamenta. 293. 1
Hypercatharsis. 533
Hypersarcosis. ib.
Hypochondriaca melancholia. 195
Hypochondriorum grauitas, seu societas obstructi hepatis signum. 328
Hypopyon quid. 216. causa signa. ibid. curatio. ibid. concussione capitis & punitione curatur. ib. 2
Hysterica medicamenta. 309
Hystericorum affectum causa, & descriptio. 533
Hysterica symptomata quomodo distinguatur à syncope. 282
ab apoplexia. ibid. ab epilepsia. ib.
Hystericæ mulieres quomodo à mortuis distinguantur. 383.
defunctæ ante tertiam diem non sepeliendæ. ibid. cur sternutatio superueniens bona. ibid.
Hysterici paroxysmi curatio ibid. 2. graueolentia naribus, & suaueolentia vtero admouenda. ib. venæ sectio conueniant. 383. an vinum in paroxysmo. 384. extra paroxysmum curatio. 385. prægnantes quomodo tractandæ. ibid. 1. & 2.
Hystericam passionem sæpe comitatur vteri intemperies. ib.
Hysterica pilepsia. 447. 1
Hysterica passio. 562. 5 24. 1. 547. 5
Hysterica symptomata. 551. 2
Hysterica affectus. 420

I

Ialapæ radix influxu muliebri seroso præstantissima. 378. 2
In ictericis an color flauus sit morbus. 262.
Ictericorum flauus color fuffitu aceti discutitur. 207
Ictericis obiecta flaua apparent, si sit magna bilis effusio in corneam. 211
Ictericus est symptoma qualitatis mutatæ. 336. 1
Eius differentiæ. ibid. 2. causæ, signa causarum. ibid. curatio. ibid. 2. an semper ante septimum lethalis. ib. specifica. ib. 2
Ictericus albus quid. 369
Ictericus. 466. 1. 468. 1
Ictus serpentum. 545. 1
Ictus vespæ. 198
Idiopathicus morbus. 547. 2
Idiopatici affectus continui sunt. 217
Ignobiles partes organicæ quæ. 17
Ileos Latinis volvulus, aliis Χόρδαψος barbaris miserere mei. 299. Eius causæ, signa, ibid. 2. curatio. 300. proprium signum est, nihil per inferiora descendere. 239. non semper lethalis, in quo fæces euomuntur. 300. ab inflammatione conuenit venæ sectio. ib. inedia ib. desperato follis fabrilis & argenti viui vsus conuenunt. 461. ab intestini prolapsu quomodo curandus. ib. quibus signis distinguatur a colico dolore. 299
Ileos seu miserere mei. 553. 2

Illica passio. 516.2
Illuminationis mensis. 30.2
Imaginatio quid sit. 20.2
Imaginatrix facultas ad similitudinem prolis cum parente multum confert. 246.1
Imaginatio an lædi possit ratiocinatione illæsa. 190
Imperforatæ, seu atretæ mulieres quæ dicantur. 314. *curati.* 396
Impetigines. 549
Impetigo, & pruritus corporis. 550
Inanimata quomodo calefiant. 382
Inanitio quomodo singultum excitare possit. 286.1
Inappetentia in bilio sis frequens. 47
Inappetentiæ causæ. 278. *prognosis. ib.* 2. *à caloris nativi exolutione lethalis.* 279
Inappetentiæ in febribus curatio. 433. & 434
Inappetentia. 546
Insessus ad dysenteriam. 169.2. *in tenesmo.* 172.2. *hæmorrhoidum dolore.* 318
Incisiones quotuplices. 196
Incontinentiæ vrinæ causæ. 364.2
Incrassans blandum, humoremque acrem demulcens. 99
Incrassantia humoris in catarrho. *ibid.*
Indicans. 117
Indicata. 118
Indicatio à morbo communi, seu solutione continui. 128
Indicatio à morbo organico. *ibid.*
Indicatio, & illius differentiæ. 116
Indicatio à morbo similiari. 128
Indices dies, seu contemplabiles. 32.2
Indiuidui similitudo vnde. 24.1
Inedia quomodo exsiccet. 58
Inedia bilem generat. 45
Infantium quis esse victus debeat. 101
Inflammationes interiorum partium acutæ sunt semper. 222
Inflammatorius dolor quid notet. 52
Inflammatio testium cum vrinæ suppressione. 554
Influens spiritus. 13
Influxus syderum, quomodo sint causæ morborum. 444
Ingenium, effectus bilis. 45
Inguinis dolor ex vtero in illo conglobato quomodo curandus. 480
Iniectiones vesicæ vlcera detergentes, & consolidantes. 363 *quo instrumento immittendæ.* *ibid.* *ad vesicæ dolores.* *ibid.* *ad Dysuriam.* 368. & 369
Iniectio. 326
Iniectiones in vterum in mensium suppressione. 374. *fluxu mensium immodico.* 376. *fluxu muliebri.* 380. *furore vterino.* *ibid.* *vterum inflammatione.* *ibid.* 2. *ad vlcus vteri.* 388. *detergentes exsiccantes, & consolidantes.* *ibid.* 2. *in cancro vteri.* 375. *hydrope vteri.* 393. *aduersus sterilitatem à frigida causa.* 397. *ad excludendam secundinam.* 406.
Iniectio in anum ad fluxum hæmorrhoidum immodicum. 319
Innominatus humor quis. 11
Inquietudines febricitantium signa. 432
Inquietudines, morbi maligni indices. 54
Insalubris status quis. 25
Insipida pituita quæ. 13
Insitus spiritus quis. 15
Insomnia phreniticorum salutaria. 65.2
Insomnium quid? 21
A qua causa oriantur vt plurimum. *ibid.*
Insomnia pituitosorum. 46
Inspiratio quid efficiat. 19.2
Instaurantia alimenta pro hecticis. 423
Intemperies quid, & earum diuisio. 156 2
Calida intemperies an detur. *ibid.*
Intemperies quomodo corrigenda. 128
Intemperantia, Medicorum nutrix. 94.2
Intemperaturæ calidæ causæ. 205
Intemperaturæ frigidæ causæ. *ib.*2
Intemperaturæ siccæ causæ. *ibid.*
Intemperies simplices tum etiam immateriales, rarò inueniuntur. 555
Intermittentes febres an semper periculo vacent. 442
Intercalares dies. 33
Intercidentes dies. *ibid.*
Intermittens morbus. 30
Intermittentes febres an periculosæ. 63
Internuntij dies, siue indices ad crisin, qui. 33
Intestina lumbricis obnoxia. 47
Intestinorum affectus. 257
Intestinum lupi ad colicam, eius præparatio. 199
Intestinorum motus naturalis peristalticus dictus. 200. *quomodo inuertatur.* *ibid.*
Intestina tenuia an crassa afficiantur vlcere. 305. *earum inflammatio in dysenteria quomodo curanda* 306
Intestinorum exulcerationis causa est qualitas maligna, specifica. 305. *curatio.* 306. & *seq.*
Intestina à variolarum noxis defendentia. 449.2
Instrumenta Medica. 300
Inuentio remediorum. 120
Ira calefacit corpus. 38.2
Iræ effectus. 115
Irrepentes dies. 35
Ischiadici doloris à causa calida curatio, 417
Ischuria quid. 366. *causæ ischuriæ legitimæ, & notbæ.* *ib.* & 367. *signa causarum vtriusque ibid.* 2. *curatio ib.* 2. *cur valdè periculosæ.* 369. *à grumo sanguinis quomodo curanda.* *ibid.*
Iudicium temperamentorum. 5
Iudicio crisis comparatur. 30
Iugulares venæ in angina aperiri possunt 252. *modus secãdi.* *ib.*
Iulepus. 316
Iulepi refrigerantes in phrenitide. 191. *in mania.* 195. *in catarrho.* 199. *in pleuritide.* 275. *ad hæmoptoen.* 514
Iulepus cardiacus. 278. *lienis in calculo renum.* 355. *in vomitu bilioso.* 289. *in vomitu sanguinis.* 290. *in dolore ventriculi.* 295. *phlegmone.* 297. *fluxu hepatico.* 391. *vermium curatione.* 315
Iulepus Alexandrinus, & varij iulepi hepar refrigerante. 324. *in renum inflammatione.* 260. *calculos imminuens* 352. *leniens, & detergens in vlcere renum & vesicæ.* 363. *consolidantes in vlcere renum & vesicæ.* *ib.* *adstringentes. in diabete.* 364. *aperientes in schuria.* 367. *refrigerantes & lenientes.* 369. *incrassans & leniter adstringens.* 381. *ad leniendos humores biliosos acres.* 407. *refrigerans in febre hectica.* 424
Iulepus Alexandrinus pro potu in febribus putridis, biliosis, eius compositio. 430
Iulepi in febribus biliosis. 431
incrassantes in bile valde acri, & tenui. *ibid.*
in febribus pituitosi, & melancholicis. 432
Iulepus cardiacus gustui gratissimus. *ib.* *mouens sudores in febre tertiana intermitente.* 440
aperiens, abstergens, & incidens in febre tertiana contumaci. 439
variolarum eruptionem adiuuans. 440
motum sanguinis & ebullionis frænans, & modice refrigerans. *ibid.*
Iulepi alterantes in febribus malignis ex quibus componendi. 451. *eorum formulæ.* 455. *præparantes humorem melancholicum.* 539
Iulinucis iuglandis ad suffocationem hystericam. 354
Iuniperi granorum decoctum ad diarrhœam. 265
Iusculæ. 148.2
Iusculum in adstrictione alui. 302
Iusculæ medicatæ ad hepar refrigerandum. 374
ad suppurationem acceleranda in hepatide. 325
ad obstructiones hepatis. 528. & 391. *in calculo renum.* 353
in melancholia hypochondriaca. 391. *in dysuria.* 369
in fluxu mensium immodico. 445
aperiens diureticum, & menses mouens. 392
Iusculæ cur ægrotantibus in morbis quantumuis acutissimis concedantur. 391
medicatæ in continuis putridis vsurpanda. 369
lentis, & diuturnis. *ibid.*
ex decocto cichorij, & chamædrios mira præstant, in febribus longis, ab obstructione pendentibus. 455
aliud iusculum in quo exhibentur trochisci de absinthio, de rhabarbaro. *ibid.*

K

Κιττα *quid.* 282
Κοιλαμα 216
Καταστασις. 222
Κρασις *præter temperamenti quid.* 5.1

L

Labrorum signa. 58
Lac oseulentum. 155

Lac muliebre omnibus alijs præferendum. 300
Lacte solo interdum phthisici nutriuntur. 29
Lac non omnibus siticulosis interdici debet .240. putrescens cur non generet vermes. 313
Lactis serum hepar refrigerat. 324
Lac asininum corpus emaciatum restaurat. ib. interdum conuenit in melancholia hypochondriaca. 442. in vlcere renum, & vesicæ. 262. in dysuria. 266
Lac ouillum commendatur admictum sanguinis. 361. 2. vaccinum maximè confert ad solidationem vlcerum, renum, & vesicæ. 363. 1. ouillum, bubulum aut asininum conueniunt in diabete. 365. chalybeatum maximè confert influore muliebri. 378. asininum in vlcere vteri. 388
Lac tepens recenter multum anodynum præstantissimum in vlcere vesicæ. 366. in arthritico dolore. 412. asininum ad præcauendam arthritidem biliosam. 416. hecticis maxime conueniens. 424
Lac calens gargarizatum dolorem lenit. 455
Lacertæ caput, auri admotum corpuscula auri inserta extrahit. 231
Lactuca oculi infensa. 263
Lactuca. 102
Lactuca refrigerat. 194
Læsio actionum vt primum sentitur, incipit computatio dierum criticorum. 36
Læuiter vnde oriantur. 40
Lapidescens succus causa materialis calculi. 250. 2
Lapidifico spiritu hominum corpora aliaque in saxa conuersa. ibid. 2
Lapis sub lingua. 408
Larynx, & pharynx propter viciniam in angina vt plurimum afficiuntur. 249
Laryngis vsus, & officium. ibid.
Laryngotomia vtrum in angina celebranda. 254
Lateralis dolor quid significet. 91
Laudani vsus in clysteribus phreniticorum. 191
Laudani vsus in catarrho calido. 100. in hæmorrhagia. 259 in dolore dentium. 242. in faucium doloribus, & vlceribus. 249. in vomitu. 290. in pleuritide, sed exigua dosi. 260 in cholera morbo. 292. in dysentericorum clysteribus. 307. in tenesmo, etiam per os in calculo renum. 417. in ischiadico dolore acerbiore. 355
Lauēdulæ flores in mensium suppressione commendantur. 417
Legitimus morbus. 372
Legumina melancholiam generant. 47
Lentæ febris essentia, causæ, & differentiæ. 426
Lentiscini ligni decoctum ad cerebrum exsiccandum. 198. 2. in fluxu hæmorrhoidum immodico. 381. pro potu in mictu sanguinis. 361. 2
Lentes. 273
Lentores dentium in febre quid notent. 88
Lentium decoctum an ad variolarum expulsionem conueniant. 102
Leporina caro. 108
Lethalis morbi signa. 61
Lethalis morbus. 305
Lethargi differentia ab apoplexia, caro, & comate. 373. parotides superuenientes salutares, ib. Ei qualis purgatio conueniat. 175
Lethargici quomodo empyici fiant. ib. scammonium cum castoreo exhibitum perutile. 176
Leucoma quid. 211
Leucophlegmatia vnde dicta. 334. quando salutaris diarrhæa. ibid.
Libidinis sensus deperditus quid arguat. 52
Lien obstructionibus obnoxius. ibid.
Lienis nouus vsus ex hermeticis. 285. 2
Lienosi gingiuarum vlceribus obnoxij. 246
Lien maiorem consensum habet cum ventriculo, quàm hepar. 291
Lienis inflammatio. 205. 1. signa, & curatio. 338
Lienis morbi .ib. inflammatio criticè soluitur per hæmorrhagiam naris sinistræ. ibid.
Lienis dolor. ib. quomodo ab inflammatione, & colico dolore distinguatur. ib. curatio. ibid.
Lienis obstructio seu inflatio. ib. causæ, & signa. ib. 2. fuit sublata decocto radicis chinæ. 339
Lienis scirrhus. ib. quomodo distinguatur à tumore flatuoso seu inflatione. ib. curatio. ib. 1. & 2
Lienis curæ specialis habenda est in febre quartana. 440
Lien per ramos splenicos cum omento communicat. 348
Lien potulentam materiam ad se trahit. 333
Lienosis dysenteria superueniens, quæ bona. 307
Lienteria vnde significetur. 302
Lienteria quomodo fiat. 30
Lienteria quid. 302. causæ ibid. signa, curatio ibid. 2. fit potius vitio retentricis ventriculi concoctricis ibid. 1. quid differat à cœliaca passione. ibid. lætitas intestinorum appellatur. ibid. qualia enemata conueniant. ibid.
Ligni nephritici infusio facta pro potu ordinario in obstructione hepatis. 333. Melancholia hipochondriaca. 343
Limachum liquor ad arthritidem. 414
Limaturæ chalybis varius vsus, in obstructionibus referendis. 324
Limonum succi cautus debet esse vsus. 354
Limonum aqua à calculis renes liberat. 356
Linariæ herbæ decoctum hæmorrhoidum dolores sistit. 319
Linguæ signa lethalia. 88
Linguæ affectus. 86. humores, & magnitudo valde excedens. ibid.
Linguæ humorum diagnosis. 241. & 2. curatio. ibid.
Linguæ scarificationes profundæ, ad curationem tumoris œdematosi linguæ. 242
Linguæ paralysis. 243. causa ibid. curatio. ib. 2
Linguæ paralysis ex profunda cucurbitularum scarificatione. 244
Linguæ siccitas ardor, & scabrities, quomodo curanda in febribus. 431. 2. in febre maligna. 454
Linguæ tumor. 556
Linguę frigiditas lethalis. 559
Linimentum. 152
Linimenta in conuulsione vsurpari solita. 183. ad pleuritidem. 251. 254. refrigerans, & leniens in phthisi. 251. 1
Linimentis ad pleuritidem cera, & mucilagines non conueniunt. 259
Linimentum in palpitatione cordis. 280. ad ventriculi in appetentiam. 286. ad ventriculum calefaciendum. 288. in vomitu sanguinis. 301. 1. ad lumbricos. 327. in dolore hæmorrhoidum. 331. & 332. in hepatide. 342. in obstructione hepatis. 347. scirrho hepatis. 352. ventriculo admouendum in hydrope. 353. hepati. ib. calculo renum. 382. & 383. renum calida intemperie. 385. adstringentia in mictu sanguinis. 396. consolidationem adiuuantia in vlcere renum & vesicæ. 398. dolorem sedans. ibid. adstringens in diabete. ib. 2 adstringens in vrinæ incontinentia. 401. aperiens in suppressione mensium. 412. fluxu mensium immodico. ib. 2. detergentia, exsiccantia, & cicatricem inducentia. 422. in cancro vteri. 427. aduersus sterilitatem à frigida causa. 438. ad fluxum lochiorum immodicum. 442. 1
ad dolores arthritidos sedandos. 447
ad roborandos articulos. 450
resoluentia ad dolorem ischiadicum. 454
refrigerantia hepati, & lumbis admouenda in synocho simplici. ibid.
hepatis admouendum in febribus putridis continuis. ib.
Linteamina & indusia an sint frequenter in morbis immutanda. 450
Lypothymia cur pulsum minuat. 42
Lipothymia quid differat à syncope. 274
Lypothymia & alia symptomata ex vtero. 536
Lippitudo quid. 310
Lipyria febris adest in inflammatione ventriculi erysipelatosa. 295
Lipyria febris quid? 425
Linimentum. 152
Liquida facilius, vel difficilius deglutiuntur in angina. 251
Liquores cardiaci ad palpitationem. 266. & 177
Lithontripica. 310
Liuiditas vbi mala. 179
Lixiuium discutiens in tumore œdematoso, tibiarum & pedum. 255
Loca quædam cur pestifera labe tententur. 444
Lochiorum fluxus immodicus vnde æstimandus. & seq.
Loccbiorum suppressio. 406. 1. causæ, signa. ib. curatio. ib. 2
Lochiorum suppressionem quæ mala sequantur. ibid. quando debeatur ei purgatio ibid. vnde mittendus sanguis. ibid. 204
Lolium visui inimicum. 485
Lochia suppressa. 145
Looch.

Lvoch in angina. 176. in æstmate. 256. pleuritide. 260. empyemate. 165. in hæmoptysi. 269. ad linguæ scabriem & siccitatem. 132. & 454
Lotiones pedum in pleuritide. 190. coxarum & tibiarum ad excludendam secundinam. 242. manuum & pedum in febribus continuis. 431
Lues venerea semper maligna. 218
Lues venerea in puero. 488. 507
Lues venerea inueterata. 533
Lues venerea antiqua. 534
Lues venerea in puello nuper in lucem edito. 564
Lues venerea in puero quinque annorum. 568
Lumbrici excreti quid indicent. 49
Lumbricos enecantia medicamenta. 141
Lumborum dolor in febribus quibus remedijs curandus. 432
Lumbrici ad quodgenus affectuum præternaturam referendi. 313
Lumbricorum triagenera ibid. 2. causa efficiens. ibid. materialis ibid. signa. 318
Lumbricorum excretio quo morbi tempore salutaris. ibid.
Lumbrici lati an vnicus vermis, an ex pluribus conflatus. ibid. an ex melle, & saccharo possint generari. ib. 2. quæ mala accersant. 333
Lumbricis cur maximè infestentur pueri lactantes, quibus carnes exhibentur. ibid.
Lumbricos enecantia. 226. quæ purgantia conueniant, quales clysteres. 314
Lumbricis in febre maligna quibus remedijs curandi, & educendi. 430. interdum alui fluxum excitant. 262. quibus signis dignoscantur. ibid.
Lumbrici. 311. 332. 336. 340. 552. 512. 560.
Luna in crisibus maximè dominatur. 34
Lunares radij cerebro infensi. 170
Lupia. 560. 565. 569.
Lupis sanguis surditatem curat. 223. hepar, specificum fluxu hepatico 312. hepar exsiccatum epilepsiam hystericam præcauet. 315. caro exsiccata amuletum in suffocatione hysterica, ibid. intestinorum pulus in colico dolore. 203
Luxationem coxæ cur ischiadicus dolor inferat. 462
Lysis quid. 30

M

Macies etiam à sanguinis copia. 208
Macies summa cur vna ex sterilitatis causis. 396
Maculæ præcipuè in cruribus vnum ex scorbuti signis. 320
Macula quid. 211
Maculæ purpureæ symptoma febri pestilenti proprium, & peculiare. 442. sed non vere pathognomonicum. 446. non malignæ in corpore apparentes quid indicent. ibid.
Macula in cornea. 564
Magnitudinis viti aquæ. 40
Mala per sicca. 104
Armeniaca. ibid. 2
Malacia quid. 283. causæ. 34
Maligna febris quæ 342. cur carbunculi, & parotides eam significent. 351. 1. maculæ purpureæ. ibid.
Malignæ febris symptomatum curatio. 461
Maligna febris cum parotidibus quibus remedijs ab authore curata. 460
Malignitas quomodo à putredine distinguatur. 486
Malignis, & pestilentibus morbis purgatio in principio instituta maximè noxia. 461
Maluæ florum conserua leniendo arenulas expurgat. 327
Maluæ decoctum, & florum conserua ad dysuriam. 354
Mammarum extenuatio in prægnante cur obortum portendat. 395. & 369
Mammæ inflammatio. 490
Mammillarum inflammatio. 460
Mammillarum fissuræ. 490
Mammillarum fissuræ, & bircus alarum. 456
Managora refrigerat. 14
Mania quid. 195. signa præsentis, & imminentis maniæ. 193. in quo differat à phrenitide, & melancholia 192. cur non habeat febrem comitem. ibid. fit a maligna, & venenata qualitate ib. & 192. qua anni tempestate sepius cõtingat. ib. curatu difficillima. ib. 2. curatio. ib. amuletum. 194
Mania. 522
Manus est instrumentum dignoscendi temperamentum. 7 1
Manuum ac pedum præcipue in vrinis calor signum calidioris hepatis. 230
Manuum, & pedem refrigeratio maximè iuuat in febribus continuis. 336
Marasmus. 37
Marasmus quid. 450
Marcoris variæ causæ. 208. 209
Margaritarum, & corallorum laus in febribus malignis. 529
Marium temperamentum. 7
In maribus triginta dierum spatio partes spermaticæ perficiuntur. 207
Marrubij succus ad morbi regij curationem. ibid. conserua ad schirri hepatis curationem. 280
Martis vitrioli vsus in menstruis fluentibus. 372. in epilepsia hysterica. 385
Massa sanguinea quid. 82
Masticarij compositio. 16. 1
Masticatoria medicamenta. 136
Masticatoria ad expurgandum cerebrum. 33. 79. in dolore dentium. 246
Masticha sumpta vomitum compescit. 359
Masticha, vsus in hydrope ad hydropem fallendam. 354
Materiæ vitium in corpore quotuplex. 46
Materiæ præparatio, & inductio formæ ab eodem agente proficiscitur. 312
Materia in thoracis capacitate contenta qua transeat, & expectoretur. 224. 2
Maturatio. 185
Maxillarum tumoris curatio per resolutionem. 446
Adstringentia non intempestiuè applicanda. 240
Meatus sunt ductus patentes, per quos serosa materia in abdominis capacitatem defertur. 331. 2
Medendi methodus. 286
Medici Parisienses notati de sanguinis missione in pueris. 458
Melancholia. 537
Melrosaceum cum guttis aliquot spiritus vitrioli ad oris, & faucium vlcera. 249
Mel, & saccharum an lumbricos generent. 313
Mellis aqua ad albuginem. 213. 1
Melicratum quibus non conueniat. 415
Melancholici humoris redundantis signa. 180
Melancholici hæmorrhoides superuenientes salutares. 239. 1, 195.
Mel. 107. 2
Melanagoga medicamenta, vide supra medicamenta. ib.
Melancholia alimentaria quid. 12. & 20
vnde generetur & qui illius sint effectus. ibid.
Melancholia excrementitia quid, & vsus. 11
Melancholicis vnde oriantur insomnia. 24
Melancholicorum signa. 52
Ingenioſi. 33
Melancholia morbus. 101. in quo differat à phrenitide, & mania. ibid. varij gradus ibidem. signa. 102. morbus contumacissimus opprobrium medicorum dictus. ibidem. 137
curatio. ibid.
Melancholia hypochõdriaca inter morbos lienis collocari debet. 307. focus, & causæ. 308. cur pueris, & adolescẽtes minimè obnoxij. ib. cur affectio flatuosa ab antiquis vocata. ib
Melancholicorum vaporum varia symptomata. 309. curatio ibid. an conueniat aquarum thermalium potus. 311
Melancholica symptomata scorbutis similia. ibid.
Melancholicus humor duplex, naturalis, & præternaturalis. 252
Melones. 104
Membranam affectam quid indicet. 49
Memoria quid. 22
Memoria infida pituitosis. 45
Mensium instantium signa. 90
Mensium fluxu quis esse debeat. 12
Mensium suppressio. 365. causæ. ibid. causarum signa. 351. quæ grauidis contingit, quomodo distinguatur ab ea, quæ à causis præternaturalibus procedit. ib. 1. & 2. multorum ac grauissimorum morborum causa est. ibid. post sextum mensem an sit incurabilis. ib. cauteria tibijs admota, an conueniant. 360. curatio. 359. præcepta obseruanda in vsus remediorum. 368
Mensium fluxus immodicus. ibid. 2. causæ, signa 360. causarum diagnosis. ibid. curatio. ib. sanguis magna copia detractus sistit. ibid. specifica. ib. 2
Mensibus ac lochijs fluentibus in precipiti angina an mittendus sanguis. 38. 2
Menstrua alba siue fluor muliebris. ibid.
Mensium suppressio. 46

Men-

Menſium fluxus immodicus cum principio hydropis. 4
Menſtruus ſanguis an ad generationem concurrat, quid ſit, & eius affectio. 23
Mercurius quomodo præparandus ad epilepſiam. 186
Mercurius dulcis vſus in colico dolore. 298. in obſtructionibus commendatur ſicut, & mercuriales purgationes. 329. in hydrope. 327. vlcerat, mundificat, & conſolidat. 334. cum ſcammoneo exhibitus in dolore iſchiadico. 363. in rheumatiſmo. 315 contra vermes. 348
Mercurius diaphoreticus in diarrhœa exhibendum. 404. 2. in curatione hydropis. 61. vlcera mundificat. 363
Mercurius vitæ ad curationem hydropis. 334. an poſſit exhiberi ad curationem fœtus mortui. 405
Mercurij inunctione curata cataracta. 209. ophthalmia deſperata. 216. 2. an exhibendus contra vermes cruditas. 314
Mercurius præcipitatus rubeus, ad polypum, & ſarcoma. 234
Meſaraicæ venæ quibus obſtruantur. 546
Meſenterij ventris inflammatio hepati communicatur. 325
Meſenterij tumor quomodo ab hepatii inflammatione diſtinguatur. ibid.
Meſenterij morbi. 346. 1. & 2
Meſenterium medicorum nutricola vocatur ibid. obſtructio. ibid. cauſæ. ib. ſigna. ibid. inteſtinis, & lumbis aligatur. 324
Meſenterij inflammatio. 346. cauſæ, & ſigna ibid. quomodo à muſculorum abdominis inflammatione diſtinguatur. ibid.
à diaphragmatis humoribus. ibid.
Meſenterij abſceſſus, vlcus, & ſcirrhus quomodo dignoſcatur. 347. curatio. ibid. abſceſſus non ſemper fit ab inflammatione. ibid. cur ſemper periculoſus. 348. 1
Meſpilorum vſus frequens in diarrhœa. 305. 2
Metrenchytæ ſeu clyſteres vterini ad menſium ſuppreſſionem 151. 1. non præſcribendi virginibus. ibid.
Miſſu ſanguinis. 350. 2. cauſæ ibid. curatio. ibid 2. ſigna partis affectæ. ibid. topica conuenientia. 361. 1. & 2. lac omnium vtile. 360. 2. à calculo, & arenulis quomodo curandus. 361
Miſſio ſanguinis. 122
Mixtio elementorum quid ſit, et quid ad eã requiratur. 2. & 3
Mille folij decoctum ad hæmoptoen. 266. 2 in hæmorrhoidum dolore. 313. ſanguinem ſiſtit. 374
Mille florum aqua, ſeu ex ſtercore vaccino, variolarum cicatricibus implendis idonea. 459. 2
Millepedum laus in calculo renum. 132. calculo veſicæ. 260. eorum præparatio. ibid. 2. ad aſthma. 255. 2. aſelli nominantur. ibid.
Moderatio victus quæ eſſe debeat. 89
Modus ſecundum vnguentũ parãdi ad conſolidandum. 444. 2
Mollities cutis quando mala. 553
Mollities quid ſit. 4. 1
Morborum differentiæ accidentales ratione magnitudinis motus, temporum, &c. 29
Intentio in morbo differentiam conſtituit. ibid.
Morbus quid. 25
Collocatur in prædicamento qualitatis. ibid. 2
Permanentiam habet in parte. 26
Actio læſa per morbum. ibid.
Morbis communis differentia. 196
Inter Morbum, & ſanitatem datur medium. 25
Cauſæ morbi, & eorum differentiæ. 37
Cauſæ differentiarum accidentalium morborum. 40
Cauſæ morborum ſimilarium. 38
Morbi in coniunctiones quotuplices. 28
Morbi in ſitu & in connexione. ibid. 2
Morborum genera, & differentiæ. 26
Morborum diuiſio à Fernelio induſta reijcitur. 27
Morbi longi aut breuis ſigna. 60. & 61
Morbi eſſentia. 50
Morbus magnus quis. 52
Conformationis morbi quot. 27
Morbi maligni, & benigni ſigna. 53
Morbum ſequitur neceſſario actionis læſio. 25
Morbi partim à diæta partium a ſpiritu. 251. ab occulta quadam vi, & aſtrorum influxu. 250
Morbillorum à variolis differentiæ. 456. an ſint morbi noui 457. eorum deſcriptio cur ab Hipp. & Galen. omiſſa. ibid. cauſa. ib. 2. per ebullitionẽ ſanguinis à cauſa procatartica excitantur. 225 2. ebullitionis talis duplex. 296. cur non generentur in matre, ſicut in fœtu à ſanguine menſtruo. 457. eruptio cur interdum tandiu differatur. ibid. differentiæ. 458. ſigna diagnoſtica, & prognoſtica ibid. 2. curatio. 459. 1
Morbilli. 498. & 523
Morbi chronici, & diuturni. 513
De morbo lento aſyderatis pulmonibus, orto quo virgo nihil mali ſentiens, interit menſe Febr. ann. 1643. 558
Morbus epidemicus coqueluche, vulgo dictus. 559
Modus quo morbus finiatur. 89
Magnitudinis morbi. 28
Morbi calidi breuiores. 60
Mors morbi. 30
Motus morbi. ibid.
Morſuli ad exſiccandum cerebrum. 198
lenientes in mictu ſanguinis. 36
Moſchi vſus in epilepſia puerorum. 187
Motus lædi poteſt illeſo ſenſu, & contra. 174
Motus deprauati ſymptomata inter ſe quomodo diſtinguantur. 282
Motuus conuulſiuus fit ab irritatione. ibid. motu in omni quinque conſideranda. 193
Motus Lunæ in criſibus obſeruandus. 37
Motus immoderatus calorem diſſipat. 39
Motus qui vtilis. 123
Motus quando periculoſus. 258
Mouens facultas quid. 189. 1
Mucilaginoſa materia è veſica prodiens in quo diſtinguatur ab ea, quæ ab alijs partibus procedit. 357
Mucoſa pituita in calculoſis, a quo cauſa fiat. 349
Mucoſum, & album in dyſenteria excretũ quid. & vnde. 171
Mulieres quædam purgationes menſtruas per vomitum ſanguinis periodicum paſſa ſunt. 290. 2
Mulierum morbi. 369
Mulieres an habeant ſemen prolificum. 23
Mulieres miſerrimæ multis, & incomprehenſibilibus fere affectionibus premuntur. 381. illis venæ ſectio venarum inferiorum cur vtiliſſima. 289. 1
Muſica inſtrumenta quomodo melius audiantur. 222
Muti cur ſurdi ab ortu. ibid.
Mutus caſu curatus. 555. 2
Mutationis in morbi contingentes. 31
Mydriaſis quid. 209. 2 cauſæ ibid. 2. curatio. ibid.
Myopia non fit à paucitate ſpirituum. 246. ſed à cryſtallini ſitu vitiato. 208. 2
Myrobalani conditæ viſum clarificant. 205. ad inappetentiam. 281
Myrobalanorum decoctum in dyſenteria. 306. in mictu ſanguinis. 361

N

Napi. 103
Narcotica medicamenta. 65. 2
Narcoticorum imprudens vſus lethalis 174 cautè vſurpãda. 100. & 130. quando vſurpanda in calido catarrho. 207. in ophthalmia. 215. dolore dentium. 246. in cholera morbo. 293 admixta purgantibus ad ſingulia. 187. ad dolorem veneris admixta purgantibus ad ſingulia. 187. ad dolorem veneris admixta purgantibus ad ſingulia. 187. ad dolorem veneris

Nodosa, & tophacea arthritidis quomodo curanda. ib.
Nodosi qualia vlcera. 405
Nicotianæ tinctura in letbargo. 175. *syrupus in epilepsia.* 186 *tabaci fumus, ib. extinctum in catarrho.* 39. 1. *cinis dentes abstergit, & dealbat.* 245. 2. *fumus per tubulum haustus astmatis paroxysmum cohibet.* 256. *aqua ad deturbandos calculos.* 355
Nuclei pinei. 103. 2
Morbi in numero. 29. 2
Nutritio quid sit, & quomodo à generatione distinguãtur. 17
Nutrix facultas in quo consistat. ibid. 2
Nutritionis perfecta munia: benè ingerare, digerere, & egerere. 296. 2
Nux moschata. 107. 2
Nuces auellanæ. 103. 2
Juglandes. ib.
Nux moscata cerebrum roborat. 203. & 204. 1.
Nux moschatæ suffitus inflationi vteri flatibus medetur. 393
Nux iuglans, & moschata conditæ, ventriculum calefaciunt, & roborant. 280. 1

O

OBlivio subita in acutis quid portendat. 90. 2
Obstetrix partum præpostero modo exeuntem quomodo dirigere debeat. 403
Obstructio quid. 29. 1
Obstructio vnde proueniat. 39. 1
Obstructio ægritudinum mater ex Auicenna. 327
Obstructionis hepatis causæ, & signa. ib. 2. maximè conferunt remedia ex tartaro, vitriolo, & chalybe. 329. 1
Obstructiones infimi ventris inter causas catarrhi recensentur. 197
Obstructæ cystidis felleæ causæ. 330. 1
Obstructiones graues, & contumaces præcipuæ causæ hydropis. 332. 1. & 127. 1
Obstructionibus lien cur obnoxius. 338
Obstructionibus in melancolia hypochondriaca causa. 239. 1
Obstructionibus partium infimi ventris, præcipuè venarum circa vterum, chloroseos causæ. 369
Oculorum affectus. 102
Oculus ex quibus partibus componatur. 104
Oculi prominentes suffusioni obnoxij. 108
Oculi ablutio in suffusione. 111
Oculos à variolarum noxa defendentia. 359
Oculis amica & aduersa. 105
Oculo vno tantum inflammato, maiores dolores cur fiant quàm vtroque. 110
Oculorum vlcera cur periculosa & difficilia curatu. 156
Oculi cancer, vt curetur. ib.
Oculi album inter dormiendum apparens quid notet. 87
Oculi peruersi, tenebricosi, aut turbidi quid significent. ib. 2
Oculorum rubor pertinax. 465. 2
Oculi macula. 519. 1. & 551. 1
Oculorum inflammatio cum sordibus. 572. 2
Odoramenta ad restaurandas vires. 272. 2
Odoratus signa praua. 67
Odores praui vnde oriantur. 2. 2
Odores suaues, naribus admoti hystericos affectus excitant. 259. 2. *& graues paroxysmum epilepticum.* 382
Oesophagi obstructio. 528
Officialis actio quæ. 18. 1
Oleum ligni heraclei commendatur in epilepsia. 186
ad dolorem dentium. 255. 2
Olea in dolore capitis inungenda. 101. 1
Oleũ ex linteis cõbustis ad albuginẽ. 295. *ophthalmiam.* 214
Oleum caryophyllorum, camphoræ buxi ad dolorem dentium. 245
Olea non miscenda clysteribus phrenitide laborantium. 191
Oleum vermes enecat. 314. *item oleum ex ligno cotyli exsiccato oleum etiam iuniperinum.* ib. 2
Oleum è vitellis ouorum, in mortario plumbeo agitatum ad vteri vlcus. 388. 2
ad cicatrices variolarum implendas. 460
Olei scorpionum Matthioli laus in febre maligna. 455. 2
Oleum carminans & aperiens in torminibus à partu. 406
eius compositio. ibid.
Oleũ ex pedibus vituli extractum ad dolores arthriticos. 413
Olea resoluentia in arthritide. 251. 2. *ex ossibus humanis ad arthritidem, eius præparatio.* 414
Olea clysteribus non addenda in febre intensiore. 374. 2
Oleum cranij humani quomodo paretur. 159
Olea. 153. 1
Olera. 103
Olfactus quid. 22
Olfactu prorogata vlta. 109. 1
Olfactus morbi. 234. *imminuti, aboliti, & deprauati olfactus causæ, signa.* 235
Omentum in mulieribus quomodo conceptionẽ impediat. 38
Ὀμόλωσις vbinam fit. 212
Omentum castrati aut veruecis, ventri admotum in dysenteria. 310. 2. *aduersus abortum.* 507
Omenti affectus. 348. *obseruationes variæ de morbis omenti.* ibid.
Opthalmica medicamenta. 307
Ophthalmia. 211. *Eius differentiæ.* 212. *causæ, signa, alui fluxus salutaris. ib. curatio.* 214
Ophthalmiæ ab hæpate curatio. ibid.
Ophthalmia sola phlebotomia intra horam curatæ. ibid.
Ophthalmia. 516. 1
Opiata. 318
Opiata cephalica roborans. 178. *in hæmoptoe.* 217. *in epilepsia.* 168. *in mania.* 198. *in catarrho.* 99 *ingutta serena.* 106. *in palpitatione cordis.* 232. *cardiaca & restaurans.* 233. 1. *ad inappetentiam à calida causa.* 235. 1. *a frigida causa. ib. ad sitim morbosam.* 242. 2. *roborans in vomitu.* 250. 1. *in vomitu sanguinis.* 252. *purgans in alui adstrictione.* 302. *roborant in lienteria.* 304. *in dysenteria.* 301. *in fluxu hepatico.* 314. *bepar refrigerantes.* 319. 2. *ad obstructione hepatis.* 323. *de obstruens ex chalybe, ib. &* 324 *emolliens & laxans in scirrho lienis.* 339. *roborans in melancholia hypochondriaca.* 342. *adstringens in mictu sanguinis.* 361. 2. *purgans in vlcere renum.* 363. 1. *adstringens & exsiccans in vlcere renum & vesicæ. ib. Consolidans. ib. in diabete.* 363. *vrinæ incontinentia.* 364. *refrigerans in furore vterino.* 379. 2. *proprietate specifica conceptionem adiuuant.* 398. *ad præcauendum abortum.* 403. *ad fluxum lochiorum immodicum* 407. 2. *ad præcauendam arthritidem.* 415. 2. *roborans in febre hectica.* 424. *ad vires reficiendas in febribus continuis.* 427. *in febre syncopali humorosa.* 433. *aperiens, & roborans in febre quartana.* 435. *roborans & hysterica.* 475
Opisthotonos conuulsionis species. 108. 1
Opium tinnitui auris adhibendum. 225
Opus partium quid. 18
Orgasmus materiæ morbificæ quibus signis dignoscatur. 418
Et cur phlebotomia potius quàm purgatio adhibenda. ibid.
Organicæ partes quomodo à dissimilaribus differant. 161
causæ morborum organicorum. 39
à Morbo organico indicatiuo. 128
Organici morbi species. 29
Oris colluuiones variæ in dolore dentium. 74
Oris tortura, conuulsionis species, spasmus cynicus, & conuulsio canina nominatur. 161. 162
Oris vlcera 95. 1. *curatio. ib. 2. ortophnœa quid.* 254
Oris inflammatio ex hydrargyrosi. 550. 1
Oryza. 101
in ossse ægrotante liuor, quid notet. 65. 2
Otium corpus refrigerat, & quomodo. 38. 2
Oua, quæ vtilia. 107
Ouilla caro. 105. 2
Ouorum vitelli in calido catarrho. 199. *albumen commendatur in ophthalmia.* 213. 2
Ouum ad duritiem coctum in declinatione ophthalmiæ conuenit. 215. *in vlceribus corneę.* 99
Ouis induratis aceto, authoris alui fluxus inueteratus curatus. 337
Oxycratum sanguini dissoluendo idoneum. 126. *in cohibenda hæmorrhagia.* 238. 2. *in vomitu sanguinis.* 207. *in cholera morbo.* 293. *in iliaco affectu.* 299. *ad sanguinis grumos dissoluendos.* 260. *sanguinis profluuium sistit.* 336. *in hysterica passione.* 383
Oxymel simplex, & sollicitum in obstructionibus lienis. 338
Oxydorcica medicamenta. 136
Oxyrrhodina in phrenitide. 192. 2
cautiones vsurpandæ in eorum vsu. ib.
an cõueniant in dolore capitis in febribus malignis 454. 2
Ozœna seu narium vlcus. 272. *Causæ, signa, & curatio.* 273

P

PAlatum expurgando cerebro cur cõmodius. 16
Pallida bilis quid. 19

Pallidi virginum colores. 245
Palpebrarum signa lethalia. 67.2
Palpitatio cordis male tremor cordis nominatur. 236
Palpitatio quid significet. 57
Palpitatio cordis, & arteriarum ab aliarum partium palpitatione multum differt. ib.
Palpitatio quid. ib.
Eius causæ. ib.
Palpitationis exemplum in Antipatro medico. 175
Palpitatio cordis cuius causa fuit osseum quiddam in eo deprehensum. ib.
Palpitationis lethalis ab ira historia. ib.
Palpitationis quæ exaudiebatur historia. ib.
Palpitationi obnoxij ante senectutem moriuntur. 177
venæ sectio maximè convenit. 176
Idiopathica, sympathica periculosior. ib.
vtero. 381.1
Palustres aquæ. 110
Palumbes. 277.2
Pancreatis humor in scorbuticis plerumque reperitur. 344.1. & 348.1.
Pancreatis actio ex anatomicis recentioribus. ib.
affectus. ibid. scirrhus à Riolano observatus. ibid. & ab authore, in scorbutico, cuius historiam descripsit. 348.2
Panaris. 532.1
Panis valdè calens per medium sectus aqua vitæ irroratus, & admotus, ad dolorem ischiadicum. 417.1
Pandiculatio quin indicet. 57
Panis optimus quis. 101.2
Papauer refrigerat. 38.1
Papaueris rhœados aqua maximè commendatur in rheumatismo. 419.1
Paracentesis an celebrandæ in hydrope. 183.1
quid. 223
Paralysis, chronicus morbus. 5.2
Paralysis quid, eius differentia. 178.2
non tantum ab humore pituitoso, sed etiam bilioso, & melancholico generatur. 179.2. *ex mœrore.* ib. *scorbutica.* ib. *causæ omnes.* ib.2
Paralyticæ partis dignotio ex anatome desumitur. ibid. *curatu cur difficilis, ib. tremor superueniens cur salutaris.* ib. *crurum, & pedum facilior curatio, quam partium superiorum.* 280.2
Paralysi febri valida superueniens bona, sicut, & diarrhœæ ib. *an conueniat phlebotomia.* ib.
Paralytica in parte sudores quomodo eliciendi. 181.1
Paralysi bilioſæ quæ insistui debeat curatio. ib.
Paralysis febribus tertianis notis succedens. 179.2
Paralyticis frictiones, & cucurbitulæ applicatæ, vtile. 181
Paralyticæ partes pellibus muniantur. ib.
Paralysis. 530.1
Paralysis, & conuulsio, affectio hypochondriaca. 483.2
Paralysis spuria. 508.3
Paralysis linguæ. 379.2
Paraphrenitis, quid differat à phrenitide. 190
Parenchymata, quo signo indicentur. 349
Parentes ad temperamentum multum influunt in bilioſis. 45. *in pituitoſis.* 462. *in sanguineis.* 47
Parietariæ succus in expressione vrinæ commendatur. 307
Paronychia. 539.2
Parotides in febribus malignitatem indicant. 55
Parotides quæ periculoſæ. 255. & 256
Parotides in febribus malignis è purpuratis quando lethales. 449
Paroxysmus epilepticus aliquando perimit. 25.1. *curatio.* ib.
Paroxysmum hystericum soluentia. 383
Paroxysmum in quartana cohibentia. 440
Pars mandans, & recipiens consideranda in catarrho. 412.2
Partus quid, & quænam eius tempora. 24.2
Partus difficilis. 403
Partis corporis definitio. 16
Partium differentiæ. 16.2
Partes læsæ, quæ lethum importent. 234. & 235
Parulis cancroſa. 567
Passiones bilioſorum. 45
Pituitoſorum. 46
Pasta regalis ad hecticos instaurandos. 423
Pastilli ad singultum. ib.
Pathematum animi vis, præcipuè iræ, & tristitia. 358
Sanguinem sursum impellant. 77.2. *quantum conferant ad pestem inferendam.* 445
Pastinaca. 103
Pathognomonica signa. 43.1
Pathemata animi. 115
Pathologia in corpore humano quid consideret. ibid.
S. Paulus eremita absimentissimus. 104
Pauonis stercus specificum in vertigine. 187
Pectoris ardor in febribus, quibus remedijs curandus. 432
Pedum refrigeratio sympathicè per nernos cerebro communicatur. 197
Pedum & manuum refrigerationes, quomodo febrium incendium temperent. 431
Pelles ventriculum calefacientes. 274
Pellis recens mactatæ ouis, vino merciore candido irrorata, & ventri calidè admota, in hydrope vteri. 391.2
Pellis veruecina calens ad conuulsionem. 283
ad puerperarum tormina. 407
Peracutus morbus. 302
Peragrationis mensis. 39.2
Perdices. 107
Periculosus morbus. 302
Pericardium sæpe palpitationis causas continet. 107
Peripneumonia, morbus Idiopathicus. 30.2
Peripneumonia quomodo notetur. 59.2
Peripneumonia frequens fit à pituita quàm à bile. 261.2
causæ internæ, & externæ. ibid. *signa.* 261.2. *cur pleuritide periculosior* ibid. *curatio.* ibid.3.
Peripneumonicæ mulieri vnde sanguis mittendus, si menstrua profluant. ibid.
Peripneumoniæ præcipua causa aer frigidus, & aquilonius, austrino, & tepido subito succedentes. 251.2
Peripneumoniæ dolor minor sentitur quàm pleuritidis. 262.1
Permanentia morbi quid. 27.1
Perspiratione insensibili quam copiosa fiat euacuatio. 193.2
Pessaria in mensium suppressione. 374. *fluxu mensium immodico* 375.1 *detergens in fluxum uliebri.* 377. *in furore vterino* 208. *purgans in hysterica passione.* 382.1. *in hydrope vteri.* 363. *ad vteri procidentiam* ib. *vteri inflammatione* 386 *abscessus ruptionem procurans.* 385. *pessaria contra sterilitatem à frigida causa.* 388. *fœtum mortuum excludens.* 405
Pestilens morbus. 29.2
Pestilens febris. 442
vt plurimum est popularis, & epidemia, interdum sporadica contagiosa. ib. *quid à peste differat* 442. *differentiæ.* ib. *causæ internæ.* 446. 447. *externa.* ibid. *signa.* 443
Pestis dari potest sine febre. 443
Pestifera labe cur certa loca non tententur. 445
Pestilentium morborum quomodo causa sint prava alimenta. 447
Pestis cur post famem. 448
Pestilentium febrium causæ externæ sunt res non naturales. & seq. 443
Pestilentis febres animi pathemata quomodo excitent. 454. *futuræ signa.* ib. *duæ frequentiores causæ molestissima animi pathemata, & immodicus veneris vsus.* ibid.
Pestilentium febrium calor ad fœtum mitis, & blandus, vt vix ægrotantes febrire videantur. 449.2
præseruatio. 451. *curatio.* 452.2
Pestilenti aeris constitutione existente quomodo mittendus sanguis ad præseruationem. ibid.
Pestilenti febri vinum aliquando proficuum. ib. *venæ sectio.* 453. *quo tempore febris* ib. *ex quibus venis.* 454. *an purgatio conueniat.* 444. *alexipharmaca varia.* 246
Pestilentes febres varijs exulcerationibus curata. 453
Pestilens febris in cadauerious post mortem quomodo dignoscatur. 449.2
Pestis. 594.2
Petroselinum. 103
Pharinx quomodo afficitur in angina. 249
Phlebotomia in omni sanguinis fluxu est remedium reuulsorium. 246. *in phrenitide cur amplo foramine fieri nõ debeat.* 215. *liberalissima in ophthalmia faciẽda.* 192. *an dysenteriæ conueniat.* 192. *an conueniat hydropi.* 292. *scirrho lienis* 305 *in omnium partium infra renes positarum affectibus à venis inferioribus ad derivationem celebrandam.* 307. *eius vtilitates in febribus continuis.* 354. *vsque ad animi deliquium in synocho putride causa. an facienda.* ib. *iterandæ indicationes in febribus continuis* ib. 2. *phlyctenæ.* 370
Phlegmagoga medicamenta. 32

Phlegmone indicat robor intensus. ibid.
de phlegmone cerebri, partem posticam obsidente, & symptomatibus inde consequentibus. 557
Phrenitis quando salutaris. 65
Phrenitides acutæ. 56
Phreniticis respiratio magna, & rara. 29. in ea cur interdum vrina supprimatur. 192
Phrenitis. 569
Phisiologia corporis humani. 2.1
Phthisis proprie quid. 267. Eius causæ. ibid. & 268. signa. 269. curatio 270. est morbus contagiosus. 272 imminentis signa. & causæ. 296. & incipientis signa ib. & seq. natiua Hipp. ibid. 2. confirmatæ signa & causæ. 270. curatio prophylactica. 271. balneum aquæ tepidæ quando conueniat. 272. quibus conueniat. 422. & 423
Phthisici conserua rosarum, & saccharo rosato curati. 271
Phthisis incipiens. 471
Σπάδιας, & στερῆ αδας qui dicantur. 268. 2
Pica seu πίκα quid. 282. 2. Eius causæ. ib. quæ mala sequantur 284. virginibus, & grauidis familiaris ib. in mulieribus hystericis à certa malignitatis specie dependet. 281
Pica & chlorosis. 145. 2
Picrocholes vna. 189
Pilt an sint pars corporis. 14. 1
Pilulæ. 183. 2. Pilul. antiuener. 512. 2. ad morbos desperatos. ibid. Catholic. ibid. 2
Pilulæ pituitam expurgantes. 221. 154. 257. cerebrum roborantes. 168. in catarrho salso. 176. 2. ad dolorem capitis 207 ad phthisim. 208. purgantes inguttæ serenæ. 271. vsuales. 265. ad resoluentes, & discutientes in linguæ paralysi, 266. sublinguales hæmoptoen. 267. ad singultum à causa frigida. 242. à causa calida. ibid. ad inappetentiam à frigida causa. 265. 188. in colica pituitosa. 323. de bdellio celebratæ in fluxu hæmorrhoidum immodico. 298. vsuales ad obstructiones hepatis. 333. ex chalybe. 239. in scirrho hepatis. 252. 1. purgantes, & de obstruentes. 323. in obstructione lienis. 257. 2. in melancholia hypochondriaca. 260. consolidantes in vlcere renum, & vesicæ. ibid. & 342. in calculo renum efficaciſſimæ. 415 purgantes in fluore muliebri. 343. in mensium suppressione. 393. hystericæ. 373. & 374. Purgantes. ib. & 384. in vlcere veteri. 369. in hydrope veteri. 381. in grauidis est suspectus vsus. 392. purgantes in arthritide. 260. ad aperiendas obstructiones, & hepar roborandum in febre tertiana intermittente. 216. vsuales ad diuturniorem febrem quartanam. 430. sublinguales ad linguæ siccitatem, & nigredinem in febre maligna. 432. in humore molli, & laxo linguæ. 443
Pilularum de cynogloso vsus in clysteribus ad dysenteriam. 128. 2.
Pimpinellæ. 203
Pingues quomodo purgandi. 124
Pinguedo anguillæ surditati confert. 223
Priapismus quid. 161. 2
Piper. 107. 2
Pisa. 101. 1
Pisces. 108. 2
Pituita alimentaria quid. 9
quæ alimenta, quæ atas, & quod temperamentum eam generet. ib. quos affectus habeat. ibid.
Pituita excrementitia quæ, & eius differentia. 19. 1
Pituitæ præternaturalis signa. 56. 2
Pituitosis vnde oriantur insomnia. 22. 1
Pituitam alterantia medicamenta. 131. 2
Pituitosi humoris signa. 45. 2
Pituitæ metropolis cerebrum. 156
Pituitæ exuberantis signa. 126
Pituita quomodo attrahatur à capite, & pulmone. 269
Pituita puris quomodo distinguatur à pure. ibid.
Pituita acris, & salsa catarrhi serini causa. ibid.
Pituita salsa siticulosos, acida famelicos, dulcis somnolentos, insipida in appetentes facit. 436
Pituitam producentia. 156
Pituitæ an conueniat venæ sectio. 158
purgantia. 159
Pituitæ paralysin efficiens, in quo differat ab ea, quę convulsionem facit. 170. 1
Plantaginis succo nihil præstantius ad quolibet sanguinis profluuium cohibendum. 292. 1. in mictu sanguinis exhibendus. 361. 2. fluxu mensium immodico 346. commendatur in febre tertiana contumaci. 436
Plethora vera sanguineorum. 45
Plethora quotuplex. 123. 1
Pleuritis morbus Idiopathicus. 30
Pleuritidis signa. 208. 2
Color plumbeus, aliique quid significent in corpore. 49
Pleuritis. 196. differentiæ. 198. causæ. ib. 2. signa. 258. humida, & sicca. ib. à peripneumonia in quo differat. 256
Pleura quare frequentius inflammatione, quàm aliæ membranæ afficiatur. ibid.
Pleuritidis materia per quas vias à pleura ad pulmones transeat. 358. spuria quomodo distinguatur à legitima. ib. diarrhœa, superueniens quando mala. 324. 2
Pleuritis denso & exercitationi dedito corpori vt plurimum lethalis. 259. signa funesta & salutaria. ib. non semper conuenit vsque ad mutationem coloris. ibid. narcotica an conueniat. 260. Specifica sunt rasura dentis apri, cinis priapi tauri, vel cerui, flores papaueris rubri, coraltus præparatus. ib. & diarrhœa superueniens quando curanda. 261. purgatio quando. ibid.
Pleuritidi epidemicæ sudorifica & diaphoretica conueniunt. ib.
Pleuritis, & synochus febris cum putredine. 433
Pleuritis maligna. 482
Pleuritis in empyema degenerans. 480
Pleuritis spuria. 532
Pleuritico octaua die missus sanguis apud Hippocratem. 260
Pleuritidis ab hepatitide signa distinctiua. 405
Plumbi lamina perforata supra renes gestata, in calculo renum. 258. 2. in mictu sanguinis. 374. 1. in furore vterino. 399
Podagra quæ curabilis. 362. an semper podagrici morbi quadraginta diebus terminentur. ib. an vomitus conueniat. 498. dysenteria superueniens cur bona. 306. 4
Pœoniæ semen & radix ad epilepsiam specifica. 186
Polypus quid. 233. in quo differat à sarcamate. ib. causa. 254 curatio. ibid. si medicamentis non auferatur, chirurgiæ curari debet. 234
Polypus. 532
Poma. 103. 2
Porcellorum caro quid. 105. 2
Poracea bilis quid. 11. 1
Poracea bilis an præternaturalis, & vnde procreetur. 156
Porrum. 103
Portulaca. 102
Portulaca pituitam generat. 43. 1
Potio purgans. 146
Potio corroborans. ibid.
Potus. 109
Potio vulneraria in empyomate. 263. 2
Potiones variæ, conceptionem adiuuantes. 398. 2. partum acceleratores. 404. aperientes ad soluendam suppressionem menstruorum. 406. 2
Potio purgans in rheumatismo. 149. purgans primam corporis regionem in febribus putridis continuis. 427. 1. purgãs bilem in ventriculo. 432. cordialis exhibenda in febre syncopali minuta. ibid. in syncopali humorosa. 434. purgans in febre. 439. cardiaca in febre maligna. 453. & 454. purgans in declinatione febris maligna. 454. 2
Potus adstringens in fluxu mensium immodico. ib alius exhibendus in synoco simplici. 421. varij in febribus putridis continuis vsurpandi. 430 in tertiana notha. 434
Potus febricitantibus quando concedemus. 431. 2. actu frigidus pectori nocet. 260
Prægnantium morbi. 399. cur periculosi. ib. præcipuè primis, & vltimis gestationis temporibus. ib. dieta. ib. an mittendus sanguis. ib. tutius purgantur, quam tempore Hipp. 400. Eis non ita conuenit pilularum, clysterum, diureticorum & menses mouentium vsus. ib.
Prognosis lethalis. 549
Prognosis ex anni constitutione. 552. 1
Prognosis in febre continua. ibid.
Prurit us à variolis excitatus quomodo curandus. 459
Ptisana pro potu in phrenitide. 192
Ptisana & potus varij gustui gratissimi. 324. in calculo renum. 353
Ptisana ex senna cum sale tartari potentius purgat, quam ptisana vulgaris. 328
Pueri quomodo purgandi. 124. 2
Pueritię temperamentum. 6. 2
in puerpera febricitante quandonam computatio dierum decretorium fieri soleat.
Pueri comate affecti sale vitrio[illegible] omitino liberantur.

Pueri lactantes quibus carnes exhibentur, cur à lumbricis maximè infestentur. 513
Puerorum lenti febri ab obstructione rhabarbarum præstantissimum. 296.2
Pueris qua ætate in variolis mittantur sanguis. 458
Pueris inappetentia gravior, quam in alia ætate. 279
Puerperarum morbi. 408.1
febres unde oriantur. ib. in morbis critici dies an à partu computandi. ib. febre & morbo acuti laborantibus an mitti sanguis debeat & ex qua parte. ib. 2. dum mittitur sanguis ex partibus superioribus cautiones adhibendæ. 409. in morbis acutis quando exhibenda purgatio. ib. gemmas deponere debent. 405
Pulli columbini per medium secti, cordi admouentur in febribus continuis. 431
Pulmo cur facile capiti compatiatur. 302
Pulmo cur fluxionem facile recipiat. 298. in angina sæpe afficitur. 246.1. in pleuritide. 257.3
Pulmonis affectus, tum in substantia, tum in vasis. 254
Pulmonis hydrops ab Hippographicæ descriptus. 263 per pulmone transumpta materia per quas vias expurgetur. 257.2
Pulmonem exulcerantia. 267.2
Pulmones ac tabem præcipites, ibid. vitiosa constitutio ibid. tuberculum. ibid.2
Pulmones vervecini calentes applicati in convulsione. 185. 193. in mania 194. in dolore capitis. 202. in fluxu hæmorrhoidum podici admoti. 316.2
Pulmo hædinus calens, admotus in dolore hæmorroidum. 319
Pulmonem defendentia a variolarum nexa. 459
Pulsatorius dolor quid notet? 449
Pulsus cordis, & arteriarum quid sit. 20.1
Ex quibus partibus componantur. ibid.
Qui ad pulsum requiratur. ibid.1
Pulsus magnus, & frequens in biliosis. 41.1
Pulsus quando malum signum. 339
Pulsatio dorsi & hypochondriorum ab utero. 382.2
in melancholia hypochondriaca. 339.2
Pulsus serratilis. ibid.
aurus in phrenitide. ibid.
Pulsus scorbuticorum sæpe medicis imponit. 245.2
Pulsus in principio febris malignæ febri connaturalis & sanorum pulsui simillimus. 446 cur valde periculosus. ib. intermittēs an sæpe lethalis in iuuene, febre pestilēti laborāte. 447. magnus languidus, & mollis in peripneumonia. 258
Puluis digestiuus utili in cerebri frigida humida intemperie. 170. & 178. cerebrum roborans. 176 granorum actes in epilepsia ab utero. 188.2. de gutteta in epilepsia puerorum eius rescriptio. ibid. capiti inspergendus in dolore capitis. 208.2
Puluis aperiens. 582
cephalicus. ibid.
diaphoreticus. ibid.
Puluerum usus in amaurosi. 199
ad sputum sanguinis. 265
ad phthisim. 271.1
Puluis dulcis. 279.2
digestiuus. ib. ad singultum à causa frigida. 287.1. ad vomitum. 286. ad ventriculi vlcus. 296. ad vomitum purgantes, & roborantes. 289.1. in vermiū curatione. 113.1. ex chalybe deobstruens. 328.2 hydragogus. 336. purgans in melācolia hypochondriaca. 342.1. calculū imminuentes. 313.2. purgātes, et preseruātes a calculo. 354. imminuētes calculū. ib.
Puluueris dysenteria. 308.2
fluxu hepatico. 512. sanguinis fluxū cohibentes. 371.2. adstringentes in diabete. 364.2. ad menses suppressos. 272. & 373. ad fluxum immodicum. 374 hysterici. 384. & 385 vlcus uteri exsiccantes. 380.2. sarcotici. ib. 1. & 2. distringens ad uteri procidentiam. 394.2. glutinans, & leuiter adstringēs. ib. conceptionem adiuuans. 398. ad præcauendum abortum. 481.2 fœtum mortuum excludentes. 403.2. ad fluxū lochiorum imm dicū. 404.1. in torminibus à partu. 407.1. purgantes in arthritide. 415.2. permiscēdus ptisanæ pro potu ordinario. 426.2. adstringens. 435. purgans in febre quartana. 439.2. alexipharmacus. 452. alexipharmaci varij. ibid ad vires reficiendas in febribus continuis. 429.2. epilepticus de gutteta, ad conuulsionibus in febribus continuis 432
Punctura quid. 292
Punctura aptum. 513.2
Punctura nerui. 555.2
Pupillæ dilatatio, seumy[illegible]sis. 209. eius causa ib. angustia. 210. causæ. ibid.
Purgatio. 218.2
Purgationes varię ad dysenteriam. 306. ad mistus sāguinis. 269
Purgatio, quænam sit minoratiua, & quæ eradicatiua. 429. in turgētia materiæ cur in praxi ordinaria non obseruetur. ib.
Purgantia an possint tuto exhiberi in principio accessionis febris quartanæ. 439. ad cohibendum febris quartanæ paroxysmum vna hora ante illius inuasionem leuiora purgantia exhibentur. 440
Purgatio in granidis cui hodie frequentior, & tutior. 400
præcipuè medijs gestationis mensibus. ibid.
Purgatio in canicula. 512.2
Ad puris attractionem ex abscessu pectoris, & alijs. 556
Purpuratæ febres, seu petechiales quæ dicantur. 442
Purpurearum macularum in febre pestilenti differentię. 443 ab exanthematis. ib. & 347.1. malignæ in quo differant ab alijs. ib. aliquando criticæ, aliquando symptomaticæ. ibid. frequentissima in lumbis, cervice, & pectore apparent. ib. si retrocedant postquam apparuerunt, pessimum. 449. cur in pectore, & dorso præcipuè appareant. 455. in quo differant à variolis. 457
Purpureis maculi apparetib. an celebranda venæ sectio. 445
Pustulæ variæ in febri maligna. 47
Pustulæ quę periculosæ. 131
Pustulæ faciei. 578
Præparatio humorum. 126.2
Principes partes organicæ quæ. 16.2
Principium morbi quid. 29.2
Procatarcticæ causæ. 37.3
Protopathicus morbus. 30.2
Ad procreationem hominis vtrum sexus vterque requiratur. 22.1
Prouocatorij dies. 342
Pruna. 103.2
Purulenta materia in abscessibus mesenterij per quas vias excernantur. 348
Pus arenibus precedens cur melius coctum quam quod à vesica. 362
Pus empicorum qua expurgatur. 362
Pustularum pestilentium in ore apparentium noxe. 367.2
Putredo vulgaris differt à venenata qualitate febris pestilentis. 443
Putealis aqua. 109.2
Putredo quid sit. 38.2
Pyra. 109.2

Q.

Qualitas Elementorum primæ; & secundæ. 3.1
Mixtiones Elementorum. 5.2
Qualitatis mutatæ differentiæ. 4.2.1
Causæ qualitatis mutatæ. ibid.2
Quadragesimus dies criticus. 35.1
Qualitatū primarū excessus corruptionis causa in aere. 1[illegible].2
Quantitas victus in morbis. 129.2
quartanæ in continuas conuersæ lethales. 63.2
Quartus dies index est septimi. 101
quartana febris epilepsiam aliquando soluit. 187
maniam soluit. 194
Quartanæ febris essentia, & causæ. 425
continuæ signa diagnostica 426. intermittens. 437.2. differentiæ signa. ib. spuria periculosior legitima. 438.1. senibus vt plurimum lethalis. ib. 2. intermittens in continuam mutata cur periculosa. ib. quæ dysenteriæ salutaris. ib. cur hæmorrhagia è naribus pessima. ib. 2. legitimæ curatio. ib. & seq. victus ratio. ib. raparum usculum vtilissimū. ib. cur blādis, & benignoribus medicamentis tractandæ. 439.2. an conueniens venæ sectio. ib. in plenilunio celebrata maximè prodest. ib. apertio saluatellæ an aliquid conferat ad curationem quartanæ. ib. cur hæmorrhoidum fluxus salutaris. ib. curandæ discutientia, & diaphoretica maximè cōueniunt. 440. theriaca quando exhibēda. ib. specifica. ib. 2
Quartanæ spuriæ curatio. ibid.2
balneum aquæ tepidæ maximè proficuum. ibid.
cur parce bibendum. 438
Quotidianæ continux essentia, & causæ. 421.2
signa diagnostica. 426.2. intermittens. 439.2. causæ. ib. signa. ib. curatio. ibid. 2. diurna cur nocturna periculosior. ibid. morbi superuenientes. ibid. curatio peculiarem ventriculi curam expostulat. ibid.

R

Radices. 103
Ramenta egesta quid notet. 52

Rana-

Ranarum combustorum suffitus ad fluxum mentium immodicum. 276
Ranula Graecis Βατραχος *quid.* 242
vnde nomen sumpsit. ibid.
ad quod genus tumorum referri debeat. ibid.
raro sine operatione chirurgica curatur. ibid.
Rapæ. 103
Raparum vsus frequens oculos acutiores reddit. 207
iusculum quartanæ vtilissimum. 439
Raphanus. ibid.
Raphani syrupus ad ischuriam, & stranguriam. 367
Raritas, qualitas elementorum. 4.2
Raritas calorem dissipat. 38.1
Ratiocinatio quid. 16.2
Ratiocinatio an lædi possit, non læsa imaginationem. 189.1
Raucedo. 198
Rebus creatis an insit malum. 445
Recidiuæ futuræ signa. 93.2
Recidiuæ in febribus continuis præcautio. 425
Recocta. 106
Refrigerantia, & repellentia medicamenta. 141
Refrigerantia topica in phrenitide cautè adhibenda. 193
Regio frigida & humida, pituitosi humoris ferax. 169
Regius morbus quando malus. 65.2
Remediorum inuentio. 120.2
Reminiscentia quid. 22. & 23
Renum ardoris medicamenta. 139
Renum affectus. 348
connexio cum ventriculo 350. *caliditas temperanda, lamina plumbea.* 355. *inflammatio.* 35.9. *causæ.ib.signa.* ibid.2 *curatio.*260. *inflammatio renum quomodo ab inflammatione coli intestini.* ibid. *cur periculosa, cur in principio non conueniat purgatio.* ib. *topica quæ admouenda.* ib. *Suppurationis curatio.* ibid. *scirrhus vt curandus.* ibid.
Renum vlcus. 363
curatio ibid.2. *vlceri vomitus conuenit.* ib. *vlceri dolores supervenientes quibus anodinis mitigandis.* 364
Renes purulenti. 565
Rheumatica affectio. 476
Rheumatismus. 518
Repellentia in ischiadico dolore cur non conueniat. 317
Repletionis signa. 94
Repletio, & intuitio conuulsionis causæ. 181.2
Resipiscentia subitanea in phrenitide lethalis. 63
Resoluentia medicamenta. 143
Resolutio exsicat. 40.2
Respirationis læsæ causæ. 254
cur in mulieribus hystericis. 38.2
Respiratione deficiente an vita consistere possit. ibid.
*Respirandi difficultas in virginibus chlorosi laborantibus.*330
Respiratio quando malum signum. 72.2
Respiratio quid sit, quot partes ad eum efficiendam quæ sint necessaria. 21
Respiratio rara quid portenda. 91
Restaurans vulgo dictum, & restaurans destillatum. 106
Restaurantia alimenta pro hecticis. 423
Retentio humorum humectat. 40
Retentio vnde iuuetur. 16.2
Retentrix facultas quæ nam sit. ibid.
Retentiones, & euacuationes nimiæ quomodo sint causæ pestilentium morborum. 444
Reuulsio. 121
Reuulsoria phlebotomia, quando iteranda. 447
Rhabarbari vsus in vomitu sanguinis. 293
*in dysenteria.*306. 2. *vermium curatione.* 314. *in hydrope.* 367. 2 *torrefactum vtrum in dysenteria conueniat.* 334. *in valde biliosis febribus suspectum.* 428
iuuat maximè in febre lenta ab obstructione. 270.2
Rhabarbari bochetum. ibid.
an conueniat in febrium continuarum principio. 429
Rhagades in quo differant ad hæmorrhoidibus. 318
Rhamni cathartici syrupus ad hydropem. 355
Rheumatismus in quo differat ab arthritide. 418
à catarrho, ibid. *ab Hippocr. & Galen. delineatus.* ibid. *causa immediata serosus humor. ib. eius origo. ib. an fiat à flatibus* ibid. *signa.* 420.1
Rheumatismi dolores in quo differãt à doloribus veneris.ib. interdum longitudine sua maximè molestius ib. sanguinis missio prodest sæpius iterata. ib. cur vires in frequenti venæsectione non deijciuntur. ibid.
Rhyadit curatio. 221
Rigor creber quid notet. 59
Rigor quando periculosus. 62
Rigores frequentes sint typo in phthisicis vnde. 270
Risus Sardonicus conuulsionis species. 181
Roborantia partes principes in rheumatismo. 419.2
Res humor secundarius. 10.1
Rosarum conseruæ vsus in phthisi. 272
tinctura præstantissima in fluxu hepatico. 312
hepar refrigerandum. 324
quomodo paranda. 435
Rosarum tinctura, & eius præparatio in rheumatismo. 426
Rubor oculorum quando malus. 74.2
Rubor in vultu ægrotantis morbum acutum incidat. 65
Rubor intensus quando malus. ibid.
Rubor nimius in genis qui notet. [illegible]9.2
Roboris genarum in peripneumonia causæ. 261.2
Rubra bilis Galeni quid. 11.2
Ructus acidus Melancholici familiaris. 47.2
Ructus nidorosus quid indicet. 52
Ructus quando boni ominis. 74.1
Ructus acidus. 582
Ruptio quid sit. 39.2
Ruptura quid. ibid.

S

Sabinæ aqua, arenulas, & calculum expurgat. 355
Scabulosa in vrinis quid significent. 355
Sacculus. 153
Saccharum cantum maculos oculi delet. 107
Sacchari oleum ad asthma. 257
Saccharum, & mel an lumbricos generent. 313
rosatum vtilissimum phthisicis. 271
Saculi exsiccantes. 112.1
*discurrentes in mania.*145 *gestandi in epilepsia.*133.2. *cerebrum exsiccantes.*150. *in palpitatione cordis.* 130 *ventriculum calefaciétes.*282. *discutientes in hysterica passione* 360. *resoluentes, & carminantes in dolore ischiadico.* 416
in tenesmo. 310.2
Sale conditi cibi. 1982
Salis spiritus seu oleum in conuulsione. 184
Salis vitrioli vsus in comate puerorum. 170
in epilepsia. 186
Sal compositum ad condiendos cibos. 252
absinthy ad inappetentia. ib.
Saturni in ophtalmia. 214
absinthij in vomitu. 399
Saturni in dysenteria. 301
absinthij, iuniperi, &c. ad hydropem. 314
Sal diureticum. 582
Sales cur terrea quadam portione permisti statuantur ab aliquibus causa proxima calculi. 350. & 351
Sales ad calculorum exclusionem. 354
tartari, & stipitum fabarum ad ischuriam. 372
Salis spiritus in præseruatione à calculo. 357
Salis prunellæ laus in febribus malignis. 433
tartari in scorbuto. 345
absynthij in febre tertiana intermittente longiore. 257
Salina copiosa serum copiosum indicat. 55
Salsa pituita quid. 13
*Saluatella an findendam lienis inflammatione.*337. *in quartana legitima.* 333.1
Saluatellæ apertio in quartana. 554
Salutaris morbus quis. 28
Salutaris, & lethalis morbi signa. 65
Sanguis quid & quotuplex. 9.2
An detur sanguis proprie dictus. ib.
Sanguis merendo excretus quid notet. 54
Sanguis menstruus quid sit, & an ad generationem fœtus concurrat. 230
quo tempore excernatur. ibid.
quo tempore desinat & cur. ibid.
Sanguis per os reiectus quid notet. 216
Sanguis missio. 293
Sanguis an cibus vtilis. 143.2
Sanguinem sistentia medicamenta. 313
Sanguinei quid somnient. 188.1. & 2
Sanguineorum signa. 213
Sanguineorum natura. [illegible]
Melancholicorum. ibid.

Sanguinis redundantis signa. 188
Sanguinis missio frequēter vsurpata in mania salutaris. 194
Sanguinis columbinus ad suffusionem. 208
in oculi vulneribus & contusionibus. 210
suggilatione. 211.2
Sanguis guttatim effluens, cur purus appareat. 237
stillæ è naribus cur male, ib. non intempestiuæ sistendus in hemorrhagia. 238
Sanguinem fluentem cohibentia ib. & 210 per nares effluens in sartagine frixus, specificus ad sistendam hemorrhagiam. ibid.
Sanguinis fluxum cohibet chalcitis vsta puluis gummi Arabici Galeni emplastarum gypsum albumine oui exceptum. 247. sanguis spumosus an tantum à pulmone. 265.1
raxè concrescit in venis. 273
causa concretionis causæ. ibid.
Sanguis concretus oxycrato exhibito dissoluendus. 293.1
Sanguinis grumus ischuriā pariens quomodo dissoluēdus. 295
Sanguis feruidè iniectus in dysenteria. 309.2
In fluxu hæmorroidum immodico. 316
Sanguis missio obstructiones à bile soluit. 323
Sanguis quomodo excitetur à calculo in renibus. 351. in mensium suppressionem interdum per pulmonem periodici reuocitur aut per alias vias. 371.2
Sanguinis penuria non a qua vis extenuatione indicatur. ib. Galen. experimenti comprobatur. ibid.
Sanguis menstruus retentus putrescit. 580.2
Sanguis prodiens ex cancro vlcerato quomodo cohibendus. 390.2
Sanguinis grumi in vtero subsistentes, quomodo dissoluendi. 377.2
qua arte dignoscantur. 567.2
Sanguinis partes considerandę. 425.2
Sanguinis detrahendi quantitatem indicantia. 428.1
non mittendus vsque ad animi deliquium. ibid.
vena guttatim effluens cur purissimus. ibid.
detrahendus vsque ad coloris mutationem in febribus continuis. ibid.
Sanguinis fluxio copioso superuenies conuulsio lethalis. ib.
Sanguinis profluuium moderatū die critico, an salutare. 357
Sanguis mittendus mitio pleuritidis senibus, pueris grauidis purpureis in menstruis purgationibus. 259
Sanguis bircinus ad dissoluendum calculum renum. 278.2
Sanguinis venæ sectionem eductus in febre pestilenti si purus, cur periculosus. 448. an mittendus ad febrim pestilentis præcautionem. 449
Santalorum decoctum ad distillationes salsas. 270. & 271
Saphanæ apertio in dolore capitis à calida causa. 286.1
Sapores alieni. 42.1
Sarcoma quid. 233.2
Eius causæ, & curatio. ibid.
Sarcotica medicamenta. 144.2
Sassafras decoctum ad ventriculum frigidum. 280
Satyriasis. 181.2
Satyrionis essentia, & sal aduersus sterilitatem. 198
Saturnus causa infelicis partus. 259
Scammonium raro in febribus continuis vsurpandi. 431.2
Scabies. 481.2
Scabies tibiarum. 550.2
Scabies pruriginosa in sene octuagenario. 552.2
Scabies fœda. 582.1
Scirrhus lienis. 551
Scarificationes in hydrope cur non celebrandæ. 334.2
Scorbuticis gingiuarum erosio. 246. & sanguinis fluxus è ginguis. 147
Scorbutus quid. 335. causæ ibid. signa. 344.1. & 2. curatio. 345. & 436.
Scorbuti, & melancholiæ hypochondriacæ magna similitudo. 343
Scorbuti articulorum dolores in quo differat ab ijs qui lue venerea infestos affligere solent. ibid. & 344. quomodo ab arthritide distinguatur. 345
Scorbutus cur curatu difficilis, ibid. specifica. 346
eorum vis dependet à sale volatili. ibid.
Scorbuticis ferè in omnibus pancreatis tumores generantur 347.1
Scordium aduersus malignitatem, & lumbricos æqualiter confert. 177.1
Scorpionum cinis, & oleum [illegible] calculum. 354. ischuriam. 366
Sectio quomodo soluet continuum. 29.2
Secundina mulieris exsiccat aduersus sterilitatem specificum. 399. 2. liberat à paroxysmo hysterico. 384
Secundinæ retentæ causæ. 404.2. diagnosis. ibid. quæ symptomata sequuntur. ibid. remedia specifica. 405.1. manu chirurgi extrahi debet. ibid.
Secundina retenta. 411
Secundinarum retentio. 555.1
Sedimentum vrinę quid malum. 81.2
Semeiotica. 43. & seq.
Semen humanum quid & quot eius sint partes. 22.2
Non est actu animatum, sed potentia. ibid.
Semen mulierum an sit prolificum. 23.1
Seminis excretio quanto noxia. 115.4
Semen generantia, aut minuentia medicamenta. 311.1
Seminis contra vermes, laus, & vtendi morbus. 312
Semen retentum corrumpitur. 379. & 380
Semen dum corrumpitur, cur in maiorem venenositatem degenerent. ibid.
Semen bermini oculo impositum, albuginis curationi conducit. 211.2
Seminis copia acrimonia, & feruor supra modum furorem vterinum excitant. 378.1
Semen calefacientia, & efferentia. 379. 1. refrigerantia, & extinguentia propietate specifica. ibid.
Seminis excretio in furore vterino an procuranda. ibid.
Semen cur ab vtero non recipiatur. 196. non retineatur. ib. corrumpatur. ibid. non conformetur. 397
Seminis virilis & fœminei improportio, conceptionis impedimentum. ibid.
Semicupium in hepatis scirrho. 232. in calculo renū. 352. 2. dysuria. 368 in suppressione mensium. 374. 1. mensiū immodico fluxu. 375. 2. hysterica passione. 380. 2. in scirrho vteri. 390. hydrope vteri. 393 [illegible]. in vteri procedētia an cōueniat. 394. 2. ad sterilitatem à frigida causa. 398. 1. in dolore ischiadico resoluens 417. melancholia hypochondriaca. 341. 1. in vrinę incontinentia. 365. in furore vterino. 379.2
Senes cur dysenteria sæpius pereant quam in media ætate constitui 335.1
Semicupium. 452.3
Senectutis temperamentum. 6.1
Senilis ætas pituita prouentum facit. 4.1
Sensatio quid sit, & quid adsensationem requiratur. 21.2
Sensus diuiduntur in interno & externo. 29. 2. interni sunt imaginatio, ratiocinatio, & memoria tum etiam somnus, & vigilia. ib. 2. externi statuantur quinque, visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus. ibid.
Sensus communis quid efficiat. 20.2
Sentiens facultas quid. 99
Seorsus humor præcipua doloris dentium causa. 244. immediata arthritidis causa. 377.2. rheumatismi. 378.1
Serosa materia quibus ductibus ab hepate in abdominis capacitatem feratur. 333.2
Serum cur maiorem, vel minorem acrimoniam habeat. 429. 1
Seri lactis vsus in calida hepatis intemperie. 324. 1. in melancholia hypochondriaca. 341. eius præparatio ib. in vlcere renum, & vesicę. 441.2. in dysuria. 368. furore vterino. 379. 2. in vlcere vteri. 389. in biliosis febribus. 340. 2. in præseruatione à calculo renum. 345.2
Senum victus. 99.2
Senes quomodo purgandi. 125
Septenarij tres, dies critici. 34. & 35
Septimus dies, Rex a Galeno vocatur. ibid.
Serum quid sit, & eiusdem vsus. 352.2
Seris lactis vsus. 147.2
Setacei laus in epilepsia. 110. in gutta serena. 131. in ophtalmia. 142. fistula lacrymali. 162. ad phthisim. 271
Sexuum bircinum variolarum cicatrices implet. 460
Sextus dies in crisibus pessimus. 34.2
Serum Temperamentum. 7.2
Sexus similitudo vnde pendeat. 34.2
Siccitas qualitas aeris, & Ignis. 3.1
Sicca intemperaturæ causa. 37.1. & 39
Signum sit. 42.2
Differentiæ. ibid.
fontes signorum generales. 43
Signa critica quæ. 32.2
Signa partis affectæ. 47.1.49
Signa pituita præternaturalis 56.2

Signa morbi acuti, & chronici. 52
Signa partis primarię, vel per consensū laborantis. 50. & 51
Signa speciei morbi. 50
Signa temporum morborum. 57
Signa morbi lethalis, & salutaris. 61.1
Signa longitudinis morbi. 60.2
Signa morbi maligni, & benigni. 54. & 55
Signa superuentorum ęgrotis. 91.2
Signa flauum. 57. & 58
Similares partes quæ. 17.1
Ad earum functionem quid requiratur. 18.1
Similaris morbus. 27.2
à morbo similari indictio. 128.2
Sinapi. 103
Sinapismorum vsus in paralysi. 179.1
Singultus quando malus. 73.2
Sinciptis perforatio in epilepsia. 186.2
Singultis. 287. *curatio. ib. & seq. in in quo differat à vomitu, et nausea.* 286. *motus conuulsiuus est, non vera conuulsio. ib. & 104*
Singultus quis pernitiosus. 286. 2. *cur fiat in iecoris inflammatione.* 287.1
Singultus remedia apud platerum. 288. *vomitus confert. ib. quomodo excitetur ab manitione.* 287
Singultus curatus aqua nucum viridum. ibid.
Singultus cur malus in hepatis inflammatione ib. in febribus sæpè sequitur intemperatum refrigerantium vsum. 412.1
Singultus. 520. 552. *de portentoso, & insolenti singultu.* 457
Sitis ingens morbi acuti index. 57
Sitis quando mala. 83
Sitis magna bilem indicat. 35
Sitis nulla signum pituitosi. 46
Sitim non sentiunt phrenetici. 20
Sitis morbosa. 284. *duplex, idiopatica, & sympathica.* ibid.
Sitis deprauatæ differentiæ, ibid. causæ. ibid.
Siticulosis lac, & balneum. ibid.
Sitis quæ à grauibus, & periculosis morbi dependet periculosa. ibid. sitis in febribus quomodo sedanda. 422
Sitis inexhausta in diabete causa. 332
Sitis inextinguibilis. 526
Sitis intensa. 555
Situs ventriculi monstruosus. 532
Smaragdus insignem vim habet in morbis venenatis. 159
Sobrietas magni momenti in morbis. 259
Solida cur facilius vel difficilius deglutiantur. 198
Somni longi, præsertim a cibo pituitam generant. 158 *oculis infensi.* 184. *longioris incommoda.* 159. *breuioris, & longioris.* 534
Somnia frigoris, & aquarum pituitæ dominium indicant. 158
Somnus grauis, ac profundus in virginibus chlorosi laborantibus vnde. 356
Somni præternaturalis differentiæ. 170
Sonus per apertum os quomodo excipiatur. 231
Sonitus aurium causæ, differentiæ. 225. & 226.2
Soporosi affectus, eorum causæ. 271
Soporosi affectus à tumore orti historia. 176. *sæpe a vaporibus eleuatis ad cerebrum excitantur.* ibid.
Spasmus cynicus quid. 18
Specilla vsum conseruantia. 47.2
Sobrij cur parum dormiant. 551.1
Solicitudines quomodo exsiccent. 43.1
Solutionis continui quot species. 32
Somni definitio: causa eiusdem proxima: quando, & à quo impediatur finis eiusdem. 24
Somnus quando malum signum. 77
Somnus qui vtilis. 24
Somnium quid. 24. *vnde fiat.* ib.
Sphacelus cerebri. 192.2
Sphincteris vesicæ affecti causæ. 365
Spicanardi specifica ad hæmorrhagiam sistendam. 240
Spinæ inunctiones ad rigorem leniendum, in febre quartana vtilissimæ. 452
difficultas spirandi. 471.2
difficultas spirandi cum pulsu valde inæquali. 481
difficultas spirandi cum tussi, & raucedine. 501
Soni præternaturales. 45
Spermaticæ partes quæ. 27
Partium spermaticarum prima rudimenta quandonam apparere incipiant. ib.
Spermaticæ partes quando in Maribus, & quando in feminis perficiantur. ib.1
Spiritus, congelandi vim habens 177
Spiritus vitrioli specificus ad epilepsiam. 184
contra fluxiones. 101. *vtiliter iulapis admisceatur.*
Spiritus vitrioli, aut sulphuris ad curationem vlcerum oris & faucium. 200. *ad asthma.* 207. *in vomitu.* 233. *in febribus.* 390. *quibus morbis noxius. ib.* 2. *in febribus malignis præstantissimus.* 458
Spiritus sulphuris cum aqua portulacæ in æstu tertianæ intermittentis. 425
Spiritalis mixtura ad febrem malignam. 451. *commendantur in epilepsia.* 551
Spirituum tenebrositas in melancholia vnde. 720
Spiritus tartari in paralysi. 117. 2. *in obstructionibus.* 29
Spiritus mastiches descriptio.
Spiritus seu liquor acidas præcipuum digestionis instrumentum. 233. 245
Spiritus salis, tartari, & vitrioli laus in hydrope. 335
Spiritus salis, vitrioli, sulphuris, & terebinthinæ prædicantur in ischuria. 366
Spiritus vitrioli in obstructionibus. 194. 2. *in scorbutica affectione.* 216. *in calculo renum.* 225. 2. *contra vermes.* 354.2
Spiritus diureticus. 582
Spiritus salis in calculo renum. 353. & 273
Spiritus vini ad fotum in ileo à flatibus. 301. *famen caninam soluit.* 281.2
Spiritus sitibundus ex hermetici causa sitis morbosæ. 286 & 287.
Spiritus dissoluens causæ bulimiæ ex hermeticis. 280.1
Spirituum defectus causæ in syncope. 273
Spiritus vini helleboratus singularis in surditate. 223
Spiritus flatuosus conuulsionis causa. 182
Spiritus vnde maligna qualitate afficiantur. 187.2
Spiritus cum magna copia ad partem aliquam defertur, sanguinem secum transfert. 250.2
Splenica medicamenta. 138.2
Splenis bouis decoctum ad suppresso menses. 373
Sporadici morbi. 31.1
Spumosus sanguis an tantum a pulmone. 265.1
Sputum cruentū an sit signū pathognomonicū pleuritidis. 258
Stercus porcinum, & asininum in hæmorrhagia sistenda. 339
stercus album gallina, & equinum ad pleuritidem. 260.2
Stercus pauonis specificum in vertigine. 182.2
Stercus equinum ad colicam. 299.2
Stercus anserculi, & stercus album gallinæ quare in ictero commendatur. 339.2
stercus bubulum exterius grumos sanguinis dissoluit. 368.2
Stercorosus fluxus. 303
Sterilitatem inducit balneum decoctionis aluminis. 376.2
Sterilitas quid. 395. *causæ.* 396. *signa ibid.* 397. 2. *curatio.*
Sterilitatem inducentia alimenta, & venena. ibid.1
Sterilitas ad improportione seminū quomodo dignoscat. 396
Sterilitatem vel fœcunditatem fœminæ probantia. 397.2
Sterilitatem viri indicantia. ib. curatio à frigida & humida intemperie. 398. *ad sterilitatem curandum specifica. ib.*2
Sternutatoria. 177. 195.2. *in principio apoplexiæ non conueniunt.* 162
Sternutatio quid. 235. & *causę.* 355
Spumā quando ominosa. 76.1
Spurius morbus. 30
Sputum quando malum. 75. & 76
Sputatores melancholici. 47.1
Stagnantes aquæ. 110.1
Status morbi. 30.1
Sternutationis symptomaticæ curatio. 236.2
aduentitijs, qui se aere frigido exponunt. 235.1
aqua facultate edatur. 224.2
hysteticæ cur salutaris. 383.2
partui difficili. 404.1
Sternutatio quando mala. 71
Sternutatorij compositio. 151.2
Sternutatoria medicamenta. 134.2
Sternutatorium. 265. & 404
Sternutatio in pestilenti febre an salutaris. 447.2
Stertor in acutis quid notet. 81.2
Stertoris causæ. 254
Stomachica medicamenta. 138.2
Stomacho admouentur remedia ad cartilaginem xiphoidem, & posterius supra 13. vertebram. 282.1

Stibij calcinati vsus in epilepsia. 286.2
Strabismus, conuulsionis species. 181.2
Strangulationis sensus in hystericis vnde. 380.1
Stranguria quid. 366
causas eadem habet, quas ischurio. ib.
quibus topicis curetur. ibid.
lixiuio ex ouorum testis in cinerem redactis curata. 367.2. & 107.2.
Strumæ morbus endemius in Hispaniæ. 31.1
Strumis pueri laborantes cur alui fluxu cbiloso, eoque diuturno sensim contabescant. 278.2
Strumis laborantes cur macilenti. 2[illegible]7
mesenterium plurimum grandulis refertum. ib.
Strumæ. 562.573.2.578.2
Stultitia. 554
Stupha humida ad sudores. 412
Stupha humida ad sudores prouocandos. 412
Stupidus dolor quid notet. 32.1
Stupor cruris è directo laborantis renis, calculi signum. 551
vt & inflammati renis. 292
Subeth Auicennæ quid. 153
Subeth puerorum. 560
Subligaculum quod vulgo Zona Hippocr. nominatur, ad procidentiam vteri. 395
Subsequentia signa criseos. 34.2
Subtilitas quid sit. 4.2
Succini oleum hysterico paroxysmo confert. 383.384
Succini albi oleum in epilepsia. 186
ad partum difficilem. 403. ad dolorem capitis. 100
Succus lapidescens causa materialis. 350
Suctionis in ventriculo sensum impedientia. 277.2
Sudatiunculæ quid notent. 83. & 84
Sudores qui periculosi. 83
Sudores frigidi quid notent. ibid.
Sudoris imminentis signa. 90. et 91. *per sudores euacuatio.* 122.
Sudorifica medicamenta. 134 2
Sudoribus eliciendis decoctum ebuli, vel radicis bardinæ, seu lappæ maioris commendatur. 181
Sudoris immodici curatio. 214.2
Sudorificum ex baccis Iuniperi paratum, ad hydropem. 356
Sudores quomodo prouocandi influxu muliebri. 378
Sudorifica ad arthritidem. 304. 2. *in febre tertiana longiori exhibenda.* 428
Sudores symptomaticos in febribus cohibentia. 474
Sudorificum vtilitas ad cerebri intemperiem frigidam, & humidam. 157. *in cephalæa.* 201. *in epilepsia.* 186
in gutta serena. 204. *in hydrope pulmonis.* 313
Sudoribus nocturnis phthisici, vt plurimum diu exantur. 250
Sudores in febre pestilenti qui praui, qui salutares. 448
Sudorifica an vsurpanda in prægnantibus. 400. & 401
rheumatismo. 419
an hydropicis conueniant. 334. ad vlcus renum. 392
ad vrinæ incontinentiam. 365. in chirosi. 370.2
qualia in febrium continuarū declinatione conueniant. 431.1
Sudores nocturni. 524. & 549. 2. *Sulla caro.* 105.2
Suffitus moderatus, & non graueolens frigidam, & humidam cerebri intemperiem emendat. 156.2
Suffitus acerrimi apoplecticis conferunt. 162
gummi tacamahaca cerebrum exsiccat. 49. asthmaticis nocent. 256.1. *in diarrhœa biliosa.* 304. *dysenteria.* 308. tenesmo 312. *in fluxu hæmorrhoidum immodico.* 320. *ad dolorem hæmorrhoidum sedandum.* 321. *in mensium suppressione.* 374. *mensium fluxu immodico.* 376. *exsiccans, & roborans in fluore muliebri.* 379. *ex verrucis quæ tibijs equorū adnascuntur, in hysterica passione.* 382. *ex lapide pyrite ad tumores schirrhosos dissoluendo.* 388. *ad vteri procidentiam.* 39. *aduersus sterilitatem à frigida causa.* 398. coryza. 224. *in auris surditate.* 224. *an vteri flatus explodendos.* 392. *ad fœtum mortuum excludendum.* 404.2
Suffumigia cephalica. 158
in paralysi. 181. *in surditate.* 223
ad vlcera profunda. 388
Suffusio quid. 206. *causæ ib.* 207
duplex vera, & spuria ib. *aliæ differentiæ.* ib.
quomodo distinguatur a gutte serena. 107
signa quæ compunctione curanda. 108. ibid.
curatio. 108. *suffusio, & cataracta.* 387.2
gillatio quid. 212. [illegible] ib.
Sulla caro. 105
Sulphuris lac, & flores eiusdem ad catharrum. 199
Sulphuris oleum in oris, & linguæ vlceribus. 242
ad dentes dealbandos. 247
Sulphuris flores, & lac asthma. 247. *ad phthisim.* 271.2
Super purgationis curatio. 12
Suppositorijs aluus proritetur, si clysteres iniecti non redantur. 163
Suppositoria ad tenesmum. 311
ad fluxum immodicum hæmorrhoidum. 318
ad dolorem hæmorrhoidum. 320
in vesicæ inflammatione. 400. *suppositoria.* 150
Suppressio omnimoda alui, aut vrinæ morbi acuti indices. 56
Suppurantia medicamenta. 713
Suppurationis in thorace causæ, & signa. 261
Suppurati qui euadant. ib.
Surarum dolor quid significet. 11
Surditas quando salubris. 66
Surditas. 220. *causæ.* 221. *curatio.* 222
Surdi ab ortus cur muti sint. 22
Surdastri cur aperto ore melius audiant. ib.
Surdi biliosæ deiectiones prosunt. ib.
maximè conferunt sternutatoria. 227
spiritus vini helleboratus. 222
Surdastri, in constitutione australina grauiorem auditum habent. 62
Surditas in febribus malignis cur non adeò periculosa. 447
Suspiria quando mala. 72.2
Syderum influxus quomodo sint causæ morborum pestilentium. 443.1
Symphyti radicis syrupus in diabete commendatur. 364
Sympathici affectus, an morbi. 26
Sympathicus morbus, quis, & quas causas habere soleat. 13.2
Symptoma quid sit, vnde pendeat, alius differentiæ. 207
Symptomata causæ. 42.2
Symptomata notificant morbos. 26.2
Symptomata hysterica, & hypochondriaca. 540
Συνεδρέπτοντα *signa.* 42.2
Syncope pulsum abolet. 45.2
Syncope morbi maligni indices. 56.1
in quo differat ab apoplexia. ib. *signa.* ib. *causæ.* ib.
Syncope cardiaca, & stomachica. ib.
Syncope lethalis historia in nobilis virgine Monspeliensis. ib. & in alia virgine à sanguines circa cor congelato. ib.
Syncope in quo differat ab apoplesia, apoplexia, & vteri suffocatione. 174. *curatio.* ib.
Syncope hæmorrhagia cohibita. 238
Syncopalis febris essentia, causæ, & differentiæ. 425
curatio syncopalis mmutæ. 432
Syncopalis humerosa. ib. *Syncope à liene.* 525
Synochum significat sanguis è naribus fluens. 52
Sinochus simplex. 414.1
causæ, & signa. ibid. differentia. curatio. ibid.
Synochi simplicis duo remedia, sanguinis missio ad animi deliquium, & aquæ frigida potus. ibid.
συνοχοι, & συνεχεῖς *febres quænam sint.* 423
Synochi putridæ essentia. ibid.
differentia, & causæ. ibid.
Synodicus mensis. 37
Syntecticæ diarrhææ causa. 304
Syrupi. 146.2
Syrupus Magistralis in dolore capitis. 208. *ad sanguinem mundificandum.* 367
Syrupi ad asthma. 255. & 256
ad phthisim. 280
Syrupus de absinthio. ib. *eius descriptio.* ibid.
restaurans. 277. *in diarrhœa biliosa.* 304
Syrupi de cichorio compositi quadruplicato rheo doses. 324
Syrupus purgans in calida hepati intemperie. ib.
ad obstructiones in veteratas. 328. & 329
ex chalybe de obstruens, & purgans. 328. *hydragogus.* 325
rhamni cathartici, hydropicorum aquas educens. 334.2
Syrupus sanctis Ambrosij. 335 2
descriptio, & vsus, ib. purgans in melachonia hypochondriaca. 342. purgans & præseruans à calculo. 354. *de althæa simplex in calculo renum.* 353 roborans, adstringens, & refrigerans in fluore muliebri. 378. 2. *hystericus purgans.* 385. magistralis purgans. 388. refrigerans, roborans purgãs. 402
Syrupus violaceus, aliique dulciore, soli non exhibendi. 430. 20
431. *Systoles affectus.*

T

Tabaci fumus hysterici mulieribus prodest. 383
cinis dentes abstergit, & dealbat. 277
Tabellæ cerebrum confortantes. 175
in mania. 104. ad diarrhœam. 355. exsicantes cerebrum. 402. hepar refrigerantes. 255. roborantes in melancholia hypochondriaca. 269 calculum imminuentes. 175. roborantes, & leniter purgantes ad præcauendum abortum. 299 ad asthma. 314. in hæmoptoe. ibid. in ventriculo frigido. 302. ex chalybe de obstruentes hepar. 328
Tabellæ. 148
Tabes à quo humore. 167
Tabis differentiæ variæ ab Hippocr. propositæ. 26
Tabidis autumnus cur malus. ibid.
Tabifica conformatio. 269
Tabis morbus endemius in Lusitania. 30
Tabula signorum, partem primario, vel per consensum affici indicantium. 59
Tabula signorum magni, vel parui morbi. 54
Tactus signa praua. 66
Tactus quid. 22.2
Tactus symptomata. 169
Tamarindi ad immodicum fluxum hæmorrhoidum cohibendum commendatur. 327
Tapsi barbati vsus in hæmorrhoidum. 320
Τάραξις quid. 212
Litinis conturbatio. ibid.
Tartari crystallus quomodo fraudetur ab imposteribus. 328. ex tartaro remedia fiunt ad obstructiones inueteratas. ib. sal tartari, & spiritus tartari maximè commendantur ad obstructiones hepatis. 327
ex tartaro remedia ad hydropem. 338
in scorbutica affectione. 352
in suppressione mensium. 364
Tartari cremor in hysterica passione exhibendus. 303.2. 436
Tartari vitriolati compositio, & vsus. 328
in suppressione mensium. 373
in calculo renum. 353
Temperamentum quid sit, & temperamentum differentiæ. 5
Κρᾶσις Temperamentum. 6.1
Temperamentum ætatum. 7.2
Indicium temperamentorum. 6.2
Temperamenta sexuum, & temporum anni. 8.1
Temperies calida, & sicca viscerum, biliosum humorem prædominari arguit. 45
Temporum inæqualitates malignarum febrium causæ. 443
Temporum anni temperamenta. 8.2
Temporum morbi signa. 60
Temporum anni qualitates. 364
Tempus victus exhibendi ægrotis. 291
Tenesmus cum mingendi cupiditate cur adsit in vesicæ calculo. 356
Tenesmus quid. 310
In quo differat à dysenteriæ. ibid. 2. grauidis abortum facit. ibid. curatio. ibid. 2. & 341
Tenuis pituita. 14.1
Terebellum extremum remedium in epilepsia. 185
Terebinthinæ vsus in asthmate. 256.2
Aperit, vrinam mouet & aluum emollit in scirrho hepatis. 242. in melancholia hypochondriaca. 314. in præseruatione à calculo renum. 355. pilulæ ex terebinthina in mictu sanguinis à calculo. 363. in vlcere renum, & vesicæ, & vteri. 366. in empyemate. 362. in ventriculo expurgando. 364. in inflammatione ventriculi. 295
Terminus accretionis quidnam sit. 22.2
Tertiana febris quando nam vera, & legitima dicatur. 36
Tertianæ continuæ assentia, & causæ. 434
signa diagnostica 426. quomodo à synoche biliosa distinguatur. ibid. venæ sectio maximè vtilis. 430
Tertianę intermittentis sedes ac differentię. 437
Causæ. ibid. exquisitæ signa. ibid. notbę signa. ibid. an semper pericoli expertis. ibid. solutio certior per alui fluxum. ibid. curatio. 435
victus ratio. ibid.
Tertiana febre laborantes quando cibandi. ibid.
etiam in accessione vrgente ne cessitate cibus offerri potest. ib. medicamentum purgans quando exhibendum. 436
cur vomitoria conueniant. ibid.
Tertianę intermittentis longioris causa. ibid. 2
malignę signa. 426
Tetanus quid. 63
Θερατευτικὴ quid. 155
Τέτανος conuulsionis species. 181
prognosis. 182
Theriaca recens ratione opij soporosis affectibus non conuenit. 175
Trachea fluxionibus obnoxia. 52
Tremor quomodo funestus. 68
Trigesimus quartus dies criticus. 34
Tristitia effectus. 187
Trochisci. 319
Trochisci fluxioni sistendę idonei. 108
in calido catarrho. 109
Trochisci Gordonij, & de carabe ad mictum sanguinis. 361
renum vlcus, & vesicæ. 397
de myrrha ad mensium suppressionum. 372
alKekengi in dysuria. 367
Trochisci in vlcere renum & vesicæ. 370
in febre quartana maximè vtiles. 440
sublinguales ad linguę scabritiem, & siccitatem. 432
albi Rhasis in cancro vteri. 390
Trochisci ad vlcus ventriculi. 296
de Rhabarbaro ad hydropem. 334
viperini ad febrem pestilentem. 452
Tuba fallopiana quid. 381
Tuberculum pulmonis duplex. 207
eius causæ. ibid.
Tuberculum in pulmonum arterijs prope cor, palpitationis, & interitus causa in Antipatro medico. 275
Tumor ædematosus tibiarum, & pedum quomodo discutiendus. 336
Tumor magnus, & contumax, genus occupans, emplastro vesicatorio admoto curatus. 414
Tumor lienis. 478
Tumor strumosus. 488. & 500
ex tumore in genu aperto loco puris ventus egreditur. 514
Tumor pedis dextri diuturni. 523
Tumor pancreatis scirrhosus cum affectione Hypochondriaca. 524
Tumor cancrosus in hepate cum dolore ischiadico. 500
Tumor in genu contumax, & diuturnus. 535
Tumor mammarum. 564
Tumor hepatis spurius, & decipiens. 565
Tumor cruris. 568
Tumor, & dolor in genu. 578
Tumor scroti. 389
Tumor strumosus in digitis. ibid.
Tumor suppuratus resolutione curatur. 390
Tumor ædematosus. ibid.
Tumor in crure. 525
Turgere humorem quid sit. 125
Turgentia in humoribus quid. 447
quomodo dignoscatur. ibid.
In turgentia cur phlebotomia potius quam purgatio vsurpetur. ibid.
Turtures. 277
Tussis excrementa quid indicent. 149
Tussis cur excitetur dum auris interior vellicatur. 149
Tussis & catarrhus infantis. 480
Tussis, & difficultas spirandi cum doloribus humerorum, & brachiorum. 221
Tutia in vlceribus oculorum commendatur. 217
Tympanites quid. 334
causa efficiens. ibid. 2. an solus flatus efficiat. ibid. 2. in corpore atrabilario lethalis. 336
Typodes febris quid. 35
Typomania quid. 176.2

V

Vacui dies. 31.2
Vacuatio suppressa quid efficiat. 38.2
Valeriana sylvestris radicis laus in epilepsia. 186
Vapor occulta qualitate molestus inter causas palpitationis cordis. 278
Vapor melancholicus vt plurimum causæ catalepseos. 178
Vaporum melancholicorum, qui ab hypochondrijs eleuantur, varia symptomata. 314
Vapor malignus, & venenatus hystericæ suffocationis causa. 381
Varices melancholicis superuenientes salutares. 404
Variolæ in quo differant, an [illegible] noui. [illegible]

Variolarum causa. ibid.
eruptio cur tamdiu differat. 457
cur maiori copia in facie, pedibus, & manibus apparere soleant. ibid.
in quo differant à maculis purpureis. 458
aliquando pestis prodromi, & nuntij. ibid.2
Variolarum, & morbillorum expulsio fit per sanguinis ebullitionem. 458
talis ebullitio duplex, vna perfectiua, et alia corruptiua. ib.
duo habent tempora, vnius ebullitionis, aliud eruptionis. ib.
imminentium signa. ibid.2
quæ salutares. ibid.1
lethales sanguinis excretiones indicant. ibid.
curatio. 458. *victus ratio.* ibid.
erumpentibus cur diuturnior somnus noxius. ibid.
curatio a venæ sectione inchoanda. ibid.
morbi tempore maximè proficua. ibid.
an purgatio conueniat. ib.
Eruptionem adiuuantia. 260
quando vsurpanda. ibid.
malignitas alexipharmacis oppugnanda. ibid.
folis incressantibus curatæ. ibid.
quas partes afficiant. ibid.2. & 460
ab earum noxis quomodo defendendus pulmo. 461
intestina, oculi, nares, facies. ibid.2. & 460
Variolarum foueæ, et cicatrices in facie quomodo delendæ. ib.
Variolæ an acu aurea, vel argentea perforandæ. 490. & seq.
Variolæ. 549
Variolæ cum dysenteria. 488
Variolæ cum alui fluxu. 496
Variolarum prognosis. 552
Vas breue, quos vsus habeat. 291
Venarum iugularium secandi modus. 175
aperiri possunt in angina. 252
Venæ sectio frontis, comate vigili idiopatico celebranda. 177
in phrenitide. 192. *dolore capitis.* 101. *in gutta serena.* 107
Venæ narium vtilissimè aperiuntur in phrenitide. 192
Venæ sectio temporum, & earum quæ sunt in angulis oculorum iuxta nasi radicem in gutta serenæ. 107
ophtalmia. 212
Venæ plurimo sanguine refertæ, omnes vias interiores angustiores efficiunt. 404
Venas per epiploicas, & gastrepiploicas serosus humor è venis in abdomen fertur. 331
Venosus sanguis. 30
Veneni hausti curatio. 275
Venenata qualitates in hysterica passione agnoscendæ. ibid.
Venenata febrium qualitas à qua causa dependeat. 196
Venenum secta vena facilius penetrat, & interm. 448. *et* 449
Venenatum quid in mania. 193
Venter non difflatus aer facilè corrumpitur. 441
Ventriculi affectus. 278
Ventriculi coctio à quibus causis lædatur. 286
Ventriculi coctio læsa cum alui fluxu curata in authore vsu aceti acerrimi cum ouis induratis. ibid.
Ventriculi dolor. 293
Ventriculi tres præcipuæ partes. 294
Ventriculi doloris causa extraordinaria. ibid.
Ventriculi phlegmones causæ, & signa. 328. *curatio.* 296
quando in abscessum degenerat. ibid.
Ventriculi vlcerum causæ, & prognosis. ibid.
Ventriculi inflammationis quando purgatio conueniat. ibid.
Abscessus quomodo rumpendus. ibid.
vlceris curatio. ibid.
Ventriculus quomodo sit causa melancholiæ hypochondriacæ. 365.2
Ventriculi calida intemperie laborantis curatio. 281
Ventriculum calefacientia, & roborantia. ibid.2
Ventriculi motus expulsiui triplices. 287
Ventriculi motus naturalis sit versus pylorum, & intestina motus præternaturalis contra. 287
Ventriculus cur κοιλία a veteribus vocatus 298
Ventriculi quid conferat ad generationem calculi. 352
Ventriculi aphtas facit succi limonium incautus vsus. 355
Ventriculus quomodo ex vitio in hysterica passione afficiatur. 360
Ventris dolor. 326
Ventriculi dolor. 492. & 467
Venus immoderata vna ex præcipuis arthriticis causis. 410
Venus immodica calculum generat. 52
ad ventrem procliues bilioſi. 40. & 41
Veneris temperamentum. 7
Venus immoderata vna ex precipuis arthritidis causis. 386
Veneris impotentia. 410. & 411
Venus languida. 431
Veris victus. 96
Veris qualitates. 119
Vermes quando malum signum. 86
Vermes inter causas conuulsionis, & epilepsiæ numerantur. 187
indentibus cariosis sæpissimè generantur. 244
Vermium genera. 232
non raro exitiosi sunt. 513
excreti in morbis an salutares. ibid.
an ex lacte infantibus lactentibus generentur. ibid.
quibus expurgandi. 314
Vernaculi morbi. 31
Verrucæ. 566
Verrucæ manuum. 586
Vertebrarum luxatio paralysin efficit. 554
Vertigines vnde oriantur. 180
Vertigo quid, eius differentiæ. ibid.
proxima causa est circumuolutio spirituum, quæ est morbus in situ. ibid.
vna idiopathica, & alia sympatica. ibid.
Vertigio idiopathicæ epilepsiæ aut Apoplexiæ prænuntia. ib.
Vertiginis sympathicæ signa distinctiua. ibid.
Vesicis omentum, & pulmo ad pleuritidem. 260
Vesicatoria medicamenta. 145
Vesicatorium. 153
Vesicæ affectus. 348
Vesicæ excrementum proprium materia mucilaginosa. 349
Vesicæ calculus. 367
Vesicæ inflammatio. 380
signa, ibid. 2. curatio. 371
soluitur aliquando erysipelate in cute oborto. ibid.
topica quæ admouenda. ibid.
in principio non conuenit purgatio. ibid.
Vesicæ vlcus. 376
in senibus non curatur. 376
exsiccantia, adstringentia, glutinantia, & consolidantia quomodo conueniant. 375
iniectiones peculiariter conueniunt. ibid.2
Vesicæ calculo pueri, senes calculo renum cur magis noxij, 367
è vesica pus procedens quale. 376
Vesicatorij formula vesicatoria apud Monspelienses. 152
apoplecticis prosunt maximè cum Euphorbio. 176
conuulsio 183. *epilepsiæ.* 185
toti capitis admotum in dolore capitis. 202
sinciputi in ophthalmia. 215
posteriori parti cerui cis in Amaurosi. 204
toti capiti raso. ibid.
sinciputi leppientibus oculis. 219
in angina. 452.2
asthmate. 336
arthriticis doloribus. ibid.
ischiadico dolore. ibid.
Vesicatorium emplastrum. ibid.
Vesicatoria in febre pestilenti admouenda. 449
quibus corporis partibus. ibid.
in peripneumonia. 261
Vesicat. vsus in catarrho scapulis cerui ci. 282. & 284
Vetulis quando nam menstrua excernantur. 25
Vibices in cadaueribus defunctorum quid indicent. 446
Victima calidarum rerum calefacit. 38
Victima frigidarum refrigerat. ibid.
Victus singulis ætatibus congruus. 99
Victus singulorum temporum. ibid.2
Vigesimus dies est criticus. 34
Vigesimus septimus dies criticus. 36
Vigilia quid. 24
Vigilia quæ vtilis. 115
Vigilig quando malum signum. 65.2
Vigiliæ post mediam noctem cur plerumque infestare soleant. 341.2
in febribus quomodo curandæ. 432
in febre maligna. 453. & 454
Vigiliarum noxæ. 101.2
Vilensium aquarum laus. 90.1

Vini qualitates. 111
Vinacea autumni tempore membris paraliticis prosunt. 129
Valent præcauendum arthritidem. 405
Vini immoderatus vsus stuporem, & paralysin inducit. 117
Vinum euphrasiatum in gutta serena. 152
purgans in asthmate. 205
Vinum in ophtalmia quando conueniat. 130
Hippocraticum ad calefaciendum stomachum. 240
chalybeatum in obstructionibus contumacis soluendis. 304. hydragogum ad hydropis curationem. 187. & diureticum. 388
Vini Acidi laus in præseruatione à calculo. 320
Vinum omnium fluxionum vehiculum est maximum. 410
medicatum ad febrem quartanam. 426
omnium cardiacorum potentissimum. 442
Vinum helleboratum in mania. 120
alKekengi ad calculū. 316. 317. ad suppressionē vrinę. 320
Vini calidi vsus intemperie ventriculi frigida. 250
an conueniat in gutta serena. 130
meracum famem caninam soluit. 252
Virgæ caruncula. 513
Vipere caro, cor, & hepar exsiccata, virtute pollent alexipharmata. 402
Virginibus chloroſi laborantibus cum familiaris picca. 322. & 343.
Virginibus pessaria, nec clysteres vterinæ præscribendi 327
Viri magis obnoxij anginæ, quàm fœminæ. 188
Virium imbecillitas in quo differat a syncope. 250
causæ, curatio. ibid.
Viscerum obstructionum signum hypochondriorum grauitas, seu sacietas. 327
Viscus querci nus specificus in epilepsia. 114
Visibilia obiecta cur duplicia appareant. 124
cum inuersa, ac curua appareant. 125
cur fenestrata appareant. 123
Visio læditur imminutè, abolitè, & deprauate. 123
Visioni lumen necessarium in mediocri quantitate receptum. 45.2
Visus quid. 22
Visus signa lethalia. 67
Visum conseruantia specilla. 360
Vitam quomodo definiat Aristoteles. 14
Vitalis facultas quid sit. 22
Quid eidem ministret. ibid.
Vitalis spiritus quis, & vbi generetur. 14
Vitellina bilis quid. 10
Vitellina bilis vnde procreetur. 58
Vitrea pituita. 12
Vitrei humoris affectus. 205
Vitriolum album hæmorrhagiam potenter cohibet. 248
Vitrioli oleum ad phthisin commendatur. 280
Vitriolum album, sal ex vitriolo ad vomitum. 366
oleum, seu spiritus ad obstructiones contumaces. 281
Vitrioli martis vsu in melancholia hypocondriaca, illiusque preparatio. 313
in hysterica passione. 375
Vitrioli oleum, & spiritus, vide Spiritus vitrioli. ibid.
Vitriolum album, & sal vitrioli vomitoria in tertiana intermittente. 430
Vitriolator laus in omni putredine, & malignitate. 455
Vitulina caro. 105
Vlcus quid. 32
Vlcus in corde. 450
Vlcus gingiuarum. 503
Vlcus cum ossis carie. 504
Vlcus cancrosum 557
Vlcus fistulosum. 561
Vlcus sinuosum. 566
Vlcus renum. 573
Vlcus verminosum. 582
Vlcera circumglabra maligna. 55
Vlceris à variolis in faucibus excitati curatio. 422
Vlcera phagedænica quæ. 396
Vlcerum narium curatio. 150. & 151
Vlcera narium exsiccantia. ibid.
Variolarum cicatricibus implendis. 460. ad vlcera maligna à variolis excitata. 491. ad scirrhum vlceri. 368. fœtum mortuum excludens. 368. in hæmorrhoidum fluxum immodico. 280
Vnguenti. 153
Vnguenta ad spina dorsi inurgendam in paralysi. 104
in ophthalmia. 369
in suffusione. 160
Vnguentum resoluens ad arthritidem. 253
Ad dolorem ischiadicum. 405
detergens. 307
Vnguento mercuriali cataracta curata. 192
ophthalmia desperatę. 170. & 171
Vnguentum ventriculum roborans. 230. & 231
in alui fluxu. 273. hepar deobstruens, 2,
de arthanita pro inunctione totius ventris in vermibus. 276. hepar refrigerantia. 100. & 101. ad lienis scirrhum. 326. ad renum vlcera consolidandum. 340. ad hortum præcauendum. 388. ad iudores symptomaticos cohibendos. 337.
Vnguis oculi differat a pannicullo. 150. causæ d[illegible]. 151. curatio ib. aucta, & iam inueterata sola manuali operatio curatur. ibid. 2
Vomitus frequens quid arguat. 52
Vomitus mali signa. 79. 80
Vomitus instantis signa. 89
Vocem articulatam cur non edant surdi ab ortu. 250
Voluntarij motus symptomata. 99
Voluulus quid. 260
Vomita pulmonis de repentè rupte multos à medio sustulit. 230
Vomitoria in affectibus soporosis. 110
in paralysi. 127. asthmate. 204
Vomitus. 250
in quo differat à nausea, ib. differentiæ ibid. 2. lethalis ab esu fungorum. 235. ex caseo putri magna copia comesto. ibid. imminentis signa. ib 2. alui profluio laboranti superueniens salutaris. ib. bonus, vel malus quibus signis dignoscatur. ib. bilioſi curatio. 255. pituitoſi. 250
Vomitui vehementissimo narcotica admixta purgantibus prosunt. 250. & 251
Vomitus sanguinis. 131. causæ. ib. curatio. 252. quæ victus ratio conueniat. ib. purgantia. 283
Vomitorium blandum in calculo renum. 314. in diabete. 240
Vomitus vtilitas in renum, & vesicæ vlceribus. 339
in menstruis immodicè fientibus. 454
furore muliebri. 363
Vomitorium in hysterica passione. 365
in vteri inflammatione minime conuenit. 367
ad expurgandam bilem in ventriculo. 430. in principio accessionis in febre quartana exhibenda. 441
Vomitorium triplex gradus. 42
Vomitorium. 47
Vomitoria medicamenta. 11
Vomitus in prægnantibus, sanguinis missione curandus. 393
in arthritidis prophylaxi vsurpandus. 403. quando melius succedat. ib. ex quibus componendus. ib. vtilitas in febribes putridis continuis. 421. intertiana intermittente. 430
Vomitus in febre maligna, & curatio. 249
Vomitus sanguinis. 480
Vomitus in febre maligna. 476. 555
Vomitus contumacissimus. 510
Vomitus antiquus. 560
Vomitus sanguinis ab hausta in potu hirudine. 562
Vomitus ad choleram morbus accedens. 574
Vomitus horrendus. 579
Vomitus frequens quid arguat. 54
Vomitus mali signa. 77
Voraces Melancholici. 48
Vrinæ signa. 5
Vrinæ morbi acuti indices. 58
Vrinæ sanæ in febre non leui maligna. 57
Vrinæ quæ mala. 92. & 93
per vrinas enacuatio. 136
Vrinæ medicamenta. 140
Vrinæ suppressio. 442. 481
Vrinæ suppressio à caruncula virgæ. 487
Vrina cur in phrenitide aliquando supprimatur. 122
Eam prouocantia. 123
Vrinarum critica profusio quid contingat. 254
Vrina crassa, & rubra cur appareat. 246. crassa rubra, & turbida causa in melancolia hypochondr. 307
suppressa à calculo quid agendum. 3[illegible]
Vrinarum bullæ à qua causa fi[illegible] 518. & flammeæ quid referri debeant. [illegible]

Vri-

Vrinæ paucitas in hydropicis mala. 304. *cruentarum causæ.* 324
Vrinæ incontinentia. 329. *causæ. ib. signa causarum.* 365. *incontinentia, & suppressio quomodo ab eadem causa producantur.* ib. 2
specifica. ibid. 2. *potus conueniens.* ib.
in senibus incurabilis. ibid.
Vrinæ suppressio si septimum diem excedat, lethalis. 367
à calculo quomodo auferenda. ib 2
Vrinæ ardor. 368. *causæ. ibid.* 2. *signa causarum. ibid. curatio.* 369
Vrina acrimonia interdum inducitur à materia alba, & quasi lactea cum vrina copiosè emissa. 368. *eiusdem materia, causa.* ibid.
Vrinarum copiosa profusio ab insolatu vnde. 410
Vrina in febre pestilenti aliquando vrinæ sanorum similis. 368. *ex vrinis in eadem febre prognosis incerta.* 370
Vrinæ nigræ in quartanæ bonæ. 438
Vrinam prouocantia in febris continuæ declinatione. 131
Vteri scirrhus. 471
Vteri dolores. 549
Vteri prolapsus. 569
Vrticæ succus in sistendo sanguine. 239
fluxu hepatico. 312. *in ictero.* 331
Vrtica mortua specifica lieni scirrhoso. 331. *vrticæ succus fluxum mensium immodicum sistit.* 376
Vrtica contusa, maxillæ admota, cito dentium dolorem soluit. 250. *radicis decoctum ore detentum.* 247
Vrticis, viridibus membrum resolutum percutiendum. 161
Vrtica cocta in sartagine pubis regioni admota, ad fluxum mensium immoderatum. 376
Vsus veneris quibus magis noceat. 115
Vsus partium quid. 20
Vterus quomodo crassescat in prægnantibus. 351
proprium excrementum est fluor albus ibid. 2. *corporis totius sentina ac cloaca à nonnullis nominatus.* 372
sexcentarum ærumnarum, innumerarumque calamitatum author est. 380. *vtrum ad vmbilicum, & partes superiores ascendat.* 381
Vteri inflammatio. 387
differentia. ibid. causæ. ibid. 2. *signa, & curatio.* 388. *& quomodo distinguatur à vesicæ, & intestini recti inflammatione, ibid. vt plurimum lethalis. ibid. suppurans ægram lenta febre absumit.* ibid.
Vteri vlcus. 389
causæ. ibid. differentiæ, signa. ibid. curatio. 390. *quando præcipuè conueniat sanguinis missio. ib.* 2. *qua methodo fuerit curatum. ibid. detergentia, exsiccantia, & consolidantia.* ibid.
Vteri vlceris, cui succedit fistula, curatio. 391. *à lue venerea, curatio.* ibid.
Vteri scirrhus. ibid. 2
causa, signa. ibid. 2. *differentia. ibid. curatio.* ibid.
quomodo à mola distinguatur. ibid.
Vteri cancer. 392
causæ, signa, ibid. 2. *curatio* 392. *cur incurabilis. ib. curatio palliatiua. ibid. specifica.* 393
Vteri gangræna, & sphacellus. 390. *causæ, signa.* 390. *curatio. ibid.* 1. *curatæ exemplum insigne.* ibid.
Vterus auferri potest cum incolumitate mulieris. 390
Vteri inflatio in quo differat ab hydrope. 391
Vteri hydrops duplex. 392
in vteri cauitate quomodo flatus & humores continentur. 392. *inflationis, & hydropis causæ. ibid. quomodo ab hydrope vniuersali, aliis vteri tumoribus, grauiditate, & mola distinguatur.* 393
Vterus qualis in muliere, tale est vt plurimum reliquum corpus. 393
Vteri hydrops quis periculosior, ibid. vomitoria cur conueniant. 393. *inflationi suffitus nucis moschatæ maximè conducit.* ibid.
Vteri procidentia. 393. *differentiæ, causæ, ibid. &* 394. *signa.* ibid.
quæ incommoda sequantur. ibid
quomodo reponendus. 394
quomodo continendus. 395
Vteri clausura. 394. *causæ, dignotio.* 395. *curatio. ibid.* 1. *quæ curabilis.* 395. *curatio à chirurgia maxima ex parte petitur.* 395
Vterus disruptus ex partu laborioso. 405
cur semen non excipiat. 396
Vteri acetabula dissoluentia. 401
roborantia, exsiccantia, expurgantia. 400
Vulnus contusum. 315
Vulnus in brachio curatu difficile. 518
Vulnerum prognosis. 514
Vulnus capitis cum contusione. 562
Vulnus in pectore. 567
Vulnus sclopeti. 569
Vulnus contusum in oculo. 570
Vulnus cariosum in sterno. ibid.
Vulnus asperæ arteriæ ex sclopeto. 570
Vulnus thoracis curatu difficile. 572
Vulnus vesicæ sclopeto. 574
Vueæ tunicæ affectus. 209. *&* 210. *præcidentia differentia, signa curatio.* 218
Vuæ. 104
Vulnerarium decoctum. 388
Vulnerarium decoctum, aqua catapultarum dictum. ibid.
Vulneraria medicamenta. 141
Vulturis pellis ventrem calefacit. 198
Vultus quid sit. 29
in vulneribus computatio dierum quando fieri debeat. 37
Vuula relaxatæ causæ, & curatio. 160. 1. *&* 2. *cautiones.* ibid.

Y

Y

Z

Z *Edoaria ventriculum roborat.* 280
Zinziber. 107

FINIS.

66
74

11.223